PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — HÆRE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CXCV.

B. AELREDUS ABBAS RIEVALL. WOLBERO ABBAS S. PANTALEONIS COLON. ECKBERTUS ABBAS SCHONAUG. HENRICUS ARCHIDIAC. HUNTINGDON. ODO DE DEOGILO ABBAS S. DIONYS. BERTRANDUS DE BLANCESFORT TEMPLAR. MAGISTER.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,

IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

Digitized by Google

BR
60
.M4
t. 195

PHILADELPHIA
DIVINITY SCHOOL

Digitized by Google

SÆCULUM XII.

BEATI AELREDI

ABBATIS RIEVALLENSIS

OPERA OMNIA,

ACCEDIT

WOLBERONIS ABBATIS S. PANTALEONIS COLONIENSIS

COMMENTARIUM IN CANTICA.

INTERMISCENTUR

ECKBERTI ABBATIS SCHONAUGIENSIS ET SANCTÆ ELISABETH SORORIS EJUS GERMANÆ, HENRICI ARCHIDIACONI HUNTINGDONENSIS, ODONIS DE DEOGILO ABBATIS S. DIONYSII, BERTRANDI DE BLANCESFORT TEMPLARIORUM MAGISTRI,

SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT OMNIA.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ
SIVE
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORÆ

TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXCV CONTINENTUR.

ECKBERTUS ABBAS SCHONAUGIENSIS.

Sermones contra Catharos. Col. 11
De laude crucis. 103
Soliloquium seu Meditationes 105
Stimulus amoris. 113

SANCTA ELISABETH.

Vita sanctæ Elisabeth, in qua continentur Visiones ejus. 119

B. AELREDUS ABBAS RIEVALLENSIS IN ANGLIA.

Operum pars prima. — Ascetica.

Sermones de tempore et de sanctis. 209
Sermones de oneribus, in capp. XIII et seq. Isaiæ. 361
Speculum charitatis. 501
Compendium Speculi charitatis. 621
Liber de spirituali amicitia. 659
Regula sive Institutio inclusarum. 701

Operum pars secunda. — Historica.

De bello Standardi. 701
Genealogia regum Anglorum. 711
Vita S. Edwardi regis. 737
De sanctimoniali de Wattun. 789

HENRICUS ARCHIDIACONUS HUNTINGDONENSIS.

Historiarum libri octo. 799
Epistola ad Warinum. 977
Epistola ad Walterum de mundi contemptu sive de episcopis et viris illustribus sui temporis. 979

ODO DE DEOGILO ABBAS S. DIONYSII.

De profectione Ludovici VII in Orientem. 999

BERTRANDUS DE BLANCESFORT, TEMPLARIORUM MAGISTER.

Epistola ad Ludovicum Juniorem. 999

WOLBERO ABBAS S. PANTALEONIS COLONIENSIS.

Commentaria in Canticum canticorum. 1001

Ex Typis L. Maire, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

ECKBERTUS SEU EGBERTUS

ABBAS SCHONAUGIENSIS

ET

SANCTA ELISABETH

SOROR EJUS GERMANA

NOTITIA HISTORICA IN ECKBERTUM

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Latinit.*, II, 78)

Eckbertus, alias *Egbertus*, presbyter et canonicus Bunnensis, Coloniensis diœces., ac denique monachus et post Hildelinum, abbas Schonaugiensis (1) S. Florini in diœcesi Trevirensi, ordinis Benedict. circa Annum 1160. Opusculum *De laude crucis*, et *Soliloquium*, sive *Meditationes* et *Stimulus amoris* in celeberrimi Bernardi Pezii *Bibliotheca ascetica*, tom. VII, pag. 13, 21, 57, Ratisbonæ 1725, 8°. *De obitu sororis suæ* germanæ *S. Elisabeth*, virginis abbatissæ Schonaugiensis, defunctæ a. 1165, ad cognatas suas, prodiit in Actis sanctorum tomo III Junii, 18, pag. 607, cum hujus Elisabethæ Visionum libris v, ut prius lucem viderat edente Jacobo Fabro, Stapulensi, Parisiis 1500, et deinde Coloniæ 1628, etc. *Sermones* XIII *adversus hæreses Catharorum*, hæresim Manichœorum renovantes (cum *excerpto de Manichæis* ex Augustino) ad Reginoldum, archiepiscopum Coloniensem, Coloniæ 1530, 8° (2), et tomo XII Colon. atque tomo XXIII Bibliothecæ Patrum edit. Lugd., pag. 601. Cætera quæ huic Ecberto tribuuntur apud Trithemium cap. 403, De S. E. et illustr. Benedictin. II, 121, sunt : *In principium Evangelii Joannis; Super Magnificat; Super Missus est angelus; Meditationes*, *Sermones* per annum, *Laudes Salvatoris*, et *Epistolas* ad diversos.

NOTITIA ALTERA.

(R. P. D. Bernardus PEZIUS, *Bibliotheca ascetica antiquo-nova*, t. VII, Præf., n. 2.)

Eckeberti nomen apud plerosque scriptorum ecclesiasticorum nomenclatores exstat. Eum insigni elogio celebrat Jo. Trithemius tum in Annalibus Chronico Hirsaugiensi, editionis Sanct.-Gallensis tom. II, pag. 450, tum in libro de scriptoribus eccl. cap. 403, ubi hæc ejus verba sunt *Eckebertus* (in Chron. Hirsaug. *Egbertus*) *secundus abbas monasterii Sancti-Florini, Ordinis divi P. Benedicti, Trevirensis diœcesis, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, et non minus conversatione scientia venerabilis, frater beatæ Elisabeth virginis, abbatissæ Schonaugiensis fuit. Hic ante Bunnensis* (seu *Bunnensis*) *Ecclesiæ canonicus fuit a sancta sorore ad Schonaugiam vocatus, primo monachus, ac deinde abbas factus est. Scripsit non contemnendæ lectionis Opuscula, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam transmisit. E quibus subjecta reperi :*

Adversum hæreses lib. 1. *Prophetarum dudum temp.*
In principium Evangelii Joannis lib. 1. *Mysteria divini ser.*
Super Magnificat lib. 1. *Spiritus Domini super te Ma.*
Super Missus est angelus lib. 1. *Sermo evangelicus omni.*

(1) Abbatiam Schonaugiensem ab abbatia S. Florini præter rem, diversam faciunt Vossius pag. 430, Oudinus, t. III, pag. 1548, aliique.
(2) Hermanni ab Hardt autographa, tomo III, p. 195.

Digitized by Google

511

De obitu sororis suæ lib. 1. *Virginibus Deo sacratis.*
Meditationes lib. 1. *Verbum mihi est ad te.*
Sermones per annum lib. 2. *Erunt signa*, etc., *adventus.*
Laudes Salvatoris lib. 1.
Epistolarum ad diversos lib. 1.

Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Fuit enim declamator egregius, doctus et eloquens, adeo ut quemdam hæreticum, quem nemo concludere poterat, unica disputatione superaret. Claruit in cœnobio præfato Sancti Florini, quod Schonaugia dicitur, in diœcesi Trevirensi, sub Frederico imperatore primo, anno Domini 1160 *et propter religionem et doctrinam in pretio habebatur.* Hæc Trithemius de Vita et Scriptis Eckberti, ex quibus *Liber adversum hæreses*, id est, *Sermones* XIII *adversus Catharos*, prodiere Coloniæ an. 1530, in-8, posteaque inserti sunt tomo XII Bibliothecæ Patrum editionis Coloniensis. *Liber de obitu sororis suæ* exstat apud Bollandianos ad diem XVIII Junii, fuitque jam anno 1500, Parisiis ab Henrico Stephano, Roberti patre, una cum *Revelationibus S. Elisabethæ*, ac anno 1628, Coloniæ vulgatus, teste Casimiro Oudino tom. II De scriptoribus ecclesiasticis, col. 1549. Qui tamen insigniter fallitur, dum ibidem Eckberto abbati Schonaugiensi *Vitam B. Heimeradi presb. et confessoris*, a Leibnitio inter *scriptores rerum Brunswicensium* publicatam attribuit. Neque enim Egbertus, S. Heimeradi biographus, Schonaugiensis unquam abbas aut monachus, sed Hersfeldensis fuit, ut vel ex inscriptione vitæ S. Heimeradi perspicuum est. Joannes Mabillonius in recentissima Operum S. Bernardi editione volum. II, col. 687, *Sermonem panegyricum ad B. virginem deiparam*, S. Bernardo Claravallensi, sub cujus nomine in recentioribus editionibus comparet, abjudicat, et in *Contentis tomi V* Eckeberto nostro restituit. Nec plura scio, quæ sub Eckeberti abbatis nomine typis hactenus commissa fuerint. At iis tria deinceps Opuscula addere licebit.

Primum est depromptum ex membraneo codice in-fol. min. inclyti monasterii Windbergensis Ord. can. regularis Præmonstratensium, quingentis circiter abhinc annis exarato, in quo nullus alius quam hic Opusculo titulus præfixus est : *Laus crucis, verba Eckeberti.* Quæ inscriptio, quin nostrum Eckebertum spectet, vix quisquam merito dubitaverit. Est hæc scriptiuncula non minus sobria quam pia, cujus numero 5, paucis et perspicuis verbis exponitur, quidquid fere a recentioribus theologis scholasticis de causis et modis Dominicam crucem adorandi per plura capita disputatur.

Alterum Eckeberti Opusculum, nunc primum, ni fallor, in lucem productum et excusum est ejusdem *Soliloquium*, seu, ut Trithemius supra inscribit, *Meditationes.* Exstat id in novem codicibus Bibliothecæ Mellicensis, quorum tamen nullus sæculum XV, ætate superat. Codex chartaceus signatus Litt. B. num. 29, id Richardo a S. Victore tribuit his ad calcem verbis : *Explicit Soliloquium Richardi de speciali commendatione Jesu.* Verum non Richardi, sed Eckeberti abbatis Schonaugiensis esse discimus præter alia ex paulo ante laudato Trithemio, qui *Meditationes* ab his verbis : *Verbum mihi est ad te* incipientes, Eckeberto diserte attribuit. Illud ut ad pium lectorem emendatius pervenerit, ad fidem diversorum codicum castigavimus, variantesque lectiones ad calcem paginarum adjecimus.

Tertium, quod nunc primum sub nomine Eckeberti publicis juris facio Opusculum, est ejusdem *Stimulus amoris*, qui hactenus inter Opera S. Bernardi Claravallensis locum sortitus fuit. Libellum hunc seu sermonem etiam recudit inter ejusdem Opera, recentissime edita, Mabillonius tomo V, col. 649, qui tamen erudite ibidem observat, eum *sancto Anselmo tribui a Trithemio, Bellarmino et aliis sub titulo* Stimuli amoris. *Certe Bernardi*, inquit, *stylum non sapit, nec reperitur in antiquis mss. nec in prima editione Lugdunensi sub nomine Bernardi.* Ita recte vir eruditissimus. Sed hanc pietate ac spiritu plenam lucubratiunculam nec Anselmi esse docet nos optimæ notæ codex Windbergensis paulo supra citatus, qui præter *Laudem crucis* etiam sub expresso nomine Eckeberti eamdem hoc titulo continet : *Stimulus dilectionis Eckeberti.* Codici Windbergensi consentiunt duo Sanct-Petrenses Salisburgi, chartaceus alter, alter membranaceus, ambo sæculo XV exarati, quorum prior vocat *Librum domini Eckeberti, qui intitulatur Stimulus charitatis :* alter ait esse *Eckeberti abbatis.* Vero mihi perquam simile est, hunc *Stimulum amoris* non esse diversum a *Laudibus Salvatoris*, quas Trithemius Eckebertum scripsisse supra commemorat. Quid enim in illo aliud agit auctor, quam ut *gloriemur in nomine Filii Redemptoris, et demus honorem Salvatori nostro qui magna fecit in nobis*, etc. Porro variæ lectiones, quas ad finem paginarum adjeci, mihi enatæ sunt ex collatione editionis Mabillonianæ et codicis Mellicensis E. 42, qui ad bonæ notæ exemplum exaratus videtur.

ECKBERTI SCHONAUGIENSIS
SERMONES

Adversus pestiferos fœdissimosque Catharorum, qui Manichæorum hæresim innovarunt, damnatos errores ac hæreses. — Accedit breve ex Augustino de Manichæis Excerptum per eumdem Eckbertum.

Opus quantivis pretii et revera cedro dignum, nec unquam satis commendandum studiosis rerum theologicarum, cum propter orationis evidentiam, tum propter ordinatissimam argumentorum methodum ac vim.

(GALLAND., *Vet. Patr. Biblioth.*, XIV, 447.)

ECKBERTI PRÆFATIO
AD REGINOLDUM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Illustrissimo rectori pontificalis cathedræ in Colonia domino REGINOLDO, frater ECKBERTUS Schonaugiensis cœnobii monachus, hoc munusculum ex meditationibus suis.

In vestra diœcesi frequenter contigit deprehendi quosdam hæreticos, qui diebus istis plurimum nota-

Digitized by Google

biles sunt in erroribus suis. Hi sunt quos vulgo Catharos vocant : gens perniciosa nimis Catholicæ fidei, quam velut tineæ demoliuntur et corrumpunt, ambulantes in astutia multa. Muniti sunt verbis sacræ Scripturæ, quæ aliquo modo sectis eorum concordare videntur, et ex eis sciunt defendere errores suos, et oblatrare Catholicæ veritati : rectæ autem intelligentiæ, quæ in sacris verbis latet, et non sine magna discretione agnoscitur, nimis expertes sunt. Ego itaque operæ pretium duxi errores eorum describere, et adnotare auctoritates Scripturarum, ex quibus se defendunt, ac demonstrare quomodo sane intelligi debeant : simulque eas partes fidei nostræ, quibus se opponunt, proponere ; et quibus Scripturæ auctoritatibus, quibus vexationibus defendi possint, cum superno adjutorio demonstrare, ut qui ista legere et in memoria habere curaverint, aliquanto promptiores sint ad disceptandum cum illis, si quando, ut assolet, in populo fuerint deprehensi. Valde enim linguosi sunt, ac semper in promptu illis est quod adversum nos dicere possint. Et est non parva verecundia nostris, qui litteras sciunt, ut sint muti et elingues in conspectu illorum. Cum essem canonicus in ecclesia Bunnensi, sæpe ego et unanimis meus Bertolphus, cum talibus altercati sumus, et diligenter attendi errores eorum ac defensiones. Multa quoque de illis innotuerunt, per eos qui exierant de conventiculis eorum, et resipuerant a laqueis diaboli. Propterea et abundantius ea quæ de illis sunt, et quæ contra illos dici possunt, in hunc librum cum abbatis mei domini Hildelini exhortatione congessi vestræque celsitudini antiquæ familiaritatis causa transmisi : quatenus si forte coram vobis tales examinari contigerit, munita sit ex his sermonibus prudentia vestra, ad obstruenda ora loquentium iniqua, et ad confirmandum vacillantes animos seductibilium hominum, qui dolosis sermonibus illorum decepti, ambulare eos secundum veritatem existimant. Rogo autem, ut si rationabilem forte judicaveritis hujus libri compositionem, et in aliquo utilem Christianæ religioni fore perpexeritis, *in commune* eum venire faciatis, ut sit in scandalum generationi illi pessimæ cunctis diebus.

SERMO PRIMUS.

De hæresibus adversus quas disceptatio assumitur.

I. Unam pretiosam margaritam a sponso suo Christo Jesu in dotem accepit virgo Ecclesia, fidem Catholicam; et hæc, quod dolendum est, insidiatores multos patitur his diebus, qui moliuntur conterere eam. Pericula novissimorum temporum, ut æstimo, venire cœperunt, de quibus in Evangelio Salvator prophetavit, quando de signis quæ diem judicii essent præcessura, loquens ad discipulos, sicut scribit Matthæus, hæc inter cætera dicebat : *Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic Christus, aut illic, nolite credere : surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce hic est in deserto, nolite exire : ecce in penetralibus est, nolite credere* (*Matth.* XXIV). Et quidem si tam insanæ mentis adhuc quispiam venerit, qui se dicat esse Christum, nondum audivimus; sed de pseudoprophetis, qui dicunt esse in penetralibus Christum, jam multa percipimus. Ecce enim quidam latibulosi homines perversi et perversores, qui per multa tempora latuerunt, et occulte fidem Christianam in multis stultæ simplicitatis hominibus corruperunt, ita per omnes terras multiplicati sunt, ut grande periculum patiatur Ecclesia Dei a veneno pessimo, quod undique adversus eam effundunt; nam sermo eorum serpit ut cancer, et quasi lepra volatilis longe lateque discurrit, pretiosa membra Christi contaminans : Hos nostra Germania, *Catharos;* Flandria, *Piphles;* Gallia, *Texerant*, ab usu texendi appellat. Sicut de eis prædixit Dominus, dicunt in penetralibus esse Christum, quia veram fidem Christi, et verum cultum Christi, non alibi esse dicunt, nisi in conventiculis suis, quæ habent in cellariis et in textrinis, et in hujusmodi subterraneis domibus. Apostolorum vitam agere se dicunt; sed contrarii sunt fidei sanctæ et sanæ doctrinæ, quæ a sanctis apostolis, et ab ipso Domino Salvatore nobis tradita est. Ipsi etenim sunt de quibus apostolus Paulus epistola ad Timotheum ita locutus est : *Spiritus autem manifeste dicit quia in novissimis diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium et prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione* (*I Tim.* IV).

De conjugio. Hæresis prima.

II. Et quidem vere hi sunt ad quos pertinet hic sermo, quoniam nuptias reprobant et condemnant, ita quod non aliud quam æternam damnationem promittunt eis, qui in conjugali vita permanent usque in finem. Approbare quidem se dicunt quidam ex eis, illorum conjugium, qui virgines conveniunt, sed nec illos salvari posse dicunt, nisi ante finem vitæ suæ ab invicem separentur; ac per hoc tale quoque conjugium prohibent.

Secunda, de usu carnium vitando.

Carnem omnem vitant, qui perfecte sectam illorum ingressi sunt : non ea causa qua monachi, aut alii spiritualiter viventes ab ea abstinent, sed idcirco vitandum esse esum carnis dicunt, quia de concubitu nata sit omnis caro : et ex hoc immundum esse arbitrantur.

Tertia, de creatione carnium.

Et hanc quidem rationem manifestius dicunt, sed in occultis suis, quod pejus est dicunt, videlicet omnem carnem facturam diaboli esse,

Digitized by Google

ideoque neque in summis necessitatibus eam ullatenus gustant.

Quarta, de baptismo parvulorum.

De baptismo varie loquuntur. Baptismum nihil prodesse dicunt parvulis qui baptizantur, quia per se ipsos baptismum petere non possunt, quia nullam fidem possunt profiteri.

Quinta, de baptismo aquæ.

Est autem aliud quod inde communius sed occultius loquuntur, videlicet quod nullus baptismus in aqua prosit ad salutem. Inde et eos qui ad sectam illorum transeunt, suo quodam occulto modo rebaptizant, quem baptismum in Spiritu sancto et igne fieri dicunt.

Sexta, de animabus mortuorum.

De animabus mortuorum talem sententiam habent, quod in ipsa hora exitus sui, vel transeunt ad æternam beatitudinem, vel ad æternam damnationem. Non enim recipiunt quod credit universalis Ecclesia, videlicet esse quasdam purgatorias pœnas, in quibus animæ quorumdam electorum ad tempus examinentur pro peccatis suis, de quibus in hac vita per condignam satisfactionem ad plenum purgatæ non sunt. Propterea ergo arbitrantur superfluum et vanum esse orare pro mortuis, eleemosynas dare, missas celebrare, et irrident pulsationes campanarum quas facimus, quæ tamen pia ratione in ecclesiis fiunt, ut videlicet vivi ad orandum pro mortuis commoveantur, et ad memoriam propriæ mortis excitentur.

Septima, de missæ contemptu.

Missas quæ in ecclesiis celebrantur omnino spernunt et pro nihilo ducunt. Nam si forte cum populo in quo habitant, ad audiendum missas, sive etiam ad percipiendam Eucharistiam accedunt, omnino hoc simulatorie faciunt, ne infidelitas eorum possit notari. Ordinem quippe sacerdotii in Romana Ecclesia, et in cunctis Ecclesiis catholicæ fidei omnino periisse dicunt, nec usquam nisi in secta eorum veros sacerdotes inveniri.

Octava, de corpore et sanguine Domini.

Corpus Domini et sanguinem nullo modo nostra consecratione fieri, aut a nobis per communicationem percipi posse credunt; se autem solos in mensis suis corpus Domini facere dicunt. Sed in verbis illis dolum habent; non enim verum illud corpus Christi significant, quod de Virgine natum fuisse credimus, et quod passum est in cruce; sed sui ipsius carnem corpus Domini vocant: et in eo quod sua corpora nutriunt cibis mensæ suæ, corpus Domini se facere dicunt. Nec intactum præteribo quod audivi a quodam viro fideli, qui agnita eorum perfidia et secretis quibusdam turpitudinibus, de societate eorum exivit.

Nona, de humanitate Salvatoris.

Nam in Domino Salvatore ita errare eos affirmabat, ut dicerent eum non vere natum ex Virgine, nec vere humanam carnem cum habuisse, sed simulatam carnis speciem; nec ex mortuis eum resurrexisse, sed mortem et resurrectionem simulasse. Propter quod et Christianis Pascha celebrantibus, vel negligenter hoc celebrant si inter ipsos sunt, vel occasiones quærunt discedendi de medio eorum quibus cohabitant, ne cum eis solemnizare cogantur. Celebrant pro eo aliud quoddam festum, in quo occisus, est hæresiarcha eorum Manichæus, cujus procul dubio hæresim sectantur, quod beatus Augustinus contra Manichæos Beina [Bema] appellari dixit. Meus autem recitator ab eis quibus ipse fuerat commoratus, Malilosa dixit vocari, et autumnali tempore celebrari. Præter hæc et novam quamdam, et hactenus inauditam insaniam de eis compertam habemus, quam manifeste concessi sunt quidam eorum, cum examinarentur a clero in civitate Colonia, ubi et a populo ferventis zeli combusti sunt.

Decima, de humanis animabus.

Dicebant enim animas humanas non aliud esse, nisi illos apostatas spiritus, qui in principio mundi de regno cœlorum ejecti sunt: et eos in humanis corporibus posse per bona opera promereri salutem; sed hoc non nisi inter eos, qui ad eorum pertinent sectam.

Talia jam longo tempore latenter susurraverunt, lustrantes ubique domos seductibilium hominum, et multas in his temporibus infelices animas, ut audivimus, captivas ducunt retinaculis susurri pessimi. Circumeunt, ut ita dicam, mare et aridam, ut faciant Catharum unum, et omnem religiosam conversationem impia detractione commaculant; nec quemquam salvari posse, nisi ad eorum transierit sectam affirmant. Itaque cum omni diligentia evigilare necesse est omnes qui zelum Dei habent, et exercitatos habent sensus in Scripturis sanctis, ad capiendas vulpeculas has pessimas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth. Multi quidem sunt errores illorum, ita ut nemo omnes enumerando prosequi valeat; sed eos qui maxime periculosi mihi visi sunt, distinxi, et in una serie disposui, quoniam annuente Deo specialiter adversus eos loqui mihi propositum est.

De origine sectæ Catharorum.

III. Sciendum vero est, et non celandum ab auribus vulgi, quoniam indubitanter secta eorum, de quibus agimus, originem accepit a Manichæo hæresiarcha, cujus doctrina maledicta erat et tota venenosa, et radicata est in populo isto perverso. Multa tamen permista habent doctrinæ magistri sui, quæ inter hæreses illius non inveniuntur. Divisi sunt etiam contra semetipsos, quia nonnulla quæ ab aliquibus eorum dicuntur, ab aliis negantur.

Manichæus autem iste, ut nunc pauca de illo loquar, a Persia oriundus erat, et primo quidem Manes dicebatur, postea vero a discipulis suis Manichæus appellatus est, ne insanus videretur, et dictus Manes a mania, quod est insaniæ nomen.

Digitized by Google

Sic autem insanus erat, ut diceret seipsum Spiritum sanctum, et se missum fuisse a Christo in mundum, sicut promiserat cum ascensurus esset in cœlum. Ideoque et Christi se apostolum dicebat, quasi missum ab ipso. Unde et discipuli ejus ex hoc gloriabantur, quod in magistro ipsorum completa esset promissio Christi de Spiritu paracleto. Ex numero discipulorum suorum duodecim elegit, quos quasi apostolos suos habebat, ut in hoc haberet formam Christi, qui ex discipulis suis duodecim sibi elegit apostolos : quem numerum imitatores ejus et hodierna die observant, quia ex electis suis habent duodecim quos appellant magistros, et tertium decimum principem ipsorum : episcopos autem septuaginta duos qui ordinantur a magistris, et presbyteros et diaconos qui ab episcopis ordinantur, et hi electi inter eos vocantur. Mittuntur autem ex omnibus qui idonei videntur ad eorum errorem, vel ubi est, sustentandum et augendum, vel ubi non est, seminandum. Manichæi doctrina et sequacium ejus Christianæ fidei in ipsa radice sua se opponit, sicut nunc demonstrabo.

IV. Credimus enim et confitemur unum solum esse Deum, qui fecit cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt, et hæc radix fidei nostræ. Illi vero duos creatores esse docent : unum bonum et alterum malum, videlicet Deum et quemdam immanem principem tenebrarum, quem nescio quomodo rectius vocare possumus diabolum. Duas naturas fuisse dicunt ab æterno contrarias sibi invicem, unam bonam et alteram malam, et ex eis dicunt creata esse universa. Animas hominum, et vitalem spiritum quorumlibet animantium, et virtutem quæ vivificat arbores et herbas et quælibet semina, a Deo originem habere dicunt, et condita ex illa bona natura : imo et quamdam partem Dei, unumquodque talium esse volunt. Carnem vero omnium quæ vivunt super terram, tam hominum quam aliorum animantium, ab illo immani principe tenebrarum, id est diabolo, originem dicunt habere, et condita ex mala natura ; et ob hoc, ut supra dictum est, esum carnium vitant. Horrendus est sermo et omnino alienus ab humano sensu, quem de talibus rebus filii diaboli confinxerunt ad perditionem omnium eorum qui illis credunt, et a casta veritate quæ est in Scripturis sanctis, mentem averlunt.

V. Hoc quoque manifestum inter errores Manichæi et discipulorum ejus legitur : quod dicebant Filium Dei nunquam vere humanum corpus suscepisse in Virgine, sed similitudinem tantum humani corporis habuisse : et nunquam vere passum aut mortuum fuisse, aut resurrexisse, sed tantum in his omnibus fefellisse humanos sensus, ita ut hominibus vera viderentur cuncta quæ dicuntur de humanitate ejus, et quod nulla tamen veritas fuisset in his omnibus. Idipsum autem ante Manichæum in Persia docuerant duo magi, Zaroc et Arphaxat. Et sicut diximus, hæc omnia nobis veraciter comperta sunt de omnibus istis quos nunc Catharos vocant ; et ipsi originem habuerunt a quibusdam discipulis Manichæi, qui olim Catharistæ dicebantur. Nam Manichæus ille de quo totus hic error processit, multos quidem discipulos habebat et sub una secta erant, dum adhuc viveret ; mortuo autem eo, dissenserunt ab invicem et divisi sunt in tres partes, et vocati sunt quidam eorum Mattharii, quidam vero Catharistæ, quidam autem singulariter Manichæi dicebantur, quia singularius cæteris magistrum suum secuti sunt ; omnes tamen commune habebant hoc nomen, ut dicerentur Manichæi, quia omnium error a Manichæo originem habuit. Ipsi vero qui Catharistæ dicebantur omnibus cæteris turpiores habebantur, propter quasdam secretas spurcitias quas specialiter ipsi exercebant. Quorum doctrinam et vitam indubitanter sectantur isti, de quibus nunc sermo est nobis. Unde autem Catharistæ, id est *purgatores*, primo vocati sint, alio loco dicere statui ; ne principium libri hujus aliquis abominetur, si statim omnes pravitates eorum narrarem. Nam quæ de Manichæis a beato Augustino conscripta sunt, summatim et breviter collegi ex tribus libris ejus, videlicet ex eo qui inscribitur *contra Manichæos*, et eo qui intitulatur *De moribus Manichæorum*, et ex libro *De hæresibus ;* et eamdem collectionem in fine libri hujus adnectere dispono, ut qui legerint, possint quasi a fundamento totam hanc hæresim plenius agnoscere, et intelligant quoniam hæc hæresis omnium hæresum sentina est. Produnt autem semetipsos quod sint de errore Manichæi, in eo quod dicere solent, et quod beatus Augustinus prodiderit secreta eorum : et constat quod ipse ante perceptionem baptismi disciplinæ Manichæorum aliquandiu interfuit, et postea errores eorum et secreta manifeste in libris quos nominavi, descripsit et confutavit.

SERMO II.

De eo quod doctrina Christiana occultanda non sit.

I. Ad vos ergo nunc mihi sermo est, o Cathari plebs angulosa, qui non alibi nisi in vestris penetralibus Christum esse quærendum æstimatis. Dicite mihi, quando iniit hoc consilium Dominus, vellet esse absconditus in angulis vestris ? Dicitis quoniam veritas Christianæ fidei vobis solis sit nota, et apud vos solos abscondita. Sed scimus quoniam Dominus Salvator ipse eam non abscondit, ut patet in verbis ipsius, quæ imminente sua passione coram pontifice Judæorum locutus est, dicens : *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagogis, ubi omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil* (*Joan.* XVIII). Non enim ita aliquid locutus est, ut hoc vellet occultum permanere. Nam etsi aliquando discipulis seorsum a turbis aliqua loquebatur, quæ non illo tempore conveniebat fieri manifesta, dicebat tamen illis : *Quod dico in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta* (*Matth.* X). Quibus et post resurrectionem suam præcepit di-

Digitized by Google

cens : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* (*Marc.* XVI.) De quibus et evangelista subdit, dicens : *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem eorum confirmante sequentibus signis* (*ibid.*). Prædicaverunt non in angulis, non in cellariis, aut textrinis, sed sicut Scriptura dicit : *Prædicaverunt ubique*, non solum coram plebe, sed et coram regibus et principibus omnium terrarum, sicut scriptum est de eis : *In omnem terram exivit sonus eorum* (*Rom.* X). Noluit doctrinam suam a Paulo celari Dominus, cum dicebat : *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram regibus et principibus et filiis Israel* (*Act.* IX). Ipse quoque Paulus a nullo genere hominum celandam esse veritatem Evangelii æstimabat, quando dixit : *Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est vobis qui Romæ estis evangelizare* (*Rom.* I). Sicut dixi, prædicaverunt sancti apostoli in manifesto doctrinam salutis, et signa fecerunt mortuos suscitando, cæcos illuminando, et omnem languorem pellendo in nomine Christi, et sustinuerunt crucifigi, gladioque necari, ac diversis passionibus deduci ad mortem, pro testimonio veritatis.

II. Vos autem si estis, sicut dicitis, apostoli Christi, quare tanto tempore latuistis? Si vos estis Ecclesia Dei, ut dicitis, quare usque ad hæc tempora semper in abscondito ambulastis? Dominus dicit in Evangelio de Ecclesia sua : *Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.* V). Mons ipse Christus est, civitas supra montem posita, Ecclesia est, cujus fundamentum est Christus. De ea dicit Dominus, quod non potest abscondi : vos autem semper absconditi fuistis, et doctrinam vestram occultastis, et ita lucernam vestram sub modio timoris positam habetis, nec unquam eam alicui manifestastis, de quo timetis, quod vos faciat manifestos. Nam ab ipsis quoque qui veniunt ad vos, fidem vestram, ex qua salvandos vos esse speratis, et occulta opera vestra longo tempore, ut dicunt, quindecim annis occultatis, donec diu eos probaveritis, ita ut sperare possitis de eis quod non prodant vos. Non hoc sancti apostoli fecerunt, et successores eorum qui nobis sunt noti. Non absconderunt lucernam sub modio, quia nec causa timoris, nec causa commodi temporalis luce evangelicæ veritatis, quam a Christo acceperant, celaverunt ; sed super candelabrum, id est super Ecclesiam, ita manifeste eam constituerunt, ut luceret omnibus qui in domo, id est in mundo, erant. Omnibus etenim tam bonis quam malis, electis et reprobis innotescere voluit Dominus, qualis esset fides et religio Christianorum, ut nemo per ignorantiam posset se excusare.

III. Forsitan ad verbum illud confugitis, quod Dominus ad discipulos suos locutus est dicens : *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos* (*Matth.* VII). Rustici viles nolite assumere verba hæc in defensionem vestram quia non recte discernitis ea. Omnibus hominibus manifeste dicenda sunt verba salutis, sine quorum agnitione salvari nemo potest, nec aliquis ita canis aut porcus judicandus est, ut occultari debeant ab eo. Nam ut ait Apostolus : *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II). Quod si quis audita et agnita veritate pertinaciter et incorrigibiliter ei contradicit, et nititur commaculare veritatem fœda detractione et irrisione, debet justa ratione a tali suspendi prædicatio veritatis, quod est subtrahi sanctum et margaritas a porcis et canibus. Tales esse persenserant sancti apostoli Judæos, in quibus satis laboraverant verbo prædicationis, cum novissime eis dicebant : *Quoniam repulistis a vobis verbum Dei, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII). Conversi sunt ad gentes, et eis manifeste prædicaverunt doctrinam salutis, quos sciebant esse idololatras, et pollutos omni genere immunditiarum : et vos ita canes et porcos vos judicatis, ut nunquam manifeste inter vos prædicetis doctrinam vestram, sine qua neminem salvari posse arbitramini, cum Dominus dicat : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est* (*Matth.* X).

IV. Si forte acciderit ut aliquis vestrum pro errore suo deprehensus fuerit, et deductus ante judices Ecclesiæ ; aut omnino negatis fidem vestram, aut tunc primum aliquos errores vestros confitemini cum de vita amplius non speratis. Sed illa confessio non est ad gloriam vobis, et est quasi confessio furis, qui cum de vita sua desperat, latrocinia sua impudenter confitetur sub laqueo ; et sunt interemptiones, quas aliquando a populo zelante pro lege Dei sui aliqui vestri patiuntur, non quasi passiones apostolorum, sed quasi judicia furum et latronum. Vos quippe estis, de quibus Dominus in Evangelio dicit : *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones* (*Joan.* X). Non enim nisi furtive, et quasi per latrocinium acquiritis in partem animas miserorum, quos trahitis post vos, et omne negotium vestrum est perambulans in tenebris, quoniam sicut ait Salvator : *Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* (*Joan.* III). O quales apostoli ! o quales evangelistæ ! quoniam bene impletis illud quod mandavit Dominus prædicatoribus verbi sui per prophetam dicens : *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion ; exalta vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem, exalta, noli timere* (*Isa.* XL). Non hoc certe impletis, sed illud mandatum Priscilliani observatis : *Jura, perjura, secretum prodere noli.* Dicitis modo, nondum venit tempus nostrum ut manifestari debeamus ;

Digitized by Google

sed jam nunc incipimus palam loqui mundo, et erit adhuc tempus quando Deus Ecclesiam suam, id est nos exaltet, et impleatur in nobis illud quod Dominus dicit de Ecclesia sua : *Non potest abscondi civitas supra montem posita* (*Matth.* v). Sed dicite mihi ; si semper supra montem, id est Christum, posita fuit civitas ista, hoc est societas vestra, quomodo potuit fieri, ut tanto tempore esset abscondita ? Jam enim a tempore Dominicæ ascensionis transierunt mille et centum anni et amplius, et nunquam sublimata est religio vestra ; aut si sublimata est, dicite si scitis, in quibus temporibus et sub quibus regibus terræ factum est hoc, ut ubique in mundo audiretur prædicari fides Catharorum ? Quando factum est hoc, ut omnes principes et domini terrarum, qui non essent vel pagani vel Judæi, essent Cathari et gubernarent subditos suos secundum legem Catharorum ? Certe si hoc nobis demonstrare possetis, *crederemus vobis*, quod aliquando civitas vestra posita fuisset in manifesto ; sed hoc gratia Dei nunquam factum est.

SERMO III.

De incremento et manifestatione catholicæ fidei.

I. Audite nunc de fide et gratia, quam profitemur et quam in manifesto prædicamus, quomodo pervenerit in nos et quomodo Ecclesia Dei, cujus nos per ipsius gratiam membra sumus, exaltata est et posita in manifesto. Fidem beati Petri apostoli quam ipse habuit et prædicavit, suscepit post ascensionem Domini civitas magna Antiochia ; et ipse erat in ea docens annis septem non occulte, non in subterraneis domibus, sed episcopus erat totius civitatis, et ipsius causa regalis aula, quæ erat in civitate, per devotionem populi commutata est in ecclesiam, in qua communiter populum docuit, et missas celebravit, et ordinabat ea quæ ad Christianam religionem pertinebant. Ibi primum eis qui fidem Christi susceperunt impositum est nomen hoc ut vocarentur Christiani. Cum autem ibi firmasset fidem Christianam et legem divinam beatus Petrus ordinavit in suo loco episcopum civitati beatum Evodium, cujus et successor fuit Ignatius clarissimus martyr, discipulus sancti Joannis evangelistæ, et ipse inde profectus est Romam, itemque in ea fidem Christianam docuit, ac maximam partem civitatis ad Christum convertit, et per XXV annos Ecclesiam Christi ibi gubernavit. Ibi manifeste confessus est coram Nerone imperatore fidem Christi, et uxorem ejus Libyam, et uxorem Agrippæ præfecti Agrippinam, ad fidem convertit, et ob ejusdem fidei prædicationem, Nero eum crucifigi præcepit, et Paulum simul cum ipso ibidem prædicantem gladio necari jussit.

II. Ex illo igitur tempore semper fides Christiana crevit in urbe Roma, nec unquam defecit in Romana Ecclesia fides quam habuerat et quam prædicaverat Petrus, sicut et ei promiserat Dominus, quando imminente passione sua dixit ad eum : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (*Luc.* XXII), hoc est, fides Ecclesiæ quam tibi commisi. Beatus autem Petrus cum sciret appropinquare sibi passionem suam, sanctum Clementem, quem ad fidem converterat et baptizaverat, ordinavit in episcopum, ejusque gubernationi sedem suam et Ecclesiam, quam ipse rexerat, commisit. Et ita successor beati Petri factus est in sede illa, et ad ultimum ipse quoque pro testimonio fidei Christianæ martyrium passus est. Nam quod Linus et Cletus successores Petri fuisse leguntur, ita intelligendum est, quod adhuc ipso vivente, coadjutores ejus exstiterunt in gubernando populum Dei Romæ, et ad hoc ab ipso erant in episcopos ordinati, ut scribit quidam apostolicorum Patrum episcopis Germaniæ et Galliæ. Qualem autem fidem a beato Petro Clemens susceperat, talem et successores ejus habuerunt, et prædicaverunt in Romana urbe, et eam prædicari fecerunt in aliis terris per eos quos ad prædicandum miserunt ; et paulatim quidem crevit Ecclesia in ea fide, et magis de die in diem promovebatur quamvis multi reges et principes gravibus eam persecutionibus opprimere niterentur usque ad tempus beati Silvestri papæ, sub quo pax magna, et libertas data est Ecclesiæ, et exaltari cœpit, et ad summos honores promoveri fides et religio Christiana.

III. Ipse etenim sicut antiqua nobis scripta commemorant, prædicatione verbi Dei, et magnorum ostensione miraculorum Constantinum imperatorem filium Helenæ reginæ (quæ crucem Dominicam invenit) convertit ad fidem : ita ut imperator de regali solio suo descendens in eo collocaret beatum Silvestrem, et ad pedes ejus se humiliaret. pse quoque in equo suo consedere eum fecit, et ad modum servi ei ministravit pedester incedens ante eum, et freno eum deducens, et consignans ei dominium urbis. Insuper et regale palatium illic ei construxit, et omnem regium honorem et potestatem quam habebat Romæ et in partibus occidentis ipsi ac successoribus ejus concessit, et totius senatus honorem clero qui cum ipso erat tradidit, et ipse cum senatoribus omnibus de urbe egrediens, Byzantium transmigravit, et urbem nominis sui Constantinopolim ædificavit : solum autem nomen imperatoris sibi ac successoribus suis retinuit. In hunc modum crevit, et confortata est, et usque ad summos honores promota est in Romana potestate Ecclesia Dei, et fides quam beatus Petrus docuit et quam successores ejus ab eo tenuerunt, et usque ad ista tempora perduxerunt.

IV. Simili modo et per alios apostolos in aliis regnis per totum mundum fides Christi dilatata et sublimata est. Ad has autem Cisalpinas partes hoc ordine pervenit. Beatus Petrus, dum Ecclesiam Dei Romæ gubernaret, misit tres ex discipulis suis, videlicet Eucharium, Valerium et Maternum prædicare Teutonicæ genti Evangelium Christi. Qui venientes in civitate Treverim, prædicaverunt in ea,

Digitized by Google

et cum Dei adjutorio converterunt eam ad fidem Christi, et baptizaverunt omnem populum in flumine civitatis quod dicitur Olevia. Primus eorum episcopus urbis erat Eucharius, quo defuncto Valerius in episcopatum successit, quo etiam defuncto Maternus, qui de morte per baculum Petri suscitatus fuerat, episcopus factus est, non solum in Treveri, sed et in Colonia quæ antiquitus Aggrippina vocabatur, simulque in civitate Tungerensi quæ Hunorum persecutione delata est. Ipsa est ergo fides beati Petri, quam hi sancti prædicaverunt Ecclesiis quas ipsi gubernaverunt, ipsorumque successores tenuerunt et prædicaverunt usque in hodiernum diem. Tandem quoque fidem prædicavit in civitate Moguntia Crescens discipulus Pauli apostoli. Beatus quoque Bonifacius, vir eximiæ sanctitatis, qui primus in ea archiepiscopus fuit, et martyrium pro Christo suscepit, et successores ejus usque in hodiernum diem hanc fidem tenuerunt et docuerunt in Ecclesia Moguntinensi, et ipsa in omnibus Ecclesiis ei subditis usque nunc tenetur et prædicatur.

V. Ecclesiæ Metensi primus episcopus fuit sanctus Patiens, discipulus sancti Joannis evangelistæ, et ipse in ea fidem nostram docuit et firmavit, et permanet in ea usque in præsentem diem. Sanctus Clemens, successor apostoli Petri, beatum Dionysium virum clarissimæ sanctitatis, qui prædicatione apostoli Pauli Athenis conversus fuerat, in Galliam misit prædicare verbum Dei, et cum eo tres illustres viros, Marcellum, Saturninum et Lucianum. Qui cum ad portum Arelati pervenissent, beatus Dionysius sanctum Marcellum in Hispaniam direxit, sanctum Saturninum in Aquitaniam, sanctum vero Lucianum ad Belvacensem civitatem, quorum singuli regiones et civitates sibi destinatas repleverunt doctrinis fidei quæ usque in præsens tempus ibidem tenetur et prædicatur. Ipse vero sanctus Dionysius cum duobus sociis, Rustico et Eleutherio, Parisios adiit, ibique fidem quam per beatum Paulum didicerat prædicavit, et per totam Franciam dispersit, et pro eadem fide martyrium pertulit, simulque socii ejus, Rusticus et Eleutherius, cum eo. Martyrium vero ipsius singulari et inaudito miraculo Deus honoravit, in eo quod post decollationem suam ipse propriis manibus caput suum a loco martyrii per spatium milliarii usque ad locum in quo humatum est corpus ejus, deportavit. Testimonium hoc grande erat perfectissimæ sanctitatis ejus et rectæ fidei, ac sanctæ religionis quam ibi docuerat atque fundaverat.

VI. Ipsam fidem quam beatus Dionysius in Gallia reliquit, sanctus Hilarius Pictaviensis episcopus, egregius doctor et nobilissima lucerna Ecclesiæ Dei, tenuit et docuit verbis et scriptis et exemplis. Ita fidem tenuit et docuit, et omnibus modis promovit beatus Martinus Turonensis episcopus, cujus sanctitas per omnes fines mundi usque in præsentem diem clarissime splendet, et in summa veneratione habetur. Cujus fidei et doctrinæ testimonium perhibuit divina virtus, in trium mortuorum suscitatione, aliorumque valde mirabilium operum exhibitione. Eamdem quoque fidem beatus Remigius Remensis civitatis archiepiscopus tenuit et docuit, et insignibus miraculis confirmavit. Hic Clodoveum inclytum regem Franciæ, et cum eo copiosam multitudinem gentis Francorum convertit ad fidem Christi, et baptizavit in Remensi civitate, misso ei chrismate de cœlo. Ex illo ergo tempore reges Francorum, et principes Galliæ cœperunt esse Christiani, et cœpit communiter per totam Franciam publice coli religio Christiana, et per omnes civitates in veneratione haberi fides Christiana, eademque usque in præsentem diem in tota Gallicana Ecclesia prædicatur.

VII. De genere Clodovei processit Carolus Magnus, qui inter Francorum reges summus atque gloriosissimus erat. Hic in eadem fide baptizatus est, quam a beato Remigio rex Clodoveus acceperat, et quam cæteri reges tenuerunt, qui a Clodoveo processerunt. Hic a beato Leone papa Romam vocatus est, et consecratus in imperatorem, et factus est advocatus Romanæ Ecclesiæ, et fidelissimus defensor totius Christiani populi, et vehementer per eum aucta religio Christiana, et dilatata est atque confortata, et per ipsius diligentiam fides Romanæ Ecclesiæ per multas terras, quæ ignorabant Dominum, dispersa est. Ipsam fidem quem professus est Carolus imperator Romanus, tenuerunt et confessi sunt omnes imperatores, sive reges Romani, et omnes reges Francorum qui fuerunt post eum, et principes eorum usque in præsens tempus Frederici imperatoris Romani et Ludovici regis Francorum.

Ipsam ergo fidem, quam primo beatus Petrus Romæ plantavit, et quam tenuerunt successores ejus in Romana urbe, et quam docuerunt in omnibus terris sancti episcopi aliique sancti Patres qui obedientes erant Romanæ Ecclesiæ, et quam ab illis acceperunt imperatores, et reges et principes terrarum, cum populis sibi subjectis, tenemus atque confitemur : nos videlicet clerici, et monachi, et laici, qui in Ecclesia Christi baptizati sumus, et in Ecclesiis Deo sacratis convenimus ad orandum et laudandum Deum, et ad communicandum corpori et sanguini Domini nostri Jesu Christi cum fide non ficta, et spe salutis animarum nostrarum. In eo autem certi sumus nos habere eamdem fidem, quam habuerunt sancti Patres ante nos, quoniam eadem Evangelia Christi, eamdem Scripturam apostolicam, quam et illi habuerunt, et publice in Ecclesia docuerunt, habemus, et nos credimus eis. Ipsorum quoque sancta scripta habemus, in quibus declaraverunt qualis esset fides eorum, et qualem intellectum haberent in libris veteris legis et prophetarum, et in Evangeliis et in apostolis scriptis, et in eadem intelligentia sequimur eos. Manifestum est itaque ex his quæ dicta sunt, quoniam fidei nostræ fundamentum est doctrina Petri, qui fuit Christi, qui fuit Dei, imo et Deus. Vestri autem erroris fundamentum doctrina Manichæi, qui non fuit Dei,

Digitized by Google

sed diaboli; non Christi, sed antichristi: et hoc scire potest quisque sensatus, obediendum esse nostræ Catholicæ fidei potius quam vestræ absconditæ infidelitati, quæ cum suo fundamento a cunctis qui amant veritatem maledicatur, et sub æterna clausura damnetur.

SERMO IV.

De eo quod scriptum est: Fides sine operibus mortua est.

I. Fortassis, o sancti Cathari, qui peccare non potestis, improperatis nobis peccata nostra et dicitis sicut legimus: *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Vos autem opera ad fidem pertinentia non habetis. Et idcirco fides vestra mortua est, et quoniam fides vestra mortua est, nulla est. Et idcirco sacramenta vestra nullum effectum habent, et non potestis baptizare, et corpus Domini consecrare, nec aliquid hujusmodi in Ecclesia facere, quod vobis aut aliis prosit. Hæc est objectio vestra adversum nos. Ite primum et interrogantes discite qua de causa Deus interfecit Ozam, qui extendit manum suam ut sustentaret arcam Dei, quando nutabat ita ut casura putaretur, in tempore illo, quo eam reducere volebat David de Bethsames in Jerusalem. Et cum hæc didiceritis, struite reprehensiones vestras adversum Ecclesiam Dei. Non oportebat nos re-pondere vobis adversus ea quæ nobis objicitis de fide nostra, quoniam extra fidem Catholicam estis, sicut Domino volente comprobabimus. Non oportet nos respondere vobis de operibus nostris malis quæ objicitis nobis, quoniam pejora et sceleratiora sunt opera vestra, sed alius erit locus dicendi de his. Respondemus tamen vobis hoc loco, ne propter ignorantiam dimittere videamur.

II. Fatemur quidem, quod peccatores sumus, quoniam ut ait Jacobus apostolus: *In multis delinquimus omnes* (*Jac.* III). Verumtamen est differentia inter delinquentes: multi quidem in minoribus peccatis venialiter quotidie delinquunt, et quotidiana satisfactione Dominum placant, et agunt opera laudabilia, quæ pertinent ad fidem quam profitemur. De talibus, ut spero, non potestis aliquid rationabili causa dicere quod fides eorum mortua sit, et quod sacramenta talium presbyterorum inania sint, et tales per gratiam Dei nec desunt in Ecclesia, nec unquam a principio in ea esse desierunt. Sunt vero, quod ingemiscimus, nonnulli qui in majoribus peccatis quæ capitalia vocantur delinquunt, et super his non condigna pœnitentia satisfaciunt Deo. De talibus fatemur quod fides quam habent mortua est, quia sine operibus justificationis est apud ipsos. Mortua, inquam, est, non ita quod id quod credunt annihilatum sit propter ipsos aut nullius utilitatis, sed ipsis fides eorum mortua est et eis non prodest ad salutem, nisi resipiscant ab operibus malis quæ in ipsis mortificant fidem.

III. Quod autem dicitis de presbyteris nostris, qui tam malæ conversationis sunt, ut fides eorum mortua dici possit, quod sacramenta eorum nullius utilitatis sunt; huic omnino contradicimus, quod plane falsum est. Fides eorum, dicitis, mortua est, et ideo nec ipsis prodesse potest, nec aliis. Falsum est hoc, quia aliis prodest. Fides quam ipsi manifeste profitentur per ipsorum ministerium aliis prodesse potest, et effectum bonum in aliis habere potest, quamvis non in ipsis. Per similitudinem hæc vobis demonstro. Contigit aliquoties, quod medicus sapiens in infirmitatem gravissimam cadit, et habet sapientiam, quia scit curare seipsum, habet medicinam quæ valet contra morbum suum; sed ita est delicatus, quod non potest gustare de antidotis suis, et præbet ea alii eamdem infirmitatem habenti, et ille curatur. Ipse autem in sua infirmitate permanet usque ad mortem. Vere de tali medico dicere possumus, quod ipsi mortua est sapientia sua, alii autem vivit. Ita dico vobis de presbyteris Ecclesiæ qui male vivunt; credunt quidem, sed eis credere non prodest ad salutem, si permanserint in iniquitatibus suis. Nam *et dæmones credunt, et contremiscunt* (*Jac.* II), ut dicit Scriptura. Credebant nimirum dæmones, qui, ut ait Evangelista, dicebant Domino Jesu: *Quid tibi et nobis, Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos?* (*Matth.* VIII.) Credunt, inquam, et fidem habent presbyteri enormes, sed sicut dixi de sapientia ægri medici, sibi ipsis mortua est eorum fides, aliis autem vivit, dum in nomine Christi baptizant, et alia sacramenta exsequuntur, secundum quod a sanctis Patribus statutum est. Talis erat ille, de quo Lucas evangelista refert dicens: *Respondens autem Joannes dixit: Magister vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia et prohibuimus eum, quia non sequitur nos. Et ait ad illum Jesus: Nolite prohibere eum. Nemo est, qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est* (*Marc.* IX). Certe quisquis erat ille, mortuam quidem sibi ipsi fidem habebat, cum non sequeretur Jesum, sed aliis vivebat fides ejus, a quibus ejiciebat dæmonia in nomine Jesu. Quod quidem nequaquam facere potuisset, si nullam omnino fidem in nomine ejus habuisset. Ita procul dubio etiam presbyteri mali, dæmonia in nomine Christi ejiciunt, quando in nomine ipsius, id est secundum hoc quod ipse instituit, baptizant, et prodest baptizatis fides, quam verbis quidem, sed non operibus, profitentur. Sed alio loco latius de hac re disserendum est, et nunc ad loquendum de vestra absconditafide, et de angulosa doctrina vestra sermonem converto.

SERMO V.

Circa primam hæresim de conjugio.

I. Vobis loquor doctoribus et præfectis, non in sanctitate quidem, sed in errore et perversitate. Animadvertite et videte quod non homines, sed dæmones vos appellat Apostolus in eo testimonio quod in principio sermonis induxit: *In novissimis*, inquit, *temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum loquentium in hypocrisi mendacium, prohibentium nubere*, etc:

Digitized by Google

(*I Tim.* IV). Vos estis dæmonia hæc de quibus loquitur, et qui vobis attendunt, a fide recta discedunt : nam doctrina vestra prohibet nubere, in eo quod dicitis neminem posse salvari, qui cum conjuge sua permaneat usque in finem. O dæmones! unde vobis ista doctrina? Ex Evangeliis Christi non est, ex scriptis apostolorum non est, sed plane ex spiritibus erroris est. Intuemini Evangelium Matthæi apostoli, quod per universum orbem in Ecclesiis legitur, et si non creditis Græcis et Latinis codicibus, ite ad inimicos vestros Judæos, et inspicite Hebraicam scripturam, in qua Evangelium Matthæi scriptum habent, et invenietis in eo scriptum hoc modo : *Accesserunt ad Jesum Pharisæi tentantes eum, et dicentes : Si licet homini dimittere uxorem, quacunque ex causa. Qui respondens ait eis : Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Dicunt ei : Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, et dimittere? Ait illis : Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic* (*Matth.* XIX). Certe si quid rectæ intelligentiæ habetis, hic animadvertere potestis in hac responsione, quod non approbat Dominus ut omnes viri ab uxoribus suis discedant, sicut vos docetis esse faciendum. Si non posset salvari quisquam cum conjuge sua manens, suffecisset ei brevis responsio, ita ut interrogantibus illis : *Si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa?* dixisset : Licet, et bonum est, et aliter salvari non possunt.

II. At non hoc dixit, sed comprobavit potius divina auctoritate stabilius esse debere vinculum societatis quod est per legem Dei inter virum et conjugem suam, quam illud quod a natura est, inter virum et parentes suos. Vos autem abinvicem separandos esse virum et mulierem dicitis, et aliter eos non posse salvari. Et ipse contra ait : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX; *Marc.* X). Virum et mulierem conjunxit Deus, qui secundum institutiones divinarum legum coram Ecclesia ineunt fœdus conjugale, et tales per hominem separandi non sunt. Fit quidem nonnunquam ut tales migrent pariter ad monasticam vitam, et separatas abinvicem mansiones eligant, quatenus Deo liberius servire possint ; sed talem separationem Deus operatur, non homo, et quidem tales non omnino abinvicem discedunt, neque rumpitur inter eos vinculum conjugale, quia indivisa in eis manet unitas mentium. Nam quanto liberius divinæ dilectioni vacant, tanto purius atque firmius se invicem diligere possunt. Nos vero hujusmodi separationem nullis, ut vos facitis, conjugibus suademus ea ratione, quod non possint salvari simul permanentes in sæculo et in vita conjugali. Unam separationis causam qua potest vir, si vult, ab uxore discedere et rumpere (3) vinculum conjugale quo alligatus est, ei determinavit Dominus, quando post responsionem supra memoratam, ita subjunxit dicens : *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur* (*Matth.* V). Ubi ergo adjunxit, *nisi ob fornicationem*, dedit intelligi quoniam sola fornicationis causa divortium fieri potest. Quod si non recte nos intellexisse verba Domini quæ prædicta sunt arbitramini, audite apostolum Paulum, quomodo concordat nobiscum in intelligentia eorumdem verborum, ubi ad Corinthios loquitur dicens : *His jam qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari. Et vir uxorem non dimittat* (*I Cor.* VII). Et subjungens auctoritate propria, ait : *Nam cæteris ego dico, non Dominus : Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum eo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioqui filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat* (*ibid.*). In tempore primitivæ Ecclesiæ frequenter hoc accidit, ut vir esset fidelis et mulier infidelis : et e contra, ut vir esset infidelis et mulier fidelis. Et suadebat Apostolus ut et tales abinvicem non discederent, quod utique non fecisset, si sciret utrosque simul in tali conjugio perituros. Multum ergo a doctrina sua doctrina vestra dissentit, quæ eos qui utique legibus divinis subditi sunt discedere abinvicem cogit, dum eos salvari non posse prædicatis si permaneant simul. Audite et Petrum apostolum similia ad conjugatos loquentem in Epistola sua : *Mulieres*, inquit, *subditæ viris suis sint, ut si qui non credunt verbo; per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore Dei castam conversationem vestram* (*I Petr.* III). Item subjungit : *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tanquam cohæredibus gratiæ* (*ibid.*).

III. Dicitis forte : Possunt quidem aliquo modo salvari, vir et mulier simul manentes, sed non aliter nisi abstineant ab opere conjugali. Hypocritæ! quid est quod vos dicitis? Si sciebat Dominus Salvator, et si sciebant sancti apostoli, nequaquam posse salvari virum et mulierem qui exsequerentur opus quod ad conjugium pertinet, nonne plena perfidiæ et fallaciæ erant verba eorum, quibus tam diligenter suaserunt conjugatis, ut non separentur ab invicem? Absit autem hoc. Nota certe erat illis humana fragilitas, et sciebant non omnes viros et mulieres tam ferreos esse, ut non possent cohabitare

(3) Hæc de Græco furfure sunt. Solutio enim vinculi ob fornicationem et quidem solam a lege Moysis Judæis permittebatur, non autem de matrimonio Christiano loquitur Evangelium.

Digitized by Google

simul et continentiam observare. Unde non illos, sed vos in hac quoque parte fallaciæ pessimæ arguendos esse noveritis. Illud mihi forte objicis, o Cathare, quod Apostolus ait : *Bonum est homini mulierem non tangere* (*I Cor.* VII). Concedo quod bonum est homini mulierem non tangere : non tamen idcirco necesse est me concedere, quoniam malum est et illicitum homini mulierem tangere. Nam similiter propter cavendas tentationes, bonum est homini mulierem non videre : nunquid ergo necessarium contendendum est, quoniam malum est homini mulierem videre? Si concedis quod malum est tangere mulierem, pro eo quod bonum est mulierem non tangere; concede etiam quia malum est mulierem videre, pro eo quod bonum est mulierem non videre. Et si concedis quoniam malum est mulierem videre, erue oculos tuos, ut nunquam videas mulierem. Hypocrita! licitum est homini tangere mulierem suam, quia licitum est ut unusquisque habeat suam secundum verba ejusdem Apostoli. Et quia licitum est, *malum* non est. Bonum autem magis homini est, et magis expediens ad salutem mulierem omnino non habere, nec tangere.

IV. Ad illud item fortasse confugies, quod ibidem Apostolus ait : *Tempus breve est, reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint* (*I Cor.* VII). Ecce, inquis, dicit, ut et si maneant simul, abstineant tamen ab opere conjugali. Et ego dico quod si hoc facere possunt, bonum est illis : non tamen hoc quisquam sensatus eis præcepit, sed suadet. Potest tamen fieri ut vir cum uxore habitet, et opus conjugale operetur, ita ut sit quasi non habens uxorem. Hoc fit si sobrie et temperanter cum illa est, et per omnia Dei reverentiam in ipsa custodit. Quod qualiter fieri debeat, sensati homines sciunt; si autem opus conjugale ad damnationem esset omnibus conjugatis, nequaquam Apostolus dixisset : *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier autem sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum, ut non tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* (*ibid.*). Scio autem quoniam et in hoc verbo hæres quod dicit : *Hoc autem dico secundum indulgentiam.* Dicis enim si indulgentia, id est venia, pertinet ad hoc quod sibi invicem debitum reddant; ergo opus conjugale malum est. Si enim non esset malum, non ei venia necessaria esset. Si hoc dicis, jam in hoc ipso aliquid lucratus sum, quod opere conjugali veniam ab Apostolo dari confiteris. Nam si veniam ei dat Apostolus, veniale est, et si veniale est, non pro eo damnantur omnes qui in conjugio permanent, sicut vos prædicatis. Distinctius tamen considerandum est, quod dicit Apostolus : *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.*

V. Et sciendum est quoniam in tribus significationibus hoc nomen indulgentia poni solet. Nam significat absolutionem, qua peccatori debita pœna relaxatur; et secundum hoc veniæ nomen ei adaptatur. Significat et concessionem qua minora conceduntur bona his qui exsequi majora non possunt, et secundum hoc ad ea non pertinet veniæ nomen. Significat et permissionem, qua minora fieri sinuntur, ut majora fieri vitentur, et secundum hoc quoque venia dici potest. De majoribus bonis est continentia, quam quia omnes servare non possunt, conceditur quod minus bonum est, videlicet conjugium. Conceditur, inquam, non præcipitur : quia si præciperetur, transgressor haberetur quicunque in conjugio non esset. De majoribus malis est homicidium, quod ut evitaretur, permissum est olim Judæis minus malum, videlicet redditio talionis et repudiatio mulierum, ut ab homicidii se flagitio temperarent. Nunc et opus conjugale nobis distinguendum est, ut evidentius fiat ad qualem concubitum qualis indulgentia pertineat. Conjugalis concubitus, qui fit simpliciter intentione generandæ ac Deo educandæ prolis, per se peccatum non est, quia ut peccatum non sit, defendunt nuptialia bona, quæ sunt spes prolis, et fides, et sacramentum. Et est de minoribus bonis, quæ indulgentiam habent, quæ concessio dicitur. Quod autem possit fieri sine peccato, intelligi potest ex eo quod Apostolus ait: *Et si nupserit virgo non peccat* (*I Cor.* VII). Per se dixi, peccatum non est; quia accidere potest nonnunquam propter bonam illam intentionem aliquid peccati subrepere excedente rationabilem modum carnali delectatione, quæ tunc quidem peccatum est, sed leve, et excusatur per præcepta bona conjugii. Quod si ob hujusmodi peccatum fugiendum evitari deberet officium conjugii, sicut vos susurrare soletis, tunc ob eamdem causam et officium comedendi ac bibendi omnino vitari deberet, in quo simile peccatum aliquando etiam sapientibus subrepere solet. Ille vero conjugalis concubitus, qui fit non cum intentione generandæ prolis, sed tantum causa explendæ libidinis, per se quidem peccatum est, sed veniale, quia per cætera bona conjugii excusatur, et habet indulgentiam quæ permissio dicitur, quoniam permittitur hoc malum ut evitetur majus malum, id est fornicatio. De tali igitur concubitu intelligatur dictum illud Apostoli: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* (*I Cor.* VII, 29).

VI. Scio unum ex susurris vestris, novi verbum occultæ sapientiæ vestræ, quod est fundamentum hæresis vestræ, quam de conjugio habetis. Innotuit autem mihi per quosdam viros, qui exierunt de societate vestra, et resipuerunt a verbis mendacii per verbum Dei, et per ministerium servi ejus. Dicitis enim quod fructus ille de quo præcipit Deus primo homini in paradiso ne gustaret ex eo, nihil aliud fuit nisi mulier quam creaverat. De ipsa dicit's, Adæ præcepit Dominus ut non commisceretur ei, et commistus est ei contra præceptum Domini, quod erat gustare de vetito ligno. Ex hoc ergo pro-

Digitized by Google

batis omne genus humanum quod de eis propagatum est, natum esse ex fornicatione, et neminem salvari posse nisi purgatus fuerit per orationes et sanctificationes eorum, qui inter vos perfecti vocantur. Hæc autem causa est pro qua soletis culpare conjugium, et dicitis quod omnes qui in conjugio sunt, et conjugale opus exercent, fornicantur, et rei sunt ejusdem inobedientiæ, per quam cecidit Adam. Et idcirco omnes damnantur, nisi discedant ab invicem, et vobis jungantur, et purgentur per vos. Hinc et hoc nomen sibi assumpserunt primi magistri vestri, ut se vocarent catharistas, id est purgatores, et catharos, id est mundos : et ecce justo judicio Dei hoc ipsum nomen quod vobis assumpsistis ad gloriam vestram, versum est in ignominiam vobis in populari sermone : et nunc, domini mei purgatores et mundi, tanquam sepulcra dealbata pergo respondere ad occultam sapientiam vestram.

VII. Dicite mihi, ubinam legistis, quod Dominus vetuerit primum hominem comedere de ligno scientiæ boni ac mali? Puto in libro Geneseos. Rustici, redite ad eumdem librum, aperite oculos vestros, si legere scitis, inspicite recapitulationem operis sexti diei, et legite quod dicit : *Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II). Post hæc subjungit de eo quod factum fuerat ante formationem hominis, et dicit : *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat* (*ibid.*). Post hæc subjungit descriptionem paradisi, et qualem eum fecisset Deus ostendit, dicens : *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave : lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni ac mali* (*ibid.*). Post hæc descriptis etiam quatuor fluminibus paradisi, novissime addit : *Tulit ergo Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum, præceptique ei dicens : Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas* (*ibid.*). Nonne ecce ex his verbis intelligitis, quoniam et antequam creatus esset Adam, plantatus fuerat paradisus voluptatis cum omni ornatu suo, et duo ligna in ipso, videlicet lignum vitæ, et lignum scientiæ boni et mali? Si ergo lignum scientiæ boni et mali creatum, antequam Adam Deus formasset et in paradiso collocasset, manifestum est, quoniam et antequam Evam creasset Deus, creatum fuit lignum scientiæ boni et mali, quod Deus prohibuit Adæ; et si illud fuit ante creationem Evæ, consequens est quod illud non fuit Eva. Illud etiam attendite, quo ordine loquatur Scriptura de ligni prohibitione, et de mulieris formatione. *Præcepit*, inquit, *ei*, id est Adæ, *dicens : Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In quacunque autem die comederis ex eo, morte morieris* (*ibid.*). Et subjungit : *Dixit quoque Deus : Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi* (*ibid.*). Et post hæc addit qualiter formavit illam de costa ejus. Ex hoc quoque ordine locutionis datur nobis intelligi prohibitum fuisse Adæ lignum scientiæ boni et mali, antequam Evam Deus formasset. Et quomodo tam præceps in mandato suo erat Deus, ut non exspectare potuerit quoadusque mulierem formatam adduxisset ad Adam, et tunc ei interdixisset concubitum ejus? Dicite mihi, et si illud lignum quod Adam contra præceptum Domini gustavit, nihil aliud fuit quam mulier, quod lignum fuit quod mulier comedit et dedit viro?

VIII. Dicitis forte : Mulier comedit de ligno vetito, in eo quod virum concupivit, et vultis quod sicut viro mulierem prohibuerat, ita et mulieri Deus prohibuerat virum. Sed adhuc interrogo vos : Quid fuit quod mulier prius ex parte comedit, et postea viro dedit comedendum, sicut dicit Scriptura? Non habetis, ni fallor, quid respondeatis, nisi absurdam aliquam stultitiam respondere velitis. Et nunc quandoquidem ex Scriptura Geneseos firmastis aciem vestram contra nos, respondere etiam de ea nobis debetis. Dicite mihi : Quale adjutorium voluit Deus exhiberi Adæ per mulierem quando dixit : *Non est bonum hominem esse solum : faciamus ei adjutorium simile sibi?* (*Ibid.*) Ad quam rem indigebat adjutorio ejus? Nunquid indigebat, ut caput ejus lavaret et pecteret? Nunquid indigebat ut servili more alimenta ei præpararet et administraret? Nunquid esse [*fort.* necesse] habebat, ut vestimenta ei procuraret, nendo, texendo, formando, consuendo, lavando, resarciendo? Nihil certe horum aut talium dicere potestis, si aliquid sanæ mentis habetis, quia nullum tamen adminiculum homini in paradiso necessarium erat, ubi nullum patiebatur defectum. Forsitan ut adjuvaret eum laudare Creatorem suum, fecit ei mulierem in adjutorium? Poterat certe Adam sine Eva satis alta voce cantare laudes Domino, ita ut nunquam fieret lassus aut raucus. Aut si nolebat Deus, ut solus ille homo Deum laudaret, sed alius aliquis cum eo, non oportebat ut propter laudes ei decantandas fecisset mulierem, quia poterat alios viros sufficienter creasse, qui cum ipso Deum laudarent. Dicitis forte : Sciebat Deus quod Adam in peccatum erat casurus, et corporales defectus passurus, et ideo mulierem fecit ei in adjutorium, ut post lapsum suum talia ei exhiberet adminicula, qualia nunc dicta sunt. Sed dico quod in eisdem rebus potuisset ei homo sui sexus, si opus haberet, adjutorium ferre. Cur igitur fecit ei mulierem in adjutorium, et non alium virum qui ministraret ei? Oportet nunc, si vultis videri sapientes et intellectores Scripturæ sanctæ, ut aliquod tale officium nominetis, in quo indiguisset Adam adjutorio mulieris, et in quo eum adjuvare non posset alius vir. Certe non invenitis quid rationabiliter hic dicere possitis, nisi idipsum quod dicturus sum mecum sentiatis. Volebat Deus creare humanum genus ad laudem et gloriam nominis sui, sed non ita ut angelicam fecerat creaturam. Omnes enim angelicos

Digitized by Google

spiritus creaverat simul, ita ut nullus angelus ex alio nasceretur. Humanum vero genus ita creare disponebat, ut sibi invicem succederent homines, et nascerentur alii ab aliis, quatenus causa consanguinitatis firmior inter eos esset connexio charitatis. Omnes autem unum caput, et unam originem habere voluit primum hominem, ut videlicet ab ipso omne genus humanum propagaretur, essetque ei in hoc quædam similitudo cum Deo, qui est caput et principium omnis creaturæ.

IX. Non autem talem fecerat Adam, ut ab ipso solo posset generatio humana provenire: non enim ei dederat Deus aptitudinem talem, ut posset parere aut lactare. Fecit itaque ei mulierem, ut ex ea haberet adjutorium augendi et multiplicandi genus humanum, ut videlicet ipse generaret ex ea filios ut pater, ipsa ei pareret et lactaret filios ut mater. Adhuc mihi dicite, populo stulte et insipiens, si, sicut docti estis, viro prohibuit Deus mulierem, et mulieri virum, quomodo fieri potuit illud quod dixit ad eos: *Crescite et multiplicamini, et replete terram?* (*Gen.* I.) Quid debuerunt aut potuerunt facere, ut crescerent et multiplicarentur, si debebant omnino ab invicem abstinere? Si voluit Deus, ut Adam filios ex Eva generaret, et sic per eos multiplicaretur genus eorum, et replerent terram, et juxta hoc ei prohibuit tangere mulierem; contrarius erat sibi ipsi in sua voluntate et in præceptis suis, et argui potuit insipientiæ, quod dicere nefas est. Si ego agricolæ meo omnino interdicerem officium seminandi, et tamen ei dicerem: Vide ut bene fructificet ager meus, et per te multas fruges habeam; nonne mihi ipsi contrarius essem, et insipientiæ argui possem? Utique possem. Item de Noe, qui tempore diluvii per arcam salvatus est, similia dicere possum. Si ita, ut vos dicitis, Deus abominatur conjugium et opus conjugale, quare, cum vellet salvare Noe et filios ejus, ne perirent in diluvio, simul cum ipsis salvavit et uxores eorum? Nam cum præcepisset Noe ut faceret arcam, dixit ad eum: *Ingredieris arcam tu, et filii tui, et uxor tua, et uxores filiorum tuorum* (*Gen.* VI). Et rursum cum condidisset arcam dixit ei: *Ingredere tu et domus tua; te enim vidi justum coram me in generatione ista* (*Gen.* VII). Ecce testimonium perhibet Deus viro habenti uxorem, et filios tres, quoniam justus sit coram eo. Et qua audacia condemnatis omnes viros habentes uxores? Et quare, ut dixi, servavit pariter cum viris etiam uxores eorum? Si molestum erat Deo omne conjugium, melius solos viros salvasset, et omnes mulieres in aqua submersisset, aut solas mulieres servasset, et omnes viros perdidisset. Et si erat contra voluntatem Dei ut viri miscerentur uxoribus suis, quare hoc celavit a Noe quem diligebat, et a filiis ejus, cum eos eduxisset de arca? Quare si eos diligebat, non dixit: Peccavit in me Adam, in eo quod concubuit cum muliere quam interdixeram ei; peccavit in me filius ejus Seth, quia habuit uxorem et genuit filios et filias; peccaverunt in me omnes qui post illos duxerunt uxores, et filios genuerunt, et ideo perdidi eos. Vos autem nolite facere malum hoc, neque misceamini uxoribus vestris, ut similiter non deleam vos. Nihil autem tale dixit ad eos, sed ait: *Crescite et multiplicamini, et replete terram.* Quod qualiter fieri posset nescio, nisi cum uxoribus suis miscerentur. Aut si vos scitis quomodo aliter possent crescere et multiplicari, et replere terram, dicite nobis.

X. Item et hoc miror quomodo Deus, si ita abominatur conjugium, ut dicitis, potuerit se tam familiarem exhibere sanctis patriarchis, videlicet Abraham et Isaac et Jacob, ut ipse loqueretur cum eis, et mitteret ad eos sanctos angelos, et tanta eis promitteret in futurum de propagatione generis eorum, qualiter illud vellet multiplicare et dilatare, et benedictionibus replere. Scimus ex Scriptura, quod primus illorum erat trigamus, secundus monogamus, tertius tetragamus, et tamen Deus non hoc abominatus est in eis, sed servos suos dilectos eos frequentissime appellavit, et propter merita eorum multas ac magnas benedictiones contulit generationi eorum, et imitatoribus fidei sanctæ quam haberent ad Dominum.

XI. Veniam et ad illud quod mussitant quidam vestrum, videlicet sequaces Hartuvini: quod illud conjugium solum justum est, in quo virgines conjunguntur, et quod unam tantum prolem gignere debent, et postea statim ab invicem discedere, nec unquam deinceps ad conjugalem thorum convenire. Per omnia stultos et indiscretos vos esse video, tam quia error vester non sibi ipsi concordat, tum quia id quod dicitis nec ratione, nec aliqua auctoritate sanctæ Scripturæ potestis confirmare. Non sibi ipsi concordat error vere [*leg.* vester], quia si primo homini mulierem, ut dicitis, interdixit et adhuc eadem interdictio manet, tunc nec conjugium virginum, nec eorum qui post violatam virginitatem conjuncti sunt, licitum aut justum est. Item ex eo vos stultos judico, quia manifestis Scripturæ sanctæ testimoniis contraitis. Nam Paulus apostolus ait: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri* (*I Cor.* VII). Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, libera est a lege viri, ut jam non sit adultera, si fuerit cum alio viro. *Cui vult*, inquit, *nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum consilium meum* (*ibid.*). Item ait: *Volo adolescentulas viduas filios procreare, matres familias esse* (*I Tim.* V). Quod de mulieribus ait, idem et de viris intelligendum est. Si ergo licitum est, ut Apostolus ait, ut mulieres viduatæ viris iterum aliis nubant, et viri viduati uxores alias ducant; constat plane, quoniam non solum conjugia virginum licita et justa sunt, sed eorum quoque, qui ante conjugium suum virgines non fuerunt.

XII. Scio autem quoniam et in hac parte nobis contraitis, et objicitis nobis quædam verba Joannis

Digitized by Google

Chrysostomi, quæ in expositione Matthæi scribit dicens : *Secundam quidem uxorem accipere, secundum consilium Apostoli est : secundum veritatis rationem, vera fornicatio est.* Si secundum permissionem Deum publice et licenter committitur, honesta fornicatio est : et ego vobis dico, si credendum est doctrinæ Joannis Chrysostomi, certe credendum est et doctrinæ sancti Augustini et Hieronymi, et aliorum sanctorum Patrum, quorum vita sancta erat, et quorum doctrina cum sanctis Evangeliis et scriptis apostolorum concordabat, et in Romana Ecclesia, ad quam religionis Christianæ respectum habemus, auctoritatem firmissimam habet. Audite quid et isti de secundis nuptiis dicant. Augustinus in libro De viduitate scribit hoc modo : *Secundas nuptias omnino licitas concedit Apostolus. De tertiis autem, de quartis, et de ultra pluribus nuptiis, solent homines movere quæstionem. Sed quis audeat diffinire, quod nec Apostolum audio diffinisse? Ait enim : « Si dormierit vir ejus, cui vult nubat, tantum in Domino (I Cor. VII).» Non dicit primus, non secundus, vel tertius, vel quotuslibet; nec nobis definiendum est. Unde, ut breviter respondeam : nec ullas nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre.* Idem et Hieronymus testatur dicens : *Ego nunc libera voce exclamo, nec damnari in Ecclesia digamiam, imo nec trigamiam; et ita licere quinto et sexto, quemadmodum secundo marito nubere.* Sufficiant nunc testimonia istorum duorum, qui affirmant secundas nuptias licitas esse, quod certe nequaquam facerent, si scirent in eis turpitudinem fornicationis. Et quia isti in verbis quæ inducta sunt concordant cum verbis apostolicæ doctrinæ magis quam illa Chrysostomi Græci doctoris, ista quidem recipiuntur, illa vero non approbantur, neque recipiuntur in auctoritate. Ipsi animadvertite. Nunquid vobis rationabile videtur, quod dicit secundum conjugium esse fornicationem, et ipsum esse secundum consilium Apostoli? Certe omnem fornicationem dissuadet Apostolus, et absterret homines ab ea, cum dicit : *Fornicatores et adulteros judicabit Dominus* (*Hebr.* XIII).

XIII. Quomodo ergo convenit ut dicatur aliqua fornicatio esse secundum consilium ejus? Laudamus certe Chrysostomum illum et aureum os ejus, sed non in his verbis eum laudamus. Æstimo tamen quod non in verbis illis hæresim sapiebat Joannes, quam vos tenetis, ut videlicet secunda conjugia omnino illicita esse judicaret, quemadmodum fornicationem. Sed ob hoc fortasse dicebat hoc quod nobis objicitis, quoniam in secundis nuptiis discedditur a sacramento unitatis, quæ debet esse inter Deum et animam hominis, cujus significatio in monogamia est ; et forte ob hoc quoque quod secunda conjugia magis extra pudicitiam sunt quam prima, et nimis vehementer hanc persuadere cupiebat eis quibus prædicabat.

XIV. Ad hoc iterum redeo, quod dicitis unam tantum prolem debere generare conjuges, qui virgines convenerunt. Unde hoc habetis? Quæ vobis scriptura hoc determinavit? Nonne ex verbis Apostoli, quæ nunc induxi, patet, quoniam non solos monogamos, sed etiam bigamos licet plures filios procreare; et debent, ut dicitis statim ab invicem separari postquam unam habuerint prolem? Interrogo quare? Si ut dicitis, hoc conjugium justum est solum, quare solvendum est? aut si solvi necesse est, ut salutem consequi possint homines illi, quomodo justum est conjugium eorum? Si ergo omne conjugium, ut dicitis, solvi debet, qui sunt qui debent observare illud mandatum Apostoli : *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem* (*I Cor.* VII). O insensati cathari! quis vos fascinavit non credere veritati tot testimoniorum divini eloquii, ut destruere velitis omnia legitima conjugia, quæ a principio mundi usque in hodiernum diem in honore fuerunt per universum mundum, in omni genere hominum, et fidelium et infidelium? Puto quod ex amore castitatis hæc omnia dicitis. Puto quod ex amore castitatis hanc consuetudinem inter vos habetis, ut in conventiculis vestris, sicut ab uno hæresiarcha vestro audivi, pariter dormiant duo viri in lecto uno : itemque duæ mulieres in lecto uno, quatenus se vicissim custodiant, et unusquisque testimonia suæ castitatis ab alio habeat. Magnæ religioni deputabat consuetudinem hanc qui narrabat hoc mihi. Sed indubitanter a consilio maligni est religio hæc, et non adeo frenatum est os meum pudore, ut loqui non possim ea quæ de vestra misera castitate dicuntur ab eis qui experti sunt eam. Vos conjugalem copulam reprobatis quam instituit Deus, et quæ cum lege naturæ concordat; attendite vobis ne forte ob hanc temeritatem justo Dei judicio traditi sitis in ignominiam, quæ a lege naturæ discordat. Hactenus de conjugio nos disputasse sufficiat, nunc autem de ea sanctitate vestra colloquimur, qua ab esu carnium abstinetis.

SERMO VI.

Contra secundam hæresim de esu carnium.

I. Vobis loquor quos, sicut dixi, non homines, sed dæmones Apostolus vocat, cum dicit : *Attendentes doctrinis dæmoniorum, loquentium in hypocrisi mendacium, prohibentium nubere* (*I Tim.* IV) : et subauditur, docentium *abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui noverunt veritatem : quia omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (*ibid.*). Dicite mihi de quo genere ciborum locutus est Apostolus hoc loco? Si ignoratis, dicam vobis. Carnes significavit, et de vobis locutus est, qui in hypocrisi loquimini mendacium, videlicet non esse licitum hominibus ut nubant, et ut carnes manducent. Hoc in hypocrisi loquimini, quia in hoc casti et sancti coram hominibus vultis apparere sed est mendax hæc vestra doctrina. Nam et nubere licet, sicut Apostolus in hoc ipso demonstrat, quod eos abominatur et dæmones vocat qui

Digitized by Google

hæc prohibent. Et carnes edere licet eis qui votum non habent abstinendi ab eis. Ratio vestra est, quare edendæ non sint carnes, quia de coitu nascitur omnis caro, et ideo immunda est et coinquinat manducantem.

II. Miror si Dominus creator omnium rerum, quando hominibus concessit ut ederent carnes, ignorabat hanc vestram sanctam rationem, videlicet immundos fieri omnes qui ederent carnes, pro eo quod omnis caro ex concubitu nasceretur. Heu! quod non habebat catharum unum, qui ei hanc sapientiam in aurem susurrasset, in illa hora quando dedit potestatem edendi carnes Noe et filiis ejus dicens: *Crescite et multiplicamini, et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cœli, cum universis qui moventur in terra. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, et omne quod movetur et vivit erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradita vobis omnia, excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis* (*Gen.* I). Nonne ecce patet ex his verbis, quod Deus fecit homini *licitum* manducare carnes? Et qua fronte, qua audacia vos dicitis esse illicitum? Certe si sciebat omnem carnem ita pollutam, ut non posset quisquam ex ea gustare quin pollueretur, non satis fidelis erat Deus, quando concessit homini talem cibum, quem sine pollutione sua non potuit manducare. Si vero hæc Deus nesciebat, et vos scitis: puto vos sapientiores esse Deo, et magnos amatores munditiæ. Sed quam falsum hoc sit vos ipsi scitis. Nunquid et sapientiores et sanctiores estis sanctis patriarchis, qui licitum æstimabant esum carnium, et ipsi ex eis vescebantur? Sanctus patriarcha Abraham qui dignus habitus est ut familiariter loqueretur cum Deo, legitur suscepisse hospitio angelos Dei, in forma trium virorum, quibus et prandium fecit, et vitulum tenerrimum et optimum, *quem coxerat*, eis apposuit ad manducandum. Quod utique non fecisset vir sanctus et sapientissimus, si sciret in tali cibo immunditiam esse. Sed et filius ejus Isaac pulmentum de venatione, a filio suo Esau petiit, et edulium de hædis oblatum a Jacob manducavit. Sacerdotes quoque populi Israel, et omnes qui de genere sacerdotum erant, carnes legalium hostiarum in loco sancto manducare a Domino jussi sunt. Quia si ita immunda esset omnis caro, ut vos arbitramini, nunquam tot sacrificia de carnibus animalium Deus sibi super altare suum offerri præcepisset. Nunquam in sancta lege sua de comestione earum sacerdotibus suis aliquid mandasset, neque per eas sanctitatem eorum pollui permisisset.

III. Ad hæc forsitan respondetis, quoniam multa in tempore veteris legis licita erant, quæ licita non sunt in tempore hoc evangelicæ legis, et majorem munditiem exigit Deus a populo novi testamenti quam a populo qui erat sub priore testamento. Et idcirco istis vitandæ sunt carnes, quamvis illi ab eis non abstinerent. Ego vero ad hoc dico, quoniam si, ut dicitis, aliqua naturalis immunditia est in carnibus animalium, quæ coinquinet manducantem, eadem et tunc erat, quia ejusdem creationis et conditionis erant tunc, cujus sunt et nunc. Item si licitus non est esus carnium, ostendite nobis aliqua mandata evangelicæ aut apostolicæ Scripturæ, aut aliquorum orthodoxorum Patrum traditiones, in quibus generaliter præceptum sit ut abstineatur ab eis, et credemus vobis. Dominus Salvator quando ad prædicandum discipulos suos misit, inter cætera dicebat hæc ad eos: *In quamcunque domum intraveritis, primum dicite, pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. In eadem autem domo manete edentes et bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua* (*Luc.* x). Videtis quod non exclusit a cibis eorum usum carnium, ita ut diceret: Quod si vobis apposuerint carnes, nolite manducare. Quod utique dixisset, si esum carnium sanctitati eorum periculosum fore existimasset. Dicite mihi: Si immunda est omnis caro, et coinquinat manducantem, quomodo verum erit quod Salvator dixit: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit de ore coinquinat hominem. De corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem* (*Matth.* xv). Ergo, o cathari, non carnes vos coinquinant, si manducaveritis eas, sed mendacia vestra, quibus creaturam Dei bonam dicitis esse immundam.

IV. Non tamen hoc dico, quasi mihi sit curæ, ut unquam aliquid boni manducetis aut bibatis, qui populo Dei tam perversæ doctrinæ mortiferum poculum ubique propinatis. Audite nunc quid Apostolus noster scribens ad Corinthios dicat: *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini enim est terra et plenitudo ejus. An nescitis quod in macello carnes venundari solent?* (*I Cor.* x.) Si ergo omne quod in macello venit, id est venundatur, manducari licet, tunc secundum Apostoli verbum, et carnes manducari possunt a Christianis. Quod autem adjunxit: *Nihil interrogantes propter conscientiam* (*ibid.*), ideo dixit, quia in tempore illo, etiam carnes immolatæ idolis, vendebantur in macello, et nolebat Apostolus ut Christiani eas ementes interrogarent, utrum immolatæ fuissent idolis, an non: ne forte alius Christianus adhuc infirmus in fide, sciens eos scienter manducare idolothyta, putaret eos manducare ea sub veneratione idoli cui fuissent immolata; et sic ipse quoque inciperet idola venerari. Simile est et illud quod subjungit: *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatitium est, nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius* (*ibid.*), subaudi infirmi, sicut prædictum est. Si ergo carnes illæ, quæ fuerant dæmonibus immolatæ, non poterant contaminare manducantem

Digitized by Google

illas, eum videlicet cui non fuisset indicatum de eis, quod essent immolatitiæ; multo minus illæ, quæ nunquam talibus sacrilegiis adhibitæ sunt.

V. Illud forte objicitis mihi, quod Apostolus ad Romanos scribens ait: *Bonum est homini non manducare carnem, et non bibere vinum* (*Rom.* XIV). Et ego quidem idipsum concedo, quoniam hoc homini bonum est. Quare bonum? quia qui abstinet ab esu carnium et potu vini, longius est ab eo peccato, quod contrahitur per concupiscentiam gulæ, quam qui utitur istis. Suavia enim sunt hæc ad gustandum, et facile provocant concupiscentiam gulæ, ut supra quam oporteat delectetur in his qui gustat ea, quod quidem peccatum est. Item idcirco bonum est ut per abstinentiam istorum corpus affligatur, et per afflictionem corporis major a Domino merces acquiratur. Et hæ quidem sunt causæ quibus monachi, et fideles viri pœnitentes, ab illis se abstinent. Attamen quamvis concedatur, quoniam, sicut ait Apostolus, *Bonum est homini non manducare carnem, et non bibere vinum*, non ex hoc concedi oportebit, ut vobis videtur, quoniam malum est comedere carnes et bibere vinum: quia possibile est ita temperate hominem istis uti, ut non peccet. Nam et Salvator bibit de genimine vitis cum discipulis suis, et tamen nunquam peccavit. Quod autem non necessaria sit contentio ista: *Bonum est homini non manducare carnem, et non bibere vinum*, ergo malum est homini manducare carnem et bibere vinum, in simili sermone demonstrabo. Scimus quoniam bonum est silentium, et multum a spiritualibus viris commendatur, quoniam qui silet, longius est a peccato linguæ quam qui loquitur. Nam qui non peccat in verbo, hic perfectus est vir. Si ergo bonum est silere, malum est loqui. Nunquid hoc necessario sequitur? Nequaquam. Quoniam simul hæc vera sunt, videlicet bonum est silere, et bonum est loqui. Itaque non manducare carnem, et non bibere vinum, cum dicatur bonum quasi cautum, non quasi virtus; non oportet ut ob hoc dicatur malum esse comedere carnes et bibere vinum, quia in hoc continuo intelligeretur, quod esset vitium et peccatum.

VI. Verumtamen non multum est necessarium assumere nos hanc disputationem hoc loco: quia si recte animadvertimus tenorem Scripturæ, unde sumpta sunt hæc verba, patet, quia non simpliciter dictum est: *Bonum est homini non manducare carnem, et non bibere vinum.* Nam cum dixisset in præcedentibus loquens de escis: *Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendiculum manducat*, protinus addidit: *Bonum est homini non manducare carnem, et non bibere vinum*, continuoque subjunxit: *Neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur* (*ibid.*). Et est sensus: quandoquidem malum est homini aliquid manducare per offendiculum, ita ut alium suo cibo scandalizet, *bonum est homini non manducare carnem et non bibere vinum*: nempe, subaudis aliquid tale, *in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur.*

Est ergo generalis quædam comprehensio quorumlibet ciborum in his verbis, ut intelligi possit et de faba, et legumine idipsum. Nam si quis ista comedendo fratrem suum scandalizaret, bonum esset illi non comedere ista. Suaviores autem cibos nominatim expressit, a quibus difficilius abstinetur, ut suaderet dimitti etiam concupiscibiles cibos, causa fraternæ charitatis. Id autem in tempore illo necessarium existimabat suaderi, quia erant quidam ita perfectæ fidei, ut nullum cibum æstimarent immundum, sicut et Apostolus dicebat: *Omnia quidem munda sunt*: et erant quidam adhuc ita infirmi in fide, ut æstimarent a quibusdam esse abstinendum: veluti Judæi noviter conversi, quia abominabantur eos qui porcinam, vel idolothyta coram eis manducabant, et ex hoc scandalizabantur. Propter hujusmodi ergo dicebat: *Si propter cibum tuum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas* (*Rom.* XII). Et de se ipso dicebat: *Quia si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem* (*I Cor.* VIII). Itaque si quod objectionis in his verbis Apostoli, quæ inducta sunt, habebatis, exinanitum est.

VII. Adhuc dicite mihi: Carnes non manducatis, quia ex coitu veniunt. Et quare pisces manducatis, qui similiter ex coitu veniunt? Nihil hic rationis habetis. Puto peccatum est coitus gressibilium, et volatilium, et non natatilium, et in peccatis concipitur et nascitur omne animal; et ideo sine peccato non possunt manducari carnes eorum. Falsum est hoc totum, o cathari, falsum est: quia nullum unquam mandatum susceperunt aut suscipere potuerunt de vitando coitu. Et ideo nihil magis rationabile est quod dicitis, non comedimus vaccam, quia de coitu nata est, quam si diceretis, non comedimus vaccam, quia cornuta est. Nam esse de coitu natam, nihil magis peccatum est, quam esse cornutam.

Contra tertiam hæresim, de creatione carnium.

VIII. Scimus autem quia princeps erroris vestri Manes talem habebat vitandarum carnium rationem, quod dicebat omnem carnem creatam esse a diabolo, et humani quoque corporis conditionem ei attribuebat. Animam vero a Deo creatam affirmabat. Et sicut compertum habeo, vos quoque in occultis vestris eamdem rationem vitandarum carnium susurratis. Sed hoc quoque mendacium mendacissimum est, nisi, quod absit! mentiatur Scriptura veritatis, quæ dicit: *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terræ juxta species suas, et jumenta et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum* (*Gen.* I). Quod si non sufficit Scriptura Veteris Testamenti ad comprobandum vobis quod omnem carnem fecerit Deus, audite Scripturam evangelicam, quæ dicit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso*

Digitized by Google

factum est nihil (*Joan* I). Si ergo omnia per Verbum Dei facta sunt, ergo et omnis caro per ipsum facta est. O maniatice Manes cum insanis sequacibus tuis! ille vos adjuvet sicut ipsum decet, quem Deo adjutorem in creatione rerum constituistis. Gens maledicta! quid indiguit Deus adjutorio diaboli, ut non posset perficere conditionem universitatis, nisi cum diabolus adjuvisset? An nescitis quoniam tantæ malitiæ est, ut si possit, uno momento omne quod ad laudem Dei est in mundo destrueret, et ad nihilum redigeret potius quam crearet?

IX. Taceo nunc de corporibus rationabilium, de corpore hominis loquor, qui specialiter est conditus ad serviendum Deo viventi, et ad resistendum per omnia diabolicæ voluntati. Certe si creasset corpus ejus diabolus, nunquam tam honeste, tam ordinate, aut commode membra ejus disposuisset, sicut sunt. Quoniam si recte animadvertuntur, secundum mirabilem sapientiam et benignitatem cuncta ordinata sunt, sicut omnibus patet. Cætera animalia sic condita sunt, ut prono ad terram corpore, et vultu demisso incedant, solus vero homo ita dispositus est in corpore, ut incedat rectus et aptum habeat vultum ad suspiciendos cœlos, ad quos totam mentis intentionem dirigere debet. Et nunquid putatis, si disposita fuissent membra humana secundum arbitrium diaboli, qui interminabile odium adversum omnes nos gerit, et cunctis bonis nostris invidet, talem nobis honorem præ cæteris animantibus præstitisset? Nequaquam : imo nos tales maluisset condidisse, ut toto corpore serperemus per terram, aut erectis sursum pedibus, et converso in terram capite manuum officio sicut fieri posset incederemus. Quomodo enim amet honorem et commodum humani corporis sæpius ostendit in illis, quos pro aliquibus delictis Deus ab illo flagellari permittit, sicut et in muliere illa quam illigavit Satanas decem et octo annis, ita ut non posset sursum aspicere, et in eo quem frequenter in ignem et in aquam misit, ut eum perderet, et in aliis quam pluribus. Patet ergo ex his quæ dicta sunt, quoniam si idcirco carnibus abstinetis, quia nascuntur ex coitu, fatui estis. Si vero idcirco, quod opificium sint diaboli, sicut mentitus est princeps vester Manes, constat quoniam insani estis cum illo. Et nunc ad alia transeamus.

SERMO VII

Contra quartam hæresim de baptismo parvulorum.

I. De baptismo parvulorum, dicitis quoniam inanis est, quod neque illis prodest ad salutem, neque aliquibus qui non sunt ejus discretionis ut possint credere, aut per seipsos gratiam baptismi postulare. Confirmatis autem, ut æstimo, errorem istum auctoritate evangelici sermonis, quem locutus est Dominus, quando ad baptizandum misit discipulos suos dicens : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur* (*Marc.* XVI). Hinc, ni fallor, hujusmodi argumentationem sumitis ut dicatis : Nemo credere potest, nisi discretionem habeat boni et mali; parvuli autem cum baptizantur, discretionem boni et mali non habent; ergo non credunt; condemnantur ergo cum ante annos discretionis moriuntur. Si hoc dicitis scire debetis, quia non rectum in verbis veritatis intellectum habetis. Quod enim Dominus ait : *Qui non crediderit condemnabitur*, non ita accipiendum est, quasi dictum sit de omnibus qui non credunt, sed tantum de his quia credere possunt, et nolunt. Parvulos enim quia baptizantur, et necdum credere possunt, imbecillitas sensus sui excusat, ut non comprehendantur in sententia illa, qua condemnantur non credentes. Sic autem pluribus in locis sancta Scriptura loquitur, quasi universitatem quamdam comprehendat, ubi tamen universitas intelligenda non est, sed de universitate aliquid excipiendum est, ut patet in priori parte ejusdem sermonis, quem de Evangelio induxi, ubi ait : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ecce enim hoc videtur dictum de omnibus qui credunt et baptizantur, quod salvandi sint; sed non est ita. Nam multi credunt et baptizantur, nec tamen salvabuntur, quoniam ad tempus credunt et in tempore tentationis a fide recedunt, vel per malam vitam fidem suam inutilem reddunt. Propterea ergo, ut dixi, de universitate credentium, quæ ibi videtur comprehensa, aliquid excipiendum est, ita ut dicatur hoc dictum esse non de omnibus credentibus, sed de illis qui habent fidem, quæ per dilectionem operetur, et in ea perseverant, ita ut non refrigescat charitas eorum in tentatione, et non recedant corda eorum a Deo. Si ergo prior particula illa sermonis, quæ communiter dicta videtur, stare non potest nisi aliquid de universitate excipiatur; non debet videri incongruum, si etiam posteriorem partem ejus ita exponimus, ut eam non universaliter intelligendam esse dicamus.

II. Tale est et illud, quod idem Salvator in Evangelio de sacramento corporis et sanguinis sui pronuntiavit dicens : *Qui manducat meam carnem, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam* (*Joan.* VI). Hoc enim videtur dictum de omnibus, qui manducant et bibunt corpus et sanguinem Domini; sed non est intelligendum nisi de illis, qui digne manducant et bibunt corpus et sanguinem Domini. Multi enim manducant et bibunt corpus et sanguinem Domini indigne, et non ex hoc habent vitam æternam, sed, ut dicit Apostolus, *judicium sibi manducant et bibunt, non dijudicantes corpus Domini* (*I Cor.* XI) Itaque, ut dixi, illa sententia qua dictum est : *Qui non crediderit, condemnabitur*, non ad omnes non credentes pertinet, sed ad eos qui cum habeant possibilitatem credendi, non credunt. Excipiuntur enim parvuli qui baptizantur, et necdum credere possunt.

III. Forte adhuc vobis videtur, quia injuriam faciamus litteræ evangelicæ, quæ videtur pertinere tantum ad eos qui possibilitatem habent credendi.

Digitized by Google

Sed, quæso, respondete mihi de simili littera, quæ in sancta Scriptura invenitur. Jacobus apostolus in Epistola canonica scribit, dicens : *Qui non peccat in lingua, hic perfectus est vir* (*Jac.* III). Nunquid hoc pertinet ad omnes communiter, qui non peccant in lingua? Certe, si omnes qui peccatum linguæ non committunt, perfectæ sunt sanctitatis, omnes infantes, et omnes muti, sancti et perfecti judicandi sunt : quod falsum esse nulli dubium est. Itaque quod dictum est : *Qui non peccat in lingua, hic vir perfectus est;* ita intelligi necesse est, ut dicatur, esse perfectus qui cum possit et sciat peccare in lingua, abstinet per Dei timorem, ut non peccet in ea. Tale est et illud quod Apostolus ait : *Qui non laborat, non manducet* (*II Thess.* III). Nam universaliter pronuntiari videtur de omnibus non laborantibus, sed non est ita. Nam, si de illa sententia nullus qui non laborat excipiendus est, tunc neque pueri, neque senes, neque infirmi manducare debent, qui non laborant. Ad eos ergo pertinet verbum hoc, qui cum possint laborare, non laborant, sed otio vacant. Simile est et illud : *Qui vero male egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V). Hoc quoque generaliter dici videtur de omnibus qui male agunt, sed excipiuntur ab hac sententia qui mala agunt et postea pœnitent, et in bono perseverant. Multa in Scripturis sanctis similiter dicta inveniuntur, sed non est necesse plura ad præsens negotium exempla induci. Et nunc si aliam habetis defensionem erroris vestri, proferte eam; quoniam hæc de qua nunc locuti sumus, non proderit vobis.

IV. Populo stulte et insipiens! nunquid non cognoscitis tempus? An nescitis quoniam Scripturæ sanctæ vocant tempus gratiæ omne hoc tempus, quod a Christi nativitate usque ad finem sæculi decurrit? Idcirco autem gratiæ tempus vocatur, quia in eo dilatata est misericordia Domini super genus humanum, et apertus est sinus Dei ad suscipiendas animas hominum, magis quam in omnibus sæculis, quæ fuerunt ante Christi adventum. At, si ita est, ut prædicat impietas vestra, videlicet quod omnes qui ante annos discretionis moriuntur, condemnantur, et nullum eis remedium constitutum est a Deo, quo possint adjuvari ab Ecclesia Dei, ut oporteat eos ex necessitate effluere in perditionem æternam; durus certe et immisericors est Deus magis quam fuisset in temporibus, quæ adventum Christi præcesserunt, et minus curans de hominum salute. A tempore enim Abrahæ usque ad Christum, constitutum erat a Deo in populo Judaico, qui erat ex Abraham, ut omnis infans masculus die octava a nativitate sua circumcideretur in carne sua ad generationem pertinente, ut sic liberaretur a peccato originali, cum quo nascitur omnis homo, et pro quo damnatur omnis anima, quæ non fuerit aliquo remedio ab eo purgata.

V. Quia autem pro animarum salvatione datum fuerit illud mandatum, aperte cognosci potest ex verbis Domini, quæ ad Abraham locutus est, quando ei circumcisionis præceptum dabat, dicens : *Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus quam emptitius circumcidetur. Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo* (*Gen.* XVII). Ecce in hac comminatione evidenter cognosci potest, quod propter conservationem animarum eorum, ipsos jussit circumcidi. Et hoc animadvertite, quod non dixit exspectandum esse usque dum pervenisset homo ad annos discretionis, et tunc esse circumcidendum, cum per se ipsum postulare posset circumcisionem; sed die octavo jussit circumcidi infantem, quia sciebat fragilitatem corporis humani, et quod levi infortunio contingere potest, ut exstinguatur homo, antequam ad annos maturitatis perveniat. Quia ergo ita festinari voluit circumcisionem, idcirco fecit, ut salvæ fierent animæ, et non inciderent in damnationem æternam per maculam originalis peccati, quod a primis parentibus contraximus omnes. Potuit etiam nimirum eadem circumcisio fieri ante diem octavum, si periculum mortis parvulis imminere videbatur. Sicut et nos pro eadem causa ante tempus nonnunquam parvulos baptizamus, cum tamen sit constitutum ab apostolicis Patribus, ut vel in Pascha, vel in Pentecoste baptizemus. Sicut autem parvuli masculini sexus ab originali culpa, per circumcisionem expiabantur, ita et feminei sexus infantes per legales oblationes ab ea purgabantur, ut et ipsarum animæ non perirent a populo suo.

VI. Ante tempus autem circumcisionis ab Adam usque ad Abraham, qui primus suscepit circumcisionis mandatum, fieri solebant oblationes Deo, ab his qui Dei cultum habebant, per quas deleri potuit originale peccatum, atque alia peccata fragilitatis humanæ in electis Dei tam pusillis quam magnis, ut salvæ fierent animæ eorum, quoniam nunquam misericordia Dei humanum genus omnino dereliquit. Ecce talis erat Deo de infantibus cura prioribus sæculis ut conservarentur animæ eorum a perditione; et nunquid æstimatis, impia gens, quod oblitus sit ejusdem misericordiæ suæ Deus in tempore isto, quod gratiæ tempus et annus benignitatis vocatur? An putatis quoniam minus amet filios et filias Christianorum, quam infantes Judæorum, quibus constituit circumcisionem, ut non perirent animæ eorum a populo suo?

VII. Jussit autem cessare circumcisionem post ascensionem Christi per doctrinam apostolorum, quorum unus dicebat : *Si circumcidamini Christus nihil vobis prodest* (*Gal.* V). Circumcisionis autem loco esse voluit baptismum aquæ, ut eo purificaretur a peccatis omnis homo tam pusillus quam magnus, quicunque fuisset mersus eo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et quidem si est, ut vos dicitis, videlicet quod tantum adultis et non etiam parvulis prosit baptismus ad salutem; non habet tantam virtutem baptismus nunc, quantam habuit circumcisio in tempore suo observata. Super hoc

Digitized by Google

ergo mihi respondete : Quando constituit Dominus ut baptismus fieret in Ecclesia, et cessaret circumcisio; tunc vel voluit et non potuit dare baptismo eam virtutem, quam habuerat circumcisio, videlicet ut per ipsum conservarentur animæ infantium; vel potuit hoc et noluit, vel nec voluit hoc nec potuit. Si voluit et non potuit, non erat tantæ potentiæ, quantæ fuerat olim, quando constituit fieri circumcisionem, et per eam animas parvulorum conservavit a damnatione. Quomodo ergo verum erit quod dicit Scriptura : *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra?* (*Psal.* CXXXIV.) Si autem potuit et noluit; non est in hoc tempore gratiæ tam large benignus, neque tam fidelis erga populum Christianum, ut fuerat erga populum Judaicum, et in eo quod abstulit circumcisionem, in qua poterant conservari animæ infantium, et nihil in loco ejus fieri ordinavit per quod possent adjuvari. Si autem nec voluit nec potuit Deus facere per baptismum eam misericordiam parvulis, quam fecerat per circumcisionem; consequens est, ut neque tam potens neque tam benignus sit in tempore hoc, ut fuerat in diebus antiquis. Quod quidem tam alienum est a veritate, quam Catharus a salute. Et si verus est sermo vester, melius certe atque felicius fuisset mundo, ut Judaica lex quæ adjuvare potuit tam pusillos quam magnos in statu suo permansisset, et ut ad eam omnes gentes confluxissent, quam ut lex Christiana mundum intrasset, quæ, ut susurratis, prodesse non potest, nisi his qui ad annos discretionis perveniunt. Vix certe media pars hominum vivendo pervenit ad dies suos, in quibus scire possint quid credere debeant, aut quid non. Si ergo omnes tales necesse est perire, merito debet intolerabilis esse tristitia toti Ecclesiæ, pro ea mutatione, quam in ea fecit Deus, in hoc quod interdixit circumcisionem, et pro ea baptismum constituit, et tanta millia animarum in perditionem ire permittit, quibus putatur prodesse baptismus, et non eis prodest, ut docet hæresis vestra.

VIII. Quid ergo aliud faciet Rachel, nisi ut sine intermissione ploret filios suos, et non velit consolari, quia non sunt? (*Matth.* II.) Quomodo ergo tempus istud recte dici potest tempus gratiæ, et non magis tempus iræ? Imo, o filii iræ, o Cathari semen nequam, filii scelerati; nunc est tempus gratiæ, et non iræ : *Nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis* (*II Cor.* VI); quia, sicut prædixi, dilatata est misericordia Dei super hunc mundum magis quam in prioribus sæculis. Nam ante Salvatoris adventum regnavit mors et perditio in humano genere, et premebat ira Dei totum mundum, et paucissimæ animæ in illo tempore salvæ fiebant a morte æterna. Omnes enim gentes Creatorem suum ignorabant, et idololatriæ deserviebant, præter Judaicam gentem, in qua notus erat Deus, et quæ legibus et obsequiis veri Dei erat mancipata. In hoc autem tempore ostendit Deus misericordiam suam in universo mundo, et notus fieri voluit in cunctis finibus terræ, et constituit baptismi gratiam, non uni genti, ut circumcisionem Judæis, sed omni generi hominum; ita ut quicunque baptizatus fuerit in nomine ejus, sive Judæus, sive Græcus, sive Latinus, sive barbarus, pusillus aut magnus, mas sive femina, servus sive liber, remissionem omnium peccatorum in eo consequatur tam plenarie, ut si mox per baptismum de hac migret vita, aperta sit ei janua regni cœlestis. Tantam vero virtutem salvationis non habebat circumcisio in veteri populo. Nemini quippe pusillo et magno quantumcunque innocens aut sanctus esset, introitus regni Dei aperiebatur per circumcisionem, aut per aliquas observationes legis antiquæ. Sed quicunque electi erant ad regnum Dei in populo illo, detinebantur animæ eorum in locis sibi destinatis a Deo, exspectantes donec per virtutem Christi patefieret eis accessus ad perfectæ beatitudinis gloriam.

IX. Propter hæc ergo quæ nunc dixi, merito hoc tempus Christianitatis, tempus gratiæ, et *tempus acceptabile* dicitur, et *dies salutis* dies isti vocantur, qui magis dies perditionis dici possent, si ita esset, sicut vos impie susurratis. Non autem id me dicere æstimetis, quod omnes qui in Ecclesia secundum quod constitutum est a Domino baptizantur, ita remissionem peccatorum suscipiant, ut qualitercunque postea vixerint, tamen ad regnum Dei perveniant. Sed hoc dico, et fides nostra inconcusse hoc tenet : Quicunque parvuli, sive a bono homine, sive a malo, etsi sit hæreticus, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizantur, et morte præveniuntur antequam maturescant, salvantur per baptismum et per fidem sanctæ Trinitatis, quam habet Ecclesia Catholica, quæ invocat nomen Domini pro salute eorum, qui baptizantur in ea, sicut olim salvabantur per circumcisionem et per fidem patrum. Qui vero ad annos maturitatis perveniunt, si gratiæ in baptismo acceptæ, vita eorum consors fuerit; hos et baptismus, et fides Catholica, et operum rectitudo perducunt ad salutem. Qui vero pravis operibus vitam suam commaculant, et contra mandata Dei pompis diaboli deserviunt; hi profecto gratiam Spiritus sancti in baptismo acceptam, in seipsis exstinguunt, et nihil his prodest baptismus ad salutem, sicut et circumcisio multis Judæorum perverse gradientibus, nihil profuit ad salutem consequendam. Hæc est nostra catholica fides, de his qui baptizantur, quæ palam in Ecclesia Dei semper prædicata est temporibus apostolorum et sanctorum Patrum, qui eis in Romana Ecclesia, aliisque Ecclesiis, usque ad hæc tempora nostra successerunt, et qui leguntur prædicasse in manifesto et baptizasse in Christo, senes et juvenes, mulieres et parvulos.

X. Ad illud vero redeo quod dixi, salvari parvulos per baptisma, et per fidem sanctæ Trinitatis, quam habet Ecclesia, quæ invocat nomen Domini pro salute eorum qui baptizantur in ea. Hoc vobis incredibile esse dicitis quod alicui homini prodesse possit alterius fides apud Deum. Et quare vobis est

Digitized by Google

incredibile? Si scitis Evangelia, revolvite ea, et invenietis, quoniam Dominus Salvator, cum inter homines conversaretur, et miracula divina operaretur, multis qui male habebant, misericordiam suam exhibuit; non propter ipsorum merita, sed propter fidem aliorum, qui ipsum deprecabantur pro eis. Legimus siquidem de muliere Chananæa, quod rogabat Dominum pro filia sua, quæ male a dæmonio vexabatur, et ipse auditis miserandis clamoribus matris, tandem misertus est super eam et dixit: *O mulier! magna est fides tua; fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora* (*Matth.* xv). Ecce in eo quod ait: *Magna est fides tua*, aperte declaravit, quoniam per fidem, quam in ipsum mater habebat, meruit ut sanaretur filia ejus, quæ nec fidem, nec sanam mentem habebat. Et de Centurione legimus, quod pro sanitate paralytici servi sui Dominum deprecatus est. Cui cum dixisset Dominus: *Ego veniam et curabo eum*, atque ille respondisset: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum, et sanabitur puer meus;* admiratus est Dominus super fide ejus dicens: *Amen, dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel;* moxque illi dixit: *Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora* (*Matth.* viii). Nonne et his verbis patet, quoniam fides viri postulantis, ei pro quo postulabat profuit ut sanaretur?

XI. Respondebitis forte, quod de his de quibus nunc dictum est, videlicet puella obsessa, et puero paralytico, fides postulantium pro eis profuit quidem ad corpus, sed non ad animarum sanitatem; et dicitis quod, ad salutem animæ consequendam, unumquemque tantum propria fides adjuvare possit, et non fides aliorum quantumcunque clament pro eo. Et nunc aliud exemplum vobis adducam, quod in hac parte contra vos est. Scriptum est in Evangelio Lucæ, quia *factum est in una dierum, et Jesus sedebat docens, et erant Pharisæi sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ et Judææ, et Jerusalem; et virtus Domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, et quærebant eum inferre et ponere ante eum, et non invenientes qua parte inferrent eum præ turba, ascenderunt super tectum, et per tegulas submiserunt illum cum lecto in medio ante Jesum. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua* (*Luc.* v). Ecce in eo quod dicit Evangelista: *Quorum fidem ut vidit* (*ibid.*), manifeste dat intelligi, quoniam fides illorum quam habebant de potentia ejus, beneplacita erat Domino: et quod specialiter propter ipsam illi data est, primum quidem remissio peccatorum, quæ ad salutem animæ illius pertinebat; et postmodum sanitas corporalis, quando eidem paralytico dicebat: *Tibi dico surge; tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (*ibid.*). Si enim hanc misericordiam Dominus eidem paralytico fecisset ob meritum fidei ipsius, et non propter illorum fidem, nequaquam dixisset Evangelista, *quorum fidem ut vidit;* sed magis, cujus fidem ut vidit. Hæc nos animadvertentes confidimus, quod nostram quoque fidem respiciat Dominus Jesus, quando infirmum nostrum ipsi offerimus curandum. Portamus siquidem et nos paralyticum in lecto, et ponimus ante Jesum, quando parvulum bajulamus ad baptisma, petentes ut baptizet eum et salvet. Anima quippe rationalis adhuc originali peccato constricta, et nihil adhuc naturalium virium exercere valens in corpore puerili; cui melius comparatur quam homini intus per peccatum constricto, et foris per paralysim in membris dissoluto jacentique in lecto? Et pro illo quidem nihil aliud postulabant amici ejus, nisi ut corpore sanaretur: ipse vero ex gratuita bonitate prius quod majus erat, præstitit, sanando a peccatis eum in anima, et postmodum etiam quod petebatur, adjecit, corporalem ei sanitatem restituendo, et approbata est fides illorum, qui hoc quod minus erat eum posse credebant. Est autem indubitanter major fide illorum nostra fides, cum qua paralyticum nostrum Domino præsentamus, ac magis spiritualis petitio nostra, petitione illorum. Credimus quippe, quod quemadmodum potest per baptismum purificare majorum animas ab omni peccato, tam actuali quam originali: ita potest et parvulorum animas liberare ab originali peccato sine meritis ipsorum, sicut et sine meritis suis. Præfatus ille paralyticus, et in anima et in corpore sanatus est. Credimus, inquam, hoc, et fideliter ab ipso postulamus, si quando ei parvulos baptizandos offerimus; ipse enim invisibiliter illis præsens est illic, et ipse invisibiliter baptizat omnes, qui cum invocatione sanctæ Trinitatis aquis immerguntur.

XII. Nolite mirari super hoc quod dixi, quoniam ipse invisibiliter baptizat eos qui baptizantur. Scriptum quippe est, quod Joannes Baptista tale de ipso testimonium pronuntiavit dicens: *Qui misit me in aqua baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat: Et vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei* (*Joan.* i). Idem quoque dicebat ad turbas de Christo: *Qui post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Matth.* iii). Ex his verbis securi sumus ipsum Dominum Jesum Christum esse communem baptistam omnium, qui in catholica Ecclesia baptizantur in nomine sanctæ Trinitatis, ita videlicet quod ipse invisibiliter spiritum eorum sanctificat in Spiritu sancto, et ab omni peccato emundat: inde est quod dicimus, quia sive bonus, sive malus sit ille, per cujus manus corpus hominis, qui baptizatur, aquis visibiliter immergitur; non ex hoc plus vel minus operatur virtus baptismi remissionem peccatorum, et invisibilem sanctificationem in anima ejus qui regeneratur. propterea Paulus apostolus scribens Corinthiis, qui de baptistis suis se jactabant, redarguit eos dicens: *Significatum est mihi ab his qui sunt Cloes, quoniam contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico,*

Digitized by Google

quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem Pauli, ego vero Cephæ, ego autem Apollo, ego vero Christi (*I Cor.* I). Æstimabat enim quisque eo se esse sanctiorem, quo erat sanctior ille a quo fuerat baptizatus. Hoc vero nequaquam ita est, quoniam nihil sanctitatis ei qui baptizatur præstat ille qui visibiliter baptizat, sed omnem spiritualem gratiam, quæ in baptismo confertur, ipse summus sacerdos Dominus Jesus Christus præstat illic per virtutem Spiritus sancti, et ad illam quidem omne genus hominum, qui ad ipsum converti volunt, admittit quantumlibet sint onerati peccatis; solos autem parvulos, sicut dicitis, qui minimum peccati habent, inde repellit. Nequissima gens cur hoc dicitis? Nonne ipse communiter omnes vocavit, cum dixit : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos?* (*Matth.* XI.) Certe cum hoc dicebat piissimus ille procurator salutis humanæ, videbat omnem hominem laborare sub pœnalitate, quam induxerat mundo culpa originalis; videbat simul, quoniam præter ipsum nemo vivebat hominum in tempore illo, vel victurus erat super terram, cujus non esset onerata anima peccatorum gravamine, ita ut nec infans unius diei expers esset peccati.

XIII. Quod intelligens Paulus apostolus dicebat : *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereretur* (*Gal.* III). *Omnia*, inquit, id est omnis generis homines, omnis ætatis homines : *conclusit*, id est concludi permisit sub peccato, *ut omnium misereretur*, tribuendo omnibus remissionem peccatorum. Si ergo conceditis et parvulos omnes conclusos esse sub peccato, necesse est ut concedatis ad eos pertinere misericordiam Dei, et ipsos quoque ad latum gremium benignitatis ejus cum cæteris invitare, vocatione ipsius qua dicit : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). *Reficiam*, inquit. Refectio ista quam promisit præstatur in hac vita spiritui nostro, in eo quod per Spiritum sanctum a peccatorum gravamine exoneratur, atque in eo quod cum superaddita gratia adjuvatur ad resistendum fomiti peccati, et ad insistendum bonæ operationi. Præstatur et post hanc vitam, quando datur ut requiescat homo a cunctis laboribus. Omnem hanc refectionem promisit omnibus venientibus ad se. Et qua ratione putatis quod eam recuset parvulis venientibus ad se? Putatis quod dicat Dominus : Omnes veniant ad me quantumlibet sint peccatores, soli parvuli qui nondum satis habent peccati, maneant foris? Non veniunt, dicitis, sed asportantur ab aliis, et idcirco non dat eis gratiam, quam aliis peccatoribus. Et nonne paralyticus ille, de quo supra dictum est, ab aliis asportatus est : non per se ipsum venit, neque idcirco minus gratiæ ab ipso accepit? Similiter non per se ipsos veniunt, neque per se ipsos benedictionem a Jesu petierunt parvuli illi, de quibus Matthæus refert dicens : *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret et oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait : Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum. Et cum imposuisset illis manus, abiit inde* (*Matth.* XIX).

XIV. Ecce talis in illo tempore benignitatis erat Dominus, ut rudes pueros non per se ipsos quidem venientes, aut gratiæ aliquid postulare scientes, sed aliis ipsos ei offerentibus, ac pro eis postulantibus dignaretur suscipere, dignaretur et benedictam manum suam eis cum oratione imponere. Et quomodo accidit hoc, ut in istis temporibus non eamdem habeat benignitatem erga parvulos, quos solet ei offerre Ecclesia, rogans ut manus eis imponat, id est virtutem sancti Spiritus sui, per quam eis peccata remittantur, et spiritalibus donis impleantur? Quomodo dulcem illam vocem, qua dicit : *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum* (*ibid.*), mutavit in amaram vocem, ut dicat : auferte parvulos a me, talium enim non est regnum cœlorum? Nam secundum tenorem disciplinæ vestræ, hoc, etsi non manifesta voce, ipso tamen opere dicit; si omnes, qui ante annos discretionis moriuntur, perire permittit in originali peccato cum quo nati sunt. Scimus quidem in eo verbo, quod dixit : *Talium est regnum cœlorum* (*ibid.*), etiam comprehendi eos qui maturæ ætatis sunt, et similes sunt pueris innocentia et simplicitate. Verumtamen hi qui in innocentia et simplicitate atque insuper ætate pueri sunt, et ab Ecclesia Domino offeruntur, ut parvuli illi, quibus olim manum imposuit; non possunt justa ratione ab eadem sententia excludi, nisi forte cum ad maturitatem pervenerint, acceptam in baptismo gratiam, per malam conversationem amittant.

XV. Nunquid adhuc sine intellectu estis, et non percipitis ex his verbis, quæ dicta sunt, falsum et hæreticum esse, quod de baptismo parvulorum affirmatis? Dicite mihi : Quæ vobis est causa hujusmodi, sermonis, cum nec firmam rationem, nec aliquod evidens testimonium ex Scripturis sanctis habeatis ad confirmandum hunc errorem? Si erubescitis dicere, ego pro vobis dicam. Superbia cordis vestri, et invidia diaboli in ore vestro posuerunt verbum hoc. Nam ut quasi singulares præ cæteris habeamini, ac multa scire videamini, quæ non sunt in communi hominum cognitione, idcirco talia susurratis in auribus simplicium ac seductibilium hominum, quibus aquæ furtivæ dulciores sunt. Idcirco dixi quod superbia cordis vestri, quæ vanæ gloriæ mater est, hunc errorem sicut et alios multos seminare vos fecit. Invidia quoque diaboli hoc verbum vobis inspiravit. Quia enim vidit innumera millia animarum per baptismum salvari in infantilibus annis, et nihil voluntatis suæ fieri in eis, quos ita innocentes et puros ab omni macula post regenerationem suam festinat Deus ad regnum suum transferre; quia, inquam, hoc vidit, invidet innocentiæ eorum; invidet quod ita festinaretur beatitudo eorum; invidet, quod etiam *ex ore* hujusmodi *infantium et lactentium* perfecturus esset *laudem* suam (*Psal.* VIII), propter inimicos suos apo-

Digitized by Google

statas spiritus, qui per propriam malitiam a curia ejus ceciderant, et imminuerant numerum laudantium eum. Quæsivit igitur artem qua impediret omnes infantium animas, ne gratiæ, quæ in baptismo tribuitur a Deo, participes fierent, et invenit sibi aptissima instrumenta ad officium hoc, videlicet linguas Catharorum, quæ sunt pharetræ pessimarum sagittarum ejus, quibus *sagittant in obscuro rectos corde* (*Psal.* x). In quibus posuit et hoc verbum iniquum, quod dicunt, nihil prodesse parvulis ad salutem lavacrum baptismi, et debere eos reservari usque dum perveniant ad annos discretionis, et tunc primum eos esse baptizandos, cum possint proprio ore fidem suam profiteri. Hæc ita excogitavit diabolus, quatenus hunc morem induceret mundo, ut non ad baptismum afferrent homines parvulos suos, sicque in partem suam attraheret omnes animas, quæ in infantilibus annis ab hac vita migrant, atque a regno Dei eas elongaret. Sed gratia Dei nondum ita creditum est huic verbo, ut receptus sit mos iste in populo Dei : adhuc offerentur parvuli Domino ad baptismum, et imponit eis manum suam, et recipit eos. O Cathari! o Piphles! Nescio quam laudem vobis rectius dicam, quam quod diffusa est diabolica malitia in labiis vestris, propterea maledixit vos Deus in æternum.

SERMO VIII.

Contra quintam hæresim de baptismo aquæ.

I. Non autem me latet, quod de eis quoque qui in provectiori ætate baptizantur, non minorem hæresim tenetis, quam est ea quæ de baptismo parvulorum nunc pertractata est. Nam baptizandum quidem esse hominem dicitis, cum ad annos discretionis pervenerit; non autem in aqua, sed in igne, et nihil prodesse cuiquam baptismum aquæ. Hujus autem erroris defensionem sumitis ex verbis Joannis, quæ de Domino Salvatore pronuntiavit dicens : *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Matth.* III). Hinc est quod eos quos assumitis in societatem Cathariæ vestræ, sicut audivi a quodam, qui expertus fuerat secreta vestra, tali modo rebaptizatis.

II. Convenientibus vobis in unum in obscuro aliquo penetrali, primum hoc diligentissime procuratur, ne forte per aliquam fenestram, aut per ostium quisquam eorum qui foris sunt, visu vel auditu percipiat, quod intus geritur, quoniam scriptum est : *Qui male agit, odit lucem* (*Joan.* III). Locantur luminaria copiose in parietibus cunctis; statur per ordinem in circuitu cum reverentia magna, quoniam sancta res agitur, quæ tamen magis complaceat diabolo quam Deo. Statuitur in medio infelix ille qui baptizandus sive catharizandus est, et assistit ei archicatharus, tenens in manu libellum deputatum ad officium hoc. Quem imponens vertici ejus dicit benedictiones, quæ potius maledictiones vocandæ sunt, orantibus cæteris qui circumstant, et faciunt filium gehennæ, non regni Dei, sicque perficitur ille baptismus. Dicitur autem hic baptismus fieri in igne, propter ignem luminum, quæ in circuitu ardent. Non sic impii, non sic debetis sequi verba sancti Evangelii, in quibus dicitur : *Ille vos baptizabit in spiritu et igne* (*Matth.* III). Melius ipsa verba attendite : *Baptizabit*, inquit, *in igne;* non juxta ignem, ut vos facitis. Auscultate ad me, et docebo vos, quomodo rectius eadem verba impleatis. Loquar stultis juxta stultitiam suam, ut non sibi videantur sapientes.

III. Struite ignem copiosum in medio synagogæ vestræ, et tollite illum vestrum novitium, quem vultis catharizare, et in medio ignis eum locate, et tu archicathare, pone super verticem ejus manum tuam, ut soles, et sic benedicito illum. Et tunc si non adusseris tu ungulas tuas, et ille si illæsus evaserit, fatebor certe, quia bene baptizatus est Catharus tuus; si vero non evadit, nonne mox ita calens ad cœlum vadit? Nonne sic nuper baptizavit Colonia archicatharum vestrum Arnoldum, et complices ejus, et similiter Bunna Theodericum et socios ejus, et continuo, ut dicitis, avolaverunt in cœlum? Imo ut verius dicatur, descenderunt in profundum inferni, ab igne temporali, ad ardorem ignis æterni, et merito quidem. Ut enim exinanirent baptismum aquæ, constitutum ab ipso Domino Salvatore, baptizandum esse in igne docuerunt. Ideoque justissimo Dei judicio factum est, ut sic in igne baptizarentur, ut ab eo irrevocabiliter devorarentur. O stultissimi hominum, unde vobis ista præsumptio, qua erigimini adversus omne quod evangelicum est et catholicum? Vere singularis ille ferus pastum sibi gratissimum in vobis labet, qui tantam singularitatem in cunctis partibus Catholicæ fidei habere quæritis, ut singularem quamdam in vobis sanctitatem venerentur miseri illi, quos seducitis. Differo usque in alium locum exponere, qualiter intelligendum sit illud, quod de Salvatore dictum est, quoniam *baptizabit in spiritu et igne.* De aquæ baptismo, cui contradicitis, nunc loquor ad vos.

IV. Dicite mihi, qua audacia contradicitis ei, cum ipse Dominus eum instituerit, et servandum esse docuerit? Ipse etenim, sicut sancti quatuor evangelistæ singuli in Scripturis suis testantur, venit ad Jordanem, ubi erat Joannes baptizans, ibique ab eo baptizatus est; non quia ipse baptismi sanctificatione indigeret, qui ab omni peccato erat immunis, sed ut nobis ad abluenda peccata aquas sanctificaret, et in se ipso nobis exemplum præberet suscipiendi baptismum aquæ, quem constituere volebat Ecclesiæ suæ in remissionem peccatorum. Ibi et Spiritus sanctus in specie columbæ se manifestavit super eum, sicut de ipso testimonium perhibuit Joannes dicens : *Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et manentem super eum* (*Joan.* I). Quod nostræ quoque eruditionis et consolationis causa factum est; ut videlicet tanto certius credere possemus ad omnes eos pervenire gratiam Spiritus sancti, qui Christi baptismum suscipiunt, ut illius capitis quod Christus est, membra efficiantur. Baptismum nostrum,

Digitized by Google

Christi baptismum vocamus, quia ipse principaliter in eo, ut supra diximus, baptizat, dans remissionem peccatorum per Spiritum sanctum. Et quia, ut dictum est, exemplo suo eum nobis initiavit, et quoniam in verbis sanctæ doctrinæ suæ observari eum constituit, determinans in qua materia, et secundum quam formam fieri deberet. In qua materia baptizandum esset determinavit, quando in aqua hominem regenerari debere monstravit dicens : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest videre regnum Dei* (*Joan.* III). Propter duas substantias quæ sunt in omni homine, videlicet corpus et animam, dixit duo pertinere ad baptismum nostrum, videlicet aquam et Spiritum sanctum ; et nos indubitanter credimus ex verbis ipsius, quod ea hora qua visibile corpus nostrum lavatur in aqua visibilis, tunc et invisibilis substantia nostra, quæ est anima, lavatur invisibili lavacro, videlicet in Spiritu sancto, et emundatur ab omni delicto. In quali etiam forma verborum baptizari nos vellet, determinavit, cum dixit ad discipulos suos : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVII).

V. Hæc ergo verba sunt Dominica, ex quibus Ecclesia Dei testimonium habet ejus baptismi, qui pervenit usque in nos. Habet et testimonium ab eo signo, quod accidit in passione Salvatoris quando ex latere ipsius jam mortui simul profluxerunt sanguis et aqua. Ita enim scribit Joannes Dominicæ passionis testis fidelissimus de crucifixoribus ejus dicens : *Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui cum eo crucifixus est. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit et continuo exivit sanguis et aqua* (*Joan.* XIX). Quod si non ad magnam pertineret admirationem, si non magnæ rei esset sacramentum, non ita diligenter hoc affirmasset evangelista, cum subjunxit dicens : *Et qui vidit testimonium perhibuit et verum est testimonium ejus, et scit ille, quia dicit vera, ut et vos credatis* (*ibid.*). Prudenter itaque hic animadvertendum est, videlicet et quod ante exitum mortis in cruce Dominus purum sanguinem sine aqua de vulneribus suis emisit, et quod post emissionem spiritus, mistum aqua cruorem de latere suo produxit. In quibus rebus aptam et rationabilem nobis significationem dedit, videlicet quod sanguine suo redimeret, non solum illos, qui ante mortem ipsius per multa sæcula gratiam redemptionis ejus fideliter exspectaverant, et sine aqua baptismi, qui nondum fuerat constitutus, ab hac vita decesserant ; sed eos quoque, quos per aquam baptismi volebat regenerari, et usque in finem sæculi mortem ejus erant devote adoraturi. Illa ergo sanguinis et aquæ mistura de latere Christi producta nobis erat et pretium redemptionis, et sacra significatio nostræ regenerationis, qua per aquam et fidem Dominici sanguinis renascimur. Neque enim aqua sine fide A passionis, neque fides sine aqua ad regenerationem sufficiens est.

VI. Dupliciter itaque illud beatum Christi latus Ecclesiam Dei ædificavit, et pretium redemptionis effundendo, et formam regenerationis nobis ostendendo. Propter quod Apostolus ad Romanos scribens dixit : *Quoniam vetus Adam erat forma futuri Adæ* (*Rom.* V), id est Christi. Nam sicut ex illius dormientis latere fabricata est Eva, ita ex latere istius in morte sopiti, ædificata est sponsa ejus Ecclesia. Quod si non in hac re ; dic nobis, o Cathare, in qua re ille antiquus Adam exstiterit forma futuri ? Velim super hoc audire occultam sapientiam tuam. Puto quod ad solitum finem deveniet responsio tua, ut dicas, nescio. Si nescis, sede, sile, age opus consuetudinis B tuæ ; fac discurrere panuliam cum trama per medium staminis, et sine illos tractare de mysteriis Dei, quibus divina ordinatio doctrinam Scripturarum sanctarum commisit.

VII. Sicut prædictum est, ad baptismum aquæ Dominus Jesus Christus et vivus et mortuus nos invitavit. Quod ergo aliud baptisma requiris, o infidelis Cathare ? Si uno Deo potes esse contentus, unum quoque tibi baptisma sufficiat, cum scriptum sit : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV). Tale tibi baptisma sufficiat, quale sancti apostoli administraverunt his qui baptizati sunt ab eis. Si ignoras quali baptismate baptizaverint, lege scripturam Lucæ evangelistæ, quæ intitulatur Actus C apostolorum, cui non minus creditur quam Evangelio quod scriptum est ab eo. Lege, inquam, in eo loco, ubi de conversione Cornelii et amicorum ejus scribit hoc modo : *Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, et obstupuerunt qui erant ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus sancti diffusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis et magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus : Num quis prohibere potest quo minus aqua baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos ? Et jussit eos in nomine Jesu Christi baptizari* (*Act.* X). Audi, insensate, quoniam Princeps apostolorum non ignem, sed aquam ad baptizandum homines illos fecit exhiberi. Item refert eadem Scriptura de Philippo, qui erat unus ex discipulis Christi, D quoniam cum evangelizaret Jesum eunucho Candacis reginæ Æthiopum, sedens cum illo in curru, sicut ordinaverat angelus Domini, venerunt ad quamdam aquam, et ait eunuchus : *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari ? Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens dixit : Credo Dei Filium esse Jesum. Et jussit stare currum, et descenderunt uterque in aquam Philippus et eunuchus, et baptizavit eum. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum eunuchus* (*Act.* VIII). De hoc quoque quid tibi videtur ? Puto et Philippus erravit, quando in aqua hominem baptizavit. Certe, si tuam habuisset

Digitized by Google

sapientiam, cum ab eo petebat eunuchus ut in aqua eum baptizaret, respondisse debuerat ei ; non, non : imo differendum est nobis usque dum ad diversorium veniamus, et introibimus in obscuram cameram, accendemus luminaria multa, et ibi te baptizabo in medio ignis, O fili erroris ! utinam non pejus errares quam Philippus ! Utinam non te pejor angelus duceret, quam erat ille angelus, qui Philippum ad hoc opus duxerit !

VIII. Quid ergo, inquis, est, quod Joannes Baptista dicebat, baptizandos nos esse in Spiritu et igne? Ego de hoc in sequenti capitulo, loqui dispono, ita ut sit tibi in scandalum, et appareat magis esse contra te, quam pro te. Qualitercunque autem hoc intelligendum sit, certum est et manifestum ex his quæ jam dicta sunt, quoniam unum et unicum baptisma constitutum est a Deo, ad emundationem et sanctificationem totius Ecclesiæ, videlicet baptisma aquæ cum invocatione sanctæ Trinitatis. Quod brevi sermone Apostolus comprehendit, ubi ad Ephesios scribens, ait : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Deus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ* (*Ephes.* v). Da gloriam Deo tandem, o Cathare, et in hac quoque parte victum te esse confitere. Et nunc transeamus hinc ad aliud certamen.

SERMO IX

Contra sextam hæresim de animabus mortuorum.

I. De cura, quæ pro mortuis agitur in Ecclesia, dicitis quoniam vana et superflua est ; asserentes quod animæ defunctorum singulæ in ipsa hora emigrationis suæ de hac vita pro meritis suis, vel in æterna beatitudine collocentur, vel æternis supplicii tradantur, atque hac ratione probatis, nec malis prodesse, nec bonis necessarium esse ut pro eis orationes fiant, aut missæ celebrentur, aut eleemosynæ dentur. Non enim in fide vestra hoc admittere vultis, quod præter illum æternum ignem, qui præparatus est diabolo, et his qui eum ipso in perpetuum damnandi sunt, aliquæ purgatoriæ pœnæ sint, in quibus animæ fidelium, quæ in hac vita a peccatis suis per condignam satisfactionem ad plenum purgatæ non sunt, ad tempus examinentur, atque ex eisdem per illa remedia, quæ nunc descripsimus, liberentur et ad requiem transferantur. Et nunc quoque disseramus, secundum Scripturas veritatis, quia magnam earum notitiam vos habere gloriamini.

II. Primum autem dicite mihi : An creditis quia Dominus Jesus Christus in passione crucis emisit spiritum, et secundum corpus quidem sepultus est, secundum animam vero descendit ad inferna, et spoliavit principes tenebrarum ab animabus electorum, qui vel ante legem, vel sub lege Moysi, quæ salvare neminem poterat, ab hac vita migraverant, et promissam a prioribus sæculis redemptionis suæ gratiam, quæ per Christum facta est, fideliter exspectaverant? Si vero hoc credendum est, quod animæ illæ, a pœnis illis in quibus detentæ erant, per Christum liberatæ sunt ; certum est quoniam mendacii prædicatores estis, qui dicitis nullas esse pœnas animarum præter æterna supplicia damnandorum et neminem posse liberari a pœnis, qui non statim post mortem in æterna fuerit beatitudine assumptus. At si non creditis Christum ad inferos descendisse post passionem suam, neque illud Athanasii symbolum recipitis, in quo hoc continetur, pariterque illud catholicum symbolum, quod publice in servitio Dei decantatur rejicitis, in quo similiter hoc confitetur Ecclesia, Scripturarum testimonia super hoc inducenda vobis sunt tam de Veteri, quam de Novo Testamento.

III. David in psalmo vocem depromit angelorum præeuntium ad inferos Christum, et imperantium principibus tartari hoc modo : *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ* (*Psal.* xxiii). Et rursum idem David victoriæ Christi congratulans, qua ereptas ab inferno secum animas eduxit ad cœlos, alibi dicit ad eum : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem* (*Psal.* lxvii). Item per Osee prophetam ipsa Filii Dei persona ait : *O mors! ero mors tua : morsus tuus ero, infernel* (*Ose.* xiii.) Morsus iste inferni tunc impletus est, quando Salvator ad infernos descendens, electos suos sua invincibili potestate et justitia inde abscidit, reprobos autem illic reliquit ; sicut qui rem aliquam mordet, partem ejus in ore comprehendit, partem foris relinquit. Et apostolus Paulus scribens ad Colossenses ait : *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter triumphans in semetipso* (*Colos.* ii). Sufficiant nunc ista ad assertionem fidei nostræ in hac parte.

IV. Ad eam, ni fallor, responsionem nunc confugietis, ut dicatis : Concedimus quidem quod ante Redemptoris adventum animæ ad vitam præordinatæ in locis pœnalibus a venturis gaudiis differebantur ; sed postquam per Christum vitæ patefactus est aditus, hoc communiter omnibus salvandis collatum est, ut peracto vitæ hujus cursu nullatenus ultra ab introitu regni differrentur post mortem. Sicut manifestatum est ex eo, quod latroni in cruce pœnitenti a Salvatore olim dictum est : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* xxiii). Hoc enim communiter de omni peccatore sentiendum esse censetis. Quod si in Christo ipso vitæ suæ termino pœnituerit ex corde, quantumlibet flagitiosus per totam vitam suam exstiterit, ita perfecte ei cuncta peccata remittuntur, ut continuo ab hac vita sine omni examinatione transmigret ad cœlestia regna. Ad confirmandum vero hunc errorem quarumdam Scripturarum testimonia inducitis, quæ adversari nobis videntur, ex quibus est illud Ezechielis : *Justitia justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit : et impietas impii non nocebit ei, quacunque die conversus fuerit ab impietate sua* (*Ezech.* xxxiii). Et rursum quod sequitur ibidem, simile est huic : *Si dixero impio, morte morieris ; et conversus egerit pœnitentiam a peccato suo, fecerilque judicium et justitiam, pignus debitoris restituerit, rapinamque reddiderit, et in man-*

Digitized by Google

dutis ritæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum, vita vivet, et non morietur : omnia peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur ei (*ibid.*). Illis ergo captos nos retiaculis Scripturæ judicatis, et dicitis nobis insultantes : Ecce Scriptura nobiscum est, quæ affirmat, quoniam peccatori converso ab impietate sua, non nocebit impietas sua. Iterumque id ipsum inculcat dicens : *Quoniam omnia peccata quæ fecit non imputabuntur ei.* Falsum itaque est quod post pœnitentiam et contritionem cordis, in qua peccatori remissa sunt peccata sua, de cætero aliquibus pœnis tradatur cruciandus et purgandus post mortem. Nam si hoc futurum est ei post conversionem suam, profecto nocebit adhuc ei impietas sua, et imputabuntur ei peccata sua. Talis est, o Piphles, objectio vestra contra nos. Audite nunc quid respondeamus ad hoc, antequam de aliis objectionibus vestris aliquid dicamus.

V. Verba sanctæ Scripturæ cum magna discretione animadvertenda sunt : aliòqui in multis locis perturbare nimium possunt lectorem, suntque ei vasa mortis, quoniam sæpe in uno eodemque dicto diversæ significationes intelligi possunt, quarum una ad veritatem, alia pertineat ad falsitatem. Itaque et illa verba prophetæ de quibus nunc tractamus, ne in errorem nos mittant, quemadmodum et vos, cum tali determinatione accipimus, ut dicamus, quoniam impio quacunque die conversus fuerit, de cætero non nocebit impietas sua, tali videlicet nocumento, ut pro eo æternaliter condemnetur, neque imputabuntur peccata ad perditionem ipsius. Quamvis enim peccator post conversionem suam aliquid molestiæ patiatur in anima a purgatorio igne pro peccatis suis, de quibus non sufficienter correctionem in hac vita sustinuit : illa tamen molestia, quia temporalis et transitoria est, quasi nullum nocumentum reputanda est comparatione illius æternæ pœnæ, quam in inferno pati debuisset, si conversus ab impietate sua ante mortem non fuisset. Ostendam autem vobis similem Scripturam, quæ simili indiget determinatione.

VI. Beatus Petrus in Epistola sua, quibusdam noviter ad fidem Christi controversis dicebat : *Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* (*I Petr.* III, 13.) Hæc autem interrogatio idem significabat, ac si ita affirmando dixisset : Nemo est qui vobis nocere possit, si boni, id est bonitatis æmulatores fueritis. Dominus autem Jesus Christus in Evangelio discipulis suis, simulque cæteris boni æmulatoribus hæc annuntiat, dicens : *Tradent vos in tribulatione, et occident vos, et eritis odio omnibus propter nomen meum* (*Matth.* XXIV). Item : *In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem* (*Joan.* XVI). Ecce similiter hic, ut supra, potestis ratiocinari adversus nos, ita ut dicatis : Si boni æmulatores traduntur in tribulationem, occiduntur, odio habentur ab omnibus, et multa hujusmodi propter justitiam patiuntur; certum est multos illis nocere, pro eo quod boni æmulatores sunt. Non ergo verum dicit Petrus, qui nullum illis nociturum esse promisit, si boni æmulatores existant. Puto autem quod non tam insani capitis sitis, ut in manifesto dicere audeatis, aut Petrum aut Christum fuisse mentitum, aut contraria sibi invicem eos dixisse. Scitote quoniam verba Petri, quæ induximus, ita intelligimus, ut non promiserit servis Dei, qui bona æmulantur, quoniam nihil omnino molestiæ pati deberent in via justitiæ. Nam et ipse continuo post illa verba subjecit : *Sed, etsi quid patimini propter justitiam, beati* (*I Petr.* III). Hic autem in verbis illis significare voluit, quoniam nemo eis ita nociturus esset, ut ab æterna beatitudine eos abstrahere posset. Certus quippe erat quoniam neque mors, neque vita, neque gladius, neque fames, neque ulla adversitas, nulla denique creatura veros æmulatores boni separare posset a charitate Christi (*Rom.* VIII). Neque enim temporales incommoditates nocumentum esse, sed potius juvamentum ad adipiscendum beatitudinem electis Dei esse arbitratus est. Sicut enim auro non nocet is, qui illud in igne examinat, sed potius juvat, ut magis resplendeat : ita fidelium persecutores dum eos tribulant, non eis nocent ut putant, sed potius eis cooperantur ut in beatitudine æterna resplendeant. Juxta hæc ergo quæ nunc dicta sunt, considerate et illud, quoniam impio ab impietate converso non nocebit impietas sua, et non faciet vos deviare sermo ille a via veritatis.

VII. Aliud quoque ex Ecclesiaste contra nos inducitis, quod tale est : *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit* (*Eccle.* XI). Quod similiter in partem erroris vestri inclinatis, dicentes ita intelligi debere : Anima de corpore migrans, si declinaverit ad quietem, ibi perpetuo erit; si ad pœnam, ibi quoque perpetuo erit. Dico autem, quia si nihil aliud quam hoc quod dicitis, significare voluit Ecclesiastes in verbis illis, superflue interpositum est, in quocunque loco ceciderit. Nam ad significandam sententiam vestram sufficisset ei dixisse : *Si ceciderit lignum ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit.* Nunc autem attendite sermonem meum, et apparebit quam vim habeat, quod additum est : *In quocunque loco ceciderit.* Considerate præcedentem litteram, et invenietis quod ad dandam eleemosynam hortatur auditorem suum, dicens : *Mitte panem tuum super aqua, quia post multa tempora invenies illum* (*ibid.*). Et iterum : *Da partes septem, nec non et octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram* (*ibid.*). Et in sequentibus ad perseverantiam boni operis hortatur dicens : *Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua* (*ibid.*). Quibus congrue illud interponit, dicens : *Si ceciderit lignum ad austrum, sive ad aquilonem, quocunque loco ceciderit, ibi erit* (*ibid.*); ac si dicat : Diligenter insiste dum vivis augere merita tua eleemosynis et bonis operibus; quia post mortem, sive devenerit homo in eum statum qui pertinet ad eos, qui

Digitized by Google

salvandi sunt, quod est cadere ad austrum; sive devenerit ad eum statum, qui pertinet ad damnandos, quod est cadere ad aquilonem : *In quocunque loco ceciderit*, id est in quocunque gradu meritorum tunc fuerit quando cadet, sive sint bona, sive mala; *ibi erit*, id est inde neque ascendet promerendo meliora, neque descendet promerendo pejora. Extunc enim neque bono, neque reprobo locus dabitur promerendi bona vel mala; sed de cætero tempus erit suscipiendi retributiones bonas, vel malas.

VIII. Dupliciter autem cadit lignum ad austrum, sive quando statim post mortem vir justus in beatitudine collocatur, quod tantum est perfectissimorum, qui cum Deo mundum judicabunt, sive quando in eam viam incidit per quam transire habent quidam salvandorum, quibus per purgatorias pœnas eundum est ad refrigerium, videlicet hi qui judicandi erunt ad vitam. Similiter ad aquilonem dupliciter cadunt mali, cum vel statim post mortem ad summa supplicia rapiuntur; ut hi de qualibus dicitur, quod judicati sunt, videlicet infideles, et summe mali, vel illis pœnis (3*) traduntur in quibus usque ad novissimum judicium reservandi sunt; ut illi reprobi, qui judicandi sunt ad mortem. Est autem frequens hic modus loquendi in Scriptura sacra, ut auster vocetur cœlestis beatitudo propter divinam claritatem, quæ est in ipsa; aquilo autem mansio reproborum tenebrosa et operta mortis caligine.

IX. Aliud quoque capitulum simile ei quod nunc tractatum est, quasi ex persona Domini dictum nobis objicitis, quod hujusmodi est : *Ubi te invenero, ibi te judicabo* (*Ezech.* xxxiii). Quod et ita dictum arbitramini, ac si diceret : In fine tuo cum a te repetam animam tuam, in quali vita te invenero, in tali te statim judicabo, vel ad perpetuam requiem, vel ad æternam damnationem. Nos vero aliter ista discernimus. Breviter comprehensum est in his verbis quod diffusius per Ezechielem loquitur dicens : *Cum averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem; in injustitia sua quam operatus est, morietur : et cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam : ipse animam suam vivificabit, vita vivet, et non morietur* (*ibid.*), subauditur, morte æterna. Totius hujus capituli brevis sententia est illud : *Ubi te invenero, ibi te judicabo*, sive qualem te invenero (quod idem est) (4), talem te judicabo. Hoc est dicere : Si invenero te aversum ab injustitia et conversum ad justitiam, non est desperandum tibi propter retroacta mala, quia ibi, id est in eo statu conversionis tuæ te judicabo, id est discernam ad eis qui damnandi sunt. Si vero invenero te aversum a justitia, non est confidendum tibi in retroacta justitia, quia ibi, id est in eo statu te judicabo, id est discernam ab eis qui salvandi sunt. Discernit autem

(3*) Hæc commode intelligas de pœnis ac miseriis hujus vitæ, in quas ex divina justitia incidunt plures impii mox æternis supplicis addicendi; nec ab iis pœnis emergunt, sed quasi quodam præludio gehennæ utuntur, ad diem usque mortis, sive novissimi judicii. Confer et infra num. 15.

(4) Hæc videntur redundare.

A Deus bonos a malis, eum vel statim post mortem ad beatitudinem eos inducit, vel in ea purgatione eos locat, in qua ad futuram gloriam eos aptificat.

X. Est autem ex abundanti quod vobis respondemus ad ea testimonia, quæ ex Veteri Scriptura inducitis, ad confirmandum errorem vestrum, quem de animabus mortuorum habetis. Nam si fatemini, quod necessario fateri debetis, videlicet quod animæ antiquorum, qui ante tempus gratiæ exstiterunt usque ad tempus redemptionis, ab introitu regni cœlestis dilatæ sunt, contrarii estis vobismetipsis, qui antiquorum Patrum scripta hoc attestari æstimatis, quod quælibet anima, cum a corpore migrat, statim vel ad æternam beatitudinem transeat, vel ad æternam damnationem. Nam ea testimonia, quæ B ab illis assumitis, non solum pertinent ad homines temporum istorum, sed ad homines antiquæ legis, sub qua adhuc clausus erat introitus regni cœlorum.

XI. Non autem me latet quod ex Novo quoque Testamento errorem vestrum confirmatis, objicientes nobis evangelicum illum sermonem, quem locutus est Salvator dicens : *Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transibit a morte in vitam* (*Joan.* v). In his verbis dicitis promittere salvationem omni credenti in Deum, quod mox post mortem corporis transibit quisque ad vitam æternam, ita ut non aliud judicium veniat post mortem, quam quod in ipsa morte experitur, C atque indubitanter hoc Dominum significasse vultis hoc sermone, quod nullæ sint pœnæ in quibus animæ fidelium post mortem judicium Dei sustineant. Animalibus immundis quæ non ruminant quidem et ungulam non findunt, comparari jure debetis, qui in ore quidem versatis doctrinam Dei, et nullam rectæ intelligentiæ in ea discretionem habetis : ideoque verba vitæ non sunt vobis ad vitam, sed ad mortem. Cæci fuerunt doctores vestri, et cæcorum duces facti sunt, et in foveam mendacii et perditionis secum cadere vos fecerunt. Audite ergo, rebelles et incredduli, quomodo rectius animadvertere possitis verba Domini, quæ pervertere nitimini, quia nisi aliter exponantur, quam vos ea intelligatis contraria sunt aliis sacræ Scripturæ verbis, quæ D in suo loco inducemus.

XII. *Amen dico vobis*, inquit, *quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me*, videlicet Deo Patri; siquidem audire verbum Dei et non credere, inutile est : *Hic*, inquam, *habet vitam æternam*. Habent sancti qui cum Deo regnant vitam æternam, ita quod ejus beatitudine jam perfruuntur. Habent et fideles in hoc mundo positi vitam æternam, non ut rem, qua jam secundum desiderium suum perfruantur; sed ut rem, quæ illis certissime præparata et conservata est a Deo, et danda in tempore suo; *et in judicium*

Digitized by Google

non veniet, sed transiet a morte ad vitam. Nomen judicii tales significationes in Scriptura sancta habere dignoscitur. Significat enim flagellationem, qua homines flagellantur a Domino : significat ultimam discriminationem bonorum et malorum, quæ fit in novissimo die ; significat etiam damnationem, quæ specialiter ad reprobos pertinet. Quia autem afflictionem significet ex eo intelligi potest, quod Apostolus ait : *Dum judicamur autem, a Domino corripimur*, id est dum flagellamur, *a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur* (*I Cor.* xi). Quæ autem sint ista flagella determinat ubi ait : *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi* (*ibid.*). Quod si secundum hanc significationem dicitis accipiendum judicii nomen, cum dicitur, quod *qui credit non veniet in judicium*, non potest stare sermo ; quia et credentes flagellantur sæpe a Domino, sicut non credentes : *Flagellat enim Deus omnem filium quem recipit* (*Hebr.* xii). Ac si dicitis, ita debere accipi, quod credentes non sint venturi post mortem ad aliam castigationem, præter eam, quam in ista vita patiuntur; injuriam facitis litteræ, quæ hoc non dicit, sed simpliciter dicit, quod *qui credit, in judicium non veniet.* Ultimam vero discriminationem bonorum et malorum significat nomen judicii, ubi Salvator de se ipso dicit : *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est* (*Joan.* v). Secundum hanc quoque significationem non potest accipi hoc loco, quia tam boni quam mali, ad judicium venient, secundum illud : *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Dei, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit in corpore, sive bonum sive malum* (*II Cor.* v). Significat autem damnationem judicii nomen, ut statim in sequentibus cum dicitur : *Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* v). Et in Apostolo ubi ait : *Qui manducat corpus Domini indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini* (*I Cor.* xi). Hoc autem modo indubitanter accipi debet judicium in præsenti sermone, ubi a Domino dicitur : *Qui audit verbum meum, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non veniet* (*Joan.* v), id est, in damnationem. Sequitur : *Sed transiet a morte in vitam* (*ibid.*), ab ea videlicet morte, quæ ei damnationis causa exstiterat, et per quam ad perditionem transiisset, si in ipsa permansisset. Quænam fuit mors illa? sine dubio mors animæ, quam in ea effecerat infidelitas. In quali morte exstiterant illi, de quibus Petrus in Epistola ait : *Propter quod mortuis evangelizatum est* (*I Petr.* iv). Similiter et illi quibus Paulus scripsit dicens : *Consepulti estis cum Christo in baptismo, in quo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos cum essetis mortui in delictis convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta* (*Rom.* vi).

XIII. Palam ergo est, quoniam per fidem transitur ad vitam, ut non ad judicium, id est, damnationem veniatur. Id autem duobus modis fit : uno enim modo quisque ad vitam animæ per fidem a morte transit, quando qui infidelis fuerat, per fidem justificatur in anima. Ad hoc enim pertinet sermo quo dicitur : *Justus autem ex fide vivit* (*Rom.* i). Hanc vero vitam in tempore hujus mortalitatis electi Dei adipiscuntur. Alio autem modo per fidem ad vitam electis transeundum est, quando propter meritum fidei et earum virtutum, quæ ex fide originem habent, vita æterna eis pariter in corpore et in anima tribuenda est : quod erit in die novissimæ resurrectionis, cum ab omni potestate mortis liberabuntur, et ad beatam immortalitatem transferentur. Hos autem duos modos transeundi a morte ad vitam in electis suis futuros Dominus demonstravit, continuo post verba de quibus nunc tractatum est. Primum enim modum transeundi ad vitam pronuntiavit cum dixit : *Amen dico vobis, quia veniet hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* (*Joan.* v). Secundum vero modum transeundi ad vitam, pronuntiavit, cum postea subdidit dicens : *Nolite mirari hoc, quia omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*ibid.*). Jam, si quid incorruptæ intelligentiæ est vobis, satis directe me ad veritatem vos duxisse percipitis. Quia si sine intellectu estis, frustra asinis canit lyra.

XIV. Unam adhuc objectionem vestram in medium adducam, qua nobis obviare soletis. Scriptum est : *Quoniam unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (*Apoc.* ii). Item : *Unusquisque onus suum portabit* (*Gal.* v). Item : *Unumquemque secundum vias suas judicabo, dicit Dominus* (*Ezech.* xviii) : hoc est, unicuique retribuam secundum opera sua bona vel mala. Ex his ergo sumitis occasionem, ut dicatis non posse fieri, quod per bona opera vivorum adjuventur animæ defunctorum, ut a pœnis suis liberentur, et ad requiem transferantur. Dicitis enim quod si Deus illis miseretur propter bona opera quæ alii pro aliis fecerunt, tunc eis non retribuitur secundum opera sua, sed secundum opera aliorum, et non ipsi onus suum portant, id est pœnam quam ipsi meruerunt peccatis suis, si pro laboribus aliorum ab oneribus suis liberantur. Ad hæc ita respondemus.

XV. Si fideles pro defunctis suis orant, jejunant, eleemosynas largiuntur, missas celebrant, aut celebrari faciunt, bona opera operantur, et ipsimet in tempore suo mercedem pro istis recipient secundum suum laborem. Illi vero pro quibus ista faciunt, si in criminalibus peccatis in vita sua fuerunt, et de ipsis nec pœnituerunt, nec confessionem suam facere curaverunt, nihil illis bona opera hæc prodesse poterunt ad salutem. Si vero in peccata aliqua lapsi fuerunt in vita sua, et de his ante finem pœnituerunt, et in fide catholica de hoc sæculo migraverunt, et morte præventi, non potuerunt omnem satisfactionem implere, quam pro peccatis suis debebant; dicimus quia *onus suum portabunt*; id est pœnam pro peccatis suis sustinebunt quandiu permiserit

Digitized by Google

Deus. Pro pœnitentia autem sua, quam in fine habuerunt, et pro fide catholica in qua usque ad mortem permanserunt, ac pro cæteris bonis, quæ in hac vita fecerunt, hanc mercedem recipient, ut eis detur vita æterna in novissimo die, et in anima et in corpore. Plurimi vero istorum etiam hoc in mercede recipient, ut ante novissimum diem liberentur a pœnis suis per bona opera viventium fidelium, quæ supra memorata sunt : alii quidem citius, alii autem tardius, secundum quod merita eorum majora vel minora fuerunt in hoc mundo. De his itaque vere dicere possumus utrumque, et quod *onus suum portabunt*, quia sustinent pœnam pro peccatis suis secundum tempus quod constituit illis Deus : et quod ipsis retribuitur secundum bona opera ipsorum, quibus meruerunt, ut possit eis subveniri ab Ecclesia Dei. Possibile quidem esset Deo sine alicujus interventu quorumlibet hominum animas liberare a pœnis suis. Vult autem hoc ordine eas liberari, ut a vivis ei serviatur pro eis, quatenus in hoc ipso magis commoneantur vivi Deum revereri, et offensam ejus cavere, pariterque augeantur et merita eorum per opera pietatis, quæ faciunt pro dilectione proximorum. In nullo ergo nobis contrariæ sunt Scripturæ quæ supra memoratæ sunt, sed potius nobiscum sunt. Si verba divina vobis, o insulsi sapientes, cum diligenti consideratione decoxissent hi qui ea tam cruda in ore vestro posuerunt, magis salubriter vos pavissent, et non tanta ventositate superbiæ corda vestra inaniter distendissent.

XVI. Equidem objectionibus vestris quibus maxime fidebatis, satis, ut æstimo, responsum est, et complosæ sunt quasi vesicæ turgentes, et nihil inventum est veritatis in eis. Nunc autem inquiramus Scripturas quæ nobiscum sunt pro parte veritatis, ad cujus defensionem accincti sumus. Et, ut a Paulo incipiamus, intuemur primum verba quæ ad Corinthios scripsit, dicens : *Si quis autem ædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit : dies enim Domini declarabit, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (*I Cor.* III). Non propter nostros quidem, quibus sanctorum nota sunt scripta Patrum, sed vestri erroris occasione, necesse est nunc me sermonis hujus sensum aperire. Fundamentum spiritualis ædificii quod intus in anima construimus, fides Christi est; quam qui vere habet, Christum in mente gerit, qui est initium et consummatio omnis boni in electis suis ideoque et ipse fundamentum vocatur. Fundamentum nostrum dicitur fides, quia a fide bonam vitam inchoamus. Nam, si non sit in nobis recta fides, nihil in nobis potest Deo placitum esse, quidquid faciamus sive bonum sive malum. Ex quo autem in nobis esse cœperit fides, placere incipimus Deo, jamque secure possumus operari bona opera, quia de cætero mercedem suam accipient. Lapides pretiosos super fundamentum ædificamus, quando hoc fidei rectæ adjicimus ut bonis moribus simus ornati, videlicet humanitate, patientia, temperantia, justitia, misericordia, et cæteris hujusmodi moribus, quos virtutes animi vocamus. Quotiescunque etiam opera facimus, quæ ex hujusmodi virtutibus procedunt, lapides pretiosos fundamento superædificamus. Lapidibus autem pretiosis talia digne comparantur, quia, sicut lapides pretiosi aurum et alias res, quæ in se pulchræ sunt, ornare solent, ita virtutes et bona opera decorem magnum præstant animæ rationali, quæ secundum Deum formata est, et est pretiosior omni auro. Decor autem iste non potest in anima dissolvi, etiam si in ignem purgatorium pro aliquibus levioribus culpis fuerit missa : sicut et lapides pretiosi liquefieri non possunt, si in ignem mittantur. Argentum quoque fundamento superædificant, quibus hoc studium est ut divinas Scripturas intelligant, et sermonibus sapientiæ alios instruant. Argento autem quod habet dulcem et acutam sonoritatem comparari solet Scriptura sacra, ut ibi : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* XII). Quid enim dulcius sonat quam sacra Scriptura, in qua vitæ æternæ gaudia promittuntur ? Quid acutius divino sermone, qui est penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingente usque ad divisionem animæ et spiritus ? Item et aurum in ædificio suo collocat, qui tam perfectæ contemplationi cor suum tradit, ut possit jugiter de Deo meditari, et trahere de occultis sapientiam, qua gustatur suavitas ejus, ipsumque sine intermissione orare, ipsum incessabili charitatis ardore circuire. Talis contemplatio recte auro comparatur, quia cunctis virtutibus excellentior est, sicut cæteris metallis pretiosius est aurum ; estque effectrix operum summæ perfectionis, quæ et ipsa quasi aurum sunt in ædificio animæ comparata cæteris operibus bonis. Facit enim abstinere propter Deum etiam ab his quorum usus licitus est : facit contemnere mundum et omnem gloriam ejus, castitatem immaculatam custodire, animam pro Deo et fratribus ponere, ac cætera hujusmodi.

XVII. Ligna vero, fenum et stipulam super fundamentum suum coacervant, qui cum rectam fidem habeant, nimis occupant corda sua curis et cogitationibus, quæ pertinent in hunc mundum, quique majorem quam oportet amorem habent ad ea, quæ prohibita ipsis non sunt, velut uxores, filios et filias, sæculares amicos, domos et possessiones, et dignitates, et hujusmodi. Hi, inquam, in anima sua ædificare dicuntur super fundamentum ligna, fenum et stipulam, quia talibus rebus mentem occupant, quæ cremabiles sunt, sicut ligna, fenum et stipula. Nam hæc, quæ dicta sunt, obscuram et gravem faciunt animam, ne possit libere cogitare ea quæ Dei sunt, ipsumque amare sicut oportet. Sed omnis ista obscuritas et gravitas in purgatorio igne exurenda est, ita ut ipsum fundamentum nihil destructionis patiatur, si tamen inter hæc omnia præ cunctis rebus habeatur Deus, ita ut si necesse sit, potius ista

Digitized by Google

relinquantur quam Deus abnegetur. Coacervant etiam in anima sua res cremabiles qui se non custodiunt a levioribus culpis, velut est otiosus sermo, risus et joci, ira, vana lætitia, excessus in cibo et potu qui non est frequens nimis; et hujusmodi quotidiana peccata, quæ capitalia non dicuntur. Hi, inquam, ligna, fenum, stipulam aggregant super fundamentum suum, et hæc quoque excoquenda sunt per ignem. De levioribus dixi peccatis : nam criminalia peccata si admissa fuerint, non potest dici, quod super fundamentum aliquo modo collocentur. Siquidem ipsa destruunt fundamentum et fidem, quia enecant eam, et pro his dicitur mortua fides. At si pro his pœnituerit homo, et non satisfecerit Deo pro his in hac vita, reputabuntur quasi illa quæ comparata sunt ligno, feno et stipulæ, et annihilabuntur per ignem in die Domini, sicut et leviora quæ prædicta sunt.

XVIII. Dies hominis dicitur tempus istud, in quo unicuique homini permittit Deus facere secundum arbitrium suum quod vult, et quo potest promereri bona sive mala, secundum opera sua. Dies autem Domini, tempus illud quod instat unicuique quando separatur a corpore anima ejus, et de cætero non potest incedere secundum arbitrium suum, sed secundum judicium Dei ducitur vel ad requiem vel ad pœnam, ad accipiendam mercedem quam promeruit, fientque manifesta, quæ prius in eo erant occulta, sive bona sive mala. Unde et dicitur : *Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit* (*I Cor.* III). Ignis autem dicitur pœnalitas illa, quam ad hoc Deus ordinavit, ut in ea affligantur, et purgentur electorum animæ a maculis quas in hac vita contraxerunt. Quæ nullum quidem detrimentum inferre poterit ædificationi eorum, qui fundamento superædificaverunt aurum et argentum, et lapides pretiosos, etiamsi per medium illius eis transire contingat. Propter hos ergo ait : *Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet* (*ibid.*); eam videlicet, quam sua superædificatione promeruit. Propter eos autem qui superædificaverunt ligna, fenum, stipulam, dicit : *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur* (*I Cor.* III) : ita videlicet quod nullum pro sua ædificatione præmium habebit, imo amaram afflictionem ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, id est, non aliter nisi per examinationem ignis. Diversis autem nominibus ligni et feni, et stipulæ designavit ea, quæ in quolibet exurenda sunt propter diversitatem ipsorum, secundum quam quædam diutius aliis ignem sustinebunt, velut lignum diutius feno ardet, fenum diutius stipula. Est autem ignis iste idem quod Psalmista iram appellat cum dicit. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (*Psal.* VI), vel *emendes me*, ut habet alia translatio. In furore arguentur, et non emendabuntur, quibus dicetur : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). In ira autem corripientur et emendabuntur, qui per ignem salvi erunt.

Utrumque autem formidans deprecatur dicens : *Domine, ne in furore tuo arguas me*, ac si diceret : Non sim inter eos, quibus dicturus es : *Ite, maledicti, in ignem æternum; neque in ira tua emendes me*, sed in hac vita me ure et seca, et talem me redde, cui emendatorius ignis necessarius non sit.

XIX. Iste ignis est, o Cathari, quem Joannes Baptista significavit, quando de Domino Salvatore prædicabat dicens : *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Matth.* III). Nam in hac vita baptizat in Spiritu sancto, quando in baptismo foris quidem per visibiles ministros baptizat nos in aqua, intus autem animas nostras propria operatione baptizat in Spiritu sancto, donans nobis remissionem omnium peccatorum. In igne autem nos baptizat, quando post hanc vitam in purgatoriis pœnis animas nostras purificat a maculis peccatorum, quas in habitaculo corruptibilis corporis contraxerunt, quia nihil in illa sua purissima civitate recipere vult, quod non sit ab omni sorde defæcatum.

XX. Possumus et ex verbis Domini testimonium sumere ad confirmationem sententiæ, de qua nunc sermo nobis est. Legimus in Evangelio, quoniam ad Pharisæos blasphemantes opera ejus inter cætera dicebat sic : *Qui dixit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro* (*Matth.* XII). Quale sit illud peccatum, quo dicitur peccare quis in Spiritum sanctum, non me determinare hoc loco necesse est, quia ad præsens negotium non pertinet hoc. Id vero præsentis negotii est, ut consideremus hoc, quod aliquod peccatum esse insinuat, quod *non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Si verus est sermo, nulli aliquod peccatum in futuro sæculo contigit remitti. Nam, sicut dicitis, quælibet anima, mox cum de præsenti sæculo migraverit, aut in æterna beatitudine constituitur, quo nemo cum peccati macula accedet, et ubi nemo peccati maculam contrahit : aut æternis pœnis deputatur, ubi nulla remissio, nulla misericordiæ exhibitio est. Ergo superflue a Salvatore talis distinctio facta est, ut diceret peccatum illud, quod est in Spiritum sanctum, non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro. Nam, si nullum in futuro sæculo peccatum remitteretur, non tam specialiter de illo peccato dixisset, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittetur, sed sufficisset simpliciter dixisse, quoniam non remittetur ei. Sicut autem nefas est dicere, aliquam falsitatem in verbis Salvatoris inveniri ; ita procul dubio nefas est dicere, aliquam in eis esse superfluitatem, aut inutilitatem. Scriptum quippe est de eo in Psalmo : *Et folium ejus non defluet, et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur* (*Psal.* I). Defluéret autem folium ejus, si in verbis ejus aliquid superflueret, et non prosperarentur quæcunque fecit, si aliquid sine utilitate dixisset. Ergo necessario concedendum est, quoniam in futuro sæculo aliqua peccatorum remissio sit : quam, quia non possumus dicere exhiberi eis, qui æterna-

Digitized by Google

liter damnati sunt, neque eis qui salvati sunt; necesse est ut dicamus aliquibus remitti peccata in alio sæculo, qui neque sint in æterna damnatione, neque in æterna beatitudine collocati. Nulli autem medii sunt inter æternam beatitudinem, et inter æternam damnationem, nisi illi de quibus dicimus, quod in purgatoriis pœnis sint.

XXI. Videte nunc quali modo eis peccata remitti dicamus. Remittit Deus peccatori homini peccata duobus modis in hac vita : videlicet, duritiam cordis ejus per interiorem gratiam ad conversionem emolliendo, et conversum ad se a debitò gehennalis pœnæ, quæ ei pro peccatis debebatur, absolutum faciendo. Quibus autem in hac vita his modis peccata remittit, si ita transeunt de hac vita, quod de peccatis suis non ad plenum satisfaciunt Deo, permittit eos ad tempus puniri in quibusdam pœnis, quas constituit ad hoc, ut electi sui in his purificentur. Quando autem eis illas pœnas remittit, et eos ad refrigerium educit, tunc eis peccata remittere dicitur, quia et pœnæ peccatorum peccata vocantur, secundum illud Apostoli : *Christus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum* (*I Petr.* II). Non autem aliter peccata nostra ipse portavit, nisi quod pœnas quæ nobis debebantur pro reatibus nostris, ipse sustinuit. Unum adhuc satis evidens testimonium ad confirmationem partis nostræ inducere possumus, ex historia Machabæorum, cujus talis est auctoritas in Ecclesia, ut publice in divino servitio lectitetur. Scriptum est in libro secundo ejusdem historiæ, quod Juda Machabæo dimicante adversus Gorgiam præpositum Idumææ, contigit paucos Judæorum ruere. Fugato autem Gorgia, per Dei auxilium, Judas collecto exercitu venit in civitatem Odolla, et cum septimus dies superveniret, secundum consuetudinem in eodem loco Sabbatum egerunt, et sequenti die venit Judas cum suis, ut corpora prostratorum tolleret ac sepeliret. Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, a quibus lex prohibebat Judæos. Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse, atque ita ad preces conversi, rogaverunt Deum, ut id delictum oblivioni traderetur. Post hæc prosequitur Scriptura ita dicens : *Et facta collatione Judas, duodecim millia dragmas argenti misit Hierosolymam, offerri ea pro peccatis mortuorum, juste et religiose de resurrectione cogitans* (*II Mach.* XII), et cætera. Et ad ultimum ita conclusit, dicens : *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (*ibid.*).

XXII. Quid nunc ad hæc dicitis, o Pibles? Evangelica Scriptura, ut auditis, pro nobis est, et quis contra nos? Apostolica Scriptura in defensione nostræ partis est, et quis est qui condemnet nos? Exemplum Machabæi Dominici bellatoris in acie nostra est, et quis dimicabit adversus nos? Adhuc pauca de præsenti negotio habeo conferre vobiscum.

XXIII. Si præoccupatus fuerit homo gravioribus peccatis, et conversus fuerit ab iniquitate sua, et pœnituerit ex corde de perpetratis malis; nunquid indiget, ut præter illam interiorem pœnitentiam cordis, aliquam exteriorem satisfactionem de peccatis suis Deo exhibeat, videlicet eleemosynas dando, jejunando, et aliis modis corpus suum propter Deum affligendo? Si ita est, ut per quosdam comperi, quibus noti erant sermones vestri, dicitis quia postquam ex corde pœnituerit homo de peccatis suis, et cessaverit ab iniquitate, non opus est ei illa exteriore satisfactione, de qua dixi: eo quod jam omne peccatum ei sit remissum in pœnitentia cordis. Sed hoc non ita esse evidentibus Scripturæ sanctæ testimoniis declaratur. Dicit enim Dominus per prophetam Joel : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu et planctu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* (*Joel.* II). Ecce evidenter præter interiorem conversionem cordis, exteriorem quoque satisfactionem exposcit. Joannes quoque Baptista, ut in Evangelio legimus, ad utrumque hortatus est dicens : *Pœnitentiam agite* (*Matth.* IV). Et post pauca subjungit : *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ* (*Luc.* III). Fructus autem pœnitentiæ sunt opera bona, quibus Deus placatur pro peccatis, et variæ castigationes carnis. Quæ qualem effectum habeant ad placandum Deum patet ex historia, quæ narrat pœnitentiam Ninivitarum; et ex Scriptura quæ dicit, quomodo Achab rex Israel cum argueretur per Eliam de occisione Naboth, scidit vestem suam, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. Factusque est sermo Domini ad Eliam dicens : *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii ejus inferam malum domui ejus* (*III Reg.* XXI). Ex his ergo palam est, Deum non solum internam cordis compunctionem, sed etiam exteriorem satisfactionem peccatis congruentem exigere, eaque exhibita placari, neglecta autem ad vindictam commoveri.

XXIV. Si ergo conceditis hoc ita esse, quid dicetis de illo qui in omni genere criminum consenuit, et primum in ipso articulo mortis compungitur, et convertitur ad justitiam? Nunquid debitor alicujus satisfactionis est Deo pro peccatis suis? Utpote debitor quidem est; sed, quia propter brevitatem temporis non potest eam implere, dimittitur ei satisfactio simul cum peccatis, statim post mortem rapitur ad æternam beatitudinem. Dicitis ita? Bona est sententia ista, et ad multorum proficit correctionem. Qualem correctionem? Quod si hoc verbum publice coram vanis et pravis hominibus prædicetur, differet unusquisque conversionem suam quanto diutius poterit, dicens apud se : Faciam omnem voluntatem cordis mei, et in fine vitæ meæ convertar et pœnitebo, et statim sine omni labore ad regnum cœlorum transibo. Videtis ne quomodo sen-

Digitized by Google

tentia vestra, si credita et recepta fuerit, occasio erit omnis vanitatis et omnis pravitatis? Stultissimi hominum! quæ ratio, aut quæ utilitas est in hoc sermone quem dicitis? Omnino nulla, nisi ut singulariter videri possitis sapientes præ aliis hominibus, si aliquid singulare dicatis, quod non sit in opinione cæterorum. In nostro autem sermone quem de animabus mortuorum diximus, indubitanter fructus multus est, quoniam multa opera misericordiæ quotidie fiunt in pauperes, quæ nullatenus fierent, si non hoc crederent homines, ut per talia possent adjuvare animas charorum suorum.

XXV. Manifestum est itaque, per omnia necessarium esse purgatorium illum ignem, de quo diximus, in quo animæ eorum qui in hac vita non plenariam satisfactionem Deo pro peccatis suis exhibuerunt, tandiu examinentur, donec idoneæ fiant intromitti ad illam supernam civitatem Dei, quæ nihil recipit quod perfectum et plene examinatum non sit. Quid enim absurdius, quam ut credatur animam a sentina turpitudinum recenter extractam, et earum memoria adhuc quodammodo fetentem, in illud tam limpidissimum lumen tam repente irrumpere, et purissimorum spirituum cœtibus admisceri, ita ut sit uno eodemque die, mane quidem in peccatorum turpissimo cœno, et vespere in angelorum purissimo cœlo? Nonne debuerat vel septem dierum rubore suffundi pro multis criminosis excessibus, cum pro solo verbo jurgii Maria soror Moysi lepra pessima correpta sit a Domino, ac septem diebus sequestrata a castris filiorum Israel? Ex auro purissimo omnia vasa sanctuarii, quibus administrandum erat corruptibile sacrificium in deserto, fieri jussa sunt. Quanto magis vasa, quibus incorruptibilis gloria purissimæ divinitatis se ipsam dignabitur infundere, omnimoda examinatione antequam ad Sancta sanctorum inferantur, probata esse convenit?

XXVI. De latrone mihi forsitan objicitis, quod eadem die qua confessus est, in paradiso fuerit cum Domino Jesu. Ad quod ita respondemus, quia hoc ei specialiter concessum est præ aliis pœnitentibus, propter admirabilem fidei ejus virtutem, qua hominem quem vidit non habentem speciem neque decorem, et quasi novissimum virorum ignominiosæ morti traditum, credere potuit Deum esse, dicens : *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII). Quæ fides, ut arbitror, coram divino examine majoris meriti habita est, quam multorum annorum gravis pœnitentia. Date jam gloriam Deo, et accedite ad veritatem qua expugnati estis; aut, si non acceditis, fugite, partes adversæ, cum doctore vestro; qui ab initio mendax est, et mendacii pater.

SERMO X.

Contra septimam hæresim de sacerdotio.

I. Accedamus et ad illud disquitiendum, quod dicitis ordinem sacerdotii defecisse apud nos, et nusquam inveniri veros sacerdotes, nisi inter vos. Loquor nunc pro nobis, qui in his quæ ad Christianam religionem pertinent, ad Romanam Ecclesiam respectum habemus. Sacerdotalem ordinem nos accepimus a Romana Ecclesia. Romana autem Ecclesia ab apostolo Petro, Petrus a Christo, Christus a Deo Patre, qui unxit eum oleo lætitiæ (*Psal.* XLIV), hoc est Spiritu sancto, præ participibus suis, et juravit dicens ad eum : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). Verus sacerdos erat Dominus Jesus Christus, qui sacrosanctum corpus et sanguinem suum palam obtulit Deo Patri super aram crucis, ut statueret pacem et reconciliationem inter ipsum, et genus humanum quod perditum fuerat. Si a donatione sacræ rei sacerdos dicitur, nulli unquam melius competebat hoc nomen, quam ei qui sacrum sacratissimum, hoc est se ipsum dedit, ut salvaremur per ipsum. Ipse etiam invisibiliter dedit corpus et sanguinem suum, quando coram discipulis panem et vinum in cœna benedixit benedictione cœlesti, et fecit sua admirabili potestate, ut sub specie ejusdem panis et vini sumerent de manibus ipsius corpus et sanguinem ejus. Ipse quoque sicut pollicitus est, cum Ecclesia sua, est usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII), et quotidie invisibiliter offert per manus Ecclesiæ Deo Patri pro salute mundi corpus et sanguinem suum sub specie panis et vini. Propterea dictus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui erat rex Salem et sacerdos Dei summi, et oblationem fecit Deo ex pane et vino.

II. Dominus Jesus Christus discipulos suos fecit veros sacerdotes, in eo quod unxit eos Spiritu sancto, et dedit eis potestatem prædicandi verbum divinum, et baptizandi, cum dixit : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis* (*ibid.*). Dedit eis potestatem ligandi atque solvendi, cum dixit : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta erunt* (*Joan.* XX). Dedit eis potestatem conficiendi corpus et sanguinem suum sub specie panis et vini, quando dixit ad eos : *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII). Omnem denique potestatem, quæ ad sacerdotii officium et ad episcopalem dignitatem spectat, ab ipso acceperunt. Eamdem autem potestatem singuli successoribus reliquerunt in illis terris, et in illis ecclesiis, quas eis Dominus convertendas et gubernandas delegavit. Et ut nunc de aliis taceam, beatus Petrus, princeps apostolorum, in Romana urbe presbyteros et episcopos ordinavit, et omnem potestatem quæ ad officia eorum pertinebat eis dedit, sicut ipse a Domino Jesu Christo acceperat. Et puto non potestis contradicere, quin hoc facere posset. Beatum vero Clementem discipulum suum, cum sciret sibi imminere terminum vitæ suæ, in loco suo Ecclesiæ præesse constituit, et eam potestatem, quam ipse habuit in principatu apostolatus ei tradidit. Ipsa autem consecratione, qua per beatum Petrum Cle-

Digitized by Google

mens ordinatus est in presbyterum et episcopum, ordinati sunt et a Clemente alii episcopi et presbyteri Romæ, et ipsa ordinatus est successor Clementis, ea et ille alios ordinavit episcopos et presbyteros, et ita a successoribus ad successores per ordinem descendit sacerdotale officium, et episcopalis dignitas, usque ad eum, qui hodierna die summus pontifex Ecclesiæ est.

III. Si nunc dicitis quod sacerdotalis ordo defecerit in Romana Ecclesia, oportet ut nobis hoc demonstretis, sub quo papa acciderit iste defectus, et quam ob causam acciderit. Quod si dicere nescitis, magnæ stultitiæ et temeritatis argui potestis, pro eo quod rem tam magnam diffamare ausi estis, quam non veraciter comperistis, sed tamen in opinione habetis. Dicitis forte : Nescimus sub quo papa acciderit iste defectus, sed hoc scimus, quod ex multis temporibus omnes, qui dicebantur Romani pontifices et cardinales, semper avari fuerunt et superbi, et multis ex causis indigni sacerdotio Christi, et ex hoc certi sumus, quoniam verum sacerdotium apud ipsos non est. Esto indigni sint : nunquid impossibile est ut aliquis sit indignus sacerdotio, et tamen vere sacerdotii ordinem habeat? Nequaquam hoc impossibile est. Scimus quippe quoniam sacerdotium, quod erat in veteri lege, institutum erat a Deo. Et quoniam Aaron et Eleazarus et Phinees primi sacerdotes Dei viri sancti, multos habuerunt successores in sacerdotio, qui non erant beneplaciti Deo, et indigni sacerdotali dignitate, et tamen eos Deus toleravit in officiis suis, et ratam permisit esse benedictionem sacerdotalem in eis. Sacerdotes Judæorum in adventu Salvatoris hypocritæ erant et avari, ac superbi, et venditores et emptores spiritualium rerum, sicut ex verbis Domini apparet, quibus sæpe eos reprehendebat; et tamen ipse de eis dicebat ad plebem : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere* (*Matth.* XXIII). Ecce cum ipse nosset vitia eorum ab intrinseco, non tamen abducebat populum ab eis, sed honorem debitum sacerdotibus et spiritualibus magistris, voluit ab illis exhiberi. Item cum venissent ad eum decem leprosi volentes mundari ab eo, dicebat eis : *Ite, ostendite vos sacerdotibus* (*Luc.* XVII). Et uni, cum esset mundatus a lepra, ait : *Vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis* (*Matth.* VIII). Ecce quomodo honorabat eos, quos sciebat esse iniquos. Quid, quæso, honorabat in eis? Non personas eorum, sed officium eorum quod sanctum erat et institutum a Deo. Quod certe, si defecisset in eis propterea quia eo erant indigni, non eos sacerdotes appellasset, neque præcepisset eis offerri munus, quod sacerdotibus Dei erat divino jure offerendum.

IV. Scriptum est de Caipha summo pontifice Judæorum, qui erat unus ex præcipuis crucifixoribus Christi, quod cum collegissent pontifices et Pharisæi concilium adversus Jesum quomodo eum perderent, dicebat : *Expedit vobis ut unus moriatur pro populo, ne tota gens pereat* (*Joan.* XI). Quibus verbis evangelista ita subjungens ait : *Hoc autem non a semetipso dicebat ; sed, cum esset pontifex anni illius prophetabat, quod Jesus moriturus esset pro gente, et non pro gente tantum, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* (*ibid.*). Ex quo sermone evangelistæ percipitur, quod Caiphas, licet sanctus non esset, propter sanctitatem tamen pontificalis officii sui, aliquam singularem gratiam habebat a Deo, per quam prophetabat redemptionem, quæ per Christum erat futura. Erat tamen indignus dignitate officii illius, non solum ob illam nequitiam qua Salvatori resistebat, sed propter avaritiam et superbiam ac cætera vitia, quibus irretiti erant cuncti sacerdotes temporis illius, sicut ex verbis Joannis Baptistæ manifestum est, qui frequenter eos arguebat. Ita enim erant avari et cupidi honoris, sicut in historiis legitur, ut singulis annis mutarent summos pontifices, et festinaret unusquisque ante alium ingredi ad dignitatem pontificatus per pecunias quas dabant gentilibus, qui eis præpositi erant illis temporibus, cum secundum legem unusquisque pontifex usque ad finem vitæ suæ stare debuisset in officio suo. Quæ mutatio pontificum intelligi potest etiam ex eo quod evangelista dicit de Caipha, quod esset *pontifex anni illius* (*Joan.* XVIII) ; erat autem pontifex anni prioris Annas socer ejus, sicut ex historiis habetur. Hæc idcirco dicta sunt, quia dicitis non posse sacerdotale officium ratum esse apud illos, qui sacerdotio indigni sunt.

V. Quis sceleratior, quis indignior fuit dispensatione mysteriorum Dei, quam Judas Iscariothis, qui et fur erat Dominicæ gazæ, et mortem Salvatoris diu in mente gerebat, et voluntate eum occidebat? Dominus tamen eum, sicut et cæteros apostolos, mittebat ad dispensandum gratiam suam spiritalem, prædicando, baptizando et exsequendo cuncta quæ ad apostolatum pertinebant : et rata esse permisit ea quæ ab illo gerebantur, sicut et ea quæ cæteri apostoli faciebant in ministeriis suis. Legimus de pluribus qui baptizati sunt a Joanne Baptista viro sancto et perfecto, quod rebaptizati sunt per apostolos : eorum vero qui baptizati sunt a Juda nullum legimus fuisse rebaptizatum. Fuisset autem necessarium eos rebaptizari, si vim suam non potuisset habere sacramentum illud sub manibus ejus, ob eam causam quia ipse fuisset indignus administratione baptismi. Ad nostram eruditionem hoc fieri permisit Dominus, ut ille qui indignus erat computari inter ministros Dei, gratiam suam hominibus, sicut et cæteri apostoli dispensaret, ut cum videmus indignos sacerdotes spiritualia tractare et distribuere, ne propter eorum malitiam diffideremus gratiæ Dei, neque æstimaremus quod nullam virtutem haberent res spiritales, quæ ad salutem gratiæ Dei constitutæ sunt, pro eo quod mali sunt, qui officium habent super ea. Nolite

Digitized by Google

itaque temere hoc affirmare, quod in Romana Ecclesia defecerit ordo sacerdotalis, pro eo quod qui regnant in ea, indigni sunt eo.

VI. Certe hoc quod dicitis, verum esse fateremur, si defecisse in ea fidem Catholicam probare possetis. Nam si exinanita esset fides, inania procul dubio essent et fidei sacramenta. Quod si inania essent sacramenta, inane et nullius utilitatis esset officium sacerdotum dispensantium ea. De aliis quidem vitiis, pro quibus Romanam Ecclesiam culpatis, non eam fortassis sufficienter possumus excusare; sed quod adhuc in ea defecerit fides Catholica, nulla certe potestis ratione probare. Nam eadem fides quæ ab initio per beatum Petrum in ea plantata est, et quæ prædicata est a successoribus ejus, qui pro Catholicæ fidei confessione martyrium pertulerunt, ut Clemens, ut Sixtus, ut Marcellus, et multi alii, quos longum esset enumerare, et qui sanctitate conversationis, et cœlestibus doctrinis Ecclesiam vehementer illustraverunt, ut Silvester, ut Gregorius, ut Leo, et quam plures alii : eadem, inquam, fides usque in hodiernum diem in ea prædicatur et tenetur, adjuvante apud Patrem illa Domini nostri Jesu Christi interpellatione, de qua ipse dixit ad Petrum : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (*Luc.* XXII). Quod utique non dicebat spiritualiter pro illa fide, quæ in mente Petri erat, sed de fide Ecclesiæ, quam voluit gubernari a Petro. Unde et si quando contigit aliquem apostolicorum Patrum a fide Catholica errare, non diu eum stare permisit Dominus, ne forte per ipsum Ecclesia corrumperetur. Nam in tempore Arianæ hæresis quidam papa dictus Leo, sicut legitur in Vita beati Hilarii, Arianis consensit in hæresi, et subitanea morte percussus est. Sed et de alio quodam legitur, quod a vera fide exorbitaverit, et ob hanc causam depositus est.

VII. Quod si adhuc in eo verbo hæretis, ut dicatis Romanam Ecclesiam ita corruptam esse, ut nunc credatur in ea et doceatur aliud quam quod credidit, et in ea docuit beatus Petrus, et illi ejus successores, de quibus dubium non est, quin sancti sint; ostendere debetis nobis rationabili sermone quid sit illud, in quo discordet ab illorum fide et prædicatione : et quid sit illud, quod illi crediderunt, et quod nunc in fide non suscipiatur a successoribus illorum. Certi autem sumus, quoniam ad hoc demonstrandum, et ratio vobis deest et sermo. Sicut dixi, Dominus noster Jesus ob dilectionem principis apostolorum inter multas procellas persecutionum, et oblatrationes hæreticorum, incorruptam adhuc conservavit fidem Catholicam in sede illa apostolica, simulque sacerdotalis ordinis in ea conservavit dignitatem, magis propter fidei stabilitatem quam propter merita sacerdotum regentium eam. Propter fidei dico stabilitatem, quia indubitanter ipsa in negligentiam et defectum jam devenisset, si evacuatum esset officium prædicandi, baptizandi, confirmandi, ligandi atque solvendi offerendi sacrificium salutare, et orationem faciendi pro populo Dei, ecclesias quoque consecrandi, et ordines faciendi, ac cætera hujusmodi exsequendi, quæ ad episcopos ac sacerdotes pertinent. A Romanis autem Patribus, sicut notitia sacræ fidei, ita et ordo sacerdotii ad nos usque pervenit per sanctos viros, qui in le ad has occidentales partes Christianæ religionis causa missi sunt.

VIII. Nam apostolus Petrus quando tres discipulos suos Eucharium, et Valerium, et Maternum ad prædicandum in Gallia atque Germania verbum Dei transmisit; Patrum quidem illorum, videlicet beatum Eucharium in presbyterum ordinavit, et ad episcopalem eum dignitatem sublimavit. Valerium autem ad gradum diaconatus promovit. Maternum subdiaconum consecravit. Beatus autem Eucharius cum esset episcopus in Treverensi urbe, sanctum Valerium ad sacerdotii gradum promovit, eique cum esset moriturus, Ecclesiam vice sua gubernandam commisit. Similiter et ille, cum esset ab hac vita migraturus, beatum Maternum in sacerdotem ordinavit, et episcopalem ei administrationem commisit. Ab his ergo tribus pontificibus Patrum sacri ordines simul, cum fide Catholica plantati et radicati sunt in Treverensi et Coloniensi provinciis, quas utrasque rexisse dignoscitur sanctus Maternus, simulque Tumgrensem, cum adhuc episcopalis esset sedes in ea. Qua enim potestate et qua gratia Dei ipsi ordinaverunt episcopos et presbyteros, aliosque ordines dederunt, eadem potestate, eadem gratia et cuncti qui eorum successores fuerunt in episcopali dignitate, et in eadem fide exstiterunt, quam illi docuerant, et obedientes fuerunt apostolicæ sedis magistro, ipsi quoque ordinaverunt episcopos et presbyteros, aliosque Dei altaris ministros usque in hodiernum diem.

IX. De Moguntinensi provincia similia dico. Quia potestate ordinatus fuit in presbyterum et episcopum sanctus Bonifacius, qui cum esset Romanæ sedis Ecclesiæ cardinalis, missus est Zacharia summo pontifice Moguntiam, et primus in ea archiepiscopus factus est : qua, inquam, potestate ipse consecratus fuit, ea et ipse episcopos, et presbyteros aliosque ministros Dei ordinavit; eadem et successores ejus, eorumque suffraganei usque in præsens tempus singuli suis civitatibus ordinationes fecerunt ministrorum Dei. Ex his ergo quæ nunc dicta sunt, scitote quoniam in his tribus archiepiscopatibus, qui principales sunt apud Teutonicam gentem, et episcopatibus, qui eis subditi sunt, officium sacerdotale, radicem et firmamentum habet a capite sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, id est a sede Beati Petri apostoli, quæ in Romana urbe est. Sed et cunctæ metropolitanæ civitates Romani imperii in eo, quod pallia pontificalia a Romanis Patribus requirunt, eisque obediunt, et decreta Romanorum pontificum recipiunt et observant, et secundum instituta illorum divinum servitium agunt, plane demonstrant, officium episcopale ac

Digitized by Google

sacerdotale, cæterosque ordines divini ministerii a Romana Ecclesia se habere.

X. Idem et de civitatibus cæterorum occidentalium regnorum dicere possumus. Regno Francorum beatus Dionysius Areopagita a sancto Clemente successore Petri apostoli in episcopum ordinatus, sacerdotale officium intulit, qui primus gentem Gallorum in Parisiensi urbe, et in finibus ejus prædicatione verbi Dei ad fidem convertit, ecclesias construxit, et consecravit presbyteros, atque alios altaris Dei ministros ex probatis personis, sicut legitur, ordinavit. Atque ad eadem facienda tres illustres viros a se ad Hispaniam, ad Aquitaniam, et ad Belvacensem regionem transmisit, videlicet sanctum Marcellum, Saturninum et Lucianum, quos ei sanctus Clemens papa socios itineris dederat. Sic et in regno Anglorum beatus Augustinus episcopus a venerabili papa sancto Gregorio missus, sicut Christianæ religionis cultum, ita et sacerdotale officium dilatavit. Sicut ergo eadem fides quæ a Romana sede per sanctos viros, qui inde missi sunt, disseminata est, adhuc hodie permanet in cunctis civitatibus occidentalium regnorum, quæ prædicta sunt : ita et officium sacerdotale, quod per illos plantatum est, ibidem permanet usque in diem hanc.

XI. Forte ad hæc respondetis : Fatemur quidem quod illi primi prædicatores fidei Christianæ, de quibus dictum est, vere sacerdotes Dei fuerunt, et alios ad sacerdotium ordinare potuerunt. Sed multos successores in episcopalibus cathedris habuerunt, quorum vita tam prava et tam abominabilis exstitit, ut nec ipsi possent sacerdotale officium habere, nec alios ad hoc possent ordinare, ac per eos sacerdotium omnino interiit. Pro quibus respondeo id ipsum, quod supra de Romanis pontificibus dictum est; non esse hoc impossibile, ut magistratus ecclesiarum habeant aliqua dona spiritualia pertinentia ad utilitatem eorum, quos regere habent, qui tamen ipsi eisdem donis coram Deo indigni sint, et non ipsimet proficiant ad salutem. Sic et propheticus spiritus Balaam et Caiphæ, de quo et supra locuti sumus, et apostolica potestas Judæ non ipsis provenit ad utilitatem, sed aliis. Quapropter ex hoc quod dicitis pontifices successores sanctorum virorum, de quibus supra dictum est, male et irrationabiliter vixisse ; non, inquam, ex hoc necessario probare potestis, quod ipsi habere non potuerunt potestatem exsequendi officium sacerdotum, et ordinandi sacerdotes; quæ potestas sine dubio sancta est, et spirituale donum Dei est. Multi in primitiva Ecclesia hoc donum Spiritus sancti habebant, ut loquerentur variis linguis, quas nunquam ab aliquo didicerant, et tamen charitatem Dei non habebant, quia non ad meritum, sed ad honorem Dei dabatur hoc donum. Multi hoc donum Spiritus sancti habebant ut in nomine Christi prophetarent, et dæmonia ab obsessis corporibus ejicerent, et signa alia facerent, et tamen non vere Christum sequebantur, sicut perpenditur ex verbis ipsius Salvatoris qui dicebat : *Amen dico vobis, multi venient in die illo dicentes : Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos : Discedite a me, operarii iniquitatis* (*Luc.* XIII). Si talia dicere animadvertere sciretis, profecto non tam temere judicaretis quod officium sacerdotis aut episcopi non posset apud illos esse, quorum vita coram laudabilis non est

XII. Iterum forte ad talem objectionem confugietis ut dicatis : Si non per malam conversationem episcoporum, tamen per infidelitatem ipsorum accidere potuit, ut sacerdotalis dignitas evacuaretur. Fuerunt enim quædam tempora, in quibus hæreses ita in Ecclesia multiplicatæ sunt et excreverunt, ut etiam episcopi multarum civitatum in errorem ducerentur, maxime in diebus Arianæ perfidiæ, cui multi episcoporum consensisse leguntur. In illis ergo temporibus per hæreticos episcopos multi ad ordinem sacerdotii, multi etiam ad episcopalem dignitatem ordinati sunt. Hæreticorum autem ordinationes nullam vim habere potuerunt, ita ut aliquis ab eis ordinatus, vere officium episcopi aut presbyteri exsequi posset, aut ad hoc alium promovere. Hi autem qui ab hæreticis ordinati sunt, putantes se esse episcopos, cum non essent, alios ordinaverunt episcopos et presbyteros, et nec illi ab eis ordinati, vere officium, quod se putabant suscepisse, habuerunt; et illi quoque alios ordinaverunt, et ita usque ad hæc tempora devoluti sunt ordines ecclesiastici, qui ab illis hæreticis episcopis primum corrupti sunt, et ita annihilati sunt, ut ubi esse putantur, ibi vere non sint. Si talem objectionem concinnatis adversum nos, scitote quoniam absque responsione non sumus. Ita quidem sæpe accidisse legimus, ut etiam episcopi diversarum civitatum in errorem ducerentur et consentirent hæreticis, qui fidem Catholicam subvertere conati sunt. Et quidem si ita aliqui hæresibus consenserunt, ut tamen ipsi non manifesta contradictione Ecclesiam impugnarent, neque excommunicatione orthodoxorum Patrum ab Ecclesia præciderentur, et ita adhuc specie tenus intra Ecclesiam manserunt : de talibus non negamus, quin habuerint vere sacros ordines, et si non ad suam utilitatem, et potuerint vere eos aliis dare, quia non impossibile est, ut Ecclesiæ sacramenta aliquando etiam per hæreticos dispensentur, sicut et testantur verba Augustini, qui ait : *Non ideo non sunt sacramenta Christi et Ecclesiæ, quia eis illicite utantur, non modo hæretici, sed et omnes impii : illi corrigendi sunt et puniendi : illa vero agnoscenda et veneranda.* At si qui ita hæresibus corrupti sunt, ut manifeste eas auderent defendere et impugnare Catholicam fidem, hos Romani magistratus et orthodoxi Patres, qui sub illis fidem Catholicam tuebantur, ab episcopalibus sedibus quantum fieri potuit, ejicere, et ab Ecclesia Dei præcidere per excommunicationem studuerunt.

XIII. Si quos autem ordines facere præsumpse-

Digitized by Google

runt, interim dum ab Ecclesia Dei erant præcisi, illi ordines simul cum hæresibus sub excommunicatione fuerunt, ita ut nullam salutarem vim haberent, quandiu hæreses permanserunt in illis, qui ordinatoribus suis in hæresi consenserunt. Unde dicit Cyprianus martyr in epistola sua, quod omnia quæcunque faciunt hæretici, carnalia et inania et sacrilega sint, et eorum altaria falsa, et illicita sacerdotia, et sacrificia sacrilega, qui more simiarum, quæ, cum homines non sunt, formam imitantur humanam, vultum Ecclesiæ Catholicæ et auctoritatem sibi vindicant, cum ipsi Ecclesia non sint. Postquam vero cum Dei auxilio hæreses deficere cœperunt, ita ut hi, qui excommunicati fuerunt propter eas, vel morerentur, vel paulatim redirent ad Catholicam Ecclesiam, eique reconciliarentur. Tunc si qui ab hæreticis episcopis extra Ecclesiam ordinati fuerant, recipiebantur quidem in communionem Ecclesiæ, sed non omnes uno eodemque modo. Quidam enim sic recepti sunt, ut per manus impositionem tantum laicam haberent communionem, et omino sine clericatus ordine in Ecclesia essent, sicut intelligimus ex verbis Innocentii papæ. Legitur enim quod dicit, Arianorum clericos non suscipiendos cum sacerdotii, vel alicujus ministerii dignitate, quibus solum baptisma ratum esse permittit, quod in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti percipitur. Tradit etiam, laicam tantum communionem talibus esse tribuendam per manus impositionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogandum. Et hoc quidem primum generaliter de hæreticis fuerat constitutum; sed postea variis occasionibus intervenientibus, temperatus est iste rigor consilio orthodoxorum Patrum, quibus decernentibus nonnulli ordinatorum ab hæreticis ita recepti sunt dispensationis causa, ut remanerent in ordinibus suis, quos ab hæreticis susceperant extra Ecclesiam. Hoc ex decreto Innocentii patet, in quo ista dicit : *Summa sacerdotum deliberatio hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, et fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. Sed necessitas*, inquit, *temporis id fieri magnopere postulabat.* Talibus ergo si quid gratiæ spiritualis defuit quod in sua ordinatione recipere debuerunt, hoc eis collatum esse constat. in eo quod a catholicis Patribus licentiam ministrandi in Ecclesia acceperunt. Item ordinatorum ab hæreticis quidam ita recepti sunt, ut accipientes manus impositionem ordinarentur, et sic remanerent in clero : forsitan quia non secundum formam Ecclesiæ fuerant ordinati, quod de Novatianis tantum statutum legitur in canonibus Nicæni concilii.

XIV. Quidam arbitrati sunt, omnes qui ab hæreticis extra Ecclesiam fuissent ordinati, secundo ordinandos esse, cum ad Catholicam Ecclesiam redissent. Sed hoc non esse faciendum, Gregorius papa demonstrat in epistola, in qua Joanni Ravennati episcopo ita scibit dicens : *Quod dicitis, ut qui ordinati sunt, iterum ordinentur, valde ridiculosum est.* A *Ut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet iterum consecrari.* Item et quidam venientes ab hæreticis, ita recepti sunt, misto rigore quodam cum misericordia, ut quosque ordines tunc haberent, in illis ministrarent, et nunquam ad alios aliquos promoverentur. De qua re Urbanus papa legitur mandasse Geberhardo Constantiensi episcopo sic : *Ut ab excommunicatis quondam, tamen catholicis episcopis ordinatos, si eorum religiosior vita et doctrinæ prærogativa visa fuerit promereri, pœnitentia indicta, quam congruam duxeris, in ipsis quos acceperunt ordinibus permanere permittas. Ad superiores vero ascendere non concedimus, nisi necessitas* B *et utilitas maxima flagitaverit, et ipsorum conversatio sancta promeruerit. Hoc tamen ipsum rarius, et cum cautela præcipua est concedendum.* Idem et alii quidam mandasse leguntur absque omni exceptione.

XV. Hæc me ita commemorasse sciatis, quatenus ex his perpendatis quali diligentia Patrum, qui Ecclesiæ Dei gubernaculum possederunt, provisum et cautum est, ne hoc quod dicitis, eveniret; videlicet ut per hæreticos ecclesiastici ordines evacuarentur. Nam per eos, qui ad communionem Ecclesiæ recepti sunt, non perierunt, sed nec per eos, qui extra communionem permanserunt evacuati sunt. Quia ex quo eis Catholica Ecclesia prævaluit non manifeste in Ecclesia ministraverunt, neque ordines palam fecerunt : et si in occulto eos fecerunt, et aliquis Catholicorum sciens eos hæreticos esse, ordinationem ab eis accepit, non est receptus in Ecclesia. C Sic namque legitur in actione septimæ synodi, quæ apud Nicæam celebrata est : *Si quis sponte ad hæreticum vadit, et accipit ordinationem, non recipiatur.* Et de hæreticis quid amplius dicam? Scimus certe quoniam Dominus Salvator cum de ædificatione Ecclesiæ sanctæ ad principem apostolorum loqueretur, ita inter cætera aiebat : *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Portas autem inferi dicebat hæreticos, qui ingressum inferi patefaciunt his qui sequuntur eos. Ili autem secundum promissionem Domini nondum prævaluerunt Ecclesiæ, quoniam Principi apostolorum commisit, ut fidem Catholicam nunquam in ea destruere possent. Quod si ita prævaluissent adversus eam, ut D omnes ordines ecclesiastici in ea per ipsos exinaniti jam essent, atque ita infirmata jam essent cuncta sacramenta Ecclesiæ : nimis certe prævaluissent adversus eam, et non bene impleta esset promissio Salvatoris, quæ evacuari non potest.

XVI. De Simoniacis episcopis forsitan eamdem objectionem nobis facitis, quæ supra de hæreticis inducta est. Nos vero de eis ita respondemus : Quandiu ita non manifesta est Simonia alicujus episcopi, ut pro ea coram magistratibus suis accusetur, convincatur, et canonica sententia feriatur; tandiu officium ejus vim suam credimus habere in ecclesiasticis sacramentis, quæ ab ipso administrantur, sicut ex verbis beati Gregorii colligimus, qui

Digitized by Google

de sacramento Dominici corporis loquens ait : *Et quid melius corpore et sanguine Christi? Sive ergo per bonos, sive per malos ministros intra Ecclesiam dispensetur, sacrum tamen est, et Spiritus sanctus vivificat : nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur.* Sunt autem ad intra Ecclesiam Simoniaci, qui nondum sunt ab ea damnati. Cum ergo utrumque ad officium eorum pertineat, et corpus Domini consecrare, et ministros Dei ordinare; si in majori sacramento irritum non est officium eorum, propter peccata eorum, probabile est, quod etiam in minori irritum non sit. Nam, licet reproba sit vita eorum, et orationes eorum Deo sint ingratæ, credimus tamen, quod per merita et orationes Ecclesiæ, cui adhuc utcunque adhærent, adjuvantur, ut rata sint officia eorum in sacramentis, quæ ad usum Ecclesiæ pertinent. Nemo enim in consecratione Eucharistiæ dicit, offero, sed *offerimus* : quod quidem pro tota Ecclesia dicitur. Nemo etiam episcoporum in officio suo explendo dicit, oro ut hoc vel hoc fiat, sed oremus unusquisque dicit : in quo se toti Ecclesiæ connumerat, cujus meritis et precibus adjuvatur ad impetrandum ea, de quibus postulat a Deo, quæ forte per se indignus esset impetrare.

XVII. Fortasse iterum objicitis mihi dicentes : Et quid est, quod Dominus sacerdotibus sive episcopis sibi displicentibus comminatur dicens : *Maledicam benedictionibus vestris?* (*Malac.* II.) Hoc ita intelligite, ac si diceret : Benedictiones vestras faciam vobismetipsis provenire in maledictionem. Potest enim esse quod benedictio alicujus, ei qui benedicitur in bonum cedat; ipsi vero qui benedicit, eadem benedictio in malum proveniat, quemadmodum illis, qui cum non sequerentur Christum, in nomine tamen ipsius benedicebant obsessos a dæmonibus : et illi quidem liberabantur, illi vero qui benedictionibus suis alios liberabant, et ex hoc gloriam et lucrum apud homines quærebant, reprobati sunt a Deo, sicut patet ex evangelicis verbis, quæ superius inducta sunt. Ad hoc quod de Simoniacis ordinatoribus jam supra dixi, ut æstimo dicitis : Quomodo possunt dare Spiritum sanctum, qui non habent Spiritum sanctum? Videte quid dicatis, et quid interrogetis. Dico vobis quod præter Christum, qui et verus homo est, et verus Deus, non potest ullus hominum dare Spiritum sanctum alii, sicut et testatur beatus Augustinus ita de Christo loquens : *Accepit Spiritum sanctum, ut homo, et effudit ut Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere vero super alios non utique possumus; sed ut hoc fiat Deum super eos, a quo id efficitur, invocamus.* Item dicit : *Non aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant : quem morem in suis præpositis, etiam nunc servat Ecclesia. Denique et Simon Magus offerens apostolis pecuniam, non ait :* Date et mihi hanc potestatem, ut *dem Spiritum sanctum; sed,* A cuicunque, *inquit,* imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum (*Act.* VIII). *Quia nec Scriptura superius dixerat : Videns autem Simon, quia apostoli darent Spiritum sanctum; sed dixerat :* Videns autem Simon quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus (*ibid.*).

Si quis vero catholicorum Patrum, hoc in scripto posuisse inveniatur, videlicet apostolos dedisse Spiritum sanctum, sive eos qui ordinant ministros Dei Spiritum sanctum dare; sciendum est, non alium eos sensum in tali dicto habuisse, quam qui in verbis Augustini, quæ nunc inducta sunt, expressus est. Frustra ergo interrogatis quomodo possint dare Spiritum sanctum, qui eum non habent. Quod ergo eis possibile est faciunt tam mali, quam boni episcopi : orant videlicet, et secundum officium suum benedictiones statutas dicunt super eos quos ordinant, et Deus non pro ipsorum meritis, sed pro dilectione Ecclesiæ suæ, cujus adhuc qualiacunque membra sunt, præstat hoc donum Spiritus sancti unicuique eorum qui ordinantur, ut habeat eam gratiam, quæ pertinet ad ordinem suum, qua tamen gratia potest unusquisque uti sive in bonum, sive in malum. Et non mirum si ad invocationem Dei, quam facit malus, aliquam Spiritus sancti gratiam præstat ei qui ordinatur, cum ad invocationem sanctæ Trinitatis, quam interdum facit quilibet flagitiosus Christianus, sive etiam infidelis, super eum qui baptizatur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, detur baptizato ea gratia Spiritus sancti, per quem omnia peccata remittuntur, et per quam Christi membrum efficitur.

XVIII. Illud quoque nunc mihi objicite, quod Petrus apostolus ad Simonem Magum, cum offerret ei pecuniam pro ea potestate, ut cuicunque imponeret manus, acciperet Spiritum sanctum, dicebat : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri (ibid.).* Ex hoc ergo inducite adversum me hunc sermonem, et dicite, quia existimavit obtinere donum Dei per pecuniam, maledictus est, et repulsus ab eo, et non est illud consecutus. Ita ergo et imitatores Simoniaci, qui pro officio episcopali, quod est spirituale donum Dei, offerunt et dant pecuniam, maledicuntur a Deo, et non consequuntur quod quærunt; et si non consequuntur, non vere episcopi sunt, et non possunt implere, quod ad officium episcopale pertinet. Estne talis objectio vestra? Non me adhuc sine responsione invenietis. Vere quod Simon repulsatus est ab illo spirituali dono, pro quo male negotiatus est, nec consecutus est illud, et hoc erat judicium irascentis Dei. Isti vero consequuntur donum spirituale, pro quo et ipsi male negotiantur, videlicet officium episcopale, et hoc est beneficium ex parte irascentis Dei, et ex parte miserentis Dei. Beneficium irascentis Dei est, quia hoc illis præstat ratus, ut tanto damnabiliores fiant, quia male pro eo negotiati sunt, ac si dicat verbis Saulis, qui cum daturus esset filiam suam David, cujus mortem disponebat, ait : *Dabo ei filiam meam uxorem, ut sit ei in scandalum*

Digitized by Google

(*I Reg.* XVIII). Beneficium irascentis Dei susceperant illi de quibus Apostolus ait : *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evacuarunt* (*Rom.* I), etc., et illi de quibus Psalmista ait : *Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos dum allevarentur* (*Psal.* LXXII). Ex parte, inquam, est beneficium miserentis Dei, quia ad usum Ecclesiæ suæ eis præstat eam spiritualem gratiam, qua utuntur in officiis suis, ne occasione illorum pereant sacramenta Ecclesiæ, quibus carere ipsa non potest.

XIX. Verumtamen inter peccatum istorum, et peccatum Simonis videtur differentia esse. Non ille videbat apostolos per illam potestatem, quam a Deo habent et quam ipse desiderabat habere, consecutos fuisse aliquas divitias, aut aliquod sæculare dominium, et ideo non eis obtulit pecuniam, quatenus ad talia consequenda eum adjuvarent; sed principaliter ad ipsum spirituale donum Dei, quod eos videbat habere, intendit venire, ut videlicet cuicunque imponeret manum, reciperet Spiritum sanctum cum aliquo visibili miraculo, ita quod loqueretur variis linguis, vel aliquid tale in eo contingeret, in quo manifeste notari posset Spiritus sanctus, et in eo affectabat similis fieri sanctis apostolis, quibus invidebat, quod in tam excellenti dono ei præferrentur. Quæ invidentia ejus significata est, nimirum in eo verbo, quod dixit Petrus ad eum : *In felle amaritudinis video te esse* (*Act.* VIII). Adipisci autem hoc volebat, non ut in bonum eo uteretur, sed in malum, videlicet ad gloriam sibi coram hominibus comparandam, sicut Judæi Christum emerunt, non ut eo fruerentur in bonum, sed ut suam pravam voluntatem in eo perficerent. Et cum non esset cor ejus rectum coram Deo, nihil de reconcilianda sibi gratia ejus tractabat, quatenus adipisci donum ejus posset; sed quasi eo invito hoc obtinere posset, irreverenter et manifeste sibi venundari postulabat impretiabilem gratiam ab hominibus, quam solus dare poterat Deus. Talis ergo erat temeritas ejus, quasi si servus alicujus potentis despectus, odibilis domino suo, et nullam habens curam adipiscendi gratiam ejus, manifeste offerat pecuniam consiliariis domini sui, quatenus faciant eum habere filiam ejus, ut fornicarie ea abutatur. Nunc vero si quis ita salutis suæ obliviosus efficitur, ut non secundum Deum honorem cathedræ appetat : primum considerat divitias et honores, et hujusmodi temporalia commoda, quæ concupiscibilia sunt, adjuncta esse prælationi illi, et ea principaliter concupiscit, et secum de adipiscendis illis tractat. Juxta hæc autem considerat spiritualia, sine quibus illa possidere non potest, videlicet officium sacerdotale, quod exigit ut divinæ contemplationi insistat orando pro aliis, et meditando quæ Dei sunt, ut sit doctus, et alios doceat, ut sit castus, sobrius et modestus et gravis, in moribus omnino irreprehensibilis : et hæc cogitans pertimescit, et indignum se reputat dignitate ad quam aspirat. Positus itaque inter concupiscentiam et timorem, vincitur tum a concupiscentia; incipit negotiari precibus et muneribus, et promissis, tum per se, tum per amicos, modo occulte, modo manifeste negotium tractans. Et quidem omnia facit principaliter pro sæcularibus quæ concupiscit; secundario autem pro spiritualibus, non quia amet ea, aut eis dignum se esse arbitretur; sed quia scit sine his sæcularia illa se non posse obtinere : perficit negotium, dat quod exigitur, suscipit sub manu ecclesiastici patris, a quo ordinatur, spiritualem potestatem pertinentem ad dignitatem, ad quam ordinatur. Hanc vero illi confert Deus, non quia amet eum, aut quia dignus sit ea, sed, ut supra dixi, ex parte, propter misericordiam suam, ut electis Dei, qui in populo pertinente ad regnum ejus, non desint propter peccatum illius sacramenta ecclesiastica pertinentia ad salutem animarum eorum. Ex parte etiam in ira sua hanc illi præstat, ut tanto majorem occasionem habeat damnandi eum in futuro, si non pœniteat, qui per pecuniam se ingessit ad fruendum secundum voluntatem eleemosynis fidelium, quæ illi ad honorem Christi, et ad usus pauperum ejus ecclesiis contulerunt. Ex parte etiam tales hoc modo sinit Deus habere ecclesiasticas dignitates, propter peccata quorumdam qui sunt in populo, et non sunt digni habere bonos prælatos, ut testatur Scriptura quæ dicit : *Propter peccata populi permittit Deus regnare hypocritam.*

XX. Sæpe autem qui sic in Ecclesia negotiantur, quoniam in mente non habent principalem intentionem ad emenda spiritualia, sed ad temporalia, quæ magis amant, et de eis totus sermo est, apud vendentes et ementes, dicunt se non emere spiritualia, sed temporalia. Sed hoc dicendo semetipsos fallunt. Hoc eis quasi pro emptione reputatur, quod ad ea accedunt mediante pecunia, quam propter concupiscentiam temporalium dant pro eis quæ statuta sunt, ut simul cum illis spiritualibus possideantur. De hujusmodi negotiatoribus papa dicit hoc modo : *Si aliqui objecerint se non consecrationes emere, sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probantur. Nam quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum vendere omittit.* Similitudinem autem hujus negotii considero in eo quod dicam : Si tutor pupilli fraudulenter vendat molentem, quæ sit hæreditas illius, viro conscio fraudis suæ; iniquus est emptor, sicut et venditor. Et quamvis nullam in conventione sua fecerit mentionem de aqua alvei pertinente ad molentem, eadem nihilominus emptione possideri illam dicitur : et tamen solus Deus, ut pote gubernator naturæ, hanc administrat molenti, tum ut satisfaciat necessitati utentium ea, tum etiam ut iniquum possessorem ejus tanto amplius culpabilem habeat, quanto largius fruitur beneficiis ejus ad quæ accessit inique. Dicuntur autem hi, de quibus supra dictum est, Simoniaci, quia in eo quod per pecuniam negotiantur de prælationibus ecclesiasticis, quæ simul juncta habent spiritualia Dei dona cum temporalibus bonis, imitatores sunt Simonis,

Digitized by Google

qui existimabat donum Dei pecunia possideri, et ob hoc maledictionis ejus participes erunt, qua ille maledictus est a Petro, qui dicebat : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri* (*Act.* VIII).

XXI. Sicut autem ex his, quæ dicta sunt animadverti potest, nequior et magis temeraria fuit negotiatio illius, quam istorum. Nequior, quia apostolis quibus purificari voluit, invidebat gratiam Dei, *et in felle amaritudinis suæ* (*ibid.*), sicut et postea factis demonstrabat ; sed isti nullam hujusmodi paritatem cum sanctis habere affectant, neque invident sanctitati eorum, sed potius eos venerantur. Temerarie magis, quam impudenter et manifeste pro gratia Dei pecuniam obtulit, quasi esset res venalis ad forum. Isti vero non directe munus intendunt ad donum spirituale, sed ad commodum sæculare, quamvis tamen in hoc culpabiles sint, quod sciunt ad neutrum accedendum esse per pecuniam, ipsi vero ad utrumque accedunt per eam. Quod ergo Simon principaliter existimabat possidere, isti secundario existimant in sua negotiatione. Existimabat, inquam, id est in mente tractabat. Nam verbum existimationis non hoc loco pro incerta opinione accipiendum est, sicut nec in illo loco, ubi Apostolus dicit : *Existimo enim quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). De Simoniacis non manifestis et non convictis hæc diximus, ad ostendendum quod ordines ecclesiasticos possint dare, et quod ratæ habentur ordinationes eorum : qui etsi convicti fuerint aliquando de Simonia, manent tamen in ordinibus suis hi qui ab eis fuerunt ordinati, antequam manifestum fieret eis illos Simoniacos esse : quod utique non permitteretur, si nullos ordines dare potuissent. Dicit enim de talibus papa Urbanus sic : *Qui ordinantur a Simoniacis, quos cum ordinantur nesciunt Simoniacos esse, qui et tunc pro Catholicis habentur, eorum ordinatio misericorditer sustinetur.* Misericorditer, inquit, quia secundum rigorem justitiæ deponi possent, non quia ordines non habeant, sed ad majorem confusionem eorum a quibus ordinati sunt, et ad terrorem aliorum, qui Simoniace negotiari non timent, quibus eadem misericordia annumeratur, et illi qui cum sciant ex aliquorum relatione ordinatores suos Simoniacos esse, probare tamen hoc non possunt, nec debent, et ab ordinatione subtrahere se non audent.

XXII. At, si qui ordinati sunt a Simoniacis convictis et damnatis, horum ordinationes cassatæ sunt a Patribus, et cessare jussi sunt a ministeriis suis. O Cathari, hoc vos scire volo, quod ea quæ varie dixi, de his quæ in Ecclesia gesta sunt, et quæ a Patribus statuta et dicta sunt in ea, non propter vos tantum dixi, sed magis propter nostros indoctos populos, qui pariter nostros et vestros aliquando percipiunt sermones, ut sciant rationabiles nobis sermones non deesse, sed reddendam rationem de his quæ credimus et agimus in Ecclesia Dei. De vobis autem scio quod quidquid loquimur, quantumcunque sit rationabile, vos vestros garrietis errores, sicut vulgo dicitur : *Orem, ovem clamat lupus, quidquid dixeris ei.*

SERMO XI

Contra octavam hæresim de corpore et sanguine Domini.

I. Adhuc os meum patet ad vos, o Antichristi, et sermo mihi non parvus adversus incredulitatem vestram. Infamati estis et de hoc, quod de corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi non eam fidem habeatis, quam Ecclesia catholica confitetur. Ipsa autem hujusmodi est : Credit et confitetur populus Dei in cunctis partibus mundi, ad quas dilatata est religio Christiana, quod dum sacerdotes Ecclesiæ sive sint bonæ conversationis sive malæ, ad altare Dei divinum agunt officium, et super oblationem panis et vini sacra pronuntiant verba, quæ nobis summus sacerdos, id est Christus, et sancti Patres nostri illic dicenda reliquerunt, indubitanter ibi fiat mutatio talis, ut sit ibi sub specie panis et vini caro Christi, quæ inviolata fuit in cruce, et vivus sanguis qui fluxit de vulneribus ejus ; et quod eamdem carnem sumit ipse sacerdos, et omnes qui accedunt ad communicandum cum ipso. Nostra fides hæc est, et sicut aiunt, vos omnino renuitis credere, quod ab aliquo sacerdote sive bono sive malo possit ulla consecratione fieri corpus Domini ; et quod ab aliquo homine sumi possit ad manducandum. Ego autem non diffido, et jam in hoc errore vos esse : quandoquidem cunctos sacerdotes Ecclesiæ, qui sacramenta Dominica tractant, in contemptu habetis, et nihil penditis omne officium eorum. Memini vidisse aliquando in præsentia Coloniensis archiepiscopi Arnoldi, quemdam non parvi nominis virum, qui de schola Catharorum reversus fuerat ad suos, a quo dum inquireremus diligenter, quæ essent hæreses illorum, ita respondit : Brevi sermone ea de quibus interrogatis, concludam : *Omnia quæ creditis, omnia quæ agitis in Ecclesia, illi falsa et inania judicant.* Hæc ergo cum dixisset, sufficit responsio archiepiscopo, et nil amplius ab eo requirendum esse judicavit. Hinc credibile est mihi et illam incredulitatem, de qua dixi, non deesse malitiæ vestræ. Sive autem quod credimus credatis, sive non, ut in hac quoque parte fidem nostram rationabile fundamentum habere cognoscatis, verba evangelicæ et apostolicæ Scripturæ, quæ manifestum testimonium ei perhibent, inducenda nobis sunt.

II. Sancti evangelistæ, ubi loquuntur de cœna Domini, quam habuit cum discipulis suis ante passionem suam, dicunt quod vespere facto, discumbebat Dominus cum discipulis suis, et *manducantibus illis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait : Accipite et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Accipite et bibite ex hoc omnes ; hic est enim sanguis meus Novi*

Digitized by Google

Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in A *remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI). Recte animadvertite omnia hæc verba. Benedixit panem et dedit eis, et dixit : *Hoc est corpus meum.* Et ut certius eis et nobis fieret, quod vel quale corpus illis verbis significaretur, determinavit, cum addidit dicens : *Quod pro vobis tradetur.* Similiter et de sanguine determinavit cum dixit : *Hic est sanguis meus qui pro vobis et multis effundetur.* Ex his ergo verbis credimus indubitanter, quod idem corpus, in quo tunc præsens coram illis apparuit, cum hic loquebatur, et quod postea in cruce pependit, et mortem ibi sustinuit, eis dedit comedendum : et eumdem sanguinem, qui de vulneribus ejus profluxit dedit eis bibendum. Humano sensui impossibile quidem est, ut intelligat qualiter id fieri posset; B habet tamen rectam et firmam rationem, quare hoc indubitanter credere debeat. Quæ est illa ratio, qua credi debeat illud quod foris videbatur esse panis, fuisse ipsum corpus Domini ? quod Dominus Jesus Christus Filius Dei hoc dixit, qui mentiri non potuit. Vere mentiri non potuit, quia Deus fuit, quia veritas fuit, sicut ipse de se testatur dicens : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV).

III. Ego indubitanter credo, quod de corpore suo potuit facere quidquid voluit, quia de ipso scriptum est : *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra* (*Psal.* CXXXIV). Dominus totius naturæ fuit, et ideo credo quod hoc facere potuit sua cœlesti benedictione, ut panis ille quem benedixit C transiret in substantiam corporis sui, et ut invisibili et inexcogitabili modo veniret in os Petri, et transiret in intima spiritus ejus, cæterorumque discipulorum, quibus illud porrexit, quia spiritualis cibus ille erat, proprie ad animam pertinebat. Credo quod potuit facere de corpore suo sicut et potuit alia multa facere de eo, quæ videntur impossibilia ei qui non credit, et qui non hoc considerat, quoniam Dominus erat qui in corpore illo habitabat. Sumpsit corpus illud de virginis utero, et produxit illud in mundum, clauso utero matris. Ipse corpus illud tulit super aquas maris, ita ut non mergeretur ubi mergebatur Petrus; sed non submergebatur, quia ab ipso adjuvabatur. Ipse cœlestem claritatem ostendit in corpore suo, dum adhuc futurum ei erat D ut pateretur et moreretur : tunc videlicet quando se coram discipulis suis transfiguravit in monte, et quando resplenduit facies ejus ut sol (*Matth.* XVII). Ipse corpus illud propria virtute suscitavit a morte, et clauso sepulcro eduxit illud foras, et ubi erant discipuli congregati in domo, clausis januis cum eodem corpore introivit, et stetit in medio eorum. Ipse quoque idem corpus de terra potenter sublevavit, et in summo cœli super omnes choros angelorum collocavit. Hæc omnia in evangeliis scripta sunt, et credimus ea, quamvis incredibilia videantur secundum communem rerum naturam, et quamvis considerare et invenire nesciamus, quali modo hæc fieri potuissent. Credimus autem quod vere potuit Dominus facere, et fecit omnia hæc, quia Deus erat, cui nihil impossibile est. Et eadem ratione credere hoc debemus, quod et illud potuit facere de corpore suo, quod supra diximus, videlicet quod dedit illud manducandum discipulis suis, quando dicebat : *Accipite et manducate ex hoc omnes, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

IV. Ubi dicit Evangelista, quod fregit Dominus panem, quem discipulis porrigebat : et quo dixit eis ut manducarent. In illa fractione et illa comestione non hoc intelligendum est quod intelligitur, cum dicitur de alio communi pane quod frangatur, et quod manducetur. Nam in ista fractione et comestione panis pars una omnino ab alia separatur ita, ut non maneat aliqua integritas in pane qui frangitur et manducatur. At postquam panem illum Dominus benedixit, non erat ibi vera substantia panis, sed species panis, et sub illa specie verum corpus Christi; et non erat illa fractio in substantia corporis Domini, sed in illa visibili specie panis, quæ adhuc immutata permanebat, sicque manducabat corpus Christi, ut tamen integrum permaneret et inconsumptum. Illa ergo manducatio qua corpus Christi manducabant, non erat similis comestioni qua alios communes cibos manducabant. Quod enim ore sumebant, fide et dilectione intus in anima manducabant, et ibi virtute illius panis sanctificati sunt. Similitudinem quamdam hujus rei attendite. Cum docet spiritualis magister in Ecclesia populum, unam dicit aliquando sententiam quam suscipit unusquisque corporali aure, et transit ad corda singulorum tota, et ita quodammodo dividitur inter eos, et tamen integra manet apud eum qui docet. Ita etiam discipuli Domini sanctum cibum corporali quidem ore suscipiebant, et ita transiit totus ad singulorum corda, et hoc modo dividebatur inter eos, ut tamen integer maneret, apud eum qui dabat.

V. Animadvertite nunc et illud, quod Dominus, cum dedisset discipulis suis corpus suum, ac dixisset : *Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, subjunxit dicens : *Hoc facite in meam commemorationem.* Si estis eruditi de Scripturis sanctis, ut vobis videtur, et vos jactitare soletis, dicite quidnam verbis istis Dominus significare voluerit, et quid discipulos suos jusserit facere in suam memoriam dicendo : *Hoc facite in meam commemorationem.* Negare, ut puto, non potestis, quin illud quod ei manu porrigebat, et quod formam panis habebat, significaret dicendo : *Hoc facite.* Si autem illud nihil aliud erat nisi panis, nunquid dicitis quod eos jusserit facere panem in memoriam sui ? Sed hoc dicere stultum est. Erat autem aliud quam panis quod sub specie panis ibi erat, id est corpus ejus, sicut patet ex eo quod dicebat : *Hoc est corpus meum;* et illud jussit eos facere in commemorationem passionis et mortis suæ. Itaque in eo quod dixit : *Hoc facite in meam commemorationem*, dedit tam eis quam omnibus ad quos perventurum erat sacerdotale officium ab ipsis, potestatem faciendi

Google

cum oratione et benedictione corpus et sanguinem suum. Quod dicuntur sacerdotes corpus Domini facere sive conficere, quod idem sonat in laico sermone, non ita intelligimus, quod ipsi corpus Domini quasi de novo creent et ei essentiam dent; sed eorum facere nihil aliud ibi est, nisi quod super illud visibile sacrificium quod in altari est, faciunt officium suum, et dicunt orationes et benedictiones, et statuta signa faciunt, et tunc virtute divina præstatur, ut sit ibi verum corpus Domini, et verum sanguis ejus, ubi prius nihil aliud erat nisi panis et vinum.

VI. Illud ergo opus sacerdotum quod tunc agunt, tali modo loquendi designari solet, ut ipsi dicantur facere corpus Domini. Et est fortasse sumptus hic modus loquendi ex eo quod Dominus tunc dicebat: *Hoc facite in meam commemorationem.* Aut si cui videtur id quod dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem*, ita intelligendum, ac si diceretur: manducate corpus meum in meam commemorationem, ut per hoc secundo repetatur quod supra dixerat, *accipite et manducate*: non adversabor, licet non ita apte conveniat hic sensus litteræ constanti, ut id quod supra dictum est. Nihilominus tamen in eo ipso quod eos jussit manducare corpus suum, et sanguinem bibere, et etiam post passionem suam in commemorationem mortis suæ, potestatem eis dedit conficiendi corpus suum et sanguinem per benedictionem, quam ipse eos suo exemplo docuit, et qua ipsi postea usi sunt in consecratione Eucharistiæ, et aliis eam reliquerunt, in quos sacerdotale officium ab ipsis pervenit. Nisi enim hanc potestatem eis dedisset, unde possent habere corpus Domini ad manducandum, et sanguinem ejus ad bibendum, etiam post resurrectionem ipsius?

VII. Dicetis forte insaniam hanc: potuit quidem aliquo modo fieri, ut Dominus ante passionem suam daret discipulis corpus suum ad manducandum, et sanguinem suum ad bibendum in sui commemorationem, id est ut postea sui memores essent; sed nullo modo fieri potuit post passionem et resurrectionem suam, ut per aliquam benedictionem habere possent corpus ejus ad manducandum, sive sanguinem ejus ad bibendum. Ad quod primum dico: quod si illam commemorationem ita exponitis, non recte intelligitis Scripturam. Quomodo enim intelligenda sit, ex verbis Apostoli patet, ubi illud verbum commemorationis Corinthiis exponens ait: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (*I Cor.* xi). Ex quibus verbis intelligitur, quod manducatio illa corporis Domini, quæ est sub specie panis, et bibitio calicis, id est sanguinis Domini, annuntiatio, id est testificatio mortis Domini est, quam in cruce sustinuit. In eo autem quod addidit: *donec veniat*, subintelligendum est: Dominus ad judicium: et in hoc significavit, quod hæc annuntiatio mortis Christi per communicationem corporis et sanguinis ejus non deerit in Ecclesia usque in diem judicii. Patet itaque ex verbis apostoli, quod etiam post passionem Dominicam fideles Christi manducare potuerunt corpus Domini, et sanguinem ejus bibere. Manifestum est etiam verbis Pauli, quod sancti apostoli, et eorum sequaces, benedictiones fecerunt super sacrificium Domini ad implendum sermonem Domini, quem eis mandaverat de corpore et sanguine suo conficiendo, sumendo in memoriam ejus. Dicit enim in Epistola ad Corinthios sic: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est?* (*I Cor.* x.) Id est, nonne corpus Christi est, quo participamur? In eo autem quod dixit *benedicimus*, non solum significavit, se et alios apostolos habere potestatem faciendi benedictiones super sacrificium altaris, sed et Corinthiorum presbyteros quibus scribebat, et quibus multa mandabat de sacramento corporis et sanguinis Domini, quomodo digne illud tractare deberent. Hoc vero superflue eis mandasset, si nullo modo fieri posset, ut manducaretur corpus Domini, aut biberetur sanguis ejus in Ecclesia.

VIII. Fuit mihi concertatio de his rebus quadam vice in domo mea Bunnæ, cum quodam viro qui suspectus erat nobis quod esset de secta Catharorum: et contigit ut incideremus ad loquendum de sacerdotibus malis, et dicebat ita de eis: Quomodo fieri potest, ut qui tam irrationabiliter vivunt, distribuant in Ecclesia corpus Domini? Et dixi ei: Nonne legimus quod Pilatus qui Salvatorem crucifixit, et infidelis erat, in potestate habuit dare corpus ejus cui vellet, et dedit hoc Joseph viro justo? In eadem patientia Dominus est etiam nunc, et tolerat malos sacerdotes, et sinit eos potestatem habere in Ecclesia, et distribuere corpus et sanguinem suum tam bonis quam malis: et continuo ille subjecit dicens: Post illud tempus passionis suæ, ipse non venit in manus eorum. Ex his verbis satis intellexi incredulitatem ejus, quam suspicatus fueram de eo, videlicet quod non credebat ab aliquo homine posse tractari, aut sumi in Ecclesia corpus et sanguinem Domini. Dixique ei cum indignatione: O Cathare, nunc te manifeste convincam: et revolvi epistolas Pauli, quas præsentes habebam, et demonstravi ei locum illum ubi ad Corinthios scribens dicit: *Quicunque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Quicunque enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini* (*I Cor.* xi). Hæc verba cum illi exposuissem, comprehendi eum sermone hoc: Si ita est, inquam, ut dicis, videlicet quod ex eo tempore quo Dominus transiit ex hoc mundo, non venit corpus ejus in manus cujusquam, consequens est, quod ex illo tempore neque digne neque indigne potuit aliquis manducare corpus ejus, aut sanguinem ejus potare: et si non potest ab aliquo sumi indigne, nemo potest in eo sumere sibi judicium. Frustra sermonem illum dixit Apostolus, quod qui

Digitized by Google

indigne sumit corpus et sanguinem Domini, judicium sibi manducat et bibit. Hæc cum dixissem, conticuit, et neque incredulitatem, quam in eo redarguebam, negavit, neque veritati, qua convictus erat, consensit.

IX. Et nunc de eadem Scriptura alloquor et vos adversarios meos : Si non est ita ut credimus, quod sacerdotes Ecclesiæ consecrent corpus et sanguinem Domini, et si non potest fieri ut ab aliquo homine sumatur, nunquid potestis dicere nobis, quis sit ille panis aut calix Domini, in quo sibi judicium manducat et bibit qui indigne illud manducat et bibit, et ex quo multos etiam contigit corporaliter infirmari, et mori dum indigne communicant? Quod est illud corpus Domini quod dijudicandum esse Apostolus demonstrat; et quid est dijudicare corpus Domini? Omnia certe hæc superflue et vane dicuntur, si ipsum verum corpus Christi communicabile hominibus non est. Ego vobis sensum Scripturæ, de qua nunc sermo est, explanabo, licet indignos vos esse cognoscam, sed hoc magis facio propter nostros simplices populos. Panem et calicem Domini appellat Apostolus corpus et sanguinem Domini, quia sub specie panis et vini ista sunt in altari; et quamvis ibi non sit vera substantia panis et vini, postquam consecratio facta est, tamen est ibi sapor, et color, et forma panis et vini. Et quidem si non esset in illo sacrificio alia substantia nisi ipse panis et vinum, non in illo cibo aliquis manducaret judicium, id est damnationem suam, magis quam in aliquo alio cibo : neque propter illam manducationem contingeret aliquos infirmari aut mori, cum non sit periculosus cibus, simplex panis et vinum. Forsitan quia panis est benedictus, et vinum est benedictum; ideo qui indigne manducat panem *illum*, et vinum illud bibit, judicium sibi manducat et *bibit* : et forte infirmatur aut moritur, quia benedictionem sanctam non bene honoravit. Si hoc dicitis, interrogo quare dixit : *Reus erit corporis et sanguinis Domini qui indigne manducat panem illum, et calicem bibit?* (*I Cor.* XI.) Si non est ibi nisi simplex panis benedictus, et simplex vinum benedictum, rectius dixisset, reus erit benedicti panis, et benedicti vini indigne accepti; sed dixit : *Reus erit corporis et sanguinis Domini*, subintelligimus, indigne accepti, et quodammodo perditi, quantum in ipso est.

X. Animadvertite nunc et hoc, quod dicit eum non dijudicare corpus Domini, qui de pane illo Dominico indigne edit aut de calice bibit. Si quis prave et sordide vivit, et sine timore peccatorum suorum audacter accedit ad communicandum corpori et sanguini Domini, quasi sit alius cibus, hic indigne communicat, et hic non dijudicat, id est non discernit corpus Domini ab aliis cibis per timorem et reverentiam Dei. Item et si sit homo caste et sobrie vivens, et tamen non credat vere esse corpus Domini illud, quod a sacerdotibus Ecclesiæ in altari consecratur per orationem et benedictionem; hic si propter aliquam simulationem accedit ad sanctam communionem, edit indigne corpus Domini, et non discernit illud ab aliis cibis per fidem Catholicam, et manducat ac bibit sibi judicium, id est damnationem. Hoc tu, infelix Cathare, facis, qui in occulto negas verum corpus Christi esse in altari : et omnia quæ a sacerdotibus nostris in ecclesia aguntur, in textrina tua irrides, et nihilominus adveniente paschali die, cum populo ad ecclesiam properas, barbam reverenter complanas, et multo humilius cæteris genua tua ad altare incurvas, atque hiantius buccam aperis ad accipiendum sanctam communionem, videlicet tuam æternam damnationem, quatenus videaris hominibus bene Catholicus ac religiosus, et ut hi quos per pecuniam conducitis ad tuendum vos, dicere possint in defensione vestra : Quid requirimus ab hominibus istis? Boni et justi sunt; et omnia agunt quæ pertinent ad Christianos : utinam nos tales simus!

XI. Ab uno viro qui de angulis vestris exierat unam talem sapientiam vestram audivi : Corpus vestrum Domini est, et corpus Domini facitis quando panem vestrum benedicitis, atque ex eo corpus vestrum reficitis. Hunc sermonem dolose significatis, quando inquiritur a vobis, utrum vere fidem habeatis de corpore Domini, et respondetis inquirentibus, bonam vos de corpore Domini fidem habere. Si ergo hæc ita se habent, et si hoc est verbum occultæ sapientiæ vestræ, scitote quia non est hæc sapientia a Domino Deo, sed adinvenit eam princeps vester diabolus, ut per talem sermonem daret infidelitati vestræ aliquem colorem, in quo similis esset fidei Catholicæ, quo minus abhorreret eam populus stultus, quem trahitis post vos. Nolite, misera gens, fallere vosmetipsos inanibus verbis! Verum quidem esse fatemur, quod omne corpus, omnis caro, Domini est; cujus est terra et plenitudo ejus, et justorum hominum non solum animæ, sed et corpora membra Christi dicuntur, ut apud Paulum, qui dicit : *An nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt?* (*I Cor.* VI.) Nusquam tamen hic modus loquendi in Scripturis invenitur, ut corpus alicujus hominis, quantumlibet sancti, vocetur corpus Domini, vel alicujus caro vocetur caro Christi, præter illud unicum corpus, quod unitum est divinitati in Domino Salvatore. Hoc singulariter vocatur corpus Domini, et caro Christi in Scripturis : et ubicunque loquitur Scriptura aliquid hujusmodi, quod corpus Domini manducandum sit a fidelibus, ita hoc dicit, ut non possit sermo ille intelligi de aliquo alio, nisi de illo singulari corpore personæ Christi. Videte quod Dominus in Evangelio sic ait : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Nunquid putatis quod hoc de aliquo hominis filio possit veraciter intelligi, præter illum unicum Filium hominis, Christum virginis filium? Nunquid putatis quod mactandus sit aliquis homo,

Digitized by Google

et coquendus aut assandus, et sic manducandus, ut vita æterna habeatur? Non hoc certe præcepit Deus in lege sua, qui dixit : *Non occides* (*Exod.* xx). Etiamsi sine peccato occidi possit homo et manducari, non habet tamen tantam vim humana caro, ut suo gustu possit alicui præstare vitam æternam. Ex hoc ergo scitote, quod Dominus singulariter de suo corpore, quod divinitati erat unitum, loquebatur cum dicebat : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem*, etc. Filium hominis se solebat appellare Salvator, nec usquam in Evangeliis hac appellatione signifi atus est alius aliquis, præter ipsum. Hinc scimus quoniam et hoc loco ubi dixit de carne Filii hominis, se singulariter significavit.

XII. Ut autem certius fieret, de quo filio hominis hic loqueretur, et qualem vitam promitteret his, qui manducarent carnem ipsius, et sanguinem biberent, postea et alio loco ait : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Vera quidem caro est caro Christi, sed in multis ab omni alia carne singularis est, et tali modo manducatur, quo nullus alius cibus manducatur, sicut et supra ostensum est. Unita est divinitati, et ea hanc habet virtutem, ut qui eam digne manducat, vitam æternam in ea manducet, quia sanctificatur per virtutem deifici Spiritus, qui carni adjunctus est. Qui vero indigne manducat; huic ipsa caro non prodest aliquid, sicut et ipse Dominus testatus est dicens : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam* (*Joan.* vi). Non solum autem non prodest caro illa indigne manducanti, sed et nocet, quia *judicium sibi manducat in ea.* Disperdit enim illum Deus inhabitans carnem sanctam, et ulciscitur injuriam habitaculi sui. Sicut autem singularis est illa caro ab omni alia carne, ita et de ea ordinavit Deus, ut singulariter manducetur, et aliter quam aliquis alius cibus. Nam sub specie panis in altari nobis virtute divina præsentatur, et videtur et tangitur : in sapore panis gustatur et manducatur, sicut et sanguis Dominicus in specie vini nobis præsentatur, et in sapore vini gustatur et hauritur. Fractio ibi videtur, sed ea in sacramento est tantum, id est forma visibilis panis. Communio partium in manducando sentitur, sed item in solo sacramento est : ipsa autem substantia Dominici corporis, quæ in sacramento latet, integra manet et incorrupta. Manducatur hic cibus, sed non consumitur ut alius cibus : ad animam transit, animam confortat et illuminat, eamque conducit ad vitam æternam. Singularitas ista in illa sancta carne est, quam de virginis utero Filius Dei assumpsit, sibique eam segregavit ex omni carne quæ sub cœlo est, ut hæc mirabilia operetur in ipsa ad salutem electorum suorum. Propterea non vobis durum videatur credere specialiter de hac carne dictum esse illud, quod supra ex Evangelio inductum est : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* et illud : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*ibid.*); aliaque similia his.

XIII. Quidam discipulorum Christi qui talia ipsum dicentem audierant, murmurabant dicentes : *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Et conversi retro discesserunt ab eo* (*ibid.*), et ultra non ambulaverunt cum ipso. Æstimabant enim quod diceret eis se manducandum ab eis in ea specie qua apparebat inter eos, ita ut per frusta concideretur, et dentibus eorum dilaniaretur : et ut sanguis ejus specie sanguinis hauriretur ab eis. Ipse vero non hunc modum manducandi eis significabat, sed illum manducationis modum, quo vere quidem caro Christi manducatur, ita tamen ut manducanti videatur non se manducare carnem, sed panem : et ut bibenti sanguinem ejus videatur non se sanguinem potare, sed vinum. Hoc vere idcirco ita fieri ordinavit Deus, ut tanto majus sit meritum ejus, qui cum tali fide utrumque sumit, ut credat potentiam Dei tantam esse ut hoc facere possit : et bonitatem ejus tantam esse, ut hoc dignetur facere pro hominis dilectione. Item et propter hoc voluit Dominus carnem suam manducari, et sanguinem suum potari in alia specie quam est, ne nimium expavesceret quisquam manducare carnem illam et sanguinem illum potare, si videret utrumque in propria specie; et ut tanto minorem occasionem haberent Judæi sive pagani irridendi Christianos, ac dicendi quod manducarent Dominum suum, et biberent sanguinem hominis occisi.

XIV. Vir quidam nostri temporis qui infamatus erat, quod de Cathara vestra gustasset, cum interrogaretur in extremis suis, an vellet dari sibi corpus Domini, dixisse memoratur : Si esset illud corpus Domini tantæ quantitatis, ut est petra Eremberti (5), jamdudum esset consumptum, ex quo primum cœpit manducari. Verbum irrisionis erat hoc, et ex infidelitate processit, in qua, ut dicunt, et vos estis absorpti : unde et vos eodem verbo convenio. Nunquid creditis verum esse quod Dominus Jesus Christus de quinque panibus quinque millia hominum satiavit, et quod saturatis superfuerunt duodecim cophini fragmentorum? Negare hoc non potestis, nisi evangeliis contradicere velitis, in quibus manifeste hoc legitur. Et nunquid non creditis, quin et per eamdem virtutem qua hoc miraculum fecit, potuisset et alios plures illis quinque millibus satiare ex eisdem panibus? Dubium non est quin potuisset. Plus enim panis erat in duodecim cophinis fragmentorum, quæ superaverant manducantibus, quam fuisset primo in illis quinque panibus antequam eos distribuere cœpisset in turbas. Nam forte in uno duodecim cophinorum aut duobus potuissent fuisse contenti panes illi, qui ab uno puero illic bajulabantur. Idcirco autem plus superesse voluit Dominus, quam distributum fuisset, ut

(5) *Hermelstein* e regione Confluentiæ.

Digitized by Google

intelligeretur nondum ita coarctatam fuisse potentiam ejus, quin adhuc ex eisdem panibus multo plura millia satiare potuisset. Id ipsum autem miraculum quod fecit de quinque panibus, poterat sine dubio fecisse de uno, et non solum de uno integro pane, sed et de buccella panis hoc facere potuit. Omni dubitatione remota credere possumus, quod eadem virtute qua potuit de nihilo facere omnia, posset et micam panis ita multiplicare, ut inde satiaret infinita millia hominum. Qua ergo ratione diffidere possumus, quod eadem virtute possit hoc miraculum facere de corpore suo, ut quotidie in sacramento manducetur a multis in Ecclesia sua, et tamen nunquam manducando consumatur? Certe sicut olim Christus in cœna sua inconsumpto et integro corpore coram discipulis sedebat ea hora, qua manducabant corpus ejus, ipso dicente : *Accipite et manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur* (*I Cor.* XI.); sic et nunc eisdem horis eisdemque momentis, quibus per diversos fines mundi in ecclesiis manducatur corpus ejus, sedet inconsumpto corpore ad dexteram Patris in cœlo. Non ex hoc nostro humano sensu hanc fidem habemus, sed ex Scripturis veritatis, quæ sunt a Spiritu sancto, et in quibus totius Catholicæ fidei fundamentum universa Christi Ecclesia habet.

XV. Tu vero, o Cathare, hanc fidem in absconditis tuis irrides quasi stultitiam magnam. Infelix! quomodo audes stultitiæ deputare hoc, quod facit sapientia Dei? An impossibile est, annon licet Christo, qui est Dei virtus et Dei sapientia, de corpore suo facere quod vult? An oculus tuus nequam est, quia ipse bonus est? Vere bonus est, quia electorum suorum causa multa fecit, et adhuc facit, quæ ei ab inimicis suis, videlicet Judæis et paganis, et similibus tui, reputantur ad stultitiam et ad infirmitatem. Sed sicut dicit Apostolus : *Quod stultum est Dei, sapiens est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (*I Cor.* I). Non possum, inquis, credere hoc, quod dicitur de corpore Christi, quia nullatenus intelligo qualiter esse possit. Insipiens homo! nunquid putas Deum nihil posse facere, quod tu non possis intelligere? Et quid est in omnibus quæ credere nos oportet, quod homo super terram vivens suo sensu valeat omnino penetrare aut intelligere quomodo sit, aut quomodo fuerit? Jam tandem pone pertinaciam, inimice veritatis; et crede securus ea, quæ dixi, quia nihil periculi ex hac fide patieris, imo et multum fructum ex ea invenies. Si vero non credideris, in infidelitate tua æternaliter peribis. Secure dico, quia quod nihil ex ea fide quam prædico, periculi patieris, quia sancti viri, qui fuerunt ante nos, quorum sanctitas prædicatur, et glorificatur in universo mundo, in hac fide salvati sunt. Sancti apostoli et apostolici Patres celebrasse leguntur, in ea fide qua crediderunt, se corpus et sanguinem Domini conficere et accipere, et aliis dare.

XVI. Legitur quod accidit aliquando, ut hæc infidelitas de corpore Christi qua vos irretiti estis, etiam in populo Romano increvisset, et magnam partem civitatis occupasset tempore Gregorii papæ, qui cum oraret pro infidelitate populi et inter missarum solemnia secundum consuetudinem obtulisset super altare Dei panem et vinum, et solitas benedictiones fecisset, hoc precibus a Deo obtinuit, ut appareret ibi caro Dominica sicuti erat, et ostenderetur his qui aderant in specie carnis, quæ prius illic fuerat in specie panis, sicque liberatus est populus ab infidelitate hac. Legimus de sancto Martino Turonensi episcopo, qui non minor sanctis apostolis habebatur, quod dum sacramenta corporis et sanguinis Domini in ecclesia offerret, globus igneus apparuit super caput ejus. Signum hoc indubitanter a Deo erat, et demonstravit Deus in hoc meritum sancti viri, et officii ejus sanctitatem honoravit. Quod nequaquam fecisset, si falsa et inanis esset fides ejus, cum qua astabat altari divino, et qua credebat adesse in manibus suis corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Tales itaque viros confidenter sequi potes in ea fide, qua ipsi nos præcesserunt, et quam a talibus scriptam habemus in libris quos reliquerunt post se. Manes tuus manet in inferno, isti vero manent in cœlo. Tu fuge Manem et infernum : hos nobiscum sequere, ut cum eis pariter maneamus in æternum. Quod præstare dignetur Jesus Christus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.

SERMO XII.

Contra nonam hæresim de humanitate Salvatoris.

I. Ædificium sine fundamento, ut opinor, construxi. Nam qui bene vos noscunt, Salvatoris humanitatem negare vos dicunt. Quod si ita est, vane operam consumpsi disputans vobiscum de corpore et sanguine Domini. Non est autem incredibile mihi, insani magistri insanos esse discipulos. Nam princeps erroris vestri Manes, Salvatorem nostrum ita in humanitate apparuisse docebat, ut videretur quidem homo esse, et non esse vere homo : et quod nec vere natus fuisset de virgine, neque vere passus, neque vere mortuus, nec vere a morte suscitatus, sicut et duo magi Zoroe et Arphaxat ante ipsum a Persia docuisse leguntur. Quod si in hoc errore illum sequimini magis quam sancta Evangelia, de quibus vos jactatis, quod vos soli ea sciatis et observetis, procul dubio aut cæci estis, aut insani. Cæci estis, si in eis humanitatem Christi non intelligitis, quæ ibi manifeste prædicatur; insani autem, si vere intelligitis, et tamen obstinata mente evangelistis contradicere audetis. Si essetis Judæi, forsitan longam disputationem ex lege et prophetis de hac re vobiscum aggrederer. Nunc autem cum vos profiteamini esse Christianos, et Evangelia legatis et sciatis, sicut dicitis, non me sinit indignatio de hoc adversum vos longo sermone laborare. Legitis enim ibi manifeste, quod eadem humanæ naturæ infirmitates in carne sua sustinuit, quas naturaliter pati et alii homines solent. Esurivit et sitivit, lassatus

Digitized by Google

est ex itinere, dormivit, flevit, tristatus est, sicut evangelistæ testantur, quos, ut puto, non audetis dicere fuisse mentitos. Quod si vere non fuit in eo substantia carnis, sed umbratillis quædam similitudo corporis humani, nullo modo ista vera potuerunt esse de eo.

II. Dicitis forte, quod quia assimilavit se esurire, sitire, et cætera omnia quæ diximus, ideo evangelistæ ita de eo locuti sunt, ut illos gestus simulationis ejus talibus exprimerent verbis. Filii Belial! qua vos audacia imponitis simplici agno simulationis duplicitatem, veritati, quæ Deus est, falsitatem? Ipse verum corpus et animam se habuisse testatus est: et qua temeritate vos dicitis neutrum in ipso fuisse, et magis credendum in hoc arbitramini fallaci Manichæo, quam veraci Deo? Verum corpus habere se testabatur, quando ad discipulos suos dicebat: *Videte manus meas, et pedes meos, quia ego sum; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes* (*Luc.* XXIV). Et post hæc cum obtulissent ei ad manducandum partem piscis assi et favum mellis, manducavit coram illis. Animam quoque se habere ostendit in eo, quod imminente sibi passione sua dicebat: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). Similiter et in eo quod dicebat: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* X). Quid ergo dubitas, infelix Cathare, veram humanitatem cum habuisse, quem ex verbis ipsius intelligere potes verum corpus hun anum et animam habuisse? Si dubitas eum de virginis utero corpus assumpsisse, curre, miser, ad Evangelium Lucæ, in quo leguntur verba angeli ad Mariam loquentis hoc modo: *Ecce concipies in utero, et paries filium* (*Luc.* I). *In utero*, inquit, *concipies*, ut intelligas de ipsa carne virginalis uteri, et non aliunde eum carnem assumpsisse. Item id ipsum intelligere potes ex verbis angeli, quæ ut Matthæus scribit, ad Joseph locutus est hoc modo: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Matth.* I). *In ea*, inquit, *natum est*, ne putares umbratile aliquid, et non veram carnem eum eduxisse de utero matris, vel aliunde quam ab ipsa, corpus eum assumpsisse, ut infelix Valentinianus dicebat, Christum de cœlo corpus attulisse in uterum matris, ac per eam quasi per fistulam cum transisse in hunc mundum, vel sicut Apelles hæreticus dicebat, non de cœlo, sed ex aere cum corpus assumpsisse, quod produxit de virgine. Item ad hoc ipsum pertinet quod Apostolus dicit: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* (*Gal.* IV). *Factum*, inquit, *ex muliere*, ut intelligas substantiam corporis ejus de substantia virgineæ carnis fabricatam fuisse.

III. Cum vera carne natum fuisse Christum, ex prædictis testimoniis, si quid sanæ mentis habes, intelligere potes: et in vera carne eum fuisse passum et mortuum, ex multis Scripturæ testimoniis evidentissimum est, et nunc unum pro multis inductum sufficiat ex Joannis Evangelio, qui in fine passionis Dominicæ ita ait: *Unus militum lancea latus ejus perforavit, et continuo exivit sanguis et aqua: et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus, et scit ille quia dicit vera, ut et vos credatis. Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt* (*Joan.* XIX). Attende quid ait, quia exivit sanguis et aqua: et quod hoc se vidisse testatur, et scire se rei veritatem dicere, diligenter affirmat, ut nullo modo dubitetur, veritatem carneæ substantiæ in Christo fuisse. Nam si phantasticum corpus habuisset, ita ut non fuisset in eo vera caro, sed inanis et umbratilis quædam carnis similitudo, ut mentitus est vester Manichæus, non magis de corpore ejus lancea perforato, quam de vento percusso potuissent profluere sanguis et aqua. Quod vero in eadem carne, in qua natus est, et passus etiam resurrexit, ex verbis quæ supra induxi, patet, quæ post resurrectionem suam dixit, ostendens discipulis suis manus suas et pedes: et ex eis quæ dixit Thomæ dubitanti. Si sufficere possunt hæc quæ dixi ad comprobandum vobis veritatem humanæ naturæ, quæ in Christo Jesu, sufficiant; sin autem, maneat infelix Catharus cum suo Mane in mendaciis suis: *Et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII), et pereffluat in perditionem loquentium mendacium.

SERMO XIII.

Contra hæresim decimam de humanis animabus.

I. De hæresi quam supra inter cæteras decimo loco ordinavi, nescio an sit generalis hominibus sectæ hujus, quia in plerisque rebus dissident a se ipsis, ita ut quod a quibusdam eorum asseritur, ab aliis negetur. De ea hæresi loquor, qua dicunt nihil aliud esse animas humanas, nisi illos apostatas spiritus, qui in principio mundi ceciderunt a regno Dei; et hos posse in corporibus humanis promereri salutem: non autem nisi inter eos qui sunt de secta eorum. Hoc autem non legitur inter errores Manichæi, sed alia non minor de animabus ibi invenitur, idcirco dubium mihi est, ut dixi, utrum hi homines hunc errorem generaliter teneant, annon. Quod sive ita sit, sive non, quamvis ad magnam clementiam pertineat hic sermo, et juste non ab aliis argumentis compesci deberet, nisi virga et baculo; rationabilia tamen responsa dare nos decet etiam insanis. Est autem hic error ita abominabilis, et humanæ rationi contrarius, ut non sit mihi grandis metus de simpliciori populo quod facile in eum posset induci: propterea non multum laboris in hac parte assumere propono, sed brevem contradictionem adversus insensatos adduco.

II. Ex antiquo hoc in communi fide est, et sacra cripta attestantur, quod ad hoc creavit Deus humanum genus, ut ex eo restauraret cœlesti curiæ numerum angelorum, qui ex ea ceciderunt in exordio mundi. Postquam autem per invidiam diaboli etiam

Digitized by Google

humanum genus lapsum est in peccatum, et de paradiso expulsum est in primis parentibus; Filius Dei in his novissimis temporibus factus est homo, ut humanum genus a peccatis suis, et a potestate diaboli liberaret, quatenus adhuc in eo perficeret quod proposuerat, videlicet ut ex eo cœlestem curiam restauraret, et impleret numerum angelorum suorum, qui fuerat imminutus per ruinam illorum, qui projecti fuerant de cœlo propter superbiam suam. Creditis hoc vos qui ex paradiso estis? Si non creditis, ecce inducam vobis verba apostoli Pauli, ex quibus intelligere potestis ita esse ut dixi. Hic in epistola quam scripsit ad Ephesios de Deo Patre dicit quodam loco sic: *Gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, et remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ suæ, quæ superabundavit in nobis, in omni sapientia et prudentia, ut notum nobis faceret sacramentum voluntatis suæ secundum bonum placitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terris sunt in ipso* (*Ephes.* I). Hoc ergo animadvertite in hoc sermone, quod dicit proposuisse Deum Patrem instaurare in Christo omnia *quæ in cœlis et quæ in terris sunt. Omnia quæ in terris sunt in ipso*, id est in prædestinatione et electione ipsius, id est omnes electos homines, proposuit Deus instaurare in Christo, id est per Christum. Item *omnia quæ in cœlis sunt*, id est totum numerum angelorum, qui fuerat imminutus per ruinam lapsorum spirituum, proposuit instaurare per Christum, ita ut redimeretur humanum genus per ipsum, et loco angelorum collocaretur electorum hominum numerus, atque cœlestis curia ita ad integritatem plenitudinis suæ rediret, in quo primo condita fuerat. Nam si ille numerus ministrorum Dei, quem in principio ad laudem nominis sui creavit, per Christum redintegratus non fuerit, non omnia in cœlis per Christum instaurantur; si vero per ipsum impletus fuerit ille numerus, ita ut tot homines salventur, quod angeli ceciderunt, aut plures, sicut asserunt quidam; et si nihil aliud sunt animæ, quam illi spiritus qui ceciderunt, necessario concedendum est, quod et omnes angeli qui ceciderunt, et omnes homines salvandi sint. Qui erunt ergo angeli quibus Dominus in novissimo dicturus est, et qui erunt homines quibus dicturus est: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus?* (*Matth.* XXV.) Nunquid non cognoscitis hic quoque vos esse mendaces?

III. Intelligite nunc insipientes insipientiam vestram, et *stulti aliquando sapite* (*Psal.* XCIII), et agnoscite quod non descendit Filius Dei de cœlo, ut redimeret a morte æterna dæmones, sed homines qui non sunt dæmones, sed quibus est colluctatio contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, id est adversus malignos spiritus, qui non regunt, ut dicitis corpora nostra, sed potius destrucre nos et in corpore, et in anima incessabiliter student. Non venit salvare malignos spiritus, sed torquere eos, sicut ipsi confessi sunt quando ex obsessis hominum corporibus clamabant ad eum, dicentes: *Quid nobis et tibi, Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos* (*Matth.* VIII).

IV. Hactenus me de his disputasse sufficiat: et si quid minus sufficienter dixi, addat ad hæc prudens defensor veritatis quæcunque ei competentia videntur, ad munimentum Catholicæ fidei, ut arceantur a vinea Domini vulpeculæ pessimæ, quæ demoliuntur eam. Si quid etiam simpliciter et quodammodo grosse videbor dixisse, non ex hoc me despiciet lector, quia ea consideratione feci, ut ubique esset sermo interpretabilis simplici populo, cujus ædificationi præcipue intendi ista scribendo ad laudem et honorem Jesu Christi Dei et Domini nostri, cui est gloria et potestas in cœlo et in terra permanens in sæcula sæculorum. Amen.

Quicunque ad munimentum Catholicæ fidei hunc librum transcripserit, et scriptum diligenter correxerit, scribat nomen ejus Deus in libro vitæ. Rogo scriptorem ut hæc quoque verba ascribat textui suo, et excerptum quod sequitur, non negligat in fine libri sui apponere.

EXCERPTUM DE MANICHÆIS

EX S. AUGUSTINO.

I. Manes, qui et Manichæus a discipulis suis vocatus est, ut vitaretur nomen insaniæ, natione Persa, veniens in partes Græciæ, Spiritum Paracletum se esse affirmavit, quem Dominus Jesus apostolis se missurum promiserat. Hic ex discipulis suis duodecim elegit, eosque apostolos nominavit, ad imitationem Domini Jesu. Quem numerum Manichæi adhuc hodie custodiunt. Nam ex electis suis habent duodecim, quos appellant magistros et tertium decimum principem ipsorum; episcopos autem septuaginta duos, qui ordinantur a magistris: et presbyteros qui ordinantur ab episcopis: habent diaconos suos, et hi omnes *electi* vocantur inter eos. Cæteri vero qui nondum ad hos gradus ascenderunt, *auditores* tantum. Mittuntur autem ex omnibus qui videntur idonei ad eorum errorem, vel ubi est, sustentandum et augendum, vel ubi non est, seminandum.

Digitized by Google

II. Est autem dogma quod a suo hæresiarcha acceperunt, hujusmodi: Creatorem omnium rerum Deum esse negant, sed duo rerum principia esse affirmant, unum bonum, et alterum malum: et hæc sibi coæterna esse et contraria; et bonum quidem principium esse affirmant; malum vero quemdam immanem principem tenebrarum, a quo omne corpus originem ducere censent. Animas autem hominum et vitalem spiritum quorumlibet animantium, et virtutem quæ vivificat arbores, et herbas, et semina, a Deo originem habere dicunt, imo et partem Dei unumquodque talium esse volunt. Nam divinam substantiam omnibus generibus corporum admistam esse credunt. Hanc autem commistionem hac ratione factam esse asserunt.

III. Fuerunt, ut ait Manichæus, ab exordio duæ substantiæ a se divisæ: duo scilicet regna diversa et contraria atque coæterna, videlicet regnum lucis et regnum tenebrarum. Et regnum quidem lucis Deus Pater obtinebat. Hoc quoque substantiam bonam Manichæus appellavit, sive naturam bonam et incommutabilem, et omnino inviolabilem: et hoc non aliud quam Deum esse confessus est. Erat autem, ut ait, juxta unum latus illius illustris ac sanctæ terræ, tenebrarum immensa magnitudo, hancque substantiam malam appellavit, sive fumum malum, sive malam naturam. Distinxit autem eam in quinque elementa, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum: et hæc quinque, malas naturas appellavit. In singulis autem monstra pestifera ac pessima nata fuisse dicebat; in fumo bipedia, unde et ex habitatoribus fumi homines originem habere dixit; in tenebris, serpentia; in igne, quadrupedia; in aquis, natatilia; in vento, volatilia. Unumquodque autem genus in suo elemento manere dixit, omniaque hæc gentem tenebrarum appellavit.

IV. In hac ergo terra morabatur, inquit, immanis quidam princeps, habens circa se innumerabiles principes, eratque ipse omnium horum dux et origo. Ponit autem sedem ejus in elemento fumi. Quoniam ergo terra ista cum suis habitatoribus valde erat pestifera, ac regno Dei contraria, ne forte ipsa regno Dei aliquod inferret nocumentum, placuit Deo expugnare eam, ejusque malitiam aliquo temperamento refrenare. Misit itaque de regno suo alia quinque elementa, quæ de sua ipsius substantia fabricaverat, et hæc quinque illis malis immiscuit, singula singulis, fumo aerea, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum.

V. Facta ergo hac commistione bonæ naturæ cum mala, orta sunt ex illis quinque generibus animantium, quæ supra distincta sunt, omnia hæc genera animantium quæ videmus in terris, ita ut ex singulis singula provenirent: atque ex illo tempore omnia animalia partem bonæ naturæ et partem malæ habere dicunt, eo quod post commistionem boni et mali nata sunt. Hac ergo ratione Adam et Evam ex principibus fumi natos asserunt, quorum pater nomine Saclas, ut dicunt, omnium sociorum suorum fetus devoravit. Et quia magna pars divinæ substantiæ admista erat fetibus illis, ideo maximam partem bonæ naturæ dicunt eum habuisse, et exiguam malæ. Qui cum sancte viveret propter exuberantem copiam boni, commotam tamen fuisse in eo adversam partem mali, ut ad concubitum declinaret, atque ita eum lapsum esse, peccasse, sed vixisse postea sanctiorem. Dicunt autem quasdam cœlestes virtutes ad hoc a Deo ordinatas, ut per totum mundum euntes, bonam illam naturam paulatim purgarent a mala cui immista est, et purgatam duabus navibus imponant, et ad regna sua transmittant. Naves autem illas dicunt fabricatas esse ex pura Dei substantia, et hæ sunt, ut dicunt, sol et luna. Et lunam quidem dicunt factam ex aqua bona, solem vero ex igne bono. Ideoque orationes faciunt ad solem per diem, quacunque circuit; ad lunam vero per noctem, si apparet; si non apparet, ad aquilonem, quia sol cum occiderit ad orientem revertitur.

VI. Ad imitationem itaque cœlestium spirituum etiam electi eorum dicunt se purgare bonam illam naturam a mala, dum comedunt vel bibunt. Quod enim bonæ naturæ immistum est cibis et potibus in ventre eorum, ut aiunt, liberatur, et ipsi illud cum ordinationibus transmittunt ad cœlestia. Quod autem malæ naturæ ibi est, ad secessum vadit. Hoc autem faciunt in omnibus frugibus, et fructibus et seminibus. Dicunt enim partem illius bonæ naturæ etiam terræ admistam esse: unde cum exhalet ac sursum ad sedes proprias redire conatur, in herbas et arbores per radices earum incurrit, sicque in his eam detineri contingit, et impediri ne ascendat. Hæc ergo est causa quare agriculturam non exercent, quoniam quasi homicidium reputant herbas aut arbores eradicare aut truncare. Sed et folia aut fructus decerpere nefas habent. Illis enim inesse sanctas quasdam animas, intellectum habentes perhibent, easque vehementer dolere cum ista læduntur, et expelli cum amputantur. Animas auditorum suorum in electos transire aut in arbores opinantur: ideoque omnes arbores ita venerantur, ut et spinas de agris evellere non audeant. Permittunt autem auditoribus suis hæc facere, ut per eos victum habere possint: fenerari vero multo licentius putant, quam agros colere.

VII. Adeo autem, ut dictum est, diligentius volunt purgare illam bonam naturam in omnibus seminibus per comestionem, ut et sperma humanum farinæ panis sui admistum gustare non abhorreant; sed hoc vehementer occultant: detecta est tamen hæc illorum turpitudo apud Carthaginem, cogente Urso tribuno per duas puellas in diversis locis, ita ut neutra alteram hoc prodidisse sciret. Quarum altera nomine Margareta, cum esset annorum nondum duodecim, propter hoc quasi cœleste mysterium corruptam se esse confessa est; altera vero nomine Eusebia Manichæa, quasi sanctimonialis,

Digitized by Google

primo negans, tandem vix compulsa est id ipsum de se fateri, et totum turpissimum illud scelus exponere. Non autem omnes hoc facere dicuntur, sed quidam eorum, qui dicuntur Catharistæ, id est purgatores. Est enim secta illa divisa in tres partes, in Catharistas, et Mattharios, et eos qui specialiter Manichæi dicuntur, cum tamen omnes disciplinam Manichæi observent. Carnes omnes immundas judicant, nec eis vescuntur. Dicunt enim, quia cum occiditur quodlibet animal, statim pars illa divinæ substantiæ, quæ inerat corpori, evolat, et quod remanet totum immundum est, quia ex concubitu venit, et opificium est gentis tenebrarum, et coinquinat manducantem. Auditoribus suis tamen eas comedere permittunt, sed omnino prohibent, ne animalia occidant: aiunt enim, quia principes gentis tenebrarum sua singuli in terris animalia possident, de suo genere ac stirpe venientia, qui peremptores eorum reos tenent, nec de hoc mundo exire permittunt, quin antea pœnis, quibus possunt eos atterant. Nec ova saltem sumunt, quasi et ipsa cum frangantur, exspirent; sed nec alimonia lactis utuntur, quamvis de corpore vivi animalis mulgeatur.

VII. Vinum non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum; bibunt tamen carenum, quod non est aliud nisi vinum coactum. Uvas comedunt, et mustum abominantur, dicentes divinam substantiam fugari in attritione uvarum, quam multis modis a rebus fugere dicunt. Fugit enim, ut aiunt, dum fruges et poma carpuntur: fugit cum affliguntur terendo, molendo, coquendo, manducando; fugit in omnibus motibus animalium, vel cum gestiunt, vel laborant; fugit etiam in ipsa digestione: multaque circa hæc turpissime confinguntur. Eleemosynam ex omnibus quæ ipsi comedunt, dare alicui non Manichæo mendicanti prohibent: ita ut nec *aquam in summa* necessitate posito velint porrigere, ne membrum Dei, quod his rebus admistum est, in illum transeat, ejusque peccatis sordidatum impediatur a reditu: ideo sæpe coarctantur ultra modum comedere, et parvulos suos nimia ingluvie interficere, ne vel aliis dentur, vel apud ipsos ocreant cibaria eorum, quorum utrumque nefas habent.

IX. Uxores electis suis prohibentur, auditoribus conceduntur: monentur tamen auditores diligentissime, ut si utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque arte qua possint devitent, ne divina substantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole: per escas etenim et potus parentum in omnem fetum animam credunt descendere. Itaque nuptias sine dubio condemnant, quandoquidem generare prohibent propter quod conjugia copulanda sunt. Dominum Jesum in terras venisse, ad animas, non ad corpora liberanda: eumque nec de virgine natum credunt, nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse: ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem mentiretur. Unde pascha nostrum vel negligenter, vel omnino non celebrant. Celebrant autem pro eo quodam festum, quod vocant Bema, id est diem quo Manichæus eorum occisus est. Deum, qui legem dedit per Moysen et per prophetas locutus est, non verum Deum fuisse dicunt, sed unum ex principibus tenebrarum. Promissionem Domini nostri Jesu Christi de Paraclete Spiritu sancto in suo hæresiarcha Manichæo dicunt esse completam, ita videlicet ut ipse esset Spiritus Paracletus: unde se in suis litteris Jesu Christi apostolum dicit. Baptismum in aqua nemini prodesse ad salutem dicunt. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis attribuunt, sed substantiæ gentis adversæ, quam hominibus mistam esse dicunt. Duas animas in uno homine esse dicunt, bonam et malam, easque inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Asserunt etiam finito isto sæculo, animas quidem natura bonas, sed quæ non potuerunt a naturæ malæ contagione mundari, quasi in unum globum accessuras, et cum mala natura in æternum damnandas.

Finiuntur verba Augustini collecta de libris ejus, quæ in principio libri huius me huic operi appositurum spopondi.

Digitized by Google

ECKBERTI

ABBATIS SCHONAUGIENSIS

OPUSCULUM

DE LAUDE CRUCIS.

(D. Bern. Pezius, *Biblioth. ascet. antiquo-nova*, t. VII, p. 13, ex ms. cod. inclyti monasterii Windfergensis ord. canon. Regul. Præmonstrat.)

LAUS CRUCIS, VERBA ECKBERTI.

I.

Salve, crux, signum Dei vivi, vexillum dexteræ excelsi; salve, signum triumphale, signum salutare, signum potens et admirabile; salve, signum honorabile cœlestibus, amabile terrestribus, inferis horribile. Salve, crux signum benedictum, lignum pretiosum et electum, lignum fructiferum super omnia ligna silvarum, et super omnia aromata quæ ab origine mundi super terram germinaverunt. Beata radix, quæ te portavit, sed beatior, quæ te beavit! O crux, radix tuæ nobilitatis in terra viventium, quæ divinam tibi virtutem inseruit, et omnem lignorum dignitatem te fecit supergredi! O lignum præclarum et nobile, cujus cedunt dignitati cedrus et cypressus, laurus et platanus, palma et oliva, vitis et ficus et malus, cinnamomum et balsamum, et myrrha et libanus, storax et galganus, gutta, casia et terebinthus, ligna Setim, ligna thyina pretiosa de ophir, et omne lignum pulchrum visu, odore delectabile, fructu suave et salubre. Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum tibi, omne aurum obrizum, omnis gemma pretiosa tibi comparari non possunt.

II.

O crux sole splendidior, omnibus astris mundi serenior his qui fidei et charitatis te intuentur aspectu! O gloriosum et sanctissimum signum! Quid hoc est miraculi, quod in te accidit! Jam pridem maledictum et horribile erat nomen tuum, et erat signum damnationis et ignominiæ, furibus et homicidis addictum : nunc autem signum es gloriæ et benedictionis. Et ecce a novissimis hominum magno et mirabili saltu usque ad cœlos summos ascendisti, ita ut honorandos etiam regum vertices possideas. Videat impius Nero et invideat imperatorum diademata inter aurum et lapides pretiosos te, o crux, velut nobilissimum decus admittunt. Videat invida Judæa, spectet cervicosa gentilitas et contabescat, quia ecce superborum et colla sublimium et genua coram te incurvantur. O crux, te omnes angeli Dei in excelsis honorificant, quibus hic solus est acceptabilis, qui tuo stigmate signatus advenerit. O pretiosa moneta, sola in civitate Dei cognita et dilecta! Multum per omnem modum vales, quia et regnum Dei per te comparatur.

III.

Quis igitur vacuavit ignominiam tuam? quis tantis dignam te fecit honoribus? Nimirum ille homo, qui dicitur Jesus, hujus quoque miraculi auctor est : qui solus facit mirabiles res, ipse utique, ipse fecit hanc rem, et non alius : Jesus Christus Filius Dei vivi, dominator cœli et terræ, quem terra peccatrix a se repulit, in te ascendit, et excepisti eum et sustinuisti pretiosum pondus corporis ejus. Tunc sanctificata es nudæ carnis ejus attactu, et sanctissimi cruoris ejus aspergine. Clavi enim, qui innocentes manus ejus ac venerabiles pedes tibi confixerunt, pretiosum illum liquorem propulerunt in te : lancea quoque militis, quæ illud virgineum latus aperuit, sacri sanguinis et aquæ mysticæ rivo te aspersit. Ecce quali oleo unxit te Deus, consecrator tuus, verus et summus pontifex Jesus : unxit te, inquam, præ participibus tuis, præ omnibus lignis silvarum, ut esses sanctum altare holocausti veri et gratissimi Domino. Vere sanctum altare tu es, quia in te primum oblata est pro mundi salute hostia vera, hostia sancta, hostia immaculata et pacifica, quæ sola reconciliare potuit terrena cœ-

[1] Ita cod.

Digitized by Google

lestibus. Altare thymiamatis pretiosi tu es, cujus odor suavissimus usque ad interiora cœlorum penetravit, cor Dei excelsi oblectavit, et inclinatus est dulcore ejus usque ad terram, et placatus factus est super malitia habitantium in ea.

IV.

Multum per omnia in contrarium versa est ignominia tua, o crux! Instrumentum perditionis fueras, et salutis instrumentum facta es. Vitam perimere debueras et mortem peremisti. Contra auctorem vitæ princeps mundi bellaturus, per te armatus processit, sed in caput ejus te retorsit manu fortis noster Christus Jesus, concidit cervicem peccatoris, et divisit inter ipsum et humani generis massam, cujus se caput esse gloriatus est, et facta est ruina ejus magna, et ablatum est opprobrium de Israel.

V.

Te ergo, o magnæ exsultationis et salutis instrumentum, crux benedicta, crux electa, crux jucunda et amabilis valde, omnis Ecclesia sanctorum sanctificata per te in nomine Christi, qui propriis humeris te portare dignatus est et a te portari, merito te honorificat et magnificis te exaltat præconiis. Si enim thronos regum sive sceptra aut coronas pro eorum reverentia, qui sunt terra et cinis, honorari decet a subditis : quanto magis te sceptrum æterni Regis, ad gloriam Christi, qui per te orbem terrarum sibi subjecit, ab omni populo acquisitionis honorari dignum est et adorari? Adorari te, inquam, dignum est, non quidem ut Deum, sed ut virtutis admirabile signum. Si adoranda sunt vestigia pedum Regis et Domini nostri, cur non digne adoranda es, o crux, quæ impressa habes vestigia non tantum pedum, sed et manuum et totius sacri corporis ejus? Vere digne coram tuo sacro signaculo manus supplices elevamus, cervicem deponimus, genua incurvamus et ad terram toti prosternimur in honorem ejus qui expansis in te cruentis manibus omnia ad se traxit, qui inclinato capite in te emisit spiritum, cujus emortua genua in te flebili modo complicata sunt, cujus sacrum corpusculum totum expansum fuit super te.

VI.

O crux, gloria Christianæ frontis, o Propitiationis, signatum super nos manu Dei! O Christianæ militiæ vexillum inexpugnabile! Faciat te Christus mihi et omni homini credenti esse fidam protectionem adversus omne periculum animæ et corporis. Esto mihi per gratiam Domini scutum inexpugnabile adversus ignea tela inimici, adversus omnes astutias ejus, et omnem dæmonum fortitudinem pro me potenter expugna. Tu omnes corporis mei tuere fenestras, ne ascendat mors per eas in animam meam et omne, quod mortiferum mihi est, tua virtus exstinguat.

VII.

In quacunque hora, quocunque in opere te manus mea in nomine Domini mei Christi levaverit, effectum tibi velocem præstet ipse, qui te sanctificavit, Dominus Jesus. Esto peccatrici animæ meæ, o crux, fortis protectio in die, quo exuenda est a carne hac mortali, adversus horrendos incursus pessimorum spirituum. Esto illi suave umbraculum contra æstuans incendium flammæ gehennalis, ut illæsa libero gressu pertransire valeat ad videndum Dominum Deum suum in cœlestibus, per eum, qui crucifixus est in te, Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM ECKBERTI

SOLILOQUIUM SEU MEDITATIONES.

(D. Pezius, *ibid.*, p. 21, ex codd. Mellicensibus.)

I.

Verbum mihi est ad te, o Rex sæculorum Jesu Christe : ausu charitatis alloqui te præsumo factura manus tuæ concupiscens decorem tuum, et adire gestiens desiderio cordis mei. Usquequo sustinebo absentiam tuam, exspectationem faciei quanto tempore feram? Usquequo ingemiscam [a], et stillabit post me oculus meus? Amabilis Domine ubi habitas, ubi est diversorium tuum, in quo lecto recumbis inter charissimos tuos, et satias eos manifestatione gloriæ tuæ? O quam felix, quam illustris, quam sanctus, quanta appetendus est concupiscentia locus illæ Deificæ voluptatis, locus perennium deliciarum? Non accessit oculus meus, nec appropinquavit cor meum usque ad multitudinem dulcedinis tuæ, quam intrinsecus abscondisti filiis tuis : solo ejus odore

[a] *al. cod.* ingemiscet.

Digitized by Google

forte [a] utcunque sustentor. Spiramentum suavitatis ejus [b] de longinquo venit ad me, et est mihi super odorem balsami et fragrantiam thuris et myrrhæ, cunctique generis [c] suavium odoramentorum et concupiscentias mundas parit in me, quarum est degustatio dulcis, vix tamen potabilis. Quid enim mihi est in cœlo? quis est thesaurus meus in illa cœlica cella? quæ est hæreditas mea in terra viventium? Nonne Christus, Dominus meus, unica salus mea, totum bonum meum, plenum gaudium meum? Et quomodo continere potero cor meum, Domine, ut non amet te? Si non amavero te, quid amabo? Si transtulero amorem meum a te, ubi illum digne collocabo? Desiderabilis Domine, ubi extra te requiescent desideria mea? Si usquam extra te pedem extenderit amor meus, pollutus erit : si a te [d] declinaverint desideria mea, vana erunt. Nonne tu amabilis et desiderabilis es super omnia quæ amari possunt et desiderari?

II.

Abs te enim habet omnis creatura, quidquid habet decoris et pretii : et quid mirum, si omnia solus [e] excellis? Tu inter astra solem excellenti claritate vestisti et clarior sole tu es. Imo quid est sol, quid est omnis creatura, quid ipsa lux nisi tenebræ [f] ad tui comparationem? Ornasti cœlum sideribus, Empyreum angelis, aera volucribus, piscibus aquas, terram liliis [g], floribus et virgultis. Sed non est species neque decor omnibus his in tui comparatione. O fons universæ pulchritudinis Jesu! melli dulcedinem suam præstitisti, et dulcior melle tu es ; oleo suavitatem suam dedisti, et tu suavior oleo es ; aromatibus cunctis odores suos inspirasti, et est, o Jesu! odor tuus super omnia aromata suavior et gratior.

III.

Aurum inter metalla pretio pulchrum et in singulari excellentia a te conditum est : et hoc quid est comparatum impretiabili, Domine, et immensæ claritati tuæ, in quam desiderant angeli prospicere? Opus manuum tuarum est omnis lapis pretiosus et ad videndum desiderabilis, sardius et topazius, jaspis et chrysolithus, onyx et berillus, sapphirus et carbunculus et smaragdus : et quid hæc sunt nisi festucæ ad tui comparationem? O rex decore nimis et multum amande, tuæ operationes sunt gemmæ vivæ et immortales, quibus, o sapiens architecte! in exordio sæculorum aulam superæthereram pulchre distinxisti ad laudem et gloriam Patris. Per te millia millium ad complenda Patris ministeria alacri discursu jugiter meant, et inter cœlum et terram quasi apes negotiosæ inter [h] alvearia et flores, disponentes omnia suaviter, pulpus accinctus, nesciens labem, nesciens inobedientiæ moram. Per te centena decies millies millia assistunt in Sanctuario Uranici templi, intendentes vultui Majestatis tuæ claro et indeflexibili [i] visu, ac personantes harmoniam incessabilis hymni in gloriam trinæ et simplicis Divinitatis [k].

IV.

Per te seraphim ardent, per te cherubim lucent, per te judicant throni. Tu Deus noster ignis es, innocue ardens, et a tuæ divinitatis immediata approximatione totus charitate ignitur, et flammea coruscatione vestitur sacer ordo seraphim : qui et sui suavis incendii odorificentiam spargit in cæteras inferius tibi militantes administratorias phalanges, quarum de plenitudine utcunque gustamus et nos. Tu Deus noster vera lux es, et suscipiunt montes a te lucem populo tuo : tu thesauros sapientiæ et scientiæ, in te reconditos, ad intuentes te e vicino oculos cherubim per te ipsum large infundis, ac per eos derivari facis ad illuminandas subordinatas istis electris lampades mirabilis tabernaculi tui, quæ ante faciem tuam, Domine, inexstinguibiliter lucent. Tu Rex regum et Judex judicum magne et metuende excelsos et elevatos insides thronos, solum super se habentes celsitudinem tuam, sedes vivas, suaves, pacatissimas, summæ tranquillitatis uniformitate compactas, per te discernentes veritatis occulta, per te judicantes judicium æquitatis.

V.

O dominator Domine, te dominantium sublimitas sancta adorat singulari libertate animum in divina extendens, atque inter prænobiles aulæ tuæ heroas, per te primatum agens alti dominii sine altitudine fastus. Nobile decus principium, per te celsus ordo principatuum non invidiosa præcellentia principatur super militiam cœli, cui ad explenda divina ministeria juxta præconceptam intrinsecus cordis tui dispensationem, dulcis magisterii præbet ducatum. Tua est potentia potestatum, Domine, prementium flammeo zelo colla Tartareorum principum et te in illis metuunt, ne quantum [l] volunt, valeant perficere mali in perniciem nostram.

VI.

Tua est, o virtus Patris, omnis mirificentia beatarum virtutum, quarum agitur ministerio, ut miretur omne sæculum et obstupescens in mirabilibus tuis exclamet et dicat : *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psal.* CXXXIV). Tua est, o Jesu, magnificentia archangelorum, in quibus multæ dignationis opus operatur benignitas tua, dum tam gloriosos palatii tui satrapas destinare non spernis in hujus

---

[a] *cod. antiq.* fortis, *quod omnino abest ab alio recentiori.* [b] *al. cod.* tuæ. [c] *al. cod.* suavia odoramenta. [d] *al. cod.* si ad te non decl. [e] *al. cod.* præcellis. [f] *al. cod. umbra.* [g] *al. cod.* terram floribus. [h] *al. cod.* intus. [i] *al. cod.* irreflexibili. [k] *al.* Deitatis. [l] *alii cod.* ut non quomodo volunt.

Digitized by Google

mundi extrema ad suffragandum parvitati nostræ, A qui comparati sumus luto et assimilamur favillæ et cineri. Per hos quippe tuo nutu summa salutis nostræ ministrantur negotia, summa superni consilii ad nos deferuntur arcana ; per hos sanitates mortalium procurantur, per hos consistunt regna et imperia mundi. Inter quos præcipuum novimus tuum Michaelem, nobilem signiferum cœli, qui stat pro acie Dei viventis, extendens rhomphæam propugnationis, ac voce terrifica tonans : *quis ut Deus*, super eos, qui ex adverso sunt.

VII.

Sed et illa felicium angelorum amabilis innocentia nonne pretiosum opus digitorum tuorum est, o Dei Sapientia? Unde adornasti eos quasi incorruptibili vestitura in die qua condidisti eos in opus B sacri ministerii tui. Hi sunt viva sidera superioris cœli, lilia interioris paradisi, rosæ plantatæ super aquas Siloe, quæ fluunt cum silentio, in mentium [15] immobiliter fixi. O flumen pacis! o deliciarum ager! O *sapientia sola*, gyrum cœli circumiens! Ex te lucent, candent et rutilant in [15] sapientia multa, in castitate virginea, in charitatis ardoribus sempiternis [16]. Hæc est florida juventus tua, Domine, tibi fideliter in nostra infirmitate deserviens, dum in his tenebris mundi gressus nostros pædagoga [17] manuductione dirigit, dum hostiles incursus a nobis propellit, dum voluntatis tuæ secreta denuntiat, dum ad bona quæque mentes dissolutas roborat, dum nostrarum orationum thymiamata ad aram auream C transfert, et faciem pii Patris pro nobis semper exorat.

VIII.

Ita, Pater, etiam de nobis adhuc longe agentibus aliqua tibi est cura; et si quid pretii habet hæc drachma decima, olim a sinu tuo elapsa et nunc tandem in laboribus requisita, hoc tui, bone Jesu, *pii muneris* est. Si quid dulcisonæ vocis habet hæc decima chorda Dominicæ laudationis, hoc tuus in ea suavis contactus operatur, dum in Psalterio decachordo psallis gloriam Patris. Psalle, ut psallis, Domine, modulare dulce melos Patri velocibus articulis multiformium gratiarum. Tange novem illas purissimas chordas in cœlo, quæ triste nil unquam sonuerunt. Tange et decimam istam gravem, cujus D superior quidem portio jam pertracta ad te lætitiam sonat, inferior vero adhuc terræ constricta mœstos novit reddere sonos.

IX.

Cuncta virtutis tuæ opera, o Dei Unigenite, dum attenta mente considero, stupens expavesco, quia multum per omnem modum in eis gloriosus appares. Magna enim et pulchra et bona sunt valde, sed ad tui comparationem quasi nihilum et inane reputata sunt. Cœli et terra et omnis ornatus eorum te auctore et gubernatore subsistunt, et te potentem ac metuendum, sapientem et pulchrum, bonum et amabilem omnia prædicant et quantum lux tenebras, tantum cuncta tu solus præcellis. Et tu in cœlo servatus es mihi Dominus meus, et merces servi tui, ipse dator et donum salutis, quam a te exspectat anima mea. Et quid a te volui super terram nisi te solum? Quid melius et amabilius te æstimavi, ut abstraherem cor meum a te ad concupiscendum quidquam in mundo absque te? Væ mihi misero! Cur amavi, quare concupivi in omni vita mea quidquam præter Christum Jesum Dominum meum? Cur distuli, cur intermisi ullo tempore te, Jesu, versari in corde meo, et tota mente amplecti, et delectari in tua dulcedine omnia interiora Spiritus mei? Ubi eram [18], quando tecum mente non eram? Quo defluxerunt, quando non te solum audierunt desideria mea?

X.

Deus vitæ meæ, quam vane consumpta sunt, quam infructuose elapsa sunt a me tempora mea, quæ dedisti mihi, ut facerem voluntates tuas in eis, et non feci! Quanti anni, quot dies et horæ perierunt apud me, in quibus sine fructu vixi coram te! Et quomodo subsistam? quomodo levare potero oculos meos ad faciem tuam in magno illo examine tuo, quando rememorari jusseris omnia tempora mea, et fructum requisieris singulorum? Patientissime Pater! non fiat hoc, sed abeant in oblivionem coram te, quæ vane perdidi, tempora mea, heu multa nimis! et si qua, te juvante, utiliter servavi, quorum, o Domine, brevis est numerus, in memoria æterna fac permanere. Fac, amande Pater, saltem hoc residuum temporis mei fructuosum et sanctificatum in gratia tua, ut in diebus æternitatis locum inveniat et computabile sit perenniter ante te.

XI.

Jam nunc ex hoc omnia desideria mea inalescite, et effluite in Jesum, Dominum meum : currite. Satis hactenus tardastis ; properate, quo pergitis ; quærite quem quæritis. Jesum quæritis Nazarenum crucifixum? Ascendit in cœlum, non est hic; non est, ubi erat ; non est, ubi non habebat locum, in quo nobile caput suum reclinaret. Non est, ubi ambulavit in medio tribulationis multum repletus despectione. Non est, ubi stetit judicandus ante faciem Pilati. Non est, ubi stetit spretus et illusus coram Herode. Non est, ubi processit consputus, cæsus, et vulneratus et cruore perfusus. Non est, ubi in medio pependit sceleratorum. Non est, ubi jacuit lapide clausus et gentium militia custoditus. Ubi vero est amantissimus Domini? Habitat confidenter, et flagellum non appropinquabit tabernaculo ejus : super altitudinem cœlorum, super omnem excellentiam angelorum propria virtute ascendit, super solium singularis gloriæ sedet in dextera Patris, cui est coæternus et coessentialis, divino

[15] *al. cod.* in montium. [16] *in mss. desideratur :* in. [16] *al. cod.* ardore sempiterno. [17] *al. cod.* pædagogica. [18] *al. cod.* erant.

Digitized by Google

amictus lumine, coronatus gloria et honore, ut decet Unigenitum Dei serenus [19] in lætitia, plenus omnipotentatu, dominans in cœlo et in terra.

XII.

Ibi adorant eum omnes angeli Dei, et universa multitudo civium cœlestis Sion. In ipso unanimiter lætantur omnium corda, in ejus desiderabili facie pascuntur omnium oculi beatorum. In ipsum undique confluunt desideria singulorum, ipsi jubilat, ipsi applaudit, ipsum magnificat tota Uranica curia, civitas gloriosa per omnem modum in splendoribus gloriæ ejus. Exsulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel. Exsultate in Jesu nobili filio vestro, vos illustres patriarchæ, quia impleta est in eo omnis exspectatio vestra. Et ecce sublimis est valde, et benedicuntur in ipso, vestro videlicet semine omnes gentes, sicut olim vobis pollicitus est sermo divinus. Gaudete in Propheta magno vos prophetæ, viri veraces, quia mirifice et gloriose adimpleta videtis omnia, quæ de ipso annuntiastis in Spiritu sancto, et fideles inventi estis per ipsum in cunctis sermonibus vestris. Gaudete in Jesu, Domino et Magistro vestro vos inclyti proceres cœli, beati apostoli. Gaudete in ipso et cum ipso familiari lætitia. Ecce enim, quem vidistis in medio vestrum esurientem, sitientem, fatigatum, et his similia carnis infirma tolerantem; quem vidistis exprobrari [20] ab hominibus et cum sceleratis deputari, quomodo vicit, quomodo regnat, quomodo omnia sub pedibus ejus sunt, quam gloriosus in suo divino lumine fulget, et sui gaudii suæque ineffabilis gloriæ nunc vos socios habet, qui olim permansistis cum ipso in tentationibus suis et vexationum ejus consortes fuistis? Adorate nunc dulcia genua illa, quæ se incurvaverunt ante vos usque ad terram sedentibus vobis ad sacratissimam cœnam. Adorate nunc illas sacratissimas manus, quibus pulverem pedum vestrorum Rex regum lavare et extergere dignatus est.

XIII.

Gaudete in Jesu, principe militiæ vestræ vos martyres victoriosi, quia ecce ipsum, pro quo tradidistis in mortem animas vestras, ipsum, inquam, possidetis Jesum Dei Filium, præmium certaminis vestri. Gaudete in Jesu, doctore [21] veritatis, o confessores venerandi, quia quem olim doctrinis sacris et operibus justis confessi estis coram hominibus, nunc confitetur vos coram Patre suo et sanctis angelis ejus. Gaudete in Jesu Virgine et virginum sanctificatore vos paradisicolæ virgines, vos angelorum similimæ, quia ecce quem amastis, quem optastis, quem ardentibus desideriis expetistis, pro cujus amore terrenos sponsos et omnem ornatum [22] sæculi contempsistis, summi Regis Filium nunc videtis, nunc tenetis, nunc in castis ejus amplexibus requiescitis, et divelli a vobis nulla insidiatoris fraudulentia potest.

XIV.

Cui autem inter cœlicolas sit uberrimum gaudium nisi tibi, o Maria virgo perpetua, Virgo virginum, Virgo singularis, Rosa cœlicæ amœnitatis, prælucidum Agalma inter primævas lucernas divini luminis susceptivas. In tuo igitur Jesu sola præ omnibus gaude gaudio magno valde, quia quem ut hominem peperisti et propriis uberibus enutristi, ipsum cum angelis et universis civibus cœli adoras ut Deum vivum [23] et verum. Gaude, felix Maria, quia quem vidisti in ligno pendentem, vides in cœlo regnantem cum gloria magna : vides omnem altitudinem cœlestium, terrestrium et infernorum majestati ejus inclinatam, et omne robur inimicorum ejus attritum.

XV.

Gaudia gaudiorum sint tibi omnis plenitudo sanctorum, o beata Jerusalem mater nostra, quæ sursum es : festivitatem age lætabundam et indeficientem in visione pacifici tui Jesu Christi, tuæ libertatis auctoris.

XVI.

Et nunc tu sursum elevare, o anima mea, qualicunque potes conatu, et sacris te junge millibus lætantium Domino Jesu. Illuc fidei et spei vehiculo perge, ibi per charitatis ardorem jugiter conversare, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Intende mentis oculum in luminibus ejus. Lustra et deosculare devotione gratulabunda singula loca [24] plagarum ejus felicium, de quibus egressi sunt pretiosi illi liquores sanguinis sacri, quo te appretiavit Unigenitus Dei et sanctificavit in vitam æternam. O Jesu, qui te non amat, anathema sit; qui te non amat, amaritudinibus repleatur. Castus est amor tuus, Domine, et nihil impuritatis admittit; sobrius est sapor amoris tui et nullo alienat mentem a recto; suavis est amor tuus et nihil habet amari [25]. Nam et quæ amara sunt mundi, indulcat [26], et dulcia ejus reddit amara. Inter angustias non coarctatur, inter pressuras non opprimitur, non perit sub inopia, non mœrore contrahitur, in laboribus manet æquanimus, inter minas securus, in persecutione securissimus, inter blandimenta incorruptus, inter tormenta perseverat invictus, in morte semper est vivus.

XVII.

Sicut in thesauro abscondito cupidus gaudet et sicut in amore filii unici delectatur mater, ita gaudium est et delectatio grata in charitate tua, Jesu, animæ amplecti te. O Jesu, amanti te dulcedo mellis, suavitas lactis, vini inebrians sapor : cunctæque deliciæ non sic oblectant fauces degustantium se, ut tuus amor mentium gustantium te. O Jesu vive pa-

[19] *al. cod.* secundus. [20] *al.* reprobari. [21] *al. cod.* decore. [22] *al. cod.* omnes ornatus. [23] *al.* unum. [24] *al. cod.* vulnera. [25] *al. cod.* amaritudinis admistum. [26] *al.* indulcorat.

Digitized by Google

nis, concupiscibilis botre, suave vinum, mitis agne, fortis leo, formosa panthera, simplex columba, velox aquila, stella matutina, sol æterne, angele pacis, fontale lumen sempiternorum luminum, te amet, te quærat, in te delectetur teque admiretur omnis sensus bonus et tuæ conveniens laudi. Deus cordis mei et pars mea, Christe Jesu! Deficiat per te cor meum a spiritu suo et caro mea a concupiscentiis suis et vivas tu in me; et concaleat in spiritu meo carbo ignitus amoris tui et excrescat in ignem perfectum. Foveat et enutriat illum in me gratia tua, ut ardeat jugiter in ara cordis mei: ferveat in medullis meis, flagret in absconditis animæ meæ, ut in die consummationis [27] meæ consummatus inveniatur ante te. In die, qua exui me jubebis tunica ista mortali, quam nunc circumfero, custodiat me visitatio tua, circumdet me dilectio [28] tua, et flat animæ meæ quasi vestimentum decoris tui, ut non nuda, sed vestita inveniatur, ut habeant, unde abscondantur infirma ejus ab oculis tuis.

XVIII.

Ignem alienum, ignem, qui adversarios tuos consumit, dilectionis tuæ fervor elonget a me: animam meam [29] ad Creatorem suum attollat et in quantum fas est, tuo divino lumini eam immergat. Domine Jesu, omnes, qui te diligunt, repleantur benedictionibus tuis, accedentes ad te in cœlo scribantur et sit pax eis in velamento alarum tuarum per ævum: tibi autem Unice Dei cum æterno Patre et Spiritu sancto laus indeficiens, immobile decus et solidum regnum, permanens in sæcula sæculorum. Amen.

[27] *al. cod.* defunctionis. [28] *al.* delectatio. [29] *al. cod.* meam ad te currentem sursum attollat.

EJUSDEM ECKBERTI

STIMULUS AMORIS.

(Exstat inter opera S. Bernardi. Vide Patrologiæ tom. CLXXXIV.)

DE SANCTA ELISABETH

VIRGINE

MAGISTRA SORORUM ORDINIS S. BENEDICTI

SCHONAUGIÆ IN DIŒCESI TREVIRENSI.

(*Acta Sanctorum Bolland.*, Junii tom. III, die 18, p. 604.)

Sanctæ virginis ætas, visiones, vita; hujus scriptor Eckbertus atque laudatur Emicho; occasio cultus in hodierno Romano.

1. Cattimillebocensis in Adrhenana Germania comitatus, vulgo *Catzenelleboghen* dicti, occiduum limitem, qui Rhenum duarum circiter leucarum intervallo respicit, perstringit Millus fluviolus, veterum ibidem Cattorum reliquiis nomenclaturæ partem largitus, qui Lano ad Nassoviam illapsus nomen amittit, priusquam ab ipso et cum ipso devolvatur in Rhenum. Ad hujus fluvioli initia, a quinque et semis sæculis fundata est nobilis abbatia Benedictini ordinis, a situs pulchritudine Teutonicum nomen Schonaugiæ adepta, de cujus origine Browerus noster in suis annalibus ad an. 1125 ita scribit: « Hoc tempore Trevirorum diœcesis novo percelebri Schonaugiensi monasterio aucta est. Id in Lurenburgensium comitum prædio, trans Rhenum, secus contra Bingam millibus passuum ab Hilduwino locuplete viro inchoatum, a Roberto Lurenburgensi comite postea perfectum, atque B. Florino, cujus sacris insignitur cineribus, postea dicatum est. Hildelinus autem primus monasterio præfuit, qui ad teli jactum aliud item virginibus eodem nomine monasterium constituit; in quo, sanctimoniæ et cœlestium instinctuum fecunda, nec non admirandæ pietatis laude cantata virgo, Elisabeth de Schonaugia postea claruit. » Ipsa se scribit « humilem monacham, et magistram sororum, quæ in Schonaugia sunt. » Recentiores male *abbatissam* vocant, quæ sub abbate constituta vivebat.

Digitized by Google

2. Hujus germanus frater Ecbertus, cum adhuc esset Bonensis ecclesiæ clericus, ad sororem, jam divinitus visitari et frequentibus visionibus illustrari cœptam, evocatus anno 1152 easdem visiones dictante ipsa scripsit libris duobus; tertium deinde, qui *Viarum Dei* intitulatur, similiter litteris consignavit jam monachus Schonaugiæ; ac deinde (ut de quinto, dubiæ auctoritatis libro taceam) ultimum scripsit de ejus obitu, testis magna ex parte rerum tunc gestarum oculatus; postea vero Schonaugiensis abbas secundus, teste Trithemio, qui inter illustres eum laudat, ut virum « non minus devotione et religione quam scientia clarum : » in Chronico autem Hirsaugiensi dicit, successisse eum primo abbati « Hillelino, mortuo Nonis Decembris 1167. » Sub finem ultimi libri dicitur deposita virgo, « XIV Kalendas Julii, feria sexta, hora nona, » qui concursus Kalendarum et feriæ cum designet annum Domini 1175, non vero præcedentem quartum, oportet errorem agnoscere in codice, unde edita prædicta sunt, eumque corrigere ex Trithemio, qui usus accuratiori ms. mortuam ponit « anno Domini 1165, indictione XIII. »

3. Idem tamen Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, ante prolixum elogium « Sanctæ (ut appellat) et Deo dilectæ virginis Elisabeth, » non solum corruptus est ab oscitantibus librariis, MCLXII et 1162, perperam notantibus, cum antea præcesserint notæ MCLXV et 1165, sed etiam sui oblitus videri posset, quando post notatam illo anno Ruperti abbatis Hirsaugiensis electionem, factam « altera die post festum ad Vincula Petri, quæ fuit IV Nonarum Augusti, » subjecit, Virginem obiisse « anno Ruperti abbatis primo currente. » Neque excusandum quis putet, ac si forte scripserit « anno ultimo currente : » sequitur enim mox, quod « anno prænotato, quo sancta virgo Elisabeth de corpore migravit, qui fuit Ruperti abbatis primus, hiems fuit asperrima, et subsecuta est fames magna, cum pestilentia et multis malis. » Verum hic rursum librarii audacis culpam deprehendo. Cum enim Trithemius soleat annos morientibus ac succedentibus abbatibus communes inter utrosque dividere, et a vulgaris anni initio exordiri sequentes porro annos, ac subinde transilire aliquos nulla memorabili re signandos (sicuti in hoc Ruperto omisit annum ejus II et V respondentes annis Christi 1166 et 9) prioris anni notam loco non suo posuit editor; atque ita fecit, id, quod anno prænotato 1165 ascripserat de hieme et peste Trithemius, anno sequenti ascriptum videri. Simili ratione factum puto, ut in ejusdem Trithemii Chronico Spanheimensi, ubi inter annum 1153 et 7 trium annorum numeri deficiebant, obitui S. Elisabeth (sic enim ibi scribitur) prænotetur annus 1164 loco 5.

4. Corpus defunctæ, postquam apud sorores triduo toto fuerat a concurrenti certatim populo honoratum, ex more cæterarum delatum est ad ecclesiam Fratrum prædicto S. Florino sacram et positum « in loculo secus altare, Domino et omnibus sacris virginibus dedicatum. » De cultu, an et qualem ab antiquo ibi habuerit, aut etiamnum habeat S. Elisabeth, dum ex vicinis quæro, dicere interim mihi posse videor, primos fuisse Colonienses Carthusianos, qui ipsius nomen publicis fastis Martyrologii, ab Usuardo olim editi, ascripserint ad diem prædictum, secutos vel Ecbertum præfatum, vel proprias Schonaugiensis sacrarii tabulas, aut saltem loci Necrologium. Impressus fuit sic auctus Usuardus Coloniæ anno 1515 et recusus anno 1521 cum his ad calcem, diei XVIII verbis : « Beatæ memoriæ Elisabeth, virginis sanctimonialis in Schonaugia, cui multa secreta a Domino revelata sunt, circa annum 1161. » Eadem verba, ut in nullis Usuardi quocunque loco aucti manuscriptis, sed apud solos Colonienses Carthusianos reperta, primæ suarum Additionum editioni anno 1568 subjecerat Molanus, A charactere minusculo; in aliis autem duabus anni LXXIII et LXXXIII, quibus adhuc biennium supervixit, omissis « Beatæ memoriæ » titulo et anno vitioso notato, hoc solum scripsit : « Schonaugiæ obiit Elisabeth, virgo sanctimonialis, cui multa secreta a Domino sunt revelata. » Prima interim editione (quam forte solam vidit Baronius, et pene pro oraculo habuit) tantum effectum Romæ est, ut in Martyrologium, auctoritate Gregorii XIII recognitum auctumque, et anno 1584 publicatum addita sit ejus memoria, cum titulo Sanctæ, hac formula, quæ hodie dum legitur : « Schonaugiæ S. Elisabeth virginis, monasticæ vitæ observantia celebris. » Ubi hoc prudenter factum, quod omissa sit mentio revelationum, de quibus (ob illa præsertim, quæ de S. Ursulæ martyrio lib. IV leguntur, nulla prorsus fide digna) merito dubitabatur.

5. Amplectimur sedis apostolicæ judicium de Romano Martyrologio, fidelibus proposito, tanquam B « per viros eruditos ad fidem historiæ, quæ rerum gestarum, personarum, locorum, temporum varietate continetur, correctum, et multis locis auctum, » sicut præfatur Gregorius : quoadusque tamen singula fuerint ad fundum (sicut conamur facere) examinata, merito censuit Franciscus Maria Florentinius, in sua ad vetustissimum Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium Præfatione, superfuturum semper, quod corrigatur. Sed hoc non est paucorum annorum, quibus Gregoriana correctio curata fuit, fortassis nec sæculi unius alteriusve. Quidquid porro de aliis sit, hic certe prudenter processum videtur, omissa revelationum mentione, quæ apud imperitos habuisset locum approbationis expressæ. Quanto autem prudentius hic processisse Romani Martyrologii recognitores censemus, tanto pluris facimus eorumdem judicium in attribuendo, quem ante Trithemium nemo usurparat, titulo « sanctæ, » velut fundatum in meritis vitæ, morte sanctissima C confirmatis, quia tale judicium speciem aliquam canonizationis obtinere videtur, nec nisi tenere posse vocari in dubium : ideoque secuti ipsum in titulo sumus, sicuti etiam fecerunt monasticorum fastorum collectores omnes, Menardus, Wion, Dorganius, Bucelinus, etc.

6. Post Ecbertum prælaudatum, Schonaugiam, Trithemio teste, rexit Emicho (apud Molanum in notis, et hinc apud Baronium *Emicho*) Ecberti supradicti quondam auditor atque discipulus, vir in divinis Scripturis studiosus atque eruditus, sæcularis quoque litteraturæ non ignarus, ingenio promptus, et clarus eloquio, non minus vita quam scientia insignis. Scripsit tam metro quam prosa multa præclara opuscula, de quibus tamen (inquit Trithemius) pauca ad manus pervenerunt. Legi opusculum ejus de laudibus divæ virginis Elisabeth Schonaugiensis, et quædam alia. » Utinam id etiam invenisse nobis contigisset, vel posteris supplementum scripturis contingat. Interim contenti iis erimus, quæ ipsamet vivens dictavit, et postea de mortua scripsit Ecbertus. Ea Molanus ait « emissa per Fabrum » (Stabulensem vulgo dictum, præno- D mine Jacobum, virum superiori ævo libris edendis tota Gallia clarissimum) « in libro, qui inscribitur : *Liber trium virorum et trium spiritualium mulierum* : » qui tamen inter plurimos Stabulensis libros, a Gesnero enumeratos, non invenitur, sed exstat apud nos, excusus Parisiis anno 1513 et dedicatur « Adelaidi devotæ Christi famulæ, Deoque sacratarum virginum cœnobii Hildegardis Matri. » Cæterum ut editio tam antiqua nunc haud magnopere desideretur, Brigittinorum Coloniensium diligentia fecit, qui cum anno 1628 typis hæredum Antonii Boetzeri, recudendas curasseut Revelationes sanctæ suæ Matris Brigittæ, eodem anno iisdem typis, tacito tamen suo nomine, in lucem ediderunt, « ex antiquis (ut præfert titulus) monumentis, Revelationes sanctarum virginum Hildegardis et Elisa-

bethæ, in Martyrologium Romanum relatarum; » unde hic placet recudere, nostroque modo in capita dividere, quæ posterioris Vitam spectant (nam de Hildegarde agemus 17 Septembris) librum primum et secundum cum parte tertii et totum sextum, aliis obiter duntaxat delibatis, eo quod minus ad historiam faciant.

7. Eadem Birgittinorum diligentia, inter *Elogia Ecclesiæ ac doctorum virorum*, Elisabethæ data operique præfixa, exhibetur nobis *Emichonis abbatis laudatio* quædam, sive rhythmus: quem si constaret aliquando inter officia divina usurpatum, sufficeret profundo temporis immemorabilis cultui. Hunc illi profitentur acceptum ex lib. bibliothecæ Schonaugiensis. Hunc rhythmum hic attexere juvat; vehementer enim suspicor illud esse, quod legit Trithemius, nec aliud superesse optandum

Salve, felix Elisabeth, odorifera rosa,
In Dei mirabilibus virgo satis famosa.
Salve, viarum Domini devota contemplatrix,
Simulque individuæ Trinitatis amatrix.
Salve, Mariæ Virginis filia singularis,
Nam ab ea in extasi crebro visitabaris.
Salve, fons, plenus rivulis scientiæ divinæ,
Guttas stillans mellifluas deificæ doctrinæ.
Salve, vernans arbuscula silvæ Schonaugiensis,
Circumdata ramusculis visionum immensis.
Salve, cui cœli januæ apertæ videbantur
Secretaque cœlestia inibi monstrabantur.
Salve, absque ruga speculum, in quod desiderabant
Cœligenæ prospicere; nam multum te amabant.
Salve, quæ clausam pyxide sacramenti vidisti
Clam veræ carnis speciem corporis Jesu Christi.
8. Eia nunc, benignissima, in cœlis sublimata,
Quæ es (ut pie credimus), sis nobis advocata.
Defende hoc cœnobium, nosque inhabitantes:
Mei, rogo, memineris, nosceque te amantes.
O Virgo, fac, ut jugiter religio accrescat,
In nostro monasterio, ne profectus decrescat;
Repelle, quæso, dæmonum cunctas illusiones,
Angelorumque nobis obtine munitiones.
Cuncta nobis contraria tu ora mitigari,
Prospera quæque tempora exopta nobis dari.
O virgo devotissima, virtutibus decora,
Apud Deum altissimum, rogamus, elabora;
Ut nos ad se recipiat, cum hinc egrediemur;
Præsteique nobis præmium, quo æterne lætemur.
Deo Patri sit gloria, ejusque sacro Nato,
Æqualisque Spiritui gloria sit beato. Amen.

9. O sponsa Christi nobilis, o Mater venerabilis, intercede pro nobis ad Dominum, Regem angelorum, quem semper puro corde dilexisti, in cujus amplexibus sine fine permanes; ut remittat nobis omnia quæcunque in ipsum peccavimus, tribuens nobis fervorem amoris sui sanctissimi, et post exsilium brevissimæ vitæ mansionem cœlestis habitaculi. Amen.

Subveni nobis, Elisabeth, virgo sanctissima, æterni Regis sponsa nobilissima, in cujus aula splendescis sicut stella fulgentissima. Esto miseris refugium in omnibus necessitatibus et tribulationibus. Amen.

Præter hæc, nullum est invenire Schonaugiæ cultus antiqui vestigium; sed postquam in Romanum, ut supra dixi, Martyrologium nomen Elisabethæ admissum est, cœpit habere festum sub ritu duplici, una cum officio et missa de Communi Virginum: plane sicut accidit S. Popponi, abbati Stabulensi, postquam occasione vitæ, inter sanctorum A vitas excusæ a Surio, simili honore dignus Baronio visus fuit, ut dictum ad XXV Januarii.

10. Qui ex nostra ad S. Goaris residentia, nutu serenissimi principis Ernesti Landgravii Hassiæ nuper pie defuncti, et sui superioris P. Nicolai Grass, illuc excurrit mense Octobri 1690. P. Joannes Helm, inde nobis refert « Superesse virorum monasterium destructo per Suecos eo quod feminæ incolebant; istic autem a dextro ecclesiæ latere sacellum esse, S. Elisabethæ nunc dictum, cum duobus altaribus; in cujus sacelli parietem immissum ex parte est vetus sepulcrum, quod olim confractum ab hæreticis, uncinis ferreis commissum iterum est, habeturque in honore æque ac altarium unum, ab illa nuncupatum. In ipso sepulcro ossa nulla relicta, solum effugerunt scrutantium sacrilegas manus paucula una cum capite, quæ serico involutæ exponuntur ad venerationem. » Similiter nullum superest veteris epitaphii vestigium, sed ipsum quidam nobis B misit, sicut inveneral scriptum post vitam hoc tenore.

Virgo prophetarum similis, quæ summa polorum
Mente, Deo (adhærens), perspexerat, hic locat ossa,
Elisabeth vive, gaudens in lumine vitæ,
Quam prægustati speciali munere Christi.

Insuper habetur Schonaugiæ *libellus precum B. Elisabeth* dictus, in pergameno antiquo, in cujus primo folio sic legitur: « Iste liber pertinet monasterio B. M. Virginis in Schonaugia, ordinis B. Benedicti.... die venerabilis sacramenti, quod fuit III Nonas Junii, sub Julio papa II et Maximiliano rege Romanorum; » ergo anno 1507 quando Pascha celebratum fuit IV Aprilis: unde suspicari quis posset unum alterumve verbum, quo indicabatur tunc *completus* vel *finitus* a scribente *liber* extritum esse de industria, ad persuadendum facilius, quod ipse in usu sanctæ fuerit, cum forte ex eo, quo usa fuerat, jam detrito, tunc sit transcriptus. C

11. Qui Elisabetham hanc una cum S. Hildegarde ordini Cisterciensi ascripserunt Henriquez et Libanorius, aliique nonnulli, decepti fuerunt ambiguitate nominis, pluribus alibi monasteriis communis, propter communem etymologiæ rationem. Talium unum virginum in Franconia fuit; alterum virorum, in diœcesi Moguntina; ubi B. Hildegundis ad 20 Aprilis celebrata in hoc opere, sub virili habitu et Josephi nomine latuit, et ibidem, medio sæculo post illam defunctam, abbas fuit B. Daniel, ex Hemmerodiensi cœnobio assumptus, de quo nobis mentio facienda 29 Junii. Errorem animadvertit Jongelinus, in Notitia abbatiarum ordinis sui, nullam nisi Hemmerodiensem in diœcesi Trevirensi agnoscens: animadvertit etiam Chalemotus, ipsam, atque S. Hildegardim Bingensem tacitas prætermittens. De Hildegardi pridem nobis constabat, qui Bingii fueramus anno 1160 ibique sacra illius et D ossa, et scripta, nec non cucullam videramus coloris non candidi, ut Cisterciensium, sed ex rufo subnigri, ut Benedictinorum [illegible] de Elisabetha ejusque laudatoribus ad annum 1221 cap. 6 mirabor Manrique, quomodo ascribi Cisterciensibus potuerit; « neque enim Cisterciensium monasteria duplicia (ut Schonaugiæ erant sub uno abbate) hactenus habuit: » quod, inquit, « obiter libuit propalare, ne, quibus tot ac tanta propria suppetunt, ad aliena extendere manus videamur, vel cum eis, qui extendunt, dissimulare. »

Digitized by Google

SANCTÆ ELISABETH VITA

Partim ab ipsamet dictata, partim ab Eckberto fratre scripta.

PROLOGUS ECKBERTI

CUM EPISTOLA VIRGINIS AD SANCTAM HILDEGARDEM.

1. Fuit in diebus Eugenii papæ, in finibus Trevirensis diœceseos, in cœnobio cui nomen Schonaugia, sub regimine Hildelini abbatis, adolescentula quædam monasticæ professionis, nomine Elisabeth, quæ cum inter religiosas feminas undecimum in monasterio ageret annum, habens ætatis annos tres et viginti, in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo secundo, visitata est a Domino : et erat manus ejus cum illa, faciens in ea juxta antiquas miserationes suas, opera magnæ admirationis et digna memoria. Datum siquidem est mente excedere, et videre visiones secretorum Domini, quæ ab oculis mortalium abscondita sunt. Id autem non sine evidenti miraculo contingebat : frequenter enim et quasi ex consuetudine, in diebus Dominicis aliisque festivitatibus, circa horas in quibus maxime fidelium fervet devotio, rapiebatur in mentis excessum, et resumpto paulatim spiritu, subito verba quædam divina Latino sermone proferebat, quæ neque per aliam aliquando didicerat, neque per se ipsam invenire poterat; utpote quæ esset inerudita et Latinæ locutionis nullam vel exiguam habens peritiam. Sæpius etiam canonicæ Scripturæ testimonia, aliaque divinarum laudum verba, congruentia iis quæ per spiritum viderat, absque omni præmeditatione pronuntiavit : Igitur omnia quæ circa ipsam gesta sunt, et ad gloriam Dei et ad ædificationem fidelium pertinere visa sunt, in præsenti libello ex magna parte conscripta sunt, juxta narrationem ipsius, qua uni ex fratribus suis, de ordine clericorum, quem præ cæteris familiarem habebat, singula exposuit. Cum enim ab inquirentibus multa occultaret, eo quod esset timorata valde et humillima spiritu; huic, diligenter omnia investiganti, et memoriæ ea tradere cupienti, germanitatis et dilectionis gratia, et abbatis jussione, cuncta familiariter enarrare coacta est. Narrationis autem initium erat hujusmodi.

2. *Hactenus Egbertus virginis frater, et idem qui sub tertia persona dicitur omnia scripsisse clericus, cum quo in persona ipsius virginis locutura priusquam progrediamur, exhibenda est Elisabethæ epistola ad S. Hildegardem, mire faciens ad totum sequens argumentum illustrandum. Frustra eam nunc requireremus, nisi illam suo Hirsaugiensi Chronico ad annum* (*ut legendum monuimus* 1165) *Trithemius abbas inseruisset.* Sancta *autem* Hildegardis (*ut hoc obiter ex ejusdem Trithemii Chronico Sponheimensi dicam*) virgo Christi, fundatrix et magistra cœnobii S. Ruperti juxta Bingiam, XV Kalend. Octobris moritur anno ætatis suæ LXXXIII, Domini 1179, Indictione XIII, *duntaxat inchoata, mense Septembri; adeoque nata anno* 1097 *senior fuit annis* XXXIII, *quam Elisabetha, solum nata anno* 1130 *eique ad annos* XVIII *supervixit. Fuerunt vero inter se quam simillimæ; nam Elisabeth, ut in præcitato Chronico dicit idem Trithemius*, divinis revelationibus visitari a juventute sua meruit; ex quibus multa jussione divina ad utilitatem posteriorum conscripsit : cumque esset Latini sermonis ignara, et præter simplicem psalmodiam nihil ab homine didicisset, interno Spiritus sancti magisterio edocta, omnem Scripturam, positionem seu constructionem operis recte intellexit; revelationes autem suas et visiones cœlestes partim Latino, partim Teutonico protulit eloquio. *Epistola ex certa consideratione* (*quam haud ægre conjectaveris spectare fidem revelationibus Elisabeth dandam*) *de verbo ad verbum producta a Trithemio et sub annum* 1162 *vel etiam* LX *scriptæ; cum jam virginibus præesset Elisabetha, talis est.*

3. Dominæ Hildegardi, venerabili magistræ sponsarum Christi, quæ sunt apud Bingiam, Elisabeth, humilis monacha, et magistra sororum, quæ in Schonaugia sunt, devotas cum omni dilectione orationes. Gratia et consolatio Altissimi repleat vos gaudio, quia meæ tribulationi benigne compassa estis, sicut ex verbis consolatoris mei intellexi, quem de mei consolatione diligenter commonuistis. Sicut enim vobis de me revelatum fuisse dixistis, fatear vere quamdam perturbationis nubem me nuper in animo concepisse, propter ineptos sermones populi, multa loquentis de me, quæ vera non sunt. Sed vulgi sermones facile sustinerem, si non et hi, qui in habitu religionis ambulant, spiritum meum acerbius contristarent. Nam et hi, nescio quibus stimulis agitati, gratiam Dei in me deridentes; et de his, quæ ignorant, temere judicare non formidant. Audio et quasdam litteras, de suo spiritu

Digitized by Google

scriptas, sub meo nomine circumferre, de judicii die me prophetasse diffamantes : quod certe nunquam facere præsumpsi, cum omnium mortalium cognitionem effugiat ejus adventus. Sed hujus famæ occasionem vobis aperiam, ut judicetis utrum præsumptuose quidpiam in hac re fecerim, aut dixerim.

4. Sicut per alios audistis, magnificavit Dominus misericordiam suam mecum, supra quam meruerim, aut mereri ullatenus possim, in tantum, ut cœlestia quædam sacramenta frequenter revelare dignatus sit. Significavit mihi etiam per angelum suum frequenter, qualia ventura essent super populum suum in his diebus, nisi pœnitentiam agerent de iniquitatibus suis; atque ut palam hæc annuntiarem, præcepit. Ego autem, ut arrogantiam evitarem, nec auctrix novitatum viderer, in quantum potui, omnia hæc studui occultare. Cum igitur solito more, quadam Dominica die, essem in mentis excessu, astitit mihi angelus Domini, dicens : « Quare abscondis aurum in luto? hoc est verbum Dei, quod per os tuum missum est in terram, propter facies distortas; non ut abscondatur, sed ut manifestetur, ad laudem et gloriam Domini nostri, et salvationem populi sui. » Et hoc dicto, elevavit supra me flagellum, quod quasi in ira magna quinquies mihi inflixit amarissime, ita ut per triduum in toto corpore ex illa percussione languerem. Post hæc apposuit digitum ori meo, dicens : « Eris tacens usque ad horam nonam, quando manifestabis ea quæ operatus est Dominus tecum. » Ego igitur usque ad horam nonam muta permansi. Tunc significavi magistræ, ut afferret ad me libellum quemdam, quem in stratu meo absconderam, continentem ex parte ea, quæ fecerat Dominus mecum. Quem cum offerrem in manus domini abbatis *Hildelini*, qui ad visitandum me venerat, soluta est lingua mea in hæc verba : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII). Post hæc, cum et alia quædam ipsis revelassem, quæ scriptis committere nolueram, videlicet de vindicta Domini magna, quam universo mundo in brevi superventuram ab angelo didiceram, rogavi illum diligentissime, ut verbum illud haberet absconditum.

5. Præcepit autem mihi ipse Dominus abbas, ut operam darem orationi, atque a Domino postularem, quatenus daret mihi intelligere utrum ea, quæ dixeram, silentio tegi vellet, an non. Cumque per aliquod tempus hac de re orationi insistendo, me afflixissem, in Adventu Domini, in festivitate S. Barbaræ, in prima vigilia noctis, corrui in extasim, et astitit mihi angelus Domini dicens : « Clama fortiter, et dic Heu! ad omnes gentes, quia totus mundus in tenebras est conversus, et dices : Exite, ille vos vocavit, qui de terra vos formavit. Et dic : Pœnitentiam agite, quia prope est regnum Dei. » Hoc igitur sermone inductus dominus abbas cœpit divulgare verbum eorum magistratibus Ecclesiæ et viris religiosis, quorum quidam vero non sic, sed sinistre de angelo, qui familiaris mihi est, locuti sunt; dicentes eum esse illusorium spiritum et in angelum lucis transfiguratum. Unde et ipse dominus abbas per obedientiam me constrinxit, præcipiens, ut cum mihi rursus appareret, per nomen Domini ipsum adjurarem, quatenus indicaret mihi utrum verus Dei angelus esset, an non. Ego autem præsumptuosum id æstimans, cum timore magno præceptum hoc suscepi. Quadam igitur die, cum essem in excessu meo, solito more se mihi obtulit, et stetit in conspectu meo, et dixi tremens ad eum : « Adjuro te per Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ut recte dicas mihi si verus Dei angelus sis, et si veræ sunt visiones quas vidi in excessu meo, et ea quæ ex ore tuo audivi. » Respondit, ac dixit : « Scias pro certo quia verus angelus Dei sum, et veræ sunt visiones quas vidisti, et quæ de ore meo audisti, vera sunt, et vere fient, nisi reconcilietur hominibus Deus, et ego ipse sum, qui diu laboravi tecum. »

6. Post hæc in vigilia Epiphaniæ dum orarem, rursus apparuit mihi Dominus meus, sed procul a me stans, et faciem habens adversam a me. Ego autem indignationem ejus intelligens, dixi illi cum timore : « Domine mi, si molesta tibi fui in eo quod adjuravi te, ne, quæso, imputes mihi : converte faciem tuam ad me, et esto mihi placabilis, quia constricta per obedientiam feci, nec ausa fui transgredi mandatum præceptoris mei. » Cumque in hujusmodi verbis multas lacrymas profudissem, conversus est ad me dicens : « Contemptum mihi fecisti et fratribus meis, quia diffidentiam habuisti ad me : unde pro certo noveris quia ultra non videbis faciem meam, neque vocem meam audies, nisi placatus fuerit Dominus, et nos. » Et dixi : « Domine mi, quomodo placari poteris. » Et dixit : « Dices abbati tuo, ut in memoriam mei et fratrum meorum celebret officium divinum devote. » Cum ergo non semel, sed pluribus vicibus, tam a domino abbate, quam a reliquis fratribus, missarum solemnia ad honorem sanctorum angelorum celebrata fuissent, simulque sorores psalmorum lectionibus eos honorassent, rursus apparuit mihi Dominus meus placido vultu, dixitque ad me : « Scio quoniam in charitate et obedientia factum est, quod fecisti, idcirco veniam consecuta es; et de cætero frequentius te visitabo, quam hactenus. »

7. Post hæc dominus abbas ire disposuit in locum quemdam, rogatu clericorum illic manentium, ut prædicaret verbum comminationis Domini in populo, si forte pœnitentiam agerent, et averteretur ira Dei ab illis; primum aggressus est deprecari Dominum, ma cum omnibus nobis, ut nobis revelare dignaretur ancillæ suæ, utrum sermonem, qui jam manifestus esse cœperat, amplius divulgari oporteret, an non. Ipso igitur divina mysteria celebrante, et nobis devotissime orantibus, subito dissolutæ sunt compages membrorum meorum, et

Digitized by Google

elanguí, et veni in mentis excessum. Et ecce angelus Domini stetit in conspectu meo, et dixi ad eum : « Memento, mi domine, quod dixeris ancillæ tuæ, verbum meum per os tuum missum est in terram, non ut abscondatur, sed ut manifestetur ad gloriam Dei, et salvationem populi ejus. Et nunc indica mihi, quid oporteat fieri de verbo comminationis, quod locutus es ad me; nunquid jam satis manifestum factum est, an adhuc amplius prædicandum? » At ille, severo me aspectu intuens, ait : « Noli tentare Deum : qui enim tentant illum, peribunt; et dices ad abbatem : Noli timere, sed perfice quod cœpisti. Vere beati sunt, qui audiunt verba prophetiæ tuæ, et servant ea, et non fuerint scandalizati in te. Hoc autem illi suggeras, ut eam formam, quam hactenus in prædicatione habuit, non immutet : in hoc enim ego consiliarius ejus fui. Dicito illi, ut nequaquam attendat verba eorum, qui ex invidia dubie loquuntur de his quæ dicta sunt in te, sed attendat, quod scriptum est, quia nihil impossibile apud Deum. »

8. Hoc igitur sermone animatus, locum quem disposuerat adiit; et populum, qui ejus adventum præstolatus fuerat, ad pœnitentiam exhortatus est, annuntians iram Dei superventuram, nisi pœnitentiæ fructibus eam prævenire studerent : quales autem plagæ mundo imminerent, nequaquam, veluti diffamatus est, in aliqua prædicatione sua enarravit. Factum est igitur, ut multi, apud quos iste sermo diffamatus est, per totum tempus Quadragesimale, in timore magno per pœnitentiam se affligerent, eleemosynisque et orationibus studiose insisterent. In tempore illo quidam, nescio quo zelo ductus, ad urbem Coloniam, in persona domini abbatis, ipso ignorante (Deus novit) litteras direxit, in quibus terribiles quædam comminationes audiente omni populo lectæ sunt : unde, quanquam ab insipientibus illusum nobis sit, prudenter tamen (ut audivimus) et reverenter sermonem animadverterunt, et pœnitentiæ fructibus Deum honorare non contempserunt. Factum est autem in quarta feria ante diem Paschæ, cum post magnos labores corporis in exstasim venissem, apparuit mihi angelus Domini, et dixi ad eum : « Domine, quid fiet de verbo quod locutus es ad me? » Qui respondit : « Noli contristari, neque perturberis, si non in die, quem determinavi tibi, evenerint quæ prædixi, quoniam multorum satisfactione placatus est Dominus. »

9. Post hæc, in sexta feria, post horam tertiam, cum gravi passione veni in excessum mentis; et rursus astitit mihi dicens : « Vidit Dominus afflictionem populi sui, et avertit iram indignationis suæ ab eis. » Cui dixi : « Quid ergo, Domine mi, nonne ero in derisionem omnibus, apud quos hoc verbum diffamatum est? » Qui ait : « Omnia, quæ in occasione hac evenerint tibi, patienter et benevole sustineto; illum diligenter adverteus, qui, cum esset totius orbis Creator, hominum irrisiones sustinuit. Nunc primum patientiam tuam Dominus probat. » Ecce, domina mea, totum ordinem rei vobis explicavi, quatenus et vos innocentiam meam, et abbatis nostri cognoscatis, et aliis manifestare possitis. Obsecro autem, ut et orationum vestrarum participem me faciatis; et, prout Spiritus Domini vobis suggesserit, aliqua mihi consolatoria verba rescribatis. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum sit omnibus. Amen.

Hactenus illa, quorum cum nihil in sequentibus libris contineatur, datur intelligi, quam plurimas alias revelationes oblatas fuisse virgini, multasque ab ea epistolas scriptas, quarum istic habita ratio non sit. Nunc veteris divisionis titulos accipe, cum indicio nostrorum numerorum ex latere.

DIVISIO ANTIQUA.

Lib. I. Cap. I. Primo sermonem facit ad fratrem suum Egbertum. 10
II. De tentatione maligni, et horrenda tristitia comite. 13
III. De adversario apparente Elizabeth in similitudinem phantasmatis horribilis. 15
IV. De apparitione ejusdem in aliis formis. 16
V. Visio quædam facta illi in sublimi. 17
VI. Visio adversarii loci ejus, et quorumdam cœlestium. 18
VII. De adversario in specie delicati clerici. 19
VIII. De compassione fratrum et sororum in eam, luce magna, et Spiritus sancti columba. 20
IX. De apparitione sanctæ crucis, et beatissimæ virginis. 20
X. De apparitione columbæ, et SS. Joannis Baptistæ, et Joannis, et Pauli martyrum. 21
XI. Visio multorum sanctorum, et aliorum mysteriorum. 24
XII. Aliæ cœlestes apparitiones, et aliorum sanctorum. 27
XIII. De sanctorum ordinibus, item de Filio Dei, et divina majestate. 29
XIV. Visio divini Agni, et aliorum mysteriorum. 31
XV. De gloria Virginis Mariæ, et verba exhortatoria. 33
XVI. Apparitio gloriosissimæ virginis, cum præcursore Domini. 36
Lib. II. Cap. I. De apparitione crucis, S. Michaelis, sanguinis et corporis Domini. 37
II. De visione Cassii, et Florentii martyrum, et undecim millium virginum. 39
III. Visio omnium sanctorum, angeli boni, purgatorii loci, paradisi amœnitatis, liberatarum animarum, et liberatione cujusdam amici. 40
IV. Visio cœlestis Jerusalem, et aliorum mysteriorum sanctorum. 45
V. De protomartyre, evangelistis, Agno Dei, innocentibus, et tribus regibus. 45
VI. Apparitio sacratissimæ virginis Mariæ. 46
VII. De rota, avicula, monte, scala, eucharistia, et S. Gregorio. 47
VIII. De adventu justi Judicis, cum signis vivificæ passionis : de iis qui a dextris; et qui a sinistris; de Juda, Pilato et crucifixoribus Domini; quædam secreta revelatio. 50
IX Visio ingressus Salvatoris in sanctam civitatem, et honoris a turba illi impensi. 53
X. Mysterium a lotione pedum discipulorum, usque ad captivitatem Domini. 54
XI. Mysterium a captivitate passionis usque ad sepulturam ejus. 55
XII. Visio angelorum et matronarum, et quomodo Salvator discipulis apparuit. 57
XIII. Mysterium Ascensionis Domini et missionis Spiritus sancti. 59

Digitized by Google

XIV. De sedente in throno, cum exercitu in circuitu ejus. 61
XV. Specialis revelatio, cum increpatione cleri, et de præsepio Domini. 63
XVI. Visio evangelistarum, angelorum habentium potestatem plagarum, et nonnullorum aliorum mysteriorum. 66
XVII. De infirma sorore, spirituali inunctione Elisabeth, et nonnullis aliis. 69
XVIII. Quomodo ex gravi infirmitate, qua decumbebat in lecto, ab angelo Domini repente curata est. 72
XIX. Comminatio iræ Dei super populum, falsos religiosos, et iniquos pastores; et exhortatio ad pœnitentiam. 74
XX. Exhortatio ad mundi hujus amatores, et instructio ancillæ Dei. 75
XXI. De throno Dei, et quatuor animalibus, ac rotis. 77
XXII. De eucharistia, Spiritu sancto, civitate Dei, judicio et libris factorum cum bonorum tum malorum; et de vero die revolutionis Paschæ. 78
LIB. III. Hic est liber viarum Dei, etc. 86
I. Visio prima. 87
II. Visio secunda. 88
III. Visio tertia. 89
IV. Visionis primæ interpretatio. 90
V. Visionis secundæ interpretatio. 91
VI. Visionis tertiæ interpretatio. 92
VII. Declaratio quatuor viarum Dei, quæ sint.
VIII. Alia visio. 93
IX. De via contemplativorum, sermo primus. 94
X. De via activorum, sermo secundus. 95
XI. De via martyrum, sermo tertius. 96
XII. De via conjugatorum, sermo quartus. 98
XIII. De via continentium, sermo quintus. 102
XIV. De via prælatorum, sermo sextus. 106
XV. De via viduatorum, sermo septimus. 107
XVI. De via eremitarum, et solitariorum, sermo octavus. 108
XVII. De via adolescentium, sermo nonus. 109
XVIII. De via infantium, sermo decimus. 110
LIB. IV. Visio de assumptione Virginis M. 106
I. Protestatio Angeli de annuntiatione libri viarum Dei. 110
II. Sermo Elizabeth de undecim millibus virginum aliisque martyribus passis inter eas Coloniæ.
III. Ad abbatem Tuitiensem et fratres ejus.
IV. Ad sorores sanctarum virginum in Colonia.
V. Ad venerabilem abbatem Tuitiensem. 83
VI. Visio quam vidit Egbertus, qui et obtulit revelationes Elizabeth in altari.
LIB. V. Prologus.
EPIST. I. Ad Ludovicum monachum, postea abbatem ad S. Eucharium Treviris.
II. Ad abbatem de Busindorpo et fratres ejus.
III. Ad dominum Hilinum archiepiscopum Trevirensem.
IV. Ad abbatem Otinhensem et fratres ejus.
V. Ad fratres Nurimbergenses.
VI. Ad sorores Auturnacensis cœnobii.
VII. Ad sorores in Borma.
VIII. Ad sorores sanctarum virginum Coloniensium.
IX. Ad sorores Dierstenses.
X. Ad dilectissimam abbatissam Dirquircensem.
XI. Ad eamdem abbatissam Dirquircensem.
XII. Exhortatoria epistola Elizabeth ad cognatam suam.
XIII. Alia ad quosdam religiosos Patres exhortatoria.
XIV. Ad abbatem Tuitiensem.
LIB. VI. Qui est Ecberti ad cognatas suas.
CAP. I. De obitu Elizabeth virginis. 112
II. De felici exitu ac sepultura Elizabeth. 116
III. De suo fine sollicita, sororum saluti diligenter intendit. 118
IV. Protestatio, quod nihil fictionis admissum sit in eis quæ ab ea sunt visa et audita: adhortatio sororum, et sacramenti unctionis postulatio. 120
V. Oratio Elizabeth, et exauditio pro perceptione corporis Dominici; divisio lucis et signum transitus ejus. 122
VI. Consilium de substituenda alia loco ejus, et salutaris admonitio, ac diligens præparatio ad exitum vitæ hujus. 125
VII. Visio ex qua cognovit Elizabeth discessum suum, et divinum cultum permansurum in loco illo. 128
VIII. Commendationes et gratiarum actiones quas Elizabeth habuit in fine. 130
IX. Visio de exitu ejus, et orationes, quibus usa est. 132
X. Cur transitus ejus aliquantulum dilatus est, et quomodo ad omnes se habebat, et contra. 136
XI. De exitu ejus. 139
XII. De sacerdote quodam subito erumpente in laudes ejus, et sepulturæ officio. 141

CAPUT PRIMUM.

Allocutio ad fratrem; tentationes diabolicæ divina visitatione discussæ; visionum initia.

10. Petis a me, frater, et ad hoc venisti, ut enarrem tibi misericordias Domini, quas secundum beneplacitum gratiæ suæ operari dignatus est in me. Promptum quidem est in me, frater, per omnia dilectioni tuæ satisfacere, nam et hoc ipsum diu desideravit anima mea, ut daretur mihi conferre tecum de omnibus iis quæ magnifice operatus est Dominus in me, ac tuum audire judicium; sed, quæso, modicum sustine et attende, mi dilecte, multiplices angustias cordis mei, quæ supra quam credi potest, me coarctant. Si verbum illud, de quo audisti, in commune prodierit, sicut per quosdam incautos fratres (novit Deus) contra voluntatem meam ex parte jam prodiit, quis putas de me sermo erit in populo? Dicent forte nonnulli, alicujus me sanctitatis esse, ac meis meritis gratiam Dei attribuent, existimantes me aliquid esse, cum nihil sim. Alii vero cogitabunt intra se dicentes: Hæc si esset Dei famula, sileret utique, et non sineret magnificari nomen suum in terra, nescientes qualibus stimulis urgeri soleo ad dicendum. Non deerunt etiam qui dicant muliebria figmenta esse omnia, quæ audierint de me, vel forsitan a Satana me illusam judicabunt. His et aliis modis, charissime, in ore hominum ventilari me oportebit. Et unde hoc mihi, ut alicui hominum innotescam, quæ elegi esse in abscondito, et quæ certe nec dignam me arbitror, ut ad intuendum me quisquam oculos suos attollat? Illud quoque non parum angustias meas adauget, quod domino abbati complacuit, ut scriptis verba mea commendentur. Ego enim quid sum, ut memoriæ tradantur ea quæ sunt de me? Nonne et hoc arrogantiæ poterit ascribi?

11. Sed dicunt mihi quidam ex sapientibus, quia non propter me solam hæc fecit mihi Dominus, sed aliorum quoque ædificationi per ista providit; eo quod ad fidei confirmationem aliquatenus attinere videantur, et ad consolationem eorum qui tribulato

Digitized by Google

sunt corde propter Dominum : et idcirco pro ejusmodi causis, quæ prædictæ sunt, opera Dei silentio prætereunda non putant. Et ita quidem esse, ut dicunt, ex parte credo, propter quædam, quæ tibi nunc indicabo. Accidit aliquoties, cum in corde meo posuissem celare ea quæ ostensa mihi erant a Domino, tanta præcordiorum tortura me arripi, ut morti me proximam existimarem : at ubi iis, qui erant circa me, quid vidissem aperui, continuo alleviata sum. Sed fateor, quia nec sic adhuc omnino certificata sum quid potissimum agere debeam; nam et tacere magnalia Dei periculosum mihi esse intelligo, et loqui periculosius fore pertimesco. Minus enim discretionis me habere cognosco, quam ut sufficiam discernere, quid ex iis, quæ mihi revelantur, dici conveniat, quidve silentio honorari oporteat. Et ecce inter hæc omnia, in periculo deliquendi posita sum. Propter hoc, dilecte mi, non cessant ab oculis meis lacrymæ, et anxiatur spiritus meus jugiter in me, sed ecce ad introitum tuum consolari cœpit anima mea, et facta est tranquillitas magna in me. Benedictus Dominus, quia suscipere dignatus est orationem ancillæ suæ, qua diebus multis eum de tuo adventu deprecata sum.

12. Et nunc, quia Domini voluntate ad me de longinquo directus es, non abscondam cor meum a te; sed ea, quæ sunt de me, bona et mala, tibi aperiam : deinde quid fieri conveniat, in tua et Domini abbatis discretione positum sit. Gratias ago Domino ego pauperum ejus minima, quoniam a die, quo sub regulari institutione cœpi vivere, usque in hanc horam, ita confirmata est super me manus Domini, ut nunquam sagittas ejus in corpore meo portare desierim. Ægritudines meæ variæ, et diuturnæ, non solum me vexaverunt, sed et omnes sorores quæ in circuitu mei sunt. Det illis Dominus misericordiam, quia onus calamitatis meæ materno affectu mecum portaverunt. Aliquando et medicamina infirmitatibus meis adhibuerunt; sed eo amplius infirmata sum, et audivi in visione nocturna vocem dicentem mihi : *Deus autem noster in cœlo, omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal.* CXIII). Unde me admoneri intellexi, ut non medelis hominum, sed voluntati Creatoris mei corpus meum committerem; et ita quidem feci. Cumque sæpe tanto languoris obruerer labore, ut nullius membri (excepta lingua) compos essem, sine arrogantia dixerim, non minus in Psalmis ruminandis sedula permanebam; sed cum et linguam paralysis mihi subduceret, linguæ officium mente supplevi. Quantas autem cum infirmitatibus meis rerum necessariarum penurias sustinuerim, longum est enumerare. Ipse nosti, quia et domus nostræ possessio modica est, et elongati sunt a me, qui debuerant misereri super me. Sed pater orphanorum Dominus sollicitus est mei, per cujus gratiam gaudium magnum est cordi meo omnis mea contritio. Per omnia benedictus sit consolator humilium Deus. Sed ne diutius te protraham, nunc ad ea, de quibus potissimum interrogas, sermonem convertam.

13. Factum est in die sancto Pentecostes (6), convenientibus ad Dominicam cœnam sororibus, ego occasione quadam detenta sum, ut divini illius ac vivifici sacramenti particeps non fierem. Unde illius diei solemnitas non me, ut solebat, exhilaravit; sed in quadam obscuritate animi tota die permanebam. Postera etiam die, et tota illa hebdomada, in eadem obscuritate animi tristis incedebam, nec potui ab animo excutere tristitiam. Ascendebant in cor meum plus solito omnia delicta, et magnificabam singula apud me, et ita mihi ipsi dolores accumulabam. Crescente igitur paulatim apud me hac non bona tristitia, adeo mente obscurata sum, ut quocunque me verterem, in tenebris me ambulare æstimarem, lucis comparatione quam antea in me senseram : inter hæc tanto etiam tædio afficiebar, ut nihil esset quod non fastidiret anima mea. Moleste mihi erant ipsæ orationes, quæ summæ deliciæ meæ esse consueverant. Psalterium, quod jucundum semper mihi fuerat, quandoque vix uno psalmo perlecto, longe a me projeci. Iterum recogitans, ac mecum admirans quid mihi accidisset, resumpsi illud, et legi; sed rursus mente concidi.

14. Omnes enim vires suas effudit in me adversarius meus; nam etiam in fide hæsitare me fecit ille perfidus, ita ut de Redemptore nostro dubie cogitarem, dicens intra me : Quisnam ille fuit, qui tantum se humiliavit propter homines? Nunquid vera esse potuerunt omnia quæ scripta sunt de illo? Verti me alio, et dixi ; Bonus tamen erat ille, quisquis fuit, de quo tot bona prædicantur. De beatissima advocata nostra similiter dubie cogitabam, cum ejus memoriam agerent sorores. Et quid mirum, frater? Pene omnis sensus meus subversus erat in me. Aliquoties autem ad me ipsam rediens, tentari me intellexi, ac fortiter reluctabar, meosque familiares, ut pro me orarent, admonui; sed tanto fortius insistebat adversarius meus, ita me perturbans, ut etiam tæderet me vivere. Cibum et potum præ tædio sumere non potui nisi tenuissime, et ibam deficiens, et tabescens toto corpore. Novissime autem id mihi inspiravit ille perfidus, ut vitæ meæ ipsa finem imponerem, atque ita ærumnas meas, quas diu sustinueram, terminarem. Sed in hac tentatione pessima, non dormitavit super me qui custodit Israel. Non enim permisit ut dominaretur mihi iniquitas hæc maxima; sed dedit mihi intelligere malitiam insidiatoris mei, et subito me avertit a cogitatione hac. Quam copiosus es in misericordia, Domine, qui de tantis periculis eruis confidentes in te! Confiteor tibi, Pater, quia nisi tu adjuvasses me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.

(6) Anno ab Incarnatione Christi 1152 litteris Dominicalibus F. E. Pascha celebratum fuit 30 Martii; atque adeo Pentecoste 18 Maii. Itaque infra descripta mentis obscuritas duravit ad 25 ejusdem.

Digitized by Google

15. Et hæc quidem ita se habebant circa me usque ad festum Maximini (7), IV Kalendas Junii (8). Illo autem die ad Completorium, vidi in sacello nostro phantasma parvum, quasi cuculla monachi indutum. Statim autem, dicto Completorio, irruit super me gravissima infirmitas, et rogavi magistram ut assumptis sororibus veniret mecum in capitulum, ibique orationes funderent super me. Cumque ibi prosternere me vellem ante crucifixum, ita diriguerunt ossa mea, ut nullatenus genua flectere potuissem. Ego itaque mihi ipsi vim faciens, graviter me projeci in terram. Cumque surrexissem ab oratione, allatum est Evangelium, et legere me fecerunt passionem Domini; et adjuvabant me, quoniam imbecillis eram ad legendum. Dum autem legeremus, apparuit mihi idem phantasma, ut prius, et legentibus nobis locum illum, ubi dicit evangelista : *Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominatur Iscarioth* (*Luc.* XXII), cœpit exsultare et risum movere. Dicebam autem sororibus, ut pessimum illum abigerent, et mirabantur, de quo loquerer eis. Perlecto autem evangelio, evanuit. Post hæc in Matutinis stabat coram me, in humana effigie, statura brevis, et spissus, et horribilis aspectu : facies ejus ignea, lingua ejus flammea, et longe ab ore porrecta, manus ejus et pedes similes unguibus avium rapacissimarum. In hac specie septies illo die mihi apparuit. Et semel in specie canis teterrimi. Sequenti die mane (9) astitit lecto meo, et cum suo quodam juramento minatus est mihi, quod in dentes me percussurus esset calceo quem in manu tenere videbatur. Post hæc paulo ante missam, iterum se mihi obtulit in specie tauri magni et horrendi, dilatans super me os suum, quasi ad deglutiendum me, et cymbalum in collo gestare videbatur.

16. Deinde cum inchoaretur missa de beatissima Virgine domina nostra (Sabbatum enim erat) veni in exstasim. Et apertum est cor meum : et vidi super aerem rotam magni luminis, similem lunæ plenæ, sed quasi duplo majorem. Et introspexi per medium rotæ, ac vidi similitudinem regalis feminæ stantem in sublimi, quasi candidissimis indutam vestimentis, ac purpureo amictu circumdatam. Continuo intellexi hanc esse sublimem cœli Reginam, Matrem Salvatoris nostri, cujus semper desideravi aspectum. Cumque intenderem in eam cum summo desiderio, procidit in faciem suam ter, adorans coram divino quodam lumine, quod erat ante illam. Quarta autem vice cum se humiliasset, longam moram in jacendo facere visa est. Ut autem surrexit, convertit ad me faciem, et modicum progressa est in inferiorem aerem contra me, habens duos comites gloriosos, unum a dextris, et unum a sinistris. Qui a dextris erat, cuculla monachi indutus esse videbatur, candidissima tamen, et baculum monastici Patris manu gestare visus est. Unde menti meæ incidit hunc esse venerabilem Patrem nostrum B. Benedictum. Qui autem a sinistris erat, juvenis decorus videbatur, candida et crispanti coma spectabilis. Stans autem domina mea, signa crucis me consignavit, et hæc verba menti meæ nescio qualiter inseruit : « Ne timueris, quia nihil tibi ista nocebunt. » Vocis quidem sonitum non audivi, sed tantummodo labiorum ejus motum distincte aspexi. Post hæc regressa est ad interiora luminis sui, et ego devotissime adorans sequebar eam laudibus tredecim versiculorum, quos in consuetudine habeo. Et his dictis, ab exstasi reversa sum; et continuo refeci spiritum meum hostia salutari. Tunc rogavi sacerdotem, ut invocaret nomen Domini super me; qui cum inchoaret Litaniam, rursum in exstasi facta vidi dominam meam, stantem secus altare, in veste, qualis est casula sacerdotalis; et habebat in capite diadema gloriosum, quasi quatuor gemmis pretiosis insignitum, eratque ei circumscripta angelica illa salutatio : *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I).

17. Eodem die ad vesperam, rursum vidi malignum illum, in specie tauri, pendentem coram me in aere : et paulo post respexi consolatricem meam in cœlesti lumine, ut prius, munientem me crucis signaculo. Postera die, quæ erat Dominica, iterum (10) se mihi præsentavit insidiator meus in specie tauri, ut prius. Tunc, quia nimis vexaverat me horrenda visio illa, dixi ei confidenter : « Si vere tu es ille malignus, præcipio tibi in nomine Domini, ut cito transfigures te, et in hac specie ultra mihi non appareas. » Continuo disparuit; et respexi vallem quamdam horribilem plenam fumo, et flamma nigra, et exibat inde grex caprarum turpissimus. Die illa ad vesperam lux magna in cœlo mihi apparuit, et de medio ejus columba niveo candore, et quasi flammeo splendore venusta, elapsa est, nescio quid rubeum in ore demonstrans; et ut subito gyrum fecit in aere, iterum se recepit in lucem. Ego autem cum veneratione eam prosequens, orationes de Spiritu sancto dicebam, quoniam in specie columbæ eum apparuisse audieram. Post hæc ad Completorium cum starem ante crucem, ac devotissime eam salutarem, ostensa est mihi in cœlo crux magna aurei fulgoris, ita splendida, ut etiam reverberaret oculos cordis mei, quibus eam intuebar.

18. Die altera mane, cum starem sola in capitulo, et orarem, iterum se mihi obtulit adversarius meus, stans coram me in specie delicati clerici, quasi indutus camisia candida. Et expavi quidem, sed tamen in oratione perseverans, nihil segnius egi, quo magis eum confunderem. Expleta autem oratione, ascendi in dormitorium, et illuc me subsecutus est.

(7) S. Maximinus episc. Trevir. colitur 29 Maii hunc cadente in feriam V.

(8) Utique feria VI et consequenter 30 Maii.

(9) Mane diei Sabbati, uti mox dicitur : et sic omnia recto ordine sequuntur.

(10) Scilicet 1 Junii; et consequenter sequentes feriæ II et V, quibus visi sancti.

Digitized by Google

Discessi inde in sacellum, et veni stare inter duas sorores orantes. Illuc etiam subsecutus est : et stabat coram me, in turpi quodam gestu illudens mihi, nec potui avertere ab eo mentis oculum, quo eum intuebar. Tunc nequitiam ejus ultra non ferens, dixi ei audacter : « Præcipio tibi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut cito ab hujusmodi gestu cesses, et talem nequitiam ultra mihi non ostendas. » Continuo habitum priorem dimisit, et stabat reverenter quasi indutus veste religiosa. Deinde exivi sedere in conventum sororum, et illuc me insecutus est; et stans arrisit mihi. Cum ergo tunc disparuisset, ultra mihi non apparuit. Deinde cum audita missa communicassem, et ad prandium accessissem, præ nimia vexatione vix cibum attigi. Post prandium autem subito elangui, nec remansit in me quidquam virium, et ita coarctabar undique, ut nullum membrorum meorum esset absque passione. Tunc astantibus circa me sororibus vix linguam movi, ut significarem eis, quod allatis reliquiis dicerent super me Passionem Domini, et orationes. Dum autem orarent, sensi guttur meum quasi manu cujuspiam fortiter stringi, ita ut pene halitus meus intercluderetur. Cum ergo transisset hora illa, de cætero majorem pacem habui a tentatore meo, per gratiam Domini, qui novit suos de tentatione eripere; quod, ut arbitror, impetratum est a Domina.

19. Convenerunt sorores, ac domini fratres, videntes angustias animæ meæ, ac decreverunt, ut septem continuis diebus communes preces funderent, et se affligerent coram Domino pro me, ac singulis diebus singulas missas pro angustiis meis celebrarent. Cumque inter septem missas, una de Spiritu sancto in quinta feria esset decantanda, cum magno desiderio diem illum exspectabam, sperans aliquid consolationis tunc me recepturam. Venit desiderata dies, et fratribus divina celebrantibus, jacebant in oratione cum sororibus : et dilatatum est cor meum, et vidi lucem grandem in cœlo : et ecce columba magnæ pulchritudinis, qualem et ante videram, de luce egrediens, pervenit usque ad me; et cum tribus vicibus capiti meo expansis alis se circumtulit, mox ad superna convolavit. Post hæc in sexta feria, cum diceretur missa de Sancta cruce, et me prostrassem in oratione, gloriosum crucis signum in cœlo mihi ostensum est, quasi a sinistris divinæ majestatis.

20. In Sabbato autem, cum celebraretur officium de gloriosissima Virgine, vidi iterum eam in superna claritate, coram majestate magna adorantem. Cumque ministri altaris, laudes ejus devote concinentes, in sequentia : *Ave præclara*, processissent ad versiculum, qui est : *Ora, Virgo, nos illo pane cœli dignos effici*, procidit in faciem suam, totamque se in oratione prostravit; sicque permanebat quousque evangelium inchoaretur. Ab illo die usque ad hæc tempora, singulis fere Sabbatis, et quandoque aliis diebus, cum de ea officium celebraretur, eamdem visionem videre consuevi. Eadem die post Nonam, cum starem in capitulo, et amarissime flerem, propter somnia quædam in quibus animam meam valde molestaverat nequitia insidiatoris mei, rogabam dominam meam devotissime, ut si forte nocturæ mihi non essent illæ molestiæ, aliquid mihi consolationis exhibere dignaretur. Et ecce subito lux illa cœlestis emicuit, et progressa est inde consolatrix mea : et cum paululum descendisset, contra me stabat; et ego intendens in eam motum labiorum ejus diligenter observabam; et cognovi quod nominaret me nomine meo, Elizabeth, et amplius non adjecit, quod ego pro consolatione recipiens, gratias egi illi, et recessit a me.

CAPUT II.

Visi sancti, a 23 *Junii* 1152 *ad* 14 *Septembris* 1153.

21. Accidit quadam vice, cum frequenter se mihi obtulisset columba nivea illa, de qua dixi, ut apud me ipsam dubitarem de illa, et quærerem a domino abbate utrum posset Satanas se transfigurare in columbam. Qui cum negaret se unquam hoc legisse, et ego dubia permanerem, aspexi quadam die crucem, quam videre soleo; et venit ex adverso columba illa, et resedit in ea. Sic ergo certificata sum non esse hoc Satanam, quoniam inimicus crucis est.

22. In vigilia B. Joannis Baptistæ (11), dum divinum celebraretur officium, fui in oratione, ac dicebam quinquaginta psalmos, et alias quasdam orationes, in laudem illius venerandi Præcursoris Domini. Cumque orationes pene complevissem, subito lux magna refulsit in cœlo, et in medio ejus quasi species viri gloriosi; et in vestitu candido apparuit stans contra ortum solis. Et post pusillum convertit ad me faciem blandam, et valde amabilem, quasi volens conspici a me. Habebat autem coronam aurei fulgoris in capite, valde radiantem, et in parte anteriori quasi purpureo colore insignitam. In dextra ejus tanti fulgoris palma apparuit, ut præ nimia ejus claritate vix cætera, quæ juxta erant, possem discernere. Intellexi igitur hunc esse gloriosum illum martyrem, cui serviebamus. Post hæc in Matutinis, cum diceremus : *Te Deum laudamus*, eodem modo mihi apparuit; et id citra exstasim, quamvis vicina fui, ut fierem in exstasi. Cumque iterum disparuisset lux illa, in qua eum videram, subito in duas partes scindi visa est, et emicuit, quasi fulgur omnino intolerabile mihi ad videndum. Et dixi : « Sufficit mihi, Domine, gratia tua, parce infirmitati meæ, et relaxa mihi claritatem hanc nimiam, quia sustinere eam non valeo. » Continuo sublata est, et loco ejus stella clarissima apparuit. Rursus in die, tempore divini sacrificii, vir Dei similiter mihi apparuit.

23. Die tertio post hæc (12), in festo beatissimo-

(11) Vigilia S. Joannis Bapt. 23 Junii, tunc in fer. II cadens.

(12) SS Joannes et Paulus 26 Junii.

Digitized by Google

rum martyrum Joannis et Pauli, tempore matutino, dum ad honorem eorum legerem quinquaginta psalmos, vidi illos in amplissima luce, valde conjunctim stantes contra Orientem, et ad me terga vertentes. Cumque explevissem orationes, et subjunxissem : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Hæc est vera fraternitas, quæ vicit mundi crimina, Christum secuta est inclyta, tenens regna cœlestia. » Et insuper : « Si coram hominibus tormenta passi sunt, Deus tentavit eos, tanquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausta accepit eos. » Cum, inquam, hæc explevissem, rogavi illos diligentissime, ut ad me faciem convertere dignarentur, et conversi sunt ad me. Habebant autem et ipsi signa victoriæ atque martyrii, videlicet fulgidas in manibus palmas, et coronas in capitibus valde radiantes, et rubore signatas in fronte. Talibus enim insigniis decorati videntur sancti martyres, quandocunque mihi apparere dignantur. Cumque eorum intuitu delectata fuissem, ab oculis meis subito ablati sunt.

24. In festivitate beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, in primis Vesperis, rapta in exstasim, vidi gloriosos illos principes in splendore magni luminis, stantes cum signis victoriosi martyrii. Et conversis ad me vultibus descenderunt in regionem hujus nostri aeris, antecedente eos beatissima Virgine, matre Domini nostri Jesu Christi. Stans autem Petrus, signum crucis fecit super me, et salutabam illum dicens : « Tu es pastor ovium, princeps apostolorum. » Paulum quoque intuens, hæc verba arripui : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi* (*II Tim.* IV). Cumque reversi essent in regionem luminis, ego ab exstasi respiravi. In die ad missam, dum intonaretur officium, vidi columbam descendentem de cœlo, et usque ad dextrum cornu altaris pervenit, ibique resedit : quantitas ejus ut turturis, et supra nivem candor ejus. Cumque dominus abbas inter cæteras diceret illam Collectam, quæ est : *Deus, cui omne cor patet* : et usque ad verbum illud processisset, *purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri*, advolavit, et sese capiti ejus ter circumtulit, ac reversa est ad locum, ubi antea consederat. Cum autem diceretur *Sanctus*, accessit ac resedit in corporali, et quasi rubeum aliquid ex ore ejus pendere videbatur. Cumque finita missa inter sorores ad communicandum accederem, et oculos carnis ad eam flecterem, videre eam non potui. Aversis autem oculis eam vidi, et statim ut communicaveram in exstasim veni, moxque respiravi. Et exinde quicunque sanctorum alicujus celebritatis apud nos sunt, singuli in suis festivitatibus, mihi, per gratiam Domini nostri Jesu Christi, in cœlesti lumine apparuerunt, videlicet Quintilianus (13) martyr cum sociis suis, deinde septem fratres (14).

25. Post hos et venerabilis Pater noster Benedictus (15), qui etiam contra me in aerem exire visus est. Deinde B. Margarita (16) immenso candore notabilis, et signis victoriæ gloriosa. In divisione apostolorum (17) omnes mihi apparuerunt, sed seorsum ab aliis Petrus et Paulus stare videbantur. Post hæc, Alexium (18) confessorem vidi, nescio quid magni decoris habentem, a pectore usque ad subumbilicum. In vigilia B. Mariæ Magdalenæ (19) ad vesperam, vidi illam cum corona lucidissima, et simul cum ea Matrem Domini nostri Jesu Christi. Stabant autem contra se, quasi colloquentes ad invicem : et post pusillum conversæ sunt ad orientem.

26. In die ad missam, dum orarem positis in terra genibus, vidi in aere quasi prope terram duos viros (20) splendidos sedentes contra se, et in medio eorum lucidum quiddam quasi formam habens sepulcri : et ecce mulier similis ei, quam in sero videram, accessit, et stabat diligenter inspiciens eamdem sepulcri speciem. Dum autem staret, accessit, retro cum juvenis candidissimo amictu circumdatus, nigram habens comam ac barbæ lanuginem, et faciem supra modum speciosam. Moxque illa conversa ad eum ibat in occursum, et stabat quasi interrogans aliquid ab eo. Tunc cœpi anxie cogitare intra me quisnam esset ille juvenis. Cumque magno desiderio sciendi hoc æstuarem, subito in dextera ejus crux aurea apparuit. Unde mox conjectabam, quod ipse esset is, qui surgens a mortuis primo Mariæ apparuit. Eadem die ad vesperam, cum non possem interesse conventui propter invaletudinem, sedebam in capitulo cum magistra : et eramus in psalmis vespertinis (erat autem pluviæ tempus) et vidi Irim fulgidam solo mentis intuitu : exterioribus enim oculis faciem cœli, ab eo loco, in quo eram, intueri non poteram. Et dixi Domino in corde meo : « Obsecro, Domine, ut quod nunc sola mente video, etiam oculo carnis aspiciam, quo magis de hac visione spirituali certificer. » Non enim mihi ipsi satis credebam. Et post paululum, sorores de sacello exeuntes, constiterunt in claustro, aspicientes in cœlum. Mirante autem magistra quid aspicerent; dixi, Irim (ut credo) vident, quam et ego jam mentis intuitu vidi. Exeuntes ergo ad eas, vidimus eam et nos.

(13) S. Kilianus cum sociis martyr Moguntiæ, tota Germania celebris, 8 Julii.

(14) Septem fratres, filii S. Felicitatis, 10 Julii.

(15) S. Benedicti translatio, in Moguntino, ac Trevirensi, 11 Julii.

(16) S. Margarita V. M. ibidem 13 juxta Romanum 20 Julii.

(17) Divisio apostolorum passim per Germaniam 15 Julii.

(18) S. Alexius 17.

(19) S. Maria Magd. 22.

(20) Brigittini editores hic ad marginem nominant SS. Nicodemum et Joseph; sed existimo melius intelligi angelos, juxta illud Lucæ XXIV, 4 : « Ecce duo viri; » et Joannis XX, 11 : « Vidit duos angelos sedentes. »

Digitized by Google

27. In Vigilia S. Jacobi (21) apostoli, post prandium, citra exstasim vidi lucem quam videre soleo, quasi super ecclesiam B. Florini (22), ubi domini fratres nostri manent : erat autem in sequenti die ibi dedicationis (23) festivitas celebranda. Et vidi quasi scalam, in modum radiantis auri splendidam, de luce illa descendentem usque ad altare majus, quod est in sanctuario. Cumque aspicerem, vidi adolescentes duos per eam descendentes usque ad altare : qui autem præibat, thuribulum aureum in manu gestare videbatur. Post hos autem et alii duo descenderunt : denique magna multitudo descendit, et versa vice ascenderunt. Erantque ita ascendentes, et descendentes, a nona prioris diei usque ad nonam sequentis diei : tandiu enim continue in hac visione permansi. Apparuit autem et B. Jacobus, circa summitatem scalæ stans, cum beata Christina virgine, et Virgo virginum cum eis; in die autem illo, circa tempus Dominici sacrificii, ad hæc inferiora nostræ habitationis descendere visus est. Vidi autem eo die claritatem magnam circa præfatum altare, et omnia, quæ gerebantur illic; nam et operimentum altaris quale esset cognovi, et magistræ nostræ indicavi. Ipsa autem directo illuc nuntio comperit ita esse, ut dixi.

28. In Vinculis S. Petri (24) rursus eum vidi in eadem specie, qua et antea apparuerat. Post hæc Stephanum protomartyrem (25) in die inventionis suæ. Deinde Osualdum (26) regem; deinde Aphram martyrem cum duabus pedissequis suis; deinde B. Cyriacum (27); deinde B. Laurentium in Vigilia ejus; omnes cum signis victoriosi martyrii vidi in lumine. Erat autem tam densa lux, B. Laurentio undique circumfusa, ut etiam palpari posse videretur. Palmæ et coronæ ejus fulgor tantus erat, ut quodam modo reverberaret oculos cordis mei, sicut radiantis auri splendor oculos carnis solet repercutere. Habebat autem stolam splendidam, a sinistro humero usque ad dextrum latus protensam. Et interrogavi magistram, quid sibi hoc vellet : et dixit mihi, signum diaconatus ejus hoc esse. Stabat autem cum eo et beatissima Virgo, sicut cum supradictis omnibus : habebatque ipse facilem ad me blande conversam, quousque desiderium meum implevit : hanc enim gratiam omnes mihi solent exhibere.

29. Factum est in sequenti anno (28), in Dominica nocte, quæ erat prima post festum B. Jacobi, avocata a corpore rapta sum in exstasim. Et ecce rota flammea grandis in cœlo emicuit, cujus visio magnas mihi incussit angustias, et continuo disparuit. Post hæc in eodem loco quasi ostium apertum est, et introspexi per illud; et vidi lucem, longe excellentiorem illa, quam videre consueveram, et multa millia sanctorum in ea : stabant autem in circuitu majestatis magnæ, secundum hujusmodi ordinem dispositi. Erant in quadam fronte illius circuitus viri quidam, magnifici et excellentes valde, adornati palmis et coronis copiose radiantibus, et titulo passionis in fronte signati. Et intellexi, tam ex titulo eorum, quam ex singulari gloria, quam præ aliis habebant, hos esse venerabiles apostolos Christi. Ad dexteram eorum copiosus quidam exercitus, eisdem insigniis gloriosus astabat. Post hos, et alii viri splendidi constiterunt, sed martyrii signum in eis non apparuit. A sinistris vero apostolorum, sacer ordo virginum effulgebat, decoratus martyrii insigniis. Post has, et alter chorus insignium puellarum, coronatarum quidem, sed absque signis martyrii. Deinde et aliæ venerandæ mulieres, cum velaminibus candidis apparebant : atque ita ex his omnibus circuitus ille completus est. Alius quoque magnæ claritatis circuitus infra illum apparuit, quem intellexi esse sanctorum angelorum.

30. In medio autem omnium gloriam majestatis immensæ, quam effari omnino non possum, cujus thronum gloriosum iris fulgida ambiebat. A dextris autem majestatis, vidi similem Filio hominis, in summa gloria residentem; a sinistris vero signum crucis vehementer radiosum apparuit. Cumque hæc omnia trementi corde aspicerem, hoc quoque adjicere dignatus est Dominus, ut mihi indignissimæ peccatrici de gloria suæ ineffabilis Trinitatis, modo quodam, quem explicare non valeo, nec audeo, hoc significaret, quomodo vere una divinitas in personis trina est, et tres personæ una divina substantia. A dextris autem Filii hominis Regina angelorum, et Domina regnorum, in solio quasi sidereo, immenso lumine circumfusa residebat. Ad sinistram quoque prædictæ crucis viginti quatuor honorabiles viri, versis ad eam vultibus, in uno ordine consederunt. Vidi non procul ab eis duos arietes, grandes, et præclaros, ante signum crucis, et sustinentes in humeris suis rotam nimiæ claritatis, et miræ magnitudinis. His omnibus ita perspectis, in hæc verba prorupi dicens : « Levate oculos cordis vestri ad deificum lumen; attendite et videte gloriam, et majestatem Domini. » Mane post hæc hora tertia venit unus ex fratribus ad fenestram, et rogavi eum,

(21) Vigilia S. Jacobi simul et festum S. Christinæ V. M. 24 Julii.

(22) S. Florinus patronus Schonaugiæ, 17 Novembris.

(23) Fortassis legendum *in sequenti die Dominica;* quis enim credat dedicationis anniversarium affixum fuisse festo unius apostoli, cujus officium ea causa esset differendum? sic autem res acta esset 27 Julii.

(24) S. Petri ad Vincula, 1 Augusti.

(25) Inventio S. Stephani, 3 Augusti, tunc et jam Dominica.

(26) S. Oswaldus rex Angliæ, 5 Augusti; quo die etiam colitur S. Afra, martyr Augustana, cum sociabus Digna et Merita; sed in Moguntino, ac Trevir. differtur ad 7 Augusti.

(27) Cyriacus M. 8 Augusti, et consequenter vigilia, ac deinde festum S. Laurentii.

(28) Anno 1153 habente litteram Domin. D. Dominica proxima, post festum S. Jacobi tunc in Sabbatum cadens, fuit 26 Julii.

Digitized by Google

ut missam de Sancta Trinitate celebraret, et annuit. Statim autem, ut missam incœpit, veni in exstasim, et rursum vidi prædictam visionem, sed manifestius. Eadem hora vidi prædictum fratrem, qui assistebat altari, multo lumine circumfusum; et halitum ejus, in modum candidi fumi, ex ore ipsius sursum ascendentem.

31. In proxima Dominica, videlicet in inventione S. Stephani (29), vidi eamdem visionem, sed eo amplius quam tunc; nam nunc vidi ante thronum Dei Agnum stantem, valde amabilem, et habentem crucem auream quasi dorso infixam. Sed et quatuor evangelistas nunc vidi, in illis formis, quas eis sacra Scriptura attribuit. Erant autem a dextris beatissimæ Virginis in ordine dispositi, ita ut versus ipsam facies haberent conversas. Eram autem celans apud me hujuscemodi visiones amplius, quam septem diebus. Cumque posuissem constanter in corde meo nemini eas revelare, gravissima torsione cordis correpta sum, ita ut morituram me existimarem. Instabant itaque mihi sorores, studiose flagitantes, ut quæ videram eis revelarem: cumque extorsissent a me, statim a passione convalui. Et ne jam dicta amplius repetam, scito, quod hujusmodi visiones, quas in prædictis Dominicis vidi, singulis Dominicis, quæ postea evenerunt, vel bis, vel ter, vel etiam amplius videre consuevi; veniens tamen prius in exstasim, sicut ipse propriis jam oculis aspexisti.

32. In quarta autem feria ante Assumptionem beatissimæ Mariæ (30), post Completorium, stabam in sacello; et oravi Dominum ex totis præcordiis meis, dicens: « Domine Deus meus, ecce animam meam, et corpus meum tuæ invictæ dexteræ, tuæ sanctæ et individuæ Trinitati commendo; tibi omnes angustias meas, Domine, committo, quoniam valde anxiatur spiritus meus super iis, quæ operatus es mecum, eo quod tanta gratia omnino indignam me esse cognoscam. Tu scis, Domine mi, quod nunquam talia te postulare præsumpsi. Sed nunc, quoniam ex gratuita bonitate tua ita magnificasti misericordiam tuam mecum, obsecro te, quatenus ita de cætero me conserves, ut nullo delicto meo a gratia tua merear excidere; neque me spiritus ille tristitiæ ultra apprehendat, quo jam absorpta fuissem, nisi tu, Domine, subvenisses. » Cumque hæc et his similia perorassem, et jam ad stratum meum redirem, subito hæc verba ori meo inciderunt: « O virgo, cave ne iterum cadas, ne aliquid deterius tibi contingat, quia bonus pastor curam habet de ovibus suis. » Sequenti autem die in meridie, subito impulsu cor meum percussum est, et hæc verba accepi: « Noli timere, filia, quia Dominus consolator tuus corripit omnem filium, quem recipit. » Eodem die ad vesperam, cum effudissem cor meum ante dominam meam cum multis lacrymis, iterum accidit, ut ex improviso hæc verba in ore meo volverem: « Gaude et lætare, filia Sion, quia divina clementia eripuit te de periculo corporis, et animæ. »

33. Post hæc in vigilia Assumptionis, cum devotissime orassem, subito incidit ori meo, ut dicerem: Hæc sunt verba consolatoria quæ lingua nova loquitur, quia necesse est consolari animam turbulosam: et incidi in exstasim, et vidi visionem, quam Dominicis diebus videre soleo. Vidi autem inter cætera dominam meam, consurgentem de solio suo glorioso, et egredientem de magna illa luce, quam velut per ostium vidi; comitante eam triplici illa multitudine feminarum, quam in circuitu consistere videram; proxime autem incedebant, quæ martyrii titulum in fronte gerebant. Post has illæ, quas videram coronatas sine titulo; tertio loco velaminibus albis decoratæ. Ad dexteram autem ipsius, vir quidam gloriosissimus et amabilis incedebat sacerdotali stola insignis. Cumque per modicum tempus ita in inferiori aere cum hoc sacro exercitu apparuisset, rursus in lumine, de quo exisse visa fuerat, cum ingenti laude, et gloria excepta est. Cumque expergefacta fuissem ab hac visione, continuo hæc verba arripui: « O gloriosum lumen, in quo assidue assistunt omnes sancti, amicti stolis albis, et dant gloriam de mercede sua sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum. » Rursus in die ad missam, cum essem in spiritu, eademque viderem, quæ et antea, volvebam in animo verba hæc: « O gloriosa Trinitas, quæ sedens sede majestatis tuæ inspicis abyssos, et dinumeras cogitationes uniuscujusque hominis. » His adjeci: « Ave Maria, decus virginum, domina gentium, Regina angelorum. » Post hæc expergiscens in hæc verba prorupi: « Te sanctum Dominum, » et reliqua cum versu. Et adjeci: « Dominus aperit nobis januam vitæ, si volumus certare contra durissimum diabolum. » Omnia autem quæ dicta sunt, in die Nativitatis dominæ nostræ similiter vidi.

34. In Sabbato post Assumptionem (31), verba hæc ex improviso arripui: « Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse nos vocavit in admirabile lumen suum, ut, si volumus pœnitentiam agere de malis actibus, accipiamus bravium, quod in stadio acquiritur. Nolite negligere verba hæc, quia expediunt animabus vestris. Attendite diligenter, quomodo Creator admonet creaturam suam. » Post hæc adjeci: « Ego consolabor vos, dicit Dominus, et dabo vobis contra tristitiam gaudium spirituale, et ponam in corda vestra timorem simul, et amorem. Si me timueritis, et mandata mea servaveritis, veri discipuli mei eritis. » Item: « Moneo vos, ut diligatis invicem: cogitare debetis, quomodo Deus prior dilexit vos, quando non pepercit unigenito Filio suo, sed tradidit illum pro vobis in oblationem, ut drachma illa, quæ perierat, reperiretur. »

(29) Omnino videtur legendum ante Inventionem S. Stephani, hæc enim (ut patet) cadebat eadem in feriam II.

(30) Id est 12 Aug. nam Assumptio casura erat in Sabbatum.

(31) Adeoque ipsa die Octavæ.

Digitized by Google

35. Ergo ad nos pertinet hoc proverbium : « Si diligimus Deum, et habuerimus perfectam charitatem, et fraternam dilectionem ad invicem, inveniemus drachmam illam, quæ perierat. » Iterum moneo vos, ut habeatis perfectam charitatem Dei, et proximi; quia charitas est summum donum, amplum bonum, in quo pendet totus ordo perfectorum. Super omnia autem habete charitatem, quod est vinculum perfectionis; et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore; et grati estote, verbum Christi habitet in vobis abundanter. Item, omnibus, qui hic volunt vivere secundum sæculum, et non abstrahunt sua corpora a carnalibus desideriis, sed omnia cupiunt adimplere quæ pertinent ad hunc mundum, valde metuendum est quod dicitur : « Nolite diligere mundum, et ea, quæ in mundo sunt, sed agite pœnitentiam de pravis operibus, quia ecce tempus prope est. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, quando Dominus venturus sit. »

36. In decollatione S. Joannis Baptistæ (32), cœpi videre grandem illam lucem, quam velut per ostium videre soleo : et ex hoc anxia prostravi me totam in oratione, et rapta sum in exstasim, et vidi B. Joannem, eodem modo, quo antea eum videram; et dixi in spiritu meo : « Benedicat nos Deus Pater, custodiat nos Jesus Christus, illuminet nos Spiritus sanctus. » Et subjunxi : « O clavis David. » Et adjeci : « Iste est Joannes, quem manus Domini consecravit matris in visceribus, cujus nos precibus adjuvari supplices deposcimus. » Iterumque ad me rediens, hæc verba protuli : « Adjuva me, Domine Deus meus; » et adjeci : « Gratia Dei sum id, quod sum. » Dicunt etiam me dixisse : Ne magnitudo revelationum extollat me, et non amplius. In die ad Tertiam iterum rapta in exstasim, introspexi quasi per ostium, et lucem illam magnam, quam videre soleo, et dominam meam surgentem de solio suo, venientem contra me in exteriorem hanc lucem : eratque cum ea beatus ille Præcursor Domini. Ego autem orabam devotissime, eorumque patrociniis me, et omnes familiares meos, atque locum nostrum studiose committebam : simulque hoc petii, ut si me exaudirent, aliquod mihi præberent exauditionis indicium. Continuo redierunt ad lucem, unde exierant, et coram majestate magna prociderunt in facies suas quasi orantes; simulque cum eis infinita agmina circumstantium. Tunc ego ab exstasi expergiscens, in hæc verba soluta dixi : « Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, o beata, et benedicta, et gloriosa Trinitas. Ora pro nobis, beatissima Virgo Maria, ut digni efficiamur promissionibus Christi. Omnes sancti angeli Dei orent pro nobis in conspectu Domini. Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Mirifica misericordias tuas, Deus, qui salvos facis sperantes in te. »

CAPUT III.

Aliæ visiones usque ad festum Annuntiationis an. 1154.

37. In exaltatione Sanctæ Crucis (33) sæpe in exstasi facta, vidi gloriosum illud signum crucis nimii fulgoris. Non tantum in illa secreta regione lucis, sed et foris in inferiori quadam luce palam ostensum est mihi. In festo S. Michaelis (34) in primis Vesperis, cum essem in exstasi, vidi ante thronum majestatis Domini tres viros valde gloriosos stantes, quorum qui medius erat, excellentior aliis apparebat, et thuribulum aureum in dextera videbatur tenere : et dixi, cum redirem ad me : *Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua* (*Apoc.* VIII). In die ad missam vidi rursus eumdem virum excellentiorem, cum insigni vexillo incedentem, comitante eum turba copiosa. Ibi autem in circuitu throni cum venissent ante conspectum majestatis, prociderunt in facies suas, atque ita tribus vicibus factum est.

38. In eadem missa, cum accederent sorores ad communicandum, et ego adhuc a longe sederem propter imbecillitatem, introspexi in calicem, et vidi veram speciem sanguinis. Et cum infunderent vinum, distincte aspexi differentiam sanguinis, et ejus, quod affusum est, donec commista sunt, et unus color sanguinis appareret. Die alia, nescio qua, simile mihi accidit. Et videbam (sicut mos mihi est) omnia, quæ foris circa altare agebantur in tempore missæ. Et dum sacerdos calicem benediceret, ecce columba, quam videre soleo in altari, pedetentim accedens caput calici immersit, et continuo species sanguinis apparuit. Et nunc quidem rarum mihi non est videre hujusmodi. Factum est etiam in una dierum, ut veniret quidam ex fratribus, ferens in pixide divinum sacramentum Dominici corporis, ut opus esse videbatur cuidam sorori infirmæ. Cumque staremus in circuitu ejus, et ego, et quædam sorores loquentes mecum de eo : ecce subito cor meum liquefactum, et pene raptum est in exstasim. Et ecce claritas magna refulsit in pixide : et introspexi, cum tamen adhuc esset clausa, et apparuit species veræ carnis in ea. Dicens quidem ista contremisco, sicut et tunc videns contremui. Testis autem mihi est Deus, quia nihil in omnibus his fingendo, aut propriam gloriam quærendo, locuta sum.

39. Rogasti me per epistolam, frater, de Patronis tuis, scilicet martyribus Bonnensis Ecclesiæ, Cassio et Florentio, ut in die Natalis eorum (35) aliquid

(32) Decollatio S. Jo. Baptistæ, 29 Augusti.
(33) Exaltatio S. Crucis, 14 Sept. tunc feria II.
(34) S. Michaelis 29 ejusdem, tunc feria III.
(35) SS. Cassius, Florentius et Mallusius, ex societate S. Gereonis (quorum passio Coloniæ celebratur 10 Octobris) fuga elapsi Bonnam, ibidem deprehensi et mactati dicuntur, incertum quo die : elevatio autem eorumdem facta circa annum 1076 sub archiepiscopo Reinoldo celebratur 2 Maii. Natalis hic dicitur communis omnibus dies 10 Octobris.

Digitized by Google

servitii illis exhiberem, si forte et ipsi dignarentur se mihi ostendere, et feci quidem prout potui; nam ad honorem eorum quinquaginta psalmos legi illo die post Matutinas, ubi etiam insidiator meus candelam, quam manu tenebam, exstinxit. Post hæc autem circa horam tertiam veni in exstasim sine dolore; et vidi tres viros in regione luminis, decoratos palmis, et coronis in fronte rubore signatis. Stabant autem duo ex eis conjuncti ad invicem, et paululum segregati (36) a tertio. Sequenti die ad vesperam, cum solito more essem in exstasi (Sabbatum enim erat) rogavi Dominum, ut iterum illos tuos patronos mihi ostenderet; quoniam moleste ferebam, quod non distincte agnoveram qui essent illi duo, de quibus rogaveras, quoniam tres videram: et distulit Dominus exaudire me per tempus, ita ut metuerem contra voluntatem Domini id me postulasse. Et dixi tremens: « Domine, si voluntas tua est ut fiat quod petii, fiat; sin autem, non fiat. » Et continuo vidi duos viros amabiles valde, de cœtu martyrum procedentes, cum signis supra memoratis; et venerunt, ut starent in medium ante conspectum throni: et ego cum lætitia expergiscens, continuo hæc verba arripui: « Isti sunt duæ olivæ, et duo candelabra, lucentia ante Dominum dominatorem universæ terræ. » Post hæc in festo Sanctarum Virginum undecim millium, vidi copiosam multitudinem virginum, quæ omnes erant insignes palmis victoriæ, et coronis in fronte signatis, ac decora cæsarie spectabiles.

40. In vigilia Omnium Sanctorum ad vesperam, veni in quietem exstasis. Tunc solito more visum est mihi, quasi raperetur spiritus meus in sublime; et vidi ostium apertum in cœlo, et tantam sanctorum multitudinem, quantum nunquam ante videram. Illud quoque, quod de sancta Trinitate tibi me dixisse memini, tunc mihi secundo intimatum est. In ipso autem die solemnitatis ad vesperam, iterum rapta in exstasim, vidi coram me stantem quasi puerum amabilem valde, indutum veste alba, et præsinctum, et dixi: « Quis es, Domine mi? » Et annuit, ut tacerem; et dixi: « Angelus Domini bonus, qui fuit cum Jacob, ipse sit mecum in terra peregrinationis meæ, et benedicat vias meas Deus. » Et continuo visa sum mihi in sublime extolli, et audivi voces canentium carmen jucundissimum.

41. Post hæc in die, quo secundum morem Ecclesiæ fidelium defunctorum communis memoria agebatur, in tempore divini sacrificii, vidi quasi versus Austrum montem excelsum valde, et juxta illum vallem profundam horribilem nimis; erat enim plena atris ignibus, quasi obtectis, et non valentibus emittere flammam in altum. Illic tortores spiritus innumerabiles vidi, et animas potestati illorum traditas, quæ horrendo et flebili modo ab illis concutiebantur, trahebantur, et supra modum infinitis modis vexabantur: formas quidem nec in his, neque in illis discrevi, hoc tantum intellexi, quomodo hi quidem torquebant, illæ vero torquebantur. Vidi autem procul hinc versus orientem ædificium valde gloriosum, quasi tribus muris circumdatum, et variæ distinctiones mansionum in eo, et splendor lucis immensæ omnia illustrabat; in circuitu autem ejus, arborum, et herbarum, et florum jucundissima amœnitas apparebat. Locus autem, qui medius videbatur inter hoc ædificium, et vallem prædictam, spinis asperrimis et quasi ambustis totus videbatur occupatus. Cumque hæc aspicerem, ecce copiosa multitudo candidæ plebis, de valle consurgens, per medium invii illius dumeti, cum magna festinatione, et multo conatu ad ædificium prædictum tendere visa est, tandemque perveniens introivit. Quidam autem ex eis extra sentes viam elegerunt, et absque labore pervenerunt: factus est autem hic transitus oluribus vicibus, et per intervalla.

42. Nolo etiam ignorare te, frater, de quodam ex amicis nostris, quem tanquam patrem dilexímus, quoniam in die anniversarii ejus, cum fecissem quædam pro ejus liberatione, quæ mihi per visionem demonstrata fuerant, vidi illum tempore sacrificii in veste candida stantem coram me, et cum eo decorum quemdam juvenem, albis indutum et præcinctum: cumque devote elevasset manus et oculos in cœlum coram me, quasi gratias agens, conversus a me ibat cum comite itineris sui usque ad ædificium illud, quod supra descripsi: et ego vias eorum observans, videre eos non cessavi, quousque introierunt illuc. De visionibus autem sanctorum quid amplius tibi dicam, nisi quod singuli in suis Natalitiis (ut dictum est) animam meam consolari dignati sunt.

43. Vidi in Adventu Domini ædificium quoddam præclarum, uno muro circumdatum; et in medio ejus turrim tantæ celsitudinis, ut cacumen ejus cœlos penetrare videretur. Cumque sæpenumero id ita mihi appareret, accidit in una Dominica, cum ad me redirem ab exstasi, ut subito orationem hujuscemodi arriperem: « Domine Jesu Christe, pie et exaudibilis, ostende mihi indignæ famulæ tuæ, quæ sit ista civitas, quam demonstrasti mihi. » Et continuo hæc verba responsionis in ore meo posita sunt: « Hæc est Hierusalem cœlestis, quæ ædificatur, ut civitas, cujus cacumen pertingit ad cœlos. » Post hæc, imminente festivitate Natalis Domini biduo ante festum diem præparabar ad solitos mentis excessus. Cum venisset autem vespera solemnitatis Nativitatis, tandem in quietem exstasis deveni. Sensi autem me quasi in sublime elevari, et vidi ostium apertum in cœlo: et venerabile illud arcanum, quod in festivitate Omnium Sanctorum videram, jam tertio nunc demonstratum mihi est. Cumque delectata fuissem in multitudine dulcedinis Dei mei, tandem ad meipsam rediens, in hæc verba continuo prorupi: « Desiderans desideravi videre

(36) Scilicet corpore Mallusii, qui hic non nominatur, fortassis ad aliam aliquam ecclesiam delato.

Digitized by Google

Dominum Deum Salvatorem meum, et vidi, et ecce salva facta est anima mea. » Eram autem pernoctans in oratione, nec potui corpus meum dare sopori, præ nimia claritate lucis, quam tota nocte intuebar : ostium enim illud, quod antea sine mentis excessu intueri non poteram, continue apertum vidi in magna jucunditate; et lux ejus decuplo clarior apparuit, quam in præteritis visionibus.

44. Cum autem fieret apparatus ad celebrationem prioris missæ, quæ inter matutinale officium erat decantanda, vidi radium magnæ claritatis de sursum ab eodem ostio usque ad altare oratorii protendi. Cumque inchoaretur Liber generationis (37), ecce gloriosissima Regina cœlorum, multo exercitu angelorum comitata, per eumdem radium descendens venit, et astitit a dextris sacerdotis, habens coronam maximi, ac jucundissimi fulgoris in capite. Cumque finito evangelio secundum consuetudinem antiphona illa decantaretur, quæ est : *O mundi Domina* ; elevata est cum suo comitatu, et per prædictum radium lucis regressa est ad sedem suam : ego autem cum toto illo tempore essem in exstasi, eam tamen devotissime invocare non cessavi. Erant autem duo splendidi juvenes, qui per prædictum radium descenderant, commorantes circa ministros altaris a principio missæ usque ad finem; in secunda quoque missa alii duo. Stabat autem horum alter quidem ad latus sacerdotis, alter vero juxta diaconum cum annuntiaret evangelium. Et de eo quidem, qui erat secus diaconum, cogitabam intra me, quoniam ipse esset unus ex diaconis nostris, qui interfuit missæ, essetque indutus alba (quod quidem non erat), staret ad ministrandum; sed tamen ex hoc eram dubia, quoniam hic albus et crispus videbatur, ille vero niger erat. Tunc convertit ad me faciem quasi indignans, et continuo verba hæc cordi meo infixa sunt : « Ego sum Angelus testamenti. » Inter hæc omnia, et columbam vidi, assidentem sacrificio Dominico super altare.

45. Sequenti die, tempore divini officii, vidi B. Stephanum protomartyrem in superna claritate, splendidum valde et insignem signis martyrii et diaconatus. Eodem die ad vesperam vidi B. Joannem Evangelistam, stantem in conspectu throni, candidissimo amictu, et stola aurea more sacerdotali decoratum. Respexi autem ad eum locum, in quo quatuor evangelistas videre consueveram, et tria quidem animalia vidi; locus autem Aquilæ vacuus apparuit. Die Innocentum, tempore divini officii, vidi montem excelsum, et splendidum, et in cacumine ejus Agnum candidum, et amabilem valde, habentem signum Dominicæ crucis in dorso. Sequebatur autem eum multitudo martyrum copiosa, cum palmis, et coronis rubore signatis. Et cogitanam quidem apud me hos esse beatos illos infantes, qui occisi sunt pro Domino Jesu; sed hoc in illis mirabar, quod nulla infantiæ signa in eis apparuerunt : omnes enim juvenilis ætatis plenitudinem habere videbantur. In Circumcisione Domini, et Epiphania (38) visiones vidi Dominicæ diei, sed evidentius in Epiphania. Tunc etiam in prima Vespera vidi tres reges coronatos stantes ante thronum : et accedentes, adoraverunt flexis genibus ante Filium hominis et tollentes coronas de capitibus suis, obtulerunt eas in manus ipsius : rursusque eas ab ipso receperunt. In die ad missam, rursus eosdem tres vidi, adorantes coram Domino Jesu : et munuscula nescio quæ lucida in manus ejus dare visi sunt.

46. In Purificatione gloriosissimæ matris Mariæ, ad missam, perlecto evangelio, in exstasim veni, et vidi : et ecce domina mea, per radium lucis descendens venit, et astitit a dextris sacerdotis : et juxta eam vir grandævus et venerabilis, barbam habens canam et prolixam. Cumque sorores obtulissent luminaria in manus sacerdotis, regressa est ad superna. Et ecce copiosus exercitus insignium puellarum, cum splendidis luminaribus, venit in occursum ejus. Factaque aliquantula mora in extrinseca hac luce, cum ipsa regressæ sunt ad altiora, sequentes eam cum gaudio. Eodem die ad vesperam cum essem in exstasi, iterumque eam viderem in superna gloria, invocavi devotissime auxilium ejus : et cum omni diligentia me, et charos meos illi commisi, et in fine orationis adjeci dicens : « Domina mea, quid de te sperabo? » Et respondere visa est : « Bonam gratiam de me sperare potes tu, et omnes qui fiduciam habent in me. » Mirificavit Deus misericordias suas in me etiam, frater mi, ex quo nuper a me discessisti, et hæc fecit mihi.

47. Accidit in prima Dominica solemnis (39) Jejunii in primis Vesperis, ut venirem in mentis excessum : et vidi rotam candidam in aere mira velocitate circumeuntem, et in summitate ejus aviculam candidam cum magna difficultate sese tenentem, ut non circumferretur impetu rotæ : et aliquoties quidem paululum a summitate ad inferiora delapsa est, ut esset in summo, atque in hunc modum diu laborabat, vicissim labens, et resurgens. Post hæc vidi montem excelsum, et amarum valde, et super illum delata est rota, iterumque ibi circumferebatur, ut prius, et avicula ei adhærens in suo labore perseverabat. Eram autem vehementer admirans, quid ista portenderent; et cum magno desiderio postulavi a Domino intelligentiam visionis. Et accepto aliquantulo intellectu, redii ab exstasi : moxque hæc verba ex improviso arripui : « Arcta et angusta est via,

(37) Secundum usum monastico-Benedictinum festa 12 lectionum fiunt; in die autem Natali ad 3 Nocturnum leguntur 4 Evangelia, quorum primum Initium S. Evangelii secundum Matthæum, alia tria eadem, quæ prescribuntur ex Romano.

(38) Annus 1154 habuit litt. Dominicalem C, atque adeo initium anni incidit in feriam VI et Epiphania in feriam III.

(39) Idem annus celebravit Pascha 4 Aprilis, atque adeo Dominica I Quadragesimæ incidit in 21 Februarii.

Digitized by Google

quæ ducit ad vitam, Domine, quis ibit per eam? » Et subjunxi : « Ille, qui custodit vitam suam a carnalibus desideriis, et non habet dolum in lingua sua. » Et adjeci : « Domine, quid faciam ego? » Et rursus hæc verba responsionis inciderunt ori meo : « Si vis ambulare, sicut ego ambulavi, considera vestigia mea; et noli te avertere ad dexteram, neque ad sinistram, sed sequere me, et sic pervenies, quia dixi : *Ego sum via, veritas, et vita; si quis introierit per me, salvabitur, et pascua inveniet* (*Joan.* x). »

48. Post hæc in secunda feria rursus in exstasim veni, et vidi prædictam visionem, ut prius; sed et eo amplius, quia et scalam vidi supra rotam stantem, quæ tantæ celsitudinis erat, ut cacumen ejus cœlos penetrare videretur. Postes ejus laterales lapidei videbantur, et triangulares; ascensoria vero diversissimis, ac pulcherrimis ab invicem differebant intervallis. Id autem in memoria retinui, quod primum eorum candidum erat, tanquam nix : secundum vero rubicundum, tanquam ferrum ignitum. Post hæc die altera rursus vidi omnia, quæ prædicta sunt, et juxta rotam speciem viri stantem, cujus caput aureum videbatur, et capilli ejus similes lanæ candidæ, et mundæ; oculi ejus lucidissimi, et decori valde; pectus et brachia, quæ in modum crucis tenebat expansa, purissimum quemdam nitorem habebant ad similitudinem argenti nitidissimi. Habebat autem in dextera ramum arboris viridem, et jucundum aspectu, in sinistra vero lucidam rotam, iris varietate distinctam : venter ejus æneus, femora ex chalybe, crura ferrea, pedes vero terrei videbantur. Hæc omnia frequenter in tempore Jejunii mihi apparuerunt.

49. Factum est autem in Dominica, quæ erat proxima post festum B. Gregorii (40), cum essem *in exstasi*, et viderem visiones, quas in Dominicis diebus videre consuevi; vidi egregium illum doctorem in supernis, plenum gloria et claritate amabili, ad similitudinem gloriæ sanctissimorum episcoporum, Martini et Nicolai. Habebat autem in capite, quemadmodum et illos habuisse videram, diadema quoddam venerabile, qualia a pontificibus gestari dicuntur. Eadem quoque hora vidi prædictam visionem, et æstuabam desiderio magno cupiens intelligere, quæ videbam, præcipue quid significaret illa hominis species; nam de cæteris intelligebam aliquid. Postulavi igitur a beato illo viro Dei devotissime, ut impetraret mihi a Domino intelligentiam visionis, quam desiderabam : et conversus ad me, hæc verba mihi respondit : « Non potes intelligere quid ista significent, sed dic doctoribus qui legunt Scripturas, ipsi sciunt. » Nunc igitur, amantissime frater, hunc tibi, quæso, laborem assume, ut Scripturas divinas scruteris, et congruam ex eis interpretationem visionis hujus coneris invenire; tibi enim fortassis a Domino reservata est.

50. Ante Annuntiationem Dominicam septem diebus (41) ægrotavi, et incidi in lectum toto corpore languens, ita ut pene nihil refectionis corpori meo possem adhibere; permansi autem in hac valetudine usque ad diem (42) tertium ante festivitatem. Eo die circa Nonam cœpi habere in ore meo liquorem, tanquam favum mellis, cujus dulcore ita refecta sum, quasi cibum sufficientem accepissem; et confortata sum toto corpore, et emisi sudorem copiosum, in quo permanebam usque in sequentem diem. Et circa tempus missæ veni in mentis excessum; et visum est mihi, quasi abstraheretur spiritus meus a corpore, ac sublevaretur in altum. Vidi autem in illo excessu meo cœlos apertos, et Dominum Jesum cum infinitis millibus venientem in regionem aeris hujus. Et non erat ei species, neque decor; sed, tanquam recenter crucifixus fuisset, sic miserandus apparuit. Cumque demonstrasset universo mundo crucem, in qua pependerat, et vulnera passionis suæ quasi recenti cruore madentia; clamabat voce magna ac nimium terribili, dicens : « Talia propter te sustinui, tu vero pro me quid sustinuisti? »

51. Assistebant autem ei duo diversa agmina innumeræ plebis, unum a dextris, alterum a sinistris. Iis quidem, qui erant a dextris, lux immensa circumfusa videbatur, inter quos præcipua apparuit Virgo virginum, gloriosissima Dei Mater Maria. Ibi diversitates omnium ecclesiasticorum graduum distincte perspexi : inter quos et venerabilem Patrem nostrum beatum Benedictum, cum sua monachali turba, dignoscere delectata sum. Iis autem, qui erant a sinistris, tenebræ densæ, et horribiles circumfusæ erant, ita ut eorum diversitates discernere vix potuissem. Erat autem hujus miserrimæ plebis princeps, magnus et horrendus ille rex superbiæ, cui proximi assistebant Judas et Pilatus, et crucifixores Domini. Heu! quantos ex clero, quantos nostri ordinis viros, et mulieres, plenos confusione illic dignoscebam. Cumque omnia perspexissem, dixit Judex omnium ad eos, qui erant a dextris : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* xxv); ad eos vero, qui erant a sinistris : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*ibid.*). Et continuo illi cum jucundissima alacritate ad lucidas mansiones Dominum subsecuti sunt; hi vero, tristitia et confusione pleni, cum suo patre, principe dæmoniorum, in profundissimas tenebras demersi sunt.

52. Continuo post hæc reddita sum mihi, et cum fletu copioso primum in hæc verba prorupi : « Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tre-

(40) Ea fuit Dominica IV Quadrag. occurrens secundo post festum die, 14 Martii.

(41) Ergo a die 18 Martii.

(42) Id est usque ad diem S. Benedicti, vel sequentem 22.

Digitized by Google

mienda, quando cœna movendi sunt, et terra. » Et adjeci : « Credo, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrectura sum, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. » In ipso autem die festivitatis, cum iterum essem in excessu meo, in tempore divini sacrificii, præsentata est oculis meis passio Salvatoris nostri, quafiter ab impiis veste nudatus, flagellatus est, et ad ultimum cruci affixus. Non autem omnia, quæ circa eum in passione gesta sunt, singillatim tunc vidi, quemadmodum postea in Parasceve. Cumque hæc videre cessarem, vidi dominam meam in superna claritate stantem, et cujusdam rei revelationem ab ea accepi, quam nolo adhuc fieri manifestam.

CAPUT IV.

Sancta videt mysteria Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, et alia quædam isto anno.

53. Post hæc in festivitate Palmarum (43), in primis Vesperis, cum dicerent sorores Responsorium, Ingressus Pilatus, et usque ad hoc verbum processissent : Crucifigatur; stabam inter eas, et in exstasim veni : et vidi Salvatorem quasi in cruce pendentem. Rursus in Matutinis similiter mihi accidit. In die ad missam, cum inchoaretur Passio Domini, iterum in exstasim veni. Tunc vidi procul montem quemdam amœnum, et descendebat ab eo Salvator sedens in asino, et veniebat versus civitatem quamdam magnam. In ipsa autem radice montis occurrit ei turba hominum parvorum et magnorum cum virentibus arborum ramis; et exuentes vestimenta sua, plurimi ex eis straverunt ea in via, qua incedebat : et ibant cum eo exsultantes usque ad portam civitatis. Eratque ibi turba magna, et dabat ei locum : et venit per medium eorum usque ad templum : descendens introivit, et ultra eum non vidi, et redii ad me ipsam. Rogaveram fratres meos diligenter, ut illo die officium palmarum celebrarent in prato, quod est ante conspectum nostrum, et non potuerunt propter inundationem rivulorum; sed retro ecclesiam, ubi videri a nobis non poterat, peregerunt. Et respexit Dominus desiderium ancillæ suæ; et vidi oculis mentis omnia, quæ ab illis illic gesta sunt.

54. Post hæc in Cœna Domini ad missam vidi, sicut soleo, omnia quæ circa altare gerebantur : et dum sacerdos canonem diceret, et calicem in conspectu Dei exaltaret : vidi supra calicem Dominum Jesum, quasi in cruce pendentem, et de latere ejus et pedibus sanguis in calicem defluere videbatur. Cum autem vespertinum tempus immineret, eram in sacello, ubi mandatum ablutionis celebrandum erat. Cumque inchoaretur Antiphona, quæ est : *Ante diem festum*, ego in uberrimas lacrymas confestim erupi, et rapta sum in exstasim. Tunc vidi Dominum in eadem civitate, quam in die Palmarum introierat, sedentem cum discipulis suis in domo, quasi ad cœnandum. Cumque aspicerem, surrexit a cœna : et ponens vestimenta sua, præcinxit se linteo; et accipiens pelvim, incurvavit genua ante Petrum, et subito Petrus exsilivit, et stabat quasi territus : et Dominus sicut erat inclinatus, loqui ad eum visus est; et post pusillum, rursus ille resedit. Et Dominus singulorum pedes lavit, iterumque resumpto vestimento suo, recubuit, et sedebat, quasi loquens ad illos. Post hæc surrexit, et egressus est cum illis de civitate, et ibat versus montem illum, a quo eum descendisse videram. Post hæc vidi, quomodo relictis discipulis secessit ab eis Dominus, et positis in terram genibus procubuit ad orationem, quasi in angustiis magnis constitutus. Vidi et pretiosas illas guttas sanguinis, de sanctissima carne ejus decurrentes in terram. Et post orationem rediit ad discipulos, quos etiam dormitantes vidi. Et cum allocutus eos fuisset, iterum rediit ad orationem, atque hoc ter factum est. Tunc ego ad me ipsam rediens, statim hæc verba in ore meo habui : « Factus Jesus in agonia prolixius oravit, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. » Et adjeci : « In monte Oliveti oravi ad Patrem meum : Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. »

55. Et post pusillum redii in exstasim. Et vidi : et ecce Dominus ab oratione rediens, assumptis discipulis venit in hortum. Et post pusillum, venit Judas cum cohorte armata, et accedens, osculatus est eum : ii autem, qui cum eo erant, retrorsum abeuntes ceciderunt in terram. Et surgentes comprehenderunt eum, et usque ad civitatem vinctum miserabiliter pertraxerunt : discipulos autem ad latibula sua discurrere vidi. Tunc redii ab exstasi cum hujusmodi verbis : « Amicus meus osculi me tradidit signo, dicens : Quem osculatus fuero ipse est, tenete eum. » Post hæc tota nocte illa, sive dormirem, sive vigilarem, videbam qualiter impii illi Dominum blasphemabant, verberando, conspuendo, colaphis et alapis cædendo. Et in exstasim quidem non veni, sed totus sensus meus illic erat, et ad nihil aliud poteram intendere. Mane autem hora tertia veni in exstasim, in qua permansi usque circa horam sextam. Tunc vidi, quomodo induerunt eum tunicam purpuream, et chlamidem coccineam circumdederunt ei; et imponentes capiti ejus coronam spineam, illuserunt ei. Et post hæc, exuentes eum vestimentis illis, induerunt eum vestibus ejus : et imposuerunt ei crucem, et duxerunt extra civitatem in locum quemdam, quasi aratum, et nihil viroris habentem. Ibi eum denudantes, levaverunt (44) in crucem et affixerunt; similiter et aliis duobus fecerunt. Tunc expergefacta sum, et cum lacrymis uberrimis in hæc verba prorupi : « Christus

(43) Dominica Palmarum anno 1154, 28 Martii.

(44) Convenit hoc cum visione S. Brigittæ, de qua egi in Parergo inter utramque Vitam S. Mariæ Magd. de Pazzis, qua docetur sursum adductus in crucem, atque ita stans ei affixus; contra quam nunc possim et in recentiorum sanctarum visionibus concipitur, super crucem humo-stratam extensus Dominus.

Digitized by Google

Dominus factus est obediens usque ad mortem. » Et adjeci : « Vita in ligno moritur. Infernus et mors (45) dispoliantur. »

56. Deinde post modicum tempus, cœperunt fratres officium Dei celebrare, et cum processissent usque ad lectionem Passionis, in exstasim veniens, vidi iterum Dominum in cruce. Inque illa hora emisit spiritum, et inclinata est cervix ejus : concidit amabile caput : complicata sunt genua (46) : et omnia membra ejus deorsum resederunt; sicque hærebat exanime corpus, miseratione dignum super omnia, quæ humanus oculus miserabilia vidit. Et quis putas, frater, interim erat dolor animæ meæ, cum viderem tantas passiones, tamque indignas despectiones viri optimi et solius innocentis; qui nihil quidem pro se, sed pro nobis omnia gratis sustinuit? Sed Matrem Domini mei plenam mœrore, et magna dignam miseratione, vidi assistentem cruci cum discipulo quem diligebat Jesus. Novissime autem hoc quoque vidi, qualiter unus ex impiis accurrens, lanceam lateri ejus infixit : et continuo copiosus sanguis pariter cum aqua emanavit. Et ecce caligo densa et horribilis super universam terram orta est, et saxa per agros terribiliter concurrere, et collidi, et scindi visa sunt. Cumque quievisset illa perturbatio, ecce quidam venerabiles viri accedentes, solverunt corpus a cruce, et detulerunt illud cum veneratione in hortum quemdam viridem et jucundum : et circumposita ei munda sindone, locaverunt illud in monumento. Tunc demum ego, resumpto spiritu, cum fletu amarissimo hujusmodi querelam arripui : « Recessit pastor noster, fons aquæ vivæ, in cujus transitu sol obscuratus est. » Et adjeci : « Ave Maria, consors martyrum, transgladiata crucifixi nati sanguine. » Et adjeci : « Sepulto Domino, signatum est monumentum. »

57. Post hæc in Sabbato ad vesperam, cum essem in exstasi, apparuerunt mihi venerabiles quædam matronæ, quasi gestantes aromata. In die Sancto Paschæ, cum jam dilucesceret, sedebam in loco orationis, et legebam in Psalmis. Cumque jam ad finem Psalmorum appropinquarem, veni in exstasim, et vidi hortum in quo erat monumentum, et lapidem ab ostio ejus sublatum, et angelos assidentes : et ecce matrona quædam veniens accessit ad monumentum plorans, et introspexit, et non invento ibi corpore, quasi mœsta paululum recessit. Occurrit autem ei Dominus, moxque illa substitit quasi interrogans aliquid ab eo : et post pusillum conversa est, ut rediret ad monumentum : iterumque subito se convertit, quasi vocata ab illo, et currens procidit ad pedes ejus, cumque ipse disparuisset, surgens illa velociter cucurrit usque ad domum, ubi erant discipuli congregati, et nuntiavit eis. Continuo post hæc, cum paululum respirassem, vidi duas matronas venientes ad sepulcrum cum aromatibus; et ut viderunt angelos, substiterunt quasi stupefactæ. Post hæc cum timore propius accesserunt : factaque ibi parva mora, discesserunt. Occurrit autem et illis Dominus in via; moxque illæ accurrentes prociderunt coram eo, et tenuerunt pedes ejus : hoc autem, nequaquam de prædicta illa matrona visum est.

58. Post hæc cum celebraretur missa, vidi duos discipulos properantes ad sepulcrum; quorum alter quidem senior, alter autem videbatur esse junior. Et hic quidem cum citius pervenisset ad sepulcrum, non introivit; senior vero cum pervenisset, statim introivit; postea vero et alter. Et quid amplius requiris, frater? Omnia pene, quæ circa tempus illud gesta fuisse in Evangeliis leguntur, mihi demonstrata sunt. Nam et hoc vidi, qualiter duobus euntibus ab Hierusalem in Emaus, Dominus in specie peregrini se adjunxit, et quomodo cum pervenissent ad castellum, et se fingeret discessurum ab eis, detinuerunt eum, et perduxerunt in domum, et cum sederet ad cœnandum, et benedixisset panem et fregisset, statim locus ejus, in quo sederat, vacuus apparuit. Statimque illi surgentes, venerunt cum festinatione ad discipulos, et nuntiaverunt eis in domo, in qua erant congregati. Eadem autem hora, qua eis hæc annuntiabant, apparuit Dominus stans in medio eorum. Post hæc illud quoque vidi, qualiter manducavit cum illis : eratque in mensa discus unus habens piscem, et alter continens favum mellis. Erant autem vestimenta ejus, in quibus eum post resurrectionem vidi, candidissima, et species vultus ejus hilaris valde, ac tantæ claritatis, ut vix eam discernere possem.

59. In die Ascensionis (47) Domini ad missam, cum essem in excessu meo, vidi congregatos in domo discipulos, et Matrem Domini cum eis, et intravit ad eos Dominus, et cum accepisset cibum cum eis, eduxit illos de civitate usque in montem. Et vidi, qualiter coram eis elevatus est. Et venit in occursum ejus multitudo angelorum, et sublevatus est in cœlum. Cumque illi starent et aspicerent in cœlum, apparuerunt duo splendidi juvenes desuper venientes, et allocuti sunt eos; statimque illi regressi sunt in civitatem, et collegerunt se in domum, unde egressi fuerant. Tunc ego ad me ipsam redii cum hujuscemodi verbis : « Eduxit Dominus discipulos suos foras in Bethaniam, » et quæ sequuntur in Evangelio, et illud : « O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti. »

(45) Ita corrigo, pro eo, quod legebatur impressum: ex morsu.

(46) Hæc genuum complicatio competit corpori non contentissime tenso, ac stanti supra fulcrum aliquod, non autem uti concipiebat S. Osanna infra, Vitæ II, num. 214 exaggerans fere supra cæteros dolores eum, qui sentiebatur in pectore, ex violenta illa brachiorum distensione; unde confirmatur doctrina prædicto Parergo a me tradita, de verbis factisque exstaticorum ad controversias historicas non trahendis.

(47) Fuit celebrata Ascensio Domini, 13 Maii, Pentecostes 25 Maii.

Digitized by Google

60. Post hæc in die Pentecostes, ante celebrationem missæ, cum essem in exstasi, vidi rursus discipulos congregatos in domo supra memorata, et Matrem Salvatoris inter eos. Et factum est, dum sederent, apparuit supra singulos eorum quasi flamma ignis, desursum descendens in impetu vehementi. Et continuo omnes unanimiter consurgentes, egressi sunt cum hilaritate et fiducia magna, annuntiare verbum Dei in populo. Hæc cum ita pervidissem, reddita sum mihi, moxque hæc verba assumpsi : « Spiritus sanctus procedens a throno, apostolorum pectora invisibiliter penetravit. » Cumque inchoaretur officium missæ, rursus in exstasim veni, et vidi quasi fulgidissimum radium lucis, de cœlo usque ad altare porrectum. Et venit per medium ejus columba speciosa, quam videre soleo, ferens in ore quiddam rubrum, quasi flammam ignis, grandiusculum quam solebat. Et primum quidem super verticem sacerdotis expansis alis insedit, ibique ex eo, quod in ore gestabat, quasi stillam unam deposuit. Ministris quoque altaris, qui erant induti ad legendum, similiter fecit, et post hæc consedit in altari. Cumque rediissem ab exstasi, dixi magistræ nostræ, ut commoneret sorores ad devotionem orationis, sperans id ipsum, quod et postea evenit. Cumque finita missa accederemus ad communicandum, veni in exstasim, et dum singillatim communicarent, vidi columbam prædictam advolantem, et ex eo, quod in ore gestabat, per singulas distribuentem.

61. Hæ sunt, frater, miserationes Domini, quas in primo anno (48) visitationis meæ operatus est in me. In hac autem secundi anni revolutione eadem fere, quæ anno priore in festivitatibus sanctorum circa me accidere solebant, eveniunt, et nonnulla præter hæc, quæ propter incredulos ex magna parte silentio præterimus. Aliquoties autem alteriusmodi verba, quam solebant, revertenti mihi ab exstasi, in ore ponuntur : ita ut in loquendo non meum sequar arbitrium, sed Domini, qui per os meum manifestas facit visiones, quas per modestiam a sororibus celare consueveram. Nam in festivitate B. Laurentii, visionem quam videram his verbis manifestavit : « Vidi quemdam nobilissimum diaconum Laurentium ante fores stantem, et palmam habentem, et corona ejus rubea, et conversus est ad me blande inspiciens. » Similiter in Assumptione beatissimæ Dominæ nostræ, cum ab excessu meo redirem, hujuscemodi sermonem coram omnibus subito arripui, dicens : « Vidi supra cœlum cœli ad orientem multa millia sanctorum coronatorum, existimavi plus quam centum quadraginta quatuor millia, qui omnes coronati sunt coronis aureis, unusquisque secundum suam professionem, et in medio eorum thronum excelsum valde gloriosum, et in medio throni sedentem, cujus facies terribilis erat, et ex eo et de throno exibat splendor magnus quasi fulgur coruscans, ita ut præ nimia luce vix potuissem oculos levare. Et circa thronum angelos multos, et quatuor animalia : hi omnes circumsteterunt, et procidentes adoraverunt sedentem super thronum, dicentes : *Gloria, et honor, et benedictio sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum.* » Post hæc adjeci : « Salve, sancta, salve, pia et nobilis Virgo Maria ; tu enim mitis, tu suavis, tu adjutrix et consolatrix omnium in te confidentium. Adjuva me, domina mea Maria, quoniam confidit in te anima mea : ora pro me Unigenitum tuum Redemptorem nostrum, ut perficiat in me opus misericordiæ suæ. »

62. In festivitate Omnium Sanctorum venit angelus Domini ad me, et rapuit spiritum meum a corpore meo, et subito veni cum illo, et duxit me in altum ante ostium, quod est in conspectu Domini, et introspexi, et vidi multa millia sanctorum coronatorum, astantes et ministrantes Deo, et in circuitu throni quatuor animalia. Angeli vero et archangeli, cherubim quoque et seraphim steterunt ante thronum Dei, et procidentes adoraverunt, et clara voce dixerunt : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. » Similiter et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum. Habeo et aliquid, quod de Bonnensis ecclesiæ consecratione, quæ nuper facta est, tibi, frater, referam. Sicut insinuasti mihi per epistolam, oravi Dominum, et aperuit mihi, ut solet, oculos meos, in priori Vespera Exaltationis Sanctæ Crucis, et inter cætera, quæ mihi monstrata sunt, vidi radium copiosæ lucis de cœlo usque ad ecclesiam illam, totamque immensa claritate illustrantem. Nec non et angelorum multitudinem in eodem radio descendentem vidi, ac toto tempore dedicationis inter ministros ecclesiæ conversantem. Tanta autem majestate omnia replebantur, ut non absque pavore intueri possem, quæ gerebantur illic. Fui autem in hac visione continue a vespertino tempore præcedentis diei, usque ad horam illam, in qua dedicationis officium consummatum est. Vidi autem inter cætera, quæ illic agebantur, te, frater, pulpito in Matutinis astantem, et unam ex lectionibus legentem.

63. Accidit, ut quædam sororum nostrarum, quæ morantur in Dierstensi (49) cœnobio, migraret e vita. Nuntiata igitur nobis morte ejus, dum secundum consuetudinem (50) pro remedio animæ ejus afflictionem susciperemus, vidi angelum Domini

(48) Videtur potius dici debuisse secundus annus, et qui hinc inchoatur tertius, ut patet ex deductis hactenus.

(49) Ad Dierstensis monasterii sorores est epistola IX Elizabethæ ; sed ubi ipsum monasterium sit, aut fuerit, necdum comperi ; suspicor, quod in Coloniensi diœcesi oppidum Westphaliæ Dorsten intelligatur. Sed an ibi tunc sorores fuerint, inquirendum.

(50) Hæc mutui suffragii consuetudo specialem aliquam utriusque monasterii conjunctionem indicat : afflictionem autem a singulis assumendam, de qua hic, puto intelligi posse flagellationem religiosis usurpatam, et vulgo dictam disciplinam.

Digitized by Google

stantem secus magistram nostram, cujus ministerio opus Dei perficiebatur. Eadem quoque hora et beatissimam dominam nostram vidi, quasi in regione inferioris aeris stantem, et respicientem ad nos. Completa autem afflictione nostra, elevatus est angelus usque ad eam, et pariter ad superna redierunt. Factum est in vigilia Nativitatis Domini, tempore matutini sacrificii, dum essem in oratione, aperuit Dominus oculos meos, et vidi in spiritu virum, cujus desideravi præsentiam, a longe properantem ad spectandum agonem passionis meæ; qui cum jam instante vespertino tempore advenisset, vidi angelum Domini desursum venientem, quasi in adjutorium mihi, et cum stetisset coram me, dixi illi: « Domine mi, lassa sum ad sustinendum. » Et ait ad me: « Confortare, consolare, noli deficere in via. » Et post pusillum requievit caro mea in extasi, et sustulit me in spiritu in sublime, et contemplata sum jucunditatem, quam præparavit Deus diligentibus se, quemadmodum anno priore. Cumque post longum excessum redirem ad me, continuo ori meo hæc verba affluxerunt: « Descendit de cœlis, missus ab arce Patris: introivit per aurem Virginis in regionem nostram, indutus stola purpurea, et exivit per auream portam, lux et decus universæ fabricæ mundi. » Et illud: « De occulta habitatione sua descendit Filius Dei, venit quærere et salvare eos, qui eum de toto corde desiderabant. » Et venit angelus Domini ad me, et rapuit spiritum meum, sicut in festivitate Omnium Sanctorum prosecuta sum. Post hæc benedixi Dominum dicens: « Gratias ago tibi, Domine, qui misisti ad me angelum tuum, qui consolatus est me in tribulatione mea, quia tu solus laborem et dolorem consideras. »

64. In die vero ad majorem missam, cum essem rursus in excessu meo, ac devotissime pro *communi* correctione Ecclesiæ Domini orarem, in fine orationis postulavi a Domino, ut indicare mihi dignaretur, quænam esset voluntas ejus super clero et monialibus, non bona gradientibus via. Cumque oratione completa jam ad me redire inciperem, astitit mihi angelus meus, et dixi ad eum: « O dulcissime atque amantissime juvenis, responde mihi ad ea, quæ interrogavi a Domino. » Et dixit ad me: « Clama, et dic genti peccatrici, populo pleno peccato: Væ! væ! vobis, qui habitatis sub potestate diaboli; quiescite agere perverse; discite benefacere. Sin autem, ecce ego Dominus mitto angelum meum percutientem inter vos, nisi conversi fueritis a viis vestris iniquis, et egeritis pœnitentiam ab operibus pravis, ego Dominus complebo indignationem meam in vobis. »

65. Nunc et illud silere non possum, quanta dignatione Domina mea cor meum lætificavit. Dum essem in præfato excessu meo, vidi illam a longe in domo quadam, quasi jacentem in lectulo (51), et contrectantem manibus infantulum speciosum et amabilem nimis. Quem cum circumligasset fasciis albissimis, deposuit in præsepio, quod secus ipsam esse videbatur; et post pusillum recipiens eum, in sinu suo reclinavit. Continuo post hæc vidi illam in regno claritatis, tanquam Reginam et Dominam. Invocavi igitur eam solito more et specialiter pro quodam familiari meo ipsam rogavi. Erat ille in ordine diaconatus et frequenter eum adhortata fuerat, ut ad sacrum ordinem sacerdotii ascendere non differret. Ille vero, diversas causas timoris sui prætendens, tam arduam rem aggredi nondum se audere fatebatur. In illa igitur invocatione mea, cum ejusdem rei mentionem coram Domina mea facerem, hæc verba mihi respondit: « Dic servo meo: Noli timere: fac quod facturus es et redde rationem de servitio meo, quod mihi facere debueras et non fecisti. »

66. In festivitate S. Joannis Evangelistæ, tempore divini officii, dum essem in lectulo meo propter infirmitatem, ibidem facta est manus Domini super me, et vidi amabilem illum sacerdotem Domini, in conspectu throni stantem. Effudi itaque orationes ad ipsum, ac petii, ut mihi daretur videre aliquid eorum, quæ ei in terra posito demonstrata sunt. Et continuo vidi quatuor animalia ibidem assistentia, secundum eum modum, quo in Ezechiele descripta sunt, et rotam quadriformem coram eis. Post hæc cum jam ad me ipsam reditura essem, vidi duos angelos, terribiles et plenos indignatione secundum faciem, in inferiori aere residentes; habebatque unus eorum gladium terribilem in dextera, extensum quasi ad percutiendum. Et dixi ductori meo: « Domine mi, qui sunt isti? » Qui ait: « Habent potestatem nocere terræ. »

67. Post hæc in die Innocentum, vidi turbam magnam juvenum candidorum, in monte excelso deambulantem, cum insigniis martyrii; quos præcedebat Agnus candidus, crucis signum bajulans. Et aio ad ductorem meum: « Domine, qui sunt isti, quos video hic? » Et respondit: « Sunt innocentes et immaculati, qui sequuntur Agnum quocunque ierit. » Et dixi: « Domine, quare isti plus quam alii? » Et ille: « Non solum isti, sed sunt et alii, qui sunt

(51) Sic etiam Græci, in tabellis XII Dominica mysteria repræsentantibus pingunt Deiparam instar puerperæ cubantem intra fiscellam seu corbem hujusmodi usui aptum. Nec absurdum sit cogitare, quod Josephus, stabulum ingressus, hujusmodi aliquid commodati acceperit e vicinia, idque admiserit Virgo, non ut necessitati, sed ut consuetudini puerperarum pareret; utpote quæ in nullo volebat videri eximia. Et Græci quidem ita pingunt eam in spelunca: Elisabethæ autem nostræ ita repræsentatur in domo, in qua et a magis repertus infans cum matre est, juxta evangelicam historiam: transgressa scilicet inde ex spelunca seu stabulo, postquam pastores annuntiarant quid sibi de puero Messia dictum esset ab Angelo. Sed in nostra sententia, qua credimus advenisse magos uno post natum puerum anno, inepte conciperetur adhuc cubans Deipara. Ideoque ad adnotationem 46 reflectendus animus lectori est.

Digitized by Google

innocentes et immaculati, etiam et virgines electi in Christo. — Quare Agnum plus quam aliud animal? » At ille subjecit : « Quia innocens Agnus, immaculatus et electus, occisus est pro salute humani generis. »

CAPUT V.

Visiones anni 1155 *cum Appendice, ad annum* 60 *spectante.*

68. In Epiphania quoque Domini, multiplicavit Dominus gratiam suam in me, et vidi in spiritu Dominam meam et parvulum ejus, quasi in domo quadam longe posita commorantes. Et ecce tres viri, regalem habentes decorem, introierunt illuc, et flexis genibus adoraverunt coram puero. Unus autem ex illis proferens numisma aureum magnum, quasi imagine regia signatum, obtulit in manus ipsius. Similiter et alii duo accedentes, munera sua in vasculis quibusdam reverenter obtulerunt. Post hæc et nuptiæ illæ, quæ factæ sunt in Cana Galilææ, repræsentatæ mihi sunt, et vidi rursus illic Salvatorem cum Maria matre ejus inter convivas discumbentem, et hydrias sex ibidem positas. Insuper virginei corporis sui ablutionem, quæ in Jordane celebrata est, Dominus ancillæ suæ præsentare aspernatus non est. Vidi etenim qualiter cum sancto Baptista suo in aquas beati fluminis descendit, et baptizatus est ab eo, et qualiter columba de cœlo descendens, venit, et requievit in vertice ipsius. Et ego ab hac visione expergiscens, in hæc verba os meum aperui : « In columbæ specie Spiritus sanctus visus est, paterna vox audita est : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite* (*Matth.* xvii). »

69. Post hæc in festivitate Purificationis, in primis Vesperis, novum quiddam et insuetum fecit mihi Deus. Cum enim essem in excessu meo, solito more, et orarem in spiritu ad Dominum, ac Dominam meam, quam per spiritum intuebar, salutarem, et devotas coram ipsa preces effunderem, omnem orationis meæ tenorem sorores, quæ erant in circuitu meo, palam audierunt. Ego vero cum rediissem ad me, credere nolebam narrantibus hæc, quousque eadem verba, quibus in oratione usa fueram, per ordinem replicuerunt.

70. Factum item est, ut quædam soror annosa infirmaretur apud nos, infirmitate qua et mortua est. Accidit autem tertia die ante mortem ejus, subito ita aggravari infirmitatem, ut jam morituram eam existimaremus, et accurrentes litaniam inchoavimus super eam. Irruit igitur excessus mentis super me, et paulo post expergefacta, dixi : « Inungite eam; » nondum enim oleo inuncta fuerat. Hoc dicto statim fui in spiritu. Rursus autem post pusillum expergiscens, antequam plene ad me ipsam redirem, audientibus cunctis, visionem, quam videram, pronuntiavi, dicens : « Domina nostra cum Patre nostro B. Benedicto descenderat, et nescio quam ob causam statim ad superna redierunt. Et nunc adfuerunt hic spiritus maligni complures, quorum adhuc quidam veluti canes in circuitu nostro ambulant, et tanquam vultures in tectis consident. Stabant autem secus lectum sororis nostræ duo angeli, et dixerunt ad illos : « Discedite hinc; » soror ista adhuc vivendi spatium accepit. » Cum hæc dixissem, et ex integro ad me ipsam rediissem, nesciebam me revelasse visionem, et advocans magistram, secreto cœpi narrare ei quæ videram; illa autem eadem omnia se ex ore meo audivisse confitebatur. Post hæc die tertia, cum eadem soror migraret e vita, in hora transitus ejus vidi per spiritum eosdem duos angelos ei assistentes, et egredientem corpore animam excipientes, quorsum autem illam detulerint, revelatum mihi non est. Cumque essemus orantes in circuitu funeris, vidi angelum speciosum quasi pusillæ staturæ, in summitate feretri sedentem, qui etiam motus inde non est, cum usque ad ecclesiam fratrum asportaretur et usque ad tempus sepulturæ adfuit.

71. Post hæc et me febris valida apprehendit, et desideravi Unctionis sacramentum. Eo autem tempore dominus abbas profectus fuerat ad loca vicina, et exspectabam adventum ejus. Quodam autem vespere circa crepusculum, sedente magistra coram me, accessit vir quidam venerabilis, et stetit in conspectu meo, et existimabam ipsum esse dominum abbatem, et lætata sum. Dumque arguerem tarditatem ejus et morum duritiam, benigne suscepit correptionem, et consolatus est me, dicens, nondum me esse morituram. Rogavi igitur ut Dominicam orationem et Symbolum recitaret coram me, et postea me inungeret. Quod cum fecisset, et ego ad singula verba ei per intervalla respondissem, totum Unctionis ritum complere visus est in me, et data mihi benedictione, abscessit. Interrogavit igitur me magistra, quæ verba omnia audierat, cum quo sermonem habuissem. Et dixi : « Nonne dominus abbas præsens fuit, et inunxit me? » Illa autem neminem illic se vidisse testata est. Tunc ergo primum intellexi visionem spiritualem me vidisse.

72. Post hæc imminente festivitate Annuntiationis (52), inciJi in languorem gravissimum, et bidno ante diem festum in infirmitate jacebam. In ipso autem festivitatis die mane ita aggravatus est languor meus, ut venirent ad stratum meum sorores, ac dicerent litaniam super me. Cumque discessuræ essent a me, interrogabant an eo die communicare vellem, sicut et ipsæ facturæ erant. Ego autem renui, dicens non me aliquibus dignis operibus ad hoc esse præparatam sicut ipsas, propter invaletu-

(52) Anno 1155 littera Dominicali B. Pascha fuit 27 Martii. Ideoque festum Annuntiationis, quia concursurum alias cum die Veneris sancto, retrotrahendum fuit juxta Rubricam diœceseon istarum, quæ in Moguntino sic legitur : « Si festum Annuntiationis venerit in diem Sabbati, in choro et foro solemniter celebrandum; si vero venerit post festum Palmarum, vel in hebdomada Paschali, anticipatur in Vigiliam Palmarum modo, quo supra : » fuit ergo eo anno festum istud celebratum 19 Martii.

Digitized by Google

dinem corporis. Quæ cum inde tristarentur, ac discederent a me, venit angelus Domini, et stans coram me posuit manum suam in capite meo, et ait: « Surge, et sta super pedes tuos. Liberata es ab infirmitatibus tuis. Accede ad communicandum: confortare, et esto robusta. » Ad hæc verba subito omnis languor fugit a me, et per universum corpus meum suavissime alleviata sum, hocque adjecit: « Possibile quidem fuerat, Domine, passiones, quas hactenus sustinuisti, leviores tibi efficere. Sed quo melius tibi crederetur, affligi ita te voluisti. » Continuo ergo apprehensis indumentis, surrexi de stratu meo, et descendi cum integris viribus, et colore vivido, et veni hilariter in conventum sororum, mirantibus universis, et feci, quod mandaverat mihi. Eadem die, ipsa quoque Annuntiatio Dominica præsentata est mihi. Vidi enim in spiritu Dominam meam quasi in conclavi quodam stantem ad orationem, et subito apparuit coram ea Angelus magnæ claritatis, velut alloquens eam. Illa autem, viso eo, expavescere visa est, et post mutuam collocutionem, reverenter ad eum se inclinavit, moxque ille disparuit.

73. Ante festivitatem Palmarum die priori, jam instante vespertino tempore, stabam sola in oratorio, et eram intenta orationibus, et ecce radius copiosi luminis repente de cœlo effusus est super me, faciens mihi æstum, quemadmodum sol quando splendet in virtute sua, et procidi in terram, et veni in mentis excessum. Sorores itaque venientes concurrebant ad me, volentes sublevare caput meum a terra, ut pulvillos supponerent, et nullo nisu levare illud potuerunt. Et post pusillum, venit angelus Domini, et erexit me velociter, et statuit me super pedes meos, dicens: « O homo, surge, et sta supra pedes tuos, et loquar tecum, et noli timere, quia ego tecum sum omnibus diebus vitæ tuæ. Viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum, et dices prævaricatoribus terræ: Hæc dicit Dominus: Sicut olim gentes crucifixerunt me, sic quotidie crucifigor inter illos, qui prævaricati sunt in me in cordibus suis. Avertunt enim facies suas a me, et cor eorum longe est a me, ne videant, et ne recogitent, qualiter passus sum, et quomodo liberavi eos in sanguine meo. Et dices ad eos: Redite, prævaricatores, ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. » Hæc cum dixisset, abiit. Ego autem signum feci sororibus, ut allatis tabulis ista scripto exciperent, non enim aliud quidquam loqui poteram, quousque omnia secundum narrationem meam conscripta sunt.

74. Rursus in ipsa die Palmarum tempore divini officii, cum similiter in excessum mentis venissem, erexit me angelus dicens: « O homo, cogita quid sis, quia pulvis et cinis es, et fragile figmentum. Audi me, qui loquor tecum. Hæc dicit Dominus: Plena est terra iniquitate, et hic populus, non populus meus, sed populus adversarius mihi est. Obdu- A ratum est cor eorum, nec capient, nec intelligere poterunt verba, quæ locutus sum, sed recedent a me. Væ illis! quia oppressi sunt a diabolo et obediunt illi et inhonorant faciem meam cum pravis operibus suis et obliti sunt Deum factorem suum. » Et dixi: » Domine mi, nescio quid dicam, vel quid faciam, quia indocta sum in Scripturis divinis. » Et dixit mihi: » Sufficit tibi gratia mea; qui enim habet, dabitur illi, et qui non habet, id quod habet auferetur ab eo. » Post hæc in secunda feria, cum interessem Matutinis, posuit Dominus verbum in ore meo: « Væ vobis! hypocritæ, qui absconditis aurum et argentum, hoc est verbum Dei et legem Domini, quæ est pretiosior auro et argento, ut appareatis hominibus religiosi et innocentes; intrinsecus au- B tem pleni estis ingenio malo et immunditiis vestris, introeuntes ad Sancta sanctorum, quod est altare Dei ad communicandum. Vere Dominus avertit faciem suam, ne videat holocaustomata et sacrificia vestra. Infeliciores estis iis, qui aspiciunt vos quasi speculum, cum considerant opera vestra mala et scandalizantur in vobis. Pro certo scitote, quia lex peribit primum a sacerdotibus et senioribus populi in hoc tempore. »

75. Item in quarta feria, cum sola essem in capitulo, veni in exstasim. Et dixit angelus Domini ad me: « Et tu, fili hominis, dices ad eos, qui habitant in terra: Audite, populi: Deus deorum locutus est. Pœnitentiam agite, prope est enim regnum Dei: et convertimini ad me in toto corde vestro et ego C Dominus convertar ad vos et reconciliabor vobis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, in peccatis vestris moriemini et mors devorabit vos subito et quasi nescientes; et miserabiliores eritis omni creatura, etiam brutis animalibus, quæ dum mortua fuerint, nihil ultra mali patientur, vos autem cruciabimini in igne æterno, ubi erit fletus oculorum et stridor dentium sine fine. » Et dixi: « Domine, nescio loqui et tarda sum ad loquendum. » Et dixit: « Aperi os tuum, et ego loquar; et qui audit te, audit et me. » In Sabbato sancto ante Pascha, ibam ad capitulum et veni in exstasim in limine sacelli, et circumfulsit me lux. Et assistens mihi angelus Domini, ait: D « O miserrimi, qui thesaurizatis vobis thesauros in infernalibus pœnis. Nescitis quot nobiles, quot potentes peribunt in die judicii, quot divites et sapientes lugebunt? O mundi gloria, res misera! Væ illis qui diligunt eam! Ego clamavi, dicit Dominus, et iterum clamo, et qui sest qui me audiat et consentiat consiliis meis? Cum autem clamavi, clamavi et dixi: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ. O homo quicunque es, dic tu: Ecce ego, et dicetur tibi: Abnega te ipsum, et factus obediens et humilis corde, veni et sequere me, et ego probabo si sis verax an non. Et tu constans et perseverans, noli deficere in certamine; qui enim bene certaverit usque in finem, hic salvus erit. »

Digitized by Google

76. In una Paschalium dierum in meridie, cum vellem quiescere, astitit lectulo meo angelus Domini, et dixit mihi : « Noli contristari de iis quæ tibi solent evenire; sufficit tibi gratia mea, quia non te deseram, nisi tu ipsa velis. Obediens esse stude cum omni humilitate et lætitia cordis. Esto patiens contra omnia adversa; noli te extollere in superbia, sed semper humiliare ut exalteris; nullum despicias, nullum contemnas, in omnibus bonum exemplum monstra. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum tanquam teipsam, et quod dedi tibi, dato tu aliis, ut et ipsi reficiantur; quia tu non haberes, nisi datum tibi fuisset desuper. » Præter hæc et alia plura, tanquam pater filium benigne instruendo, adjecit, quæ propter intervenientem soporem, heu! a memoria mea elapsa sunt.

77. In festivitate S. Marci evangelistæ (53) vidi ostium apertum in cœlo et ex eo splendor magnus super me effusus est, et subito veni in exstasim. Cumque essem in excessu, vidi ante thronum Dei (quemadmodum in festivitate B. Joannis evangelistæ videram) quatuor animalia, singula habentia facies quatuor, quas, in hunc modum dispositas consideravi. Facies hominis erat in anteriori parte, quæ ad thronum respiciebat; in posteriori vero, facies aquilæ; in dextera, facies leonis, in sinistra facies vituli. Habebant et alas senas, quarum duæ supra capita singulorum erectæ invicem conjungebantur; duæ vero expansæ erant, ita ut uniuscujusque una ala alterius tangeret alam, duabus vero velabant corpora sua, erant autem plena oculis ante et retro. Apparuit et rota grandis et lucida, stans coram eis ante thronum, quasi complexa quatuor rotas, quæ ita invicem connexæ erant, ut unaquæque duas sibi vicinas ex parte complecteretur, et omnes, majorem intrinsecus circulis suis contingebant. Erat autem spatium quoddam inter ipsas quatuor, circa medium punctum majoris, rubicundum quasi flamma ignis, et ex eo quasi scintillulæ quædam exire videbantur ac dispergi per omnes rotas, et quasi vivificari videbantur ex illo. Unde in eadem hora menti meæ illud occurrit: « Spiritus vitæ erat in rotis. » Cumque aspicerem, discesserunt ab invicem animalia in quatuor partes, et singula eorum singulæ rotæ antecedebant.

78. Die quadam Dominica, dum apud fratres missa celebraretur, prospexi forte per fenestram, cupiens audire fratres concinentes gloriam Deo. Stabat autem forte in via vir quidam, vociferans ad alium et dicens : « Ubi nunc tantum moraris, diabole? » Et continuo vidi Satanam in specie nigri ac deformis vituli, stantem secus illum. Qua in re commoneantur fideles, ab hujuscemodi malignis sermonibus abstinere. In die Pentecostes (54) suspensa erant quædam apud nos missarum solemnia pro comitis excommunicatione, sed non tamen consolationem suam Dominus ab ancillis suis suspendit : venit enim unus ex sacerdotibus ad nos, ferens in capsella sacramentum Dominici corporis, unde secundum morem eramus communicaturæ. Qui cum intromissus esset, et capsellam super altare quod intrinsecus apud nos est, deposuisset, vidi lucem magnam de cœlo egredientem, et directa est super illam in modum radii solaris, totamque illustravit. Sed et columba nivea, per medium ejusdem lucis veniens, advolare visa est, et resedit juxta illam. Venit et angelus Domini, et quasi devotionis nostræ testis astitit secus altare, quousque omnes per ordinem communicavimus.

79. In Dominica (55) autem nocte ante festum apostolorum Petri et Pauli, cum starem in loco orationis, veni in exstasim, cui libenter reluctata fuissem, si potuissem. Et continuo astitit mihi angelus Domini, et dixit nostro sermone : « O misera, cur hæc tam invita pateris? Quam multi sunt, qui libenter hæc sustinerent, si daretur illis consequi ea, quæ tu consequeris? Si non in præsenti hæc pateris, illic utique patieris, ubi durius patiendum tibi erit, antequam videre merearis, quæ nunc visura es. » Et dixi : « Domine mi, ex multa fragilitate mea provenit mihi impatientia hæc, et si consolari me vis, Domine, quid mihi ostendes? » Et ait : « Veni et vide et contemplare jucunditatem, quæ veniet tibi a Deo tuo. » Et statim in sublime extulit me in aerem excelsum, et introspexi per ostium claritatis, et vidi solito more gloriam beatæ civitatis Dei. Rursus ad miserabile corpus reducta sum, et paululum respiravi. Iterum autem fui in spiritu, et vidi ante ostium illud prædictum quasi stateram pendentem, et astabat illic angelus meus, habens librum unum, et Satan habens librum alterum. Intellexi autem eum, quem habebat angelus esse librum justitiarum mearum, alterum vero esse librum delictorum meorum. Et imposuit uterque librum, quem habebat in statera, et præponderare visus est liber delictorum. Stabat itaque angelus, quasi mœstus, et ait : « Non ita erit, quoniam dolores plurimos et magnos pro delictis suis sustinuit, et duras flagellationes sæpe suscepit. » Et cum plura hujuscemodi memorasset, ait : « Differenda sunt hæc usque in crastinum. » Mox reddita sum mihi, et cum lacrymis copiosis exclamavi : « Ne intres in judicium cum ancilla tua, Domine, sed oro clementiam tuam ut ante mea dimittas peccata quam ad judicium judicare venias. »

80. Cumque nimia anxietate coarctarer, obtulit iterum se angelus mihi. Et dixi ei : « Domine, quod faciam, » instrue me, Domine mi. Qui ait : « Esto obediens valde, humilis, patiens et amabilis. Libenter sustine hæc, quæ tibi eveniunt. Amplectere cum dilectione ea, quæ operatur Dominus tecum,

(53) S. Marcus 25 Aprilis, tunc cadente in feriam II Dominicæ IV post Pascha.

(54) Dies Pentecostes hoc anno 15 Maii.

(55) Tunc 16 Junii.

Digitized by Google

et iis, qui diligunt te, et cunctis, qui tuis sororibus A se commiserunt, et quibus promisso te obligasti, orationes impertire. » Hæc cum dixisset, abscessit. Ego autem nihilominus in corde meo fluctuans, hæc apud me cœpi tractare, dicens : « Nonne fiduciam multam semper habui in corpore Domini mei Jesu Christi? Nonne hoc est omnium peccatorum remissio? Illuc certe confugiam. » Rogavi igitur magistram, ut misso celeriter nuntio postularet a domino abbate, quatenus in die crastina missam de sancta Trinitate celebraret, et divinum sacramentum afferret ad me. Metuebam enim me esse morituram illo die, propter verba angeli, quæ dixerat, « differenda sunt hæc usque in crastinum. »

81. Cum igitur, sicut petieram, missam celebraret, in ipso tempore sacrificii veni in excessum B mentis, et vidi rursus stateram, quam in vespere videram, et libros impositos. Venit ergo angelus et fidelis procurator meus, afferens, quasi panem parvulum, quali in celebrationibus missarum sacerdotes utuntur, et super imposuit libro justitiarum, et mox, quasi massam ingentem apposuisset, velociter præponderare visus est libro alterius lancis. Ego cum lætitia expergiscens, exclamavi : « Sancta Trinitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, in manus potentiæ tuæ, in manus misericordiæ tuæ commendo spiritum meum, consilium meum, cogitationes meas et omne corpus meum, vitam meam, finem meum et omnes actus meos : semper sit benedictio tua super me diebus ac noctibus, et perducat C me clementia tua in vitam æternam. » Hoc quoque adjeci, quia communicatura eram : « Domine, non sum digna, ut intres sub tectum meum, sed salvam me fac, et salva ero, quoniam laus mea tu es : non ad judicium corpus et sanguinem tuum, sed ad remissionem omnium peccatorum meorum, percipere merear. » Eodem etiam tempore vidi in spiritu dominum abbatem in ecclesia fratrum, salutare sacramentum devote conficientem, et columbam sacrificio assidentem et claritatem luminis in circuitu. Post hæc venit ad me afferens mihi, quod desideraveram, et communione sancta animam meam consolata sum.

82. Rursus in Vigilia apostolorum ad vesperam, vidi illos per spiritum in regione claritatis, et una D cum eis Matrem Domini. Vidi autem et stateram eamdem, quam et antea videram et impositi sunt libri. Erat autem multitudo dæmonum circa lancem unam et multitudo angelorum circa alteram et æqui ponderis esse videbantur. Tunc invocavi dominam meam et apostolos cum angustiis magnis, quia indubitanter morituram me existimabam : et regressi sunt paulisper introrsus. Cumque iterum apparuissent et ego non cessarem invocare eos et alios complures sanctorum, præponderare visus est liber justitiæ. Post hæc cum spiritum attraherem, venit ad me angelus meus et dixit mihi : « Datum est tibi spatium vivendi, emendatiorem fac vitam tuam. » Et dixi : « Domine mi, quid amplius faciam? Nonne cognoscis fragilitatem meam et quomodo amplius laborare non possum, quam facio? » Tunc erudivit me et ad quamdam carnis afflictionem me exhortatus est : de qua et ego apud me ipsam sæpe tractaveram. Et ego ad me rediens, dixi : « Solve jubente Deo terrarum, Petre, catenas : » et præter hæc alias orationes ad ipsum. Et adjeci : « Sancte Paule apostole, prædicator veritatis et doctor gentium, intercede pro nobis ad Dominum, qui te elegit. » Et ad hæc addidi : « Domine, secundum actum meum noli me miseram et peccatricem judicare, nihil enim dignum in conspectu tuo egi : ideo deprecor majestatem tuam ut tu, Deus, deleas iniquitatem meam, quia de terra formasti me. » Et hoc : « Ne tradas bestiis animam confitentem tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. » In die ad missam rursus apparuerunt mihi apostoli et pariter cum eis Domina nostra. Tunc etiam per spiritum vidi fratres in ecclesia ministrantes, et dominum abbatem altari astantem, et casulæ qualitatem sororibus indicavi. Eodem die cum ad nos delatum esset divinum sacramentum, eamdem visionem vidi, quam et in die Pentecostes.

83. *Atque hic finis est visionum, usque ad Julium anni* 1155 *perductarum : quibus additam velim ex libro epistolarum unam; nulli quidem certe anno ascriptam, anteriorem tamen, ultimo hujus libri articulo ad ann.* 1159 *spectante; est autem prædicti libri cap.* v, *hujus tenoris :* Domino G. (*Gerlaco*) venerabili abbati ecclesiæ Dei, quæ in Tuitio, humilis ancilla Christi Elisabeth Schonaugiensis, salutem et orationes. Consolamini et gaudete in Domino et confortate corda fratrum, qui sunt vobiscum, quia suscepit Dominus gemitus vestros, et respexit tribulationem cordis vestri, qua afflicti fuistis in conspectu ejus, pro lacrymabili jactura Dominici sacramenti, quæ accidit in medio vestri. Fecit enim secundum consuetudinem benignitatis suæ et dignatus est annuntiare mihi per angelum suum verba quædam, ex quibus recipere potestis consolationem. Factum est in Dominica prima Quadragesimæ, celebrante domino abbate divinum officium apud nos, post lectionem evangelii, subito elangui et veni in mentis excessum. Et ecce angelus Domini, benignus consolator meus adveniens, stetit in conspectu meo. Tunc inter cæteros sermones, quos contuli cum eo, feci memoriam vestri apud eum, sicut præmonita fueram a fratre meo : interrogavique eum, dicens : « Domine mi, quid factum est de illo venerabili sacramento, quod in ecclesia Tuitiensi de gutture pueri sternutantis excussum est? Nunquid pedibus circumstantium conculcatum est, et periit? » Qui respondens dixit : « Sacramenti illius sanctitas vivificat spiritum recipientis se : quod autem ab ore ejus elapsum est, ab angelo Dei, qui præsens aderat, susceptum est et in arcano loco repositum. » Et dixi : « Nunquid, Domine, interrogare audeo, in quo loco sit reconditum? » Et ait, « Noli interrogare. » Rursus dixi : « Domine, quid

Digitized by Google

servitii exhibere convenit fratres illos. » Et respondit : « Quadraginta diebus in conventu immoletur Deo sacrificium laudis pro delicto hoc. » Adjeci autem adhuc dicens : « Ego vice Domini nostri hanc satisfactionem constituo, ut ubicunque ceciderit super terram corpus Domini, sive effusus fuerit Dominicus sanguis, ita ut postea inter reliquias non possit reponi, pro peccato hoc immoletur sacrificium laudis quadraginta diebus, si vero inter reliquias possit reponi, triginta diebus id ipsum fiat. » Novissime et hæc adjecit : « Expedit fratribus illis, et necesse habent, ut quanto amplius sanctorum corpora apud se congregant, et juxta se locant, tanto amplius studeant honorifice, et amabiliter iis ministrare, et ut vitam suam cum timore Dei emendent, ac diligentius ordinem suum observent. Nam ut ad hoc eos commoneret Dominus, permisit fieri, quod factum est in medio eorum. Quod si admonitioni ejus obedierint, et fecerint, quæ dixi, certum habeant, quoniam pretiosi illi martyres interpellabunt pro eis coram Domino, et in omni necessitate eis subvenient ; si autem non fecerint, accusationem et querelam facient adversus eos. »

84. *Martyres societatis Ursulanæ intelligat lector : ipsumque sancti monasterii fundatorem Heribertum, Coloniensem episcopum, illic conditum ; nunc autem etiam Appendiculam accipiat a scriptore nescio quomodo additam libro II in Visionibus anni* 1156 *finem, ut dixi, accipiens, Sanctamque præmonens de futuro iterum concursu dierum annuntiationis ac passionis Dominicæ, quod fuit anno Incarnationis* 1160, *unde consequitur visionem in hac Appendicula narratam spectare ad Julium anni* 1159. *Est autem talis :* Factum est etiam in una dierum mensis Julii, ego Elisabeth secesseram in locum semotum ac secretum, et intendebam orationibus, et ecce angelus Domini veniens coram me stabat, et ait : « Nunquid ignoras, quoniam futuri anni Pascha eo ipso die, quo resurrexit Dominus, celebrandum est, et Annuntiationis (56) festivitas in diem Passionis incidet? » Et silui, quoniam hæc vere ignorabam. Et subjecit dicens : « Scito, quoniam in tempore illo accepturus est Satanas potestatem a Deo concitandi homines adversum se invicem, ut mutuo sese interficiant. Sol rubore suffundetur, et tenebris obducetur : quod quidem non aliud erit, nisi multa sanguinis effusio, et immensa tristitia in populo Christiano. Post hæc, coluber, saniei immissor, invisibiliter homines interfecturus est, eritque tribulatio magna in terra ; ita ut perpetuæ laudis debitor sit Domino omnis, qui vita incolumi evaserit. Si autem, quæ post cito ventura sunt, tibi enarrem, scio, quod præ timoris magnitudine subsistere non poteris. »

85. *Comminationes has cœptas esse impleri eo, pro quo prænuntiatas dixi, anno* 1160 *evidenter liquet. Isto siquidem anno, cum obiisset in mense Septembri Adrianus IV et electus esset Alexander III surrexit Romæ antipapa Octavianus, sub nomine Victoris ; fautoremque nactus Fredericum imperatorem, schisma Italiæ et Germaniæ perniciosissimum excitavit, ne quidem per mortem suam finiendum ; sed electis post ipsum subinde aliis, continuandum usque ad annum* 1177. *Durante autem schismate, et Frederico pontificem in Italia persequente, exorta est sævissima illa mortalitas, quam ad annum* 1166, *num.* 11, *describit Baronius, quæ hic videtur intentari. Omnia porro circumspectanti videri posset ideo articulus iste huic libro additus, quia qui sequitur tertius in editione, licet ad annum* 1156 *spectans, recte videbatur subnecti secundo, seorsim tamen descriptus habebatur, et ut per se subsistens laudatur a Trithemio in libr. de Scriptor. velut* opus pulcherrimum et non inutile ; *in Chronico Hirtzaugiensi, ut* opus pulchrum et necessarium. *Idem deinde in Chronico Spanheimensi laudat Egbertum, quod* monachus in Schonau, et postea abbas, omnia scripta et revelationes sanctæ Sororis ornatiori stylo, in eam formam, qua nunc leguntur redegit. *Porro ad minas Orbi Christiano intentatas in hac Appendicula, ut jam publicari cœptas, spectare videtur epistola, quam proœmio subjunximus, scripta ad S. Hildegardem ; adeoque etiam magisteriatum Elisabethæ, ad hunc circa idem tempus electæ.*

CAPUT VI.

Initium libri Viarum Dei *cœpti scribi ann.* 1156 *et sermonum eo contentorum Synopsis.*

86. Hic est liber Viarum Dei, qui annuntiatus est ab angelo Dei altissimi, Elisabeth, ancillæ Christi et Dei vivi, in quinto anno visitationis ejus, in quo visitavit eam Spiritus, ad salutem omnium, qui paternas admonitiones Dei grata benedictione percipiunt. Et erat in anno Dominicæ Incarnationis 1156. Factum est in exordio quinti anni visitationis meæ, jam appropinquante die festo Pentecostes, ego Elisabeth vidi in visione spiritus mei, montem excelsum, copioso lumine in summo illustratum, et quasi vias tres, a radice ejus ad cacumen usque porrectas. Quarum una (quæ media erat) in directum mihi posita, speciem habebat sereni cœli, sive lapidis hyacinthi ; quæ vero a dexteris mihi erat, viridis apparebat, et quæ a sinistris, purpurea. Stabat autem in vertice montis, contra viam mediam, vir quidam insignis tunica hyacinthina indutus, et præcinctus ad renes baltheo candido : facies splendida erat ut sol, oculi vero in modum stellarum radiantes, et capilli ejus tanquam lana candidissima : habebat autem in ore gladium ex utraque parte acutum, et in manu dextera clavim, in sinistra vero quasi sceptrum regium.

87. Vidi rursus alia visione, in solemnitate Pen-

(56) Anno scilicet 1160 sub eodem, quem supra notavi, recursu litteræ Dominicalis B. Istis autem angeli verbis vel confirmatur sententia Henschenii anno 29 vulgaris æræ Christum mortuum statuentis, idque 25 Martii, vel, si tali die revera passus Christus non est, novo argumento probatur, quod alias docui, Deum et angelos sanctis exstaticis loquentes uti verbis ipsorum intellectui accommodatis.

Digitized by Google

tecostes, in ascensu montis ejusdem, a sinistris viri præfati, secus vias prioris visionis, alias tres vias, varietatem habentes hujusmodi. Una earum, quæ viæ viridi propinquior apparebat, amœna quidem erat, sed ita ex omni parte vepribus condensis vallata erat et obtecta, ut ab eis pungi necesse esset ambulantes per eam, nisi diligenter constricti et inclinati incederent. Apparuit et semita quædam delectabilis, arcta, et quasi modicum trita, nihil habens veprium, sed ex utraque parte jucundo gramine et floribus diversi generis copiose vallata. Media autem inter has duas una erat, ampliorem cæteris habens latitudinem, plana, et quasi pavimentum habens ex lateribus rubeis, quam cum diligentius aspicerem, angelus Domini, qui mihi assistebat, dixit: « Viam hanc intueris, et pulchra tibi videtur, et commoda ad ambulandum in ea; sed periculosa est, et facile labuntur incedentes per eam. »

88. Rursus in Octava Pentecostes, in tempore meridianæ quietis, subito aperti sunt oculi cordis mei sine carnis vexatione, sicut et in præfatis visionibus, et vidi iterum, quæ prædicta sunt omnia. Adjecit autem Dominus ostendere mihi præter eas vias, quas videram, alias quatuor, secus tres vias primæ visionis, a dextris viri, qui stabat in cacumine montis. Una earum, quæ proxima erat viæ purpureæ usque ad medium montis, difficultatem magnam habere videbatur a veprium densitate, quibus ex utroque latere obsita erat: reliqua vero pars ejus usque ad summum floribus amœna, et ab impedimentis libera, sed arcta et modicum trita apparuit. Quæ erat proxima huic, arida videbatur, et in modum campi arati, glebis ingentibus aspera, et viatoribus suis plurimum onerosa. Eram autem cogitans apud me de his duabus viis, quod difficilem haberent incessum, et respondens angelus, qui mihi assistebat, ait: « Si quis ambulaverit per vias istas, caveat, ne offendat pedem suum; qui autem offenderit et ceciderit, si non surrexit, sed permanet, non videbit lumen æternum: » reliquæ vero duæ, quæ pariter cum his apparebant, planæ, et expeditæ erant, et aspectu pulchræ, candorem habentes quasi terræ bene tritæ in strata publica. Cumque hærerem in aspectu earum, audivi rursus angelum dicentem: « Via justorum recta facta est, et iter sanctorum præparatum est. »

89. Visionis primæ, sicut per angelum accepi, interpretatio est hæc. Mons excelsus, altitudo cœlestis beatitudinis est; lux in vertice montis, claritas est vitæ æternæ; viæ diversæ in monte, electorum variæ ascensiones sunt, quibus ad regnum claritatis ascendunt. Via hyacinthina, divinæ contemplationis studium est. Ambulant in ea, qui jugi meditatione et desiderio in Deo et in cœlestibus mentis oculum figunt. Via viridis eorum est, qui in activa vita perfecti et irreprehensibiles esse student, incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela; qui dum non transitoria, sed immarcescibile bravium supernæ retributionis, in cunctis operibus suis attendunt, gressus mentis in viridi figunt. Via purpurea, ascensus beatorum martyrum est; qui in tormentis passionum justitiam Dei per patientiam operantes, in purpura sanguinis sui ad divinum lumen transire contendunt. Vir insignis supra montem, Christus est; splendor vultus ejus, divinæ claritatis ejus est signum; oculi radiantes, serenus aspectus ejus super electos, capilli, lanæ albæ similes, Antiquum dierum esse pronuntiant, licet in novissimis diebus secundum carnem sit natus. Gladius anceps in ore ejus, terribilis judicii sententia est, de ore ejus processura, feriens reprobos duplici contritione corporis et animæ. Clavis in dextra ejus apparuit, quoniam ipse est, qui solus aperit januam vitæ et nemo claudit; claudit et nemo aperit (*Apoc.* III): ipse quoque est, qui profunda mysteriorum Dei, cui vult, reserat et non est, qui claudat; signat et non est, qui signaculum solvat. Sceptrum in sinistra ejus, potestas regia est, quam et secundum humanam naturam se accepisse testatus est, dicens; *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra* (*Matth.* XXVIII). Tunica hyacinthina virtutem indicat cœlestis contemplationis, quæ totam perfecte possidebat mentem Salvatoris; non enim ut cæteri hominum ad mensuram spiritum acceperat, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Colos.* II). Baltheus candidus inviolabilis innocentiæ candorem in eo designat. Apparuit in via, quæ divinitatis suæ contemplationem significat; quia sic eam vult manere in æternum, cum cæteræ permansuræ non sint. Non apparuit in omnibus et tamen erat in omnibus (*Matth.* XXVIII); quia singulæ significant virtutes, per quas justi homines veniunt ad montem excelsum, ubi recipiunt pro singulis virtutibus singulas mercedes et in omnibus viis veritatis contemplandus est Deus.

90. Visionis secundæ mysterium hujusmodi est. Tres viæ, quæ a sinistris viri, stantis in monte secus viam viridem, apparuerunt, proprietatem exprimunt trium ordinum in Ecclesia, videlicet conjugatorum, continentium et rectorum. Via vepribus vallata, vita est conjugatorum. Amœna apparuit via hæc, quia ab initio instituta est a Deo hæc vita: et si legitime observetur, pulchra et bene placens est in conspectu Domini, et ambulantes in ea procul dubio in montem Dei ascendunt. Sed infinitæ sæcularium curarum sentes huic ex omni parte imminent, quibus pungi necesse est viatores ejus, nisi et parce vivendo sese omnibus modis constringant et coram Deo et hominibus se humiliando semper velut inclinati incedant. Via a vepribus libera, et jucundis floribus utrinque vallata, vita continentium est; horum etenim proprium est a curis et sollicitudinibus vitæ præsentis mentem abstrahere et sola, quæ Domini sunt, cogitare, ut sint sancti corpore et spiritu. Arcta est via hæc, quia ut legitime et sapienter observetur, magnæ disciplinæ custodia coarctari necesse est gressus ambulantium in ea,

Digitized by Google

ne forte secundum arbitrium proprium viventes, aut in fornicationem labantur, aut cum fatuis virginibus, sive viduis delicatis, quæ viventes mortuæ sunt, deputentur. Modicum trita est, quia respectu aliorum, pauci sunt qui ingrediuntur per eam, pauciores, qui perseverant in ea : floribus diversi generis delectabiliter undique vallata est, quia omnia virtutum genera continentium vitam adornant. Via media inter duas prædictas latior illis, ita rectorum est; ea enim cum sit instituta ad regendam vitam conjugatorum, sive continentium, sive utrorumque, minus illis coarctatur, et liberius arbitrium habet propriam voluntatem exercendi, ac per hoc facilius in ea lubricant gressus ambulantium per eam : quod et ipsa ejus planities apte significat. Propter quod et periculosa dicta est, quia tam multi in ea labuntur, ut in ipsa paucissimi stabiles inveniantur. Quod autem quasi pavimentum habere visa est ex lateribus rubeis, quæ sunt ex terra ignibus cocta, sollicitudinem significat prælatorum, qua circa subditos mentes eorum jugiter decoqui necesse est, quibus et animæ et corporis procurationem debent.

91. Visionis tertiæ interpretationem, cum ab angelo instructore meo sciscitarer, dixit ad me : « Ecce incepisti librum Viarum Dei, sicut propositum tibi fuerat. » Hæc idcirco dicebat quoniam anno priore, die quadam cum essem in spiritu, duxerat me quasi in pratum quoddam, in quo fixum erat tentorium, et introivimus illuc. Et ostendit mihi congeriem magnam librorum, illuc depositorum, et ait : « Vides libros istos? Omnes adhuc ante diem judicii dictandi sunt. » Elevans autem unum ex eis dixit : « Hic est liber Viarum Dei, qui per te revelandus est, quando visitaveris sororem Hildegardim, et audieris eam. » Et ita quidem impleri cœpit, continuo cum ab ea rediissem (57).

92. Est autem quatuor Viarum, quæ in tertia visione monstratæ sunt, significatio hæc. Prima, quæ erat vicinior viæ purpureæ, in inferiori parte dumetis aspera, in superiori autem expedita et florida, vitam significat eorum, qui legitime in sæculo viventes, in curis rerum mundanarum dies suos dimidiant, ac deinde ad floridam et expeditam continentium transeunt vitam; eorumque regula se constringentes, pariter cum illis in montem Dei ascendunt. Via arida, et glebis aspera, durissimum illud genus vitæ est, quo incedunt sancti eremitæ, et nonnulli in societate hominum conversationem habentes, qui carnem suam supra humanum modum macerant et exsiccant jejuniis, vigiliis, genuflexionibus, flagellis, cilicio, et gravissimis quibusque afflictionibus. Omnia hujusmodi quasi glebæ asperrimæ sunt, et multo conatu et vigilantia opus est ambulantibus per viam hanc, ne forte in nimia ejus asperitate offendant, et gravius cæteris corruant. Duarum viarum, quæ simul cum eis, quæ descripta est, apparebant, una (ut dictum est) magis trita et expeditior visa est, de qua locutus est instructor meus dicens : « Per hanc viam incedunt sanctæ animæ infantium, quæ in sacro baptismate sanctificatæ sunt, et infra septennium e vita discedunt; qui quoniam sæculi malitiam experti non sunt, expedito et liberrimo gressu ad regnum Dei perveniunt. » De altera vero ait : « Adolescentium via est hæc, qui paulo tardius illis incedunt, et idcirco minus trita et expedita apparet illorum via. » Ecce hæ sunt visiones, et interpretationes earum. Qui aperuit oculos meos, ut viderem visiones Dei, ipse procul dubio per angelum suum, sicut placitum fuit ante ipsum, in hunc modum intelligendas esse demonstravit.

CAPUT VII.

Sermonum pro Viarum istarum singulis ab angelo dictatorum priores quinque, summatim delibati.

93. Factum est autem in festo B. Jacobi, cum essem in spiritu, et viderem visionem viarum Dei, rapta sum in sublimi, et quasi in vicino monte Dei contemplata sum. Et ecce, lux illa immensa, quæ montis verticem occupabat, per medium scindi visa est, et introspexi per eam, et vidi sanctorum multitudinem, cujus æstimari non poterat numerus. Et ait ductor meus ad me : « Hic vides martyres, sanctos episcopos et confessores Domini, virgines, cœnobitas, utriusque sexus viduas, et sæculares conjugatos et continentes, nobiles et ignobiles, omnes regnantes cum Christo. Hi ambulaverunt vias Domini, vias sanctas, quas vidisti, et perceperunt immarcescibilem gloriam a Christo Domino cum angelis ejus. Consideret nunc unusquisque viam suam : quod si injuste ambulaverit, corrigat se ipsum, cum humilitate, et charitate, et obedientia, et dirigat viam suam. Quod si pervenerit, recipiet præmium æternum. »

94. Eram post hæc quiescens in lectulo meo, nec adhuc somnum cœperam, cum repente visitavit me Spiritus Domini, et replevit os meum sermone hujusmodi : « Attendite nunc ergo vos, qui renuntiastis sæcularibus desideriis, et elegistis, ut sequamini vestigia ejus.... Cogitate apud vos, quomodo vivatis cum humilitate et obedientia et charitate sine murmuratione et sine detractione et invidia, et sine superbia, et ab aliis vitiis abstinete vos..... » Nondum verba hæc finierat angelus, qui mihi per vices loquebatur, cum incidit mihi dubitatio quædam de distinctione viarum Dei, quæ descriptæ sunt, et interrogavi dicens : « Nunquid, Domine mi, nos cœnobitæ sumus in via contemplationis, cum sumus in via continentiæ? An esse potest, ut simus in utraque? » Et ait : « Communis est vobis via contemplationis cum clericis, sicut illis vobiscum communis est via continentiæ : scito tamen, quod multi sunt in via continentiæ, qui in via contempla-

(57) Scilicet intra Pascha, et Pentecosten anni 1156 quorum hoc in Junii celebrandum erat, istud actum fuerat 15 Aprilis, cum Dominicas post Bissextum indicaret littera G.

Digitized by Google

tionis non sunt. Et sunt multi clericorum, qui neque in via contemplationis, neque in via continentiæ ambulant, et hi infelices sunt.... » et consummatis sermonibus his, in die qua B. Michaelis memoriam agebamus, iterum se mihi præsentavit, et allocuta sum eum, dicens : « Nunquid, domine mi, secure affirmare poterimus omnes hos sermones ex te processisse? » Hæc idcirco dicebam, quia ex parte verba ista protulerat, ita ut faciem ejus non viderem : ex parte vero per os meum in spiritu fuerant pronuntiata. Ille igitur, cum magna severitate me intuens, ait : « Crede ex toto corde tuo verba hæc, quæ descripta sunt, et de ore meo processerunt. Beatus qui legerit et audierit verba libri hujus, quia vera sunt, et a veritate nunquam declinant. » Aliu a quoque sermonem continuo inchoavit his verbis, dicens : « Admoneo eos, qui in sæcularibus curis oppressi sunt, aliquando cogitare quæ sunt præcepta vitæ, id est diligere Deum, etc...., si ad altitudinem contemplationis se non valent erigere, legitimarum actionum officia studeant adimplere..... Hæc est via Domini recta et pulchra, via actionum sanctarum : qui ambulaverit in ea usque ad finem, vitam inveniet, et requiescet in monte sancto Dei, et sors ejus cum filiis lucis. »

95. Dies festus agebatur et eramus assistentes divino officio, cum ex consuetudine apparuit angelus in conspectu meo. Cumque de mora ejus solito longiore delicta mea coram ipso culpassem, dixi ad eum : « Placeat nunc, domine mi, ut tertiæ illius viæ, quæ est sanctorum martyrum disciplinam nobis insinues, neque ab hac tua bonitate propter aliqua delicta mea compescaris. » Tunc aperiens os suum locutus est dicens : « Agnus Christi procedit coram sanctis martyribus et ipsi sequuntur eum cum palmis et coronis, congaudentes ei cum triumpho nobili... Audite hæc, et corde percipite, qui persecutionem patimini propter justitiam : Ite gaudentes per viam nobilem, viam bellatorum Domini, viam purpuratam cruore sanctorum et Agni..... » Factum est autem, prinsquam verba hæc terminasset angelus, qui mecum loquebatur, ut superveniret festivitas Beatarum Virginum Ursulæ et sociarum ejus undecim millium. Tunc decantabatur in vigilia matutina sermo ille divinus, quo dicitur : *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum et deducet illos in via mirabili :* unde ego sumpta occasione interrogavi instructorem meum, cum inter silentia missæ mihi more suo apparuisset, dicens : « Domine, demonstra mihi quænam est via illa mirabilis..... » qui continuo respondens ait : « Via sanctorum martyrum hæc est..... quæ bene mirabilis appellari potest... » Post hæc cum adesset festivitas S. Martini, circa medium noctis ante vigiliam matutinam, subito expergefacta sum et fugit somnus ex oculis meis : et ecce angelus Domini stabat coram me et allocuta sum eum, dicens : « Oro, mi domine, ut exhortationem sermonis tui de sanctis martyribus jam compleas et competenti fine concludas. » Qui cum me contemplari fecisset sublimia quædam, quorum aspectu eram indigna, petitionem meam implevit.....

96. Fui in oratione, et apparuit mihi solito more dominus meus et postulavi ab eo disciplinam viæ illius quæ ad ordinem conjugatorum pertinere dicta est; statimque assensit petitioni meæ, sicque exorsus est : « Ecce dico et admoneo sæculares conjugatos : abstinete vos a pravis operibus vestris... quæ sunt avaritia, luxuria, fornicatio, adulterium, homicidium... quoniam impossibile est cum talibus vitiis intrare per viam vestram. » His dictis, abscessit : et cum iterum apparuisset, rogavi, ut prosequeretur incœpti sermonis exhortationem, qui ait : « Nisi, quod benignus et miserecors Dominus est, in tædium posset adduci, pro eo quod tot modis habitatores mundi admonet, ipsi vero pro nihilo ducunt monita ejus .... Date, o vir et mulier, honorem ordini vestro, quem Deus honorare dignatus est... Liget corda vestra timor Domini, ut in opere vobis concesso frenum vobis ipsis imponatis... Dies festos et dies legitimæ abstinentiæ et tempora purgationis per continentiam honorate, et si quid super addideritis, addet Dominus gratiam vobis et generationi vestræ..... Illud autem scitote, quod mutuæ conjunctionis vestræ præcipua causa esse debet propagatio prolis; si qua alia est, ad infirmitatem pertinet, et habet indulgentiam, si timoris Domini moderationem habuerit et eleemosynarum remedium..... Iterum dico vobis, qui sub jugo matrimonii degitis, Deum timete, fidem et dilectionem immaculatam invicem custodite : filios vestros et filias et familiam vestram in timore Domini et castimonia enutrite.... Hæc est viæ vestræ delectabilis amœnitas, quæ in mysterio demonstrata est... tribulationem tamen carnis et sollicitudines mundi, quas non experiuntur, qui continent, habere necesse est ambulantes in ea, sicut et in similitudine spinarum expressum est....»

97. Rogavit me germanus meus, ut sciscitarer ab angelo, quare in principio sermonis hujus inter cætera iniquitatum nomina, fornicationis nomen adjunxisset, cum hoc non ad conjugatos, quibus loquebatur, pertinere videretur. Cumque super hac dubitatione mea dominum meum interrogare cœpissem, locutus est ad me, dicens... : « Fornicationis immunditia plenus est mundus, et vix invenitur qui non se præcipitet in foveam ejus... Propter hoc autem in increpatione conjugatorum fornicationis nomen adjeci, quia et ipsi antequam conjugii legem assumant, super modum in ea fœdantur, et provocant iram Dei in se. Hinc est, quod ad matrimonia legitima accedentes, fructu generationis privantur a Domino, et mirantur unde accidat eis, ignorantes sterilitatis suæ causam : quibus autem generatio conceditur, aut in ipsa prole, aut in aliis rebus necessariis pluribus modis divinitus feriuntur et omnia ipsis infeliciter proveniunt... » Tunc interrogavi eum dicens : « Domine mi, quid dicis de illis,

Digitized by Google

quos Catharos vocant, qui vitam conjugatorum omnino reprobare dicuntur? » Et respondit dicens : « Illorum, de quibus interrogas, vita abominabilis est coram Domino... » Iterum autem allocuta sum eum dicens : « Domine, ut audivi, quidam ex eis asserunt, quod legitimum esse non potest conjugium, nisi inter eos qui usque ad tempus legitimæ conjunctionis virginitatem ambo custodierunt : quid ad hoc dicis? » Et respondens, ait : « Ubi tale conjugium esse potest, gratum est Domino; sed rarum est valde, ut ita contingat. Verumtamen ex iis, qui non continuerunt, multi sunt acceptabiles Domino, legitima habentes conjugia, et in mandatis Domini ambulantes, alioqui nimis contraheretur numerus populi Dei. »

98. Celebrantibus nobis solemnitatem B. Joannis Evangelistæ, intenta eram oratioñi post vigilias matutinas; ac deprecabar Dominum valida intentione cordis, ut secundum solitam benignitatem suam disciplinam viæ continentium, quam in spiritu videram, aperire mihi dignaretur; sed et divinum evangelistam, et angelum doctorem meum, ut mihi adjutores essent, invocabam. Cumque orando lassata fuissem, remisi paulum oculos ad soporem, et post pusillum repente expergefacta sum, et ecce angelus mihi assistens, sermonem, quem desiderabam, inchoavit his verbis : « Dico vobis, o filii Dei, o filii lucis, intuemini viam vestram, quomodo floreat, et quam delectabile est currere in ea. Currite ergo, et properate obviam Sponso vestro, qui vos exspectat. C Diligite castitatem, et servate illi integritatem virginitatis vestræ. Virgo ornata castitate, charitate, prudentia, humilitate, bene currit. » Hæc cum dixisset, amplius non adjecit.

99. Sequenti vero die cum de beatis Innocentibus officium missæ ageretur, ego, sumpta occasione ex lectione Apocalypsis, quæ legebatur, deprecata sum dominum meum, qui iterum mihi assistebat, dicens : « Domine, si inveni gratiam coram te, dic mihi, obsecro, quale est hoc canticum, quod decantant isti beati martyres ante sedem Dei et Agni, sicut præsens lectio testatur, aut quomodo sequuntur Agnum, quocunque ierit? » Et respondens ait : « Quid me interrogas? nulla lingua super terram novit hoc canticum; nihil inde tibi enarrabo. Quod autem in- D terrogas : Quid est, quod sequuntur Agnum, quocunque ierit; hoc est quod in omnibus virtutibus, quæ considerari possunt in Agno, ipsum imitantur.... » Rursus in Circumcisione Domini, cum se mihi obtulit dominus meus, dixi ad eum : « Mi domine, doceas me, obsecro, de integritate virginitatis, nunquid amitti potest per immundam libidinem, quæ haberi solet in tentatione, si non usque ad opus fuerit perducta libido? » Qui ait : « Non amittitur, sed inquinatur.... Deoque accepta non est, et debita mercede privatur. » Cum autem in Octava B. Joannis iterum se mihi præsentasset, prævenit verba mea ita me hilariter alloquens : « Interrogare me vis, interroga, et respondebo tibi. » Et dixi, sicut A a ductore præmonita fueram : « Domine, quod scriptum est : Voluntas pro facto reputabitur, nunquid adversari potest sermoni tuo, quem proxime dixisti? » Et respondit : « Nequaquam. » Itemque subjunxit : « Verum est certe, quod scriptum testaris, cujus operis perficiendi voluntatem habuerit homo, ita ut nequaquam remaneat in ipso, quin ad perfectum perducat, quod cupit, et sic usque in finem permanet, hoc quasi factum coram Domino reputatur; sed deleri tamen potest virtute veræ pœnitentiæ. Quidquid enim cogitatione, aut voluntate fecerit homo, ita annullari potest coram Domino ac si nunquam fuerit :... qui autem voluntatem pravam fructu pœnitentiæ non diluit, hujus integritas, quamvis permaneat, inutilis est, et nullum conse- B quitur fructum. »

100. Iterum subjunxi dicens : « Domine, sunt qui non sponte stimulos carnis experiuntur in tentatione, et moleste ferunt ardorem, qui aversatur munditiæ corporis sui, nulla tamen repugnatione evitare eum prævalent. Nunquid hoc eis reputabitur in peccatum? » Qui ait : « Si moleste ferunt tentamenta hujusmodi, neque animo eis consentiunt, leviore pœnitentia culpæ suæ, quam sic contrahunt, veniam consequentur, et mercedem magnam adipiscentur. » Indicavit autem mihi esse hominem, in Christo familiarem (quis aut quæ sit, Deus scit) sustinentem ab adversario impugnationem castitatis, et nimiis ob hoc animam suam moles ils affligentem, et ait : « Consolationem ei annuntia, dicesque ei, ut parcat afflictioni. Revocet in memoriam, quod scriptum est de electis Domini : *Tanquam aurum in fornace probavit eos.* Gaudium sit ei; non tamen sine tristitia. Gaudium, pro eo quod tale aliquid Dominus ei imponere dignatus est, per quod ad mercedem magnam præparatur; non sit tamen sine tristitia, quia in tali tentatione non omnino culpa evitatur. « Et dixi : « Domine, qualiter debet resistere adversario, et quibus armis eum superabit? » Qui ait : « Oratione, et confessione, et flagellis carnis pugnet, et superabit. Non autem insistat rogare Dominum, ut ab hoc stimulo liberetur; sed hoc oret, ut misereatur ei Dominus in hoc tempore tentationis. Si in loco secretiori fuerit, flectat genua ter coram Domino; si autem opportunitas loci ei defuerit, signet cor suum ter signaculo crucis, ac dicat : Salvator mundi, salva nos, qui per crucem et sanguinem redemisti nos; auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster. »

101. Post hæc una dierum suscitavit linguam suam in hæc verba : O virgines, ecce ad vos clamat vox divina, vox Sponsi vestri pulsat ad aures vestras : aperite illi, et introducite illum ad palatium cordis vestri, et amplectimini eum, quia pulchrior et amabilior est omni creatura..... *Hinc sequitur longa, et post hanc alia, ad virgines exhortatio : sub qua Elisabeth angelum interrogavit, dicens :* « Domine, quæ sunt vestes illæ nuptiales, de quibus dixisti? » Et respondit : « Ire debent virgines ad

Digitized by Google

interiora cordis sui et emere illic tria genera ornamentorum. Primo eas habere oportet vestimentum candidum et immaculatum, quod est innocentia carnis. Necessarium illis est et operimentum secundum, quo debent esse amictæ, quod est charitas, qua ab illis diligendus est Christus sponsus. Tertium ornamentum earum est torques aurea, quod est pudicitia, qua debet se ipsam virgo constringere, ut sit verecundia ad loquendum, ad audiendum, ad videndum, ad faciendum omne quod impudicum non est: hoc est signum, de quo dictum est: Posuit signum in faciem meam. » Hoc, ut æstimo, adjecit, pro eo quod in festo B. Agnetis ipsum de hoc verbo interrogaveram, et nullum tunc mihi super hoc dedit responsum. Iterum dixi: « Domine, quali pretio emenda sunt virginibus ista ornamenta? » Et ait: « Castigatione corporis proprii, ac denario uno, quod est contemplatio pudicitiæ Sponsi, quam reponere debent in medio cordis sui..... » Et factum est completis sermonibus istis in Dominica secunda sacri Jejunii die festi S. Matthiæ apostoli (*nam anno 1157 currebat littera Dominicalis F, et dies Cinerum inciderat in diem* XI *Februarii*) in tempore divini officii, vel sacrificii, apparuit mihi benedictus Domini, angelus sanctus, *et finem competentem imposuit sermoni ad virgines Domini.*

CAPUT VIII.

Sermonum quinque reliquorum synopsis.

102. Sermone præcedenti ad finem deducto, distulit solito diutius visitare me angelus Domini: quod ego delictis meis imputans, anxiabar intra me, ac diligentius lacrymis et orationibus operam dedi: et adjuvabat me conventus noster oratione communi. Et consummatis septem et decem diebus ab eo, quo jam dicta verba compleverat (*post festum S. Gregorii papæ* 12 *Martii*) stabam sola in oratorio circa horam tertiam, effundens coram Domino cor meum, ac dicens: « Non mea merita aspexisti, Domine, in omnibus quæ hactenus mecum operatus es; sed in tua misericordia fecisti omnia hæc. Propterea obsecro ne compescaris delictis meis, aut cujusquam alterius, quin hæc, quæ nunc apud me initiare dignatus es, propter bonitatem tuam ad bonam consummationem perducas. De via rectorum Ecclesiæ, quam mihi in mysterio demonstrasti, congruentem disciplinam nobis aperire dignare, ex qua aliquis fructus correctionis proveniat, sicut necessarium esse nosti populo tuo. » Adhuc ista, et his similia in oratione loquente me, ecce angelus desiderii mei subito apparuit coram me et sermonem, quem desiderabam, his verbis initiavit, dicens: « Hæc dicit Dominus: Ecce ego mitto angelum meum, ut annuntiet vobis, qui in sublimi potestate imitatores estis. Dico autem vobis, quod iniquitas terræ, quam absconditis propter aurum et argentum, ascendit coram me, tanquam fumus de igne... Videte Pontificem magnum et excelsum super omnia Dominum Jesum, quomodo in diebus obedientiæ suæ ambulavit in medio discipulorum suorum, non in altitudine dominantis, sed in humilitate ministrantis; tanquam pius æmulator gregis sui, usque in consummationem mortis pro eo. Respicite semen ejus, quod est benedictum, ministros vocationis vestræ beatos apostolos: nunquid sicut viæ vestræ viæ illorum fuerunt?... »

103. Celebrantibus nobis diem festum Paschæ (31 *Martii*) in tempore divini officii post lectionem Evangelii, apparuit mihi angelus Domini stans coram me; cumque hoc petiissem ab eo, ut hoc procurare dignaretur, ne quid negligentiæ in illa sacra communione, quam exspectabamus, accideret; adjeci postulare, ut sermonem suum de rectoribus Ecclesiæ, secundum quod inchoaverat, prosequi dignaretur. Ad quod mihi breve responsum reddidit dicens: « Si digni essent, multa magna de illis Dominus revelaret. » Quo dicto statim ad altare cum festinatione accessit; et cum duobus angelis qui in principio missæ advenerant, cum magna diligentia, donec omnes communicassemus, astabat. Sequenti vero die circa idem tempus adveniens, *similia inculcavit*, et rursus die altero addidit, dicens: « Hæc dicit Dominus magnis prælatis Ecclesiæ: Recordamini, quam rationem reddituri estis in tremendo judicio meo de ovibus meis, quas suscepistis regere et custodire... » Post hæc quasi in spiritu lenitatis, ait: « Ego Dominus clamo et admoneo pastores meos... Sunt enim, qui mihi videntur boni et pacifici, heu quam pauci! et alii multi mali et perversi... propter quod oportet admoneri bonos, ut in melius proficiant; malos autem et perversos, ut convertantur, ne pereant de via justa. » Et cum me iterum visitasset, adjecit: « Attendite cum omni sollicitudine mentis viam vestram... quod si me diligitis et nomini meo honorem præbetis, honorificabo vos coram sanctis angelis meis. »

104. Adhuc loquente ad me angelo sermones istos de pastoribus Ecclesiæ visum est quibusdam opportunum, ut interrogarem de iis, in quibus erroris sui occasionem accipiunt dubii quidam. Interrogavi igitur, non quasi in fide dubitans, sed quasi cupiens fidem nostram ex angelica auctoritate firmari, et dicebam: « Nunquid, domine, in ecclesiasticis sacramentis parem habent veritatem officia eorum pontificum, qui sinistre et non secundum Deum ad pontificatum suum introierunt, et eorum quorum bonus introitus est? » Qui respondens ait: « Multi, dum profunde talia scrutantur, magis depravantur, quam emendantur: et talia Dominus revelaret, si non eo liberius peccarent illi ad quos pertinent. » His dictis confestim ablatus est ab oculis meis. Iterum autem die alia cum redisset ad me, interrogavi eum, repetens eumdem sermonem, qui præscriptus est. Et ille: « Habent, inquit, parem virtutem, sed beneplacitum est magis Deo in officiis eorum, qui bene introierunt. » Iterum subjeci dicens: « Itane est, domine mi, ut quod presbyteri ordinati ab illis quorum malus introi-

Digitized by Google

tus, eamdem habeant potestatem consecrandi corpus et sanguinem Domini in altari, quam habent, qui ordinati sunt ab illis qui legitime introierunt? » Qui ait : « Non ascendat unquam dubitatio in cor tuum de hac re; sed certum habeto quod omnes qui in ecclesiastica ordinatione presbyteratum acceperunt, eamdem potestatem habent in consecratione Dominici sacramenti, sive bene, sive male introierunt ordinatores eorum..... »

105. Quia ad Patres nostros, spiritualia judicia in Ecclesia habentes, pertinere totus hic sermo visus est, rogavi angelum Domini dicens : « Oro, domine, ut sicut spiritualibus rectoribus verba admonitionis hactenus ministrasti, ita illis quoque, qui sæcularia judicia habent, aliquas admonitiones, ex quibus et ipsi corrigi possint, a Domino nuntietis. » Qui confestim petitioni meæ consensum præbens, his verbis sermonem ad illos pertinentem exorsus est. « Ecce constituit Dominus super populum suum principes et judices, ut facerent judicium, et justitiam, et confirmarent veritatem, et pacem inter virum, et virum, ut esset omnis populus beneplacens coram Deo vivente. Nunc autem..... Propterea vivo ego, dicit Dominus, si non audieritis vocem admonitionis meæ, et conversi fueritis ad me, detraham vos ab altitudine vestra, qua male usi estis, in profundum inferni, et eritis consortes illorum, quibus vos assimilastis in incendio viventi in sempiternum. » In die sancto Pentecostes (19 *Maii*) in hora prima, ante celebrationem divini officii, cum essem in oratione, apparuit angelus coram me et hactenus dictum sermonem complevit...

106. In festivitate S. Martini (58) inter silentia missæ allocuta sum angelum dicens : « Placeat nunc, domine, ut exhibeas nobis disciplinam congruentem illi viæ, cujus pars vepribus occupata apparuit, altera vero floribus amœna, et stricta, nihil habens veprium et impedimentorum. » Vix petitionis meæ verba complevi et protinus ait : « Ecce dico vobis, qui in sæculo viduati estis, viventes in carne, in laboribus, in angustiis multis, abstinete vos a vitiis hujus sæculi et ambulate in via continentium... » Et adjecit in Vigilia apostolorum (28 *Junii*), dicens : « Et quid addam vos admonere? Ecce ostendi viam, instruxi vos disciplina, palpate huc et illuc, considerate verba, retinete exempla, diligite castitatem, currite ad claritatem Domini nostri Jesu Christi, quam vobis præstare dignetur, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen. » Cum autem consummati pene essent hi omnes sermones, in festivitate apostolorum Petri et Pauli, ante horam divini officii, fui orans in secreto, et apparuit in conspectu meo angelus Domini et locutus est audiente me verba hæc : « Trevirensi episcopo (*Hillino*) et Coloniæ et Moguntiæ episcopis (*Arnoldo II et Radulfo*) annuntiatum sit vobis a Domino Deo, magno et tremendo et ab Angelo testamenti libri hujus, ut hæc verba, quæ inveneritis in præsenti libro, annuntietis Romanæ Ecclesiæ, totique populo et omni Ecclesiæ Dei. Emendate vos ipsos et convertimini ab erroribus vestris et nolite indigne accipere admonitionem sacram et divinam, quia non sunt hæc ab hominibus inventa. Dico autem vobis ex nomine, quoniam in ista provincia nomen religionis habetis. Legite et audite admonitiones divinas et suscipite eas placida mente. Et nolite arbitrari hæc figmenta esse mulierum, quia non sunt; sed sunt a Deo Patre omnipotente, qui est fons et origo omnis bonitatis. Quod autem vobis dico, cæteris omnibus dico. »

107. Cupiebam octavi sermonis initium accipere in die translationis S. P. N. Benedicti (11 *Julii*) sed impeditæ sunt die illo orationes meæ ab hospitum præsentia, et translatum est desiderium meum usque ad proximum diem. Tunc etiam stante me in oratione post horam capituli, præsentavit se mihi angelus Domini et postulavi, ut sermonem ordiretur ad eos, quorum via in visione quasi glebis occupata apparuerat, et confestim aperiens os suum hæc verba locutus est, « Attendite, vos, qui in eremo vitam ducere elegistis, quam discretionem habeatis..., ut non cito sequamini omnem impetum zeli vestri, qui vos ad altitudinem perfectionis impellit, neque supergradiamini mensuram virtutis vestræ laboribus immoderatis... Propter hoc memento, homo, fragilitatis tuæ, ut caute gradiaris in via dura quam ingressus es et patienter agas in festinatione tua, ne ruinam patiaris... ad hæc sume eruditionem et disciplinam contemplationis et consolare abjectionem tuam in ea. » Confidentibus nobis in capitulo, ad audiendam lectionem Regulæ, in festivitate S. Mariæ Magdalenæ astitit coram me dominus meus et præsentem sermonem congruo fine complevit. Cum esset festivitas B. Jacobi in primis Vesperis, apparuit angelus Domini coram me; feci itaque, sicut suggesserat mihi conscriptor sermonum istorum, ac petii ab eo, ut titulum, qui in capite libri hujus scribendus esset, pronuntiare dignaretur : qui continuo petitioni meæ assentiens ait : « Hic est liber, » etc, *num.* 86.

108. Mense Augusti, quinta die mensis, post vigilias matutinas, cum essem cubans in lectulo meo, nec adhuc somnum cœpissem, subito apparuit coram me angelus Domini et præsentis libri nonum sermonem initio habuit his verbis : « Ecce ego habeo aliquid ad vos dicendum, qui in juventute positi estis, quasi lilium, quod ante solis ortum clausum erat et quando sol splendet, in virtute sua aperit se, et delectatus in ardore solis... Discite in primis timere Dominum... Ecce in sinu vestro est thesaurus desiderabilis et pretiosus, hoc est virginitatis gemma. Beati eritis, si custodieritis eam... si placuerit animæ vestræ custodire eam, attendite vobis ut non inquinetis eam negligentiis levitatis

(58) Lego, et corrigo Maximini Trevirensis episcopi 29 Maii; hoc enim exigit ordo festorum sequentium.

Digitized by Google

vestræ : declinate cum pavore cordis ab irritamentis immunditiæ et fugite confabulationes et collusiones adolescentularum, et corruptoribus earum nolite sociari : custodite os vestrum ab impudico sermone, et ab omni turpitudine oculos vestros et manus abstinete... » Post hæc rursus adjecit, et dixit : « Adhuc addam loqui fratribus et conservis meis admonitiones Patris eorum. Filii, aptate vobis in consuetudinem mores sanctitatis in floribunda ætate vestra, quos in tempore maturitatis vestræ possitis exercere... O adolescentes et juvenes immaculati,... ambulate in pulchritudine viæ vestræ, et eritis filii amabiles Domino et similes angelis Dei in cœlo, ad quorum societatem ducere vos dignetur Dominus noster Jesus Christus. »

109. Cum esset completus per angelum sermo præcedens, in Vigilia Assumptionis sanctæ genetricis Dei Mariæ, rursus in ipso die festo, in tempore divini officii visitavit me et ait : « Ecce adhuc volo consummare sermones meos, quoniam adhuc locus est et habeo aliquid breviter dicere ad infantes, qui nesciunt se custodire propter ignorantiam; propter quos oportet admoneri matres eorum, ut custodiant eos cum timore Dei castos et immaculatos, ne forte pereant. » Ad hæc ego subjunxi interrogans et dicens : « Quid est, domine, quod dixisti : Castos et immaculatos? quid facere possunt infantes, unde castitatem suam commaculent? nonne et si quid delinquunt, ignorantia eos excusat? » Et ait : « Castitatem suam verbis immundis sæpe coinquinant et operibus, qualia et ipsi perficere possunt; et quamvis per ignorantiam faciunt, tamen sine reatu non sunt, et pœnam omnino evadere non possunt de hac vita migrantes, quia neque ab aliquo sunt castigati, neque per se ipsos pœnitentiam delicti habere sciebant; propterea castigari debent a parentibus pro delictis suis, quia sicut mala facere assuescunt, ita et bona facere discerent, si per charitatem ad hoc nutrirentur. Quod tamen dixi : Immaculatos, pro iis dixi, qui cum paululum de septennio exierunt, tunc amplius se commaculant pravis operibus, quia plus noverunt cogitare de malo, quoniam non sunt prohibiti ab eo, nam et ipsi in quantum possunt operantur opus impudicitiæ, nescientes quid faciant. Tales igitur, si de hac vita migrant, magnas pœnas sustinent, quo usque purificentur, quia nulla omnino macula in regnum Dei potest intrare. Hoc ergo est illorum perire, de quo supra dixi : tanto autem gravius, ac diutius puniuntur, quominus orationibus et eleemosynis amicorum adjuvantur, pro eo quod eis indigere non credantur. Dico vobis parentibus, et quicunque parvulorum custodiam habetis, attendite quomodo in magna cautela eos custodiatis, quia in vos redundabunt delicta eorum... Consummavit autem hunc sermonem in Octava Assumptionis..... » Hæc est adjuratio conscriptoris sermonum istorum. Adjuro per Dominum, et per angelum ejus, omnem, qui transcripserit librum istum, ut diligenter eum emendet, et hanc adjurationem codici suo ascribat (58*).

CAPUT IX.

Ultimus virginis morbus et in eo acta usque ad fratris reditum Moguntia.

110. Virginibus Deo sacratis in Anturnacensi con-

(58*) Qui in editis sequitur liber IV, in capita divisus quinque, præmittit illis visionem de Assumptione Virginis Mariæ Matris Domini, promissam in die ejus festo anni 1156, exhibitam 1157 et duobus post annis publicari jussam : ubi affirmatur, obdormivisse quidem Deiparam XV Augusti, sed resuscitatam, atque cum carne assumptam in cœlum quadragesimo post die 23 Septemb. quem diem cœperint sorores in conclavi Elisabethæ solemnem agere : ibidemque inducitur ipsa Deipara, quærenti virgini, quandiu post Domini Ascensionem vixerit in terris, unum duntaxat annum indicare, cum eo, quod a festo Ascensionis ad 15 Augusti intercedit; omnia hæc ejusmodi sunt, ut merito dubitare possimus, verene hæc dictaverit Elisabeth. Talis autem multo etiam magis est sermo de undecim millibus virginum præcipuam libri istius partem constituens. De illis, qui volet aliquid anticipate ex nobis scire, legat dissertationem nostram insertam conatui Chronico historico de Romanis pontificibus post S. Pontiani pontificatum, et Paralipomenon ad eamdem dissertationem; meminerintque Parergi, inter Vitas S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis positi, cujus doctrina hinc quoque novum sumeret argumentum, ad rejicienda a definitione historicarum controversiarum, dicta factaque extaticarum sanctarum, quandoquidem Deiparæ, ut ibi præfertur, Elisabetham alloquenti, suamque ætatem infra quinquagesimum annum restringenti, opponi poterit eadem Deipara, asserens S. Birgittæ lib. VII, cap. 26, quod, postquam Filius suus ascendit ad cœlum, vixit in mundo per quindecim annos; aliis nihilominus contendentibus ipsam multo serius e vivis excessisse.

Cancellottus noster, in Annalibus Marianis ad annum Christi 46 pro Elisabethæ sententia « testimonium profert ex arcanis beato viro Bertramo Cisterciensi revelatis, » et allegatis in Chronico Massæi cujusdam lib. VIII ad annum Christi 36 eisdemque fatetur favere divum Ildephonsum Toletanum, dum serm. 6 De Assumptione ait « post Christi triumphum non diu mansisse Virginem inter vivos. » Quæ autem ille objicit tam Elisabethæ, quam Birgittæ, non magnam vim habebunt apud eum qui critico examine ista excusserit. Poterat Cancellottus Elisabethæ respondere, quod num. 7 respondet Birgittæ, « Virginem locutam esse ex sententia, quæ tum erat in Ecclesia valde communis; » sed vereor, ut talis responsio multis probetur. Browerus in Annalibus Trevir. lib. IV, n. 104, agens de Ursulanis, fassusque « non facile statui posse, an Elisabethæ revelationes de illis, notatione temporum rerumque diligenti narratione sint distinctæ, sic ut fundus in iis lateat historiæ » (utpote in re difficili atque antiqua), « tandem existimari putat posse, in hac ipsa scientia tam remotæ abstrusæque vetustatis, quam de virginibus hausit Elisabetha, partim a libera mente fluxisse quidpiam, partim aliquam significationem superne datam; flagitantibus etiam, ut fit curiose multis, haud plus perceperit, inquit, quam quantum nosse iis expedire divino numini visum sit. » Quisque in suo hic sensu abundet : pro Elisabetha nihil hactenus, (salvem quoad Ursulanas) commodius video, quam dubitare, utrum talia ipsa revera dictaverit. Cætera ad 21 Octobris magis enucleabimus; uti et de anno defunctæ Deiparæ ad diem 15 Augusti; quam tamen diem ejusdem obdormitioni primum cœptam ascribi sub Marciano

Digitized by Google

gregatione (59), Budæ, Hadevigi, Redelindi, propinquis, et familiaribus suis, frater Egbertus ex cœnobio Schonaugiæ, orationis obsequium et devotionis affectum.

111-112. Sinite ut plangam paululum dolorem meum apud vos, charissimæ meæ, et suscipite verba lamentationis meæ, cum dulcedine compassionis. Paululum plangam, modicum lugebo, juxta amplitudinem vulneris mei, ne forte carnali affectu perturbari existimer et reputetur ad insipientiam mihi. En nostra Elisabeth, illa electa lampas cœlici luminis, virgo illustris et honorificata, in abundanti gratia Dei splendida gemma cœnobii nostri, dux nostri virginei cœtus, heu! ante annos maturiores ex hac vita subtracta est. Quæ me peperit in lucem inexpertæ novitatis, quæ me traxit ad familiare ministerium Jesu Domini mei, quæ ore mellifluo consolationes et instructiones Dei de cœlo afferre solebat ad me, et gustare faciebat cor meum primitias dulcedinis absconditæ sanctis in Deo; hæc irregressibilem abiit viam : et ecce non comparet super terram dulcedo animæ meæ, consolatio paupertatis meæ et suave condimentum omnium laborum meorum. Merito ergo mœroris cingulum præcordiis meis accingo : dignum, dilecta mea, super te planctum assumo, virgo gratiosa, virgo valde amabilis, multum in suavitate sancta, qua te inunxerat Spiritus Dei. Exitum tuum immaturum, o filia gratiæ, lugent interiora animæ meæ, et personant chordæ cordis mei carmen lugubre spiritui.

113. Verumtamen non est dolor meus, sicut dolor, quem pariunt caro et sanguis, ut nunc germanitatis causa, quæ carnalia sunt, lugeam; sed spiritualium deliciarum me communia damna contristant, quas tu, Dei ministerio, inaudito modo multis administrare solebas. Per te cœlum mundo erat apertum, et affluebant abscondita a sæculis arcana Dei per organum vocis tuæ ad nos; et erat pretiosius auro, dulcius melle eloquium tuum. Per te angeli nobis et nos angelis familiariter loquebamur, et affabiles nobis erant, te mediante, altissimi principes cœli. O felix femina! quam multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ videbas et non viderunt (*Luc.* x)! Patuit enim beatis oculis tuis sublime palatium cœli, et prævidisti ante tempus communis visionis inaccessibilem claritatem regni immortalis. Gloriam civium cœli nobis notam faciebas et quasi ante oculos mentis nostræ ponebas : et inflammabant non modicum beatæ orationes tuæ corda nostra, in desideriis patriæ, quam exspectamus. Vacillantes animas in ministerio Dei sæpe confirmaverunt verba admonitionis tuæ, et fervore sancto laudationes Domini multum nos amplificare faciebas.

114. O quam multa pietatis opera per exhortationes tuas longe lateque per terras facta sunt! quoniam multæ electorum animæ desideratis consolationibus, per tuam negotiationem, potitæ sunt. Benedicta filia tua a Domino, quia fructuose inter Deum et homines negotiata es. O femina feliciter nata, quomodo perdiderunt te infelicia tempora nostra! Dei lucerna, quomodo exstincta es mundo! quomodo clausa es, o clara fenestra, per quam respiciebant oculi Domini ad nos! Pium est, o electa Dei, flere nos amissionem dulcis præsentiæ tuæ : quippe quæ bonum certamen certasti et cursum martyrii tui feliciter consummasti. Tota etenim vita ab annis tenerioribus, si recte animadvertimus, vere martyrium dici potest. Portabas siquidem jugum Domini ab adolescentia tua, sub regulari disciplina semper ambulans, in paupertate et multiplici tribulatione. Semper manus Domini gravis fuit super te, nec defuit ullo tempore tibi visitatio superna, premens animum, conterens miserabile corpus tuum pressuris et ærumnis; quas agnoscere et dinumerare dignetur, qui solus laborem et dolorem considerat. Hilarem et patientem te exhibebas ad omnem flagellationem Domini; et super dolorem vulnerum, quem tibi infligebat manus ejus, semper adjiciebas sacrificium spontaneæ afflictionis.

115. Rivi innumerabilium lacrymarum tuarum, domina, fatigationes genuum tuorum, divulsiones teneritudinis tuæ, quas sustinebas ab asperitate saxi, incisiones laterum, quas inferebat duritia zonæ, incredibilis parcitas ciborum et innumera orationum tuarum holocausta, maneant in recordatione coram oculis misericordis Dei, cui nuda et aperta sunt omnia. Ardorem sancti desiderii tui de se ipso nunc satiet fons vitæ, quem toto corde sitiebas. Humilitatem spiritus tui, qua præ cunctis mihi cognitis modica et abjecta semper in oculis tuis fuisti, respiciat et honorificet sublevator humilium Deus. Benignitatem, quam erga adversantes

imperatore, anno 450 alia omnino ex causa, quam quod tunc mortua putaretur, persuadet dedicatio ecclesiæ in Blachernis tunc solemnissime facta; quodque vetustissima Hieronymiani Martyrologii apographa illius in Augusto non meminerint, sed 18 Januarii notetur « Depositio sanctæ ac gloriosæ B. Mariæ, matris D. N. Jesu Christi, » ad quem locum vide exercitationem eruditam Florentinii, inter Notas ad vetustissimum Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium, quod Hieronymianum passim vocamus; simulque disce antiquiores Græcos eumdem diem tenuisse, et Ægyptiis sive Coptis tenendum tradidisse in Sermone de Ursulanis prætituletur « famula ancillarum Domini, quæ sunt in Schonaugia : » hoc [illegible] coincidere videtur cum titulo *Magistræ*, qua [illegible] scribens ad S. Hildegardim similiter « magistram cœnobii S. Ruperti apud Binchiam; » non *abbatissam*, quando autem magistra electa fuerit, non est unde definiam; conjectura tamen ducor, ut credam, id factum anno 1157 post auditum ab angelo sermonem octavum, vel etiam post completum librum Viarum Dei, vel postquam ætatis ann. 30 virgo attigerat. Cum lib. IV omittimus etiam lib. V qui epistolarum est, nihil ad historiam facientium, et transimus ad lib. VI qui proprie solius Egberti est; eamque omnem meretur fidem, quæ oculato testi, ac viro debetur probo, docto, prudenti.

(59) Anturnacensis congregatio, quæ vel ubi fuerit, vel a quo loco sic dicta, nusquam adhuc potui reperire. Ad eas est Elisabethæ epist. 6, nihil ad historiam conferens.

Digitized by Google

tibi habere solebas, benignitas divina agnoscat et ad condignam retributionem adducat. Anima lassa, anima contrita et saturata miseriis ærumnosæ vitæ, perge nunc in requiem diu desideratam. Suscipiat te sinus pacis æternæ, amplectatur te dextera fidelis Sponsi tui, foveat et alliget omnes contritiones tuas, ac donet tibi oleum gaudii pro luctu, coronam decoris pro cinere despectionis, pallium laudis pro spiritu mœroris. Quo digressus sum a proposito meo? In mente habebam, o dilectæ meæ, ad quas sermonem dirigere cœpi, describere vobis beatam consummationem charissimæ nostræ; sed ex abundantia mœsti cordis assumpsi querelam hanc, ante propositam narrationem. Et nunc, favente Domino, exsequar quod intendi, quemadmodum vestræ charitati gratum fore non diffido.

116. Erat ancilla Domini adhuc in die Pentecostes (59*) consueto modo hilariter se habens; et, sicut mos illi erat gratificari nobis, per omnem diem solemnem lætificabat nos revelationibus sacris, enarrans inter cætera, qualiter et qua hora singuli assistentium ministerio Dei visitarentur a Spiritu sancto. Tertia autem feria post hæc, circa horam vespertinam, subito incidit in languorem fortissimum, cœpitque affligi per omne corpus tam graviter, ut mox conflueret ad eam tota congregatio, invocans super eam auxilium Dei; sicque in hac afflictione permansit pene per totam noctem. Die sequenti, videlicet quarta feria, in qua solemne jejunium agebatur, congregatio fratrum processionem fecit in albis, usque ad cellam (60), et portabamus nobiscum in scriniis cunctas reliquias Societatis sanctæ Ursulæ reginæ, quatuordecim videlicet corporâ, quæ velut integraliter apud nos sunt, exceptis diversorum corporum portionibus multis. Celebrantibus autem illic nobis priorem missam festive de Spiritu sancto, rapta est in exstasim, ac per longum tempus (ut referebant nobis sorores) quieta permansit, sicut mos illi erat in tempore excessus sui, quando aliqua ei divinitus revelabantur. Post hæc autem cum ad se ipsam rediisset, sciscitabamur ab ea, quomodo se habuisset, et utrum aliquam consolationem a Domino accepisset, et referebat nobis dicens : « Vidi in visione spiritus mei sanctissimam Dominam nostram et proxime ei assistentes B. Ursulam reginam et S. Verenam (60*), cujus corpus apud nos est; simulque omnes sanctas virgines, quarum reliquiæ huc allatæ fuerant, multitudinem videlicet copiosam, omnes mirifice coronatas et ingenti claritate vestitas et habentes in manibus palmas victoriæ.

117. Allocuta sum autem Dominam nostram, quæ stabat in medio sancti agminis illius; dixique ad eam : « Ad te, dilectissima Domina, querelam facio ex toto corde meo super omni tribulatione mea. Habeto misericordiam super hoc, quod ego contrita et afflicta, tam multis laboribus, tam innumerabilibus ærumnis a juventute mea usque ad hanc diem, etiam nunc tam intolerabile martyrium sustineo in hoc miserabili corpore meo. » Et respondit cum magna dulcedine, dicens mihi : « Dilecta mea, Dominus noster ita tibi hanc vitam constituit, ut contingat tibi pati in ea multas molestias, multasque afflictiones, ac magnam parvitatem; misereb[illegible]r autem tui, et de omnibus bene consolabitur te. Voluntas ejus est, ut per ista te purificet, ac talem te efficiat, ut cum transieris de mundo, nihil molestiæ de cætero patiaris. Habeto ergo patientiam in omnibus malis, quæ sustines, et nihil murmures adversus Dominum in corde tuo, quia omnia in bonum tibi convertet. Aspice istas, quæ stant in circuitu meo, quomodo coronatæ sunt, et quantus est decor earum. Perpessæ sunt angustias multas, et valde dura martyria propter Dominum, et ideo non solum honorem habent ante Deum, sed etiam ab hominibus multum honorificantur, et late eis in mundo servitur. » Adjecit, et dixit : « Vere dico tibi, quod, si possibile esset, ut uno die triginta vicibus combureris usque ad cineres, ac toties iterum ad humanam integritatem redires, non posses tali pro eo afflictione promereri gratiam illam et gloriam, quam Dominus tibi conservavit in cœlis. » Iterum dixi ad eam : « Metuo, Domina, ne forte scandalizentur homines in infirmitatibus meis, et æstiment pro aliquibus gravioribus peccatis me ita torqueri, atque hac etiam occasione detrahere velint gratiæ Dei in me, et diffidere iis, quæ Dominus operatus est mecum. » Et illa rursum ad me : « Nemo, inquit, sapientium faciet hoc. »

118. Ab illo tempore de die in diem magis invaluerunt infirmitates ancillæ Domini, et quotidie aliquid novæ molestiæ ei accidebat; maxime autem a doloribus vitalium coarctabatur, quibus nulla ope poteramus obviare. Refectione autem tam modica per languoris sui dies usa est, ut esset incredibile humanum corpus posse sustentari in ea per aliquod tempus, et id ipsum, quod sumebat, importunitate tussis excutiebatur. Tam immobilis animi permanebat cunctis illis diebus usque ad exitum suum, ut nunquam vel semel ad lacrymas eam permovere possent lamenta sororum et familiarium ejus, timentium de morte ipsius; cum tamen facili ex causa in lacrymas prorumperet, dum adhuc incolu-

(59*) Pentecostes anni 1165 (quando Pascha celebratum fuerat 4 Aprilis) incidit in 23 Maii.

(60) Cella intelligitur monasterium virginum (uti clarius infra num. 242 apparet) ad cujus ingressum ipsæ processionaliter dispositæ excipiebant monachos, in ecclesiam suam deducendos.

(60*) De S. Verenæ corpore, Schonaugiam delato ad an. 1156 agit sermo de Ursulanis, statim in principio; eaque dicitur apparens Elisabethæ, omnia illa narrasse de historia martyrii, quæ fidem nunquam invenient bene expensa; quod tamen non obest, quo minus illa vere apparuerit Elisabethæ, atque hinc nata occasio sit, dicta, non dicta comminiscendi.

Digitized by Google

mio esset; si quando etiam remissius habere videbatur, gaudentibus circa eam sororibus, et verba lætitiæ loquentibus, nullatenus tamen a severitate faciem relaxabat. Strato jacere, aut somno quiescere non eam sinebat doloris vehementia; sed sedens pene nocte ac die, imperturbato sensu mentis provide tractabat (61) multa, de quibus vix eam cogitare posse arbitrabamur.

119. Narraverat nobis ante dies infirmitatis istius, quod quadam die solemni, dum adhuc incolumis esset, vidit in spiritu beatam Dominam nostram, et in oratione sua devotissime illi commendabat vitam suam, et finem vitæ suæ dicens: « Adjuves me, oro, sanctissima Domina, propter clementiam tuam, ut rationabilis fiat exitus vitæ meæ; et ut nunquam mihi transire contingat de hoc mundo, quin omnia in me fiant, quæ pertinent ad obitum hominis Christiani. » Et illa cum magna benignitate respondit ei dicens: « Certa esse debes, quod obitus tuus non solum erit sicut hominis Christiani, sed sicut hominis sancti. » Et vere hanc in ea promissionem per gratiam Dei vidimus adimpleri. Nam et omnia sacramenta, quæ ad transitum Christianorum pertinent, plenarie ei exhibita sunt, ac præterea in tantum benedixit novissimis ejus Deus, ut evidenter singularis gratia ejus in ea agnosceretur et glorificaretur a multis. Videns enim ingravescere morbum super se et considerans se omnino destitui viribus corporis, vocari ad se petiit spiritualem Patrem nostrum dominum abbatem (62); et ipso præsente totam congregationem sororum aggregari fecit ante se; et inter summos dolores, quasi nihil sentiret mali, sedens, cum magna fortitudine spiritus allocuta est eas longo et rationabili sermone, de quo, etsi præsens essem, pauca verba hæc in memoria mea permanserunt.

120. « Nolite, inquit, mirari, charissimæ, super infirmitatibus meis, sicut homines imperiti; neque diffidatis gratiæ Dei in me, propter castigationes ejus, quas sustineo et sæpe sustinui in medio vestri. Conversatio mea bona est apud Dominum, et certissime agnosco, quod per ea, quæ patior, præparat et exornat coronam meam Dominus in regno suo. Ipse non propter merita mea, sed propter misericordiam suam, jam ab annis pluribus operatus est in me magna et temporibus nostris inaudita; et scio quantam multi sunt in populis, qui fideliter et benigne hoc perceperunt et per ea ædificati sunt in bonum, multi vero diffidentes scandalizati sunt in iis, quæ audierunt de me, non illis imputet Deus. Vobis autem dico et confidenter, per illud iter, quo ad regnum Dei perreceturam me spero, quantum hæc, quæ vidistis in me et audistis ex me, vera sunt, et nihil simulationis et fallaciæ ad hæc unquam adjeci, Dominus mihi testis est. Sint vobis ista præ oculis semper, et estote emendatæ per hæc amplius, quam cæteri hominum; ne forte imputet vobis Dominus magis quam aliis, qui non tam veraciter ista perceperunt. Gratias agite Domino semper, et collaudate eum in omnibus mirabilibus suis, quæ operatus est mecum in conspectu vestro, quia in his singularem honorem vobis præ cæteris claustralibus præstitit. Concordes estote, et diligite invicem, et ordinem vestrum cum magna diligentia custodite. Paupertatem vestram patienter sustinete. Animæ meæ fideliter et cum seria mente curam gerite: neque aliquid negligatis ex iis, quæ pertinent ad debitum meum, pro eo quod æstimetis non indigere me suffragiis orationum vestrarum. Hæc autem dico, quia sæpe, qui religiosi videntur, negligi solent, dum ii, qui eorum bonam conversationem cognoverunt, cogitant non eos magnopere indigere adjutorio ipsorum. »

121. Et cum anxie ista loqueretur, dominus abbas subjecit hæc verbis ejus, dicens: « Confidimus, quoniam promissio Dominæ nostræ implebitur in te, qua tibi perpetuam quietem promisit post tribulationem hanc; veruntamen quod postulas, nullo modo negligemus. » Ad hæc illa respondit: « Promissioni dilectissimæ Dominæ nostræ nullatenus diffido, sed nihilominus quod meum est facere debeo et sollicite providere animæ meæ. » Itemque ad sorores aiebat: « Si quid in me, charissimæ, Deum unquam offendistis, ipse indulgeat vobis, et ego ex corde remitto omnem offensam. Vos quoque, si feci quidquam in vobis quod facere non debui, quæso, indulgete mihi. Nondum ego quidem aliquid certitudinis accepi a Domino de fine vitæ meæ, veruntamen justum est, ut habeam sollicitudinem de tutela animæ meæ et disponam de iis quæ pertinent ad exitum meum, ideoque postulo unctionis sacramentum. » Cumque hæc et his similia multa supra vires suas locuta fuisset, petiit a domino abbate, ut advocari faceret plures ex senioribus presbyteris et inungeret eam, et sic factum est. Cumque post hæc confessionem fecisset, distulimus consulto, propter stomachi infirmitatem et tussis importunitatem, dare ei Dominici corporis sacramentum.

122. Nocte vero sequenti in tantum aggravata est infirmitas ejus, ut putaret se continuo transituram, et dum anxiaretur propter dilationem Dominici corporis, elevatis ad cœlum manibus oravit ad Dominum dicens: « Salvator mundi, Domine Jesu Christe, obsecro te, per illam sanctam passionem tuam, in qua te per totum expandisti super lignum crucis, ad redimendum mundum et ad amplexandum omne quod redemisti, ut non me patiaris unquam de hoc mundo transire, antequam percipiam tuum sanctissimum corpus ad consolationem et munimen animæ meæ. Recordare, Domine, quoniam sæpe illud suscepi cum intima de-

(61) Improvisum, *prudo jacebat*, quod nullum omnino lectionis vestigium.

(62) Hildelinum, teste Trithemio, adhuc superstitem.

Digitized by Google

votione cordis mei, et cum multa lacrymarum effusione, et non sinas me in novissimis meis carere benedictione hac. » Et dixit una sororum vigilantium cum ea : « Memento, domina, quod in quadam visione tua dixit ad te vox divina, cœpi et perficiam. Hinc ego confido, quod non sinet te Dominus sic ex improviso transire, quin adhuc aliquam manifestam consolationem ab eo percipias et majorem certitudinem finis tui. » Et gratanter recepit responsionem hanc : « Exaudivit autem Dominus desiderium ejus, quoniam tunc dilatus est transitus ejus, postea communicavit ante finem. » Æstimans autem ego posse eam adjuvari arte medicinæ, et metuens ne forte ad insipientiam et inhumanitatem mihi imputaretur, si negligerem attentare hoc, perrexi cum festinatione in urbem Moguntiam (63) consulere medicos et comparare medicinas. Sed sicut erat voluntas Domini tollere eam de hoc mundo, nihil ex omnibus, quæ requirebam, inveni.

123. Ipsa autem nocte (qua eram illic) infirma nostra solito more erat sedens in lecto, et sorores cum ea vigilantes. Circa medium autem noctis, cum diligentissime Dominum orasset et finem suum ei commendasset, cœpit graviter anxiari, et ita a priori statu mutari, ut jam putaretur transitura; et post multam anxietatem in exstasim venit. Sorores ergo, quæ in circuitu erant, undique eam aspicientes, nimium stupefactæ et finem adesse putantes, discurrere cœperunt aliæ ad afferendum cilicium, in quo deponeretur, aliæ ad evigilandum conventum sororum. Quæ cum venissent, iterum attrahere spiritum cœpit et redire ad se ipsam. Et dixit cum silentio ad unam sororum, quæ proxime ei accumbebat tenens eam in brachiis : « Nescio quid mihi est : lux illa, quam ex consuetudine in cœlis aspicio, dividit se. » Et amplius non adjecit. Tunc singulæ sororum procumbentes ante eam, veniam petebant ab ea, rogantes, ut omnem offensam eis indulgeret. Hoc autem illa cum magna benevolentia ac prudentia faciebat : et e converso quantum potuit, seipsam humiliavit ad eas, tanta discretione per omnia utens, ut manifeste Spiritus sancti gratiam in eo considerarent. Tunc una sororum interrogabat eam secreto dicens : « Charissima, nunquid adhuc aliquid tibi signi demonstratum est a Domino, aut aliquam vocem percepisti, unde possis agnoscere finem tuum? » Et dixit : « Nondum quidquam tale percepi. » Post hæc dixit sororibus, ut abiret conventus ad cantandas Matutinas : tempus enim jam erat.

124. Et dum sorores, quæ in circuitu ejus erant, psallere cœpissent, iterum in exstasim venit. Et cum jam complevissent officium Matutinale, respiravit et ad se ipsam reversa est. Et dixit quibusdam illarum, ut irent quiescere. Et manentibus cum ea iis, quæ maxime familiares erant, dixit una illarum : « Charissima, dic nobis, si potes, qualiter te habueris in hac exstasi, et si aliquid tibi a Domino revelatum est, aperi nobis. » Et dixit : « Nondum possum, paululum exspectate. » Et cum aliquantulum collegisset vires ad se, dixit : « Visiones sanctas, quas olim in summis festivitatibus videre solebam, et de quibus mihi dictum erat ab angelo Dei ante plures annos, quod non essem eas visura usque ad obitus mei tempus, nunc mihi Dominus demonstravit; hoc ergo est mihi certissimum indicium finis mei. Rogo tamen, ut adhuc sileatis super hoc, neque multum divulgetis. » Post hæc cum conventus sororum jam Matutinas decantasset, venit una ex maturioribus quæ dixit ad eam : « Dic nobis, dilectissima, si aliquid a Domino consolationis accepisti. » Et respondit : « O quam bonam consolationem accepi ! » Et quia vires non habebat dicendi, sorores, quæ audierant ab ea, dicebant in audientia ipsius, tam illi quam cæteris, quæ jam confluebant, quænam fuisset visio quam viderat. Et factus est fletus magnus inter eas. Tunc confortata spiritu, et sedens, allocuta est omnes hoc modo :

125. « Dilectissimæ meæ, in hac re habete certitudinem finis mei, et testimonium verum omnium eorum quæ Dominus mecum operatus est. Rogo et admoneo vos, ut stabilem fidem adhibeatis iis quæ fecit Dominus coram vobis in me, neque diffidatis unquam, et ego credo operibus ejus, et testimonium eis perhibeo morte mea. Ipse hactenus operatus est in me, et usque in finem operatur; vos illi semper gratias agite singulariter super omnibus his. Semper insidiatus est mihi Satanas, et multos laqueos posuit mihi; et scio, quod etiam post obitum meum non desistet adversari mihi, et corrumpere famam meam, et obscurare ea quæ fecit Dominus mecum. Ego ab adolescentia mea multa passa sum inter vos dura et intolerabilia corpori meo, in infirmitatibus multis, et penuria necessitatum mearum, et in laboribus quos assumpsi. Et postquam cœpit Dominus singularem gratiam suam ponere in me, graviora passa sum, quam prius : non specialiter propter aliquas iniquitates meas, sed ut per meos labores, quos foris vidistis in me, comprobarentur ea quæ occulte Dominus mihi demonstravit, ut tanto magis credibilia essent, tam vobis quam aliis hominibus, qui hæc erant percepturi. »

126. Tunc sorores unanimiter ad eam dixerunt : « Domina dilectissima, quandoquidem jam amplius habere non possumus te ipsam, rogamus, ut denomines nobis aliquam personam inter nos, quæ magisterium super nos, cum Dei voluntate, possit habere, et hanc cum omni benevolentia gratantissime

(63) Solum enim 6 horis distat Moguntia a monasterio; videtur autem illuc obiisse Egbertus feria II post Dominicam Trinitatis. Nam constat ex num. 131, feria IV noctem fuisse, et decimum ante mortem diem, quo de morte sua certificatam virginem redux Egbertus invenit, qui tamen consulendis medicis, et quærendis medicinis, unum saltem diem debuit impendisse.

Digitized by Google

suscipiemus. » Et dixit : « Consilium meum est, ut ipsam, quæ post me prioratum (64) habuit inter vos, et bene atque competenter omnia fecit, quæ ad officium ipsius pertinebant, assumatis in locum meum : ipsam honorate, et diligite, et supportate eam propter Dominum, quandiu dimiserit eam. Novit Dominus, quod non propter cognationem, quæ est inter me et illam, aut propter aliquam singularem dilectionem hæc dico ; sed quia confido ita placitum esse Domino, et quod expediens erit vobis. Dominus de cætero vos consoletur, et per omnia vos edoceat, quæ placita sunt illi. » Susceperunt autem gratanter consilium ejus, et ipsam, quam denominaverat, postea a domino abbate postulaverunt sibi dari in magistram, et consensit petitioni earum.

127. Cum autem finem fecisset verborum quibus sorores alloquebatur, dicebat ad eas quæ familiariter ei ministrabant : « Heu ! quid fiet de fratris mei absentia ? Heu super medicinis, quibus mihi negotiatur ! Quid ad me pertinent medicinæ ? Mittite, obsecro, cum omni festinatione nuntium ad revocandum eum ; » et sic fecerunt. Erat autem feria quarta. Mane autem facto, mox advocatus est dominus abbas, et sedente eo coram ipsa, narraverunt ei sorores visionem, ex qua de morte sua certificata fuerat. Nam et ipsa ad narrandum vires non habebat. Qui cum audisset narrantium verba, dixit ad eam : « Nunquid ista ita se habent ? » Et ait : « Ita, mi domine, et hinc habeo certissimum testimonium mortis meæ. » Mox ergo ipse ad servitium Dei accedens, de sancta Trinitate officium celebravit, pro eo quod sanctæ Trinitatis mysterium sibi ancilla Domini in visione præfata revelatum fuisse testabatur ; eo modo quo et ante decennium ei fuerat demonstratum in eadem visione. Expleto autem divino officio, sancta eam communione munivit, et dicta est litania cum multa devotione tam fratrum quam sororum, ubertim lacrymantium super eam.

CAPUT X.

Extrema vitæ mortisque sanctæ periodus et salutaria monita sub ea data.

128. Post hæc circa horam nonam adveni ego, et cum multis omnium lacrymis susceptus sum, ita ut eam jam obiisse æstimarem ; quod cum requisissem ab iis, qui mihi lacrymantes occurrerunt et adhuc vivere eam dixissent, eram adhuc sperans de vita ejus. Et cum intromissus fuissem, sedentem inveni, et loquentem ; et tantarum lacrymarum, quæ erant in circuitu ejus, causam vehementer admiratus sum, nullam adhuc videns similitudinem mortis. Et cum paulùlum sedissem coram ea, allocuta est me, dicens : « En morior, dilectissime frater, et nullatenus ad hanc vitam convalesco. » Et ego corde percussus in hoc verbo, aio ad eam : « Unde hoc nosti, charissima ? » Et ait : « Visionem illam magnam, quam ante plures annos videram, de qua dictum fuerat mihi, quod non eam essem visura usque ad finem vitæ meæ, Dominus mihi nocte ista ostendit, et hinc certa sum, quoniam finis vitæ meæ advenit. » Illis auditis, ego visionem recognoscens et verba angeli, qui de fine vitæ ejus prædixerat, in memoriam revocans, utpote qui post eam omnia propriis manibus scripseram (65), continuo omnem spem sanitatis ejus et vitæ deposui. Et cum ab intimo cordis dolore lacrymarer coram ea, nullam omnino similitudinem doloris faciebat ; sed immobili permanens animo, dixit ad me : « Scito, dilectissime, quia nulla est tristitia mihi pro discessu meo, et quia absque omni dolore separor abs te ; quamvis præ omnibus hominibus dilectus fueris mihi, quoniam super omnem cibum et super omnem potum esurio et sitio regnum Dei. » Et dixi : « Non ego nunc ad similitudinem prophetæ præsumo orare, ut fiat spiritus tuus duplex in me ; sed si simpliciter mihi dare spiritum tuum Dominus vellet, sufficeret mihi. » Et ait : « Charissime, voluntas Domini fiat in te. »

129. Post hæc completa hora orationis nona, rursus advenit dominus abbas cum toto fratrum conventu ; iterumque ipso inchoante dicta est litania cum multis lacrymis. Et post benedictiones factas super eam, rogavit illa dari audientiam sibi ab omnibus. Et sedens constanti animo allocuta est nos, et gratias agebat omnibus nobis pro omni beneficentia sibi impensa et pro cunctis laboribus, quibus laborassemus circa ipsam, et exhortata est nos prudentissime ad concordiam et ad tolerantiam paupertatis et ad serviendum Domino indeficienter. « Unusquisque, inquit, vestrum pro se studiosus sit, ne in ipso defectum habeat servitium Domini. Scio autem et sæpius revelatum mihi est a Domino, quod benedixit Dominus locum istum singulari benedictione, et non deficiet in eo laus ejus et cultus ejus usque in novissimum tempus (66). Vos ergo singularem ei gratiarum actionem semper exhibete, pro eo quod specialiter locum istum præ aliis claustris honoravit, per eam gratiam, quam in me operari dignatus est. » Et cum multa in hunc modum exhortata fuisset, ad me quoque exhortationem adjecit, rogans et suadens, ut stabilitatis perseverantiam servarem ; neque aliquando vellem derelinquere locum, etiam si contingeret vocari me ad locum honorabiliorem et magis opulentum. Omnes autem gratantissime suscepimus verba admonitionis ejus,

(64) *Priorissam* vulgo dicebant, aut forte *subpriorissam* ; siquidem eadem magistra, et priorissa dicebatur : nomen optaremus Schonaugia discere.

(65) Interim nihil apparet in præmissis duobus visionum libris : scripserit ergo eam, sed ipsa vivente minime vulgandam putarit Egbertus ; æque ac plurima alia ; hic vero satis habuerit sic obiter meminisse visionis istius.

(66) Hactenus certe, etiam sub principe acatholico, post tot monasteriorum superiori sæculo factam desolationem, adhuc disciplina Schonaugiæ viget apud viros ; licet parthenonis, sola platea intercurrente distantis, vix cernantur nunc vestigia, hinc inde ex raris parietinis cognoscenda.

Digitized by Google

quoniam manifeste in ea operari spiritum Domini considerabamus. Et dixit ad eam dominus abbas : « Admonitiones tuas, dilectissima, gratas habemus. Rogamus autem, ut postquam ad Dominum migraveris, nos illi diligenter commendes, ipsumque semper ores super locum hunc, ut habeat eum in tutela et pace sua. » Et annuit similiter petitioni ejus.

130. Post hæc ad invicem conjunctis manibus extendit eas ad ipsum, et ait : « Domino Creatori meo commendo animam meam, et post ipsum tibi, dilectissime Pater, et rogo, ut ipsi eam in novissimo die præsentes; quia tua spiritualis filia sum et te sicut debui dilexi, et obedientiam debitam servavi. » Qui eam cum lacrymis suscipiens, ait : « Spero, quod lætabunde offeram te Domino. » Post hæc, rursum illa ait : « Non miremini, quod sic anxie tracto de cunctis quæ pertinent ad exitum meum, quia necesse est hoc me facere, dum adhuc aliquas vires habeo, ne forte cum omnino defecerit virtus mea, in aliquo imparata inveniar. » Discedente autem ab ea domino abbate, ait : « Maneat super vos omnes, dilectissime Pater, benedictio illa, qua benedixit Dominus Salvator discipulos suos, quando ab eis ascendit in cœlum : » singulos quoque fratrum indefesso animo allocuta est, commonens eos de profectu virtutum, et orationibus eorum se commendans : neque solum presbyteros interpellans de offerenda pro se hostia salutari, sed et diaconos, cum ad gradum altiorem ascendissent. Petentibus autem singulis, ut aliquos psalmos illi commendaret dicendos in memoriam ipsius; primum illorum rogabat, ut ob consolationem, quam sperabat a Domino consequi de tribulationibus suis, diceret psalmum : *In convertendo Dominus captivitatem Sion;* alteri vero commendabat psalmum : *Lauda, Jerusalem, Dominum;* alii : *Lauda, anima mea, Dominum:* alii : *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus;* alii : *Te decet hymnus, Deus, in Sion:* alii : *Fundamenta ejus in montibus sanctis;* alii : *Deus, in nomine tuo;* alii : *Dominus regnavit, exsultet terra.*

131. Mirabantur autem inter hæc vehementer animi ejus fortitudinem, et plenitudinem sensus, considerantes infirmitatis ejus magnitudinem, et defectum corporalis virtutis : a principio enim infirmitatis suæ, pene nullo usa erat cibo, qui non excuteretur a stomacho ejus, a tussis importunitate. Ab illa autem quarta feria, qua de morte sua certificata est, usque ad decimum diem, quo obiit, nulla omnino refectione usa est, nisi sola frigida aqua : excepto quod quadam die, cogentibus nobis, pauca fraga sumpsit, et modicum pomi unius, sed hæc ipsa non retinuit. Sorores quoque circa se aggregatas post hæc longo sermone allocuta est, monens diligenter de omnibus quæ necessaria erant : cunctisque singillatim deosculatis, in fine sermonis adjecit dicens : « Charissimæ meæ, angelus Domini, qui mihi in custodiam delegatus fuit, magnam circa me diligentiam habuit semper, et multa mihi bona ostendit, et tam vos, quam alios per me sæpius consolatus est, cum magna benignitate : unde rogo, ut gratias illi semper agatis, et speciale ei obsequium singulæ exhibeatis ac dicatis ad honorem ejus quotidie psalmum : *Dominus regnavit, exsultet terra* » Quinta autem feria, in tempore divini officii, Dominum Salvatorem diligenter invocabat, quem se videre testabatur in ea visione (67), quæ descripta est in libro Viarum Dei; petivitque ab eo, ut ab intolerabili vinculo languoris sui misericorditer absolveret eam. Ad quod respondit ei dicens : « Cito venio, et absolvo te. »

132. Sabbato (68) quoque post hæc, dum divinum officium de Domina nostra celebraretur, eamque in supernis aspiceret, et de absolutione sua similiter ei supplicaret, dixit ad eam : « Hæc infirmitas tua est ad temporalem mortem, et visio, quam vides, non auferetur a te, sed eris videns eam usque ad horam qua veniam ad te, cum honorabili comitatu, et suscipiam animam tuam, et deducam eam ad refrigerii locum, ubi requiescat a cunctis laboribus suis. » Erat autem tota illa die in nimio defectu, et beatæ Dominæ nostræ, quasi præsens esset, continue intendens, et voce tenui, ac miserabili jugiter eam inclamans. Nocte autem Dominica, aliquantulum confortata est spiritu, post desideratum adventum sororis nostræ, mulieris Deum timentis, quam ad exsequias ejus vocaveram ex longinquo (69). Tunc congregatis in circuitu ejus sororibus, sicut erat sedens in lecto, levatis sursum oculis, et tota intentione cordis, cum magna sanctorum verborum affluentia, oravit Dominum, dicens : « Domine, creator meus, liberator meus, salvator meus, susceptor meus, tuæ sanctæ majestati, tuæ individuæ Trinitati commendo animam meam ad suscipiendum, ad consolandum, ad salvandum. Rogo te, Domine, per sanctam incarnationem, per tuam sanctam nativitatem, circumcisionem, oblationem, baptismum, passionem, resurrectionem, ascensionem, per adventum Spiritus sancti, per tuum judicium futurum, ut me digneris absolvere ab his vinculis meis, et animam meam illuc velis perducere, ubi consolationem recipiat de omnibus tribulationibus suis. »

133. Et cum multa in hunc modum orasset, addidit usitatas laudationes Domini, dicens : « Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paracletum, sanctam et individuam Trinitatem toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus, tibi gloria in sæcula. Benedicta sit creatrix et gubernatrix omnium, sancta et individua Trinitas, et nunc et semper et per infinita sæculorum sæcula. » Itemque addidit, dicens : « Commendo animam meam dominæ meæ S. Mariæ, perpetuæ virgini, ad suscipiendum et conso-

(67) Scilicet visione 1, num. 86.
(68) Id est 12 Junii.
(69) Sic etiam infra num. 140 dicitur ex longinquo accersitus frater; unde conjiciendum datur, omnium patriam longius fuisse remotam Schonaugia : eam tamen nusquam nominari mirum est.

Digitized by Google

laudum et conservandum; S Michaeli et universo exercitui cœli, S. Joanni Baptistæ et sanctis prophetis omnibus et S. Joanni Evangelistæ, sancto Petro, cunctisque sanctis apostolis; S. Stephano, cunctisque sanctis martyribus; S. Nicolao et omnibus sanctis confessoribus; S. Margaretæ et omnibus sanctis virginibus; omnibus sanctis Domini, ut sint mihi intercessores apud Dominum et animam meam, cum de hac vita migraverit, suscipiant et adjuvent eam apud Dominum ut ibi collocetur, ubi cum sanctis animabus consolatione perpetua frui mereatur. »

134. Et cum omnes sorores dixissent Amen, salutavit Dominam nostram, dicens : « Salve, Regina, mater misericordiæ, vitæ dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exsules filiæ Evæ. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte : et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende; o clemens, o pia, o dulcis Maria.

« Alma Redemptoris mater, quæ pervia cœli
Porta manes et stella maris, succurre cadenti
Surgere, qui curat, populo : tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum genitorem :
Virgo prius, ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere. »

« Te sanctum Dominum in excelsis, laudant omnes angeli dicentes : Te decet laus et honor, Domine; cherubim quoque et seraphim, sanctum proclamant et omnis cœlicus ordo dicens : Te decet laus et honor, Domine. Salvator mundi, salva nos omnes. Sancta Dei genitrix virgo semper Maria, ora pro nobis. Precibus quoque sanctorum apostolorum, martyrum et confessorum, atque sanctarum virginum, suppliciter petimus, ut a malis omnibus eruamur, bonisque omnibus et semper perfrui mereamur. »

135. Ad hæc Dominicam orationem addidit et Symbolum et confessionem ad circumstantes. Et novissime adjecit dicens : « Domine Deus meus, tu digneris suscipere omnia verba mea, quæ dedisti mihi, quia nullatenus ea habere potuissem, nisi tu mihi præstitisses. » Et dictis omnibus his, totis viribus defecit, ita ut jam moritura videretur, ac diu in eo defectu permansit. Sicut autem illi promiserat Domina nostra, erat (ut referebat nobis) continue videns visionem, quæ in præfata quarta feria apparuit ei; sed aliquibus temporibus manifeste magis, quam aliis, ita ut nonnunquam de supernis lucem magnam usque ad se effusam aspiceret; ac Dominam nostram cum aliis plurimis sanctis in tantum sibi appropinquare videret, ut jam se æstimaret transferendam. Cumque accideret hoc ei, toto sensu et toris viribus illuc convertebatur : neque loquelam habere poterat, aut ullam attentionem ad nos, ita ut jam adesse finem ejus æstimaremus.

136. Cum autem post unum, aut post duos dies loquelam recepisset, cœpit conqueri miserabiliter dicens : « Heu quid fiet, heu quid fiet! et hæc sæpius repetebat. » Interrogantibus autem nobis cur hoc diceret, ait : « Quos videbam mihi appropinquare, et de quibus æstimabam, quod jam tollerent animam meam, iterum alio ascendunt, et elongantur a me, et non a me tollunt. » Hoc autem sæpius infra illos decem dies contingebat. Una autem die videbat angelum Domini, qui familiaris ei erat, assistentem sibi ac dicentem : « Quod ita Dominus transitum tuum prolongat, ideo facit, ut tanto a pluribus glorificetur in te. » Et quidem ita factum est. Nam multi tam ex vicino quam ex longinquo, qui agnoverant gratiam Domini in illa, audientes verbum, quod exierat de instanti fine ejus, quotidie affluxerunt cum magno desiderio videndi eam. Et quamvis non habeamus consuetudinem admittendi extraneos ad infirmos nostros, ex consilio tamen plures, qui importuni nobis erant, ædificationis causa admissi sunt; metuentibus nobis, ne forte ex hoc ipso aliquid suspicionis conciperent, si ab omnium aspectibus diligenter fuisset occultata. Illa autem patientissime hoc ferens, et infirmitatis acerbitatem animi fortitudine dissimulans, sedere coram illis, ac secundum quod illis competebat de salute sua, admonere non pigritabat.

137. Hortabatur siquidem clericos, qui in presbyteratu erant, irreprehensibiliter vivere, ac bonis exemplis populum ædificare, quibus et dicebat : « Vestrum est, dilectissimi, Domino vos exhibere familiares magis cæteris hominibus, per bonam conversationem, et sanctum ministerium vestrum; quatenus in regno suo post hanc vitam sibi familiarius vos adjungat. » Eos vero, qui non in eo ordine erant, hortabatur non se subtrahere a familiaritate Domini; sed benevole se exhibere promotioni ad sacrum ministerium Dei, et de iis, quæ sunt Dei, sollicitos esse. Militares quoque personas hortabatur tueri plebem, subvenire oppressis, bonorum suorum decimas dare, abstinere a rapina, a vestium scissura, et pertusione, nec non a fornicatione; affirmans fornicatores non solum feriri pœnis gehennæ post hanc vitam, sed in hoc sæculo prolis infecunditate aut nimia infelicitate. Popularibus quoque suadebat fidelitatem servare dominis suis, et sibi invicem, et paupertatem suam patienter sustinere, et pro posse eleemosynas dare, devotos esse ad visitandas ecclesias, et ad invocandum Dominum creatorem suum. Non solum autem præsentes hortabatur in bonum, sed absentibus quoque nonnullis monita salutis mandabat, et detractionis offensam longe positis remittebat. Cunctos vero communiter deprecabatur, ut post obitum ejus in orationibus et eleemosynis ejus memores essent.

138. Denique si cuncta rationabilium sermonum ejus verba, sanctasque orationes, quas faciebat illis diebus, singillatim prosequi velim, certe non mediocris libri volumen me construere contingeret. Erat autem omnibus non parva admiratio super prudentia ejus, et glorificabant virtutem Dei in illa, cujus solius operatione id fieri poterat, ut tam fragili cor-

Digitized by Google

pore ancilla Domini tanto tempore sustineret absque omni alimento vivere, et nihilominus sic sederet affluens sermonibus tantæ discretionis. Juxta petitionem ejus fecit ei Dominus in hac re; nam sicut referebat nobis, sæpe a Domino postulaverat in orationibus suis, ut in fine ei præstaret sobriam infirmitatem, et quæ edacitatis expers esset. Singulis autem diebus ad tantum veniebat defectum, ut nihil aliud nisi finem ejus exspectaremus, et vel bis, vel amplius dicebatur Litania super eam; necnon evangelia Dominicæ passionis recitabantur. Sicut autem ad passionem Domini magnam semper habuerat devotionem, ita Dominus, et diem et horam passionis suæ defunctioni ejus destinavit. Nam in sexta feria mane dicebat iis, quæ in circuitu ejus erant, hodie omnes, qui mihi familiares sunt, diligentem custodiam mihi adhibeant, quia prope est hora mea. Et cum removeri fecisset lectum, erat sedens in pulvillo, et innixa uni sororum, et familiariter loquens mirabilia multa cum iis, qui aderant, usque ad horam sextam. Exinde cœpit laborare spiritus difficultate.

139. Tunc ergo adveniens dominus abbas cum presbyteris, rursus eam munivit benedictionibus, et Litania. Me autem suggerente ei de communione sancta, signum fecit mihi, quoniam glutiendi vires non haberet. Et quidem non hoc ei fore periculosum existimavi, si hunc abstineret, quia pridie communicaverat mea administratione. Post hæc nobis discedentibus, dicebat illi soror, cujus pectori accumbebat: « Tu nobis, dilectissima, indicare solebas de sororibus nostris morientibus, quali tempore adesset finis earum, et quando deponere eas in cilicium deberemus: nunc vero id ipsum de te scire non possumus, nisi ipsa indices nobis. » Et ad hoc quidem siluit, et post pusillum me festinato advocari fecit.

140. Et cum per modicum tempus coram ea quid futurum esset, præsciarer, tam ego, quam frater noster, clericus religiosæ conversationis, quem ad hoc ipsum ex longinquo advocaveram, cœpit vocis officio destitui et nihilominus orationes more solito volutare, levatis sursum oculis devote intendens ad superos. Novissime autem, quasi memor verbi quod dixerat prædicta soror, de indicanda hora depositionis suæ, extendit manum et cum magna celeritate tribus vicibus nobis significavit, ut deponeretur super cilicium, quod erat stratum coram eo. Quod cum fecissemus, sic ea jacente in leni agone, dicta est Litania semel a sororibus, secundo a domino abbate et fratrum conventu. Post hæc circa horam nonam, quasi suaviter obdormiscens reddidit spiritum Domino, XIV Kalendas Julii.

141. Tunc unus ex assistentibus presbyteris, diligens eam in Christo, in hanc vocem cum lacrymis erupit, dicens: « Proficiscere nunc, anima sancta, in requiem tuam; ascende sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii: intra in gaudium Domini tui. Domine Jesu Christe, Salvator mundi, suscipe animam, quam creasti; animam, quam sanguine tuo redemisti. O Maria, mater misericordiæ, suscipe nunc ancillam tuam. O Virgo virginum, agnosce nunc virginem tuam. Angele sancte, suscipe animam tibi commissam et deduc eam in pace, ubi quiescat a laboribus suis. Respexit autem Dominus humilitatem ancillæ suæ, quæ per omnia sibi ipsi despecta semper exstiterat; et honorificavit Deus novissima ejus, magnificis obsequiis populi nostri, qui usque ad tertium diem, Dominicum scilicet, quo sepulta est, undique per circuitum sponte confluxit. Et quidem, dum adhuc viveret et incolumis esset, frequenter de mortis suæ appropinquatione loqui solebat et optabat pia intentione, dicens: « Utinam migrare me contingat de hac vita sub tali tempore, quo nihil importunitatis aut molestiæ patiantur ab aeris intemperie. » Quod et factum est: non enim tota æstate placidius effluxerat tempus, quam illo triduo erat.

142. Et quamvis esset mœror nobis omnibus super discessu ejus, gratiosa tamen quadam jucunditate fruebantur omnium corda, congratulantium beatæ conversationi ejus. Quamvis autem immutabili consuetudine caveatur apud nos, ut nunquam extra limina cellæ procedat sororum congregatio: ob venerationem tamen singularis gratiæ Domini, quam evidenter in ancilla sua operatus fuerat, placuit venerabili Patri nostro, cunctisque pariter fratribus, ut cunctæ pariter discipulæ venerabile corpus magistræ et obsequium ei in sepultura exhibere permitterentur. Igitur per manus earum, quas ad hoc ipsa denominaverat, nec non et Beatricis comitissæ, quæ et infirmitati et funeri ejus devota adfuerat, reposita est in loculo secus altare, Domino omnibusque sacris virginibus dedicatum in ecclesia B. Florini (70). (Obiit) anno ætatis suæ XXXVI, XIV Kalendas Julii, feria sexta, hora nona, anno Domini 1165 (71), visitationis suæ anno XIII (72), ex quo eam visitaverat paterna gratia Domini nostri, qui in cunctis miserationibus suis sit benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

(70) Ex num. 70 apparet, solitas sorores in cæmeterio cum fratribus communiter sepeliri, ad eorumque ecclesiam deportari.

(71) Evidenti mendo impressum est quarto, de quo vide Comm. prævium.

(72) Scilicet expleto; nam anno 1152, 31 Maii cœpta est visitari, unde ascendendo ad ann. 1165, et 18 Junii habebis supradictos annos 13 dies 18.

Digitized by Google

BEATUS AELREDUS

ABBAS RIEVALLENSIS IN ANGLIA

VITA B. AELREDI

AUCTORE ANONYMO

(*Acta sanctorum Bolland.*, Januarii, t. I, die 12, pag. 748)

COMMENTARIUS PRÆVIUS

1. In Eboracensi provincia fluvius est Rhius, qui, ut Cambdenus in Brigantibus ait « multorum torrentum aquas secum in Derwentionem evolvit. » Ab hoc « vallis quædam læta, amœna, fecunda, XXIII parochialibus ecclesiis ornata, Rhidal dicitur, » quippe quam Rhius intersecat. Isthic celebre olim ordinis Cisterciensis cœnobium fuit, ipsius S. Bernardi ætate a Gualtero Especo fundatum. De quo Guillelmus Neubrigensis lib. I, cap. 14 : « Sane paulo ante a nobili viro Walterico Espec invitati, et felicis memoriæ abbate Bernardo directi monachi Claræ-vallenses in Eboracensem provinciam venerant, et in loco qui nunc dicitur Rievallis (tunc autem erat locus horroris et vastæ solitudinis), mansionem acceperant, præfato viro tradente, et venerabili Trustino episcopalem cum affectu paterno favorem præbente. » Eadem fere commemorat Harpsfeldius sec. 12, cap. 43.

2. Primus hic abbas fuit Willelmus, S. Bernardi discipulus, vir laudatus, qui a Chrysostomo Beatus appellatur, referturque in Menologio Cisterciensi, 2 Augusti. Ei successit B. Aelredus : huic Silvanus, quem idem 16 Aprilis celebrat. De iis hi versus referuntur Nicolai Rievallensis a Joanne Picardo in Notis ad Neubrigensem :

Primitias cepit Villelmus : proximus illi
Aelredus majora tulit : Silvanus adauxit.
Tres sunt præcipue meriti vix imparis, ille
Primus, et alter ei successor, et iste supremus.
Claruit officio V denis et tribus annis :
Ter senis fuit Æ pastor pius in Rievalle :
Ter denis ternisque simul S præfuit annis.
Tempora quattuor hic et quinquaginta recense.
Floruit, enituit, his Patribus atque patronis,
Vallis amœna Rii, vallis sacra, vallis opima.
Anglia de tali præfulges inclyta sole.

Anno 1131 inchoatum esse hoc cœnobium tradit Robertus de Monte, continuator Sigeberti : « Clara-vallis, inquit, duo cœnobia uno die producit, scilicet Longipontum et Rievallem, et post paucos menses Vacellas. » Eodem anno Valcellense auctarium ad Sigebertum isthæc habet : « Hoc anno inchoatum est monasterium S. Mariæ, Valcellensis Ecclesiæ, in agro Cameracensi. » Consentit Miræus in Chronico Cisterciensi. Id si ita est, ergo vel non ab inchoato, sed absoluto Rievallensi cœnobio Willelmi annos Nicolaus numerat, vel aliquod inest mendum, cum a 4 Martii 1131 usque ad 12 Jan. 1166, quo obiit Aelredus, anni sint fere 35, ipse vero Willelmo et Aelredo simul non nisi 31, tribuat. De anno fundati illius cœnobii varie disputat Chrysostomus Henriquez in notis ad Menologium 16 April.

3. Obiit porro B. Aelredus pridie Idus Januar., quo die hæc de eo Chrysostomus Henriquez : « In Anglia S. Aelredus Rievallis abbas, sacrarum litterarum scientia et morum integritate conspicuus ; qui, postquam dignitates sibi oblatas humiliter contempsisset, omnium virtutum genere decoratus migravit a sæculo, sanctorum numero post mortem adscriptus. » In Sanctorum album relatum fatetur ipse quoque Joannes Balæus, licet hostis monachorum Catholicæque Ecclesiæ. At 5 Jan. refertur in Kalend. Cisterc. Divione edito his verbis : « Aelredus doctor, abbas Rievallis. » Et in generali catalogo Ferrarii : « In Anglia S. Ealfredi abbatis Rhievallensis. » Sed quod in notis addit Rhovalium, sive Rhyum oppidum, ubi eum fuisse abbatem existimat, « in Cantio esse, a Londino XLVIII millibus passuum distans, » næ ille longe fallitur : nam procul a Londino Cantiique finibus abest Rievallis. Aliud est Rhium oppidum Sussexiæ ad Cantii fines. Ast Hugo Menardus 11 Jan. : « In pago Eboracensi S. Aelredi abbatis ordinis Cister-

Digitized by Google

ciensis. » Demum Martyrologium Anglicanum 16 Martii eum refert : in quo corrigendum primo quod ordinis Benedictini dicitur fuisse, deinde quod antiquo monasterio Rievallensi præfectus : nam qui potest antiquum dici, quod ipso vidente atque etiam fortassis adjuvante erat ædificatum ? Eodem quoque die Ferrarius : « In Anglia S. Altredi abbatis. »

4. Varie porro Aelredi nomen effertur : nam *Aelredus*, *Alredus*, *Ælredus*, *Elredus*, *Adelredus*, *Adilredus*, *Altredus*, *Athelredus*, *Ealredus*, *Hailredus*, *Eleredus*, *Ethelredus* dicitur ; quibusdam etiam *Aluredus*, Ferraria *Ealfredus*, Miræo *Valredus*. Priora duodecim ab eadem proveniunt radice, *athel*, sive *ethel*, *edel*, *eel*, *ael*, quod *nobilem* significat, et *rad*, sive *red*, consilium ; ut sit Aelredus, *nobilis consilio* : vel ab *al*, quod *omne*, vel *omnino* sonat, ut sit Alredus, *omne consilium*, vel *qui omnino consilio præstat*. Ast Ealfredus, et Alvredus, *omnino pacificus* est, a *fred*, sive *ured*, id est *pax*.

5. Vita B. Aelredi descripsimus ex Legenda Sanctorum Angliæ Joannis Capgravii, ab anonymo compositam auctore. Ejus meminit Trithemius lib. *De scriptoribus ecclesiastic.* appellatque eum, « virum in sanctis Scripturis jugi studio exercitatum, et sæcularis philosophiæ non ignarum, ingenio mitem, eloquio dulcem, devotione præcipuum. » Guilielmo Eysengrenio est, ad an. 1164, « doctrina et eloquentia vir clarus, sacrarum litterarum studiis doctus, et in primis eruditus. » Et ad ann. 1200 (videtur autem diversos Alredum et Ethelredum existimasse) « vir disertissimus, non minus vita quam eloquentia spectatus. » Exstat Guilielmi Neubrigensis ad ipsum Aelredum epistola, qua profitetur illius se hortatu historiam scribere, licet eam ipso vivente non perfecerit. Recitat Joannes Picardus in notis ad Neubrigensem carmen quod Nicolaus Rievallensis in Aelredi laudem cecinit :

Inclytus Aelredus, conditus aromate morum,
Et mellis favus, et dulcedo fuit monachorum.
Flore juventutis hunc regis (1) *regia fovit :*
Quæque nociva procul animoque manuque removit.
De Jericho venit in Jerusalem, duce Christo.
Hic cito fructificet, spinas in lilia vertit :
Sparsa recollegit, et in unum fracta redegit.
Celsior hinc factus, post cœlica præmia nactus,
Si libet et fas est hic dicere, vera retexam.
Nec reor ordiri quidquam de stamine falsi.
Maurus erat maturis moribus, et Benedictus
Exemplo ; similis Bernardo, cœlibe vita,
Virtutum specimen, vitiorum scopa, decusque
Ordinis et speculum, via pacis, fibula legis.
Prætulit exuvias Pauli Hieronymus auro
Cræsi : nostra pari decoratur gemma nitore.
Intitulant alios præconia multa : sed ipse
Pacificus Salomon fuit, et mansuetus ut agnus.
Antiquo de consilio, non multa revolvo.

(1) In ms. Jo. Picardi in margine erat additum *Scotiæ*.

INCIPIT VITA.

CAPUT PRIMUM.

B. Aelredi adolescentia, ingressus in Religionem.

1. Venerabilis Aelredus, cum infantulus in cunis jaceret, venit ad domum patris ejus archidiaconus quidam, nomine Willelmus, vir quidem præclarus genere, et secundum carnem Aelredo propinquus (2). Is enim ad infantulum respiciens, videt faciem illius in speciem solis conversam, et splendidissimis coruscare radiis, ut suæ manus appositæ umbra succederet : tamque serenus innotuit parvuli vultus, ut tanquam in speculo perfecte videri posset. Affirmavit ergo archidiaconus illum in oculis Dei magnum futurum, cui tanta gratia in sua infantia arrisisset.

2. Cum autem puerulus de puerorum ludo regressus domum intrasset, intuens eum pater, dixit : « Eia, fili, inquit, quales nobis edicis rumores? » Et ille : « Archiepiscopus Eboracensis hodie obiit, pater mi. » Ridet ille his auditis cum universa familia, et dixit : « Vere, fili, inquit, ille obiit, qui male vivit (3). » Et puer : « Aliter iste, pater : nam carne solutus ultimum hodie valefecit mortalibus diem. » Tertio vero post hoc die, quod puer prædixerat, cunctis de episcopi obitu verum apparebat.

3. In hospitio Rievallis, Eboracensis diœcesis et Cisterciensis ordinis, cum esset, pridie antequam ad habitum reciperetur, in cella novitiorum ignis in domo illa accensus, usque ad laquearium juncturas sæviens vehementer prævalebat, ut culmen ædificii præfecturam diu administratam ultro dimisit. At Thomæ ac Thurstini a plerisque pietas laudatur. Girardus variis fuit vitiis infamis. Sed si de eo hic agi velimus, fuerit sane Aelredus, cum anno 1166 obiit, plusquam 57 annorum, imo minimum 67, qui id anno 1108, puer pronuntiarit

(2) Ipsum quoque Aelredum Pitseus, Chrysostomus Henriquez in Phœnice cap. 7, et in Fasciculo lib. II, dist. 26, cap. 23, genere nobilem fuisse tradunt.

(3) Tres reperiuntur Aelredo adolescente sedisse Eboraci antistites, Girardus, sive Gerardus, qui anno 1108 obiit ; Thomas, qui 1114, et Thurstinus, qui

Digitized by Google

in momento consumere crederetur. Aelredus cum A cæteris ad mensam sedens, apprehendit scyphum, et extensa manu siceram quam continebat in medium flammarum cum fiducia projecit, et confestim flammam ignis exstinxit.

4. Adolescens enim tanto amore a rege Scotorum David (4) complexus est, ut quasi secundus in curia ejus factus, ad episcopatum eum promovisset, nisi ad Cisterciensem ordinem citius advolasset. Ita pium in omnibus et mansuetum se exhibuit, ut læsus non turbaretur ad iram, maledictis stimulatus non provocaretur ad vindictam : amorem pro odio, bonum pro malo, pro invidia obsequium semper reddere satagebat. Miles quidam, videns illum a rege præ omnibus amari, et plus cæteris honorari, illum persequi cœpit, et gravi odio insectari : B quandoque etiam coram rege illum verbis injuriosis appetere. Cui ille : « Bene, inquit, dicis, o miles, optime loqueris, et vera sunt omnia quæ dicis, et mendacium odis : meque, ut credo, diligis. » Tandem miles ille considerans Aelredum non turbari, a virtute in aliquo non avelli, pœnitentia ductus, veniam petiit, et firmum amicum de reliquo se illi fore spopondit. Cui ille : « Fateor, inquit, congaudeo pœnitentiæ tuæ, et idcirco multo magis te amabo ; quia odio tuo in amorem crevi domini mei, et patientia mea per hoc excitata et probata, forte aliquantulum profeci apud Deum. »

5. Veniens post hæc ad monasterium Rievallense, et habitum monachorum suscipiens, et in vitæ C conversatione proficiens, cum cura novitiorum sibi injuncta fuisset, quidam clericus ordinem intrans valde instabilis effectus, velut arundo mutabilis ferebatur. Super quo motus Aelredus, dixit Deo in corde : « Da mihi animam hujus, et quod ipse minus habet salutis, licet indigno gratia tua concedere digneris, Domine Deus meus. » Non multo post frater ille ad sæculum redire desiderans, rem magistro indicat, et desiderium pravæ mentis suæ exponit. Cui Aelredus ait : « Noli, frater, perire : nam non poteris, quanquam et velis. Et stultissimum est hoc ipsum velle, cujus contrarium cupiunt omnes sancti : omnes enim salvari desiderant. » Sed ille monita salutis non audiens, a monasterio recessit ; et per devia saltus tota die vagabundus D oberrat : et parum ante solis occasum ad viam rediens, subito infra murum monasterii transpositum se sensit. Aelredus obviam illi occurrens amplectitur collum ejus, deosculatur faciem ejus, et dicit : « Fili, quid fecisti mihi sic? Ecce flevi pro te hodie multis lacrymis : et credo in Deum, quod sicut petii a Domino, et tibi promisi, non peribis. »

6. Fecit enim in probatorio cacellam testeam ad modum parvulæ cisternæ sub terra, cui per occultos rivulos aqua influebat. Ne autem deprehenderetur, os ejus lapide latissimo claudebat. In illam intrans sæpe aqua frigidissima calorem in se omnium exstinxit vitiorum.

CAPUT II.

Præfectura, virtutes, miracula.

7. Idem frater, cujus animam Dominum rogavit ut sibi daretur, pristinæ mutabilitatis incendio conflagratus a monasterio recedere volebat, et veniens ad Aelredum tunc abbatem de Revesby (5) factum, dixit : « Domine, gravitatem ordinis levitas mea non sustinet. Res omnes contrariæ sunt naturæ meæ : diuturnos labores non fero. Angor et crucior in mora longa vigiliarum : laboribus frequenter succumbo manuum : vestium asperitas carnem penetrat : voluntas mea delicias appetit sæculares, et amores mundi et voluptates suspirat. — Et ego, inquit abbas, lautiores cibos et blandiora vestimenta tibi præparo, et omnia, quæ monacho debentur, portabiliora indulgeo. — Nolo, inquit ille : licet mihi dederis omnes divitias domus hujus. » Et abbas : « Nec ego gusto cibum, donec invitum aut volentem te reducat Dominus. » Currit alter ad portam, ut recedat ; alter in cubiculum intrat, et orat. Lamentatur pius abbas filium, et suspiriis intimis cordis erroneum plangit, et consolationem contemnit. Fugitivus autem ad portam veniens, januis apertis, quasi murum ferreum sensit, et sæpius exire tentans, cum propositum suum nullo conatu implere posset, ad abbatem compunctus redit ; et veniam petens, stabilitatem promittit. Cui abbas dixit : « Euge, fili mi, bene venisti ; vere misertus est mei Deus meus, qui te sanum reduxit. »

8. Nec multo post brachium cujusdam fratris tumore inflatum, signo crucis tumorem fugavit, et sanitati reddidit.

9. Factus post hæc abbas Rievallis, ita parcus in cibo exstitit, ut eum non hominem, sed spiritum esse putares. Numerum monachorum usque ad centum quadraginta et quingentos fratres in monasterio suo ampliavit. Licet enim calculo, et arthritica passione, ante obitum per decennium vexatus fuisset, in humilitate tamen et patientia perseverans, fratribus sæpius hoc dicere solebat : « Filioli, loquimini quæ vultis, tantum non exeat de ore vestro verbum turpe, detractio in fratrem, et blasphemia contra Deum. »

10. Scripsit enim Vitam S. Edwardi regis et confessoris (6), Vitam David regis Scotiæ (7), S. Mar-

(4) Hic Alexandro fratri successit anno 1125, ut habet Westmonasteriensis, qui « virum magnæ sanctitatis et munificentiæ » vocat. Ob. 1152. Hinc porro corrigas quod scribit Pitseus, postquam abbas jam esset creatus, innotuisse eum primum regi Davidi.

(5) Alii *Kenesby* scribunt. Monasterium fuit in diœcesi Eboracensi, a Rievallensibus erectum.

(6) Dedimus 5 Janu. Vitam S. Eduardi : sed ex iis quæ ibidem diximus, colligi potest alia de S. Eduardo ab Aelredo scripta, ac fortassis Vitam quæ isthic exstat, non esse genuinam illam ab Aelredo scriptam.

(7) Pitseus vitæ illius initium citat, « Religiosus et pius rex David, » additque scriptum præterea ab Aelredo, « planctum mortis ejusdem. »

Digitized by Google

garetæ reginæ Scotiæ (8); triginta tres homilias super onus Babylonis in Isaia (9); tres libros de spirituali amicitia; de natura animæ, et quantitate, ac subtilitate, libros duos (10), multas quoque scripsit epistolas (11): et quod in litteris commendavit, hoc in vita complere curavit. Digitum autem suum in os fratris cujusdam muti posuit, et ipsum loqui præcepit, dicens: « Loquere, mi frater, in nomine Domini. » Qui statim, omnibus admirantibus, respondit: « Libenter loquor tecum, benedicte domine. » Et Aelredi meritis confestim sanus effectus, laudes Domino referebat.

11. Syncopis (12) passio fratrem quemdam perurgens vexabat, ut neque vox neque sensus in illo appareret. Cui accedens abbas dixit: « Dilecte fili, salvet te Filius Dei. » Nec mora, omnis dolor in eo conquievit.

12. Quidam abbas ei subditus, multa convicia, improperia et blasphemias Aelredo inferens, eum injuste commovit, et spiritum ejus merito contra se provocavit. Cujus malitiam graviter ferens, ad cœlum oculos et manus elevans, dixit: « Domine Rex æternæ gloriæ, sentiat, quæso, cito iste finem malitiæ suæ, quia tu scis falsa esse quæ nomini meo nititur ascribere. » Cumque abbas ille cœnobium suum intrasset, in lectum decidit, et die septimo cum magnis cruciatibus vitam finivit.

13. Descendens in Galwediam (13) Aelredus, invenit regulum (14) terræ illius contra filios suos iratum, filios in patrem sævientes, et in se invicem fratres. Est autem terra illa fera, silvestris et barbara; bestiales homines et barbarum omne quod gignit. Veritas ibi non invenitur, sapientia locum non habet. Nam neque fides, neque charitas diu perdurat in ea. Castitas toties patitur naufragium, quoties libido voluerit, nec est inter castam et scortum ulla distantia: mulieres per menses viros alternant. Inter religiosos tamen quidam aliorum consilio et ductu satis religiosi existunt, sed propria industria raro perfecti. Sunt enim naturaliter hebetes, et animalem habentes spiritum, voluptatibus carnis semper intendunt. Invenit itaque Aelredus principes provinciæ ira et dissensione turbatos: quorum odia et rancores nec rex Scotiæ (15) humiliare, nec episcopus mitigare suffecit, multoque sanguine terram polluerunt. Quos Aelredus non tantum pacificavit, verum patrem filiorum habitum religionis suscipere inflexit: et qui multa millia hominum vita privaverat, vitæ participem æternæ fieri docuit.

14. In ore viri qui aquam potando ranam deglutiverat digitos imposuit, et elevatis oculis ad cœlum, dixit: « Domine Rex omnipotens, obsecro per Filium tuum Dominum Jesum, respice super hanc creaturam tuam, et fac huic sicut vis et scis. » Nec mora: rana ad digitos suos ascendit, et humore magno et putredine sequentibus, in terram cecidit.

15. Per quatuor ante obitum suum annos, ab omni vitæ præsentis jucunditate corpus absolvit: ob nimiam corporis maciem, et faciei extenuationem cutis ossibus adhærebat. Parum namque comedens et minus bibens, ciborum appetitum incredibili abstinentia exstinxit; medicorum consilia sprevit, et pro Deo corporis remedia contemnens, animæ sanitati consulere satagebat.

16. Legebat autem libros quorum lectio lacrymas elicere solet et ædificare mores, et maxime Confessiones Augustini manibus assidue portabat. Sedebat sæpe in fovea in solo oratorii sui facta, cogitans quia pulvis esset: ubi lux angelicæ visitationis resplenduit super caput ejus, et quasi cum hominibus, ita cum spiritibus cœlestibus loquebatur: et cum solus sæpe esset, plurimorum voces cum illo auditæ sunt.

17. Spiritu quoque prophetiæ claruit: nam fratribus quibusdam, antequam confiterentur, peccata jussit confiteri, et quæ occulte commiserant, prædixit, locum et tempus adjungens. Fratres duo cum nocte quadam in dormitorio exclamarent, et fratres ad horrendam eorum vocem excitassent, fratri illud in crastino Aelredo referenti, dixit: « Vere, fili, inquit, inter fratres nostros, nocte ista diabolus advenit, et aliquem seducere cogitavit, sed sine effectu attentatæ malitiæ cum confusione quantocius abscedere compulsus est. Verumtamen aliquantulum ei quispiam consensit. »

18. Post quemdam sermonem in capitulo factum, inter cætera fratribus dixit: « Videte, fratres, vitam vestram, corrigite mores, saluti vestræ intendite, quia pro certo affirmo, aliquis vestrum ad damnationem suam ad corpus Christi accedit, quem publicare nolo, ejus correctionem diligo, et rubori parco. » His cum admiratione magna auditis, qui reos se cognoverant, venientes secreta cordis sui ei aperire festinabant.

(8) Matris ejusdem Davidis. De ea agemus 10 Jun.
(9) Solum exstant 31 editæ a Gibbono.
(10) Pitseus habet: « De natura animæ librum unum. De dotibus animæ librum unum. »
(11) Pitseus: « Epistolarum trecentarum lib. I. »
(12) Est syncope, gravissima virium concisio, cum proximæ mortis periculo. Ea syncops dicitur vulgo medicorum.
(13) Gallwallia aliis, et Gallovidia dicitur, « ab Hibernis, inquit Cambdenus, qui olim occuparunt, et se Gael sua lingua contracte vocant, facta appellatione. » Regio est Scotiæ, Hiberniæ Angliæque finitima, quam novantes olim tenuere.
(14) Hic erat Fergusius, qui factus deinde Edenburgi ad Sanctam Crucem canonicus memoratur. Uethredum ejus filium Gilbertus frater natu minor prælio vicit et, lingua excisa oculisque erutis, misere vita et principatu exuit. Huic tamen postea Rolandus Uethredi filius successit.
(15) Scribit tamen Cambdenus, « Fergusium, post multas quas dederat turbas, eo a Malcolmo adactum, ut filium Uethredum obsidem dederit. » Sed verisimile est B. Aelredi consilio id potius perfectum a Malcolmo IV nepote Davidis, quam armis.

Digitized by Google

CAPUT III.

Eximia mansuetudo ; morbus, obitus.

19. Frater quidam aspiciebat in visu noctis, et vidit coram facie ejus quoddam excelsum ædificium artificiose constructum, amplum et venustum, unoque tantum ostio introitum ostendens. Fenestræ in illo nullæ, nulla foramina, nullum ibi lumen, nisi per parvum solis radium qui, ostio aperto, infundebatur. Ligna domus omnia odorifera et fragrantia erant. Quando propius accedebat, tanto in illius suavitate odoris amplius delectabatur. Et aspiciens per ostium, vidit lectum in pavimento positum, et in tecto jacentem abbatem suum. Cum autem ingressus abbatem mortuum videret, ubertim ejulare et flere cœpit. Et elevans oculos ad tectum domus, vidit imaginem hominis relucentem supra omne quod carnalis oculus in hoc mundo conspexit; totumque ædificium tanquam mille luminaribus illustratum refulsit. Per medium omnium membrorum imaginis ita clare vidit, ac si in parte altera præsens adfuisset. In medio autem domus imago in aere apparebat, subtus vel supra nullo adjutorio suffulta. Nubecula tamen quædam subobscura, juxta umbilicum visa est, quæ non adhærebat luci figuræ, sed ibi parumper notabilis dependebat. Et ecce vir a latere assistens, vultu et habitu gratus, fratri ineffabiliter admiranti ait : « Quid miraris? Quare non potius respicis ad Patrem tuum, qui ante te jacet, ut æstimas mortuum ? » Et ille : « Gloria, domine, hujus imaginis oblivisci me fecit mortem dulcissimi Patris mei. » Et alter : « Non est mortuus Pater tuus. Nam et figura hæc, quam vides, anima illius est. Tantum autem in operibus ejus restat illuminanda, sicut illa nubecula, quæ circa umbilicum movetur imaginis. Quod cum fuerit illuminatum, migrabit ad Dominum. Et ut scias, inquit, quod hæc imago anima illius sit, ecce ingreditur corpus ejus. » In ictu oculi, illa figura in corpus per os ejus illapsa, vidit statim abbatem se movere, quasi vellet de loco consurgere. Et præ gaudio frater ille ita valide exclamare cœpit, ut cæteros fratres de lectis surgentes, eum excitare cogeret.

20. Per integrum ante obitum suum annum tussis sicca pectus ejus ventilans cum aliis infirmitatum generibus in tantum debilitavit eum, ut sæpe missarum solemniis celebratis in cellam rediens, per unam horam nec loqui, nec se movere prævalens, immobilis in stratu cubaret. Demum vocatis in unum fratribus, inter cætera illis dixit : « Deum invoco testem quod nullius malitia, detractione, vel lite exarsi, ex quo habitum suscepi religionis, quæ aliqua commotione diei finem in corde meo valuit exspectare, semper pacem et fraternam salutem, et propriam quietem diligens. Hoc gratia Dei animo imperavi, ne turbata mentis meæ patientia solis occasum pertransiret. »

21. Dormienti cuidam fratri abbas infirmus apparens, dixit : « Quando, frater, putas transibo?— Nescio, domine, inquit ille. » Et abbas : « Pridie Idus Januarii migrabit ancilla Domini anima mea a domo sua terrena, quam hucusque inhabitavit. » Et factum est ita. Nam secunda die post hæc circa quartam vigiliam noctis, pridie Idus Januarii, migravit ad Dominum (16) anno Domini 1166 et anno vitæ suæ quinquagesimo septimo.

22. Abbas iste adhuc vivens, cum passione colica, et torsione calculi multum vexaretur, et super mattam juxta ignem sedens, inter genua caput prorsus habere videretur; supervenit frater quidam, fremens atque crudeliter dentibus frendens, et manibus suis abbatem cum matta apprehendit, et totis viribus in ignem projecit, clamans et dicens : « O miser, ecce modo te occido, modo te morte dura perdo. Quid hic jaces, fictissime? Amodo non erit quod mentiaris, quia nunc utique morieris. » Inter hæc monachi venientes, Patrem ab igne extrahunt, et zelo accensi in filium pestilentiæ manus injicere voluerunt. Sed oblitus infirmitatis, et charitatis memor, præcepit illis abbas, dicens : « Nolite, quæso, nolite, filii, Patrem vestrum tunica patientiæ spoliare. Non sum commotus, non sum læsus, turbatus non sum, quia filius meus est qui me projecit in ignem, et per hoc purgavit, non peremit. Filius meus est; sed infirmus est. Ego quidem corpore non sum sanus, sed sanavit me in anima infirmus ille. » Et apprehendens caput ejus deosculatur, benedicit, amplectitur, et, quasi nil mali sensisset vel passus fuisset, dulciter lenire studuit furorem irascentis in se sine causa.

(16) Subscribunt alii, Pitseus, Gibbonus, Henriquez in Phœnice et Fasciculo; verum hic in Menologio, quod postremo edidit, scribit migrasse anno 1200, ætatis suæ 50, Trithemius floruisse scribit circa an. 1200, Menardus 1161. Joannes Picardus ait translationi S. Eduardi interfuisse an. 1164. Probabile id quidem videri potest, etsi non recenseatur inter cæteros abbates qui tum adfuere. Verum non 1164, sed 1163, 13 Octobr., die Dominica, facta est illa translatio, ut supra 5 Januar. diximus.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA.

(Fabric., *Bibl. med. et inf. Lat.*, I, 14.)

Aelredus, Adilredus, Æthelredus, Ailredus, Ealredus, Eleredus, Aluredus, Edilredus, Ethilredus, educatus cum Henrico, Davidis Scotorum regis filio, deinde abbas, ab anno Christi 1150, Rievallensis, sive

Digitized by Google

Rhienvallensis (*Riedval*) in Angliæ diœcesi Eboracensi, ordinis Cisterciensis, defunctus a. 1166, de quo Carolus de Visch pag. 9 seq. Bibliothecæ Cisterciens. et Georgius Mackenzie tomo I operis *De vitis scriptorum scotorum*, Anglice editi, pag. 123 seqq. *Acta sanctorum*, 12 Januarii, tom. I, pag. 748, et qui diligentius de hoc Aelredo Oudinus tom. II, pag. 1487 seqq. Edita historici argumenti sunt quæ in Rogeri Twisdeni decem scriptoribus Anglis exstant Londini 1652, fol. *De bello Standarii* A. C. 1138, tempore Stephani regis, sive de virtute *Gualteri Espect*, Scotos profligantis, p. 337. *Genealogia regum Anglorum*, pag. 347, et *Historia de vita et miraculis S. Eduardi*, regis et confessoris (integrior quam apud Capgravium et Surium 5 Januarii), pag. 369. *Historia de sanctimoniali de Watthun.*, pag. 415. *Vitam S. Margarethæ*, reginæ Scotiæ, sed decurtatam, habet Surius 10 Jun., integriorem *Acta sanctorum* ad illam diem. Fragmentum ex opere *De rebus Angliæ* ad ducem Normannorum Henricum II, postea regem, continens Eadgari regis orationem ad episcopos et cœnobiorum præfectos, in Nic. Harpsfildi cap. 3 sæculi x *Historiæ Anglicanæ*, et tom. XXIII Bibl. Patrum a. 1677, pag. 164. seq.

Inedita memorantur apud Joannem Lelandum, cap. 199, Pitseum. pag., 229, Baleum II, 99, et alios : liber *De miraculis Hagustaldensis Ecclesiæ ; Vita S. Niniani* episcopi ; *Vita S Eduardi* scripta versu elegiaco ad Laurentium abbatem Westmonasteriensem ; *De vita Davidis Scotorum regis* libri II, ad Henricum II regem Angliæ : quorum posterior perstringit *Vitas regum Anglorum* ab Edelwulfo, Alfredi Magni patre, ad Henricum II *Chronicon* ab Adam ad Henricum I.

Quæ a Richardo Gibbono, S. J. edita Duaci 1631, et in Bibl. Cisterciensi tom. V, et in Bibliotheca Patrum edit. Lugd. 1677, tom. XXIII recusa, moralis et ascetici argumenti hæc sunt : *Sermones XXXI in Isaiæ* XIII, XIV, XV, XVI, ad G. Lundoniensem episcopum de onere Babylonis. Ex his sermo primus *de Adventu Domini* tom. II Operum Bernardi, pag. 568, Parisiis 1719, fol. *Speculum charitatis*, compendio primum, deinde libris III uberius expositum. *De spiritali amicitia* libri III, ad quos componendos testatur Lælii Ciceroniani lectione se fuisse invitatum. *De Jesu duodecenni* ad Luc. II, 42, tom. II. Bernardi, pag. 890, ubi quinque paginarum lacuna suppleta editionis Parisiensis 1609 inter Bernardi Opera, et in Davidis Camerarii III, 41, de Scotorum fortitudine, ibid. 1631. Homiliarum volumen ad Gilbertum episcopum Londinensem, sive *XXV Sermones* de tempore et de sanctis, in Bibliotheca Patrum omissi, sed obvii in Duacensi edit. et in Bibliotheca Cisterciensi Bertrandi Tissierii, Bonofonte 1662, fol. tom. V, pag. 162. *Regula ad inclusas moniales* ad sororem, in Holstenii codice Regularum, parte III, pag. 110, Romæ 1661, et Parisiis 1663, 4°, et in Appendice ad tomum primum Operum S. Augustini Benedictinorum, edit. Amstelod., pag. 640, sub titulo : *De vita eremitica ad sororem.* Pars etiam inter Anselmi Cantuar. Opera, meditatione 15, 16, 17.

Memorantur præterea ex ineditis : *Sagitta Jonathæ, De tribus hominibus, De diversis virtutibus, Super Cantica canticorum, De vinculo perfectionis, Dialogus de natura et dotibus animæ libris* II. *De XII abusibus claustralium, De lectione evangelica ad Ivonem, Dialogus inter hominem et rationem, Epistolæ CCC, Sententiarum flores, De prælatorum moribus, De officiis ministrorum, Centum sermones synodales, De militia Christiana, De virginitate Mariæ, De fundatione monasteriorum S. Mariæ Eboracensis et de fontibus*, Apud Lelandum p. 200, et Baleum p. 299, *De oneribus Isaac*, male excusum, pro *De oneribus Isaiæ.*

NOTITIA ALTERA.

(D. B. Tissier, *Biblioth. Patr. Cisterc.*, Bonofonte, 1662, in fol., tom. V, pag. 160.)

57

Quis fuerit hic Ailredus, seu Aelredus, disce ex Pitseo lib. De illustribus Angliæ scriptoribus, ætate 12 ad annum 1166, ubi hæc de illo habet : « *Aelredus nobilibus in Anglia parentibus natus, ab ipsa tenera ætate in timore Dei et bonis studiis sollicite educatus, a primis annis adolescentiæ suæ didicit jugum Domini portare ; semper innocens vitæ, scelerisque purus. Crescente cum annis pietate et doctrina factus est ordinis Cisterciensis monachus, in quo solitariæ vitæ genere rerum cœlestium contemplationi ita se dedidit, ut inter suos, tanquam luna inter stellas minores emineret. Nec tamen interea sacrarum litterarum studium neglexit, neo aliarum scientiarum cognitionem amisit. Unde tantis virtutum ornamentis insignitus, primum communi suorum suffragio Rievallensis abbas electus est, qui locus Eboracensis diœcesis est : nec multo post tempore ad aures Davidis Scotorum regis hominis fama pervenit ; eumque rex sibi fecit familiarissimum, quamvis ille mundanos libenter fugeret honores, et varias dignitates ecclesiasticas, adeoque episcopatum aliquando recusaverit, ut ad divinarum rerum contemplationem fieret expeditior, et Evangelii prædicationi liberius vacare posset. Frequens erat in volvendis S. Augustini libris ; in quibus ejus Confessiones præ cæteris omnibus mirifice placebant. Erat in scriptis, dictis, factis, omnique vitæ ratione sancti Bernardi diligentissimus imitator. Mitis, mansuetus, humilis, modestus, pius, temperans, castus, et qui in se, et cum aliis, et inter omnes pacem et concordiam, supra quam dici vel cogitari potest, amabat, conciliabat, fovebat. Tam in omnibus et cum omnibus pacificus, ut eo nomine merito beatus dici, et optimo jure filius Dei posset vocari.* » *Hæc Pitseus, qui mox enumerat ejus opuscula, de quibus et nos statim dicturi sumus. Ex ipsius autem Aelredi præfatione in Speculum, apparet eum ante conversionem œconomum seu dapiferum regis, vel alicujus principis fuisse, aut simile aliquod munus obiisse ; cum dicat, se de coquinis ad eremum venientem, locum, non officium mutasse ; quia scilicet cum hæc scriberet, monasterii sui, ut hinc colligitur, œconomum seu dispensatorem agebat. Rievalle migravit ab hoc sæculo anno salutis humanæ 1166, pridie Idus Januarii, vitæ suæ anno 57, sub Henrico II Anglorum rege sanctorum ascriptus tandem numero, ut tradunt Molanus in notis ad Usuardum, Missalis veteris Cisterciensis ordinator, qui inter beatos et sanctos ordinis eidant locum ; Joannes abbas, in suo Catalogo sanctorum ; Trithemius lib. De scriptoribus ecclesiasticis ; Arnoldus de Wion, Ligni Vitæ lib. I, cap. 47 ; Petrus Calzelarius, Guillelmus Eysengreinus, Pitseus, Richardus Gibbonus, Miræus, et novissime P. Chrysostomus Henriquez in Fasciculo sanctorum ordinis Cisterciensis et in Menologio. Refert ex codice manuscripto Cisterciensi Manrique hæc verba de Aelredo :* « *Ejus solemnitas in octavis Epiphaniæ solemniter celebratur, juxta decretum capituli generalis anni 1276, quæ et ego in codice antiquo Claræ-Vallis legi. Miror autem eumdem P. Henriquez in prædicto Menologio hujus auctoris mortem in annum 1220 referre ;*

Digitized by Google

cum in Fasciculo eam cum aliis ad an. 1166 recte retulisset, et notasset, eum quandoque confundi cum alio auctore qui Edilbredus est appellatus, et obiit anno 1220. Certe noster Aelredus successit in abbatis dignitatem Guillelmo primo Rievallis abbati S. Bernardi discipulo (qui et primam in ordine epistolarum ejusdem Bernardi scripsit in medio imbre sine imbre, et mortuus est anno Domini 1148). De Aelredi transitu ab hoc sæculo loquitur Gilbertus ejus synchronus, serm. 41 in Cantica vicissim ab eo laudatus serm. 2 De oneribus. Aelredi opera recensent Pitseus, Henriquez, et alii, sed confuse; quædam enim ter aut quater ponunt diversis titulis et inscriptionibus, ut sermones in Isaiam, sermones De oneribus, etc., cum sit idem opus. Postquam autem descripsi hujus sancti opera ipsa, inveni ea a P. Gibbono societatis Jesu theologo edita, magna tamen parte omissa, sermonibus scilicet per anni circulum, tam de tempore quam de sanctis, quos ex Clara-Vallensi codice exscripsi. Hos sequentur sermones De oneribus, et homilia De puero Jesu duodenni S. Bernardo falso ascripta : deinde Speculum charitatis tres in libros divisum : denique liber De amicitia, qui mutilus inter opera Augustini reperitur tomo IV. Hujus viri sancti, ut testantur auctores, eloquentiæ Bernardinæ prope par fuit : ac imprimis Nicolaus Rievallensis monachus, qui hæc de eo cecinit :

Inclytus Ælredus conditus aromate morum,
Et mellis favus, et dulcedo fuit monachorum.
Flore juventutis hunc regis regia fovit.
Quæque nociva procul animoque manuque removit.
De Jericho venit in Jerusalem, duce Christo.
Hic cito fructificat, spinas in lilia vertit.
Sparsa recollegit, et in unum fracta redegit.
Celsior hinc factus, post cœlica præmia natus.
Si libet, et fas est hic dicere, vera retexam :
Nec reor ordiri quidquam de stamine falsi.
Maurus erat maturis moribus, et Benedictus
Exemplo, similis Bernardo cælibe vita.
Virtutum specimen, vitiorum scopa, decusque
Ordinis, et speculum, via pacis, fibula legis.
Prætulit exuvias Pauli Hieronymus auro,
Cæsi, nostra pari decoratur gemma nitore.
Intitulant alios præconia multa, sed ipse
Pacificus Salomon fuit, et mansuetus ut agnus.
Antiquo de consilio, non multa revolvo.

Idem in alio epigrammate, hæc de tribus primis abbatibus Rievallis, ex quibus Aelredus fuit secundus, habet :

Primitias capit Willelmus, sed proximus illi
Ælredus majora tulit, Silvanus adauxit.
Tres sunt præcipue meriti vix imparis, ille
Primus, et alter ei successor, et iste supremus.

Alius :

Ecquis Aelredum Bernardo invidit, et uno
Tam similes calamo credidit esse duos?

Item.

Vincit Aelredus mella Attica, sacchara vincit.
Tam bene nec Siculæ mellificatis apes.
Stillat nescio quid dulcedine dulcius ipsa,
Et cito quam legitur, tam cito relegitur.
Nulla venit cupido satiles, accrescit edendo
Irritata fames, lecta relecta placent.
Istud Aelredi, Bernardi est istud, et idem
Creditus ore sonus, creditus ore favus.
Pangit uterque pios caste festivus amores,
Doctus uterque sacris ludit acuminibus.
Fovit utrumque, reor, mellita Maria clientem,
Mel de virgineo suxit uterque sinu.
Bernardo prope par fluit, et dulcedine certat :
Mire mellitos condit uterque favos.
Bernardo primas demus, ferat ille secundas,
Proximus a primo jure legendus eat.
Par utrique ætas, ambos eademque tulere
Tempora, par ordo, par pietatis amor.
Gallia Bernardum, nostrum tulit Anglia, sed tum
Discolor, heu! nostris Anglia temporibus.
Anglia tum terris fundebat dulcia mella,
Dulcis Hybla Europæ, dulcis Hymettus erat.
Jam prope fit Colchis, quidquid modo transfretat inde,
Noxia pestiferis fert aconita libris.

Hæc ad commendationem nostri Aelredi sufficere reor. Has enim laudes non esse mendaces, qui ejus opera sequentia lecturi sunt, experientur. Porro sermones sequentes de Tempore et Sanctis, alium habent a reliquis operibus stylum; nec tamen ob hoc auctori nostro abjudicari debent aut supposititii æstimari. Nam quia sermones illos coram fratribus laicis et illitteratis quos conversos vocamus, habuit (illi enim concionibus, quæ diebus festis et Dominicis in capitulo monachorum habebantur, intererant, non autem iis quæ aliis diebus habebantur), ideo humiliore et familiariore sermone utebantur interdum Patres abbates, et alii, in concionibus illis, ignorantiæ eorum condescendentes.

Digitized by Google

BEATI AELREDI

RIEVALLIS ABBATIS

OPERUM PARS PRIMA. — ASCETICA.

SERMONES DE TEMPORE

ET DE SANCTIS.

(D. Tissier, *Bibliotheca Patr. Cisterc.* tom. V, pag. 162.)

SERMO PRIMUS.

DE ADVENTU DOMINI.

Vos debetis scire, fratres charissimi, quia hoc tempus beatum, quod nos vocamus Adventum Domini, repræsentat duo quædam : et ideo de duabus rebus debet esse gaudium nostrum; quia et duplex nobis debet conferre commodum. Repræsentat nobis hoc tempus utrumque adventum Domini nostri : et illum scilicet dulcissimum adventum, quo ille *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV), ille *desideratus cunctis gentibus* (*Agg.* XI), Dei scilicet Filius, diu exspectatam, et ab omnibus patribus ardenter optatam, huic mundo suam visibilem in carne exhibuit præsentiam, id est quando venit in hoc mundo peccatores salvos facere; et illum nihilominus a nobis solida spe exspectandum, et utique cum lacrymis sæpius recolendum, quando idem Dominus noster qui prius in carne venit occultus, veniet in gloria sua manifestus, sicut canitur de eo in Psalmo : *Deus manifeste veniet* (*Psal.* XLIX), id est in die judicii, quando veniet manifestus judicare. Primus namque adventus ejus perpaucis justis innotuit; in secundo suo adventu et justis et reprobis manifeste apparebit, Propheta id apertius insinuante, qui ait : *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Psal.* XCVII). Sed tamen proprie, sicut dies ille, quem debemus celebrare paulo post, in memoriam Nativitatis illius, repræsentat natum, id est plus expresse significat illum diem et horam, quando venit in hunc mundum; ita istud tempus quod celebramus ante illum diem, repræsentat illum desideratum, id est illud desiderium, quod habebant sancti patres, qui fuerunt ante ejus adventum. Pulchre ergo in Ecclesia provisum est, ut hoc tempore eorum verba reciiarentur, eorumque desideria recolantur, qui primum Domini præcesserunt adventum. Nec hoc desiderium illorum celebramus uno tantum die, sed quasi longo tempore; quia hoc solet evenire, ut quod multum desideramus, si aliquo tempore differatur, videatur nobis dulcius, quando venerit hoc quod amatur.

Nostrum est ergo, fratres charissimi, sanctorum patrum exempla sectari, eorumque desideria recolere, et sic mentes nostras in amorem et desiderium Christi accendere. Debetis ergo scire quod propter illam causam nobis institutum est celebrare hoc tempus, ut debeamus attendere desiderium, quod sancti patres nostri habuerunt de primo adventu Domini nostri, et per exemplum illorum discamus habere magnum desiderium de secundo illius adventu. Debemus considerare quot bona nobis fecit Dominus noster per suum primum adventum, et quod faciet nobis multo majora per secundum : et per istam considerationem illum primum adventum illius multum amare, et illum secundum multum desiderare. Et si non habemus tam bonam conscientiam, ut audeamus desiderare adventum ejus; debemus saltem timere adventum ejus, et per illum timorem a vitiis nostris nos corrigere : ut si forte non poterimus hic non timere, saltem quando venerit, tunc non timeamus, sed securi simus.

Et revera, fratres, qui modo sunt solliciti circa scipsos, et timent diem illum judicii antequam veniat; sine dubio tunc non timebunt, quando venerit. Et quis est tam durus qui non possit timere diem illum, quando Dominus noster veniet in majestate sua, quando cœlum et terra ardebunt, quando patebunt omnia mala, quæ homines fecerunt in ista vita, coram Deo et angelis ejus, et coram diabolo et angelis ejus, et coram toto humano genere ab Adam usque ad novissimum hominem qui erit in mundo? Sine dubio omnia vitia et peccata, quæ in ista vita non cooperuerit confessio, ibi publicabuntur. Quis non potest timere diem illum, in quo unusquisque recipere debet hoc quod sine fine habebit? Bonum valde est, fratres, sæpe cogitare ista, et maxime quando tentationes surgunt; tunc unusquisque qui elegit perfectiorem vitam, quam habent

Digitized by Google

illi qui sunt in sæculo, debet adhuc conari, ut per bonam conversationem suam acquirat talem conscientiam, ut non timeat pœnam in illa die: sed desideret gloriam et gaudium, quod justi habebunt in illa die. Et quemadmodum sancti patres desiderabant illum diem, in quo debebant redimi; ita desideret illum diem, in quo omnes sancti debent glorificari. Nam primo venit ille, ut liberaret nos a peccatis nostris; sed in secundo adventu ejus sanabit ille omnes infirmitates nostras. Ideo quidam hortatur animam suam benedicere Dominum, et dicit, quare: *Qui propitiatur*, inquit, *omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas* (*Psal.* CII). Unum pertinet ad primum adventum Domini, aliud ad secundum; quia per primum adventum delevit ipse peccata nostra; sed adhuc patimur magnas infirmitates, propter pœnam ipsorum peccatorum. Quis potest enumerare omnes infirmitates hujus vitæ, famem, sitim, labores, dolores, morbos, pigritias, lassitudines? Sed ista pertinent ad corpus. Quantæ sunt infirmitates animæ, quantæ concupiscentiæ, quantæ tentationes!

Istas omnes infirmitates, et alias omnes infirmitates, quas non possumus commemorare, sanabit Dominus per secundum adventum suum, quando implebitur hoc quod ait Apostolus: *Oportet autem corruptibile hoc induere incorruptelam*, etc. (*I Cor.* XV.) Per primum adventum suscitavit nos Dominus noster tantum in anima, sed per secundum adventum suscitabit nos in corpore; ut sicut modo per utrumque, id est per animam et corpus, servimus Deo, ita tunc et in utroque perfectam beatitudinem habeamus eum Deo. In isto adventu ejus dedit nobis fidem, ut sciamus credere in illum; in secundo adventu ejus perducet nos, ad hoc ut possimus videre illum: non sicut impii videbunt illum in die judicii; quia in die judicii omnes boni et mali videbunt illum in illa similitudine, in qua passiones pertulit pro nobis, et in qua resurrexit, et ascendit in cœlum; sed illo modo videbimus eum, quo illi poterunt videre, qui habebunt mundum cor. Sic enim dicit Dominus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V), hoc est, quod et divinitatem ejus videbimus, illam excellentiam et pulchritudinem, quam modo vident angeli; quia nos erimus sicut angeli in cœlo, sed si modo amamus eum, et desideramus, et contemnimus omnes delicias et honores mundi, tunc sine dubio videbimus eum secure in illa similitudine, in qua judicabit vivos et mortuos, et feliciter videbimus eum in illa similitudine, in qua ostendet seipsum tantum bonis, quos ducet secum de judicio ad regnum. Cogitemus modo quantum possumus, quantum gaudium habebimus, et quantam felicitatem, si in illa die quando cœlum et terra ardebunt, quando Dominus veniet cum tanta virtute et potestate, poterimus esse securi: et non solum non timere eum quando venerit, sed multum amare et secure aspicere eum. Et ideo, fratres, si volumus tunc habere istam lætitiam et securitatem, studeamus multum amare Dominum nostrum. Et quem debemus tantum amare, quantum illum, qui est Creator et Dominus noster, insuper et Redemptor noster? Sed et hoc, nihil est quod possimus ita secure amare; quia quidquid aliud amamus, sine dubio habemus amittere; et si habemus delectationem in illis rebus, quas debemus amittere, quando venerit hoc ut amittamus illas, utique quantam delectationem prius seuserimus, tantam tristitiam postea sentiemus. Et ideo secure amemus illum, qui semper est, et eodem modo semper bonus est, et eodem modo delectabilis est. Ita, fratres, amemus eum modo ut, quando viderimus eum venire de cœlo cum angelis ejus, non timeamus adventum ejus, sed cum magno desiderio statim curramus ad eum, quasi ad familiarissimum amicum.

Videamus quomodo omnes sancti qui fuerunt ante primum adventum ejus desiderabant eum, et sequamur illorum exemplum; non illorum qui diligunt mundum, quia dicit Scriptura: *Mundus perit, et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II). Et ideo qui diligunt mundum, quando mundus peribit, et ipsi peribunt cum mundo. Et ut sciamus quantum desiderium antiqui patres habebant videndi Dominum nostrum, audiamus, quia hoc ipse Dominus dicit in Evangelio: *Amen dico vobis, quia multi reges et justi voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt*, etc. (*Luc.* X.) In ista significatione dicit Scriptura de Salomone: *Cuncti reges terræ desiderabant videre faciem Salomonis, et audire sapientiam ejus* (*III Reg.* X). Nam sine dubio illi soli reges dicendi sunt, qui desiderant videre faciem Salomonis, et audire sapientiam ejus. Ipsi enim sunt qui bene regunt seipsos, et servant membra sua a macula peccati; quia illi non sunt vere reges, qui habent terram multam et homines multos sub se, sed sunt servi peccatorum; quia, sicut dicit Dominus noster, *omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). Et sine dubio ille non debet appellari rex, qui est servus, et tam vilis servus, ut peccatum ei dominetur. Quapropter, fratres, studeamus bene regere nos ipsos, bene custodire membra nostra: et sic nos quoque erimus reges, et incipiemus desiderare videre faciem veri Salomonis, id est Domini nostri Jesu Christi. Non est necesse, fratres, dicere vobis causam, quare Dominus noster dicitur Salomon. Vos sæpe audistis, quod Salomon dicitur in lingua nostra *pacificus*, et Dominus noster ipse est pacificus noster, qui fecit pacem inter nos et Deum, et reconciliavit nos Patri suo per proprium sanguinem suum. S. David ipse erat utique unus de illis regibus, qui desiderabant videre faciem veri Salomonis. Quod ipse ostendit aperte quadam vice, quando desiderabat aquam de fonte, qui erat in Bethlehem. Nam, sicut narrat Scriptura, de illa desideravit rex, et ait: *O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta* (*II Reg.* XIII). Et erant ibi quidam viri, qui putabant, quod ipse desiderabat

Digitized by Google

aquam illam visibilem de illa cisterna; et cum magno periculo transierunt castra inimicorum suorum, et hauserunt de illa aqua, et portaverunt ad regem. Sed quia ipse voluit ostendere, quod per spiritum prophetiæ hoc dixerat, non propter illam carnalem et vilem aquam, statim fudit eam in terram. Non enim desiderabat illam aquam de illa corporali cisterna, sed aquam de illo fonte, qui natus est in Bethlehem. Unde alibi dixit: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*, etc. (*Psal.* XLI.) Iste est verus fons, Dominus noster Jesus Christus, qui natus est in Bethlehem Judæ, qui dicit: *Si quis sitit, veniat et bibat; et de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Hanc aquam desiderabat sanctus David: ad hunc fontem cum magno desiderio currebat; sicut statim in ipso versu exposuit. Postquam enim dixit: *Sicut servus desiderat*, etc., statim subjunxit: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI.)

Ecce videmus, fratres, modo, quid ille desiderabat tunc. Natus est ille fons in Bethlehem, et de illo fonte currunt aquæ per universum mundum. Talis sine dubio aqua, unde se lavant qui habent aliquam in se sordem; unde potant illi qui sitiunt; unde etiam coquunt suos crudos cibos qui esuriunt. Aqua ista, fratres, quæ currit de isto fonte, est doctrina Christi, quam ipse docuit in Evangelio. Per istam omnes illi qui ligati sunt peccatis suis et sordidati se lavant, sicut illi fecerunt, quibus dixit Dominus: *Jam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis* (*Joan.* XV). Ecce isti mundati erant per doctrinam Christi. Per istam aquam illi etiam qui sitiunt cognitionem Domini nostri, se potant et se inebriant; quia in doctrina Christi possumus illum cognoscere. Si enim cor nostrum non versat carnales cogitationes, si libenter audimus verbum Dei et intelligimus, inde orietur quidam ignis in nobis ut non cogitemus nisi ea quæ pertinent ad amorem Domini nostri. Quando sanctus David, sicut cervus, desideravit tanto desiderio illam aquam, antequam natus esset ille, certe magnus pudor est, si nos, qui fontem istum videmus natum, et jam aliquid gustavimus de aqua, quæ currit de illo fonte, non multum desideramus et amamus. Videmus enim, quod impletum est modo hoc, quod Isaias propheta multum desiderabat, quando dixit: *Utinam*, Domine, *dirumperes cœlos, et descenderes: a facie tua montes defluerent* (*Isai.* LXIV). Quid putamus, quod sanctus propheta desiderabat istis verbis? Primum sine dubio adventum ejus, et hoc cum magno desiderio; et statim dixit causam, quare ita ardenter desiderabat illum: *A facie*, inquit, *tua montes defluerent* (*ibid.*). Videbat enim ille sanctus homo quomodo ille diabolus, qui per superbiam suam cecidit de cœlo, possidebat totum genus humanum. Videbat quomodo tumebat et superbiebat quod reges et principes hujus mundi adorabant eum, et quod pene omnes homines qui erant in mundo sequebantur superbiam ejus. Hoc videbat propheta, et valde dolebat: et sicut ego puto, vix poterat sufferre illum dolorem; maxime quia Dominus tantum tardabat, qui debebat totam ejus superbiam destruere. Ideo cum magno desiderio ait: *Utinam*, Domine, *dirumperes cœlos et descenderes*, etc. Sciebat quod provisum erat illud tempus quo debebat venire; sed tantam moram ille propheta cum magna angustia tolerabat; et ideo desiderabat, ut si fieri posset, præveniret illam horam quam proposuerat, hoc significans illis verbis: *Utinam*, Domine, *dirumperes cœlos, et descenderes!* Quasi diceret: Scio, Domine, quia tu exspectas illud tempus, quod providisti ab initio: exspectas ut primo sint impleta illa omnia quæ sancti dixerunt debere impleri ante tuum adventum. Sed utinam, Domine, dirumperes cœlos, id est interrumperes, si fieri posset, illud propositum tuum, quod revelasti cœlis, id est sanctis tuis, et venires! Video tantam superbiam diaboli, qui totum humanum genus trahit in potestatem suam: et ecce mittit manum suam ad illam gentem, quam tu elegisti. Jam inter istos Judæos, qui solebant esse tuus populus, regnat superbia, luxuria, omnia vitia. Quare amplius tardas? quid amplius moraris? Nos minamur eis, et dicimus: Veniet Dominus noster, veniet et Christus, qui malos judicabit, et bonos honorabit; et ipsi subsannantes irrident nos, *Manda romanda* (*Isai.* XXVIII). Ecce quot anni transierunt, postquam primo promisisti nobis, quod ille veniret, et adhuc non venire videtur, quod non facitis, nisi fallere nos.

Hoc dicebant miseri, et quasi seeuri dederunt semetipsos ad serviendum idolis, et ad omnem superbiam et luxuriam. Sic illi faciebant; sed sancti prophetæ tristabantur, dolebant et flebant, et mirabili desiderio desiderabant adventum ejus. Hinc est ista vox Isaiæ: *Utinam*, Domine, *dirumperes cœlos, et descenderes*. Sed quid egit misericordia Christi? Utique non est passus, sanctum prophetam suum esse diu in illo tanto dolore, sine magna consolatione. Audite enim quid paulo post dicit idem propheta: *Descendisti, et a facie tua montes defluxerunt*. Miram rem potestis hic audire. Primo dixit: *Utinam*, Domine, *descenderes*, etc., et modo dicit: *Descendisti; et a facie tua montes defluxerunt*, quasi jam factum esset quod ipse tantum desiderabat. Quare hoc? Ego puto, quod sanctus Isaias quando erat in illo dolore, et de superbia diaboli, et de nequitia hominum, Dominus noster, ut eum consolaretur, ostendit ei in spiritu hoc quod nos modo videmus; scilicet quod totus mundus crederet in eum, quod reges et principes adorarent eum, quod omnia idola deberent esse destructa: et illi qui erant superbi debebant fieri humiles per adventum Domini. Hæc sine dubio videns propheta in spiritu exsultabat et gaudebat; et præ nimia exsultatione, quasi jam videret impletum, quod veraciter vidit implendum, dicebat: *Descendisti, Domine; et a facie tua montes defluxerunt*. O fratres charissimi, utinam sentiremus nos tantum gau-

Digitized by Google

dium, qui videmus modo hoc esse impletum, quantum ipse sensit, quando vidit esse implendum! Nos modo videmus hoc; nos possumus vertere nos ad Dominum nostrum, et cum magno gaudio dicere: *Domine, descendisti, et a facie tua montes defluxerunt.* Impletum est hoc modo, sicut etiam desiderabat David, qui ait: *Tange montes, et fumigabunt* (*Psal.* CXLIII). Descendit Dominus noster, tetigit per gratiam sancti Spiritus montes, id est superbos hujus sæculi; et ecce quomodo defluxerunt, id est quomodo humiliati sunt. Incipiunt plorare peccata sua; non possunt pati fumum, id est tenebras et obscuritates peccatorum suorum. Nonne videtis hoc, fratres, quotidie? Nonne videtis quotidie superbos hujus sæculi cum magna confusione, cum magno timore, converti ad Dominum, et humiliare se, et flere peccata sua? Certe, fratres, quotidie hoc fit. Nam etsi non fit quotidie hoc ante nos, quotidie tamen hoc fit in sancta Ecclesia. Ideo, fratres charissimi, multo melius et apertius videmus nos, hoc esse impletum, quod sanctus Isaias alibi dicit quam Judæi putant. Dicit enim in quodam loco, ubi ostendit quid evenire deberet in adventu Domini: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo simul pascentur, et puer parvulus minabit eos* (*Isai.* XI). Quid magnum hoc esset, si Deus hoc faceret de multis bestiis, quod et homines faciunt sæpe per ingenium suum, scilicet ut bestiæ quæ sunt per naturam contrariæ, simul sint? Certe nos dicamus cum apostolo Paulo: *Nunquid de bobus cura est Deo?* (*1 Cor.* IX.) Si Deus, fratres, non curat eo modo de bobus, ut propter illos aliquid præcipiat in lege; multo minus ei cura est de leonibus aut pardis, ut de illis vellet loqui tanta, per prophetam suum. Si nos voluerimus tamen istam congregationem videre, et considerare, possumus videre, istam prophetiam esse multo pulchrius et melius impletam, quam si illæ bestiæ simul essent. Considerate, quomodo vos huc Deus congregavit; de quam diversis regionibus, de quam diversis moribus. Alius vestrum, quando erat in sæculo, quid erat per similitudinem, nisi leo, quando propter superbiam suam et divitias suas despiciebat alios, et se extollebat super alios? Alius vestrum nonne erat quasi lupus, quando vivebat de rapina, et studebat quomodo posset res alterius rapere? Pardus est animal quoddam plenum varietate: tales fuerunt aliqui vestrum, per calliditatem, per deceptionem, per fraudem.

Iterum multi sunt in ista congregatione, qui erant fetidi propter luxuriam. Illi qui tales erant, similes erant hœdo; quia hœdus est quoddam fetidum animal. Sunt etiam quidam, qui quando fuerunt in sæculo, vivebant innocentes; qui possunt bene comparari agno. Iterum alii, qui propter simplicem vitam, quam ducebant, erant quasi oves. Videte modo, fratres, quanta concordia et pace Deus congregavit omnes istos in una societate. Hic lupus habitat cum agno, manducat et bibit cum agno, et non ei nocet, sed multum diligit. Sine dubio enim ille, qui quando fuit in sæculo, fuit lupus, modo est cum magna concordia cum illo, qui fuit innocens sicut agnus. Ille qui fuit superbus sicut leo, modo est cum magna pace et quiete cum illo, qui fuit et est adhuc ovis per simplicitatem. Hic leo non solum manet simul cum vitulo, sed et hoc, quod magis mirum est, leo devenit vitulus. Vos scitis, quod jamdudum in veteri lege solebant offerre vitulos in sacrificium: ideo ille spiritualiter fit vitulus, qui seipsum offert Deo in sacrificium. Hoc modo multi leones fiunt vituli; quia multi crudeles et rapaces prius, seipsos modo sacrificant Deo per labores et vigilias, et cætera talia exercitia. Similiter non solum lupus habitat hic cum agno, sed hic lupus factus est agnus. Quam pulchrum est videre aliquos vestrum, qui ita in sæculo erant sapientes, ita potentes, ita superbi et callidi, devenire modo ita simplices et idiotas, quasi nihil scirent. Quare hoc totum evenit, nisi quia descendit Dominus noster, et montes defluxerunt a facie ejus? Etsi nos non possemus hoc ostendere in ista congregatione, nunquid ideo non est factum per adventum Domini? Cogitate quomodo Paulus sæviebat sicut lupus, quomodo rapiebat Christianos oves Christi, et spoliabat, et lapidabat. Considerate quam subito est mutatus, et factus est ovis; quam suaviter, quam dulciter, quam benigne postea habitabat cum aliis Christi ovibus; et non solum eas non rapiebat, sed semetipsum tradebat in mortem propter oves Christi. Certe, fratres, si consideremus istam mutationem, majus mirum fecit Dominus in hoc, quam si fecisset illas bestias, lupum et ovem, simul esse. *Et puer parvulus minabit eos.* Quis est iste puer parvulus, nisi ille, de quo ait Isaias: *Puer natus est nobis et parvulus datus est nobis?* (*Isa.* XI). Ipse est sine dubio, qui minavit Paulum, et fecit eum ire ad Ananiam. Ipse est etiam, qui minavit istos lupos et leones, qui in ista societate sunt de sæculo: adhuc minat ante se, ad omnia illa quæ facimus. Necesse est ergo, fratres, ut tandiu minet nos ante se, donec tales simus, ut possimus sequi eum.

Hæc sunt, fratres, duo quædam quæ debemus considerare in esse nostro, initium, quod pertinet ad comminationem, qua ipse nos minat; aliud, quod pertinet ad secutionem, qua sequamur eum. Nam pastor aliquis terrenus illa animalia, quæ nesciunt aut nolunt sequi eum, minat ante se: videmus etiam ita quædam esse domestica, ut etiam sciant sequi pastorem. Consideret modo unusquisque seipsum, utrum ipse sequatur istum nostrum pastorem, an adhuc minet ante se eum. Nam sine dubio primo ipse minavit sanctum Paulum, quando prostravit eum, et quasi vi fecit ire eum ad Ananiam, ut baptizaretur ab eo; sed postea cum magna hilaritate secutus est eum, quando dixit: *Cupio dissolvi et esse cum Christo*, etc. (*Philipp.* I.) Minatio ista, fratres, pertinet ad timorem, secutio ad dilectionem. Tunc minavit nos ante se, quando fecit nos

Digitized by Google

considerare peccata nostra, malam conversationem nostram; quando fecit nos timere pœnam inferni, et propter hunc timorem fecit nos relinquere sæculum et huc venire. Et adhuc, fratres, quicunque adhuc est hic, et est obediens et humilis, et servat ordinem suum : et hoc facit propter timorem, ne videlicet damnetur; quia scit, quod qui deseruerit hæc quæ incœpit, non poterit salvari : quicunque ista consideratione facit ea quæ præcipiuntur, et quæ pertinent ad ordinem suum, adhuc pastor noster minat eum ante se. Sed ille qui jam sæpe gustavit quam dulcis est Dominus noster, qui cœpit jam diligere eum; qui tale invenit cor suum, quod quamvis nulla alia pœna sequeretur, nisi tantum offensio Domini sui, vel minima diminutio amoris ejus, non desereret quod incœpit : iste jam sequitur; nec est necesse, ut minet eum pastor suus, sed tantum præcedat eum, et ostendat illi viam per quam vult ut sequatur. Iste potest dicere : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal.* CXVIII) : non sicut tunc, quando necesse habuit clamare : *Confige timore tuo carnes meas* (*ibid.*). Non adhuc susceperat illud fatum mandatum, quo fuit dilatatum cor ejus, quando cucurrit. Fratres, illos qui erant ante adventum Domini, quia ipsi erant quasi ante eum, merito minavit : et ideo dedit ei [redacted], quæ significavit timorem : ad quem sine [redacted] pertinent adhuc omnes quos minat; quia [redacted] propter timorem benefaciunt, utique ad legem pertinent. Sed quia hoc est initium nostrum, debemus tendere ad hoc, ut transeamus istum statum, et veniamus ad talem ut cum gaudio sequamur : hoc enim pertinet ad charitatem; quæ maxime convenit nobis, qui sumus post adventum Domini, et videmus, quo ipse ante nos ascendit. Et quem debemus ita libenter sequi, quam istum puerum, qui hoc quod puer est pro nobis est? Certe, fratres, non solum sequi, sed etiam currere debemus post eum; quia, quamvis ejus dulcedo non traheret nos, et quodammodo cogeret nos sequi eum, deberet tamen cupiditas illius beatitudinis, illius gaudii, quod est in illo loco, ad quem ille præcessit nos, multum hilarescere nos ad currendum post eum. Non enim ad gaudia caduca et transitoria eum sequimur; sed ad id, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit* (*I Cor.* II), id est ad illam beatam patriam, unde dicit Propheta : *Portio mea, Domine, in terra viventium* (*Psal.* CXLI).

Ideo, fratres charissimi, si volumus ad illam beatitudinem pervenire, oportet nos non solum isto modo quo diximus sequi Dominum nostrum; sed etiam illo modo et sequi et præcedere, quo illi præcesserunt, et secuti sunt, de quibus hodie narrat Evangelium, qui eum in Jerosolymis conduxerunt. Veniente enim Domino Jerosolymis, ut ait Evangelium : *Plurima turba straverunt vestimenta sua in via. Alii autem cædebant ramos de arboribus et clamabant : Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI). Sæpe audistis, fratres, adventum Domini nostri, quomodo et qualiter venit ad Jerosolymam, id est ad Ecclesiam suam; et ideo non est necesse dicere vobis modum quo ipse venit, maxime quia dies brevis est, et propter Dominicam isto die multum occupamur; et propter communionem sanctam, et propter binam refectionem. Volumus tamen breviter dicere, propter Evangelium, quod hodie legitur in sancta Ecclesia, quomodo ipsa Ecclesia adventum ejus suscepit. Sine dubio alii de Ecclesia præcesserunt adventum ejus, alii subsequuntur. Non solum enim Dei Ecclesia est ista fidelium congregatio, quæ credidit in eum post ejus adventum, sed omnes sancti ab Abel usque ad ultimum justum, qui erit in hoc mundo, pertinent ad sanctam Ecclesiam; et de omnibus illis constat illa una Ecclesia, cui dicitur : *Una est columba mea* (*Cant.* VI) : sed una pars præcessit adventum ejus, scilicet Abel, Noe, Abraham, David, etc. sancti; post adventum ejus apostoli, martyres, confessores et omnes fideles, inter quos et nos per ejus misericordiam sumus. Sed de his omnibus alii vestimenta prosternunt ante pedes Jesu, alii ramos arborum prosternunt, qui omnem gloriam mundi propter Christum abjiciunt. Quid enim sunt divitiæ et gloria istius mundi, nisi ut folia et rami arborum, quæ virescunt in æstate, in hieme arescunt? Quia sine dubio omnis gloria mundi in prosperitate quasi florescit, sed in adversitate, maxime in ista morte hominis, quando supervenit tempestas hiemalis, id est extrema damnatio, vilescit et sordescit. Sed beatus est, qui ea prosternit ante pedes Jesu; distribuendo pauperibus, qui sunt quasi pedes ejus, infirma scilicet membra ejus. Multo autem beatior est, qui etiam vestimentum suum potest pro Christo contemnere, et sub pedibus ejus prosternere. Quid enim est vestimentum nostrum, nisi corpus nostrum, quo ipsa anima nostra quodammodo tegitur et operitur? Beatus est, qui ipsa membra sua, ipsum corpus suum potest pro Christo contemnere, et omnia facta corporis sui Dei obsequio mancipare.

Utrumque fecerunt, et illi qui præcedebant adventum Domini, et qui sequebantur. Nam sancti patres in Veteri Testamento divitias mundi et gloriam pro nihilo duxerunt, propter fidem quam habebant in Christi adventu. Multi etiam ipsa corpora sua martyrio subdiderunt, sicut primus martyr Abel, et Isaias, sicut Machabæi martyres, quorum mirabilem passionem ante paucos dies audistis. Et non solum sigillatim homines, sed quot millia hominum hæc omnia fecerunt post adventum ejus, quis potest enumerare? Nam ex illorum numero et vos estis. Vos enim ramos arborum, omnem scilicet pompam mundi, projecistis in obsequium et honorem Christi. Vos, quod majus est, ipsa corpora vestra contempsistis; vos ipsam animam vestram, quod adhuc est amplius, in honorem Christi expendistis, quia propriam voluntatem animæ vestræ

Digitized by Google

dimisistis. Porro omnes qui præibant, et qui sequebantur, clamabant, dicentes : *Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini.* Magna fides, et magna confessio, magna laus. *Hósanna* est vox postulantis salutem, quasi diceretur, Salvifica. Sine dubio illum, a quo postulant salutem, confitentur Salvatorem, quod proprie pertinet ad Deum. Vocant eum alium David, quia confitentur eum verum hominem. Benedicunt eum, quia venit in nomine Domini : per quod aperte ostendunt, quod ipse est, quem Deus Pater per prophetas suos promisit esse venturum. In ista fide suscipit sancta Ecclesia adventum Filii Dei. Credit eum verum Deum, verum hominem, verum mundi Salvatorem, a Deo Patre promissum, a sanctis prophetis prænuntiatum. In ista fide et illi qui præcedunt adventum ejus, et qui sequuntur, conveniunt et sociantur, et sunt una Ecclesia. In ista fide utrique salvantur : quicunque sine ista fide sunt extra Ecclesiam sunt, ad illos non venit Christus; et ideo isti non salvantur in Christo. Hæc de primo adventu.

Scire autem debemus, fratres, quia in ipsa eadem forma, in qua venit primo, ut redimeret Ecclesiam suam, in ipsa eadem veniet secundo, ut glorificet Ecclesiam suam : sic enim dixerunt angeli apostolis post Domini Ascensionem : *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Hoc erit, fratres, ad cumulum damnationis impiorum. Non enim sine magna confusione et dolore poterunt videre illum in tanta gloria et potestate, quem contempserunt in humana infirmitate. Isti secundo adventui Domini convenit satis, quod de illa historia alii quoque evangelistæ narrant. Veniente enim Jesu Jerosolymis, pueri Hebræorum acceperunt ramos olivarum, sive palmarum, et venerunt ei obviam. Sic erit in secundo adventu Domini. Cum enim ipse venerit in illa forma, in qua redemit Ecclesiam, ut illam glorificet, et exhibeat sibi eam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi; tunc utique pueri Hebræorum venient obviam ei cum palmis, sive olivarum ramis. Et qui sunt isti pueri, nisi illi, de quibus dicit Propheta : *Laudate, pueri, Dominum* (*Psal* CXII); et alibi : *Custodiens parvulos Dominus ?* (*Psal.* CXIV.) Non enim magnos, et elatos, et superbos custodit, sed parvulos, id est humiles. Isti laudant Dominum, si tamen fuerint Hebræi, id est transilientes. Si enim modo sunt humiles, si modo transeunt opera et vitia carnis, si modo sciunt spiritales saltus dare contemplationis, et per bonas cogitationes : tunc sine dubio in die judicii, cum Jesus venerit in potestate sua, ipsi venient obviam ei cum palmis, id est cum signis victoriarum, quas hic conquisierunt de diabolo (palmæ enim signant victoriam) : tunc poterunt quasi cum palmis gloriari, et dicere : *Ubi est, mors, victoria tua ? Ubi est, mors, stimulus tuus ?* (*I Cor.* XV.) Tunc enim venient cum olivis, quæ significant pacem. Modo enim non habent pacem, quando pugnant cum diabolo, quando pugnant contra vitia, contra carnem suam. Sed tunc erit perfecta pax, perfecta tranquillitas quia caro non poterit spiritui resistere, nec spiritus Deo, nec diabolus impugnare, nec mors, nec infirmitas gravare. Sed si voluerimus in secundo Domini adventu istam pacem habere, studeamus primum adventum ejus cum fide et dilectione suscipere; in illis operibus perseveranter manere, quæ nobis per primum suum adventum ostendit, et docuit. Nutriamus verum ejus amorem, et per amorem desiderium, quatenus cum venerit ille desideratus cunctis gentibus, cum omni eum fiducia videre valeamus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

IN NATALI DOMINI.

Nolite timere : ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David (*Luc.* II). Rumorem, quem angelus mundo prædicat, charitati vestræ hodie merito debeo commendare. Jam exiit edictum a nostro imperatore Deo, ut totus mundus describatur : orbis subjectus est imperatori nostro, Deo videlicet. Missi sunt legati ejus per universum mundum, ut describatur et censum profiteatur. Legati isti sunt apostoli, et prædicatores sancti quorum *sonus exiit in omnem terram, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Rom.* X). ut describeretur universus orbis. Sicut terrenus ille imperator describi voluit et præcepit omnem mundum, ut omnes scirent se pertinere ad illam metropolim civitatem Romam, et omnes ei tributum solverent, id est denarium, in quo ejus erat imago; sic noster imperator, qui jam acquisivit universum mundum, vult ut omnes scribantur in illa civitate, quæ sursum et libera est : et est mater omnium nostrum : de qua dicit Propheta : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI). Hæc civitas merito potest appellari Roma, id est excelsa. Beatus, qui suscipit hoc sui imperatoris edictum, ut scribi possit in civitate ista. Particeps enim gaudii est, quod angelus hodie annuntiat. Auditui ejus Dominus dedit gaudium et lætitiam (*Psal.* L). Socius enim eorum est, et in sorte hæreditatis eorum invenitur, qui ab ipso, qui natus est hodie Salvator mundi, fons et origo omnis veri gaudii, audierunt; *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X). Denarius autem ille, quem noster imperator requirit a nobis, quis est ? Sine dubio anima nostra, quæ habet ejus imaginem in se. Fecit enim nos Deus ad imaginem suam; sed in anima. Beatus, qui ei hoc tributum reddit, qui hunc denarium solvit, qui suam imaginem ei restituit.

Videtis, fratres, per universum mundum homines currere ad legatos imperatoris nostri, ut digni habeantur scribi in illa gloriosa et excelsa civitate, et ut ei reddant imaginem, hoc est animas suas. Hoc faciunt singuli in sua civitate. Una est civitas, ad quam omnes tendimus, in qua omnes volumus

Digitized by Google

scribi; sed quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* v), vigilantes contra hostes nostros. Non omnes sumus in una civitate, nec omnes in uno loco se custodiunt. Licet enim una civitas dicatur et sit sancta Ecclesia, tamen in ipsa diversi sunt ordines, quasi diversæ civitates, in quibus singuli profitentur, id est suam faciunt professionem. Sunt enim multi, qui vel nolunt, vel non possunt, servare castitatem. Ne ergo isti per libidines et fornicationes, sive immunditias rapiantur ab inimicis suis, necesse habent ut sint in aliqua civitate, ubi se tueantur. Istorum civitas, ubi se custodiunt ab illis vitiis, conjugium est. Ista civitas multos habet incolas, licet infirmos. Sed et continentes, qui castitatem servare disponunt, alii unam civitatem eligunt, alii aliam. Alii eligunt solitudinem, alii claustrum, alii magis student in jejuniis, alii præcipue in vigiliis, alii per quotidianos labores superbiam carnis edomant; alii cordis contritione et lacrymarum profusione vitia exstinguunt. Videamus nos et nostram civitatem. Munitissima civitas est ordo noster, et vallata undique bonis observantiis, quasi quibusdam muris et turribus, ne hostis noster nos decipiat, ne nos ab exercitu nostri imperatoris avertat. O qualis murus paupertas, quomodo nos defendit contra superbiam mundi, contra vanitates et superfluitates noxias et damnabiles! Qu[illegible] silentium, quod premit assultum contenti[illegible]ixæ, dissensionis, et detractionis! Quid obedientia, humilitas, vilitas vestium? quid asperitas ciborum? Muri sunt, turres sunt, contra vitia, contra assultus inimicorum nostrorum. In hac civitate profitemur nos, non Romanos, sed angelicos. Istæ enim observantiæ ostendunt nos esse de societate angelorum, non de servis Romanorum. In tempore professionis hujus impletur illud Isaiæ : *Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces* (*Isa.* II). Et subdit : *Non levabit gens contra gentem gladium ; nec exercebuntur ultra ad prælium* (*ibid.*).

Sine dubio, fratres, licet prælia abundent, crebrescant seditiones, et occisiones multiplicentur; impletur modo, quod promittit propheta : *Non levabit gens contra gentem gladium.* Duæ gentes sunt de quibus in ista Scriptura sæpe fit mentio : una electorum, alia reproborum. Illa utique gens reproborum regnum diaboli est, et est divisum istud regnum adversum seipsum; ideo gens ista nunquam habet pacem in seipsa; semper pugnant, se invicem destruunt sive corporaliter, sive spiritualiter. Et gens ista aliquando levabat gladium contra illam aliam gentem, quando scilicet terrena civitas reproborum persequebatur Ecclesiam Dei, et occidebant et trucidabant sanctos martyres Christianos. Hoc modo non fit, cessavit illa aperta persecutio; in [illegible] multi propter timorem non audebant profiteri [illegible] Secure modo qui ad supernam [illegible]eam tendunt, et pro[illegible] ab eis imperator [illegible]mpore hoc non levat gens contra gentem gladium. Libere videtis multos conflare gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Ad litteram quotidie impletur hoc, non in illa perfida gente, quæ pacem non habet, nec habuit, nec habebit; sed in illa generatione justorum, quæ benedicetur. Nonne videtis homines sæculi nobiles ad conversionem venientes, lanceas et gladios suos dimittere, et quasi rusticos manibus suis cibum suum operari? Sed multo melius, et apertius, atque plenius hoc spiritualiter impleri intelligitur in omni genere hominum, pauperum scilicet et divitum, clericorum et laicorum. Attendamus gladium, de quo dicit Dominus : *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit* (*Matth.* XXVI) : et illum vomerem, quo scinditur terra cordis nostri, juxta illud : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* (*Joel.* II) : et videbimus innumerabilem multitudinem in hoc tempore mutare gladios suos in vomeres. Gladius iniquitas est. Hoc gladio quisque seipsum prius lædit quam alium, sicut dicit beatus Augustinus : *Omnis, inquit, homo prius in seipsum iniquus est, quam in alium ; quia statim ut concipit voluntatem lædendi alium, etiam antequam alium lædat, se lædit : quem gladio iniquitatis occidit.* De hoc gladio dicit Dominus Petro : *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* Quam multi, fratres, in tempore isto hunc iniquitatis gladium conflant in vomerem compunctionis ! Multi, qui prius animam suam gladio peccati occiderunt, modo cor suum per compunctionem pœnitentiæ scindunt; lanceas quoque suas, id est subtilitatem sui ingenii, qua solebant multos secum trahere ad peccatum, multi hodie mutant in falces, quibus fructus spirituales colligant, ut obviam veniant Domino, portantes manipulos justitiæ et salutis. Merito ergo in die isto et tempore, hunc rumorem, quem angelus annuntiat nobis, commendamus. Et quis est rumor iste? *Natus est vobis hodie Salvator mundi*, ait, *in civitate David.* Merito commendat gaudium, qui prædicat Salvatorem natum. Verum est enim gaudium, gaudium salutis; et gaudium salutis veraciter nobis confert nativitas Salvatoris.

Oportet nos igitur gaudio magno gaudere, pro his, quæ nobis hodie dicuntur ab angelo, scilicet, quia natus est hodie Salvator. Sed, fratres charissimi, non omnibus sapit rumor iste. Non sapuit Herodi, nec Scribis et Pharisæis; imo, audito eo, turbati sunt, et multi cum eis. Sed nec modo omnibus sapit. Multis hodie plus sapiunt corruptibiles deliciæ ventris, quam istæ incorruptibiles deliciæ mentis. Multi hodie magis gaudent in potatione, quam in Christi Nativitate. Aure audiunt isti rumorem istum, sed non intelligunt. Non enim habent aures interiores, quas requirit, qui dixit : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Luc.* VIII). Vobis autem bene dicitur rumor iste, qui et aures ad audiendum, et sanum palatum ad gustandum habetis. Vigilatis namque et vigilias noctis custoditis super gregem vestrum. Illi autem, qui calicibus epotan-

Digitized by Google

dis student, ut inebrientur, et luxurientur, non vigilant in nocte : sunt enim somno inertiæ depressi, et vino ebrietatis. *Qui enim dormiunt*, sicut ait Apostolus, *nocte dormiunt ; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt* (*I Thess.* v). Dies enim eorum nox est, propter opera tenebrarum quæ agunt. *Obscuratum est insipiens cor eorum* (*Rom.* I); vos vero circumfusa est claritas Dei, sicut filios diei, imitantes beatos pastores istos, de quibus Evangelium loquitur. Vigilatis quippe, sicut dixi, et vigilias noctis super gregem vestrum custoditis ; caute vos ubique habendo, et omnes actus vestros, ut Deo placeant, intendendo. Et revera sic oportet. Nox enim est, in qua ille *leo rugiens circuit* ovilia Christi, *quærens quem devoret* (*I Petr.* v). Si pastores dormientes invenerit, rapit de gregibus eorum ; et quod rapuerit ad mortem trahit : proinde custodiamus vigilantes gregem nostrum. Grex noster affectus nostri boni, et bonæ cogitationes. Super hos greges necesse est ut vigilemus, nequando prævaleat inimicus adversus eos, et auferat eos nobis, dissipans et disperdens. Super gregem suum vigilant, qui omnes cogitationes suas, locutiones et opera sollicite conservant, ne in aliquo aliquam offensionem incurrat. Similiter qui sensus suos, id est visum, auditum, gustum, odoratum et tactum, custodit, ne fur ille pessimus eos furetur vel rapiat. Furatur visum, quando per negligentiam incaute per visum peccamus ; rapit, quando per vim delectationis nos compellit peccare. Sic et auditum furatur, quando pene nescientes ad vanitates et verba otiosa audienda, nos allicit ; rapit, quando ubi delectationis ad vana facienda impellit. Furatur gustum, quando per concupiscentiam gulæ ignorantes decipit ; rapit, quando gulæ desiderio scientes vincit.

Hoc ipsum quoque de aliis sensibus intelligendum. De his gregibus dicit in Canticis sponsus sponsæ suæ, Christus scilicet Ecclesiæ, sive cuilibet sanctæ animæ : *Capilli tui sicut grex caprarum* (*Cant.* IV). Capilli animæ nostræ sunt cogitationes subtiles, quæ procedunt de rationali mente, quæ est caput animæ. Sicut nobis nescientibus capilli oriuntur de capite, et iterum nobis nescientibus defluunt, ita sine dubio cogitationes sæpe etiam nobis nescientibus veniunt et recedunt. Et sicut in sectione capillorum nullus dolor sentitur, ita quando superfluas cogitationes abjicimus, gaudemus potius quam dolemus. Comparantur capilli isti in sanctis animabus gregi caprarum, qui pascitur in montibus, et erecto capite ; quia cogitationes sanctorum semper se de cœlestibus pascunt, et ad cœlestia erigunt se, implentes illud Apostoli : *Quæ sursum sunt quærite*, etc. (*Colos.* III.) Porro quod sensus carnis hœdorum nomine debeamus accipere, dicitur in eisdem Canticis : *Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere et abi post hœdos tuos* (*Cant.* I) ; quia sine dubio qui oculos aufert a seipso, nolens seipsum suam scilicet infirmitatem attendere, sed magis aliorum vitam explorare et judicare ; ipse plane egre- A dictur a consortio ovium Christi, et pascet carnales sensus suos pessima delectatione peccati. Sed quia vos exemplo pastorum istorum gregem vestrum vigilantes custoditis ; vobis adhuc hodie dicitur, quod illis tunc dictum est ab angelo, et quod initio sermonis hujus proposuimus vobis. Audite igitur illud, et cum speciali jucunditate percipite : *Nolite timere*. Merito utique vobis dicitur : *Nolite timere*. Sed quid ? Utique amate, habetis enim justam et manifestam causam, quare debetis amare, potius quam timere. Ante hunc diem necesse erat timere ; ante hunc diem habuimus Creatorem Dominum, judicem Deum, et utique juste eum timuimus ; quia Creatorem nostrum, cui nos creatura ejus tantam injuriam fecimus, quod eum in primo homine contempsimus, nolentes esse subjecti ; sed ex consilio diaboli tentavimus ei fieri pares. *Eritis*, ait, *sicut dii scientes bonum et malum* (*Gen.* III). Merito potuimus timere Dominum nostrum, quem sicut mali servi offendimus. Merito enim Dei judicium potuimus timere, qui nihil dignum habuimus, quo possemus tantum expiare peccatum.

Non erat ante hunc diem, unde secure gauderet homo, nisi inquantum cognovit vel credidit hunc diem futurum. Hodie autem vobis dicitur : *Nolite timere*, sed amate ; nolite tristari, sed gaudete. Ecce angelus de cœlo adest, annuntians vobis gaudium magnum. Gaudete ergo pro vobis, gaudete et pro aliis ; quia gaudium hoc non solum est vobis, sed omni populo. O quale gaudium, quam magnum, quam dulce, quam desiderabile ! Huc usque tristabamini, quia mortui eratis ; sed jam gaudete, quia ad vos vita venit, ut vivatis. Tristabamini, propter tenebras vestræ cæcitatis ; sed gaudete, quia hodie *exortum est lumen in tenebris rectis corde* (*Psal.* CXI). Tristabamini, quia miseri eratis ; sed nobis natus est misericors et miserator, ut vos ad beatitudinem transeatis. Tristabamini, quia oppressi eratis mole peccatorum, sed gaudete modo, quia hodie natus est Salvator, qui salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc est gaudium, quod annuntiat Angelus. *Natus est hodie Salvator*. Timuistis huc usque eum qui creavit vos ; amodo amate eum, qui sanabit vos. Timuistis huc usque judicem vestrum ; amate amodo Salvatorem vestrum. *Natus est*, ait, *vobis hodie Salvator*. Quis est iste, vel qualis ? Audite. *Qui est Christus Dominus* : chrisma Græce, unctio Latine. Inde Christus, id est unctus. Ecce qualis venit Salvator noster Christus venit, unctus venit. *Ipse* enim *tanquam sponsus* processit *de thalamo suo* (*Psal.* XVIII) ; et unctus processit, ut magis placeret sponsæ suæ. Sed unde unctus ? Audi : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis* (*Psal.* XLIV). Ecce lapis quem unxit oleo sanctus Jacob. Ipse lapis hodie abscissus de monte sine manibus, id est natus de Virgine sine opere virili, processit unctus oleo exsultationis. Et bene oleo exsultationis, quia *exsultavit ut gigas ad*

Digitized by Google

currendam viam (*Psal.* XVIII); exsultavit et cucurrit. Quod nobis per Apostolum suum præcepit, hoc ipse primitus exhibuit. Dicit Apostolus : *Non ex tristitia, aut ex necessitate, quia hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Sic ipse primo unctus oleo exsultationis, viam qua nos salvavit, non ex tristitia aut ex necessitate, sed sua bona voluntate, et cum magna exsultatione ingressus est. Merito ergo Christus, quia unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis. Consortes ejus vocat omnes sanctos, qui ejus nominis participes sunt, vocati a Christo Christiani.

Similiter et sanctos Veteris Testamenti qui, licet hoc nomine non vocarentur, re tamen, quam hoc nomen significat, non fraudantur. Omnes sunt uncti oleo lætitiæ, de quibus dicit Apostolus : *Spe gaudentes* (*Rom.* XII). Sed quia omnes aliquid inveniunt in seipsis peccati, unde debeant contristari : ipse qui nullum habebat peccatum, digne dicitur unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis. *Myrrha*, inquit, *et gutta, et casia a vestimentis tuis.* O Christe, o uncte, o quantum fragrant hæc vestimenta tua ! Vestimenta ejus membra sunt corporis assumpti pro nobis : *Verbum caro factum est* (*Joan.* I). Ibi myrrha, ibi gutta, ibi casia. O dulcia unguenta uncti nostri ! Ille qui in se est vita immortalis, pro nobis mortalis factus est : ideo myrrha. Ille qui per præsentiam divinitatis omnia implet, pro nobis exinanivit semetipsum, factus sicut aqua effusa : ideo gutta. Ille quem tremunt angeli, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II) : ideo casia. Myrrha, qua mortua corpora solent inungi, significat mortalitatem. Gutta, quæ per parvas guttas colligitur, significat exinanitionem, quapropter nos minoratus est paulo minus ab angelis. Casia humilis herba vel arbor, sed odorifera, significat humilitatem ejus, cujus odor per totum mundum respersus est. Merito ergo Christus, merito unctus, merito oleum effusum nomen tuum : ideo adolescentulæ te, quem prius timuerunt, sentientes hunc odorem unguentorum tuorum, dilexerunt. Ergo, fratres, teramus hæc unguenta sedula meditatione in corde. Cogitemus quam dulcis nobis debet esse myrrha mortalitatis ejus, per quam nos ab omni mortalitate liberamur : quam dulcis ejus minoratio, qua nos ad cœlestia sublevamur ; quam dulcis ejus humilitas, qua nos exaltamur. Consideremus quantum se Christus inclinavit propter nos. Videte mira. Appropinquante morte, Christus tristatur (*Matth.* XXVI), et Paulus lætatur (*Philip.* I). Mortuo amico suo Lazaro, Christus plorat (*Joan.* XI) ; et non plorat mulier illa Machabæa, in morte horrenda septem filiorum (*I Mac.* VII). Venit Joannes Baptista non manducans, neque bibens ; venit Christus manducans et bibens, et vorator et potator vini appellatur (*Matth.* XI). Non sapiunt tibi ista, o Judæe, sive pagane, non tibi sapiunt, nullum hinc sentis odorem. Imo hinc paganus nobis opponit stultitiam, hinc sibi Judæus scandalum sumit. Quare ista tibi non sapiunt, quare non fragrant ? Non utique, quod ista sapida non sint et odorifera ; sed quia tu insipidus es, et putidus. Mihi certe magis sapit tristitia tua, Domine Jesu, quam omnis mundi lætitia. Magis mihi dulces sunt tuæ lacrymæ, quas fudisti in morte amici ; quam illa fortitudo philosophorum, qui sapientem nullo volunt affectu moveri. Dulcius certe mihi olet cibus tuus et potus in medio peccatorum et publicanorum, quam rigida abstinentia Pharisæorum. Certe odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Quomodo mihi sapit, quod cerno Dominum majestatis exhibentem se, quantum ad corporalia exercitia, et humanas affectiones, non secundum modum fortium, sed secundum modum infirmorum ! Quantum me confortat hoc in infirmitate mea !

Hæc certe infirmitas Domini mei, sine dubio fortitudo et firmamentum est infirmitatis meæ. Unde monendi estis, qui fortes estis in religione et ad asperitates omnes promptissimi, ut non eos temere judicetis, quos videtis aliquando temperare rigorem suum secundum esse infirmorum. Si enim videro fratrem meum, cujus corporis et animæ curam habeo (non enim totum hominem diligo, si quorumlibet istorum aliquid negligo), si ergo videro eum necessitatem patientem, vel propter asperitatem ciborum, vel laborum, vel vigiliarum ; si, inquam, videro eum cruciari corpore et corde tentari (valde difficile est, quando caro nimis affligitur, ut mens non tentetur) ; si ergo videro eum sic afflictum, et habuero substantiam mundi, et clausero viscera mea ab eo, quomodo charitas Dei manet in me? (*I Joan.* III.) Certe, si semper me habeo secundum rigorem fortium, et non aliquando condescendo ad esse infirmorum, non curro in odore unguentorum Christi ; sed in duritia Pharisæorum, qui se jactabant de rigore abstinentiæ, et judicabant discipulos Domini, imo ipsum Dominum, vocantes eum voratorem et potatorem vini. Hoc utique cavendum est ne sub specie condescensionis nutriatur mollities remissionis ; sed tenendum est illud B. Gregorii, ut nec districtio rigida, nec pietas sit remissa. Curramus ergo, fratres, curramus in odorem unguentorum istorum, quibus unctus est Christus ; curramus cum pastoribus ad unctum nostrum, quia quod eis dictum est, dicitur et nobis ; quia videlicet : *Natus est nobis hodie Salvator mundi, qui est Christus Dominus.* Et bene additur. *Dominus.* Si quis propter fetorem vitiorum carnalium non potest sentire odorem istum, nec ideo potest amare unctum, id est Christum ; timeat saltem Dominum ; quia natus est nobis hodie Salvator mundi, qui est Christus Dominus in civitate David. Ipsa est Bethlehem, ad quam debemus currere, sicut fecerunt pastores, audito rumore isto. Sicut enim cantare soletis : *Gloriam Deo cantaverunt, cucurrerunt in Bethlehem. Et hoc*, ait, *vobis*

Digitized by Google

signum. Invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio (*Luc.* II). Ecce quod dixi, quia amare debetis. Timetis Dominum angelorum, sed amate infantem parvulum ; timetis Dominum majestatis, sed amate involutum pannis ; timetis regnantem in cœlo, sed amate jacentem in præsepio. Sed quale signum acceperunt pastores ? *Invenietis infantem pannis involutum, et jacentem in in præsepio.* Quod ipse est Salvator, quod ipse est Christus, quod ipse est Dominus. Sed quid magnum est involvi pannis, jacere in stabulo ? Nonne et alii infantes involvuntur pannis ? Quale ergo hoc signum est ? Magnum certe, si tamen intelligimus. Intelligimus, si non solum istum amorem audimus, sed etiam lucem, quæ cum angelis apparuit, in corde habemus. Ideo cum luce apparuit, quando istum rumorem primo nuntiavit, ut sciamus quia illi soli vere audiunt, qui lucem spiritualem in mente habent.

Multa dici possunt de hoc signo ; sed quia hora præteriit, parum quid inde dicam, et breviter. Bethlehem *domus panis* sancta Ecclesia est, in qua ministratur corpus Christi, verus scilicet panis. Præsepium in Bethlehem, altare in ecclesia. Ibi pascuntur animalia Christi, de quibus dictum est : *Animalia tua habitabunt in ea* (*Psal.* LXVII). De hac mensa scriptum est : *Parasti in conspectu meo mensam* (*Psal.* XXII). In hoc præsepio est Jesus pannis involutus. Involutio pannorum est tegumentum sacramentorum. In hoc præsepio in specie panis et vini est verum corpus et sanguis Christi. Ibi ipse Christus esse creditur ; sed involutus pannis, hoc est invisibiliter in ipsis sacramentis. Nullum tam magnum et evidens signum habemus nativitatis Christi, quam quod in sancto altari sumimus quotidie corpus et sanguinem ejus ; et quod illum, qui semel pro nobis natus est de virgine, quotidie cernimus pro nobis immolari. Ergo, fratres, ad præsepium Domini festinemus ; sed quantum possumus, prius ad accessum hunc nos per gratiam ejus præparemus, quatenus sociati angelis, et *corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* I), cantemus Domino in omni vita et conversatione nostra : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

IN APPARITIONE DOMINI.

Ante dies aliquos intimavimus vobis, fratres, *exortum in tenebris lumen rectis* corde (*Psal.* CXI) ; exortum illum, quem unxit Deus Pater oleo exsultationis, præ consortibus suis (*Psal.* XLIV). Sed non potuit sermo noster exprimere dulcedinem et virtutem illius unctionis. Talis est virtus Christi, ut nulla lingua possit eam exprimere ; nullum cor, ita ut dignum est, cogitare. Sed quod homo non potest verbis, Deus rebus ostendit. Placuit benignitati ejus manifesta rerum exhibitione hodie nobis potentiam suam intimare. Mundi hujus sapientes parvas admodum res, scilicet regum victorias, prælia fortium, vel certe siderum cursus, ipsum etiam mundi situm, pulchris et ornatis sermonibus eloquuntur ; nostri autem piscatores magna et mirabilia, quæ cognoverunt de Deo, paucis et simplicibus verbis, sed testimonio magnarum rerum ostenderunt. Sciebant namque se esse debitores, non solum sapientibus, sed etiam insipientibus ; non solum ingeniosis, sed etiam idiotis : et ideo simpliciter loquebantur, ut omnes possent intelligere, tam apertis rebus probabant quæ dicebant, ut omnes possent videre. Illos nos imitari oportet ; ad utilitatem simplicium aptantes verba nostra, propter gloriam Christi, et ipsorum profectum. Dixi- B mus vobis alia vice quod Christus in hunc mundum venit peccatores salvos facere : Christus autem *unctus* dicitur ; virtus autem hujus unctionis hodie palam innotuit. Natus est Christus in Judæa, et statim odorem unctionis illius senserunt illi, qui fuerunt in Chaldæa : et completum est in ipso Domino nostro quod postea Apostolus de se et suis similibus dixit : *Bonus odor sumus Deo in omni loco : aliis odor vita in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* II).

Hoc hodie factum est de ipso Christo : a quo omnis odor bonus. Quid enim significat bonus odor, nisi bonam famam ? Et quæ fama melior aut dulcior quam quod, qui parvulus jacebat in præsepio, Deus esset, et Dominus, et totius mundi salus ? C Hanc famam audierunt pagani, audierunt et Judæi. Prius vivebant Judæi, et mortui erant pagani : sed statim, quando utrique hunc odorem senserunt, revixerunt pagani et mortui sunt Judæi. Paganis erat odor iste ad vitam, Judæis ad mortem. Statim enim ut isti reges, de quibus loquitur Evangelium, per stellam quam viderant in Oriente, nativitatem Domini cognoverunt, venerunt cum muneribus adorare eum : et mox ut Herodes famam ejus audivit, cum Judæis quæsivit ingenium, quomodo occideret illum. Tunc cœpit illa cæcitas esse in Israel, de qua dicit Apostolus : *Cæcitas ex parte contigit in Israel* (*Rom.* XI). Tunc etiam cœpit oriri illud lumen, quod Dominus per prophetam Ecclesiæ suæ, quam collecturus erat de gentibus, promisit, dicens : *Surge,* D *illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum* (*Isai.* LX). Hæc est Jerusalem, quam Dominus Jesus, qui pax vera et summa est, ædificat de vivis lapidibus : quæ ad ejus visionem tendit, in ejus visione beatam se futuram certissime credens. Ipsa est sancta Ecclesia, ipsa unaquæque congregatio sancta, ipsa unaquæque anima sancta. *Surge,* inquit, *illuminare, Jerusalem.* Merito ei dicitur, *surge,* quæ jacebat ; merito ei dicitur, *illuminare,* quæ cæca erat. Jacebat cæca in tenebris, in erroribus, in iniquitatibus. Dicitur ergo ei, *surge,* quia jam se inclinaverat, qui eam erigeret ; dicitur, *illuminare,* quia jam aderat, qui eam illuminaret. Quid aliud clamat hodie stella nova de cœlo, nisi : *Surge, illuminare ?* Signum

Digitized by Google

Dominicæ nativitatis ideo in cœlo apparuit, ut a terrenarum rerum amore surgamus ad cœlum. Et hoc signum ideo in stella, ut per ejus nativitatem nos illuminandos sciamus. Sed cui hoc clamabat illa stella? Non utique Judæis, qui cæci erant; non Jerusalem sanguinariæ, quæ mox pacis audita præsentia turbata est, et ipsam pacem occidere quærebat pace perdita, sed sine dubio illi reginæ Jerusalem, quæ festinavit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, qui *pacificus* interpretatur. Et ideo illa est Jerusalem, quæ *visio pacis* interpretatur, quia ad videndum pacificum veniebat. Regina hæc Ecclesiam significat de paganis : nam et ipsa regina pagana erat. Et Ecclesia sine dubio regina est quæ tot gentes et populos regit, de qua dicit David : *Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato* (*Psal.* XLIV). Ista Ecclesia hodie cœpit nasci in illis paganis, qui viderunt stellam istam, et ejus significationem intelligebant. Ergo ista regina hodie venit a finibus terræ videre faciem ejus, de quo dicitur : *Ecce plusquam Salomon hic* (*Matth.* XII). Vere plusquam Salomon, quia ille tantum Salomon, id est pacificus : iste ita est pacificus, ut sit etiam ipsa pax, sicut dicit Apostolus : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II). Et ideo illa nostra regina bene dicitur Jerusalem, id est visio pacis, quia ad ipsam pacem properabat. Et hæc regina nostra pulchre etiam dicitur regina Saba. Saba quippe *captivitas* interpretatur. Ecclesia plane est regina Saba; quia componit et regit bene istam captivitatem, in qua peregrinatur ab illo regno, in quo nulla est captivitas, nulla miseria : quod regnum ipsa percipiet in die judicii, dicente Domino : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est*, etc. (*Matth.* XXV) Hæc regina, id est Ecclesia sancta de gentibus, ante istum diem jacuit; ante istum diem cæca fuit; sed ei hodie dicitur : *Surge, illuminare.*

Hodie in istis tribus paganis regibus surrexit de illa pessima consuetudine, de illo immundo lecto, in quo cum dæmonibus fornicabatur, quia idola, et simulacra, et dæmonia adorabat; et cœpit concupiscere illum speciosum *forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV), faciem scilicet veri Salomonis. Cæca erat ante hunc diem; sed hodie erigens oculos ad illam mirabilem stellam, quasi audiens : *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII), cœpit quærere illud verum lumen, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Videtur mihi hodie Deum dicere : *Fiat lux : et facta est lux* (*Genes.* I). Creaverat prius cœlum et terram; sed terra erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi. Cœlum erat S. Simeon, qui Dominum agnovit infantem; cœlum S. Anna prophetissa; cœlum Zacharias et Elizabeth, et cæteri spirituales, qui erant inter Judæos. Terra adhuc erant isti tres reges, in quibus sanctam Ecclesiam diximus significatam. Terra erant : nihil nisi terram sapiebant.

A Terra autem hæc erat inanis et vacua : inanis veritate; vacua ab omni bono opere. Tenebræ quoque erant super faciem abyssi. Abyssus anima est, propter nimiam naturæ suæ profunditatem; facies abyssi ipsa mens. Super hanc faciem abyssi tenebræ erant : tenebræ erroris, tenebræ gentilitatis, tenebræ horrendæ infidelitatis. Sed hodie eis dicitur : *Surge*, qui terra erant; *illuminare*, his, quibus tenebræ erant super faciem abyssi. Hoc est, *Fiat lux*, quod est, *Illuminare*. Cum fide et cognitione Dei gentiles illuminantur, lux fiunt, et audiunt a Paulo : *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V). Sed unde illis hoc lumen? *Surge*, ait, *illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum*. Hæc est tota causa, quare illuminatur sancta Ecclesia : B primo in illis tribus regibus, et postea in omnibus gentibus. Hæc est tota causa, quæ ei dicitur per prophetam : *Quia venit lumen tuum*. Exortum est est enim in tenebris. Sed quibus? Non perversis corde, permanentibus in tenebris suis; sed rectis corde, qui ipsum lumen agnoscentes, adorare desideraverunt. Dicitur terræ inani et vacuæ, ut surgat, id est ut ad cœlestia desideranda se præparet. Et quasi respondenti : Non video, quæ cœlestia, quæ spiritualia debeo desiderare, subjungitur, *Illuminare.*

Et videte, quam pulchre in istis duabus lectionibus, prophetica videlicet et evangelica, quæ hodie recitantur in Ecclesia, duo Testamenta conveniant. Videmus aperte Evangelium in prophetia, et C prophetiam in Evangelio, quasi rotam in rota. In prophetia dicitur sanctæ Ecclesiæ de gentibus : *Surge, illuminare, quia venit lumen tuum;* in Evangelio narratur quando ipsi Ecclesiæ de gentibus apparuit nova stella in cœlo, quæ eam a terrenis operibus surgere commoneret, et ad verum lumen noviter natum invitaret. In prophetia additur : *Et gloria Domini super te orta est* (*Isai.* LX). In Evangelio narratur quando ipsa stella, in qua magna gloria Domini apparebat, super ipsos tres reges, in quibus tunc erat sancta Ecclesia, manifeste orta est. Sed hoc secundum litteram. Secundum spiritualem sensum, quid est, quod sanctæ Ecclesiæ dicitur : *Quia gloria Domini super te orta est?* Carnales Judæi ante D hoc tempus glorificabant Dominum; sed omnis illa gloria sub ipsis erat, non super ipsos. Omnia enim terrena et transitoria, omnes divitiæ, omnis honor mundi, sine dubio sub homine est, non supra hominem. Quod autem illi carnales Judæi glorificabant Dominum, ideo faciebant, quia eis Dominus terrena bona promittebat. Ideo illam gloriam Domini, qua eum glorificabant, quasi sub se habebant, quia non aliud quam temporalem mercedem quærebant. Sed hodie sanctæ Ecclesiæ dicitur : *Surge, quia gloria Domini super te orta est*, ut filii sanctæ Ecclesiæ cor suum a terrenis, ad cœlestia dirigant, et nec pro terrenis, sed pro cœlestibus Deo serviant, et glorificent eum. Sed videamus, quid in prophetia sequitur, quid in Evangelio. *Quia ecce*, inquit pro-

Digitized by Google

pheta, *tenebræ operient terram, et caligo populos* (*ibid.*). Sed hæc nunc ei dicuntur, quasi ad priora respondisset Ecclesia de gentibus mirata, quod sui curam haberet Deus. Quare me modo vocas? In principio abjecisti me, et ad opus tuum elegisti Judæos, sicut scriptum est. *Quando dividebat Altissimus gentes*, etc. *pars Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus* (*Deut.* XXXII). In illa plebe prophetæ, et justi, et sancti qui tibi placent. Me ergo nunc quare, inquit, vocas? Audi quare: *Quia ecce tenebræ operient terram.* Terram vocat Judæos, quia terram tantum sapiebant, et nihil nisi terrena cupiebant. Hanc terram tenebræ operiunt; quia sicut ait Apostolus: *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret* (*Rom.* XI).

Recipiunt hodie pagani veram lucem, ad cujus præsentiam cæcantur Judæi. Et audite quomodo istas tenebras Evangelium ostendit; et quomodo ipsos Judæos secundum istam prophetiam cæcatos esse describit. Venerunt isti tres reges, de quibus locuti sumus, in Jerusalem et dixerunt: *Ubi est, qui natus est rex Judæorum?* (*Matth.* II.) Statim ut Herodes audivit istum sermonem, turbatus est. Quare, nisi quia terra erat, et tenebræ operuerunt terram? Timuit perdere terrenum regnum suum; ideo quando audivit quod natus est rex Judæorum, turbatus est, et excæcatus; quia ipse nihil aliud nisi terrenum regnum quærebat; nihil illum, qui natus est, nisi regnum terrenum quæsiturum putabat. Et non solum *Herodes turbatus est*, sed *et omnis Jerosolyma cum illo* (*Matth.* II); quia tenebræ operiebant terram: et caligo populos. Turbata est illa Jerusalem terrena, illa quæ occidit prophetas, et lapidat eos. Sed mater nostra Jerusalem illa spiritualis, sancta scilicet Ecclesia de gentibus, non est turbata, sed gavisa. Ideo adjunxit propheta: *Super te autem orietur Dominus: et gloria ejus in te videbitur* (*Isai.* LX). Et inter ista duo posuit excæcationem illam carnalium Judæorum. Videte quam pulchre his omnibus convenit Evangelium. Sic sine dubio sancta Ecclesia, quam hic propheta alloquitur primo in illis tribus regibus paganis vidit gloriam Dei super se, quando nova illa stella annuntians natum Dominum illis apparuit. Postea statim venientibus illis in Jerusalem apparuit tanta cæcitas Judæorum, ut illum qui natus erat, Christum putarent, et tamen ad occidendum eum quærerent. Et iterum mox ut ipsi reges egrediuntur de Jerusalem, *stella*, ista *quam viderant in Oriente antecedebat eos: usque dum veniens staret supra ubi erat puer* (*Matth.* II). Ideo forte propheta postquam dixerat de Judæis: *Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos:* quod sine dubio factum est, quando Herodes rex turbatus est et omnis Jerosolyma cum eo; convertit se statim ad reginam nostram, et ait: *Super te autem orietur Dominus.* Sine dubio stella ista quam viderunt super se isti pagani, significat quod Dominus noster, qui natus erat super sanctam Ecclesiam, de A paganis regnaret. *Et gloria ejus*, ait, *in te videbitur.*

Hodie, fratres, hodie pro certo visa est gloria Domini Ecclesiæ de gentibus. Nonne magna gloria Domini visa est, quando illum parvum et pauperem, et pauperis puellæ filium, reges adorabant, et munera offerebant? Et tamen, fratres, parum est hoc ad aliud quod significatum est in illis regibus, et istis muneribus. Veniat nunc in memoriam regina illa memorata, quæ venit a finibus terræ videre faciem Salomonis, et audire sapientiam ejus (III *Reg.* X). Non venit vacuis manibus, sed munera pretiosa valde obtulit Salomoni. Ecce in istis tribus paganis hoc quod significat illa regina, id est sancta Ecclesia de paganis. Ibi munera, et hic munera. Quare? B Quia sine dubio significatum est quod per universum mundum sancta Ecclesia oblatura erat munera spiritualia Domino nostro Jesu Christo; unde sequitur in propheta: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo: et reges in splendore ortus tui* (*Isai.* LX). Videtis quod ubique ambulant gentes in lumine sanctæ Ecclesiæ. Quod est lumen Ecclesiæ, nisi quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* Est et sanctum Evangelium lumen Ecclesiæ, quia quædam clarissima stella, per quam illuminatur, et ambulat de virtute in virtutem, ut veniat ad Jerusalem, et offerat ei aurum, thus et myrrham. Aurum significat idem divinitatis ejus; myrrha, humanitatis; thus, sacrificii, quod ipse obtulit pro nobis ad C placandum nobis Deum Patrem. Hæc sunt munera, hæc sunt aromata, quæ nostra regina veniens a finibus terræ, id est omnibus partibus mundi, offert vero Salomoni. Unusquisque nostrum erat in Saba, id est in captivitate. Utique in captivitate fuimus, quando fuimus in sæculo. Eramus captivi in vitiis, in peccatis, in potestate diaboli: vincti vinculis pessimarum consuetudinum fuimus inter Chaldæos, qui interpretantur, *quasi dæmones.* Quasi dæmones sunt, qui soli nolunt ire in perditionem; sed et quoscunque possunt, decipiunt, et ad vitia trahunt, quibus ipsi implicantur. Inter tales fuimus, imo tales fuerunt multi nostrum. Sed ibi audivit anima nostra: *Surge, illuminare, Jerusalem.* Ibi audivimus famam veri Salomonis, et cœpimus desiderare ve- D nire ad eum. Sed quia cæci eramus et paralytici, jacentes in desideriis carnis nostræ, quasi in grabato, dissoluti, infirmi, et ad nullum bonum opus idonei, et ignorantes viam, quæ ducit ad vitam; necesse erat ut diceret unicuique nostrum: *Surge*, ut possis ambulare, *illuminare*, ut possis rectam viam agnoscere. Quando per gratiam visitationis suæ excitavit vos Deus, ut indignaremini peccatis vestris, tunc dixit: *Surge.* Quando bonæ æmulationis inspiravit affectum, tunc dixit: *Illuminare.*

Sed quid est quod anima in tenebris existens, jacens in peccatis, vocatur Jerusalem, nisi quia hoc erat futurum ut de confusione transiret ad pacem? Vocavit eam Jerusalem, ut hoc audito nomine sug-

Digitized by Google

gereret ei occulta inspiratione, ad quid creata erat, et qualis ; quatenus hæc advertens, erubesceret fetorem vitiorum suorum, et converteret se fideliter ad eum, qui pax et gloria est omnium sanctorum suorum. Ad ipsum nos prævia stella perducit, quæ illum nuntiat et ostendit. Apparendo nuntiat, et antecedendo ac stando super domum, ubi est ipse, ostendit. Stella, fratres, stella, quæ nos perducit ad Jesum, sancta Scriptura est. Ecce jam venit lumen nostrum ; quia propter nos, et propter nostram salutem, Deus homo factus est, *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III), ut in virtute Verbi et vitæ exemplo illuminaret sedentes in tenebris, et dirigeret eos in viam pacis (Luc. I). Non erat mirum quod ante adventum Domini pagani jacebant in peccatis suis, et tenebris errorum, quando nihil de Deo audierant, quando lumen Scripturarum non noverant. Sed modo magna confusio est, jacere in carnalibus desideriis et in tenebris iniquitatum ; quia jam venit lumen verum, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Jesus Christus. Non possumus ulterius excusationem habere de peccatis nostris, quoniam manifeste nobis loquitur Christus, qui aufert peccata mundi, et justificat impios. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII). Et quæ est via, per quam ipse ambulat, et quæ ducit ad ipsum ? Dicat ipse, dicat : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX). Demonstrat etiam Apostolus viam quæ ducit ad Christum : *Per multas*, inquiens, *tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV). Item Dominus in Evangelio : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Hæc est via, per quam ambulavit Jesus, et per quam veniemus ad eum, propria videlicet voluntatis abnegatio, imitatio passionis Christi, hujus vitæ adversitas, voluntaria paupertas. Hanc viam sancta Scriptura nobis ostendit, quæ significatur per stellam istam, quæ, sicut diximus, tribus regibus apparuit. Estote igitur reges, sit et anima vestra regina, et regina Saba. Adhuc enim estis in Saba, id est in captivitate, et videte, quali. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati* (*Rom.* VII), Ecce Saba ; sed carnales in vobis ipsis comprimite motus, ne *regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI) ; et reges estis, et anima vestra regina Saba. Sed quia per ducatum Evangelii pacis, quasi stella duce et prævia, pergitis itinera, quæ ducunt ad Christum, sine dubio venietis ad eum, et adorabitis eum. Sed quoniam vacua manu non oportet venire ad Christum, vel eum adorare, præparate ei munera vestra. Offerte illi aurum, id est charitatem veram ; offerte thus, id est orationem puram ; offerte myrrham, carnis videlicet vestræ mortificationem. Talibus muneribus placabitur vobis Deus : ut et ipse oriatur super vos, et gloria ejus videatur in vobis. Ipse enim glorificabitur in vobis, et gloriæ suæ vos participes faciet : quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

Congregatos vos video, fratres, ut pascamini cibo qui permanet, pabulo salutaris verbi Dei. Sicut dicit Dominus, *cœlum et terra transibunt*, verbum autem Domini permanet in æternum (*Matth.* XXIV ; *Luc.* 21). *Hic est panis, qui de cœlo descendit* (*Joan.* VI), et dat vitam mundo. Istum panem petitis, sicut parvuli Domini Jesu, de quibus ipse dicit : *Sinite parvulos ad me venire ; talium est enim regnum cœlorum* (*Marc.* X). Sed ne deficiatis in via, veniendo pasci vultis : et pasci utique pane illo, qui mentem potius implet, quam ventrem. Det Dominus, ut sit qui frangat eum vobis, ne de nobis dicatur : *Parvuli petierunt panem : nec erat qui frangeret eis* (*Thren.* IV). Sicut vestrum est petere panem, ita et nostrum est frangere. Frangendus est nobis panis, quem concessit vobis Deus in itinere peregrinationis vestræ, ut ad illum panem pervenire possitis, quem vobis integrum servat cum angelis in patria vestra. Panis peregrinationis vestræ mysterium est Incarnationis Christi et veritas doctrinæ, atque exemplum humilitatis ejus, et fidelium suorum. Panis patriæ vestræ, quo pascuntur angeli, facies Dei est : participatio divinitatis, et possessio gaudii, quod nec *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II). Ut istum panem angelorum avidius desideretis, et ad eum ardentius festinetis, Evangelium administrat vobis hodie panem, qui fortitudinem dabit spiritui vestro in via ista exsilii vestri. Apponit vobis purificationem matris Dei sanctæ Mariæ dominæ nostræ, et oblationem ipsius Salvatoris. Frangendus est panis iste, ut comedatur, quia exponenda sunt ista ut intelligantur. Illa se purificat, quæ illum genuit qui nullum habebat omnino peccatum, imo qui sufficiebat totum mundum purificare, ille dedit sacrificium pro se, qui erat sacrificium pro toto mundo. Quare hoc totum ? Primum, quia non erat adhuc tempus ut lex Moysi dimitteretur. Deinde, quia volebat ostendere, quod lex Moysi bona erat, quando eam ipse implebat. Postremo voluit nos docere ut quæramus aliquid spirituale in illis corporalibus observantiis, quas Judæi observabant.

Quare præceptum est ut infans circumcideretur octava die, et ut ejus mater post dies 40 intraret in templum, et tunc cum filio et sacrificio ? Quare etiam præceptum est ut omnes partem carnis suæ abscinderent, et illam partem, unde homo solet plus erubescere ? Posset aliquis putare talem observantiam turpem, non sanctam, nisi Dominus ipse primo præcepisset eam, et postea servasset. Verum sancta erat observantia ista, quia per istam observantiam purgabatur homo a peccato originali, et significabat fidem, quam habemus in Domino Jesu, per quam fidem purgamur ab omnibus peccatis. Sed licet

multi fuerunt qui non exierunt de lumbis Abrahæ, sicut fuit sanctus Job; tamen filiis Abrahæ præceptum circumcisionis specialiter datum est : et quod illi qui erant de genere Abrahæ, unam partem præcidebant illius membri (*Gen.* XVII), per quod generant homines et generantur in carnali corruptione et delectatione, significat quod Dominus Jesus de stirpe ejus nasceretur, sed sine omni corruptione et delectatione carnis. Et sicut illi filii Abrahæ abscidebant sibi partem illam carnis, in qua maxime regnat voluptas, ita nos spirituales filii Abrahæ abscidere debemus omnem carnalem delectationem : et hoc die octavo. Quare? Quia, sicut illi octavo die per hoc sacramentum a peccato, in quo per corruptionem nati sunt, purgabantur, ita Dominus noster, qui natus est de genere Abrahæ, per suam resurrectionem, quæ die octavo facta est, id est post septimum, qui dictus est Sabbatum, deposita omni mortalitatis et corruptionis infirmitate, immortalem et incorruptibilem resuscitavit ipsam carnis naturam, quam acceperat de nobis et pro nobis. Similiter nos per fidem resurrectionis Domini nostri purgamur ab omnibus peccatis. Post circumcisionem sequitur purificatio. Ante circumcisionem immunda erat mulier, immundus infans; post circumcisionem nec ex toto mundi, nec ex toto immundi. Nam si ex toto mundi essent, non indigerent purificatione, nec prohiberentur ingredi templum. Si autem non inesset illis major immunditia ante circumcisionem, non esset præceptum, ut si mulier habuisset infantem, immunda haberetur, quando infans debebat circumcidi.

Retinete quod diximus de circumcisione; et sic frangamus istum panem, ut possit saporem habere. Mihi videtur quod mulier ista significat humanam naturam, quæ immunda per vitia et peccata projecta est de paradiso. Fuerunt nonnulli, qui sine fide Christi propria virtute se putabant posse justificari, et venire ad Deum. Hoc credebant multi et maximi philosophi; sed decepti sunt. Generabant filios, id est virilia opera faciebant in abstinentia, et contemptu mundi, et continentia carnis. Generabant filios, quia multos discipulos habebant; sed quia ignorabant circumcisionem, et octavum diem, in immunditia permanebant, et qui generabant et qui generabantur. Ita in illis mater, id est humana natura, et filius, id est opera eorum, non poterant aliquam munditiam habere. Ideo docuit nos Dominus per Moysen, quomodo debet mundari hæc mulier, et filius ejus. Primo immunda est usque ad octavi diei circumcisionem. Circumcisio octavi diei fides est Christi, quæ maxime pertinet ad resurrectionem ejus. Nam mortuus fuit coram omnibus. Ideo non est meritum credere quod mortuus est, sed in hoc est meritum, credere quod occulte fuit factum. Per istam fidem habemus justitiam : per istam justitiam mundationem. Ideo dicit Apostolus : *Christus traditus est propter delicta nostra; et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV). Antequam homo habeat istam fidem, immundus est, et quidquid facit immundum est; sicut aperte dicit Apostolus : *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XI). Si peccatum et immundum, ergo mulier, quidquid generet, quidquid operetur, immunda erit usque ad octavum diem; quia humana natura semper in peccato est, et ipsa, et quidquid fecerit, donec veniat ad fidem Christi. Die octavo mulier suscipit mundationem, et humana natura in fide resurrectionis Christi suscipit remissionem peccatorum. Tunc puer circumciditur, quia opus a peccato mundatur : verbi gratia, ante fidem Christi habebat castitatem, sed ista castitas immunda erat, quia in peccato infidelitatis erat. Puer ergo octavo die circumciditur, quia in fide Christi castitas ista a peccato infidelitatis mundatur. Sed quid est quod per istam mundationem mulier quasi adhuc immunda purgatur? Multa genera sunt immunditiarum. Quædam immunditia venit ex natura, alia venit ex voluntate, alia venit ex infirmitate. Ex natura venit illa immunditia, quam habemus, quando nascimur : unde dicit sanctus Job : *Non est mundus a sorde; nec infans, cujus est unius diei vita super terram* (*Job* XIV). Ideo dicit David : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L). Hanc immunditiam considerabat sanctus Job, qui dixit : *Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine?* (*Job* XIV) Propter istam immunditiam omnes homines, quando nascuntur, sunt filii gehennæ, et filii iræ. Propter istam immunditiam erat circumcisio in veteri lege : quæ ideo purgabat hominem ab ista immunditia, quia significabat fidem Domini nostri Jesu Christi. Ista sola immunditia sufficiebat homini ad damnationem.

Sed quis est qui non ad istam immunditiam aliam addidit ex propria voluntate? De ista immunditia dicit Scriptura : *Non est justus super terram, qui faciat bonum, et non peccet* (*Eccle.* VII). Et si justus auget istam immunditiam, quanto illam augent adulteri, fornicatores, homicidæ, fures! Et tamen omnes istas immunditias mundat baptismus, et post baptismum pœnitentia : et hoc, octava die, in fide resurrectionis Domini nostri Jesu Christi. Est adhuc quædam immunditia, quæ provenit ex infirmitate. De illa dicit Apostolus : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati* (*Rom.* VII). Quis est, fratres, qui possit gloriari, quod non habeat in se istam immunditiam? Inde mala desideria et malæ delectationes; inde inordinati motus in membris nostris; inde vanitates et pervagationes cordis humani. Jam videte, fratres, purgati estis ab illis magnis immunditiis, id est vitiis damnabilibus. Purgata sunt opera vestra, quasi filii circumcisi octavo die. Nunquid tamen potestis statim ingredi templum, illud scilicet quod sursum est in illa cœlesti Jerusalem? Sed quis, quandiu manet in ista carne, potest ingredi in illud templum? *Transibo*, ait David,

Digitized by Google

in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei (*Psal.* XLI). Sed putari potest quod hoc post mortem futurum dixerit. Sed audi quod sequitur : *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* (*ibid.*) Quare ergo tristis erat anima ejus, nisi quia descenderat de illo templo iterum ad seipsum, ubi invenit miseriam et dolorem? Audite alium, qui jugiter in illo templo manebat. *Nostra*, ait, *conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III). Ergo, fratres, non statim, quando purgamur a peccatis nostris per baptismum vel per confessionem, possumus ascendere in illud templum. Quare? Utique propter quasdam immunditias, quæ nos comitantur. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Quando enim volumus levare cor nostrum sursum, et conari ad hoc, ut possimus ascendere ad illud templum, veniunt quædam cogitationes in corde nostro de illis vitiis quæ fecimus, et illis vanitatibus quas secuti sumus : quæ non sunt adhuc deleta de memoria nostra, et trahunt cor nostrum deorsum, ut non possimus ascendere ad illud templum. Ideo necesse est ut sustineamus quadraginta dies, et quæramus sacrificium per quod possimus ita purgari ut valeamus ingredi hoc templum, de quo loquimur. Numerus iste, id est quadraginta, significat labores et tentationes quas debemus patienter tolerare, quandiu sumus in ista vita. Propter istam significationem filii Israel quadraginta annis fuerunt in deserto, ubi toleraverunt multas tentationes et multos labores; et sic venerunt in terram repromissionis. Propter istam etiam significationem Elias jejunavit quadraginta diebus, et sic venit ad montem Dei. Quia sine dubio qui cupit ingredi in illud cœleste templum, quod significat illa terra repromissionis, et ascendere ad montem Domini, et stare in loco sancto ejus (*Psal.* XXIII), necesse habet jejunare, et laborare, et ferre tentationes et ærumnas hujus vitæ, ut sic possit purgari *ab omni inquinamento carnis et spiritus* (*II Cor.* VII), et esse de illis, de quibus scriptum est : *Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Ideo, fratres charissimi, post purgationem baptismatis vel confessionis, si volumus mundo corde cœlestia rimari, et visitare Dei templum, necesse habemus purgationem quadraginta dierum sustinere, id est labores et tentationes præsentis vitæ patienter tolerare.

Debemus etiam quærere sacrificium. Quale? Par turturum aut duos pullos columbarum. Ambæ aves istæ solent gemere, nunquam cantare; et significant lacrymas et gemitum, per quæ possumus purgari ab omnibus vitiis nostris. Solent lacrymæ nasci illis, qui adhuc indigent purgatione, de duabus rebus, videlicet de timore et de pudore. Nam est tertium genus lacrymarum, quod non tam purgat quam impinguat et reficit; et illud genus lacrymarum oritur ex amore. Sed de illis duobus generibus debemus dicere per quæ possumus purgari. In gemitu columbæ intelligite illas lacrymas, quæ veniunt de timore. Columba enim habitat inter homines, ubi habet semper insidias et laqueos. In gemitu turturis intelligite illas lacrymas, quas pudor provocat. Turtur enim dicitur esse quædam verecunda avis, quæ non potest nisi unum tantum habere maritum, pro quadam, ut puto, naturali verecundia. Ideo dicit sponsus in Canticis animæ sanctæ : *Genæ tuæ sicut turturis* (*Cant.* I). Scitis quia in genis ostenditur pudor. Sancta anima habet genas, id est verecundiam turturis; quia ad omnes alios amores verecundatur, nisi ad amorem Dei. Ille offert columbam, qui pro timore Dei compungitur de peccatis suis, et lacrymas fundit. Ille offert turturem, qui pro verecundia de peccatis suis plorat ante Deum. Sed quare præceptum est offerre par turturum aut duos pullos columbarum? Quia debemus habere duplicem timorem, et duplicem verecundiam. Timorem, ne damnemur pro illis peccatis, quæ commisimus; et timorem, ne adhuc in peccatis incidamus. Nam quamvis verum sit quod Dominus dimittit omnia peccata illis qui convertuntur ad illum et faciunt pœnitentiam; tamen semper debemus timere; quia nescimus utrum digna sit nostra satisfactio. Iterum quamvis homo sentiat se esse in bono, tamen quandiu vivit, potest cadere in malum. Et ideo timere debemus semper, et in isto duplici timore flere coram Deo : et tunc offerimus duos pullos columbæ. Iterum debemus habere duplicem pudorem; pudorem, quia nosmetipsos per peccata et vitia contaminavimus et corrupimus; pudorem, quia omnibus bonis, quæ nobis Deus fecit, ingrati fuimus. Ipse nos creavit, nutrivit, et dedit sensum et intelligentiam : ipse, quod est super omnia, mortem suam pro nobis obtulit, et tamen nos fuimus ingrati omnibus, et insuper reddidimus mala pro bonis, et odium pro dilectione ejus. Ergo, fratres, qui hoc duplici pudore afficitur, et lacrymatur, offert par turturum. Per hoc sacrificium possumus sine dubio purgari : cum hoc sacrificio debemus filios nostros offerre Deo in templo, id est omnia opera nostra cum lacrymis Domino commendare, et transferre omnem thesaurum operum nostrorum, quasi filium nostrum in illud sublime templum, sicut præcepit Dominus, dicens : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo* (*Matth.* VI). In terra thesaurizat, ubi ærugo et tinea, id est superbia et vana gloria, qui facit opera sua, non in templo Dei, sed in oculis hominum. Ideo erigamus omnia opera nostra ad Deum, ut, sicut ille pro nobis hodie in templo est præsentatus, ita nos illi puris mentibus et actibus in illo cœlesti templo præsentemur. Quod ipse nobis præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

IN NATALI SANCTI BENEDICTI.

Scio quia soletis cum omni gaudio sanctorum festivitates, quandocunque occurrerint, suscipere, et per memoriam et repræsentationem vitæ et perfectionis eorum vosmetipsos ad spiritualem fervo-

Digitized by Google

rem excitare; tamen puto quia festivitas ista sancti Patris nostri Benedicti vobis dulcior est cæteris, et quodam modo acceptior : non quod ejus festivitas sit cæteris altior, sed quod ipse Pater noster est nobis cæteris sanctis propinquior. Nam in Christo Jesu per Evangelium ipse nos genuit. Quidquid enim puritatis habetis in castitate, omnem spiritualem dulcedinem quam habetis in charitate, omnem gloriam quam habetis in conscientia vestra de mundi contemptu, de laboribus, de vigiliis, de jejuniis, de voluntaria paupertate, de doctrina ejus est. Quidquid in meditationibus, in orationibus, in compunctione, in devotione, cæterisque spiritualibus rebus proficitis, nonne totum vobis Dei gratia per ejus ministerium et exemplum ministravit? Ideo ipse vobis cæteris sanctis est vicinior, ut non immerito ejus festivitas vobis debeat esse jucundior. Videte Israel secundum carnem, carnales scilicet Judæos : qui, quamvis sint de genere magnorum patrum Abraham, Isaac et Jacob, de quibus Dominus dicit : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III), quod utique Dominus dixit propter eorum excellentiam; tamen ipsi Judæi magis gloriantur de Moyse, dicentes : *Nos Moysi discipuli sumus* (*Joan.* IX). Et apostolus Jacobus in Actibus apostolorum dicit : *Habet Moyses, qui eum prædicent per omne sabbatum in Synagogis* (*Act.* XV). Quare ergo ipsi carnales Judæi tantum affectum habent erga Moysen? Puto idcirco quod Dominus per ministerium Moysi eduxit eos de terra Ægypti, transduxit per mare Rubrum, quod per orationes ejus manna de cœlo acceperunt, aquam de petra; quia, illo orante, inimicos suos superaverunt; illo dante, legem acceperunt, quam si servarent, terram repromissionis et acciperent et possiderent.

Certe, fratres, si bene videamus et intelligamus quæ nobis beneficia Dominus contulit per sanctum Patrem nostrum Benedictum, aperte videbimus, quod non minus eum debent diligere monachi quam Moysen carnales Judæi. Illos per ministerium Moysi eduxit Dominus de Ægypto; nos per ministerium S. Benedicti eduxit de sæculo. Illi erant sub Pharaone rege pessimo; nos sub diabolo. Illi in servitute Ægyptiorum; nos in dominio vitiorum. Ministri Pharaonis flagellabant eos, et lateres de luto exigebant. Forte obliti estis quæ flagella patiebamini in sæculo. Alius tendebat ad aliquem honorem sæcularem, vel divitias : quæ flagella patiebatur in illis cupiditatibus? Quomodo flagellavit eum timor, invidia; quomodo flagellabatur, quando non potuit acquirere quod voluit; quando aliquis alius hoc acquisivit, an quod ille ita ardenter inhiavit? Si autem acquisivit, quomodo flagellavit eum timor, ne amitteret; dolor, cum amitteret? Alius ad hoc tota intentione festinavit ut posset explere omnes voluntates suas et libidines : quomodo eum flagellavit pessimus amor, zelus, suspiciones? Quid, quando vitia illius per aliquem discooperiebantur? Quomodo dolebat, quomodo flagellabatur animus ejus? Et super hæc omnia, quomodo unumquemque propria flagellabat conscientia? Quid, quando unusquisque cœpit cogitare vitam suam, peccata sua : quam sæpe propter ipsa flagella proprii cordis proposuit, et dixit : Nunquam hoc faciam amplius, nunquam amplius in illud vitium me demergam? Et tamen ministri Pharaonis, id est immundi spiritus nos impingebant quasi invitos, ut faceremus lateres luteos, id est immunda et sordida opera; et sic ædificaremus civitatem Pharaoni, id est diabolo, in corde nostro. Quicunque potest recordari illam violentiam, quam patiebatur de sua mala consuetudine, et videt se modo per Dei gratiam, et doctrinam beati Benedicti liberatum, ipse videt, quia nobis majora præstitit Deus per illum quam Judæis per Moysen. Si comparetis illam spiritualem dulcedinem, quam soletis sentire de Christo, illi mannæ, quod Judæi manducabant in deserto; si comparetis illas victorias, quas sæpe habetis de spiritualibus inimicis vestris, per merita et doctrinam beati Benedicti, illis victoriis, quas habebant de hominibus; videbitis utique ista esse multo majora, quia sunt spiritualia. Moyses constituit illis legem et erudivit, ut possent terram promissionis ingredi, et eam, quandiu hoc sæculum manet, possidere. Beatus Benedictus constituit nobis legem : quam si servaverimus, in ipsum cœlum, terram scilicet viventium, ingrediemur, et illud in æternum possidebimus. Lex ista, fratres, regula illius est. In hac nos docet Deo spiritualiter sacrificare, spiritualiter Sabbatum celebrare, spirituale tabernaculum Christo in cordibus nostris fabricare. Hanc legem si servaverimus, erimus, sicut ipse dicit, hæredes regni cœlorum. Sed quia mentionem fecimus de Moyse et Pharaone, de eorum verbis aliquid ad ædificationem nostram in hac festivitate Patris nostri loquamur.

Sicut nostis, cum filii Israel captivi essent in Ægypto sub Pharaone, missus est Moyses, qui ex parte Dei diceret ipsi iniquo Pharaoni ut dimitteret populum Domini. Qui cum hoc facere contempsisset, plagis magnis et multis cum populo suo percussus est. Tandem propter istas plagas quas patiebatur, dixit ad Moysen : *Ite, et in ista terra sacrificate Domino Deo vestro* (*Exod.* VIII). Cui Moyses : *Nequaquam*, inquit, *non potest ita fieri.* Et dixit causam, quare : *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro* (*Ibid.*). Ideo non poterant in Ægypto sacrificare Deo, quia abominationes Ægyptiorum debantsacrificare. Nam licet per interrogationem legatur ita : *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro*, eumdem sensum habet. Nam quia Pharao dixerat : *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro*, et subaudiendum est, in hac terra; et subintelligendum est : Non potest ita fieri. Ubi autem hoc debeat fieri, ostendit Moyses, nam addidit : *Viam trium dierum ibimus in solitudine, ut immolemus Domino* (*Ibid.*). Scitis, fratres, quæ sit Ægyptus, quis Pharao, qui Ægyptii. Dicam tamen breviter : Ægyptus sæculum,

Pharao diabolus, Ægyptii vitia et peccata. Sic accipite. Fuistis in hac Ægypto, sub istis Ægyptiis, sub isto Pharaone. Tenebat vos diabolus captivos per amorem mundi, per amorem parentum; ligabat vos propriis cupiditatibus vestris; tenebat vos per malos mores vestros. Fratres, quando vos dimitteret, nisi eum Dominus percussisset? Sed quomodo eum percussit? Utique bona voluntate vestra, quam vobis dedit; bonis desideriis, quæ vobis inspiravit; bonis cogitationibus, quas cordibus vestris inseruit. His omnibus percussit Dominus diabolum; his omnibus attriti sunt spirituales Ægyptii, id est vitia et peccata. Tenebat vos tamen Pharao per malam consuetudinem vestram, et non permisit vos illa cito vincula consuetudinis rumpere. Sed quando vidit propositum vestrum prævalere, quid ait? *Ite, et in terra ista sacrificate Domino* (*Exod.* VIII). Miror, fratres, miror, si non omnes istam vocem audistis, sive per diabolum occulte in cordibus vestris; sive aperta voce per aliquod ex membris ejus. Vis, inquit, servire Domino? Bene. Nunquid ideo necesse habes dimittere possessiones tuas, ecclesias tuas, divitias tuas? Hic servi Deo, hic age pœnitentiam; de ipsis rebus tuis servi Deo, fac eleemosynas. Puto quia recognoscitis quæ dico. Quam multi, fratres, per istam vocem decepti sunt, novimus, experti sumus. Scimus aliquos bonam voluntatem concepisse, firmiter proposuisse quod sæculum relinquerent, et pene jam faciebant. Sed audierunt istam vocem Pharaonis; audierunt, et consenserunt. Cœperunt velle vivere quasi religiose in sæculo, sed decepti sunt. Nam in pristinis vitiis corruerunt, et hypocrisin superaddiderunt. Nec mirum. Magna, fratres, magna præsumptio est, in ipsis divitiis, et deliciis, et honoribus, velle agere pœnitentiam; per quas divitias, et delicias, et honores in illa horrenda crimina ceciderunt.

Non sic, fratres, non sic: eundum est per viam trium dierum in solitudine, ut possimus sacrificare Domino Deo nostro abominationes Ægyptiorum. Fortassis ipsa pœnitentia pertinet ad abominationes Ægyptiorum; ideo non potuerunt illi inter Ægyptios hoc sacrificium offerre. Sed primo videamus quæ sint istæ tres dietæ. Prima dieta est, relinquere sæculum; secunda, relinquere vitia et peccata, et mores in melius mutare; tertia, relinquere propriam voluntatem. Quicunque has tres dietas perficit, poterit abominationes Ægyptiorum immolare Domino. Et videte, fratres. Multi sunt, qui dimittunt divitias, et honores mundi, et quasi unius diei se elongant de sæculo; sed quia nolunt adhuc deserere malos mores suos; sed sunt superbi sicut prius, luxuriosi sicut prius, amari sicut prius, iracundi sicut prius; nequaquam duas dietas perficiunt, et ideo non sunt idonei ut Deo sacrificent. Sunt etiam alii qui utrumque faciunt, id est divitias et honores deserunt, et a pristinis criminibus se abstinent: sed, quia per seipsos secedunt in aliquam silvam, vel in alium aliquem locum, et manducant quando volunt, jejunant quando volunt, vigilant quando volunt, dormiunt quando volunt, laborant et quiescunt quando volunt; sine dubio tertiam dietam non perficiunt. Sed et illi qui sunt in congregatione, et videntur reliquisse suam voluntatem, si adhuc quærunt quasdam libertates, ut possint exire de claustro quando volunt, loqui quando volunt, laborare quando volunt, esse in lectione quando volunt; et quidquid possunt, et quantum possunt, trahunt ad propriam voluntatem: nec isti tertiam dietam perficiunt. Non dico omnes qui habent istam libertatem, sed illos qui istam libertatem quærunt, et in illa delectantur. Nam aliqui exeunt aliquando, et loquuntur et quædam faciunt, quibus omnia ista magis oneri sunt, quam delectationi: et libentius in quiete essent. Ille ergo perfecte egressus est de Ægypto, qui istas tres dietas perfecit; qui primo sicut semel exterius reliquit divitias mundi, ita quotidie et jugiter ab animo suo illas abjicit, et semper animum suum liberum ab omni cupiditate et ambitione ostendit Domino, dicens cum B. Petro: *Ecce nos reliquimus omnia* (*Matth.* XIX). Qui postea vitam corrigit, et vitiis quibus subjacuit in sæculo viriliter resistit. Qui postremo totam propriam mortificat voluntatem, et quidquid facere debet, ex senioris sui pendet arbitrio.

Et certe, fratres, S. Moyses docuit filios Israel illas tres dietas corporales, per quas venerunt ad illum locum, ubi corporaliter Domino sacrificabant. Vos autem B. Pater Benedictus istas tres dietas spirituales docet, et viam, per quam poteritis istas dietas perficere, satis aperte ostendit. Nam, sicut mihi videtur, prima dieta perficitur per viam mortificationis, tertia per viam obedientiæ. Audite beatum Benedictum istam viam nobis demonstrantem (*Regul.*, cap. 7): *Primus*, inquit, *humilitatis gradus est, timor Domini.* Et sicut mihi videtur, primum humilitatis indicium, est contemptus divitiarum et bonorum. Nam quandiu homo servat et tenet divitias et honores mundi, potest forte esse humilis, sed non ita apparet ejus humilitas; ideo per primum gradum humilitatis pervenit homo ad primum indicium humilitatis. Et utique unusquisque potest hoc videre in semetipso; quomodo enim possetis divitias vestras et possessiones deserere, quomodo istam dietam fecissetis, nisi timor Domini vos urgeret? Timor ergo Domini est via, qua ista prima dieta perficitur. Sed dicit aliquis: Quomodo istam dietam perfeci, qui nihil reliqui? quia enim nihil habui in sæculo, nihil reliqui. Quicunque hoc cogitat, respondeat mihi, quando fuit in sæculo, utrum aliquas divitias concupierit, utrum secundum posse suum acquisivit, quod potuit. Si ergo et cupiditatem reliquit, utique primam dietam bene perfecit. Jam vero viam secundæ dietæ videamus, et per eam libenter incedamus. Ipsa est carnis mortificatio. Ait B. Benedictus (*Ibid.*): *Secundus humilitatis gradus est, si quis propriam non amans*

Digitized by Google

voluntatem, desideria carnis non delectetur implere. Hæc est plane via, qua possumus alteram dietam implere, id est pristina vitia vitare, si videlicet per vigilias, et jejunia, et labores, desideria carnis mortificemus. Nemo dicat : Fortis sum, castus sum, sapiens sum, non habeo necesse laborare, vigilare, jejunare. Nunquid sapientior Paulo, nunquid fortior B. Benedicto? Paulus castigat corpus suum et in servitutem redigit, sicut ipse dicit : *In fame et siti, in labore et ærumna* (*II Cor.* VI), et tamen videt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ.

Divus quoque Benedictus aliquot annis vitam suam pane et aqua transegit : et tamen vix tentationem libidinis evasit. Nam pene superatus est; hac nocte id lectum est, sicut audistis. Illi sic, et tu nescio quibus deliciis et vanitatibus intentus, putas te spurcitiam carnis posse evadere? Qui ergo voluerit abstinentiæ dietam perficere, desideria carnis non delectat implere. Jam vero de via tertiæ dictæ audiamus quid dicat sanctus Benedictus (*Ibid.*) : *Tertius*, ait, *humilitatis gradus est, si quis pro Dei amore omni obedientia se subdat majori.* Hoc modo utique homo ex toto relinquit seipsum, et tradit Deo; si omni obedientia se subdat alteri, ut neque manducet secundum suam dispositionem, neque jejunet, neque laboret, quando ipse voluerit, sed quando alter præcipit; et sic de omnibus aliis rebus, non suam sed alterius sequitur voluntatem. Qui has tres dictas perfecit, oportet ut sacrificet Deo abominationes Ægyptiorum, id est ea quæ Ægyptii abominantur, et olio habent. Ægyptii sunt dilectores mundi, sæculares et vitiosi; *Qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II) : et quando expleverint mala desideria sua, gaudent, superbiunt, nesciunt erubescere, nolunt pœnitere. Abominationes ergo Ægyptiorum sunt amaritudo pœnitentiæ, luctus doloris, voluntaria paupertas, et sui ipsius despectus. Has abominationes Ægyptiorum immolare debemus Domino Deo nostro. Pœniteat nos de peccatis nostris, lugeamus et ploremus peccata nostra quæ fecimus et facimus, ut in lacrymis pœnitentiæ, quasi in amaris et salsis aquis Ægypti, id est vitia et peccata nostra submergantur, pereant et deleantur. Amplectamur etiam paupertatem, viles simus et despecti in oculis nostris, et veraciter sicut perfecte egressi de Ægypto, abominationes Ægyptiorum, immolabimus Domino Deo nostro, et placebit ei sacrificium nostrum. Sunt autem quidam, qui postquam sæculum reliquerunt, vel de censu suo, vel de clericatu suo, vel etiam de divitiis, vel vanitatibus in nobilitate et honore sæculi, quas reliquerunt, superbiunt, et putant quod magis debeant honorari quam alii. Volunt ut prælatus suus eos vocet ad consilia sua; plus eos, quam cæteros honoret; in omnibus dispositionibus suis se volunt intromittere : si aliqua sine eorum consilio ordinantur vel disponuntur, indignantur, irascuntur putant quod prælatus propter invidiam eos contemnat. Tales nondum abominationes Ægyptiorum offerunt Domino.

Sed videte quod S. Benedictus nos docet istas abominationes Ægyptiorum offerre. Postquam de illis tribus gradibus humilitatis docuit nos viam, per quam illas tres dietas perficere poterimus, statim de ipsis abominationibus Ægyptiorum, quas debemus offerre, subjunxit (*ibid.*) : *Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris et contrariis rebus, vel quibuslibet irrogatis injuriis tacita conscientia patientiam amplectatur.* Et ibidem : *Qui percussi in maxilla præbent et aliam : angariati milliario, vadunt et duo, et falsos fratres sustinent, et persecutionem.* Hæ sunt plane abominationes Ægyptiorum, quia ista omnia abominatur Ægyptius, id est animus sæcularis. Valde enim turpe arbitratur, non solum si patienter sufferet injurias, sed etiam si se non vindicat quantum potest. Ista sunt sacrificia grata Deo : in quibus sacrificiis occiduntur illa, quæ mundus colit et diligit. Merito ait sanctus Moyses : *Quod si mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii, coram eis, lapidibus nos obruent* (*Exod.* VIII). Quid colunt Ægyptii? Utique divitias, honores, aurum, argentum, delicias ventris, et gulæ. Ista colunt Ægyptii : quicunque Ægyptius ista habet, superbit, et extollit se supra alios. Qui autem ista non habent venerantur et colunt, et quasi adorant eos qui ista habent, et beatos eos dicunt. Unde dicitur in Psalmo : *Oves eorum fetosæ, abundantes in egressibus suis, boves eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum* (*Psal.* CXLIII). Ista est felicitas Ægyptiorum : et alii Ægyptii, qui ista non habent, istos beatificant, et dicunt, quod addit Propheta : *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt* (*ibid.*). Ista omnia quicunque voluerint interficere in animo suo inter ipsos sæculares, hoc est contemnere divitias, honores, delicias, et vivere parce, sobrie, caste et religiose : statim Ægyptii lapidibus eos obruunt, id est duris conviciis eos insectantur. Alius vocat eum deceptorem, alius hypocritam. Ideo sapiens consilium habuistis, qui egredientes de Ægypto, per prædictas tres dietas venistis in solitudinem. Sed quid est, venisse in solitudinem? Omnem istum mundum pro deserto habere, desiderare patriam suam, tantum habere de hoc mundo, quantum sufficit ad istam viam perficiendam, non quantum caro cupit. Offerte igitur sacrificia Deo; occidite in vobis ea quæ amat mundus; amate esse viles pro Christo, pauperes pro Christo, abjecti pro Christo. Hoc docet beatus Pater noster Benedictus. Sequimini vestigia ejus, doctrinam ejus, ut ipse vos dignetur inter suos agnoscere, quasi pastor oves, pater filios, magister discipulos ; quatenus, intervenientibus ejus meritis, perveniatis ad pascua æternæ felicitatis, ad hæreditatem servorum Dei, ad gaudia discipulorum Christi, præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto

Digitized by Google

vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VI.

IN EODEM FESTO II.

Quia hodie celebramus transitum sancti Patris nostri Benedicti, oportet ut de eo aliquid loquamur, maxime quia vos avidos intuemur ad audiendum. Ad hoc etiam tanquam boni filii convenistis in unum ut de Patre vestro, qui in Christo Jesu per Evangelium vos genuit, audiatis. Quia igitur eum transisse cognovimus ; unde et quo transiit videamus. Transiit utique inde, ubi nos adhucsumus; et eo transiit, quo nos necdum pervenimus. Et tamen licet corporaliter non sumus illic, quo transit ille; nos spe et amore sumus, juxta illud Redemptoris nostri : *Ubi est Thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI). Unde et Apostolus : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Nam et ipse S. Benedictus cum hic corporaliter viveret, in illa cœlesti patria cogitatione et aviditate conversa'atur. Transiit ergo Pater noster S. Benedictus hodie de terris ad cœlum, de carcere ad regnum, de morte ad vitam, de miseria ad gloriam, de vita hac, quæ rectius mors dicenda est, ad terram viventium feliciter transmigravit. Bene dico quod ad terram viventium transiit; quia hæc vita non est viventium, sed morientium. Omnia quippe, quæ supra diximus, mors scilicet, et carcer, et miseria, inveniuntur in hac vita; imo omnia hæc præsens vita. Nam si mors non esset, Apostolus Paulus nequaquam diceret : *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres* (*I Cor.* XVI). Et illud : *Infelix ego homo : quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Manifestissime hanc vitam mortem vocat, et in corpore vivere mori dicit. Quod autem carcer dicatur Psalmista testatur, dicens : *Educ de carcere animam meam* (*Psal.* CXLI); quod autem vita hæc misera, imo ipsa miseria sit quamvis quotidiana miserarium nos doceant experimenta, beatus tamen David eam lacum miseriæ, lutumque fæcis vocat, et se ereptum jam, quia eripiendum noverat, cum ingenti gaudio proclamat : *Exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis* (*Psal.* XXXIX).

Sed quia unde, et quo transiit scimus, etiam qua transiit, videamus. Nihil enim eum sequi cupientibus scire prodest, unde, et quo transiit, nisi etiam quam transiit, sciant. Per Christum utique transiit ad Christum ; per fidem Jesu Christi, quæ in eo operabatur per dilectionem, transiit ad speciem, et contemplationem Jesu Christi, in qua bonorum omnium desiderium satiatur. Via ergo ejus Christus fuit, qui de se in Evangelio ait : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). Per ipsum transiit ad ipsum, quia ipse vita, quia via. Via rectissima ejusdem etiam Patris nostri optima conversatio fuit. Via vitæ illius sanctitas fuit, Nam, ut ait beatus Gregorius, nil est aliud præsens vita , quam via quædam. Qui ergo bene et laudabiliter vivit, ad Deum, et ad vitam æternam trans't qui autem reprobam vitam ducit, per ipsam ad gehennam, et ad mortem tendit sempiternam. Et hæc est via peccatorum : de qua in primo psalmo agitur, dicente David : *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit* (*Psal.* I). Per hanc viam malam itur in mortem peccatorum pessimam : de qua alibi ait idem Propheta : *Mors peccatorum pessima* (*Psal.* XXXIII). Rectissime quidem peccatorum mortem dicit fore pessimam, quorum viam constat esse malam. Ut enim ait Apostolus : *Mali semper proficiunt in pejus; errantes, et alios in errorem mittentes* (*II Tim.* III). Et ideo mors peccatorum dicitur pessima, quia eo usque perdite vivendo in malitiam perficiunt, quousque pessimi effecti, succidi et in ignem projici mereantur. Sed beatus Pater Benedictus hanc viam non tenuit, quia reprobam vitam non duxit, sed illam tenuit, de qua dicitur : *Via justorum recta est* (*Isai.* XXVI) : quæ licet arcta sit, ad vitam tamen ducit. Hæc autem via initio quidem arcta est : nam postea, ut ipse B. Benedictus in Regula sua docet, curritur inenarrabili dilectionis dulcedine via mandatorum Dei. Inchoantibus quidem arcta est : qualis erat David, cum diceret : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI). Sed nunquid hic Propheta, quia arctam in initio invenit, ideo aut deseruit, aut deserendam judicavit? Absit! Imo tandiu tenuit, donec satis huic dissimilem sententiam proferre potuit. Ait enim alio loco : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal* CXVIII).

Hanc etiam viam beatus Benedictus in initio conversionis suæ arctam reperit, et in fine latissimam invenit. Nunquid ei non arcta fuit, cum, sicut in Vita ejus legimus, ne libidini consentiret, sese in spinas projecit? Sed cum arctam invenit, quid fecit? Nunquid ab ea declinavit? Imo eam tenuit, et in ea viriliter stetit. Fecit prior ipse quod docuit, ut nos sequaces suos posset docere quod fecerat. Ut enim dicit de eo sanctus papa Gregorius (*Dial.*, cap. 36), sic vixit, ut docuit; nec aliter potuit docere, quam vixit. Quam ergo viriliter in via Dei stetit, ex ipsius verbis possumus colligere; quia in Regula sua monet, ne quis timore perterritus viam salutis refugiat; quam nisi angusto tramite non esse incipiendam, experientia ipsa didicerat. Noverat enim quod quamvis arctissima foret, ad vitam tamen duceret, sicut ait ipse Dominus noster : *Arcta est via, quæ ducit ad vitam; et pauci sunt, qui ambulant per eam* (*Matth.* VII). Ad quam autem vitam ducit hæc via, ipse Dominus in alio loco docet, dicens : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Hæc est ergo via, per quam Isaac profectum legimus, quæ ducit ad puteum videntis et viventis. De hac etiam via dicitur in libro Sapientiæ : *Justorum semita quasi lux splendens crescit usque ad perfectum diem* (*Prov.* IV). Hanc viam timor gehennalis, qui et servilis dicitur, angustat, charitas perfecta dilatat. Quandiu enim quis timet in via Dei,

Digitized by Google

difficultatem, patitur, et sentit asperitatem. Quando autem ad charitatem pervenit, quæ perfecta foras mittit timorem, tunc cum ingenti gaudio illud Apostolicum proclamat : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi* (*II Timot.* IV). Et illud Davidicum : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal.* CXVIII). Jam qui talem Christum habet, cum Paulo dissolvi desiderat, et esse cum Christo (*Philip.* I); imo gravissime tolerat, diutius separari a Christo, dicens quotidie cum lacrymis illud psalmi : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem?* (*Psal.* XII.) Et cum Habacuc : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies; vociferabor, ad te, vim patiens, et non salvabis?* (*Habac.* I.) Per hanc viam transiit S. Benedictus, ut diximus, de morte ad vitam, de Ægypto ad terram repromissionis, id est, de tenebris hujus mundi ad Jerusalem, quæ est visio pacis. Et certe feliciter transiit, quia laudabiliter vixit. Transiit namque cum Moyse, ut videret illam magnam visionem; non quomodo rubus arderet et non comburetur, sed quomodo beati angeli, et æquales angelis sancti Dei semper amore ardeant, et in eis nunquam amor refrigescat. Transeamus et nos, charissimi, ad videndam hanc magnam visionem. Sequamur vestigia sancti Patris nostri Benedicti. Rectissimam habemus viam, qua illuc perveniamus; Regulam videlicet et doctrinam ejus. Hanc si sicut debemus, tenuerimus, et si in ea perseveraverimus, sine dubio illuc, ubi est ipse, et nos perveniemus. Quod ut possimus per merita et intercessionem S. Benedicti præstet nobis gratia Redemptoris nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VII.

IN EODEM FESTO III.

Sæpe audivit charitas vestra, fratres charissimi, quod sanctus Moyses posteaquam eduxit filios Israel de terra Ægypti, construxit tabernaculum in eremo, ex oblationibus filiorum Israel (*Exod.* XXXV). Offerebant enim ei alii aurum, alii argentum, alii lapides pretiosos, et alii animalia, quæ non sunt modo necessario commemoranda. Sed hoc videndum, quia, sicut dicit Apostolus, *omnia hæc in figura contingebant* (*I Cor.* X); nos fuimus in spirituali quadam Ægypto quando fuimus in sæculari conversatione. Ægyptus quippe interpretatur *tenebræ*. Iniquitates et peccata, et in his mentis obstinatio densæ tenebræ sunt. In his nos aliquando fuimus, quorum etiam participatione nos ipsi tenebræ facti sumus, dicente Apostolo : *Fuistis aliquando tenebræ* (*Ephes.* V). Ut autem essemus lux in Domino, constituit nobis quemdam Moysen, quemdam legislatorem, sanctum scilicet Patrem nostrum Benedictum, cujus hodie festum celebramus, cujus scientia et industria transimus per eremum mundi hujus, ut veniamus in terram repromissionis, non illam, quam carnales filii Israel carnaliter desiderabant, sed illam quam Propheta sperabat, qui dixit : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI). Et de qua Dominus : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V). Ipse repletus non tantum Moysis spiritu, sed etiam quodammodo, ut quidam ait, omnium justorum spiritu plenus, hoc spirituale tabernaculum construxit de oblationibus filiorum Israel. In Regula ejus refulget aurum beatissimi Augustini, argentum Hieronymi, bis tinctus coccus Gregorii; sed et sententiæ sanctorum Patrum, quasi lapides pretiosi, quibus omnibus hoc cœleste ædificium decoratur. Vos enim, fratres, vos estis tabernaculum Dei, vos templum Dei, dicente Apostolo : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Templum ideo, quia in æternum regnabit Dominus in vobis. Adhuc autem tabernaculum, quia peregrinatur in vobis, esurit in vobis, sitit in vobis. Adhuc fertur tabernaculum istud ministerio levitarum. Sed alii portant propriis humeris; alii solatio boum et plaustrorum. Illi portant tabernaculum, qui præceptum illud Moysis nostri intente implent (*Regul.* cap. 72) : *Infirmitates suas sive corporum, sive morum patientissime tolerent; obedientiam sibi certatim impendant.* Sed illi propriis humeris portant, qui nullum terreni commodi solatium exspectantes, illud quod in eodem versiculo sequitur, sedule pensant. *Christo omnino nihil præponant* (*ibid.*). Illi portant, sed non propriis humeris, qui Regulæ quidem observationes custodiunt, sed hic aliquid transitorium sperant, dignitates, honores, vel aliquid hujusmodi : et ideo hac spe frustrati, quasi solatio plaustrorum, deponunt tabernaculum et recedunt. Per plaustra enim temporalis honor exprimitur. Alii item portant, sed non propriis humeris; sed solatio boum, id est prælatorum : volunt enim sibi a prælatis suis semper adulari, et aliquid temporalis favoris exhiberi. Unde si forte contigerit eis vel durum aliquem ab eis audire sermonem, quasi solatio suo frustrati, vel omnino deponunt tabernaculum, vel cum murmure portant. De quibus Apostolus : *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus* (*II Tim.* IV). Sicut enim adulteri pruritum libidinis, ita ipsi quærunt pruritum adulationis.

Hoc, fratres mei, hoc patitur hoc tabernaculum, quandiu portatur per eremum sæculi hujus, donec introducatur in terram promissionis, et de tabernaculo fiat templum, et dedicetur a vero Salomone septem diebus et septem diebus, id est duplici requie, duplici perfectione, cum datæ fuerint singulis stolæ binæ, immortalitas scilicet corporis, et animæ beatitudo. Sed jam nos, fratres, si sumus spirituales filii Israel, si spiritualiter egressi sumus de terra Ægypti, offeramus singuli, offeramus omnes ad constructionem hujus tabernaculi, et unusquisque ex eo quod abundat. *Unusquisque enim proprium donum habet ex Deo : alius sic, alius vero*

Digitized by Google

sic (*I Cor.* VII). Alius plus potest offerre laboris, alius plus vigiliarum, alius jejuniorum, alius orationum, alius plus lectionum vel meditationum. Fiat ergo unum tabernaculum ex omnium oblationibus, ut secundum legislatoris nostri præceptum, nemo aliquid suum dicat vel præsumat, sed sint omnibus omnia communia. Quod non tantum intelligendum est, fratres, de cuculla et tunica; sed multo magis de virtutibus et spiritualibus donis. Nemo ergo de aliqua gratia sibi a Deo collata, quasi de propria, singulariter glorietur. Nemo fratri suo pro aliqua gratia, quasi proprie sit sua, invideat; sed quod suum est, hoc omnium fratrum suorum existimet, et quidquid fratris sui est, hoc suum esse non dubitet. Posset quidem omnipotens Deus quemcunque vellet ad perfectionem statim promovere, et singulis omnes virtutes largiri; sed pia dispensatione nobiscum agit ut unusquisque alio indigeat, et quod in se non habet, hoc in altero habeat, ut sic servetur humilitas, augeatur charitas, unitas cognoscatur. Sunt ergo singula omnium, et omnia singulorum : et fructus virtutum utiliter carpitur, dum ex consideratione propriæ infirmitatis humilitas custoditur. Non ergo querantur fratres nostri laici, quod non tantum psallunt et vigilant quantum monachi. Non querantur monachi quod non tantum laborant, quantum fratres laici. Verissime enim dico, quod quidquid unus facit, hoc est omnium; et quidquid omnes faciunt, hoc est singulorum. Sicut enim unius corporis membra, non omnia eumdem actum habent; ita, dicente Apostolo : *Multi unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra* (*Rom.* XII). Infirmus ergo dicat : Fortis sum : quia, sicut in ipso alius habet patientiam infirmitatis, ita ipsi in alio est robur fortitudinis.

Caveamus ergo ne muscæ morituræ exterminent suavitatem olei. Suavitas olei est dulcedo fraternæ dilectionis, quam muscæ morientes exterminant, cupiditas videlicet, invidia, suspicio. Nemo enim perfecte diligit, qui aliquid in hoc sæculo concupiscit. Ex cupiditate nascitur invidia. Quidquid enim sibi concupiscit, hoc invidet alteri; et sæpe animus de eo, cui invidet, male suspicari contendit. Sed jam conferamus quædam instituta illius antiqui Moysis, cum institutis hujus moderni Moysis nostri. Constituit ille Moses sex civitates refugii filiis Israel: tres extra terram promissionis, tres in ipsa terra repromissionis, ut quicunque homicidium ignoranter perpetraret, ad has fugiens salvaretur (*Num.* XXXV). Est homicidium corporale, est et spirituale. Peccatum quippe est mors animæ, et hoc est pessimum genus homicidii, vel seipsum vitio vel alium occidere exemplo. Et filii Israel, quandiu fuerunt in terra Ægypti, non habebant civitates confugii; non quia non occidebant, sed quia magis ex superbia quam ex ignorantia. Et nos in spirituali Ægypto existentes peccabamus, non quia infirmi eramus, sed quia superbi : et delectabat peccare, et ideo non erant nobis civitates confugii. Nunc licet egressi simus de Ægypto, *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). *In multis enim offendimus omnes* (*Jac.* III). Sed interest utrum ex infirmitate et ignorantia, an ex superbia. Quandiu enim quis superbe in aliquo peccato jacuerit, quamvis videatur exiisse de Ægypto, nihil tamen ei civitas refugii proderit. Sicut dicit Apostolus : *voluntarie peccantibus nobis* post agnitam veritatem, *jam non relinquitur hostia* pro peccato (*Hebr.* X).

Videntur mihi sex istæ civitates significare posse sex illa generalia exercitia, quæ nobis instituta sunt; tria corporalia, id est labores, vigiliæ, jejunia : et hæc specialiter pertinent ad eos qui adhuc carnalibus passionibus appetuntur, et sunt adhuc quasi extra terram promissionis : quibus non est dicere : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Tria autem sunt spiritualia, scilicet lectio, oratio, meditatio. Hæc specialiter pertinent ad eos, qui jam debellatis passionibus transiere in affectum virtutum : gustantes in his civitatibus quam dulcis est Dominus (*Psal.* XXXIII), fructus videlicet terræ repromissionis. Ad has civitates confugimus, propter eos qui nos insequuntur propter homicidium. Qui sunt illi? Videlicet vel diabolus, vel ipsa concupiscentia. Sicut enim ait Jacobus Apostolus : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (*Jac.* I). Quanto magis enim peccatur, tanto magis ipsa concupiscentia peccati augetur. Audi Apostolum, hunc hostem vehementer timentem : *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). Audi ad has civitates fugientem : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). Quomodo? Plane, quomodo alias dicit : *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis* (*II Cor.* VI). Audi Petrum, ad has civitates nos provocantem: *Sobrii estote, et vigilate in orationibus* (*I Petr.* IV), etc. Quod autem in lege dicitur, ut ad unam civitatum istarum refugiat (*Num.* XXXV), quamvis ita debuerit præcipi, ut ad litteram possit impleri; tamen id videndum, quia nullus in omnibus exercitiis æqualem gratiam habet. Ad illud ergo exercitium debet quisque confugere in tentatione, in quo invenit se majorem gratiam habere. Jam vero considerandum quod præcipitur, ut ex his civitatibus non recedat usque ad mortem summi pontificis. Et quis noster summus pontifex, nisi Jesus? Tandiu ergo est in laboribus, jejuniis, vigiliis insistendum, donec mortificentur membra nostra quæ sunt super terram, donec, mortem Jesu circumferamus in carne nostra, ut dicere possimus cum Apostolo : *Christo confixus sum cruci* (*Gal.* II). Et illud : *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto* (*Galat.* VI). Sed est et mortificatio spiritus, sicut et carnis. Ideo scriptum est : *Psallite Deo in cithara et cithara* (*Psal.* CXLVII), id est duplici cithara. Est ergo etiam spiritualibus sistendum, ut, sicut caro passionibus pessimis, ita

Google

spiritus pravis moriatur cogitationibus. Si sic complantati fuerimus similitudini mortis hujus, consociabimur et resurrectioni, in novitate vitæ ambulantes (*Rom.* VI); et *cum Christus apparuerit vita* nostra, apparebimus et nos *cum ipso in gloria* (*Coloss.* III). Quod meritis et precibus beati Patris nostri Benedicti largiri dignetur ipse Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VIII.

IN ANNUNTIATIONE BEATÆ MARIÆ.

Recedens a nobis corporaliter Dominus et Salvator noster Jesus, præsentiam nobis suæ divinitatis [subkahens] præsentiam suæ gratiæ promisit, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXIII). Sed quia nobis expediebat semper memores existere beneficiorum ejus, quæ nobis per præsentiam suam corporalem exhibuit; quia scivit memoriam nostram esse corruptam per oblivionem, intellectum per errorem, studium per cupiditatem, pie providit nobis ut ipsa sua beneficia non tantum recitarentur nobis per Scripturas, sed etiam repræsentarentur nobis per quasdam spirituales actiones. Ideo quando tradidit discipulis suis sacramentum corporis et sanguinis sui, ait illis : *Hoc facite in meam commemorationem* (*I Cor.* XI). Ob hanc causam, fratres, institutæ sunt istæ festivitates in Ecclesia, ut per hoc, quod modo ejus Nativitatem repræsentamus, modo ejus Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, semper sit recens in memoria nostra illa pietas, illa suavitas, illa pura charitas, quam in nobis per hæc omnia ostendit. Ex his etiam plurimum debet proficere fides nostra, quando et auribus nostris audimus, et quasi sub oculis nostris videmus quid Christus pertulit pro nobis, quid etiam in ista vita dat nobis, quid post istam vitam promittit nobis. Pertulit pro nobis mortem, in præsenti dat nobis peccatorum remissionem, promittit nobis post istam vitam æternam felicitatem. Omnis ista liberatio nostra, omnis ista spes nostra, omnis ista beatitudo nostra hodierna die incepit. Ante istam diem non erat in mundo nisi miseria et tenebræ; sed hodie visitavit nos Oriens ex alto, et exortum est lumen iis qui in tenebris, et in umbra mortis sedebant (*Luc.* I). Hodie vestivit se noster Joseph polymita tunica sua, id est varia et pulchra, in qua missus est a Patre, ut visitet fratres suos et oves. Hodie implevit hoc quod per Isaiam prophetam prænuntiatum est, quod nos in exordio hujus sermonis nostri proposuimus : *Ecce ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum* (*Isai.* XIX). Multum hoc desiderabat S. Moyses, sicut possumus ex ejus verbis intelligere. Sicut enim sæpe audistis et legistis, quando filii Israel patiebantur illam duram servitutem in Ægypto sub Pharaone, apparuit Deus Moysi, et præcepit ei ut descenderet in Ægyptum, et populum suum de illa miseria educeret. Sed Moyses, licet multum doleret illam captivitatem quam patiebantur filii Israel in Ægypto; magis tamen plangebat illam miseriam, quam totus mundus tolerabat sub diabolo. Et ideo illum desiderabat, illum quærebat, qui esset idoneus, non solum illum populum educere de Ægypto, sed etiam totum mundum de inferno liberare. Idcirco cum magno affectu dicebat : *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es* (*Exod.* IV). Sciebat quidem, quod eum missurus erat; sed nolebat, ut tantum differretur. Ac si diceret : Scio, dulcis Domine, quia missurus es dilectum Filium tuum, qui nos ab illa magna miseria, de illa infelici captivitate liberaturus est : et ideo forte significatione illius liberationis hanc vis præmittere. Sed quid tantis opus est? Ipse potius veniat, ipse descendat, ipse spiritualem Ægyptum, id est tenebras totius mundi sua dulci præsentia illuminet. Hoc desiderium S. Moysis hodierna die impletum est.

Consideremus ergo, fratres, quanta debeat esse nostra exsultatio, qui hoc videmus impletum, quod S. Moyses tam ardenti affectu desiderabat implendum. Hodie enim ascendit super quamdam levem, nubem, et egressus est Ægyptum. Ægyptus, fratres, interpretatur *tenebræ*. Et quid erat totus mundus ante adventum Christi nisi tenebræ? Et ideo omnino necesse erat ut hoc mirabile lumen oriretur in his tenebris, id est ut Christus in mundo nasceretur. Sed sicut dicit Evangelista : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I). Sine dubio enim mens hominum ita erat in tenebris peccatorum obvoluta et excæcata, ut nequaquam posset interiorem oculum in illam divinam lucem intendere. Idcirco ipse, id est ipsa misericordia, misericorditer egit; et hanc claritatem suæ divinitatis per quamdam nubem orbis temperavit. Illa, fratres, illa sanctissima caro, quam hodie ex virginis carne assumpsit, nubes appellatur; quia ex illa fuit adumbrata divinitas. Sed levis ideo dicta est, quia eam nulla gravavit iniquitas. Iniquitas gravis est, et in profundum trahit. Ideo propheta vidit eam sedere super talentum plumbi (*Zach.* V). Ipsa quoque caro ejus satis convenienter appellatur tunica : quæ significata est per tunicam Joseph, quæ polymita erat, varia et talaris, quia pertingebat usque ad talos. Iste Joseph, fratres, sicut ex sacra historia didicistis, filius fuit Jacob : quem ipse plusquam alios dilexit, quem genuit in senectute sua. Fuit autem filius Rachel, quæ post longam sterilitatem hunc demum filium genuit (*Gen.* XXXVII). Quæ omnia Domino nostro Jesu Christo apertissime congruunt. Ipse enim est, quem Pater plus quam cæteros dilexit : in quo sibi per omnia placuit, sicut ipse dicit : *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Luc.* III). Joseph autem interpretatur *accrescens*. Hoc nomen nulli tam proprie convenit quam Christo. Ipse enim est lapis ille abscisus de monte sine manibus, qui crevit in montem magnum et implevit universum mundum. Unde ejus Pater in benedictione ait : *Filius accrescens Joseph; filius accrescens, et decorus aspectu* (*Gen.* XLVII). Vere de-

Digitized by Google

corus aspectu, *in quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I), cujus pulchritudinem sol et luna mirantur. Vere decorus aspectu. Ipse enim est Dei sapientia, de qua scriptum est : *Speciosior est sole, et super omnem stellarum dispositionem* (*Sap.* VII). Nascitur ille Joseph de sterili, noster de virgine. Est autem quædam convenientia inter sterilitatem et virginitatem. Nam quamvis in virginitate sit quædam fecunditas spiritualis, est tamen sterilitas carnalis. Sed, quia illud privilegium vero Joseph servabatur, ut de virgine nasceretur; ille Joseph de sterili nascitur, quia sterilitas quodammodo vicina est virginitati. Quapropter illa prophetia libri Sapientiæ satis convenit beatæ Mariæ : *Felix est, et incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto; habebit fructum in respectione animarum sanctarum* (*Sap.* III). Felix utique erat beata Maria, quæ ut vitaret carnis coinquinationem, elegit carnis sterilitatem. Nec multum illi curæ fuit de illa maledictione Judæorum : *Maledicta sterilis in Israel.*

Videte, fratres, pulcherrimam quamdam convenientiam inter filium et matrem. Scriptum est in lege Moysis : *Maledictus est omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI). Non vitavit filius maledictum crucis; non vitavit mater maledictum sterilitatis. Ille autem per crucem nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, redemit : et illa quia elegit talem sterilitatem virginalem, meruit fecunditatem, et Dei Filium generavit. Non ergo sine causa de sterili natus est S. Joseph. Illa enim in Rachel sterilitas matris nostri Joseph præfigurabat virginitatem. Nec hoc sine significatione est quod Rachel interpretatur *ovis*. Melius multo mater nostri Joseph potest appellari ovis : in cujus vellus illa cœlestis pluvia descendit, sicut dicit sanctus David : *Descendet sicut pluvia in vellus* (*Psal.* LXXI). Vellus, ut ait quidam, cum sit de corpore, nescit corporis passiones. Sic virginitas cum in carne sit, vitia carnis nescit. *Descendet sicut pluvia in vellus.* Vellus potest illum humorem, qui desursum venit recipere; sed non potest humorem de carnis voluptate sentire. Sic virginitas beatæ Mariæ illum rorem, qui de cœlo venit, excepit, sed nullam carnis voluptatem sentire potuit. Præterea quid tam conveniens agno, ut ovem habeat matrem? Videte ergo quam convenienter appellatur ovis, de qua ortus est Agnus ille cœlestis, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I); qui *tanquam ovis ad occisionem ductus est; et quasi agnus coram tondente se obmutuit et non aperuit os suum* (*Isa.* LII; *Act.* VIII). Porro de Rachel dicit Scriptura : *Erat autem pulchra et venusta aspectu* (*Gen.* XXIX). Licet de beatissima Maria dulce sit opinari, quod fuerit etiam secundum corpus venustissima et formosissima; nos tamen debemus hæc verba ad interiorem ejus pulchritudinem derivare. Sed quis poterit digne loqui de interiori ejus pulchritudine, quam ipse, qui est *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV), super omnes creaturas intantum amavit, concupivit, sanctificavit, ut non A solum ejus mentem inhabitaret, sed et in ejus corpore sibi habitaculum præpararet? *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (*Cant.* I). Sine dubio ubi ipse erat in sinu Patris, ibi sensit odorem virginitatis ejus, ibi consideravit pulchritudinem animæ ejus; et ideo hodie missus est angelus ejus, qui ejus nuntiaret adventum, non solum in cor ejus, sed et in carnem ejus. Videte, fratres, quales nuptiæ et quam cœlestes, in quibus sponsus Deus est, sponsa virgo, paranymphus angelus. Virgo per has nuptias non amisit virginitatem suam, Deus per has nuptias non amisit divinitatem suam; angelus per has nuptias non amisit dignitatem suam. Est adhuc in his nuptiis majus miraculum. Sponsus filius est, sponsa mater est, B quia animam illius sanctissimæ Virginis suæ divinitati conjunxit filius, quia Deus ipse homo factus, de ipsius utero quasi sponsus de thalamo processit. Merito ergo eam angelus salutavit dicens : *Ave gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus* (*Luc.* I).

Considerate, fratres, qualia munera Filius Dei misit sponsæ suæ. Modo veniant in mentem illa munera, quæ filius Abrahæ per servum patris misit Rebeccæ sponsæ suæ; et illa, sicut Rachel, erat virgo pulcherrima, quæ non noverat virum. Servus autem Abrahæ juxta aquam eam invenit, ibi eam allocutus est, et ibi ei munera dedit (*Gen.* XXIV). Nostra quoque formosissima virgo, de qua loquor, libenter C manebat juxta spirituales aquas, id est sanctas Scripturas : ad has aquas sæpius recurrebat, ut posset dicere cum Propheta : *Super aquam refectionis educavit me* (*Psal.* XXII). Denique ibi eam invenit angelus; servus videlicet Abrahæ, non illius terreni et mortalis, sed illius cœlestis et æterni. Sic enim dicit evangelista : *Ingressus angelus ad eam dixit : Ave gratia plena; Dominus tecum* (*Luc.* I). Quo ingressus est ad eam? Sine dubio ubi ipsa se absconderat a vanitatibus sæculi, et de curis mundi ingressa erat in privatum thalamum suum, et clauserat ostium suum, et privatim orabat Patrem suum. Hauriebat sibi aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (*Isa.* XII), id est de Scripturis sanctis, ubi legerat et virginis partum, et Salvatoris adventum. D Forte eo tempore quo angelus venit, habebat Isaiam in manibus, forte tunc studebat in illa prophetia : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isa.* VII). Puto quod ea scriptura in illa hora fecerat quamdam pulcherrimam rixam in ejus corde. Puto enim quia quando legit, quia futurum erat, quod quædam virgo debebat generare Filium Dei, occulte et quodam timore optabat ut illa ipsa posset esse; sed iterum putabat quod omnino indigna esset, cui tam magnum munus concederetur. Charitas rixabatur cum timore, devotio cum humilitate. Pene jam desperabat præ nimio timore, sed iterum præ nimio desiderio quod inde habebat, non potuit nisi sperare : iterum devotio fecit eam præsumere, sed iterum magna ejus humi-

Digitized by Google

litas faciebat eam hæsitare. Cum ergo esset in hac hæsitatione, in hac fluctuatione, in hoc desiderio, ingressus angelus ad eam ait : *Ave gratia plena.*

Dedit servus Abrahæ, sicut dicit Scriptura, Rebeccæ inaures aureas et armillas (*Gen.* XXIV). De his inauribus loquuntur amici veri sponsi, quorum unus est iste Gabriel, qui loquitur ad Mariam, et dicunt ad sponsum : *Murenulas aureas faciemus tibi* (*Cant.* I). Murenulæ et inaures unum sunt. Sunt autem ornamenta aurium, sicut armillæ sunt ornamenta brachiorum. Et utique iste servus magni Abrahæ, id est Gabriel angelus, ornavit aures hujus nostræ virginis decoro ornamento, quando ait : *Ave gratia plena.* Ornavit brachia sua pulchra quadam armilla aurea, quando ait : *Dominus tecum.* Ille enim cujus adventum angelus nuntiabat, potest bene nuncupari armilla; quia, sicut armilla nec initium habet nec finem, ita ille secundum divinitatem nec incipit esse, nec desinit. Hac armilla fuerunt ornata brachia hujus nostræ virginis, quia ipsa Dei Filium, quem de se genuit, sæpe inter brachia sua amplexans portavit. In his omnibus divitiis et deliciis B. Maria non solum carne sed etiam mente castissima perseveravit. Ideo dicitur in Canticis canticorum : *Pulchra es et decora, castissima in deliciis* (*Cant.* VII). Corruptio carnis est luxuria; corruptio mentis superbia. Non est magnum in egestate servare castitatem, sine virtutibus humilitatem. Nemo enim potest carnalibus vitiis subjacere, et spiritualiter superbire. Non modo loquimur de illa superbia, de qua solent carnales et sæculares homines superbire, sed de illa quæ solet perfectos et sanctos viros pulsare. Sicut ergo magnum est in corporalibus divitiis et deliciis carnis integritatem servare, ita sine dubio summum est, in spiritualibus gratiis hanc superbiam non sentire. Illa est utique vera castitas mentis, quæ plenarie fuit in B. Maria. Et ideo in his omnibus spiritualibus gratiis, quas habebat super omnes homines, audite quam humilis fuit. Dixit Maria ad angelum : *Ecce ancilla Domini* (*Luc.* I). Audite adhuc evangelistam : *Exsurgens*, inquit, *Maria cum festinatione, abiit in montana ad domum Zachariæ, et salutavit Elizabeth* (*ibid.*). Addamus adhuc hoc : *Ascendit autem et Joseph in Bethleem, cum Maria desponsata sibi uxore prægnante* (*Luc.* II).

Considerate in his omnibus miram humilitatem. Illa plena Deo, major mundo, celsior cœlo, fecundior paradiso, decus virginum, gloria mulierum, laus hominum, lætitia angelorum : illa quam Filius Dei sibi elegit matrem, ancillam se nominavit, illa quam salutavit angelus, magna obedientia fabro se subdidit. Illa regina cœlorum, domina angelorum, quæ Deum gestabat in utero, parentem suam, quia ætate provectior erat, humiliter salutavit. Optime ergo B. Mariæ dictum est : *Pulchra es et decora, castissima in deliciis.* Si bene possumus æstimare istam pulchritudinem, videbimus, quod dictum est de Rachel, nulli magis convenire, quam matri nostri Joseph : *Erat autem pulchra facie, et venusto aspectu* (*Gen.* XXIX). Dicit præterea Scriptura, quod Jacob plusquam cæteros filios dilexit Joseph, eo quod in senectute genuisset eum. Filius Dei fuit Moyses, Filius Dei fuit omnis propheta, omnesque sancti filii Dei sunt. Sed, *quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei* (*Psal.* LXXXVIII). Omnes dilecti, sed nullus ita dilectus, sicut noster Joseph. Hunc in senectute sua genuit ipse ille Antiquus dierum, de quo dicit Daniel : *Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit* (*Dan.* VII). Vetustas Dei, sive senectus, sive longævitas, non est aliud quam ejus æternitas. In hac æternitate hunc nostrum Joseph æternus genuit sibi coæternum et consubstantialem. Ipse est enim candor lucis æternæ et speculum sine macula Dei majestatis, et imago illius bonitatis. Non est ergo mirum, si Deus Pater non diligit tantum illos qui sunt filii ejus per gratiam, quantum illum, qui Filius ejus est per naturam. Ipse etiam Joseph noster, licet secundum carnem sit posterior natu quam multi alii filii Dei; ipse tamen primogenitus est omnium, sicut dicit Apostolus : *Qui primogenitus est omnis creaturæ* (*Colos.* I). Unigenitus ex Deo, primogenitus ex mortuis.

Propter hanc significationem de illo typico Joseph dicit Scriptura, quod licet Ruben fuerit secundum carnem primogenitus, primogenita tamen reputata sunt Joseph. Ideo de nostro Joseph ait ejus Baptista Joannes : *Post me venit vir, qui ante me factus est* (*Joan.* I). Ac si diceret : Quamvis ego sim secundum carnem prius natus, ipse tamen est primogenitus. Quantum autem ad homines spectat, illis senescit Deus, in quorum cordibus Dei amor tepescit, charitas refrigescit. Jam huic mundo quodam modo Deus senuerat, quia omnes declinaverant, simul inutiles facti fuerant, non erat qui faceret bonum (*Psal.* LII). Fecit autem pater suus Joseph tunicam polymitam. Hæc est illa nubes, de qua paulo ante locuti sumus, sanctissima caro nostri Salvatoris : sed ideo nubes est, quia per illam nobis claritatem suæ divinitatis temperavit. Tunica ideo, quia, quasi vestitus carne in hoc mundo apparuit, et quasi tunicam ipsam carnem suam quando voluit deposuit, et quando voluit iterum sumpsit. Fecerat jamdudum Adæ inobedienti tunicam, sed pelliceam; fecit Joseph nostro, qui ei in omnibus obedivit, tunicam, sed polymitam. Illa pellicea tunica, quæ solet fieri de mortuis et terrenis animalibus, ostendebat illum esse terrenum. Ista polymita tunica, quæ per illam pulchram varietatem habebat quamdam similitudinem cœli, significat istum Joseph esse cœlestem. Inde dicit Apostolus : *Primus homo de terra terrenus : secundus homo de cœlo cœlestis* (*I Cor.* XV). Pulcherrime quoque illa tunica dicitur polymita; quia Dominus noster Jesus Christus omnium virtutum varietate, etiam secundum carnem, decoratus fuit. Ideo dicta est talaris, id est attingens usque ad talos, ubi finis est corporis, quia

Digitized by Google

illa sancta caro usque in finem incorrupta perdurat, sicut dicit Psalmista : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* xv). Exuamus ergo, fratres, tunicam illam Adæ pelliceam, opera scilicet tenebrarum, et quia hodie nobis verus dies illuxit : *Sicut in die honeste ambulemus ; non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et æmulatione* (*Rom.* xiii). Hæc enim omnia pertinent ad illam tunicam, quam oportet nos exuere, si volumus illam tunicam polymitam induere, de qua statim subjunxit Apostolus : *Sed induimini Dominum Jesum Christum* (*Coloss.* iii). Ad varietatem autem hujus tunicæ alibi nos hortatur dicens : *Induite vos sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam* (*ibid.*). Hæc est illa pulchra varietas virtutum, qua principaliter indutus est Dominus noster Jesus Christus, quam induere etiam habet omnis Christianus. Sed quia tunica nostri Joseph non solum polymita fuit, sed, sicut in Evangelio scriptum est, desuper contexta per totum, postquam Apostolus numeravit illam pulchram varietatem in diversis virtutibus, statim de ipsa textura subjunxit : *Super omnia autem hæc charitatem habete : quod est vinculum perfectionis* (*ibid.*). Sed, sicut per hanc varietatem significatum est, quod ipse plenus fuit omnibus virtutibus, ita per nubem levem significatum est, quod vacuus et levis fuit ab omnibus omnino vitiis.

Possumus etiam per illam nubem levem beatam Mariam intelligere, per quam Dominus noster in Ægyptum, id est in hunc mundum advenit. Ipsa recte potest appellari nubes, quia illa pluvia spiritualis gratiæ plena fuit. Ideo levis, quia eam nulla sarcina mundi oneravit. Super hanc nubem Dominus ascendit, et Ægyptum, id est mundi infima intravit, secundum illam prophetiam, de qua locuti sumus : *Ecce ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum. Et movebuntur*, inquit, *simulacra Ægypti a facie ejus* (*Isai.* xix). Deo gratias, jam factum est; mota sunt simulacra Ægypti; ablata sunt idola de mundo; vel pauci, vel nulli sunt, qui adorent lapides et ligna, sicut pene totus mundus fecit ante adventum Christi. Sed utinam, fratres, sicut homines projecerunt idola de domibus suis, ita vellent homines omnia idola projicere de cordibus suis! Sed quicunque plus amat nummum quam Deum, Deum negligit, et idola colit. Quid est enim nummus nisi idolum, non Dei sed hominis habens effigiem? Sed hæc nihil ad nos. Quid ergo? Nihil debemus de his simulacris timere? Utinam nihil! Sed quamvis Jacob egressus sit de Mesopotamia Syriæ, licet ascenderit ad Bethel, tamen habet in comitatu suo uxorem, quæ furata est idola Laban (*Gen.* xxxi). Et nos, quamvis simus egressi de sæculo, sicut Jacob de Mesopotamia, tamen habemus adhuc sensualitatem et carnalitatem, quasi mulier, quæ retinet memorias mundi et imagines illius vitæ, quam deseruimus; ita ut illam partem memoriæ nostræ, quam solus Deus debet habitare, ista simulacra Ægypti occupent, et sibi vindicent. Propter hæc simulacra persequitur nos Laban, id est diabolus : et quia non potest nos sibi vindicare per divitias mundi, per deliciosa convivia, per ebrietates, per libidines, per discordias et inimicitias, quantum potest, nititur ut per illusiones horum simulacrorum saltem nobis inferat calumniam.

Quid ergo agendum est? Etsi non possumus ea ex toto expellere ; debemus ea, quantum possumus, tegere. *Beati* enim, *quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* xxxi). Quidquid enim in hac mentis instabilitate, et pervagatione, et hujusmodi memoriis delinquimus : vigiliis, jejuniis, sedulisque orationibus contegamus. Et quia charitas operit multitudinem peccatorum ; hanc omni studio exerceamus : sic enim nihil suum in nobis diabolus inveniet. Efficiemur enim per has virtutes unum cum ipso, in quo ipse nihil invenit. Insistamus omni intentione, ut possimus et nos spirituales nubes fieri : ut rore cœlestis doctrinæ abundemus. Simus leves, ut a fæce cupiditatum liberi, possimus per quasdam pennas virtutum altius hoc mundo volitare. Si enim talis fuerit anima nostra, dignabitur Dominus super eam, quasi super nubem levem ascendere, et Ægyptum nostram, id est tenebras cordis nostri, illuminare, et omnia illa singula, de quibus locuti sumus, expellere, et animam nostram solus possidere, solus inhabitare. Sed quia hæc simulacra solent oriri per quamdam curiositatem, qua solemus in hæc externa intendere, intremus cum beata Maria cubiculum, et quantum possumus, nosmetipsos abscondamus et, clauso ostio, deprecemur Dominum nostrum Jesum Christum, ut qui hodie dignatus est assumere naturam nostram, secundum suam voluntatem, nostramque utilitatem præparet, et ita custodiat vitam nostram, ut in cordibus nostris semper maneat : qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IX.

IN RAMIS PALMARUM.

Quamvis præsentia hujus diei, quam omnes Christiani tam intente celebrant, sufficiat ad excitandum corda nostra in devotione, tam propter recitationem Dominicæ Passionis, quam propter memoriam nostræ salutis, debemus tamen etiam officium vobis nostri sermonis adhibere. Sic enim ex omni parte nobis provisum est, ut nullum omnino institutum nobis desit, quod possit animos nostros in dilectionem Dei inflammare. Primum autem videte, fratres, quia duo quædam nobis hodie de Domino nostro Jesu Christo commendantur ; illa scilicet gloria maxima quam gens Judæorum in hoc mundo exhibuit, et illa maxima contumelia, quam illi eadem gens irrogavit. Sicut enim paulo ante ex Evangelio audistis, et adhuc post modicum audituri estis, cum adveniret Dominus Jerusalem, sedens super

Google

asinum, turba multa ei obviam processit : et alii *vestimenta* prosternebant *in via; alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via* : et qui præibant, et qui *sequebantur clamabant, dicentes : Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI), narratur etiam ex ipso Evangelio, quod tunc non audistis, sed, Deo annuente, post paululum audietis, quantam contumeliam ipsa eadem gens Domino intulerit. Ligatus est enim ab eis, colaphizatus, et conspulus, tandem turpissima, secundum eorum æstimationem, morte damnatus. Sed intentius cogitate quod dixi, eadem gens, non iidem homines. Nam Judæi fuerunt illi, qui Dominum cum tanto honore susceperunt; et Judæi fuerunt illi, qui eum tanta contumelia affecerunt. Sed tamen alii isti, alii illi. Hos utrosque ostendens quondam Dominus Jeremiæ prophetæ per quamdam similitudinem, ait illi : *Quid tu vides, Jeremia ?* Et ille : *Ficus ficus bonas, bonas valde ; et malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ* (*Jer.* XXIV). Bonæ quidem ficus illi appellantur, qui Domino tantam dulcedinem dilectionis suæ, tantam suavitatem obsequii sui exhibuerunt, ut digni essent, quos ipse quasi dulcissimas ficus comederet, id est corpori suo, sanctæ videlicet Ecclesiæ uniret. Idèo de bonis illis ficis ait Jeremias : *Tales fuerunt, quales solent esse ficus primo tempore* (*ibid.*). Isti enim erant quasi primitiæ sanctæ Ecclesiæ, de quibus dicit Apostolus : *Accessistis ad Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis* (*Hebr.* XII). Illi quoque pessimæ ficus convenientissime possunt vocari, qui nullam dulcedinem charitatis, nullam suavitatem devotionis in se retinuerant; sed per invidiam, sed per odium, sed per malitiam, amarissimi facti erant; et ideo nequaquam digni, qui ab eo comederentur, id est qui in corpus suum trajicerentur. Ipsa erat vinea illa, de qua ipse dicit per Isaiam : *Exspectavi, ut faceret uvas, et ipsa protulit spinas* (*Isai.* X). Spinas utique protulit tam amaras, tam pungentes, ut etiam sanguinem de illo sanctissimo corpore educerent. Cum ergo propheta et bonas et malas ficus dixit, utrasque ficus vocavit; sed tamen quamdam divisionem inter eas fecit, qui alias bonas, alias malas nominavit. Sic et illi qui hodie clamaverunt : *Hosanna Filio David* (*Matth.* XXI), et illi qui clamabant : *Crucifige, crucifige eum* (*Joan.* XIX), Judæi quidem fuerunt, sed magna inter eos divisio.

Ista divisio, fratres, satis aperte in libro Jesu Nave significata est. Cum enim filii Israel transituri essent Jordanem, ut in terram promissionis intrarent, secundum præceptum Domini, primo ingressi sunt levitæ in Jordanem, portantes arcam Domini (*Jos.* IV). Mox ut arca Domini ingressa est aquam, divisæ sunt ipsæ aquæ et illa quæ superior erat stetit ad instar muri, et illa pars quæ inferior erat, defluxit in mare. Illa arca, fratres, Dominum nostrum significabat. *Erat in arca virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testamenti, et urna aurea habens manna* (*Hebr.* IX). Hæc omnia in Domino nostro pulcherrime inveniuntur. In eo quippe virga Aaron, id est potestas sacerdotalis, quæ primo aruit in Judæis, sed in Domino Jesu Christo æternaliter efflоruit, sicut illi dicit Psalmista : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). In eo sunt tabulæ testamenti, perfecta scilicet scientia, sicut dicit Apostolus : *In quo sunt thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II). Dicit quodam loco Apostolus : *Caput Christi Deus* (*Ephes.* V). Et in Canticis de illo scriptum est : *Caput ejus aurum optimum* (*Cant.* V). Per urnam ergo auream ipsa divinitas ejus intelligi potest. Unde di it Apostolus : *Quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II). In qua utique manna continetur, panis scilicèt angelorum, refectio animarum sanctarum. Ille est panis de quo scriptum est : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei* (*Luc.* XIV). Iste est panis, quem ipse Dominus post diem judicii transiens omnibus suis ministrabit. Porro satis pulchre hæc tria in illo tabernaculo memorantur esse, virga, tabulæ, manna. Virga, qua nos erudiat; tabulæ, ut nos instruat; manna, ut nos pascat. Virga flagellat nos, ne superbiamus; tabulis nos instruit, ut eum diligamus; manna dulcedinis suæ nos pascit, ne in via deficiamus. Hanc virgam quibusdam minatur, dicens : *Visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum* (*Psal.* LXXXVIII). Hanc virgam propheta desiderabat, qui ait : *Corripe me, Domine ; verumtamen in judicio, et non in justitia* (*Jer.* X). Has tabulas nobis Dominus promittit, dicens : *Dabo legem meam in mentibus eorum, et in corde eorum scribam eam* (*Jer.* XXXI). Has tabulas desiderabat, qui ait : *Viam justificationum tuarum instrue me* (*Psal.* CXVIII). Hoc manna promittit nobis Dominus, dicens : *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). In hoc spirituali cibo exsultabat, qui ait : *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit* (*Psal.* XXII).

Arca ergo in Jordane, Christus in Judæa. Per Jordanem quippe, qui erat in terra promissionis, quam Dominus ipse Judæis promisit et dedit, ipsi Judæi significabantur. Quemadmodum ad præsentiam hujus arcæ divisa est aqua, considerate eos, de quibus paulo ante cantastis : *Ingrediente Domino in sanctam civitatem*, etc. Hæc est superior pars aquæ, quæ stetit; stetit in lege Domini, in via mandatorum ejus, in exsultatione laudis ejus, in dulcedine dilectionis ejus. Et bene superior pars; pertinet enim ad Jerusalem quæ sursum est, quæ libera est, quæ est mater nostra. Bene superior, quæ non declinat cor suum in terram, et ideo clamat : *Hosanna in excelsis.* Pueri autem dicti sunt, quasi puri. Puri a malitia, puri ab invidia, puri ab avaritia. Hos Propheta hortatur, dicens : *Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini* (*Psal.* CXII). Isti sunt veri Hebræi, id est transilientes. Transilierant quidem omnia caduca, omnia transitoria, tantum

Digitized by Google

in laudibus Creatoris sui, Salvatoris sui, jubilabant, exsultabant. Illis utique conveniebat palmas gestare in manibus, quod est signum victoriæ, signum pacis. Agnoscebant enim invictum regem suum; qui, sicut dicitur in Apocalypsi, exivit vincens, ut vinceret (*Apoc.* VI). Agnoscebant verum Salomonem filium David, in cujus regno pax perpetua est, et requies sempiterna. Istæ sunt aquæ Jordanis, quæ dulcedinem suam, et suavitatem, quam de fontibus suis, id est de origine traxerant prophetarum et patriarcharum, sine admistione alicujus amaritudinis, in præsentia hujus arcæ servabant : et ideo virtutem æternæ dulcedinis et suavitatis meruerunt gustare, et resurrectionis gloriam in suis factis ostendere. Obviantes quippe Domino cum palmis, resurrectionem vitæ pronuntiabant; quoniam sancti *venient cum exsultatione, portantes manipulos* operum suorum (*Psal.* CXXV), portantes palmas victoriarum suarum, quas de diabolo obtinuerunt. Tunc, id est in illa resurrectione, ingredietur Dominus in sanctam civitatem, in Jerusalem cœlestem. Ingredietur autem cum pueris Hebræorum, qui in illa resurrectione illi obviam venient, sicut dicit Apostolus : *Nos, qui vivimus, rapiemur in nubibus obviam Christo in aera; et sic semper cum Domino erimus* (*I Thess.* IV). Tunc utique vere pueri; quia perfecte puri, non solum a peccati contagione, sed etiam ab omni corruptione. Tunc vero Hebræi, id est perfecte transilientes, non solum mortis periculum, sed etiam mortis metum; tunc secure portabunt palmas victoriæ, cum magna exsultatione et securitate, dicentes : *Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* (*II Cor.* XV.)

Et vere, fratres, dignum fuit, ut illi resurrectionem vitæ pronuntiarent, quibus ipse Dominus positus est, non in ruinam, sed in resurrectionem, sicut de eo prophetaverat Simeon : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel; et in signum cui contradicetur* (*Luc.* II). Tria dicit : Ruinam aliis, resurrectionem aliis, signum quoque contradictionis. Jam in ista divisione, de qua loquitur, videte quomodo aliis est resurrectio Jesus, aliis ruina. Illis utique, qui resurrectionem pronuntiabant, qui futuram resurrectionem in suis factis ostendebant, qui se in anima jam resuscitatos manifestissime declarabant, qui se ab ipso resuscitandos in die judicii sperabant; illis sine dubio positus est Jesus in resurrectionem. Videte nunc illam aliam partem Jordanis, quæ ad præsentiam arcæ Domini defluxit in mare. Cum hodierna die hæc sancta arca, quam paulo ante commendavimus charitati vestræ, in aquis Jordanis, id est populo Judæorum appareret, unde illa pars bona profecit, et se in meliori et fortiori statu cumulavit, inde alia pars Scribæ scilicet et Pharisæi, in majorem amaritudinem se quasi in mare præcipitaverunt, et quidquid de naturali fonte de quo egressi sunt secum traxerant, salina maris absorptum est. Omnem siquidem Scripturarum scientiam, omnem legis cognitionem, omnem prophetiæ intellectum, in ipsis invidiæ et malitiæ amaritudo consumpsit. Et ideo audientes clamorem populi, qui eum laudabant, videntes illam mirabilem gloriam, quam ei exhibebant, nimio livore stimulati, quia populum non potuerunt compescere, ipsum, qui hæc patiebatur, increpabant, dicentes : *Audis quid isti dicunt?* Quibus ille optime respondit : *Amen dico vobis, quia si isti tacuerint, lapides clamabunt* (*Luc.* XIX). Hoc jam, fratres, manifestissime impletum est. Judæi tacent, clamant lapides. Impletum est istud propheticum : *Lateres ceciderunt : sed quadris lapidibus ædificabimus* (*Isai.* IX). Qui sunt isti lateres, nisi illi Judæi lutei, et terreni, qui ab illo sancto ædificio patriarcharum et prophetarum ceciderunt? Isti sunt, quibus positus est Jesus in ruinam. Unde enim illi melius ædificari poterant, inde miserabiliter ceciderunt. Sed illis ruentibus, qui fundamentum firmum et solidum reprobaverunt, ædificatur Jerusalem de lapidibus vivis, lapidibus quadris; qui adhærentes illi solidissimo lapidi Christo, qui factus est in caput anguli (*Act.* IV), etiam ab illo nomen accipiunt. Eia, Judæi, quid proficitis? Factum est quod voluistis. Non clamant modo pueri Hebræorum secundum carnem, non clamant : *Hosanna filio David.* Sed nunquid ideo non clamatur? clamant reges, clamant imperatores, clamant viri, clamant feminæ, clamant juvenes, clamant virgines, clamant denique pueri, clamant senes. Videte, miseri, videte excæcati, quot mille millia hominum ei hodie cum palmis obviam procedunt. Videte quot millia hodie ei non vestimenta, sed ipsa corpora sua ei prosternunt. Audite, si tamen surdi non estis, quot millium hominum hodie ore clamatur, cantatur, jubilatur, imploratur : *Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI). Sed impletum est, quod ait sanctus David : *Peccator videbit, et irascetur; dentibus suis fremet et tabescet* (*Psal.* CXI).

Ecce, fratres, quod possunt hodie Judæi in tot laudibus Christi. Irasci possunt, fremere dentibus possunt, invidia tabescere possunt; sed *desiderium peccatorum veribit* (*Ibid.*). Adoratur Christus, laudatur, clamatur, quia illis luteis lateribus vivi lapides clamant. Positus est ergo Jesus noster in ruinam et in resurrectionem multorum : in ruinam laterum, in resurrectionem lapidum. *Et in signum*, inquit, *cui contradicetur* (*Luc.* II). Hoc est signum illud, quod jam levavit in medio gentium, signum scilicet passionis suæ, signum crucis suæ. Hoc est, signum cui totus contradixit mundus, scandalum Judæis, stultitia gentibus. *Nos*, inquit Apostolus, *prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (*I Cor.* I). Et videte, fratres, quam cito huic signo contradictum est. Ipsa die qua erectum est signum istud, sicut audistis in Evangelio ipso, scriptus est ei titulus a Pilato : *Hic est Jesus Nazarenus, rex Judæorum* (*Joan.* XIX). Contradictum statim; dixerunt enim : *Noli scribere rex Judæorum.* Vicit hanc contradictionem

Digitized by Google

crux Christi, et ubi impii putabant se magis Christum vicisse, ibi magis victor apparuit Christus. Fixum est in ipsa cruce signum victoriæ ejus, et quod magis mirandum, fixum ab ipsis inimicis ejus. Inimici ejus qui consenserant in morte ejus, jam inter se certant pro gloria ejus. *Noli scribere*, dicit Pharisæus : *quod scripsi scripsi*, dicit Pilatus. Et ecce jam interierunt Pilatus et Pharisæus, et adhuc non est deletum quod scripsit Pilatus. Nonne, fratres mei, mira quædam lætitia oritur in cordibus vestris, quando cernitis ante vos signum crucis, adhuc illo titulo gloriosum? Adhuc legi potest in cruce Christi : *Jesus Nazarenus, rex Judæorum.* Adeo nihil profecit illa contradictio impiorum. Hanc contradictionem Judæorum secuta est contradictio paganorum ; armantur etiam imperatores contra B crucem Christi, disputant philosophi, oratores concrepant, vilissimum etiam vulgus oblatrat. Quid dicam? Contra unum lignum totus ubique pugnabat mundus.

Sed jam, fratres, considerate Domini nostri Jesu Christi omnipotentiam, considerate sapientiam. Per illud lignum quo nihil erat abjectius, nihil vilius, nihil odibilius, nihil horribilius (quid enim vilius cruce, in qua latrones suspendebantur, sacrilegi interficiebantur, parricidæ necabantur); per illud, inquam, subjugavit imperatores, infatuavit sapientes, simplices et idiotas erudivit, pauperes glorificavit, omnes simul illos ligni adoratores fecit. Ecce, fratres, in fronte regum nihil gloriosius, nihil in manu insignius, nihil in pectore salubrius. Periit C jam omnis illa contradictio, sed utinam sic a moribus, sicut periit a vocibus ! Multi autem, et quod magis dolendum, etiam professores crucis Christi, contradicunt cruci Christi. Non utique vocibus, sed moribus. Audi Apostolum : *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico), inimicos crucis Christi* (*Philip.* III). Qui sunt contradictores crucis Christi, nisi inimici crucis Christi? Et qui sunt? *Quorum*, inquit, *Deus venter est* (*Ibid.*). Vos alloquor fratres meos, filios meos, non solum adoratores crucis Christi, sed etiam professores, sed etiam ipsius crucis amatores. Vos alloquor, sentiat quisque ut volet, judicet ut volet, blandiatur sibi quantum volet : in cruce Christi nihil est tenerum, D nihil molle, nihil delicatum, nihil quod carni et sanguini dulce sit. Jam ipsa crux Christi sit quasi speculum Christiani. In ipsa cruce Christi si respiciat, ut in vita sua mores sui ipsi cruci Christi conveniant, et inquantum participat cruci Christi, intantum sibi præsumat gloriam Christi. Qui autem abjicit amaritudinem crucis Christi, timeat ne forte arceatur ab aspectibus Crucifixi. Jam, fratres mei, quantum vobis gaudendum est animadvertite, qui vos cum ipso Christo crucifixistis. Veritatem dico, fratres, non mentior. Ordo noster crux Christi est. Duo ergo hæc, fratres, diligenter servate, ut nec a cruce Christi discedatis, nec in cruce positi contra crucem aliquid faciatis. Quod est, ut apertius dicam, A in ordine vestro perseverate, et in ordine ipso perseverantes nihil scienter contra ipsum ordinem facite; et sic sine ulla dubitatione quo Christus de sua cruce præcessit, vos sequemini. Delectat me, fratres, de cruce Christi, quæ est gloria nostra, via nostra, prolixius loqui ; sed modus adhibendus est, maxime quia ipsis divinis officiis necesse habemus diutius immorari. Ob quod convertamus nos ad ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque misericordiam exoremus ut ipse respicere dignetur super hanc familiam suam, pro qua non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum! Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO X.

IN RAMIS PALMARUM II.

Audistis, fratres charissimi, in lectione evangelica, quemadmodum Dominus noster, cum appropinquasset Jerusalem, fecit sibi adduci asinam et pullum. Audistis etiam devotionem plebis Israeliticæ; quomodo processerunt ei obviam cum ramis palmarum, et illi qui præcedebant, et qui sequebantur clamabant, dicentes : *Hosanna filio David.* Sed dicit aliquis : Verum quidem est, audivimus ista, et cum magna exsultatione audivimus. Sed quid hoc pertinet ad hanc diem, in qua repræsentamus non passionem Domini, sed adventum? Ita est, fratres, hoc sine dubio factum est, sicut alii evangelistæ aperte ostendunt, paucis diebus ante passionem ejus. Nam propter gloriam istam Pharisæi et pontifices maxima invidia cruciabantur, et congregato concilio tractabant de morte ejus. Puto tamen, quia non sine causa hodie historia hæc in omni Ecclesia recitatur, nec sine causa ita a sanctis Patribus statutum est. Scitis, quia rota, quam vidit Ezechiel, quatuor facies habebat. Rota illa significat sanctam Scripturam. Unde dicit Psalmista : *Vox tonitrui tui in rota* (*Psal.* XLVI). Ista rota quatuor facies habet, et aliquando consideramus tantum unam ejus faciem, aliquando duas, aliquando tres; aliquando omnes quatuor. Prima facies ejus est historia, altera moralitas, tertia allegoria, quarta anagoge, id est sensus de superioribus. Quibusdam, qui non possunt capere profundiora, ostendit Scriptura primam faciem suam, id est simplicem historiam tantum, et illi in pulchritudine hujus faciei delectantur. Hinc est, quod quidam videntes tantum istam faciem Scripturæ, quia in quadam parte ista facies minus formosa est, sicut in facto Judæ patriarchæ, qui cum nuru sua concubuit (*Genes.* XXXVIII)] sicut et in facto David qui, occiso Uria, accepit ejus uxorem (*II Reg.* XI), quando non poterant videre alteram faciem hujus Scripturæ, quæ formosa est, propter istam unam faciem quam viderunt, spreverunt eam Scripturam. Ergo, fratres, audivimus istam Scripturam evangelicam, et consideravimus unam ejus faciem, id est ejus simplicem historiam, et satis pulchra nobis apparet. Quæ enim Scriptura pulchrior quam ista, quæ narrat gloriam dulcissimi

Digitized by Google

Domini nostri, et devotionem fidelis populi? Sed tamen secundum istam faciem suam non ostendit nobis, quod ad tempus istud lectio ista pertineat

Consideremus quapropter ejus alteram faciem, et videamus utrum illam nobis aliquod hujus temporis revelet mysterium. Et ideo breviter intimandum quid in se sacramenti tempus istud contineat. Constitutum est hoc tempus, fratres, ut ad memoriam revocemus adventum Domini nostri Jesu Christi; quomodo ille, quem sancti patres Veteris Testamenti diu exspectaverant, et multum desideraverant, humiliter venit, ut nos redimeret, ut etiam non obliviscamur secundum ejus adventum, in quo ille, quem omnes sancti exspectant et desiderant, veniet cum magna potestate et gloria, ut totum mundum judicet, et reddat unicuique secundum opera sua. Hæc sunt principaliter illa duo, scilicet memoria utriusque adventus ejus, propter quæ ista celebratio constituta est, et hoc necessario. Valde enim bonum est, ut hæc duo semper habeamus in memoria, id est primum adventum Domini, et secundum; quia de primo nascitur in cordibus nostris amor Dei, de secundo timor. Consideremus ergo hoc evangelium, quod modo lectum est, ut videamus quæ ibi sacramenta contineantur. *Cum appropinquasset Dominus Jerusalem* (*Matth.* xxi).

Scitis, fratres, quia secundum litteram Jerusalem quædam civitas fuit, quam acquisivit David sanctus et ædificavit; in qua etiam Salomon fecit illud mirabile templum, de quo sæpe audistis. Secundum istam faciem, id est secundum historiam, nihil nobis ostenditur quod ad istam pertineat celebritatem. Ideo necesse est ut aliam hujus Scripturæ faciem attendamus. Jerusalem, sicut audire consuevistis, *visio pacis* interpretatur. Istud nomen primum illis convenit, qui permanent in perfecta visione Dei, qui vera pax est, et vera mentis tranquillitas; ac per hoc in seipsis veram pacem et tranquillitatem sentiunt. Hæc est illa beata angelorum societas, quæ utique dicitur Jerusalem, et proprie, sicut dicit apostolus Paulus: *Quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra* (*Galat.* iv). Sed huic civitati quomodo dicitur appropinquare Jesus, cum in ea semper sit, et illa civitas nunquam ab eo recesserit? hæc est illa alia facies hujus Scripturæ, id est anagoges, videlicet sensus de superioribus. Appareat nobis nunc illa facies, quam allegoriam nominavimus. Secundum hunc quippe sensum Jerusalem significabat Ecclesiam sanctam in hominibus, cui dicit Isaias: *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum* (*Isa.* lx). Ipsa dicitur Jerusalem, non quia perfecte videt eam pacem, quam vident angeli; sed quia ad illam pacem tendit recte credendo, bene operando, ferventer amando illum, qui est pax nostra, Jesum Christum Dominum nostrum. Et huic Jerusalem quomodo appropinquavit Deus, qui ubique præsens est, et nusquam deest? Et tamen dicit per prophetam: *Approximate mihi et ego appropinquabo vobis*. Et quomodo nos appropinquamus ei, qui *in ipso vivimus, movemur et sumus* (*Act.* xvii). Dicit tamen propheta: *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* xxxiii). Culpat enim Dominus quosdam et dicit: *Væ illis, quia recesserunt a me* (*Oseæ.* vii). Qualis est iste accessus et recessus? non fit de loco ad locum, sed de affectu in affectum. Si amas mundum, recessisti a Deo. Si recedis ab amore mundi, et incipis amare Deum, jam accedis ad Deum.

Nos itaque appropinquamus ei, quando proficimus in illius amore; ille appropinquat nobis, quando dignatur misereri nobis. Isto modo recessit Adam a Deo, scilicet minus illum amando, et plus mundum. Amavit enim privatam excellentiam, quæ utique pertinet non ad Deum, sed ad mundum. Hoc modo recessit totum genus humanum a Deo; ideo quoque ipsa quæ nunc est Ecclesia Dei isto modo recessit a Deo, et tam longe ut nullomodo per se posset appropinquare Deo, nec accedere ad eum. Necessarium ergo erat, ut quoniam ipsa non poterat accedere ad Deum salutem suam, ipse Deus salus ejus accederet ad eam. Sed primo appropinquavit. Accessit quidem, quando illam mirabilem misericordiam exhibuit, qua in cruce pendens suum pro ea sanguinem fudit, et aperto latere suo, sibi eam univit et sociavit, ut essent duo in carne una (*Ephes.* v). Si ergo tunc accessit, appropinquavit utique, quando ei misericordiam istam promisit, prædicavit, et cœpit ostendere. Appropinquavit Jesus Jerusalem, salus Ecclesiæ, salus mundo, salus misero homini expulso de paradiso, quando se futurum hominem prædixit, et misericordiam quam postea implevit, ipsi Abrahæ promisit, dicens: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* xxii). De semine Abrahæ nasciturus erat Christus, per quem abolenda erat illa maledictio, quæ lata est in Adam, et illa benedictio danda, quam prophetavit Isaias, dicens: Quia *servos suos vocabit nomine alio* (*Isa.* lxv). Primo vocabantur servi ejus Judæi, sed modo vocantur Christiani: *Et servos suos vocabit nomine alio: in quo qui benedicendus est super terram, benedicetur in Domino*. Quia sine dubio nullus potest cavere maledictionem, nec habere benedictionem, qui hoc nomen non habuerit. Ergo tunc appropinquavit Jesus Jerusalem, id est Ecclesiæ, quando suum adventum promisit Ecclesiæ per sanctum Abraham. Sanctam Ecclesiam aperte significavit, quando omnes gentes nominavit; quia sancta Ecclesia de omnibus gentibus constat. Tunc igitur cœpit appropinquare, sed non adhuc venit Bethphage. Bethphage quippe interpretatur *domus buccæ*, vel *domus oris*. Venerat fortasse ad Bethaniam, non autem ad Bethphage. Nam, sicut alii evangelistæ evidenter ostendunt, primo venit ad Bethaniam, ac deinde cum appropinquasset Jerusalem, venit Bethphage, ad montem Oliveti. Bethania interpretatur *domus obedientiæ*. Et quid erat illa sancta anima Abrahæ, nisi domus obedientiæ, qui ut bonum obedientiæ

Digitized by Google

servaret, proprio filio et tali filio non credidit esse parcendum? (*Gen.* XXII.)

Huic igitur primo venit Jesus, quia de adventu Domini nostri Jesu primo ad eum facta est promissio. Sed hanc promissionem, hanc futuram Domini misericordiam, ipse et filii ejus tantum, et si aliqui alii, tamen pauci sciebant, sed tamen aliis non ostendebant. Non ostendebant per oris prædicationem, sed per quædam occulta et mirabilia signa. Ideo non venerat adhuc Dominus ad Bethphage, id est ad domum oris. Nam sine dubio sancto Abraham per quoddam signum occultum ostendit Incarnationem Domini, quando mittens servum suum, ut assumeret uxorem filio suo, ait: *Pone manum tuam sub femore meo, et jura per Deum cœli* (*Gen.* XXIV). Quid est hoc? Deus cœli erat in femore Abrahæ? Ostendit certe pulchre, sed occulte, quare voluit, ut filius ejus acciperet uxorem; non utique ut satisfaceret libidini ejus, sed ut procrearet illud semen, de quo nasciturus erat Deus cœli. Ideo præcepit ei ut poneret manum sub femore ejus, et juraret per Deum cœli, quia sine dubio de ejus femore, id est generatione nasciturus erat Deus cœli. Nam quod femur ponatur pro generatione, satis usitatum est in Scripturis secundum illud: *Omnes animæ quæ exierunt de femore Jacob, septuaginta* (*Exod.* I). Et: *non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus* (*Gen.* XLIX). Sed hoc signum Dominici adventus occultum erat, quia nondum venerat Jesus ad domum oris, id est non aperte ejus Incarnatio prædicabatur domui alicui, id est populo. Sed cum jam filii Israel educti essent de Ægypto, cum accepissent legem, cum sacrificia celebrarent, et tabernaculum construerent, tunc venire cœpit Jesus ad domum oris, qua aperte omni populo cœpit ejus adventus revelari. Nam aperte Moyses coram omni populo dixit de eo: *Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris: tanquam me ipsum audietis. Omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo suo* (*Deut.* XVIII). Quod esse prophetatum de Domino Jesu, ipsi apostoli ostenderunt. Hoc enim testimonio sæpe usi sunt contra Judæos. Venit Dominus ad Bethphage, quando Isaias propheta ipsum adventum Domini, et virginis partum prophetavit, dicens: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isa.* VII). Quando venit ad montem Oliveti? Oleos Græce misericordia dicitur. Mons ergo Oliveti significat illam excellentiam, et ut ita dicam, cumulum misericordiæ illius, de qua loquimur. Venit tunc ad montem Oliveti, quando jam illud tempus appropinquavit, in quo voluit illam mirabilem et excellentem misericordiam ostendere, quam prius Abrahæ obedienti promiserat, et postea per prophetas suos omni populo prædicaverat.

Cum ergo appropinquasset Jesus Jerosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea. Solvite et adducite mihi (*Matth.* XXI). Quid significant isti duo discipuli, quos præmittit Dominus? Hi sunt qui præcedunt faciem ejus in omnem locum et castellum, quo est ipse venturus. Sic enim habes in Evangelio Lucæ: *Designavit Dominus et alios septuaginta duos discipulos: et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus* (*Luc.* X). Fortassis ergo isti duo significant illa duo, quæ ubique præcedunt faciem ejus, de quibus ait Psalmista: *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam* (*Psal.* LXXXVIII). Facies ejus significat præsentiam illius, præsentiam misericordiæ ejus, præsentiam salutis nostræ per adventum ejus. Hanc faciem ejus, hunc adventum ejus, præcedit misericordia et veritas, ut adducant sibi asinam et pullum. Puto quod per asinam et pullum possumus non inconvenienter accipere totam humanam naturam, id est carnem et animam. Per asinam, carnem, propter tarditatem et gravitatem; per pullum, animam, propter levitatem et mobilitatem. Misericordia et veritas adducunt asinam et pullum ad Filium Dei, quia ut Verbum caro fieret et habitaret in nobis, *misericordia et veritas obviaverunt sibi* (*Psal.* LXXXIV). Misericordia et veritas adducunt asinam et pullum ad Dei Filium, quia ut hominem totum, id est et carnem et animam Dei Filius assumeret, sine dubio misericordia et veritas fecit. Non enim sola faceret misericordia, quia non posset sine veritate. Non faceret sola veritas, quia nollet sine misericordia. Item fecit hoc, ut scilicet Dei Filius asinam et pullum, id est carnem et animam haberet, misericordia et veritas: veritas, quia hoc promisit Judæis; misericordia, quam voluit exhibere paganis. Et ideo pulchre hæc duo præmittit, quia hæc ante suum adventum jurejurando quasi in veritate Judæis promisit, et hanc misericordiam gentibus exhibere proposuit. Quod Apostolus aperte ostendit, dicens: *Dico autem Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum; gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* XII). Ergo *misericordia et veritas obviaverunt sibi, et veritas de terra orta est*: assumensque sibi asinam et pullum, corpus et animam, venit ad Jerusalem, venit visitare Ecclesiam suam, venit eam salvare. Quod utique non fecisset, nisi illo modo, ut diximus, asinam et pullum insedisset. Nec movere debet, quod ait, *Solvite*. Nam licet caro et anima quam Dei Filius assumpsit, nunquam peccato fuerit obligata, quia statim ex quo homo ille creatus fuit, utique perfectus Deus fuit; tamen quia ipsa humana natura semper ante in omnibus hominibus fuerat peccatorum vinculis alligata: in ipso Domino nostro, eo quod semper fuerit libera, non incongrue dicitur soluta. Si vero dicere voluerimus quod beatissimam Mariam, de qua natus est, misericordia et veritas ab omni peccati obligatione absolverit, antequam conciperetur in ea: ut huc sit solvere asinam et pullum, et adducere ad Jesum, bea-

Digitized by Google

tissimæ matris ejus carnem et animam ab omni peccato mundare, et sic eam Dei Filio gravidare; sive ergo hoc, sive illud dicatur, puto locum istum non inconvenienter expositum.

Audivimus modum quo Jesus venit ad Ecclesiam suam, videlicet secundum carnem et animam quam assumpsit. Nam secundum divinitatem nec venit nec recedit, quia ubique præsens est. Sed quid significant ista vestimenta, quibus discipuli tegunt hæc animalia, in quibus sedet Dei Filius? Dicit evangelista, quia *adduxerunt asinam et pullum, et eum desuper sedere fecerunt* (*Matth.* XXI). Quomodo potuit super utrumque sedere? A littera abstracti cogimur spiritualem sensum investigare. Salvo ergo alio sensu, quo per aliam significationem hæc duo animalia significant duos populos, Judæum et gentilem; salvo, inquam, et hoc sensu dicimus eum in utroque hoc animali venisse ad Jerusalem; quia in humana natura, quam totam assumpsit, id est in anima rationali et carne, Ecclesiæ suæ, hoc est fidelibus suis apparuit. Sed quid significant hæc vestimenta? Forte hæc sunt illa, quibus major et minor filius Noe patris verenda versis vultibus texerunt. Magnum sacramentum, fratres. Sed quia in multis occupatos nos habet dies hæc, breviter dicam quia hæc vestimenta significant fidem et doctrinam apostolorum et prophetarum, per quam humanitas Christi quasi quædam infirmitas cognitione divinitatis operitur. Illi asinam et pullum, quibus insedit Jesus, quasi nuda reliquerunt, qui credebant et prædicabant eum esse solum hominem, et non Deum. Isti nudam reliquerunt humanitatem ejus; sed fides et doctrina apostolorum et prophetarum non dimiserunt eam modum; quia ejus infirmitatem, quam contempserunt infideles, fortitudinem divinitatis ejus prædicando, texerunt. Ait quippe Isaias : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium* (*Isa.* VII). Ecce homo. Sed ne infirmus et parvus æstimaretur hic homo, statim subjunxit : *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod est nobiscum Deus. Sed Paulus cum de infirmitate ejus dixisset : *Factus est obediens usque ad mortem* (*Philipp.* II), paulo post ait : *Quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*ibid.*).

Plurima *autem turba straverunt vestimenta sua in via. Alii autem cædebant ramos de arboribus, et clamabant : Hosanna filio David* (*Matth.* XXI). Dictum est quomodo Dominus venit ad Jerusalem; nunc dicitur quomodo ipsa Jerusalem, hoc est Ecclesia sancta susceptit ejus adventum. Ecclesia præeedit, et Ecclesia sequitur adventum ejus. Non enim est Ecclesia solum ista fidelium congregatio, quæ credit in eum post ejus adventum, sed omnes sancti ab Abel justo usque ad ultimum justum, qui erit in hoc mundo, pertinent ad sanctam Ecclesiam; et de omnibus illis constat illa una Ecclesia, cui dicitur : *Una est columba mea* (*Cant.* VI). Pars una præcedit adventum ejus : Abel, Noe, Abraham, David, et cæteri sancti. Pars alia sequitur; apostoli, martyres, confessores et omnes fideles, inter quos et nos per ejus misericordiam sumus. De istis omnibus alii vestimenta sua prosternunt ante pedes Jesu, alii ramos arborum. Ramos arborum prosternunt, qui omnem mundi gloriam propter Christum abjiciunt. Quid enim sunt divitiæ et gloria istius mundi, nisi ut folia et rami arborum quæ virent in æstate, in hieme arescunt? Quia sine dubio omnis gloria mundi in prosperitate quasi floresceit; sed in adversitate, maxime in ipsa morte hominis, quando supervenit tempestas hiemalis, id est extrema damnatio, vilescit et sordescit. Sed beatus est, qui ea prosternit ante pedes Jesu, distribuendo pauperibus qui sunt quasi pedes ejus, infirma scilicet membra ejus. Multo autem beatior est, qui etiam vestimentum suum potest pro Christo contemnere, et sub pedibus ejus prosternere. Quid est enim vestimentum nostrum, nisi corpus nostrum, quo ipsa anima quodammodo tegitur et operitur? Beatus qui ipsa membra sua, ipsum corpus suum pro Christo potest contemnere, et omnia facta corporis sui in Dei obsequio mancipare. Utrumque fecerunt, et illi qui præcedebant adventum Domini, et qui sequebantur. Nam sancti patres in Veteri Testamento divitias mundi et gloriam pro nihilo duxerunt, propter fidem quam habebant in Christi adventu. Multi etiam corpora suo martyrio subdiderunt, sicut protomartyr Abel, sicut Isaias, sicut martyres Machabæi. Quot autem non solum sigillatim homines, sed quot millia hominum hæc omnia fecerint post adventum ejus, quis potest enumerare? Ex illorum numero et vos estis. Vos ramos arborum, omnem scilicet pompam mundi, projecistis in obsequium et honorem Christi; vos, quod majus est, ipsa corpora vestra pro illo contempsistis; vos ipsam animam vestram, quod adhuc est amplius, in honorem Christi expendistis, quia propriam voluntatem animæ vestræ dimisistis.

Porro omnes qui præibant et sequebantur eum dicebant : *Hosanna filio David*; *benedictus qui venit in nomine Domini*. Magna fides, magna confessio, magna laus. Hosanna est vox postulantis salutem, quasi diceretur, salvifica. Sine dubio illum confitentur Salvatorem, a quo postulant salutem, quod proprie pertinet ad Deum. Vocant eum filium David, quia confitentur eum verum hominem. Benedicunt eum, quia venit in nomine Domini : per quod aperte ostendunt, quia ipse est Deus, quem Deus Pater promisit venturum. In ista fide suscipit Ecclesia adventum Filii Dei. Credit eum verum Deum, et verum hominem, verum mundi Salvatorem, a Deo Patre promissum, a sanctis prophetis prænuntiatum. In ista fide et illi qui præcedunt adventum ejus, et illi qui sequuntur, conveniunt et sociantur, et sunt una Ecclesia : in ista fide utrique salvantur. Quicunque sine ista fide sunt, extra Ecclesiam sunt : ad illos non venit Christus, et ideo non salvantur. Hæc de primo adventu. Scire autem debetis, fratres, quia in ipsa eadem forma, in qua

Digitized by Google

venit primo ut redimeret Ecclesiam suam, veniet secundo ut glorificet Ecclesiam suam. Sic enim dixerunt angeli apostolis post Domini Ascensionem: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Hoc erit, fratres, ad cumulum damnationis impiorum. Non enim sine magna confusione et dolore poterunt videre illum in tanta gloria et potestate, quem contempserunt in humana infirmitate. Huic secundo adventui Domini convenit satis, quod de ista historia alii quoque Evangelistæ narrant. Veniente Jesu Jerusalem, pueri Hebræorum acceperunt ramos olivarum, vel palmarum, et venerunt ei obviam. Sic erit in secundo adventu Domini. Cum enim venerit ut glorificet Ecclesiam suam, exhibens eam omnino perfectam sine macula et ruga, tunc utique pueri Hebræorum venient obviam ei cum palmis, sive olivarum ramis. Isti sunt pueri, quibus dicit David: *Laudate, pueri, Dominum* (*Psal.* CXII). Et item: *Custodiens parvulos Dominus* (*Psal.* CXIV). Non magnos, elatos, superbos custodit Dominus; sed parvulos, id est humiles. Isti laudant Dominum, si tamen fuerint Hebræi, id est transilientes. Si enim modo humiles transeunt vitia carnis, et opera, et dant saltus per contemplationem et bonas cogitationes; tunc sine dubio in die judicii, cum Jesus venerit in sua potestate, ipsi venient obviam cum palmis, id est cum signis victoriarum, quas hic conquisierunt de diabolo. Palmæ enim significant victoriam. Tunc poterunt, quasi cum palmis gloriari et dicere: *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* (*I Cor.* XV.) Tunc etiam venient cum olivis, quæ pacem significant. Modo enim pacem non habent, pugnantes cum diabolo, cum mundo et vitiis, et cum carne sua. Sed tunc erit pax perfecta, et tranquillitas vera, quando caro non resistet spiritui, nec spiritus Deo; nec diabolus impugnabit, nec mors vel infirmitas ulla unquam gravabit. Si istam pacem in secundo ejus adventu volumus habere, primum ejus adventum suscipiamus cum fide et dilectione. Perseveremus in operibus, quæ nobis ostendit et docuit: nutrientes in nobis ejus amorem, et verum desiderium; in quibus occurramus ei in virum perfectum, cum venerit judicare sæculum: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem; si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus (*I Petr.* II). Apostolus vos hortatur, fratres, ad desiderandum lac, et tale lac, in quo possitis crescere et crescere in salutem. Sed audite quid addit: *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* Et illud lac quid debet significare, nisi dulcedinem Jesu Christi? Quid est hoc ergo quod nos hortatur desiderare lac, si tamen gustaverimus quoniam dulcis est Dominus? Videtur ergo, fratres, quod Apostolus faciat hic mentionem de duabus maneriis dulcedinis. Fortasse una maneria illa est quam in his diebus gustastis; et ideo secure vos hortatur ut desideretis illam aliam maneriam dulcedinis, quæ significatur per lac. Quia credibile est quod in istis diebus gustastis quam dulcis est Dominus, vos maxime qui vidistis et considerastis quasi in præsentia vestra, Jesum Christum in cruce; qui vidistis illa sancta brachia expansa, quasi ad vos amplectendum; qui considerastis illa dulcia ubera discooperta, quasi ad vos reficiendum. Hæc omnia, fratres, licet semel sint facta: quia sicut dicit Apostolus: *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata* (*Hebr.* IX); tamen vos hæc omnia multo melius vidistis, et clarius oculis cordis, quam multi tunc viderunt oculis corporis, quando facta sunt. In his omnibus gustastis quia dulcis est Dominus. Dulcis, humilis, mitis, misericors, suavis et pius. Quantam enim ostendit dulcedinem in illa cœna, quam celebravit cum discipulis suis ante passionem suam! In ista namque cœna dixit discipulis suis: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar* (*Luc.* XXII). Hæc est illa dulcissima esca in qua Judæi miscuerunt fel, sicut proclamat sanctus David: *Dederunt in escam meam fel* (*Psal.* LXVIII). Hoc secundum litteram impletum fuit, quando dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Sed quia illud fel datum est ei in potum, non escam, videtur quod Propheta nos voluit in his verbis mittere non solum ad litteram, sed etiam ad significationem. In hanc ergo dulcissimam escam, quam tam dulciter, tam humiliter sumpsit cum discipulis suis, Judæi miscuerunt fel: qui ipsum discipulum, qui cum aliis ad istam escam venerat, corruperunt pecunia, et abstulerunt ab eo dilectionem, et eum felle malitiæ amarissimum reddiderunt. Et quid erant illi boni discipuli ejus, nisi esca ejus, in quibus ipse delectabatur, quorum dilectione et devotione pascebatur? Et quid erat ille traditor Judas inter illos, nisi sicut fel in bona esca? In illa cœna vetus illud pascha, quod solebant celebrare Judæi, finivit, et illud novum pascha, quod nos celebramus, incepit. Et quomodo potuit nobis majorem dulcedinem ostendere, quam relinquere nobis in sui memoria corpus suum et sanguinem? Voluit enim, ut illud pretium, quod semel dedit pro nobis, semper esset in oculis nostris. Voluit quadam mira affectione, ut corpus suum et sanguis esset non solum pretium nostrum, sed etiam cibus noster.

Nonne videtur vobis, fratres mei, apertissime illum in cœna implesse, quod dixit propheta David, quia *Calix in manu Domini vini meri, plenus misto: et inclinavit ex hoc in hoc?* (*Psal.* LXXIV.) Postquam enim celebraverat illud vetus pascha, quod solebant celebrare Judæi per carnem agni et sanguinem, accepit Jesus panem, et tradens discipulis

Digitized by Google

pulis, dixit : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* xxvi) ; et postea calicem, dicens : *Hic est sanguis meus* (*ibid.*). Videte, quomodo calix in manu Domini. Qui est iste calix, nisi institutio legis ? Plenus erat calix iste meri vini, id est puri vini. Istud vinum est spiritualis intelligentia, quæ fuit in illis institutionibus, quæ erant in veteri lege. Ideo vinum, quia lætificat cor hominis. Ideo vinum, quia inebriabat illos, qui eam intelligebant. Inebriabat dilectione Dei ; inebriabat illos intantum ut obliviscerentur seipsos, et Deum solum diligerent. Annon inebriatus erat hoc vino David, quando seipsum quasi ebrius nudavit et discooperuit, ut saltaret coram arca Domini ? (*II Reg.* vi.) Nonne inebriatus fuit hoc vino Isaias, quando, sicut ipse testatur, ambulavit nudus et discalceatus coram omni populo ? (*Isa.* x.) Quamvis hoc vinum purum erat in se, tamen quia miscelantur quædam carnales observantiæ adhuc, ideo *calix in manu Domini vini meri, plenus misto.* Considerate ipsum agnum, quem in hac cœna Dominus noster habebat in manibus. Videte ibi illam institutionem legis, quasi calicem in manu Domini. In hoc calice, id est in hac constitutione, erat purum vinum, id est intelligentia spiritualis. Videte ex alia parte panem et vinum, quasi alium calicem. In hoc calice non erat prius illud spirituale vinum. Jam videte quomodo vinum, quod erat in uno calice, transfudit in alium. Quod erat vinum in illa antiqua institutione ? Agnus ille significabat corpus Christi, sanguis agni sanguinem Christi. Ecce vinum in illo priori calice. Sed *inclinavit ex hoc in hoc.* Audi quomodo. Accepit panem et dixit : *Hoc est corpus meum ;* accepit et vinum, et dixit : *Hic est sanguis meus.* Mutatum est, vacuus remansit agnus ille, in quo erat significatio corporis et sanguinis Christi. Impletus est alius calix, quia panis factus est corpus Christi, et vinum sanguis Christi.

Videamus adhuc amplius. In illo agno erat significatio passionis Domini ; et ideo præceptum fuit, ut in memoriam ejusdem passionis Domini occideretur omni anno ille agnus. Commemoratio ergo passionis Domini in agno, quasi vinum in calice. Sed *inclinavit* Deus *ex hoc in hoc*, quia commemorationem passionis suæ, quæ prius in illo agno fuit, transtulit in sacramentum corporis et sanguinis sui, quod modo tradidit discipulis suis dicens : *Hoc facite in meam commemorationem* (*I Cor.* xi). Ibi quædam mistura erat, propter carnales observantias ; quia, licet ille agnus significaret corpus Christi, non tamen erat in veritate corpus Christi, sed agnus. In nostro sacramento nulla mistura est ; quia nostrum sacramentum post consecrationem jam non est substantia pecudis, sed nec panis et vini, quod prius fuit ; sed in veritate corpus Christi et sanguis. Sed quia propheta prævidit in spiritu, quod carnales Judæi nollent deserere illam fæcem carnalium observationum, ideo addidit : *Verumtamen fax ejus non est exinanita* (*Psal.* lxxiv). Vinum sublatum est, et adhuc fæx manet. Et ideo ait : *Bibent omnes peccatores terræ* (*ibid.*). Sed alii fæces, alii vinum. Ante adventum Domini et passionem soli Judæi bibebant de isto calice ; sed vinum mistum, non purum. Non bibebant inde pagani, et ideo non omnes peccatores bibebant. Venit Christus, passus est pro nobis, resurrexit, ascendit in cœlum, et ecce bibunt omnes peccatores terræ. Omnes, id est Judæi et pagani. Sed Judæi non bibunt, nisi fæces, nos non nisi vinum. Illi habent agnum, in quo non est modo aliquis sapor significationis ; nos illum agnum, qui abstulit peccata mundi (*Joan.* i), in quo est expressio ipsius veritatis.

Videte adhuc, quomodo inclinavit ex hoc in hoc. In veteri pascha secundum præceptum legis, cum carne agni comedebant azymos panes cum lactucis agrestibus. Ecce calicem in manu Domini. Quod vinum in isto calice mystico, utique significatio sinceræ humilitatis est. Quid enim est fermentum, nisi superbia ? Ideo nos hortatur Apostolus : *Expurgate vetus fermentum* (*I Cor.* v). Vere vetus fermentum superbia. Quando enim primo angeli creati sunt, tunc incœpit esse. Istud fermentum intantum inflavit ipsum ut vellet esse similis Deo, in tantum corrupit ut de angelo factus sit diabolus. Istud fermentum intantum inflavit hominem ut cuperet esse sicut Deus, in tantum corrupit ut sit similis jumentis insipientibus. In azymis, quæ patribus quasi vinum erant, exercitia humilitatis, quia hoc utique significabant. Jam videte Dominum nostrum, quomodo surgit a cœna, quomodo præcingit se linteo, quomodo lavat pedes discipulorum. Sic illam significationem humilitatis, quæ erat in azymis panibus, nunc tulit ; et in hoc sacramentum transfudit. Ait enim : *Scitis quid fecerim vobis ? Vos vocatis me, Magister et Domine : et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes* (*Joan.* xiii) ? Hæc lavatio non solum est significatio magnæ rei, de qua non est modo tempus loquendi, sed etiam exercitium manifestum humilitatis. Audite, fratres, quomodo vobis in illa cœna non lactucas agrestes porrexit, sed vinum, id est significationem, quæ erat in illis lactucis. Quid enim significant lactucæ agrestes, nisi amaritudinem hujus vitæ et persecutiones ? Lactucæ enim agrestes amaræ sunt. Ideo Dominus inter alia multa, quæ in illo ultimo sermone dixit, hoc quoque addidit : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* xv). Et iterum : *In hoc mundo pressuram habebitis* (*Joan.* xvi). Ut quid amplius quæremus illas lactucas agrestes corporaliter, qui in ipsis amaritudinibus hujus vitæ quotidie exercemur ? Longum est, fratres, omnia illa aperire, quæ in illis veteribus observantiis faciebant corporaliter, quæ nobis Dominus spiritualiter celebrare instituit. Nam hæc et multa alia sacramenta ante hos tres dies vobis Dominus noster commendavit, in quibus omnibus

Digitized by Google

sine dubio potuistis gustare quod dulcis est Dominus, ut modo debeatis desiderare istam aliam dulcedinem quam significavit apostolus Petrus.

Quid denique non potuit operari in cordibus vestris ipsa memoria passionis Domini? Quale fuit, videre dulcissimum Dominum nostrum ligari, conspui, colaphizari? Quomodo se pascebat Isaias hac visione, qui utique non factum vidit, sed tamen quasi factum narravit? *Sicut*, inquit, *obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum* (*Isa.* LII). Multi quidem obstupuerunt, quando pavit quinque millia hominum de quinque panibus et duobus piscibus (*Joan.* VI); multi obstupuerunt, quando cæcum natum illuminavit (*Joan.* IX); multi obstupuerunt, quando Lazarum suscitavit (*Joan.* XI). Obstupuerunt, laudaverunt, glorificaverunt. Magna fuit illa gloria, sed non minor fuit illa contumelia, quam ei postea fecerunt. Ideo dicit Propheta: *Sic inglorius erit inter viros aspectus ejus* (*Isa.* LII). Inglorius, id est sine gloria. Vere inglorius erat aspectus ejus, quando velata est facies ejus et consputa. Sine gloria erat forma illius, quando coronaverunt eum spinis; quando flagellaverunt eum et arundine percutiebant caput ejus. Sine gloria erat, sed, sicut dicit Propheta, inter filios hominum (*ibid.*). Nam inter filios Dei omnis ista contumelia magna gloria est. Intantum enim secundum veritatem rei, hoc totum gloria erat, ut dicat idem propheta: *Et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum despectum* (*ibid.*). Talem eum desiderabat Isaias. Quare? Videbat quod omnis ilia despectio salus esset generis humani, et gloria ipsius Christi. Quod aperte ostendit Apostolus, qui ait: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II). Ecce despectio. Sed audi quod sequitur:

Propter quod et Deus exaltavit illum, etc. Hoc ipsum propheta clamabat sanctus David: *De torrente in via bibet; propterea exaltabit caput* (*Psal.* CIX). De torrente bibit, quia amaritudines hujus vitæ gustavit; sed in via, id est in transitu. Cito enim finitæ sunt passiones ejus; cito mutata est mors ejus. Propterea exaltavit caput. Quia enim mortuus est, ideo resurrexit. Ideo autem glorificatus est, quia resurrexit. Deinde quam dulcedinem potuit haurire cor vestrum, quando interiori oculo vidistis ipsum Dominum portare crucem suam? Quis poterit æstimare istam humilitatem, istam mansuetudinem, istam patientiam? *Velut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum* (*Isa.* LIII). Quæ fuit dulcedo, considerare quasi recentia vulnera Christi, stare quasi juxta crucem ejus, videre illas lacrymas matris ejus, audire illam dulcem vocem: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciant* (*Luc.* XXIII). Quæ spes nobis poterat oriri de remissione peccatorum nostrorum, quando audivimus eum tam dulciter etiam pro inimicis suis orare? Sed ista dulcedo non sicut lac fuit, sed sicut vinum. Ex una enim parte dulcescebat, sed ex alia mordebat. Dulcescebat per affectionem et devotionem; sed iterum mordebat per quamdam dulcem tristitiam et compassionem. Sine tristitia enim quadam dulci non potuistis videre illas dulces manus tam duris clavis perforari, illos similiter pedes ferro perforari, illud suavissimum latus lancea vulnerari; nec sine compassione, licet dulci, potuistis illas lacrymas dulcissimas Dominæ nostræ cernere. Ideo qui hoc vinum mordens gustastis, id est memoriam passionis Domini, modo lac concupiscite, id est suavitatem resurrectionis illius. Et merito lac; quia nullam in se habet misturam tristitiæ. Angeli exsultant, apostoli gloriantur, sanctæ mulieres in illa beata visione delectantur; ubique alleluia, ubique laus, ubique gaudium. Jam quale est, videre illum cum discipulis suis manducare et bibere, quem prius videbas in cruce pendere: illa dulcia vulnera cum magna jucunditate osculari, pro quibus paulo ante tanta compassione flevisti. *Hæc est dies, quam fecit Dominus; exsultemus et lætemur in ea* (*Psal.* CXVII). Hunc diem vidit beatus Abraham in spiritu; vidit et gavisus est. Sic enim ait Dominus in Evangelio: *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum; vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII). Sicut sancti Patres exponunt, tunc Abraham diem Domini vidit, quando in figura S. Trinitatis tres angelos hospitio suscepit. Recepit enim eos, sicut Scriptura, sub arbore, et quædam ministravit in eorum obsequium, in quibus ipse hunc diem vidit; vidit, et gavisus est. Occidit ad opus eorum vitulum optimum et tenerrimum, et cum lacte et butyro apposuit eis subcinericium panem. Videte, fratres, magnum sacramentum. Videtur enim quod parvum saporem habeant ista. Obscura sunt; sed in his quasi absconditus est Dominus noster Jesus Christus. Opertus jacet.

Sed eamus cum istis sanctis mulieribus, de quibus hodie narrat evangelista (*Marc.* XVI), eamus ad monumentum Scripturarum; eamus cum aromatibus piæ devotionis; quæramus hic Dominum nostrum; quæramus cum fide, cum devotione, cum charitate. Hæc sunt enim unguenta, quæ debemus afferre ad hoc monumentum, si volumus Jesum invenire. Sed *quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti* (*ibid.*), id est tegumentum hujus Scripturæ, ut possimus invenire quod quærimus? Angelus ejus, gratia ejus adsit. Quæ est ista arbor? Illa est, in qua pependit botrus ille suavissimus, de quo profluxit illud vinum, quod totum mundum hodie lætificat. Cogitate botrum illum quem portaverunt filii Israel in ligno. Et quid est botrus in ligno, nisi Christus in cruce? Hodie, fratres mei, totus mundus illo vino, quod de isto fluxit, saginatur. Quis est enim Christianus, qui hodie non bibat sanguinem Christi? Jam quid vidit Abraham in illo optimo vitulo, nisi illud sacrificium, quod oblatum est pro totius mundi salute? Optimus utique vitulus, qui sua morte totum mun-

Digitized by Google

dum redemit; qui sua carne totum mundum reficit, A qui cornibus suis diabolum et angelos ejus debellavit; qui ungulis suis terrena desideria de nostris cordibus effodere non desinit. Sed jam de subcinericio pane quid dicemus? Quid est panis in cinere? quis est iste panis? Iste forte, de quo dixerunt Judæi, sicut scriptum est in Jeremia propheta : *Venite, mittamus lignum in panem ejus* (*Jer.* xi). Ecce iterum lignum, iterum crux Christi. Et panis quid est, nisi corpus Christi? *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (*Joan.* vi). Quid est ergo panis in cinere? Panis utique subcinericius quando coquitur, cinere tegitur. Et quid est cinis, nisi terra? Nonne videtur vobis apposi:issime hic significatam esse sepulturam Christi? Panis ergo in B cinere, corpus Christi est in corde terræ. Sed quare ternarius numerus hic commemoratus est? De tribus mensuris jussit Abraham, ut fierent subcinericii panes. Quare hoc, nisi quia vidit in spiritu, quod sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita fuit caro Christi in terra tribus diebus et tribus noctibus? Sicut ergo in vitulo quem occidit, significata est passio Domini, et in subcinericio pane sepultura, sic in lacte suavitas resurrectionis ejus intelligitur.

Et necesse erat, fratres, ut discipuli ejus, qui adhuc erant parvuli, nutrirentur hoc lacte. Tam parvi erant, ut in passione ejus fugerent, et relinquerent eum. Tam parvus erat Petrus, ut propter vocem unius ancillæ eum negaret. Necesse ergo C erat ut, quasi parvuli etiam oculis carnis viderent resurrectionem ejus, sicque quasi quodam lacte nutrirentur, ut idonei essent invisibilia credere, invisibilia contemplari. Quam pulchrum est, quod voluit, ut mulieres resurrectionem suam nuntiarent discipulis. Ad mulieres enim pertinet ministrare lac parvulis. Habet et hoc aliam significationem. Illi enim qui regunt parvulos et infirmos, magna compassione et condescensione debent quasi matres filiis hoc lac exhibere : nec antequam illo lacte nutriantur, debent eis panem solidum, id est profunda de divinitate, monstrare. Talis fuit Paulus, qui ait : *Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* iii). Merito Abraham qui ista vidit exsultavit. Et vos, fratres, qui ista D videtis, exsultate. Concupiscite hoc lac, concupiscite, gustate; in isto lacte crescite, et crescite in salutem. Ait enim apostolus Paulus : *Si confitearis ore tuo Dominum Jesum, et corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris* (*Rom.* x). Sed debemus hic intelligere illam fidem, quæ per dilectionem operatur. Colligite de lacte hoc, id est de hac memoria resurrectionis Domini, pinguedinem amoris Christi. Hoc enim significabat illud butyrum, de quo paulo ante locuti sumus. Quia sicut butyrum de lacte colligitur, ita de memoria quam debemus habere de resurrectione Domini, de illa conversatione, qua conversatus est cum discipulis suis, de illa palpatione, qua palpabant vulnera ejus, et de illis lacrymis, quas fuderunt mulieres juxta sepulcrum ejus, debemus quasi impinguari in dilectione ejus. Simus quasi modo geniti infantes. Infantes per innocentiam, per simplicitatem, ut, deposito veteri homine, secundum quem prius viximus, qui cum Christo crucifixus est, sicut Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos crucifixi cum ipso, et ab omnibus hujus mundi desideriis sepulti, mereamur hic in novam vitam resurgere, et in futura resurrectione cum illo sine fine gaudere; quod ipse præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XII.

IN EODEM FESTO.

Præceptum erat in lege, ut in illo tempore, quo filii Israel exierunt de Ægypto, immolaretur agnus, et comederetur. Ista festivitas vocabatur pascha. Deinde erat præceptum, ut per septem dies deberent comedere panes azymos, id est sine fermento; et ista festivitas vocabatur festivitas azymorum, sed etiam pascha. Hoc ostendit evangelista, qui ait *Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur pascha* (*Matth.* xxvi). Prima illa festivitas, quando occidebant agnum, tantum pascha dicta est; ista et pascha, et festivitas azymorum. Sicut mihi videtur, illa festivitas significat passionem Domini, ista resurrectionem. Et hoc satis notum est, quod illa festivitas significat passionem Domini, in qua ille verus Agnus occisus est, per cujus sanguinem salvati sumus de manu spiritualis Pharaonis, id est diaboli : et ideo illa festivitas dicitur pascha, quod est transitus, quia ipse Christus in passione sua transivit de hoc mundo, sicut dicit evangelista : *Ante diem festum paschæ, sciens Jesus quia venit ejus hora, ut transeat de hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* xii). Sed hoc videamus, quomodo ista alia festivitas significat resurrectionem Domini. Et primo consideremus quantum se humiliavit illa majestas, et quousque descendit pro nobis. Ille qui erat Creator, fecit se creaturam; qui erat Dominus, fecit se servum; qui erat dives, fecit se pauperem; qui erat magnus, fecit se parvum; *et Verbum caro factum est* (*Joan.* i). Panis erat, et pascebat angelos, sed non pascebat nos : et ideo miseri fuimus, quia rationalis creatura semper habet esse in miseria, nisi pascatur illo pane. Nos autem ita infirmi eramus, ut nullo modo possemus gustare illum panem in illa puritate. Habuimus enim in nobis quoddam fermentum quod nos corruperat, et abstulerat primam fortitudinem quam habuimus; et facti sumus ita dissimiles illi pani puro et mundo, ut nihil inde gustare possemus. Hoc fermentum, quod habuimus in nobis, duplex erat : habuimus in nobis quoddam fermentum mortalitatis, et habuimus in nobis fermentum iniquitatis. Videtis modo quantum exsultavimus in illo pane, in quo neutrum erat, nec mortalitas nec iniquitas. Quomodo illuc ascende-

Digitized by Google

remus, quomodo illum gustaremus? Quæ res ita sunt contrariæ, sicut mortalitas et immortalitas, iniquitas et justitia? Nos mortales et peccatores, ille immortalis et justus. Quomodo potuimus convenire? Vidit hoc ille pius, ille misericors; quia non potuimus ascendere ad illum, et ipse descendit ad nos. Suscepit unam partem fermenti nostri et ita temperavit se nostræ infirmitati. Non totum fermentum sumpsit quod erat in nobis, sed quamdam partem. Si enim nihil sumpsisset, ita longe esset a nobis, ut nullo modo possemus appropinquare ei, et ideo semper maneremus in miseria. Diximus quod duplex fermentum erat in nobis, mortalitas et iniquitas. Unum suscepit, per quod factus est similis nobis. Suscepit ergo fermentum mortalitatis nostræ, et permansit in puritate justitiæ suæ, ut esset talis, qui posset ad nos descendere, et tamen remaneret talis, ad quem nos deberemus ascendere.

Videtis modo, fratres, quomodo ille purus panis est fermentatus propter nos. Ad istud fermentum mortalitatis pertinet fames, sitis, tristitia, miseria: totum hoc habuit Dominus noster in se. Voluit hæc fermenta suscipere, sed non debuit in fermento remanere. Primo ostendit in se istud fermentum per mirabilem compassionem, et postea purgavit se ab isto fermento per mirabilem charitatem. Quia illo modo se purgavit ab isto fermento, ut in hoc ipso ostenderet suam miram charitatem in nobis. Sciebat quia habuimus non solum hoc fermentum, quod est valde malum; sed etiam aliud pessimum et mortiferum, quod impediebat nos conjungi illi pani, qui vere purus est et mundus: et ideo voluit illo modo se purgare a fermento iniquitatis. Sed debemus scire quia iniquitas nostra est causa nostræ mortalitatis, et ideo quando fuerimus plene purgati ab iniquitate, postea etiam sine dubio purgabimur ab ista mortalitate. Debemus adhuc scire, quia iniquitas nostra duplex est. Est enim de natura, in qua nati sumus; et est de mala voluntate, quam postea addidimus. Ab utraque hac iniquitate nos purgavit Deus. Dedit sacrificium quoddam pro nobis, propriam videlicet carnem et sanguinem; et per illud sacrificium purgati sumus. Et ideo quidquid nos patimur ex corruptione nostræ naturæ, jam non est iniquitas, sed infirmitas. Ex corruptione naturæ nostræ sunt motus concupiscentiæ, quos patimur inviti. Inde motus libidinis, motus iræ, motus superbiæ, motus ambitionis. Sed si non consentimus, non imputat nobis ista, quia pro corruptione naturæ nostræ fuit oblatum illud purum sacrificium. Sed ecce per compassionem, quæ operata est in nobis, in baptismo purgati sumus ab omnibus peccatis, et illis quæ ex natura erant, et illis quæ voluntate addideramus. Sed nunquid post ea servavimus nosmetipsos in illa munditia? Quid igitur faciemus? Docuit nos quomodo debemus purgari. Ergo ipso modo quo ille purgatus est a fermento mortalitatis, nos debemus purgari a fermento iniquitatis.

Sine dubio ille potuit se purgare ab ista mortalitate, ita ut non pateretur aliquam pœnam. Sed quia nos non possumus purgari ab ista iniquitate, nisi per temporales pœnas, voluit nobis præbere exemplum inde. Jam reminiscimini quod diximus, quia panis est Dominus noster Jesus Christus. Cogitate illum ante passionem, et videte quia erat quasi panis cum fermento. Esurivit, sitivit, ploravit, dormivit, lassus fuit. Hæc omnia pertinent, non ad fermentum iniquitatis, sed ad fermentum infirmitatis et mortalitatis: per hæc omnia ostendit compassionem et charitatem, quam habuit erga nos. Hæc omnia sunt quædam species medicinæ, quæ conveniebant nostræ infirmitati. Hæc omnia, quia conveniebant nobis, quoniam non habuit in seipso, sumpsit ea ex nobis. Sed in nobis ista omnia mista sunt cum peccato. Quia fami nostræ et siti solet se sociare concupiscentia mala, et tristitiæ nostræ murmur et desperatio, vel amaritudo, et somno nostro dissolutio, et lassitudini nostræ tepor et torpor. Sed Dominus noster demiscuit ista et separavit, et peccatum dimisit, et infirmitatem suscepit. Et abscondit parvo quidem tempore quod erat suum, et assumpsit quod erat nostrum. Et inde dixit Isaias: *Ut faciat opus suum, alienum opus ejus: ut faciat opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo* (*Isa.* XXVIII). Ut faciat inquit, *opus suum*. Quod opus? Multa sunt opera Domini nostri; sed hic dicit de quodam speciali opere, quod maxime pertinet ad illum. Opus suum sunt angeli, archangeli et omnes virtutes cœli. Opus suum *cælum, terra, mare, et omnia quæ in eis sunt* (*Psal.* CXLV). Sed scimus quomodo fecit illa opera; non suscepit ad hæc facienda aliena opera. *Dixit et facta sunt* (*Psal.* XXXII). Quod est ergo istud opus suum tam speciale, tam singulare, tam mirificum, tamt inauditum? Audiamus proinde quid dicit Scriptura:

Miserationes ejus super omnia opera ejus (*Psal.* CXLIV). Video tria genera operum Dei. Est opus sapientiæ ejus, et est opus misericordiæ ejus, et est opus judicii ejus. Opus sapientiæ, cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt; opus judicii ejus, reddere unicuique secundum opera sua, sed miserationes ejus super omnia opera ejus. Ergo opus misericordiæ ejus speciale est opus ejus. Opus suum, opus proprium, in quo maxime apparet bonitas ejus, charitas ejus, benignitas ejus. Secundum nomen ejus, ita et opus ejus. Secundum quod nomen ejus? Nostis nomen ejus. Quid sonat, quid sapit, quid fragrat nomen ejus? Oleum, *Oleum effusum nomen tuum* (*Cant.* I). Quare oleum? Quia nomen ejus sapit charitatem, sapit misericordiam. Quid enim sonat illud dulce nomen Jesus? Nostram salutem sapit; quia ipse Deus meus, et Jesus meus, id est Salvator meus. Fecerat opus sapientiæ suæ, quando creavit mundum; sed non fecerat adhuc

Digitized by Google

opus misericordiæ. Nam opus misericordiæ pertinet ad miseros. Fecerat etiam opus judicii quia projecerat diabolum de cœlo propter superbiam suam. Fecerat etiam opus judicii, quando projecit hominem de paradiso, propter inobedientiam. Sed in his operibus ostendit ipse sapientiam suam, et potestatem. Voluit ostendere et misericordiam suam, quia miserationes ejus super omnia opera ejus. Ideo opus misericordiæ ejus proprie dicitur opus suum. Sed quomodo faceret hoc opus, nisi salvaret miseros? Ideo opus nostræ salutis hoc est opus misericordiæ suæ, hoc est proprie opus suum. Quid est ita proprium Salvatori, id est Jesu, quam salvare? Sed quid dicit propheta : *Ut faciat opus suum alienum, opus ejus?* (*Isa.* xxviii.) Sicut scitis, fratres, Dominus noster Jesus Christus sapientia est; ipse vita est. Quid est contrarium, et quasi alienum a sapientia? Sine dubio stultitia. Et quid est contrarium fortitudini? Sine dubio infirmitas. Sic nihil est contrarium morti, nisi vita. Considerate modo, quomodo Dominus noster suscepit quoddam opus, quod erat alienum a se, ut posset facere opus suum, id est opus misericordiæ suæ. Ille qui erat sapientia, voluit esse quasi stultus; qui erat fortitudo, voluit esse infirmus. Ideo dicit Apostolus : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (*I Cor.* i). Ut faciat opus suum, alienum opus ejus ab eo. Panis esurit, et fons sitit, virtus lassatur, vita moritur. Sed per hoc alienum opus quomodo facit opus suum? Ejus esuries nos pascit, ejus sitis nos inebriat, ejus lassitudo nos recreat, ejus mors nos vivificat; nostra spiritualis satietas, nostra spiritualis ebrietas, nostra spiritualis recreatio, nostra spiritualis vivificatio : hoc totum est opus misericordiæ ejus. Per alienum opus hoc, totum facit. Sapientia facit hoc per stultitiam, sicut dicit Apostolus : *Quia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (*ibid.*). Ergo, sicut diximus, hoc opus suum facit sapientia per stultitiam; fortitudo hoc facit per infirmitatem; panis hoc facit per esuriem; fons hoc facit per sitim; virtus hoc facit per lassitudinem; vita hoc facit per mortem. *Ut faciat opus suum, alienum opus ejus; ut faciat opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo* (*Isa.* xxviii). Ut faciat opus misericordiæ suæ, peregrinum devenit ab illo opus sapientiæ suæ, et opus judicii sui. Diximus quia opus sapientiæ sunt angeli, et audite quid ipse dixit, quando captus est a Judæis.

Petrus voluit defendere Dominum, et percussit quemdam gladio suo. Et Dominus dixit ad eum : *Putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum?* (*Matth.* xxvi.) Potuit habere secum omnes angelos, qui destruerent illos qui volebant illum apprehendere, sed noluit. Ut enim posset facere opus suum, illud mirabile opus, quod proposuerat, A voluit, ut ipsi angeli quasi peregrini essent ab eo, et non pugnarent contra inimicos ejus. Opus etiam sapientiæ ejus sunt homines. Et audite quid ipse dixit ad Pilatum : *Si de hoc mundo esset regnum meum, ministri utique mei decertarent ut non traderer Judæis* (*Joan.* xix). Noluit habere secum neque angelos, neque homines, neque aliquam creaturam. Ideo ut faceret opus suum, peregrinum fuit ab illo opus suum. Ideo ipse dixit : *Torcular calcavi solus* (*Isa.* lxiii). Solus, inquit. Solus, quia peregrinum fuit ab illo opus suum. Peregrini angeli, quia non adfuerunt. Peregrini homines, quia non certaverunt. Peregrinum cœlum, quia inimicos ejus non fulminavit. Peregrina terra, quia eos non absorbuit. Peregrinum mare, quia non eos demersit. Peregrinum etiam erat opus judicii sui ab eo, B sicut ipse dixit : *Ego non judico quemquam* (*Joan.* viii). Et iterum : *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum* (*Joan.* iii). Ut faciat opus suum, alienum opus ejus; ut faciat opus misericordiæ suæ, suscepit fermentum mortalitatis nostræ, quod sine dubio erat alienum a puritate divinitatis suæ. Venit tandem tempus, quando voluit auferre a seipso istud fermentum; adhibuit ignem, id est passionem. In passione sua periit totum illud fermentum, omnis corruptio, omnis mortalitas; et surrexit hodie de terra panis azymus, panis purus. Videtis modo quare fuit præceptum, ut postquam fuit immolatus agnus, panis, unde se pascebant Judæi, deberet esse sine fermento. Quia C ante passionem illius Agni Domini nostri Jesu Christi, sine dubio caro ejusdem Domini nostri, quæ caro est refectio nostra, panis noster, sicut scitis, quia ipsam carnem manducamus in similitudine panis; ante passionem, inquam, fuit illa caro mortalis; potuit esurire, potuit sitire, potuit tristari, potuit mori; sed post passionem surrexit immortalis, impassibilis, incorruptibilis. Eia, fratres, celebremus festum azymorum. Comedamus hunc panem sine fermento. Noster panis est corpus Domini nostri. Sine fermento est; quia, sicut dicit Apostolus, *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur* (*Rom.* vi). Si volumus manducare istum panem, qui est sine fermento, oportet ut nos simus D sine fermento, sicut præcipit Apostolus. Paulo ante audistis quid dicit : *Expurgate vetus fermentum* (*I Cor.* v). Istud fermentum, sicut superius diximus, est peccatum. Sed quomodo debemus nos purgare ab isto fermento, sine dubio Dominus noster nos docuit. Eo modo, quo ipse dimisit fermentum quod ipse susceperat propter nos, necesse habemus deponere fermentum, quod corrumpit nos. Per opprobria, per convicia, per flagella, per crucem, per mortem, pervenit ipse ad resurrectionem. In resurrectione deposuit fermentum; et jam præbet nobis carnem suam puram immortalem.

Quid putamus, fratres mei; possumus nos per aliam viam venire ad resurrectionem quam ipse venit? Fallit seipsum qui hoc putat. Sed interro-

Digitized by Google

gatis ad quam resurrectionem. Legimus in Scripturis duas resurrectiones. Inde dicit Joannes in Apocalypsi : *Beatus, qui habet partem in prima resurrectione* (*Apoc.* xx). Prima resurrectio est animarum, secunda corporum. Istas duas resurrectiones operatur in nobis Dominus noster, per unam suam resurrectionem. Ipse enim non potuit resurgere in anima, quia non fuit mortuus in anima ; ille resurrexit in corpore, quia fuit mortuus in corpore. Nos qui habuimus mortem in corpore et in anima, necesse habemus resurgere in corpore et in anima. Sed primo in anima, postea in corpore. Dominus noster in resurrectione corporis deposuit fermentum mortalitatis. Nos per resurrectionem animæ deponimus fermentum iniquitatis. Sed si ille per tribulationes vitæ pervenit ad resurrectionem carnis, multo magis necesse habemus nos, per tribulationes hujus vitæ pervenire ad resurrectionem animæ, ut possimus per resurrectionem animæ deponere fermentum peccati, ut, sicut dicit Apostolus, simus nova conspersio (*I Cor.* v). Vetus conspersio erat peccatum, quo omnes fuimus conspersi et fermentati. Nova conspersio sanguis Domini nostri Jesu Christi, quo fuimus conspersi, et per hoc purificati ab illo malo fermento. Sicut farina, quando conspergitur aqua, se unit, et fit quædam massa ; ita nos quando fuimus conspersi in baptismo, facti fuimus quasi una massa cum Christo, sicut dicit Apostolus : *Quia multi unus panis, unum corpus sumus in Christo* (*I Cor.* x). Quia per negligentiam nostram post illam purificationem coinquinamus nosmet ipsos, tamen fugiamus ad sanguinem Christi, hoc est imitemur passionem ejus, ut possimus esse participes resurrectionis ejus : hic in anima, et in die judicii, in corpore simul et in anima. Quod quia fieri per nos non potest, oremus ejus misericordiam, ut ipse hoc in nobis operari dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIII.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Jam per aliquod tempus repræsentavimus resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, et illud secundum tempus quo fuit in hoc mundo post suam resurrectionem : hodie illum diem, in quo ostendit nobis aperte quod omnia illa, quæ fecit in hoc mundo et passus est, ideo fecit ut nos ab ista morte, in quam cecidimus per Adam, duceret ad veram vitam, et ab isto exsilio ad patriam nostram, ad quam creati sumus, id est ad cœlum sublevaret. Mortuus est enim propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram, et ascendit in cœlum propter glorificationem nostram. Per merita ejus nos recepimus remissionem peccatorum nostrorum. Quod enim nos non potuimus, ipse solvit propter peccata nostra. Per fidem resurrectionis ejus sumus justificati. Nam infideles, pagani et Judæi sciebant et credebant mortem ejus, quamvis nollent credere in mortem ejus. Sed resurrectionem ejus quia non potuerunt videre, noluerunt credere. Nostra autem fides meretur justificationem, et exspectat magnam remunerationem, quia credimus hoc quod videre non potuimus. Unde dixit Dominus ad Thomam : *Quia vidisti me credidisti. Beati qui non viderunt et crediderunt* (*Joan.* xx). Illam autem beatitudinem, quam nos exspectamus, voluit hodie ostendere in seipso, ascendendo in cœlum, ut certi simus quod nos qui membra ejus sumus, illic ascenderemus, quo ipse ascendit, qui est caput nostrum. Et ideo, charissimi fratres, debemus hunc diem celebrare cum magna lætitia, quia in ista die ostensa est tam magna glorificatio hominis quam major esse non potest. Quia hæc nostra natura, quæ fuit ita dejecta et depravata, ut etiam brutis animalibus fuerit comparata, sicut dicit Propheta : *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus* (*Psal.* xlviii), in Domino nostro Jesu Christo ita est exaltata, ut omnem creaturam habeat sub se, et etiam angeli adorent eam super se.

Sicut sæpe audistis, Dominus noster post resurrectionem suam, per dies quadraginta voluit in hoc mundo corporaliter manere, propter multas causas. Voluit enim inde post resurrectionem suam affirmare, et multis modis ostendere quod vere secundum carnem resurrexit a mortuis, et ideo sæpe manducavit et bibit cum discipulis suis, et ostendit eis vulnera sua. Et quando Thomas apostolus noluit credere aliis apostolis, quod eum vidissent, concessit ei palpare latus suum, et manus (*Luc.* xxiv ; *Joan.* xx) : voluit discipulos suos, qui supra modum erant contristati in ejus passione, et pene desperaverant, per suam corporalem præsentiam confortare, et per auctoritatem Scripturarum probare illis, quod ita oportebat eum mori, et resurgere : insuper *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*. Sed et hoc notare debemus quod ante passionem et resurrectionem suam per tantum tempus jejunavit, quantum post resurrectionem suam voluit cum discipulis suis corporaliter esse, per jejunium suum commendavit nobis corporalem afflictionem, quam debemus pati in ista vita : per corporalem suam præsentiam, quam exhibuit suis post resurrectionem suam, possumus intelligere consolationem ejus dulcissimæ præsentiæ, quam habebimus post resurrectionem nostram. Sed utraque commendata est eodem numero, quia secundum mensuram qua affligimur pro Christo in hac vita, recipiemus consolationem in futuro. Præter ista voluit Dominus noster post resurrectionem suam per quædam corporalia signa commendare nobis magna sacramenta. In istis diebus apparuit suis discipulis piscantibus, et ejus jussione traxerunt ad littus rete plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus (*Joan.* xxi), ubi significata est beatitudo illorum, qui in futura resurrectione per ministros Christi Domino præ-

Digitized by Google

exstabuntur : et illud convivium, quod voluit habere cum discipulis, significabat illud convivium, quando edemus et bibemus super mensam ejus in regno ejus. In istis diebus dedit Spiritum sanctum discipulis suis, qui adhuc erant in terra (*Joan.* xx), quem postea misit de cœlo : et per hoc quod eumdem Spiritum sanctum bis dedit (*Act.* i), dilectionem Dei et proximi commendavit. Sed adhuc numerus iste quadraginta dierum profunda significat sacramenta. Sed et vos, qui soletis expositiones sanctorum Patrum legere, non habetis opus inde multa audire : et fratres mei laici, sicut puto, libentius aliud audient. Ideo nolumus inde plura loqui. Ideo postquam omnia explevit, pro quibus tantum temporis voluit conversari in terra : hodierna die qua voluit ascendere in cœlum, apparuit illis, et manducavit cum illis, sicut dicit Lucas in Actibus apostolorum : *Et convescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent* (*Act.* i). O quam felices fuerunt, qui fuerunt in illo convivio. Tamen, sicut dicit evangelista, *exprobravit incredulitatem illorum, et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderunt* (*Marc.* xvi). Sæpe post resurrectionem suam apparuerat, manducaverat, et liberat cum discipulis suis. Sed in ista apparitione ultima, quando voluit ascendere in cœlum, multi, sicut existimo, fuerunt qui prius non viderant eum, sed tantum audierant ab illis qui viderant eum, et aliquantulum dubitabant; et ideo Dominus exprobravit incredulitatem eorum, et fecit valde pulchre. Ex una parte increpavit eos, ex altera confortavit : et tunc maxime eos increpavit, quando tanta illis promisit, sicut scriptum est : *Præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem patris, quam audistis, inquit, per os meum; quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* (*Act.* i.)

Legimus in libro Regum, quod quando Elias in curru igneo raptus est, reliquit pallium suum Eliseo, et factus est spiritus Eliæ duplex in Eliseo. Elias propheta significat Dominum nostrum, et Eliseus significat apostolos Domini et discipulos. Hoc quod Elias raptus est in cœlum aereum, significat Ascensionem Domini nostri. Sed quia non erat Elias, nisi tantummodo homo, indiguit auxilio alterius. Dominus noster, qui erat Deus verus per propriam virtutem, ascendit in cœlum, sicut dixit evangelista : *Et factum est, cum benediceret eis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum* (*Luc.* xxiv). Pallium Eliæ significabat sanctam Ecclesiam, sicut dixit sanctus Jacob patriarcha de Domino nostro : *Lavabit vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum* (*Gen.* xlviii) ; quia per proprium sanguinem mundavit Ecclesiam suam. Quando Elias ascendit currum, reliquit Eliseo pallium suum ; et quando Dominus noster ascendit in cœlum, commendavit Ecclesiam suam discipulis suis. Dixit enim : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* xvi), id est omni generi hominum, Judæis et gentilibus, sapientibus et insipientibus, divitibus et pauperibus, de quibus omnibus sancta Ecclesia constat. Sed quid significat quod spiritus Eliæ duplex factus est in Eliseo? Dominus noster dixit in quodam loco discipulis suis : *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet* (*Joan.* xiv). Et quidem multa fecit Dominus noster per se, quando fuit corporaliter in terra : tamen, postquam ascendit in cœlum, multo plura quodammodo per apostolos et alios discipulos suos fecit. Per seipsum enim paucos Judæos convertit, et per apostolos totum orbem fecit in se credere. Multi infirmi sanati sunt per hoc quod tetigerunt fimbriam vestimenti ejus ; et quod majus videtur, per solam umbram Petri multos a languoribus curavit. Ideo dici potest, quod spiritus Eliæ sit duplex factus in Eliseo, quia, quantum pertinet ad conversionem hominum, multo plures per apostolos, quam per seipsum convertit. Nam ipse Eliseus, de quo scriptum est, quod spiritus Eliæ sit duplex factus in eo, venit Jordanem, et percussit fluvium, et non est divisus. Statim ut nominavit Eliam, dicens : *Ubi est Deus Eliæ, etiam nunc* (*IV Reg.* ii), divisa est aqua. Sic quamvis videantur plura fecisse apostoli, quam Dominus fecit per seipsum in terra ; tamen non fecerunt illa in suo nomine, nec per propriam potestatem, sicut Dominus noster, sed in nomine magistri sui, et ejus virtute. Potest etiam sic intelligi, quod spiritus Eliæ est factus duplex in Eliseo, postquam raptus est ; quia Spiritus Dei, qui ante Ascensionem ejus erat in apostolis, post Ascensionem ejus duplex in eis factus est, quia majorem gratiam Spiritus sancti habuerunt post ejus Ascensionem, quam habuerunt prius. Adhuc potest ita intelligi illa gratia, quam dicitur habuisse Eliseus, quod sancti apostoli spiritum nostri Eliæ, id est Domini nostri Jesu Christi, Spiritum videlicet sanctum bis acceperunt, sicut paulo ante diximus : primo in terra, quando apparuit eis, et insufflavit, et dixit eis : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* xx) : et postea de cœlo, quando apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, et sedit supra singulos eorum : cujus dici memoriam post paucos dies, Deo annuente, celebrabimus

Postquam ergo finitum fuit illud dulce convivium, dicit evangelista : *Eduxit eos foras in Bethaniam* (*Luc.* xxiv). Bethania est unum castellum, et est positum in monte Oliveti. Bethania autem interpretatur *domus obedientiæ*. Et notate hic pulchram significationem, quia primo manducavit cum illis, et postea eduxit eos foras in Bethaniam ; quia illos facit vere obedientes, quos solet spirituali cibo reficere. Nec debemus præterire, quod ait : *Eduxit eos foras.* Ille enim vere ascendit in Bethaniam, quem Dominus eduxit foras. Primo foras de hoc mundo, quando facit eos non amare mundum, neque ea quæ in mundo sunt ; foras etiam

Digitized by Google

a suis malis operibus et moribus; quando facit de luxurioso castum, de impatiente patientem, de superbo humilem. Adhuc etiam educit eum foras de seipso, id est de sua propria voluntate, ut semper habeat in corde hoc quod Dominus dixit : *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* v). Illum, quem ita duxit foras, utique ducit in Bethaniam, quæ est in monte, et non in qualicunque monte, sed in monte Oliveti. Quædam Bethania est in valle. Bethania, sicut diximus, interpretatur *domus obedientiæ*, et significat cor obediens præceptis Dei. Tunc domus obedientiæ est in valle, quando aliquis ideo obediens esse videtur, ut possit consequi aliqua terrena. Iterum, sicut sunt montes boni, de quibus scriptum est : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* (*Psal.* cxx), ita sunt montes mali, de quibus dictum est, ubi Dominus loquitur de diabolo : *Illuic montes herbas ferunt* (*Job* xl). Est unus mons superbiæ, in quo sedet ille, qui omne sublime videt, et est rex super omnes filios superbiæ. In isto monte habent quidam Bethaniam suam, id est cor suum, quod videtur esse domus obedientiæ; quia quidquid faciunt, ideo faciunt, ut glorificentur ab hominibus. Ad istam Bethaniam non accedit Jesus magister humilitatis, sed ad illam quæ sita est in monte Oliveti. Mons Oliveti interpretatur *pinguedo olei*. Mons enim Dei, mons pinguis (*Psal.* lxvii). Per montem Oliveti significatur charitas, quia ipsa est excellentior aliis virtutibus. In ipsa abundat oleum spirituale, quo vulnera animarum nostrarum curantur, et per quod lumen veritatis nobis innotescit. Natura olei est, ut si ponatur in aliis liquoribus, omnibus supernatet; et ideo Apostolus, postquam locutus est de aliis virtutibus, quando volebat loqui de charitate præmisit, dicens : *Adhuc superexcellentiorem viam vobis demonstro* (*I Cor.* xii).

Ideo, fratres charissimi, si volumus spiritualibus oculis videre Jesum ascendere cœlum; et si volumus cum ipso et per ipsum ad cœlum pervenire, debemus mente exire, et contemplatione ab hoc mundo; debemus etiam, si possumus, cor nostrum a sensibus carnis erigere, et obedientiæ præclara arma assumere, et non obedientiæ nostræ præmium debemus in vallibus, id est in terrenis rebus ponere, nec in monte superbiæ, ne de nobis Dominus dicat : *Amen, dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* vi). Sed debet nostra obedientia esse in monte olei, id est in monte charitatis, ut, quidquid facimus, pro Dei dilectione faciamus. *Eduxit ergo eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus benedicebat eis* (*Luc.* xxiv). O quam felices fuerunt, qui in illa societate erant, qui illis manibus benedici meruerunt. *Et elevatis manibus benedicebat eos.* Videte, fratres mei, qualem hæreditatem Dominus noster nobis dimisit, quando de hoc mundo recessit, non aurum, non argentum, non aliquam terrenam rem, sed benedictionem suam. Et ne nimis simus contristati, quod corporaliter recessit a nobis, audiamus secundum alium evangelistam, quid ipse dixit eis : *Ecce*, inquit, *ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* xxviii). Quomodo ergo recessit a nobis? Utique secundum corporalem præsentiam; secundum divinitatem ejus semper nobiscum est, secundum piam providentiam ejus circa nos semper est. *Et factum est, cum benediceret eis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum* (*Luc.* xxiv). *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui etiam interpellat pro nobis?* (*Rom.* viii.) Debemus ergo, dilectissimi fratres, viriliter resistere contra diabolum et ejus insidias, et habere magnam spem in Domino nostro Jesu Christo. Quomodo enim possunt perire, pro quibus erat Christus, pro quibus repræsentat in conspectu Patris sui illa vulnera quæ passus est pro nobis? et ideo spes nostra firma debet esse in eo.

Legimus in Veteri Testamento, quod postquam egressi sunt filii Israel de Ægypto per Moysen, venit Amalech, quædam scilicet barbara gens, et pugnavit contra eos. Moyses autem misit contra eos exercitum, et ipse ascendit in montem orare pro eis, et elevavit manus suas ad Dominum. Et factum est, cum elevaret manus, vincebant filii Israel; si quando ipse deponebat manus, vincebat Amalech (*Exod.* xvii). Quare putamus quia habebat manuum ejus elevatio tantam gratiam? Solet sine dubio Deus magis attendere affectum mentis quam gestum corporis. Quid ergo? ejus oratio non habebat coram Deo effectum, nisi elevaret manus suas? Talem effectum habebat illa elevatio manuum ejus, ut non possent resistere filiis Israel inimici eorum. Ideo tantam vim habebat illa elevatio, quia significabat elevationem manuum ejus, qui dixit in psalmo : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* cxl) : quia, advesperascente jam mundo, illius dulcissimæ manus expansæ sunt in cruce, et oblatum est illud sacrificium vespertinum, quod totius mundi tulit peccata. Illa ergo elevatio manuum Moysis passionem Domini nostri significabat, qui ascendit in montem orare, quia ascendit in cœlum pro nobis Patrem interpellare. Ibi elevat manus suas, ne nos possit vincere Amalech, id est diabolus; quia ibi apparet vultui Dei pro nobis, et repræsentat passionem suam, quam pertulit pro nobis. Et nos, fratres, quandiu sumus in hac misera vita, quæ tentatio est super terram, quandiu nobis est colluctatio adversus principes et potestates tenebrarum harum, adversus mundi rectores, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* vi), necesse habemus ut Dominus noster habeat manus suas elevari in nobis, id est, ut jugis memoria passionis ejus in mente sit nostra. Et certum habeamus, fratres mei, quia quandiu memoria

Digitized by Google

passionis ejus fuerit in corde nostro, quandiu spes nostra illic directa fuerit, ubi Christus in dextera Patris interpellat pro nobis, non poterit vincere spiritualis Amalech, id est diabolus. Et ideo, fratres mei, videamus ne per negligentiam nostram tepuerit iste affectus in nobis, et ista memoria; quia statim deficiemus et superabit nos inimicus noster, et affliget.

Ascendit ergo ad Patrem hodierna die Dominus noster, intuentibus discipulis, et mirantibus, et exsultantibus, sed cum exsultatione dolentibus. Exsultabant, quia in tali posuerant spem suam, qui tanta potestate præditus fuit ut posset cœlum propria virtute penetrare. Exsultabant, scientes quod ubi ille ascendit, illi quoque futuri erant, sicut ante passionem dixit ad Patrem : *Volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (*Matth.* x). Exsultabant quod superbia Judæorum erat confutata, quod ipsum videbant in cœlum ascendere, quem Judæi blasphemantes, et caput juxta crucem agitantes, putabant non posse de cruce descendere. Exsultabant quod Spiritum sanctum, secundum promissionem ejus, post modicum erant accepturi, et ejus consolatione contra omnia tentamenta roborandi. Insuper exsultabant, videntes angelos in vestibus albis, qui et dicebant : *Viri Galilæi* (*Act.* I), etc. Et pulchre Galilæi vocantur, id est transmigrantes, id est qui a carnalibus legis observantiis transmigrabant ad spiritualia : qui ante passionem Domini audierant. *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis* (*Matth.* x). Nunc quasi quædam transmigratio eis indicitur, dicente Domino : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI). *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum* (*Act.* I). Nimirum licet de omnibus, quæ prædiximus, exsultarent, inerat tamen eis non modicus dolor de recenti ejus abscessu. Corporalis namque præsentia ejus erat eis valde grata, et in ea multum delectabantur : et ideo quod cum tanta dilectione habuerant, non poterant utique sine dolore amittere; et ideo quod potuerunt, hoc fecerunt. Aspiciebant in cœlum, quo ille ascenderat; saltem oculis suis sequentes quem diligebant. Et angeli ad eos : *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Grandis consolatio. *Sic veniet.* Quomodo? In eadem carne, in eadem forma, cum eis cicatricibus et vulneribus quæ pervexit in cœlum. Videbunt enim in quem compunxerunt, videbunt Judæi faciem, quam volaverunt; videbunt in cujus contemptum caput agitaverunt.

Videbimus et nos, dilectissimi, Dominum nostrum, quem pauperes sequimur; sed non pauperem, non velatum, non absconditum, non mutum; quia *Deus noster manifeste veniet, Deus noster et non silebit* (*Psal.* XLIX). Occultus fuit velantibus faciem ejus Judæis, siluit blasphemantibus Phariæis; sed Deus noster manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Et nos, fratres mei, secure audiamus blasphemantes, patienter toleremus persequentes, taceamus ad opprobria. Deus noster manifeste veniet. Hoc unum sollicita mente pensemus, ut illi inhæreamus toto corde, tota mente, tota virtute, cogitantes quia est caput nostrum. Vere caput nostrum. Vivamus, sicut debent membra illius capitis, habentes animum, non hic, ubi est inferior pars nostri, sed illic, ubi caput nostrum hodierna die ascendit, obsecrantes Dominum Patrem omnipotentem ut gratiam suam nobis donare dignetur, ut illuc tendat omnis nostræ devotionis affectus, ubi cum eo est nostra substantia Jesus Christus Dominus noster, qui cum eo vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIV.

DE SANCTO JOANNE BAPTISTA.

Qui verbum Dei aliis loquitur non debet intendere ut suam scientiam possit jactare; sed quomodo audientes possit ædificare. Ideo debet propter audientium qualitatem suum temperare sermonem, et infirmis intellectibus compatiendo materno quodam affectu, ut ita dicam, balbutiendo, ad infantilia verba descendere. Sed tenuitas ingenii mei requirit ut auditores mei ad parvitatem mei sermonis suum potius inclinent auditum. Unde, fratres mei, fateor, non parum erubesco; sed iterum quamdam resumo audaciam, cum considero beatum Zachariam, patrem sancti hujus viri, cujus hodie festa celebramus. Qui cum vellet nomen Joannis exprimere, cum ipsa nominis expressione, qui prius fuerat mutus, factus est facundissimus. Et fortasse si cœperimus loqui de Joanne, non omnino muti erimus. Sed quid de eo loquemur, aut quid in ejus laudibus dicemus, qui antequam natus, angelica est auctoritate laudatus, et ineffabili gratia in utero, in quem venit per peccati contagium, dignissimum factus est Spiritus sancti habitaculum? Sed et hoc non est prætereundum quod sacerdos eligitur, de quo nasceretur; templum, in quo ejus nativitas prædiceretur; nomen, quod ei imponeretur. Nec hora quidem prætermittenda.

Erat quippe hora incensi. Utinam, fratres mei, et nos simus de illis sacerdotibus, quibus ait apostolus Petrus : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II). Utinam efficiatur cor nostrum templum Dei, sicut dicit Apostolus : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Fortasse hora incensi, hora salutiferæ compunctionis, cum dirigitur oratio nostra sicut incensum in conspectu Domini (*Psal.* CXL), et nobis angelus, divinæ videlicet gratiæ nuntius, apparebit. Joannes namque *Dei gratia* interpretatur, et aperte hoc nomen ei, angelo præcipiente, imponitur, qui illam inenarrabilem gratiam, qua *Verbum caro factum est* (*Joan.* I), adhuc intra materna viscera positus recognovit; et ipsum Verbum carnem factum postea digito demonstravit; et mirabilis Dei gratiæ prædicator etiam

Digitized by Google

publicanis et meretricibus regni cœlestis aditum suo sermone patefecit, vim quamdam ex eorum conversione cœlesti inferens puritati. Unde Dominus in Evangelio, id quod modo audistis: *A diebus*, inquit, *Joannis regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI).

A diebus quidem Joannis regno cœlorum vis inferebatur, quam utique vim regnum cœlorum ante dies Joannis non patiebatur. Adhuc enim cherubin cum gladio illo versatili miserum Adam utpote sub foliis fici latitantem a paradisi introitu abigebat (*Gen.* III), et quodammodo vim inferentis conatum evacuabat. Adhuc septem illæ mulieres patiebantur opprobrium, quæ proprio quidem pane vescebantur propriis vestimentis utebantur. Patiebantur tamen opprobrium, circumeuntes et unum aliquem, quem sibi omnes comprehenderent, quærentes. Apprehendebant quippe alia unum, alia alterum, simul omnes neminem, qui hominum auferret opprobrium donec ille vir unus, quia unicus, quia singularis (singulariter enim fuit donec transiret); ille, inquam, vir unus, quem mulier circumdedit, cujus uxor caro scilicet humana, cui in utero virginali, quasi in thalamo suo, mirabili dispensatione nupsit divinitas, quæ diu in cæteris filiis Adæ sterilis manserat, in dominico (17) homine peperit septem, omnes scilicet Spiritus sancti operationes explevit. In ipso Domino habitavit plenitudo divinitatis mirabiliter, quia corporaliter. Hunc virum unum omnes simul illæ septem mulieres apprehenderunt; septem scilicet gratiæ Spiritus sancti, non quidem indigentes pane, non vestimentis. Quis est cibus Spiritus sancti? Ait Dominus in Evangelio : *Meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei* (*Joan.* IV). Cibus ergo Filii est voluntatem Patris facere. Idem ergo et cibus Spiritus sancti. Hoc cibo delectatur, inspirare scilicet hominibus facere voluntatem Patris. Vestimenta quoque ejus sancti sunt. In quorum cordibus divinus ille ignis nutriri solet, et quasi foveri. Unde dicitur : *Et his omnibus quasi vestimento vestieris* (*Isa.* XLIX). His vestimentis etiam ante dies Joannis vestiebantur septiformis Spiritus; hoc pane delectabiliter pascebantur. Alii spiritu sapientiæ, alii intellectus, alii consilii, alii fortitudinis, alii pietatis, alii scientiæ, alii timoris, Spiritus sancti gratia cooperante, refulgebant. Quod ergo in his septem muneribus, Spiritus sanctus patiebatur opprobrium? Homini justitiam conferebat, justitiæ mercedem non reddebat. Quæ enim merces justitiæ? Regnum cœlorum. Vis ergo justitiæ regnum cœlorum sibi exigebat; sed hanc vim regnum cœlorum non admittebat, donec veniret ille, qui hoc abstulit opprobrium; et his qui vi quadam, carnem videlicet suam cuciligendo cum vitiis et concupiscentiis, sibi justitiam acquirunt, amoto cherubin, et gladio illo versatili, paradisi aditum patefecit (*Gen.* III). Sed quid est : *Invocetur nomen tuum super nos?* (*Isa.* IV.) Sit vir iste sapientia, sit intellectus, sit consilium, sit fortitudo, scientia, pietas, timor. Nam et hoc scriptum : *Timor noster.* Sit ergo Jesus talis, et mirabili sapientia amoveat cherubin, et gladium versatilem.

Cherubin videtur mihi divina esse justitia, quæ hominem superbum et inobedientem a paradiso prohibebat, donec solveretur pro ejus superbia par humilitas; pro ejus inobedientia, par obedientia. Quæ quia per Jesum Christum Dominum nostrum soluta est, amota est justitia excludens, et successit justitia admittens. Sed quis erat gladius ille versatilis? Audio Dominum in Evangelio gladium nominare : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* X). Voluit ergo per gladium aliquid significare, quod sit contrarium paci. Et quid tam contrarium paci, quam discordia? Et ibi quidem bonam, si tamen bona dici potest, expressit. Hic vero gladius, ut mihi videtur, discordiam illam significat, quæ per peccatum primi hominis facta est inter Deum et hominem, inter angelicam et humanam naturam, inter cœlestem et terrestrem creaturam. Ideo gladius iste dicitur versatilis, quia aliquando per Dei gratiam erat amovendus. Venit namque verus Salomon, verus pacificus, sanguine crucis suæ pacificans quæ in cœlis sunt, et quæ in terris (*Coloss.* I). Et quia admirabilis hæc gratia, *a diebus Joannis regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI). Regnum quoque cœlorum puritas cordis intelligitur, ad quam nonnisi quamdam nobis inferendo violentiam pervenire poterimus. De hoc regno Dominus : *Regnum*, inquit, *Dei intra vos est* (*Luc.* XVII); et Apostolus : *Regnum Dei non est esca et potus; sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto* (*Rom.* XIV). Hoc regnum idem Apostolus vi quadam rapere gestiebat, qui ait : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). Hanc violentiam primus in Evangelio Joannes docuit per exemplum suæ conversationis, deinde per verbum prædicationis, dicens : *Facite fructus dignos pœnitentiæ* (*Matth.* III). Dignos quidem fructus pœnitentiæ facimus, si eodem modo, quo exhibuimus membra nostra servire injustitiæ et iniquitati, sic exhibeamus membra nostra servire justitiæ et sanctificationi, et ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore (*Rom.* VI), sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto, regnum scilicet Dei. Dignos fructus pœnitentiæ facimus, si opera carnis, quibus regnat in homine diabolus, abjicientes, et terram cordis nostri vomere compunctionis scindamus, ut pullulent ex ea fructus spiritus, charitas, gaudium, pax, et cætera quæ enumerat Apostolus. Qua autem ad hos fructus veniant, in sequenti mox versu idem Apostolus ostendit, dicens : *Quia autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Galat.* V). An non hoc ipsum exemplo idem ostendit Joannes, qui ab ipsa, ut ita dicam, infantia tur-

(17) Vox hoc loco impropria, quam August. retractavit.

Digitized by Google

harum circumstrepentium metuens sordibus inquinari, quasi castissimus turtur, mutuatis sibi puritatis et innocentiæ alis, ad deserti secretum pervolavit, primum gradum ad hoc cœleste regnum ostendens mundi esse contemptum? Qui enim *diligit mundum, non est charitas Patris in eo* (*I Joan.* II). Ubi autem charitas non est, regnum utique Dei esse non potest. Digne ergo de Joanne dicitur : *Et fuit in deserto usque in diem manifestationis suæ* (*Luc.* I).

Et nos, fratres, si regnum Dei intra nos habere cupimus, ad spirituale quoddam desertum transvolemus, et sit cor nostrum terra deserta, et invia, et inaquosa (*Psal.* LXII), ut in ea appareat Dominus, et regnum suum ibi constituat. Sit terra deserta a mundi hujus occupationibus, ut nobis mundus crucifigatur, et nos mundo. Sit invia spiritualibus bestiis, spiritibus scilicet immundis, ne dicant animæ nostræ : *Incurvare, ut transeamus* (*Isa.* LI). Sit inaquosa carens fluxu noxiæ voluptatis, ut pertranseat anima nostra aquam, in qua non est substantia. Jam de propriæ carnis contemptu quid dicam? Ait Evangelium : *Habebat vestimentum de pilis camelorum* (*Matth.* III). Ecce qualibus vestibus incedit ornatus Christi miles. Videtur mihi vir iste ex habitaculo clamare : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CIX), etc. Et illud : *Advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Psal.* XXXVIII). Ex pilis camelorum fit cilicium : quod est habitus pœnitentium. Quod ergo postea verbo, hoc prius ostendit exemplo : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Jam etiam mirabilem ejus audiamus abstinentiam. Erat quippe ei cibus locusta et mel silvestre. Per habitum quippe corporis mollitiem, per hunc cibum calcaverat ventris ingluviem. Hæc est illa violentia, qua regnum cœlorum rapitur; hanc vim a diebus Joannis patitur. Ab hinc enim non est nobis pugna adversus carnales Chananæos, et Pheresæos, ut eorum terrenum regnum vi quadam possideamus; sed adversus carnalium passionum atrocissimos hostes, ut eos a cordium nostrorum receptaculis extrudentes, in terra cordis nostri vero Salomoni templum præparemus et regnum, crucifigentes carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V). Hæc in regnum cœlorum possidere neglexerant, de quibus Paulus dicebat : *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi* (*Philipp.* III). Quid sit autem esse inimicos crucis Christi manifestat, cum subjungit : *Quorum deus venter est, et gloria in pudendis eorum* (*ibid.*). Hoc est ergo inimicum esse crucis Christi, ventris ingluviem, et carnis sectari mollitiem. Et his quidem verbis illa universa vitia expressit, quibus pene totus mundus manus dedit, gulam scilicet et libidinem; quibus si addatur superbia et avaritia, erunt quatuor rotæ, quibus diabolus totum pene penetrat orbem.

Jam locustarum cœlestem volatum et spiritualis mellis dulcedinem, quia in longum protraximus sermonem, vestris meditationibus relinquamus. Prætermiseram pene zonam illam pelliceam, quæ virtutem significat castitatis, in cujus virtutis excellentia puritas cordis maxime consistit. Quæ quamvis, sicut aliæ virtutes sine illa, ita illa sine aliis, aut parum aut nihil prodest; tolerabilius tamen est, ad tempus alia qualibet, quam illa carere. Inter cæteras denique speciali privilegio fulget, quæ non solum, ut cæteræ virtutes, circa animæ se habet qualitatem, verum ipsam carnem corruptibilem ad quamdam transfert incorruptionem, faciens eam futuræ illius resurrectionis quamdam prægustare dulcedinem, in qua non nubent, neque uxores ducent, sed erunt sicut angeli Dei. Hæc est illa, quæ inter cæteras virtutes, angelicum consortium, Spiritus sancti accessum, et familiarius ipsius speciosi forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV) mereatur amplexum. *Habebat*, ait, *Joannes zonam pelliceam circa lumbos suos* (*Marc.* I). Factus ergo evangelicæ perfectionis strenuissimus exsecutor, et antequam esset auditor. Præstet nobis Omnipotens, ut per viam quam ipse ostendit incedamus, ut tanti præcursoris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit securi veniamus, Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XV.

IN DIE SS. PETRI ET PAULI.

Quando divites hujus mundi habent aliquam guerram, solent milites suos ad bene pugnandum non solum animare verbis, sed etiam promissis. Quando enim vident eos minus sapienter et prudenter agere, solent eis virtutem hostium suorum ostendere; quando vident eos pro nimio labore cedere, solent eos promissis provocare. Sic Dominus noster, quia scit quam callidus et fortis sit hostis noster, hortatur nos ut fortes simus, et dicit : *Estote fortes in bello* (*Hebr.* XI). Maximus labor sit, promittit nobis magnum præmium, et dicit : *Et habebitis magnum præmium*. Magnum est istud bellum, fortis est iste hostis, sed magnum est præmium. Estote ergo fortes in bello. Magnum duellum est, magnum bellum. Nullus securus sit. Quandiu vivit, si tamen bene vivit, bellum est. Inde ait sanctus Job : *Militia est vita hominis super terram* (*Job* VII). Nam ille qui hic non est in spiritali militia, non debet appellari homo, sed pecus. Si enim non pugnat contra carnis voluptates et desideria, sed consentit eis, utique non vivit sicut homo, sed sicut pecus. Sciatis utique, fratres, quia ex quo die huc venistis, et cœpistis servire Christo, ingressi estis locum pugnæ. Inde ait Salomon : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta fortiter, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). Hæc est pugna. Estote ergo fortes in bello. Sancti quorum hodie festa celebramus, habuerunt pugnam duplicem, id est interiorem et exteriorem. Nos tantum unam, id est interiorem. Nam sanctus Petrus, sicut scitis, pugnam habuit, non solum spiritualem contra illum leonem qui

Digitized by Google

circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* v); sed etiam exteriorem, contra Simonem Magum, contra pessimum Neronem, contra tormenta et persecutiones malorum hominum. Sic et Paulus de exteriori pugna ait: *Foris pugnæ, et intus timores* (*II Cor.* vii). Et iterum: *Si ad bestias pugnavi Ephesi* (*I Cor.* xv). De interiori pugna ipse ait: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati* (*Rom.* vii). Sed bene audierant vocem ducis sui, qui dixerat: *Estote fortes in bello.* Ideo bene pugnaverunt, bene vicerunt, et præmium victoriæ hodie exceperunt.

Et vos, fratres, estote fortes in bello. Nolite dimittere locum pugnæ. Hic est enim locus pugnæ. Tenete vos in isto castello vestro, in ista domo vestra, et unusquisque locum suum bene teneat et defendat. Sunt enim in isto castello diversa loca, et constitutum est, quis debeat unum locum servare, et quis alium? Nullus ergo patiatur, ut ex illa parte, qua ipse fuerit, hostis intret. Alium locum habent monachi claustrales, alium obedientiales, alium prælati; unusquisque suum locum bene custodiat. Vigilet, quantum potest, ne hostis ingrediatur. Locus claustralium, quem ipsi defendere debent, et contra hostes tueri, regularis est observantia. Ipsi debent providere, ne in ipsa regulari observantia possit hostis aliquod foramen invenire, per quod possit intrare. Debent observare, ne in labore sit aliqua desidia, nec per eam hostis intret et dissipet illum magnum murum, quo solent pessimos prohibere a nobis, accidiam videlicet et tristitiam. Debent diligenter intendere ne abstinentiam nostram aliqua superfluitas dirumpat, ne vigilias nimius sopor minuat. Hæ sunt duæ optimæ turres, quibus defendimur contra ignita jacula libidinis; et ideo bene custodiendæ sunt, ne in illis aliquod foramen hostis inveniat. Debent etiam diligenter custodire silentium; quod si perforatum fuerit et attritum, statim ingreditur hostis per lites et contentiones, et discordias. Locus obedientialium est charitas, misericordia, cura hospitum et pauperum, et cætera hujusmodi. Necesse est ergo ut locum suum custodiant, et non patiantur hostem introire, vel per crudelitatem, vel per avaritiam. Provideant etiam bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, ut in omnibus glorificetur Deus. Porro locus prælatorum est judicium et disciplina. Hunc locum ita debent custodire, ut nec judicium crudele sit, nec disciplina dissoluta; sed ita omnia custodiant, ut non inveniat hostis aliquod foramen murmurationis in congregatione, propter eorum minus rectam ordinationem; nec iterum aliquod foramen malæ libertatis, propter eorum remissionem. Sed quia in his omnibus bellum est, ideo omnes monet Dominus, dicens: *Estote fortes in bello.* Nam claustrales solet impugnare curiositatis vitium et voluptatis. Quia enim quando vident se expeditos ab exterioribus negotiis, solent nimis curiose considerare ea quæ illi faciunt, qui de forensibus se intromittunt, et ita omnia eorum facta et dicta judicare, et ita eos, quos maxime deberent honorare, incipiunt despicere, semetipsos appretiari; tunc machinantur quædam in corde, et imaginantur, et dicunt: O si ego essem abbas, aut prior, aut cellerarius, aut portarius, non me implicarem terrenis rebus, hoc facerem et illud. Et in talibus totum pene suum tempus consumunt. Inde incipiunt invidiæ contra prælatos, inde detractiones. Et si quando vident vel putant prælatos in aliquo excedere, ibi publicant, ubi audent. Qui sine dubio illam maledictionem incurrunt, qua Noe maledixit filium suum, qui pudenda patris irrisit (*Gen.* ix). Hoc vitium solet illos maxime impugnare, qui se putant aliquid valere.

Sunt alii qui, ideo quod sunt remissi in se, non multum curant de aliis; sed quia ipsi sunt ab exterioribus curis liberi, tradunt se otio et tepori; et quia corpore non possunt, animo per sæcularia desideria, et carnis voluptates pervagantur, et nihil aliud curant, nisi ut corpore tantum in monasterio perseverent. De quibus dicit propheta: *Viderunt eam hostes, et deriserunt Sabbata ejus* (*Thren.* i). Sabbatum, sicut scitis, requies est; sed illorum requiem hostes derident, qui in exteriori homine videntur requiescere, et intus non cessant sæcularia et turpia tractare. Plane hic considerandus est modus cogitationum. Qui enim omnes istas cogitationes sentit in se, si fuerit fortis in bello, et pugnaverit cum antiquo serpente, qui tales cogitationes immittit, nihil inde perdit, imo coronam acquiret. Non enim in suggestione, sed in consensu peccatum est. Sed quia istiusmodi cogitationes magnæ violentiæ sunt, et plurimum vexant patientes, necesse est ut audiamus Dominum dicentem. *Estote fortes in bello.* Porro obedientiales, verbi gratia cellerarios, portarios, hospitales solet impugnare avaritia, tristitia, cupiditas. Plerique enim obedientiales vel nimium timidi, vel naturaliter avari, quando vident ea quæ habent in manus paululum minui, vel nimis cupiunt quæ non habent, vel avare servant, vel cum quadam tristitia largiuntur, quæ habent. Contra omnes istas tentationes necesse est ut fortes sint, firmiter pugnent, accipiant firmam fidem contra cupiditatem, liberalitatem contra avaritiam, hilaritatem contra tristitiam. Accipiant præcepta Dei et promissa, quasi quædam jacula contra inimicum antiquum serpentem, qui ista suggerit. Opponant contra illum timorem et cupiditatem, hoc quod Dominus dicit: *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur* (*Matth.* vi). Ubi sane notandum est quid nobis permiserit Dominus. Sine dubio ea quibus indigemus, videlicet necessaria, victum scilicet et vestimentum.

Videtis ergo, quia non superflua promisit Dominus nobis. Securi ergo simus; quandiu non quærimus superflua, sed necessaria, ministrabit Deus. Et si quando subtrahit necessaria corporis, utique facit

Digitized by Google

hoc propter utilitatem majorem animæ. Contra illam quoque tristitiam audiant Apostolum : *Non ex tristitia*, inquit, *aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Sint et ipsi fortes in bello, pugnent ipsi contra tentationes, quantum possunt, necessaria honeste provideant, et sollicitudinem deponant. Prælati qui in superiori loco sunt, duas tentationes maxime debent cavere, superbiam et vanitatem. Superbia est, si putant se meliores, quoniam sunt superiores. Vanitas est, si in ipsa sua prælatione delectantur et gloriantur. Sint itaque et isti fortes in bello, et pugnent cum antiquo serpente ; contra superbiam opponant sententiam Scripturæ, quæ dicit : *Quanto altior es, tanto humilia te in omnibus* (*Eccl.* III). Et iterum : *Principem te constituerunt ; esto sicut unus ex illis* (*IV Reg.* XIV). Contra vanitatem autem, qua animus oblectatur in prælatione, cogitet hoc, quod scriptum est : *Judicium durissimum in his qui præsunt, fiet ; potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI). Quia ergo nemo est, qui Deo servit, in quocunque loco, in quocunque ordine, in quacunque dignitate, contra quem antiquus serpens non pugnet, omnes audiamus : *Estote fortes in bello, et pugnate contra antiquum serpentem.* Sicut in principio dixi, duces sæculi, quando vident milites suos minus prudenter agere, ostendunt eis fortitudinem et calliditatem hostium. Sic hic duo quædam nobis dicit de hoste nostro ; antiquum eum dicit, et esse serpentem. Per antiquitatem ostendit nobis, quia ipse in usu habet hujusmodi pugnam, et ideo valde astutus est. Unde oportet nos caute et vigilanter attendere nobis. Nullam aliam curam habet neque de victu, neque de somno, nisi tantum decipere homines. In hoc exercitatus est ab initio sæculi, usque ad hoc tempus. Fratres, multum didicit de hac arte, ideo necesse est ut vigilemus. Serpens etiam, sicut scitis, valde labilis est, et ubi primo potest caput mittere, facile totus ingreditur. Talis est iste inimicus noster, ubi primo potest caput mittere, id est actum peccati. Ideo necesse est ut semper omnes motus cordis consideremus, ut iste serpens non possit aliquid immundum, vel quod sit contra rationem, immittere. Quoniam, sicut dicit Dominus noster, in corde est radix, et quasi caput omnium factorum nostrorum. *De corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, fornicationes, adulteria, blasphemiæ* (*Matth.* XV). Considerare debemus ad quid vocati sumus. Videre debemus, quia homines mundi hujus ideo nobis suas terras, et suas substantias dant, ut nostris orationibus ipsi tueantur, ac Deo reconcilientur. Ideo necesse est ut et munditia vitæ, et exercitio bonorum operum simus supra illos, qui tantam fiduciam habent, ne dicatur de nobis : *Erubesce, Sidon, ait mare* (*Isai.* XXIII). Quod sine dubio evenit, quando illi, qui religiosi nominantur, deteriores fiunt sæcularibus. Tunc enim in comparatione maris, id est sæculi, Sidon, id est religio, erubescit.

Sed quia hoc laboriosum est valde, quotidie imo sine intermissione pugnare contra carnem, et cogitationes, et cæteras spirituales nequitias ; necesse est, ut semper ad illud præmium, quod nobis promittitur, aspiciamus. Idcirco postquam nos hortatus est ad bellum, postquam hostis nostri astutiam et malitiam insinuavit, statim nos de primo consolatur, dicens : *Et accipite regnum ejus.* Regnum Dei duobus modis debemus intelligere, id est in ista vita, et in futura. In ista enim vita sine dubio possumus et debemus habere in nobis regnum Dei : dicit enim Apostolus : *Regnum Dei non est esca et potus ; sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto* (*Rom.* XIV). Si in hoc bello perseveremus, et vitiis non consentiamus, et in ista vita habebimus in nobis regnum Dei ; sed et justitiam, et pacem, et gaudium. Justitiam ex virtutibus, pacem ex consensu carnis ac spiritus, quando in bono pariter consentiunt ; gaudium ex testimonio bonæ conscientiæ. Hoc regnum etiam sequitur illud ineffabile quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II). Unde Dominus dicet in die judicii : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi* (*Matth.* XXV). Quo nos perducere dignetur ipse, qui promisit, Jesus Christus, Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

DE EODEM FESTO

Scitis, fratres, quia inter omnes apostolos et martyres Domini nostri, isti duo, quorum festivitatem hodie celebramus, videntur habere quamdam specialem dignitatem. Nec mirum. Isti sunt enim, quibus Dominus specialius commendavit sanctam Ecclesiam. Nam, quando sanctus Petrus confessus est quod ipse Dominus esset Filius Dei, respondit ei Dominus : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cælorum* (*Matth.* XVI). Iterum Dominus quodammodo fecit sanctum Paulum ejus parem, sicut ipse Paulus ait : *Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est et mihi inter gentes* (*Galat.* I). Hi sunt illi, quos Dominus per Prophetam promisit sanctæ Ecclesiæ, dicens : *Pro patribus tuis, nati sunt tibi filii* (*Psal.* XLIV). Patres sanctæ Ecclesiæ sunt sancti patriarchæ et prophetæ ; qui primo docuerunt legem Dei, et prophetaverunt adventum Domini nostri. Si ante adventum Domini cessaverunt esse prophetæ, propter peccata populi. Venit autem Dominus noster ; et in loco prophetarum elegit sanctos apostolos, et impletum est, quod ait Propheta : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Et videte quomodo ostendit quod major est dignitas apostolorum, quam fuit prophetarum. Ipsi enim prophetæ fuerunt principes unius populi, et fuerunt in una gente, in una parte terræ ; et de apostolis dicit : *Constitues eos super omnem terram* (*ibid.*). Quæ est terra, fratres, in qua non est potestas et dignitas istorum apostolorum ? Reges, comites, divites, pauperes, omnes

Digitized by Google

hodie laudant et glorificant hos sanctos amicos Dei. Quare, nisi quia Dominus constituit eos principes super omnem terram? Et nos, fratres, quantum possumus, laudemus hos sanctos apostolos, et amicos Dei, et nostros patres et principes. Laudemus eos, et tales nos præparemus, ut possimus eos digne laudare. Tunc poterimus digne laudare eos, si studeamus imitari vitam eorum. Imitemur fortitudinem eorum, sanctissimam vitam eorum, et bonam perseverantiam illorum. Ipsi sine dubio, fratres, magnam habebant fortitudinem. Ipsi enim illæ sunt columnæ, quas confirmavit Dominus, sicut scriptum est : *Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea; ego confirmavi columnas ejus* (*Psal.* LXXIV). Quando liquefacta est terra? Videte, fratres, antequam Dominus noster veniret in terram, omnis terra congelata est ; quia non habebat aliquem calorem charitatis, sed erat in frigore iniquitatis. Indurata erat; quia non habebat aliquam mollitiem pietatis et benignitatis. Venit autem Dominus noster, et misit ignem in terram contra illud frigus, sicut ille ipse dicit : *Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII.) Iste ignis dissolvit hoc frigus, et incœpit terra liquefieri, et currere per lacrymas. Sed quid est quod dicit : *Omnes qui habitant in ea?* (*Psal.* LXXIV.) Omnes fratres liquefacti sunt; sed alii, sicut illa, quæ dicit in Canticis : *Anima mea liquefacta est* (*Cant.* v). Alii autem, sicut dicit Propheta : *Sicut cera, quæ fluit a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei* (*Psal.* LXVII). Alii liquefacti sunt per pœnitentiam, alii per invidiam. Possumus hic intelligere terram sanctam Ecclesiam, quæ dicit hoc quod paulo ante diximus : *Anima mea liquefacta est*, in præsentia Domini nostri, et omnes qui habitant in ea. Alio modo oportet habitare in Ecclesia, id est in vera fide et charitate. Ipsi utique omnes liquefacti sunt igne divini amoris. *Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea; ego confirmavi columnas ejus.*

Columnæ hujus terræ sunt sancti apostoli, maxime isti duo, quorum festivitatem hodie celebramus. Ipsi sunt columnæ, quæ sustentant sanctam Ecclesiam per doctrinam suam, per orationes suas, per exemplum patientiæ suæ. Has columnas confirmavit Dominus noster. Primo enim valde debiles erant, et non poterant sustinere se, nec alios. Et hoc erat magna dispensatio Domini nostri. Si enim semper fuissent fortes, aliquis posset putare, quod a seipsis haberent istam fortitudinem. Ideo voluit Dominus noster primo ostendere quales erant ex seipsis et postea firmare illos, ut omnes scirent quia omnis fortitudo eorum ex Deo erat. Iterum, quia ipsi debebant esse Patres Ecclesiæ, et medici ad curandum infirmos; non scirent aliorum infirmitatibus compati, nisi prius in se infirmitatem sensissent. Ipse ergo confirmavit columnas terræ, id est sanctæ Ecclesiæ. Valde enim infirma erat ista columna, videlicet sanctus Petrus, quando vox unius ancillæ dejecit illum. Postea confirmavit columnam illam : primo quando ter illum interrogavit : *Petre, amas me?* et ille ter respondit : *Amo te* (*Joan.* XXI). Sicut enim cum ter negavit, minuerat quodammodo in se amorem Domini nostri, et ideo defecerat et fracta erat ista columna; ita per hoc, quod ter confessus est amorem ejus, firmata est ista columna. Et notandum est quod Dominus, quando Petrus respondit : *Amo te*, statim dixit ei : *Pasce oves meas* (*ibid.*); ac si diceret : In hoc ostende amorem, quem habes ad me, ut pascas oves meas. Ideo, fratres, falso dicit se amare Deum, qui non vult pascere oves ejus.

Sed dicit aliquis : Quid hoc ad nos? Hoc pertinet ad episcopos, ad abbates, ad presbyteros, qui habent curam animarum. Verum est, fratres, ad ipsos, sed etiam ad vos pertinet. Oves enim Christi duobus modis pascuntur, id est verbo et exemplo. Certe, fratres, multi prælati sunt in Ecclesia, qui possunt satis pascere oves Christi verbo; sed, quia male vivunt, melius pascerent eas, si tacerent, vel corpore discederent, et sic darent illis exemplum humilitatis, paupertatis, abstinentiæ, castitatis, cæterarumque virtutum. Melius tamen facit, qui utrumque facit; qui utrumque non potest, melius est pascere exemplo, quam verbo. Quia si solo verbo potest illis prodesse, sed sibi nocet. Si utrumque non potest, exemplo illis prodest, non sibi. Ideo, fratres, si diligitis Dominum nostrum, ita vivite ut exemplo vestro pascantur oves Christi, sicut Dominus dicit : *Sic luceant opera vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v). Habet etiam in unaquaque anima sancta Dominus noster quasdam oves, id est virtutes, quas oportet ut pascat, quicunque amat Christum. Istæ oves sunt charitas, humilitas, gaudium spirituale, et cætera hujusmodi. Tunc pascimus istas oves quando talia opera facimus, quibus istæ virtutes crescant in nobis. Debet etiam unusquisque nostrum in altero virtutes istas pascere. Quod tunc facimus, si ita nos habeamus coram fratribus nostris, ut nostro exemplo crescat charitas eorum, gaudium illorum, humilitas et patientia illorum. Quomodo enim pasco in fratre meo humilitatem, si fuero superbus coram eo, si loquor superbe, si respondeo superbe, et incedo superbe? Quomodo pasco in fratre meo obedientiam, si ipse videt me contrarium et inobedientem? Quomodo pasco impatientiam illius, si ego murmuro, vel irascor, vel dure loquor, vel significo coram illo? Qui hæc facit coram fratre suo, non pascit in illo oves Christi; sed quantum in illo est, destruit et occidit; quia scandalizat eum. Qui autem scandalizat fratrem suum, peccat in fratrem suum. Qui vero peccat in fratrem suum, sicut dicit Apostolus, peccat in Christum (*I Cor.* VIII). Qui autem peccat in Christum, non amat Christum. Ideo, si amatis Christum, pascite oves Christi, et pertinebitis ad istam columnam, quæ firmata est amore Christi.

Post hanc confirmationem iterum confirmata est.

Digitized by Google

quando Spiritus sanctus missus est. Tunc fuit ita fortis ista columna, ut verbera, et lapides, et minæ, ad extremum ipsa mors, non posset eam movere de loco suo. Iterum illa alia columna, sine dubio primo infirma fuit. Infirmitas enim animæ, peccata sunt. Et audite, quam infirmus fuit : *Qui primo fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus* (*I Tim.* i). Item quando prostratus est, et cæcatus, et ita ductus in civitatem; quando Ananias venit ad eum, et eum instituebat, tunc infirmus erat. Sed audi, quam fortis postea fuit. *Certus sum*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque alia creatura poterit me separare a charitate Dei* (*Rom.* viii). Ergo, fratres, omnis fortitudo est in charitate, sicut scriptum est : *Fortis est ut mors dilectio* (*Cant.* viii). Quid agit mors in homine? omnia vitia, omnes passiones malas exstinguit, claudit oculos, et omne corpus facit esse sine sensu, ita ut solus spiritus vivat. Hoc facit et charitas, ipsa exstinguit libidinem, tollit iram, dejicit superbiam, et omnia vitia expellit. Claudit oculos, ut non sint curiosi, et omnes carnales sensus ita exstinguit, ut homo possit dicere cum Paulo : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* ii). Ipse non vivit, quia quidquid suum erat, in illo charitas mortificat. Christus vere vivit in eo, quia tantum amor Christi in eo virtutem habet. Ergo, fratres, imitemur hanc fortitudinem harum columnarum. Jam vero de sanctitate istorum Patrum quid possumus dicere? Omnis sanctitas est in puritate cordis, et testimonio bonæ conscientiæ. Contemptus mundi facit puritatem cordis. Omnis enim impuritas cordis venit de amore mundi. Amor mundi inquinat cor : et ideo quando homo perfecte contemnit mundum, non habet in corde suo aliquam coinquinationem. Bonum testimonium conscientiæ nascitur de duobus; de bono opere, et recta intentione. Si enim non operetur bene, non potest habere bonam conscientiam. Iterum, si facit laudabilia opera, et non facit ea recta intentione, sed vel amore laudis, vel ut aliquid temporale acquirat, non potest habere conscientiam bonam. Quis perfectius contempsit mundum, quam ille qui ita secure locutus est ad Dominum, dicens : *Ecce nos reliquimus omnia?* (*Matth.* xix.) Quale testimonium habuit propriæ conscientiæ, qui dixit : *Tu scis, Domine, quia amo te* (*Joan.* xxi). Item Paulus quam perfecte contempsit mundum, quia omnia carnalia arbitratus est ut stercora, ut Christum lucrifaceret! Item de operibus suis ipse dixit : *Plus omnibus illis laboravi* (*I Cor.* xv). Et iterum : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi* (*II Tim.* iv). De testimonio suæ conscientiæ iterum ipse dixit : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* i).

Ergo, fratres, imitemur istos sanctos Patres nostros, studeamus bene operari, mundum contemnere, bonam conscientiam habere, ut possimus ad eorum consortium pervenire. Sed, quia nihil prodest ista omnia incipere, si non studeamus in eis perseverare, necesse est ut imitemur perseverantiam istorum sanctorum Patrum. Perseverantia tantum cognoscitur in morte. Quamvis enim cito incipiat quis servire Deo, nihil ei prodest, si vel parvo tempore ante mortem deserat bonum, quod incœpit. Et licet homo diu male vivat, si in sanitate sua convertitur ad Deum, quamvis modico tempore vivat, tamen perseveravit. Ideo, sicut mihi videtur, nihil est aliud perseverare quam laudabiliter vitam finire. Ergo, fratres, quandiu vivimus, nullus potest esse securus, nullus de se præsumere. Si enim, ut dicitur, omnis laus in fine cernitur, in sola perseverantia salus nostra consistit. De hac vero perseverantia, nullus potest ante mortem securus esse. Ideo nihil melius quam audire Apostolum dicentem : *Cum tremore et timore vestram ipsorum salutem operamini* (*Ephes.* vi). Debemus autem scire, quia quanto magis homo patitur tribulationes et dolores in servitio Domini, tanto laudabilior est ejus perseverantia.

Propterea valde laudandi sunt isti sancti Patres nostri, qui tanta pro Christo pertulerunt, et tam perfecte perseveraverunt. Non est magnum, perseverare cum Christo in gaudio, in prosperitate, in patientia : sed hoc est magnum omnino, lapidari, verberari, colaphizari pro Christo ; in his omnibus perseverare cum Christo. Magnum est cum Paulo maledici et benedicere; persecutionem pati, et sustinere; blasphemari, et obsecrare; esse quasi purgamentum hujus mundi, et in hoc gloriari. Quomodo laudanda est perseverantia Pauli, quæ in talibus perseveravit! Semper pene erat aut in carceribus, aut in vinculis, aut in fame, aut in frigore, vel nuditate ; et in his omnibus perseveravit cum Christo, non murmuravit, non contristatus est, imo tunc placebat sibi, quando talia sustinebat, sicut ipse dicit : *Complaceo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in plagis, in tribulationibus, in angustiis pro Christo* (*II Cor.* xii). Ad ultimum hodierna die perseverantiam suam perfecte commendavit, quando mortem non dubitavit pro Christo tolerare. Quid dicam de perseverantia Petri? Qui si nihil aliud sustinuisset pro Christo, sufficeret hoc, quod hodie est crucifixus pro Christo. Et hoc quam laudandum est, quod noluit ita crucifigi, sicut Dominus noster; sed voluit, ut pedes ejus essent superius, et caput inferius. Scivit bene, ubi erat ille, quem amabat, quem desiderabat, ad quem suspirabat. Ubi, nisi in cœlo? Quare ergo sic voluit, ut pedes ejus essent sursum versi, nisi ut aperte ostenderet, se per illam passionem iturum ad Deum? Crux illa quasi via erat. Et vere, fratres, ponamus ante oculos nostros vitam et mortem istorum sanctorum; et præmium illorum; et cogitemus, quia si hic imitamur passiones illorum, quantum possumus, sine dubio veniemus ad consortium illorum. Quod illorum meritis nobis concedat Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

SERMO XVII.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ

Intravit Jesus in quoddam castellum : et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et huic erat soror, nomine Maria (*Luc.* XI). Audistis de Evangelio magnam felicitatem duarum mulierum. Vere, fratres, magna felicitas Marthæ, quæ talem suscepit hospitem, quæ illi ministravit, quæ circa obsequium suum occupata fuit. Magna felicitas Mariæ, quæ recognovit excellentiam hujus hospitis, quæ audivit sapientiam ejus, quæ gustavit dulcedinem ejus. Sic enim narrat evangelista quod Dominus noster Jesus Christus intravit in unum castellum, et quod quædam mulier quæ vocabatur Martha eum susceperit in domum suam, et ministraverit illi. Illa habebat quamdam sororem, quæ vocabatur Maria, quæ statim ut Jesus intravit, cucurrit ad pedes ejus, et ibi sedit, et audiebat dulcia verba ejus; et intantum attendebat in verbis Domini, ut nihil curaret, quid ageretur in domo, quid aliquis loqueretur, quantum etiam soror sua laborabat. Quis enim unus ex vobis, si Dominus noster esset in terra, et vellet intrare ad se, qui non miro et ineffabili modo gauderet ? Quid ergo dicemus, fratres, quia non est modo corporaliter in terra, quia non possumus eum corporaliter suscipere, ideo debemus desperare de ejus adventu ? Imo præparemus domos nostras, et sine dubio ad opus nostrum melius veniet ad nos ; quam si corporaliter venisset. Istæ sine dubio mulieres beatæ fuerunt, quæ eum corporaliter susceperunt ; sed omnino ideo beatiores, quia eum mente susceperant. Nam tunc temporis multi eum corporaliter susceperunt, et cum eo manducaverunt et biberunt ; sed, quia eum in mente non susceperunt, miseri remanserunt. Quis enim infelicior Juda ? et ille corporaliter ministravit Domino. Dicam adhuc amplius. Ipsa beata virgo Maria, cujus hodie gloriosam celebramus Assumptionem, sine dubio beata fuit, quia Filium Dei corpore suscepit ; sed ideo tamen magis beata, quia eum mente susceperat. Mentior, si non ipse Dominus hoc dixit.

Heri lectum fuit, quomodo quædam mulier ait ad Dominum nostrum : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti* (*ibid.*). Et Dominus dixi illi : *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (*ibid.*). Ideo, fratres, præparemus spirituale quoddam castellum, ut veniat ad nos Dominus noster. Audacter enim dico, quia nisi beata Maria hoc castellum præparasset in se, non intrasset in uterum ejus, nec in mentem ejus Dominus Jesus, nec istud Evangelium in ejus festivitate hodie legeretur. Ergo præparemus hoc castellum. In castello fiunt tria quædam, ut forte sit, scilicet fossatum, murus et turris. Primo fossatum, et postea murus super fossatum, et sic turris quæ est fortior et excellentior cæteris. Murus et fossatum se invicem custodiunt ; quia nisi fossatum præesset, possent A per aliquod ingenium homines accedere ad murum suffodiendum ; et nisi murus esset super fossatum, possent ad fossatum accedere, et illud implere. Turris omnia custodit, quia altior est omnibus. Intremus modo animam nostram, et videamus quomodo ista omnia debent in nobis spiritualiter fieri. Quid est fossatum, nisi profunda terra ? Ergo fodiamus cor nostrum, ubi sit infima terra. Auferamus terram, quæ intus est ; et projiciamus sursum, sic enim fit fossatum. Terra quam debeamus accipere, et sursum projicere, est nostra terrena fragilitas. Hoc non lateat intus, sed sit semper ante oculos nostros, ut sit in corde nostro fossatum, id est humilis et profunda terra. Ergo, fratres, fossatum istud humilitas est. Recordamini quid ait ille B vinitor in Evangelio de illa arbore, quam voluit Dominus vineæ succidere, quia non invenit in ea fructum : *Domine, dimitte illam et hoc anno, usquequo fodiam circa illam, et mittam stercora* (*Luc.* XIII). Voluit ibi facere fossatum, id est docere humilitatem. Sic ergo, fratres, incipiamus ædificare hoc castellum. Nisi enim hoc fossatum primo fuerit in corde nostro, id est vera humilitas, non poterimus ædificare, nisi ruinam, super proprium caput. O quam bene fecerat sibi hoc fossatum beata Maria ! Profecto magis consideravit propriam fragilitatem suam, quam totam dignitatem et sanctitatem suam. Scivit nimirum, quia quod fragilis fuit, hoc erat ex se ; quod erat sancta, quod erat Dei mater, quod domina angelorum, quod Spiritus C sancti templum, non utique nisi ex Dei gratia erat. Ideo quod ex se erat, humiliter confitebatur, dicens : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I). Et iterum : *Respexit humilitatem ancillæ suæ* (*ibid.*).

Post fossatum debemus facere murum. Murus iste spiritualis est castitas ; murus omnino fortis, qui servat carnem integram et incontaminatam. Ille est murus, qui servat istud fossatum, de quo locuti sumus, ut non possit impleri ab hostibus. Nam, si quis perdit castitatem, statim cor totum impletur sordibus et immunditiis, ut humilitas, id est spirituale fossatum omnino pereat in corde. Sed, sicut fossatum istud custoditur a muro, ita ne- D cesse habet murus custodiri a fossato. Nam qui humilitatem amittit, carnis utique castitatem servare non poterit. Hinc evenit, quod virginitas, quæ ab ipsa infantia usque ad senectutem servatur, aliquando amittitur ; quia, quando anima polluta est per superbiam, etiam caro polluitur per luxuriam. Istum murum habuit in se sancta Maria plus perfecte quam aliquis alius. Ipsa enim est virgo sancta, et intacta, cujus virginitas quasi firmissimus murus nunquam potuit per aliquod parium, vel per aliud instrumentum, id est tentatione diaboli penetrari. Virgo erat ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Sed, si jam imitamini beatissimam Mariam, et habetis fossatum istud humilitatis, et murum castitatis, necesse est ut

Digitized by Google

ædificemus turrim charitatis. Magna turris est charitas, fratres mei. Sicut turris solet esse altior omni alia ædificatione castelli, ita charitas est super omnes alias virtutes, quæ sunt in spirituali ædificatione animæ. Ideo dicit Apostolus : *Adhuc superexcellentiorem viam vobis demonstro* (*I Cor.* XII). Hoc dicebat de charitate, quod ipsa est excellentior via quæ ducit ad vitam. In ista turri quicunque fuerit, non timet hostes suos, quia *perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV). Sine ista turri infirmum est istud spirituale castellum, de quo loquimur. Qui enim habet murum castitatis firmum, et forte etiam, aut contemnit aut judicat fratrem suum, et non exhibet illi talem charitatem, qualem debet; quia non habet turrim, inimicus ejus transit murum, et occidit animam ejus. Similiter, si videtur humilis in habitu suo, in victu suo, in inclinationibus suis : si tamen intus habet amarum animum erga prælatos et fratres suos, illud fossatum humilitatis non potest defendere eum ab hostibus suis. Quis potest dicere quam perfecte habuerit istam turrim beatissima Maria ? Si Petrus dilexit Dominum suum, quantum beata Maria dilexit et Dominum, et Filium suum ! Quantum autem ipsa diligat proximos suos, id est homines, monstrant multa miracula et multæ visiones, quibus ipse Dominus dignatum est ostendere, quod ipsa specialiter oret Filium suum pro toto humano genere.

Fratres, superfluum est, si volo saltem niti ad ostendendam ejus charitatem : quæ adeo magna est, ut nulla mens sufficiat illam cogitare. Hoc est sine dubio castellum, in quod dignatur intrare Jesus. Et sine dubio feliciores sunt, qui eum in tali castello spiritualiter recipiunt, quam multi, qui eum tunc corporaliter in suas domos susceperunt. Sed quid est quod evangelista tacet nomen castelli, et non dicit nisi tantum quod *intravit Jesus in quoddam castellum ?* (*Luc.* XI.) Quoddam significat quamdam singularitatem : ideo hoc proprie pertinet ad beatissimam dominam nostram. Ipsa namque est singulare quoddam castellum ; quia in nullo homine talis humilitas, in nullo tam perfecta castitas, in nullo tam excellens charitas. Sine dubio castellum singulare, quod Pater constituit, quod Spiritus sanctus sanctificavit, quod Filius intravit, quod tota Trinitas quasi singulare sibi hospitium elegit. Hoc est castellum, quod intravit Jesus. Clausa porta intravit, clausa porta exivit, sicut prophetavit sanctus Ezechiel : *Et eduxit me*, inquit, *ad portam, quæ respiciebat ad orientem, et erat clausa* (*Ezech.* XLI). Porta orientalis est sanctissima Maria. Nam porta, quæ solet esse adversus orientem, primo recipit claritatem solis. Sic beatissima Maria, quæ semper respiciebat adversum orientem, ad claritatem scilicet Dei, primo suscepit in se radium, imo totam plenitudinem claritatis illius veri solis, scilicet Filii Dei, de quo ait Zacharias propheta : *Visitavit nos Oriens ex alto* (*Luc.* I). Porta hæc clausa erat, et bene munita. Nullum accessum invenit inimicus, nullum omnino foramen. Clausa erat, et signata signaculo castitatis, quæ per ingressum Domini non fracta, sed potius magis solidata et firmata est. Quia ille cujus muneris est virginitas, per præsentiam suam non abstulit virginitatem, sed magis confirmavit. Ergo in hoc castellum intravit Jesus. Et nos, fratres, si habuerimus in nobis hoc spirituale castellum, de quo loquimur ; sine dubio ad nos intrabit spiritualiter Jesus. Sed ad beatam Mariam, non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter intravit, quia in ea et ex ea corpus assumpsit. *Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria* (*Luc.* XI).

Si ergo, fratres, anima nostra, secundum quod diximus, castellum facta est, oportet ut duæ mulieres in ea habitent ; una, quæ sedeat ad pedes Jesu, ut audiat verbum ejus ; altera, quæ ministret Jesu, ut pascat. Videte, fratres. Si sola Maria esset in domo illa, non esset qui pasceret Dominum. Si sola Martha, non esset qui delectaretur in sermonibus et præsentia Domini. Ergo, fratres, Martha significat actionem illam, qua homo laborat pro Christo ; Maria autem requiem illam, qua homo vacat ab operibus corporalibus, et delectatur in dulcedine Dei, sive per lectionem, sive per orationem, sive per contemplationem. Ideo, fratres, quandiu Christus pauper est, et pedibus ambulat in terra, et esurit, et sitit, et tentatur, necesse est ut utræque hæ mulieres sint in domo una, id est ut hæ utræque actiones sint in eadem anima. Quandiu tu es in terra, et ego, et ille alius, si tamen membra ejus sumus, ipse in terra est. Quandiu illi, qui sunt membra ejus, esuriunt et sitiunt, tentantur, tandiu Christus esurit, sitit, tentatur. Ideo ipse dicet in die judicii : *Quandiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Ideo, fratres, in ista misera et laboriosa vita, necesse est ut Martha sit in domo nostra, id est ut anima nostra studeat corporalibus actionibus. Quandiu enim necesse habemus manducare et bibere, tandiu necesse habemus vigiliis, et jejuniis, et labore corporis carnem domare. Hæc est pars Marthæ. Debet etiam esse in anima nostra Maria, id est actio spiritualis. Non enim debemus semper corporalibus exercitiis intendere, sed aliquando vacare et videre quam suavis, quam dulcis est Dominus (*Psal.* XXXIII) ; sedere ad pedes Jesu, et audire verbum ejus. Nullo modo enim debetis negligere Mariam propter Martham ; nec iterum Martham propter Mariam. Si enim negligitis Martham, quis pascet Jesum ? Si negligitis Mariam, quid vobis prodest quod Jesus intravit domum vestram, quandoquidem nihil de ejus dulcedine gustatis ?

Scitote, fratres, quia nunquam in ista vita debent istæ mulieres separari. Quando illud tempus venerit, quo Jesus neque pauper erit, nec esuriens, nec sitiens, nec jam poterit tentari, tunc sola Maria,

Digitized by Google

id est actio spiritualis, occupabit totam domum istam, id est animam nostram. Hoc vidit S. Benedictus, imo Spiritus sanctus in sancto Benedicto. Ideo non tantum dixit et statuit, ut essemus intenti circa lectionem, quasi Mariam, et prætermisit laborem, quasi Martham; sed utrumque commendavit nobis, et deputavit certa tempora ad opus Marthæ, et certa tempora ad opus Mariæ. Istæ duæ actiones perfecte fuerunt in B. Maria domina nostra. Quod Dominum nostrum vestivit, quod pavit eum, quod portavit, quod fugit cum eo in Ægyptum, hoc totum pertinet ad actionem corporalem. Quod autem considerabat *omnia verba hæc, conferens in corde suo* (*Luc.* II), quod considerabat ejus divinitatem, et contemplabatur ejus potentiam, et degustabat ejus dulcedinem, hoc totum pertinet ad Mariam. Unde ait pulchre evangelista : *Maria sedens ad pedes Jesu, audiebat verbum illius* (*Luc.* X). Secundum partem Marthæ non sedebat B. Maria ad pedes Jesu. Imo, ut ego existimo, ipse Dominus Jesus sedebat ad pedes dulcissimæ Matris suæ. Nam, sicut dicit evangelista, et ipse : *Erat subditus illis* (*Luc.* II), id est Mariæ et Joseph. Sed secundum hoc quod videbat et cognoscebat divinitatem ejus, sine dubio sedebat ad pedes illius; quia se humiliabat ante illum, et tenebat se pro ancilla sua. Secundum partem Marthæ ministrabat illi, quasi infirmo, et parvo, esurienti et sitienti; dolebat in passionibus illius, in contumeliis, quas faciebant illi Judæi. Ideo illi dicitur : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima* (*Luc.* X). Secundum partem Mariæ quasi Domino supplicabat, quasi Dominum suum colebat, et spirituali dulcedini ejus quantum potuit inhiabat. Ergo, fratres mei, quandiu sumus in hoc corpore, in hoc exsilio, in hoc loco pœnitentiæ, sciamus hoc esse magis nobis proprium, et magis naturale, quod Dominus dixit ad Adam : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Genes.* III). Hoc enim pertinet ad Martham. Quidquid enim de spirituali dulcedine gustamus, non est nisi, ut ita dicam, quædam pitantia, qua Deus sustentat infirmitatem nostram. Ideo, fratres charissimi, sollicite agamus ea quæ sunt Marthæ, et cum omni timore et cura exerceamus ea quæ sunt Mariæ, nec partem dimittamus unius propter partem alterius. Eveniet aliquando ut Martha velit in labore suo habere Mariam, sed non est ei consentiendum. *Domine*, inquit, *non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet* (*Luc.* X). Tentatio est.

Videte ergo, fratres, quia quando in illo tempore, quo debemus vacare lectionibus et orationibus, suggerit nobis cogitatio nostra, ut eamus ad illum, vel ad illum laborem, quasi hoc sit necessarium, tunc quodammodo Martha vocat Mariam, ut illam adjuvet; sed Dominus bene judicat et juste. Non jubet, ut Martha sedeat cum Maria, nec jubet ut Maria surgat, et ministret cum Martha. Melior utique est, et dulcior et suavior pars Mariæ; non tamen vult ut Marthæ opus propter illam dimittatur. Laboriosior pars Marthæ, non tamen vult ut quies Mariæ perturbetur. Vult ergo ut utræque agant suas partes. Quicunque autem sic intelligunt, quod aliqui homines sint, qui tantum debeant in ista vita sequi partem Marthæ, et iterum alii debeant tantum studere parti Mariæ, sine dubio errant, et non intelligunt. Istæ mulieres ambæ in uno castello, ambæ in una domo sunt, ambæ gratæ et acceptæ Domino, ambæ dilectæ a Domino, sicut dicit Evangelium : *Diligebat autem Jesus Mariam et Martham et Lazarum* (*Joan.* XI). Aut dicant, quis unquam sanctorum Patrum sine utraque hac actione ad perfectionem venerit. Quia autem ab unoquoque nostrum ambæ hæ partes exercendæ sunt, sine dubio certis temporibus debemus ea agere quæ sunt Marthæ, sed certis temporibus ea quæ sunt Mariæ; nisi necessitas intercurrerit, quæ legem non habet. Ideo sollicite debemus ista tempora custodire, quæ nobis præfixit Spiritus sanctus; ut videlicet tempore lectionis simus stabiles et quieti, nec indulgeamus otio aut torpori, neque separemus nos a pedibus Jesu, sed ibi sedeamus et audiamus verbum illius. Tempore autem laboris simus impigri et prompti, nec ullo modo per obtentum quietis omittamus ministerium veritatis. Nec unquam ista duo commisceamus, nisi sola obedientia, cui nec quietem, nec laborem, nec actionem, nec contemplationem, nec aliquid omnino debemus præponere, nisi coegerit etiam ipsos, ut ita dixerim, pedes Jesu relinquere propter obedientiam. Nam profecto, licet dulcius haberet Maria sedere ad pedes Jesu; tamen, si ei jussisset Dominus, sine omni dubitatione surgeret, et ministraret cum sorore sua. Sed non jussit Dominus, ut in hoc facto utramque hanc actionem commendaret : et ut solliciti simus, si non aliud nobis præcipiatur, semper hæc duo sollicite custodiamus, nec aliud propter aliud dimittamus.

Considerandum est autem quod ait Dominus : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Magnam consolationem dedit nobis Dominus in his verbis. Auferetur a nobis pars Marthæ, sed non auferetur pars Mariæ. Quis non fastidiret istos labores et miserias, si semper deberent esse nobiscum? Ideo consolatur nos Dominus. Viriliter ergo agamus, viriliter istos labores et miserias perferamus, scientes quia finem habebunt. Iterum quis multum curaret istas consolationes spirituales, si non amplius durarent quam durat ista vita? Sed non auferetur a nobis pars Mariæ, imo augebitur. Et quod hic per quasdam minutissimas guttas incipimus gustare, post istam vitam usque ad quamdam spiritualem ebrietatem bibemus, sicut dicit Propheta : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV). Non ergo vincamur istis laboribus, quia auferentur a nobis. Avide desideremus gustum divinæ dulcedinis, quia hic quidem incipit, sed post istam vi-

Digitized by Google

tam perficietur in nobis, et in æternum manebit in nobis. Ad quam nobis beatitudinem obtinendam auxilietur beata Maria apud filium suum Dominum nostrum; qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVIII.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ.

Non vult Dominus noster pati, ut habeamus aliquod fastidium. Ideo nos visitat, aliquando per se, aliquando per sacram Scripturam, aliquando per nostros sermones, quibus recitamus aliquid de ipso, aliquando etiam per dulcedinem bonorum, quæ nobis fecit per seipsum, aliquando per ea quæ fecit per suos. Hæc sunt nostra fercula, quibus ipse pascit animam nostram, ut nec famem patiamur, nec in edendo aliquod fastidium toleremus. Sed, sicut inter omnes sanctos illa est excellentior, beatior, dulcior, quæ familiarius et suavius gustat ejus dulcedinem, ita non est ei tantum creatura, ancilla, amica, filia, sed etiam mater; sic justum est, ut ejus festum cum majori dulcedine et jucunditate suscipiamus, et in ejus festivitate abundantius nosmetipsos epulis spiritualibus pascamus. Et utique, fratres, si semper debemus illam laudare et honorare, et cum omni devotione ejus dulcedinem revolvere; sed hodie amplius debemus illi congaudere, quia hodie ejus gaudium perfecte fuit impletum. Illa habuit magnum gaudium, quando angelus illam salutavit. Illa habuit magnum gaudium, quando sensit adventum Spiritus sancti, quando fuit facta illa mirabilis adunatio in utero ejus de Filio Dei, et carne ejus, ut ipse idem qui erat Filius Dei, esset filius ejus. Illa habuit magnum gaudium, quando tenuit talem filium inter brachia sua, quando osculata est eum, quando ministravit ei, quando audivit sermones ejus, quando vidit miracula ejus. Et quia multum fuerat contristata in passione ejus, iterum mirabile gaudium habuit in resurrectione ejus, et adhuc majus in ascensione ejus. Sed omnia ista gaudia superavit illud gaudium quod hodie recepit.

Scitis bene, fratres mei, quia in Domino nostro Jesu sunt duæ naturæ, divina et humana. Istæ duæ naturæ sunt ita perfecte in illo, ut divina natura non fuerit immutata propter humanam, nec humana annihilata propter divinam. Unde et ipse est æqualis Patri, et minor Patre. Æqualis propter divinitatem, et minor propter humanitatem. Et certe, fratres, magnum bonum est, et magnum gaudium cognoscere Dominum nostrum Jesum Christum secundum humanitatem ejus, amare illum, et cogitare de illo; quasi videre in corde suo nativitatem ejus, passionem ejus, vulnera ejus, mortem ejus, resurrectionem ejus. Sed multo magis gaudium ille habet, qui potest dicere cum Apostolo : *Etsi novimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* v). Magnum est videre quomodo Dominus noster jacuit in præsepio; sed multo majus est gaudium videre, quomodo regnat in cœlo. Magnum gaudium videre, quomodo sugit ubera; sed multo majus videre, quomodo pascit omnia. Magnum gaudium, videre eum inter brachia unius puellæ, sed majus gaudium, videre quomodo continet omnia cœli et terræ. Usque ad hanc diem, fratres, cognovit beata Dei genitrix Maria dulcissimum filium suum secundum carnem; quia, licet postquam ille charissimus filius et Dominus ejus ascendit in cœlum, haberet ipsa omne desiderium suum et amorem suum ibi, ubi ipse erat; tamen, quandiu manebat in hac carne corruptibili, non poterant recedere de ejus memoria ea, quæ secundum carnem viderat de ipso. Semper enim occurrebant animo ejus, facta ejus, verba ejus, et super omnia versabatur in corde ejus imago decoris vultus ejus. Hodie autem transivit de hoc mundo, et ad cœlestia regna conscendit, ubi cœpit contemplari ejus claritatem, Patris divinitatem; et impletum est gaudium ejus et desiderium ejus, ita ut merito posset dicere : *Inveni quem diligit anima mea* (*Cant.* III). Tenet illum, nec dimittit. Invenerat prius quem dilexerat caro ejus; quia adhuc caro sapiebat carnem, homo hominem; tenuit illum, sed dimisit. Tenuit illum, sed secundum carnem : et ideo per mortem amisit illum aliquantulum, sed secundum carnem. Hodie invenit, quem diligit anima ejus; quia, quamvis sit, sicut quidam credunt, etiam cum corpore assumpta in cœlum, tamen ipsum corpus utique est factum spirituale, ut omnis ille amor, quo illa diligit Dominum suum, filium suum, non sit secundum carnem, sed secundum spiritum. Hodie invenit, quem diligit anima ejus, invenit secundum spiritum, diligit secundum spiritum, tenet secundum spiritum; et ideo nunquam amplius amittet. Hodie invenit quia hodie discesserat umbra mortis, et orta est ei lux lucis. In nocte quæsivit eum, sed non invenerat : ideo ait : *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea; quæsivi illum et non inveni* (*ibid.*).

Quandiu vixit in hac vita, nox fuit, et tamen in hac nocte quærere non cessavit, et ideo quando nox pertransiit, invenit. *In lectulo*, inquit, *meo quæsivi, quem diligit anima mea.* Quis est iste lectulus? Quis potest dicere qualis est, et fuit iste lectulus? Si esset corporalis, non esset opus quærere diu. Puta, quia iste est ille lectulus, de quo alibi ait : *Lectulus noster floridus* (*Cant.* I). Et quis erat ille lectulus? Ubi erat cor ejus, ubi erant flores omnium virtutum. Et bene lectulus, propter illam miram requiem et tranquillitatem, quam habuit. Non enim erat ibi tumultus vanarum cogitationum; non erant ibi cupiditates hujus mundi, non erant ibi carnales passiones, nec desideria. Ubi ista sunt, non est lectulus; quia nemo potest requiem et tranquillitatem habere, qui istos tumultus habuerit in corde. Faciunt sibi multi lectum, non in corde, sed in carne; quia in corde non habent aliquam requiem, propter malam conscientiam; sed jacent in carne,

Digitized by Google

id est in desideriis carnis, et ibi requiescunt quasi in lecto. Qualibus dicit Apostolus : *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* v). Sed beata Maria non habebat requiem suam in carne, sed in mente et in bona conscientia. Ibi requiescebat, et non requiescebat. Requiescebat ab omni cura mundi, ab omni tumultu vitiorum, ab omni strepitu vanarum cogitationum ; et tamen non requiescebat : quia desiderabat et suspirabat, et gemitu et lacrymis quærebat, quem diligebat. *In lectulo meo quæsivi per noctem, quem diligit anima mea.* Sed videamus, quando illa cœpit quærere.

Primo ante adventum Domini quærebat eum et desiderabat. Quærebat, ut veniret in terram, sicut promiserat, ut mundum redimeret, ut illam cum cæteris ab illa miserabili captivitate liberaret. Quæsivit eum, non in foro, aut in nundinis, sed in lectulo suo, in secreto thalamo cordis sui. Hic est iste lectulus in quo Abisag Sunamitis calefaciebat regem David. Legimus in libris Regum : quod David rex propter magnam senectutem ita friguerat, ut non posset aliquomodo calefieri. Cooperiebatur enim vestibus, sicut dicit Scriptura, et non calefiebat. Tunc dixerunt servi regis ad eum : Quæramus domino nostro regi puellam, virginem speciosam, et ministret ei, et dormiat in sinu ejus, et calefaciat dominum nostrum regem. Et invenerunt quamdam virginem, quæ vocabatur Abisag Sunamitis : et fuit cum rege, et ministrabat ei et calefaciebat eum. Rex autem non cognovit eam (*III Reg.* I). Vos scitis bene, quia rex David significat Dominum nostrum Jesum Christum, qui natus est de semine ejus. Ipse habebat quamdam spiritualiter infantiam et pueritiam, et quamdam juventutem, et quamdam senectutem. Quasi quædam infantia ejus erat, quando cœpit primo nasci in cordibus sanctorum Patrum qui fuerunt ante adventum ejus. Ipse nascebatur in cordibus eorum duobus modis, per notitiam videlicet et amorem. Tunc cœpit nasci in corde Abraham, quando ei dictum est, quod talis nasceretur de semine ejus, in quo benedicerentur omnes gentes (*Gen.* xxvi). Quod nos videmus modo impletum ; quia in Domino Jesu Christo, qui natus est de semine Abraham, nunc benedicuntur omnes gentes. Similiter in corde Isaac tunc cœpit quasi nasci, quando adventus ejus cœpit ei notificari : similiter in Jacob, et cæteris patriarchis. Sed adhuc erat quasi infantia ejus. Infantia est illa ætas, in qua puer non potest adhuc loqui. Jam erat quasi nata ipsa notitia Domini nostri, sed adhuc non loquebatur ; quia ipsi SS. patres Abraham, Isaac et Jacob non prædicabant aperte adventum ejus omnibus. Sed licet non aperte loquerentur de eo, tamen calefaciebant eum, id est ardenti amore amplectebantur. Postea fuit quasi pueritia ejus, quando data est lex, quando jam ipsa notitia ejus cœpit loqui omnibus, per diversa instituta et sacrificia, quæ erant in veteri lege ; in quibus omnibus Christus sine dubio loquebatur, et se eis notificabat ; sed quodammodo per puerilia verba, id est per carnales observantias et cæremonias. Postea cœpit ostendere juventutem suam, quando multo apertius cœpit ostendere fortitudinem suam (quæ solet amplius esse in homine in juventute) ; illam fortitudinem, quæ debebat vincere diabolum, spoliare infernum, mundum redimere, a mortuis resurgere, in die judicii damnare impios, coronare sanctos : quæ omnia ipse Dominus noster per prophetas suos locutus est.

Ipsa omnia possemus vobis aperte in scripturis prophetarum ostendere ; sed faceremus nimis magnam digressionem. Istæ spirituales fortitudines, quas fecit Dominus noster Jesus Christus, sunt significatæ per illas corporales fortitudines, et pugnas, et victorias David in juventute sua. Nam sine dubio qui posset ipsas pugnas et victorias David perscrutari, et spiritualiter discutere, inveniret non fabulas vanas, aut simplices narrationes esse in sancta Scriptura, sed omnia videret esse plena magnis sacramentis. In ista quasi sua juventute noster David tanto magis calefiebat, quanto plures essent, qui eum agnoscebant, et amabant, et desiderabant. Postea cœpit quasi frigescere sanctus David ; superabundavit enim iniquitas, et refriguit charitas multorum, ita ut jam appropinquante adventu Domini, propter multitudinem malorum dicat Propheta : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII). Tunc operiebatur noster David vestibus, sed non calefiebat. Quasi vestes ejus debebant esse pontifices, sacerdotes et communiter omnes Judæi, quos Dominus noster sibi spiritualiter quasi vestes conjunxerat. His vestibus quodammodo jam ante adventum ejus operiebatur : frequentabant enim templum, faciebant pontifices et sacerdotes sacrificia, celebrabant festivitates suas, Sabbata, neomenias, et cætera hujusmodi. Sed ista omnia non calefaciebant Dominum nostrum ; quia in illorum cordibus veri amoris calor non erat. Omnia enim ista non per amorem faciebant, sed per hypocrisim, sicut Dominus noster satis aperte monstravit. Necesse ergo erat ut provideretur puella virgo, in cujus amplexu verus ille David requiesceret, in cujus sinu dormiret, quæ eum jam frigescentem et senescentem in lectulo suo calefaceret.

Hanc virginem omnibus virginibus puriorem, omnibus feminis sanctiorem, omnibus viris fortiorem, sole formosiorem, igne ferventiorem, David noster sibi ipse providit, cognovit, imo ipse eam sibi talem paravit ; sed tamen per servos suos eam quærere voluit. Quæsivit eam Salomon, qui ait : *Mulierem fortem quis inveniet ?* (*Prov.* xxxi.) Quæsivit eam Isaias, et invenit, et ideo ait : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isai.* VII). Quæsivit eam Jeremias, et invenit, et miratus est, dicens : *Creavit Dominus novum super terram ; mulier circumdabit virum* (*Jerem.* xxxi). Denique quæsivit eam sanctus Gabriel ; quæsivit, invenit, cognovit, salu-

Digitized by Google

tavit, et ad veri David amplexum invitavit. Ipsa sola inventa est, in cujus sinu verus David familiarius requiesceret, cujus amplexu suavius caleſieret, cum qua in lectulo quietius dormiret, domina scilicet nostra sancta Maria, in cujus sacratissimo pectore flamma charitatis non tepuerat; quæ, sicut plus omnibus amabat, ita plus omnibus desiderabat; ideo sollicitius quærebat. Sed quem adhuc diligebat caro ejus, jam nunc diligit anima ejus. Ideo ait: *In lectulo meo quæsivi, quem diligit anima mea* (*Cant.* III). Non ait, quem diligebat anima mea; sed quem diligit anima mea. Tunc enim quodammodo diligebat caro ejus. Licet enim sanctissimam ejus animam ex toto vis divini amoris possederit, ut merito posset Sunamitis vocari (Sunamitis enim interpretatur *coccinus;* coccus autem ignei coloris est), flammam præferens charitatis, ignem rutilans divinæ dilectionis. Licet ergo ex tota anima Deum dilexerit, tamen, quia adhuc erat sollicita de sua et totius mundi salute, quam ipse debebat adhuc operari, utique per carnem ejus, id est ipsam humanitatem ejus desiderans, adhuc eum secundum carnem cogitabat, secundum carnem quærebat, ipsaque anima ejus eum secundum carnem amabat. Quæsivit quidem quem diligebat anima ejus; sed quodammodo secundum carnem, non ex toto secundum spiritum.

In lectulo, inquit, *meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea.* In ista prima ejus inquisitione sine dubio nox erat, quia nox infidelitatis tunc totum mundum occupaverat. *Quæsivi*, inquit, *et non inveni.* Quid dicemus? Nunquid non invenit? Nunquid non nostra hæc Sunamitis verum David amplexata est, non solum in lectulo cordis ejus, sed in lectulo carnis ejus? Quid est ergo: *Quæsivi eum, et non inveni?* Cogitate ergo, quia ista verba non conveniunt illi, secundum illud tempus, quo secundum carnem Filium Dei sapiebat, sed secundum hodiernum tempus, quo in cœlum ascendit. Ideo quasi de præterito narrat, dicens: *In lectulo quæsivi quem diligit anima mea.* Et videte quam subtiliter ipsam inquisitionem ponit præteriti temporis. *In lectulo*, inquiens, *meo quæsivi;* ipsam autem dilectionem ponit præsentis temporis, ac si diceret: Tunc quæsivi, quem modo diligit anima mea. Et addidit: *Quæsivi eum, et non inveni.* Sed quomodo non invenit, quæ illum in utero concepit, quæ castis visceribus peperit, quæ illum suis pavit uberibus, sacris amplexibus fovit, quem virgo concepit, virgo peperit, quem post partum virgo nutrivit? Unde pulchre de Abisag Sunamite Scriptura ait: *Rex vero non cognovit eam* (*III Reg.* I). Nusquam legimus Abisag, nisi virginem. Nam et Adonias frater Salomonis, qui eam incestare temerario ausu voluit, mortis sententiam excepit. Virgo itaque Abisag ante regis amplexum, virgo in regis amplexu, virgo post regis amplexum. Videtisne quam lucide in hac sanctissimæ virginis beatissimæ Mariæ virginitas commendatur: quæ et ante regis conceptum, in quo Dei Filius carnem de carne virginis mirabilis unitatis univit amplexu, virgo existens, ipsius virginitatis signaculum nec in conceptu perdidit, nec in partu resignavit, post partum quoque integerrimum custodivit? Vultis adhuc audire quid de excellentia Abisag Sunamitis sapientissimus Salomon senserit? Petenti siquidem Bethsabee, ut daretur Abisag Adoniæ, respondit Salomon: *Cur postulas Abisag Sunamitem Adoniæ? postula ei et regnum* (*III Reg.* II). O miræ excellentiæ virginem, cujus qui meretur amplexum, meretur simul et regnum! Quare? Quia huic nostræ Sunamiti nonnisi regis congruebat amplexus: cui ejus castissimus uterus servabatur; cujus mens, Spiritu sancto operante, parabatur. Quomodo ergo eum Abisag non invenit, quem in lectulo cordis quæsivit, et in lectulo carnis suscepit?

Videte, fratres, et si potestis cogitate et conjicite, quantum hodie de dulcissimo filio suo senserit, ad quantam gloriam pervenerit, quam perfecte eam divinitatis ejus amor et notitia absorbuerit, ut ante hoc tempus dicat se non invenisse, quem tamen eam constat de suo utero genuisse. Ista diximus de prima ejus inquisitione: iterum quæsivit eum post passionem ejus, post mortem ejus. Ista plane inquisitio fuit plena doloris et anxietudinis. Tunc enim impletum fuit de illa, quod prophetaverat sanctus Simeon: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II). Gladius doloris, gladius tristitiæ, gladius compassionis. Quanta tunc flumina lacrymarum de illius castissimis oculis eruperunt, cum videret filium suum et talem in cruce pendere, potari felle, ab impiis irrideri! cum quanto dolore audivit: *Mulier, ecce filius tuus* (*Joan.* XIX), ut scilicet susciperet discipulum pro filio! Utique tunc gladius doloris pertransivit animam ejus, *pertingens* pene *usque ad divisionem animæ* et corporis ejus (*Hebr.* IV). Tunc sine dubio quæsivit, quem diligit nunc anima ejus; quæsivit affectu, quæsivit desiderio; ita quod ipsa non effugerit hoc quod gemebat Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Galat.* V). Ex carnali namque affectu non dubito eam tunc voluisse filium suum ab illa morte liberare, Judæorum irrisiones confutare, vel etiamsi posset, ipsam mortem subire. Tunc quoque nox erat, quia nimia adversitas omne ejus gaudium obscurabat: nimia tristitia pene in ejus morte vim rationis absconderat. Quæsivit ergo tunc, sed non invenit; quia non est impleta carnalis illa voluntas ejus, qua volebat, ut non pateretur filius ejus, sed spiritualis, qua volebat, ut per mortem filii ejus impleretur æterna salus ejus. Tertio cœpit eum quærere post ascensionem ejus. Quæsivit, ut credo, duobus modis. Vivebant enim adhuc in memoria ejus illa quæ corporaliter de illo viderat; cogitabat delectabilem ejus conversationem, suavem sermonem, gratum aspectum, dulcissimum compassionis affectum: et quia adhuc in corpore vivebat, sæpe etiam quæ-

Digitized by Google

rebat corporalem præsentiam ejus. Aliquando autem ad sublimiora se conferens, et cœlestem illam conversationem mente pertractans, solebat animo terrena omnia fastidire, toto affectu cœlestia suspirare et solo corpore in terra existens, ibi conversari corde, ubi cogitabat filium suum super omnia regnare. Et tunc quidem nox illi erat absentia filii sui; illud quoque claustrum corporis sui, cujus tunc vinculo detinebatur, ut ex toto non posset filii sui amplexibus inhærere. His ergo noctibus primo adventum ejus, deinde in passione ejus, postmodum peracta ascensione ejus, quæsivit quem diligit anima ejus. *Quæsivi*, inquit, *et non inveni*, et adjecit : *Surgam, et circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram, quem diligit anima mea* (*Cant.* III).

Civitatem hic intelligo Jerusalem cœlestem, cujus plateæ secundum prophetam sternuntur auro mundo, per cujus vicos cantatur, *Alleluia*. Sed quid est, quod dicit : *Surgam, et circuibo civitatem?* Si auderem, dicerem, beatissimam Dei genitricem Mariam carnem primo reliquisse, deinde in ipsa carne in æternam vitam resurrexisse. Sed, licet hæc non audeam affirmare; quia non habeo, unde possim, si quis resistat, convincere; audeo tamen opinari : affirmare autem indubitanter audeo, quia hodierna die beata Virgo sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, cœlum conscenderit, omnem illam cœlestem civitatem mentis vivacitate circuierit. Hodierna plane die illam cœlestem curiam intravit, candidas stolas virginum, roseas coronas martyrum, thronos apostolorum, et in iis omnibus filium suum regnare invenit. Quare ergo dicit adhuc : *Quæsivi illum, et non inveni?* Recogitate, fratres, hoc, quod paulo ante dixi. Nam et in prima illa ejus inquisitione, qua quæsivit eum, sed hodierna die eum tam perfecte, tam beate invenit, ut prius non invenisse merito fateatur. Sic et hic. Ultra enim omnem sanctorum celsitudinem conscendens, ad tantam Divinitatis notitiam pervenit, ut tunc primum se eum invenisse glorietur. Unde ait : *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem* (*ibid.*). Vigiles sunt angeli, qui custodiunt civitatem Dei, scilicet sanctam Ecclesiam, et protegunt ab incursionibus et insidiis diaboli. Et utique, fratres, certum est, omnem angelorum exercitum venisse hodie obviam beatissimæ Mariæ. Invenerunt eam in mundo, et tulerunt eam de mundo. Sed illa licet vidisset claritatem angelorum, et eorum gloriam et beatitudinem, tamen non ei sufficiebat hoc; sed magis ipsum solum desiderabat videre, quem super omnia amabat. Ideo dicit : *Num quem diligit anima mea, vidistis?* Et addidit : *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.*

O beata anima, quæ non solum patriarchas et prophetas, apostolos, martyres, confessores, atque virgines, sed etiam angelos, thronos et dominationes, cherubim et seraphim, et omnem militiam cœli pertransiit, et sic ad dulcissimum suum pervenit. Tunc perfecte invenit, quem modo diligit perfecte anima ejus. Invenit et tenuit. *Tenui*, inquit, *illum, nec dimittam.* Tenuit et tenet, et nunquam dimittet. Tenet illum amplexibus perfectæ charitatis, nec unquam poterit eum amittere; quia nunquam poterit minus amare. Erigamus ergo, fratres, corda nostra ad hanc dominam nostram, advocatam nostram. Consideremus quantam spem possumus in illam habere. Sicut enim illa est excellentior omni creatura; sic misericordior et benignior. Secure ergo illam oremus, quæ nobis succurrere potest per excellentiam, et vult per misericordiam; quatenus ipsa filium suum interpellet pro nobis, ut sicut de illa pro nobis dignatus est nasci, per illam dignetur nostri misereri, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIX.

IN NATIVITATE B. MARIÆ.

Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini : spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum : memoria mea in generationes sæculorum (*Eccli.* XXIV). Ista verba quæ modo diximus sunt scripta in quodam libro ex persona Sapientiæ. Vocat enim nos Sapientia, et dicit : *Transite ad me.* Scitis autem, fratres, quia Dominus noster Jesus Christus est Dei virtus, et Dei sapientia. Ergo ista verba sunt Christi, qui vocat nos ad se, et dicit : *Transite ad me.* Videte, fratres. Ipse stat quasi in quodam excelso monte, et videt nos in valle positos, et dicit : *Transite.* Aut murus est inter nos et ipsum, aut mare, aut aliquid tale, quod debemus transire, ut ad eum veniamus. Et ego puto, quia utrumque est inter nos et ipsum, scilicet et mare, et murus; adhuc etiam nubes. Sic enim ait quidam sanctus ad Dominum : *Opposuisti nubem, ne transiret oratio* (*Thren.* III). Ista omnia oportet nos transire, si volumus venire ad Jesum; id est murum, mare, et nubem. Debemus autem scire differentias rerum, et postea modum transeundi. Nam mare non possumus transire, nisi per lignum; murum, nisi per ferrum; nubem, nisi per lumen.

Noverimus ergo, fratres, quod mare hoc, quod est inter nos et Deum, præsens sæculum est, de quo dicit Psalmista : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus* (*Psal.* CIII). Nisi istud mare transierimus, nullo modo poterimus venire ad illum, qui ait : *Transite ad me omnes.* Alii merguntur in hoc mari, alii transeunt. Illi demerguntur, qui sine navi sunt in hoc mari, vel qui de navi exeunt, vel qui aliqua tempestate expelluntur. Navis ista, sine qua nullus potest transire hoc sæculum, est professio crucis Christi. Sine hoc ligno nullus potest transire mare. Sed alii meliorem et fortiorem habent navim, quam alii. Quasi navis est conjugium quod fit in fide Jesu Christi. Sed debilis est ista navis, et ruinosa, et recipit multum de aqua maris in sentina sua, et nisi jugiter exhauriatur, cito mergitur. Sunt enim

Digitized by Google

multæ occupationes sæculi in ista professione ; et incurrunt sæpissime, etsi non damnabilia, certe multa alia peccata : quæ nisi per eleemosynas et magna opera misericordiæ hauriantur, mergunt istam navim, ut non possit venire ad portum. Quæ tamen in ista vita est professio crucis Christi, navis est ; et potest homo per istam navim transire ad Christum. Quicunque autem post professionem conjugii cadit in adulterium, vel cætera damnabilia, exivit homo ille de navi, et ideo mergitur, et non poterit transire hoc mare, nisi forte iterum redeat ad navem suam per pœnitentiam. Est alia navis, scilicet abrenuntiatio hujus mundi. Qui enim reliquit sæculum, et tradidit se alicui sanctæ congregationi, ut sit sub regula et potestate alterius, iste intravit navim, ut transeat sæculum. Quicunque autem postea quam intraverit aliquam congregationem, iterum exivit et rediit ad sæculum ; iste exivit de navi et demergetur in mare, nisi iterum ad navim redeat. Tempestas, quæ excutit hominem de ista navi, tentatio est. Ideo vos moneo, fratres charissimi, qui elegistis vobis hunc ordinem, quasi fortissimam et optimam navim, quatenus vos in ea teneatis ; neque per aliquam adulationem vel vim patiamini vos ab hac navi educi. Adversarius enim vester diabolus circuit navim istam, et aliquando adulatur, ut vos educat, aliquando deterret. Adulatur, quando proponit vobis delicias sæculi, gloriam mundi ; quando promittit vobis longam vitam, et ostendit vobis magnitudinem misericordiæ Dei, et cætera talia. Terret, quando proponit vobis asperitatem hujus ordinis, quodammodo loquens in animo vestro, dicens : Quomodo poteris semper ista pati? Et tu habes diu vivere, et semper in ista miseria esse, semper luctari contra carnem tuam, contra cogitationes tuas, nunquam esse sine timore. Et post triginta annos per unum peccatum potes omnes istos labores perdere. Hæc sunt ejus figmenta et mendacia. Non illa audiamus. Teneamus nos in ista navi, adhæreamus cruci Jesu, ut veniamus ad illum, qui vocat nos et dicit : *Transite ad me.*

Est adhuc murus inter nos et Deum. Iste est murus, quem construximus de diversis vitiis et peccatis, et multis lapidibus, de quibus ait propheta : *Peccata vestra separant inter vos et Deum* (*Isai.* LIX). Istum murum non possumus dissipare et destruere, nisi per ferrum, et hoc acutum. Ferrum istud pœnitentia est. Ergo qui vult ut dissipentur peccata sua, quæ sine dubio sunt quasi murus inter nos et Deum, necesse habet ut se operibus pœnitentiæ tradat. Per ferrum abstinentiæ destruat libidinem, per ferrum paupertatis destruat avaritiam, per ferrum silentii destruat contentiones, per contemptum honoris et dignitatis, quasi per acutissimum ferrum, destruat invidiam, per mortificationem propriæ voluntatis destruat lasciviam mentis; et per singula exercitia, quæ sunt quasi acutissima instrumenta, singula vitia quasi durissimos lapides conterat et comminuat, et ad illum constanter transeat, A qui dicit : *Transite ad me.* Sed adhuc impedit nubes. Nubes est ignorantia, qua sæpe cæcamur, ut in multis nesciamus, quid agere debeamus. Ad illam lucernam habeamus oculos nostros, de qua dicit Propheta : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII). Verbum Dei sancta Scriptura, ipsa est lumen, et lucerna, ad quam debemus sine intermissione aspicere, ne nos impediat nubes ignorantiæ, ut videlicet ista exercitia, quæ agenda sunt, nonnisi secundum regulam S. Scripturæ, et eorum doctrinam, qui nobis verbum Dei ministrant, agamus. Ergo fratres, quia in navi estis, per quam potestis transire hoc mare magnum et spatiosum, sæculum scilicet, quia instrumenta optima habetis et acutissima, quibus potestis mu- B rum illum dissipare, qui separat inter vos et Deum; quia lucernam habetis, per quam potestis nubem ignorantiæ penetrare ; nolite stare, sed transite ad illum, qui vocat vos, et dicit : *Transite ad me.*

Sed quis hoc dicit? qui sunt quos vocat? Audite : *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Plane illi soli possunt transire ad illum, qui concupiscunt illum. Non ergo illi qui concupiscunt aurum, vel argentum, vel divitias mundi hujus, vel honores, possunt transire ad Christum. Ideo, fratres, concupiscite Christum, et sic transite ad Christum. Sed quid est, transire ad Christum ? Tres sunt transitus ad Christum ; unus in ista vita, alius post mortem, tertius in die judicii post resurrectionem. In ista vita C debemus transire ad Christum, id est ad illum imitandum. Post istam vitam ad requiescendum cum illo. In die judicii ad regnandum cum illo. Istam vocem audivit beatissima Maria, audivit, et secuta est. Illa transivit perfecte hoc mare, de quo loeuti sumus, hunc murum, hanc nubem. Ideo perfecte venit ad ipsam Sapientiam, quæ clamat, et dicit : *Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* Ideo specialiter ista verba in ejus solemnitate leguntur. Illa concupivit Christum, ideo transivit ad Christum. Perfecte concupivit, quæ ab ipsa infantia ob ejus amorem mundum contempsit, desideria carnis amputavit, omnem gloriam mundi pro nihilo duxit. Nec miremini quod dixi, quia ab infantia concupi- D vit Christum, cum Christus nondum fuerit natus, quando de Moyse dicit Apostolus : *Majores divitias arbitrans thesauris Ægyptiorum, improperium Christi* (*Hebr.* XI). Multum ante nativitatem Christi fuit Moyses, et tamen intuitu passionum Christi elegit passiones sustinere, quam in Ægypto regnare. Ita beatissima Maria, quia sciebat, quod nasciturus erat Christus, cœpit imitari conversationem ejus; quamvis non adhuc videretur in terra conversatio ejus; sicut Moyses jam imitabatur passionem ejus, quamvis non esset facta passio sua, sicut fecit beata Maria, quæ ita perfecte transivit ad Christum corde, ut etiam ad illam transiret, et maneret in illa etiam corpore. Hoc significabat, quod Maria quæ soror Aaron vocabatur, præcedebat filios Israel,

Digitized by Google

quando transierunt mare Rubrum, et præcedebat cum tympano (*Exod.* xv). Quia sine dubio beatissima Maria, vera scilicet Maria, cujus typum illa Maria tenebat, præcedit omnes qui transierunt hoc mare, id est præsens sæculum. Præcedit dignitate, præcedit sanctitate, præcedit puritate, præcedit etiam carnis mortificatione, id est cum tympano. Sed etiam in hoc præcessit, quia prima omnium transivit : illa enim prima fuit de omni humano genere, quæ maledictionem primorum parentum evasit. Ideo audire meruit ab angelo : *Benedicta in mulieribus* (*Luc.* i), id est cum omnes mulieres sub maledictione sint, tu sola inter eas mirabilem hanc benedictionem mereris. Ergo, fratres charissimi, imitemur, quantum possumus, beatissimam dominam nostram ; concupiscamus sapientiam, transeamus ad Sapientiam, quæ clamat et dicit : *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini.*

Quæ sunt generationes sapientiæ? Potest dupliciter intelligi, videlicet generationes, quibus ipsa generatur in nobis, vel generationes, quas ipsa generat in nobis. Hodie lectum est in Evangelio : *Liber generationis Jesu Christi* (*Matth.* i). Et sicut postea dicit evangelista : *Ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim* (*ibid.*), et cætera, usque ad Christum. Hæ sunt ergo generationes Christi, et si Christi, utique sapientiæ. Sed hæ sunt generationes quibus ipsa Sapientia generatur in nobis, sed secundum corpus. Forte autem secundum has generationes spiritualiter nobis nascitur adhuc sapientia. Ergo, si possumus intelligere : *Et a generationibus meis implemini*, id est ut habeamus in nobis spiritualiter Abraham, Isaac et Jacob, Judam et cæteros sanctos patres, secundum quos narrantur generationes sapientiæ, id est Christi ; quia sine dubio de istis nascitur sapientia. Si ergo volueris, ut Christus nascatur in te, habe et imple te generationibus sapientiæ, id est Christi. Quomodo? Habe in te Abraham, Isaac et Jacob, et cæteros tales, in quibus describuntur generationes Christi ; Abraham fuit in fide perfectus, Isaac fuit filius promissionis. Jacob facie ad faciem Dominum vidit. Habete ergo in vobis perfectam fidem, et habebitis spiritualiter Abraham. Sperate promissiones futurorum, contemnite delectationes præsentium, et habebitis Isaac. Festinate, quantum potestis, ad Dei visionem, et habebitis Jacob. Item, si fueritis Spiritu ferventes, habebitis Abraham ; si spe gaudentes, Isaac ; si fueritis in tribulatione patientes, Jacob. Nam Abraham ita spiritu fervebat, ut unicum filium suum Deo voluerit immolare. Isaac interpretatur *risus*, ideo significat gaudium, quod debemus habere in spe ; Jacob laboris patiens fuit, sicut ipse dixit ad Laban : *Die noctuque æstu urebar et gelu, et sic per viginti annos servivi tibi* (*Gen.* xxxi). Sic, si omnes patres istos, de quibus hodie loquitur Evangelium, spiritualiter habuerimus in nobis, tunc erit hoc, quod dicit Sapientia : *Et a generationibus meis implemini.* Quod si velis hic intelligere illas generationes, quas ipsa Sapientia generat in nobis, cogita, quia sapientia est mater et doctrix omnium virtutum. Nam, sicut de illa scriptum est : *Sobrietatem docet, et prudentiam, et justitiam et virtutem* (*Sap.* viii). Hæ sunt primæ generationes sapientiæ : quatuor scilicet principales virtutes, quas etiam gentiles philosophi potuerunt, ratione docente, cognoscere, scilicet temperantia, quæ hic appellatur sobrietas, prudentia, justitia, et fortitudo, quæ hic virtus nominatur.

Ex his generationes aliæ nascuntur, et ex his aliæ quibus omnibus Sapientia nos vult impleri, quæ dicit : *Et a generationibus meis implemini.* Per temperantiam casti sumus ; per prudentiam bona eligimus, et mala respuimus ; per justitiam Deum et proximum diligimus ; per fortitudinem in omnibus his perseveramus. Transite ergo ad sapientiam, et a generationibus ejus implemini. *Spiritus enim meus*, inquit, *super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Palato carnis nihil dulcius sapit quam mel, palato cordis nihil dulcius quam Spiritus Dei. Sed duo quædam hic posuit, spiritum suum, et hæreditatem suam ; videtur majus aliquid tribuere hæreditati suæ quam spiritui suo : *Spiritus enim meus super mel dulcis.* Sed quid dulcius Spiritu Dei, cum ipse Dei Spiritus sit Deus? Quid excellentius, quid dulcius, quid delectabilius Deo? Sed debemus hic intelligere Spiritum sanctum, secundum hoc, quod eum nunc in nobis accipimus, sicut dicit Apostolus : *Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus spiritus* (*II Cor.* v). Hæ sunt spirituales visitationes et consolationes, quibus interim quasi quodam pignore delectemur, donec ad perfectam hæreditatem perveniamus. Quæ hæreditas in regno cœlorum est ; et convenienter ista spiritualis dulcedo qua in præsenti reficimur, comparatur melli. Apis cujus opus est mel, castissimum animal est ; non enim apes per commistionem carnalem generantur. Ideo apis significat castam et sobriam mentem ; qualem sapientia libenter inhabitat. Hæc igitur casta anima quasi apis volat per agrum Scripturarum sedula meditatione. Ibi ex dictis et exemplis sanctorum quosdam spirituales flores colligit : ex quibus fit in corde ejus mira delectatio, et magna supernæ suavitatis dulcedo ; et ita experitur, quia Spiritus Domini super mel dulcis sit : *Et hæreditas mea*, inquit, *super mel et favum.* Apta comparatio. Nonne casulæ illæ, quas soletis videre in favo, ostendunt vobis quamdam similitudinem hæreditatis illius, de qua Dominus dicit : *Multæ mansiones in domo Patris mei sunt?* (*Joan.* xiv.) Ideo addidit mel cum favo, quia in illis æternis mansionibus sempiterna et ineffabilis dulcedo est. Videte, etsi laboriosus videatur transitus usque ad sapientiam, magnus est tamen fructus : non debet vos magis labor terrere quam fructus mulcere. Labor omnino est magnus transire fluctus et tempestates

Digitized by Google

hujus sæculi, calcare omnes delicias et voluptates, A contemnere requiem et quietem carnis. Sed hic est transitus, quo pervenitur ad sapientiam hujus spiritus super mel dulcis, et hæreditas super mel et favum.

Videtur esse leve et dulce, amare honores mundi, sequi propriam voluntatem, in voluptatibus et deliciis vitam ducere; sed fructus amarus est. Inter hos fructus discernit Apostolus, ita dicens : *Stipendium enim peccati mors ; gratia autem Dei vita æterna* (*Rom.* VI). Amarus fructus mors æterna, dulcis fructus vita æterna. Illuc ducit peccatum, huc non nostra merita, sed Dei gratia. Quare? Quia totum quod transimus ad sapientiam, Dei gratiæ ascribere debemus, quæ præstat nobis virtutem, ut transire possimus. *Memoria mea in generationes* B *sæculorum*. Si haberes memoriam de auro et argento, et divitiis, usquequo potest extendi ista memoria? Si multum, centum annis. Quis enim amplius vivit his temporibus? Si cogitas de Christo, si cogitas de sapientia, ista memoria potest extendi in generationes sæculorum, id est in æternum. Semper enim erit sapientia, et semper poteris esse cum sapientia; quia, sicut scriptum est, immortalis est sapientia (*Sap.* IV). Quandiu aliquis vivit, potest forte dives esse, ideo tandiu potest durare memoria divitiarum; si quis autem ponit memoriam suam in libidine et voluptatibus carnis, quam cito finiunt, quam parvo tempore durant! In uno momento transit tota illa delectatio. Quid in de- C liciis ventris, nonne quando saturatus est dives decem ferculis aut duodecim, omnis delectatio pretiosorum ciborum abscedit? Tamen, ut breviter dicamus, nulla memoria temporalium potest extendi, nisi quandiu homo vivit; quia nullus potest cogitare se amplius habiturum ista temporalia, nisi quandiu vivit in ista vita. Sed, si cogitat de regno cœlorum, de gloria angelorum, de beatitudine, quæ est in visione Dei, in incorruptione et immortalitate; ista memoria potest extendi in generationes sæculorum, id est in æternum; quia ista manebunt in æternum. Ideo ait : *Memoria mea in generationes sæculorum.*

Ergo, fratres, ut aliquando sermonem nostrum finiamus, transeamus ista terrena et caduca, ut D perveniamus ad sapientiam et adimpleamur generationibus illius, id est illis virtutibus, quibus ipsa generetur in nobis. Experiamur, quantum possumus, quia spiritus ejus dulcis est, et hæreditas ejus super mel et favum. Auferamus, quantum possumus, memoriam nostram de ipso mundo, et cor nostrum ad æterna transferamus, ut intercedente pro nobis beatissima domina nostra sancta Maria, cujus hodie festa celebramus, quandoque ad ea, quæ æterna sunt, pervenire valeamus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XX.

IN EADEM SOLEMNITATE II.

Mirabilis est misericordia Domini nostri Jesu Christi. Ipse est judex noster, et scit, quia miseri sumus, et non possumus in judicio ejus per nos bonam causam habere. Misericors est, et vult nostri misereri, sed non potest nisi juste judicare. Quomodo ergo providit nobis? Docet nos bene vivere, et nos contra male vivimus. Per baptismum nobis primum omnia peccata donavit, et nos postea lapsi sumus. Sæpe promisimus emendationem, et tamen semper peccamus. Dat nobis locum pœnitentiæ, et nos negligimus. Et tamen super hæc omnia parcit, et quia nos indigni sumus, nec tales, quos debeat exaudire : proponit nobis amicos suos, ut eos rogemus, et per eos ad eum accedamus et ei reconciliemur. Vos scitis quia hoc solent facere homines hujus sæculi. Quando dominus iratus est illis, quærunt familiares ejus aliquando, sæpe etiam sponsam ejus : ut si forte non sunt culpabiles, libentius audiat dominus causam illorum, quando ab illo vel illa dicitur, quam dominus valde diligit; et si culpabiles sunt, per illorum precem ignoscat eis. Invenimus de quodam sancto rege, qui lætabatur quando aliquis rogabat pro illo, quem necesse habebat secundum leges punire, ut posset habere justam causam ignoscendi. Ille sine dubio imitabatur Dominum nostrum, qui, ut possit etiam juste ignoscere nobis, vult ut sui familiares orent pro nobis. Consideret modo unusquisque seipsum; videat qualis est causa sua ante Dominum. Quomodo viximus ante conspectum ejus? Certe nos homines sumus, ille Deus; nos servi, ille Dominus; nos creaturæ, ille Creator. Non Deum nostrum coluimus, sicut debuimus; non obedivimus Domino nostro, sicut debuimus; non dileximus Creatorem nostrum, sicut debuimus. Ideo, fratres, si bene consideremus nosmetipsos, non poterimus ei respondere unum pro mille, sicut dicit Scriptura (*Job* IX). Quid ergo faciemus? Nihil possumus celare ei. Nam, sicut dicit Apostolus : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* IV). Offeramus illi preces nostras. Dicamus illi : *Non intres in judicium cum* servis tuis (*Psal.* CXLII). Parum est, tamen, nostras preces tantum offerre. Quæramus illius auxilium, cujus preces nullo modo velit contemnere.

Accedamus proinde ad sponsam ejus, accedamus ad matrem ejus, accedamus ad optimam ancillam ejus. Totum hoc est beata Maria. Ideo cum jucunditate Nativitatem beatæ Mariæ celebremus; ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum. Si aliquid boni fecimus per gratiam Dei; si ipsa illud filio suo præsentaverit, non spernet. De malo quod fecimus sine dubio veniam impetrabit. Hoc est ergo nobis necessarium, ut ita nos habeamus coram illa, ut ipsa velit suscipere causam nostram. Sed quid ei faciemus? Qualia ei munera offeremus? Utinam saltem possemus reddere ei, quod debemus illi ex debito! Nos illi debemus honorem, nos illi

Digitized by Google

quando transierunt mare Rubrum, et præcedebat cum tympano (*Exod.* xv). Quia sine dubio beatissima Maria, vera scilicet Maria, cujus typum illa Maria tenebat, præcedit omnes qui transierunt hoc mare, id est præsens sæculum. Præcedit dignitate, præcedit sanctitate, præcedit puritate, præcedit etiam carnis mortificatione, id est cum tympano. Sed etiam in hoc præcessit, quia prima omnium transivit : illa enim prima fuit de omni humano genere, quæ maledictionem primorum parentum evasit. Ideo audire meruit ab angelo : *Benedicta in mulieribus* (*Luc.* i), id est cum omnes mulieres sub maledictione sint, tu sola inter eas mirabilem hanc benedictionem mereris. Ergo, fratres charissimi, imitemur, quantum possumus, beatissimam dominam nostram ; concupiscamus sapientiam, transeamus ad Sapientiam, quæ clamat et dicit : *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini.*

Quæ sunt generationes sapientiæ ? Potest dupliciter intelligi, videlicet generationes, quibus ipsa generatur in nobis, vel generationes, quas ipsa generat in nobis. Hodie lectum est in Evangelio : *Liber generationis Jesu Christi* (*Matth.* i). Et sicut postea dicit evangelista : *Ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim* (*ibid.*), et cætera, usque ad Christum. Hæ sunt ergo generationes Christi, et si Christi, utique sapientiæ. Sed hæ sunt generationes quibus ipsa Sapientia generatur in nobis, sed secundum corpus. Forte autem secundum has generationes spiritualiter nobis nascitur adhuc sapientia. Ergo, si possumus intelligere : *Et a generationibus meis implemini*, id est ut habeamus in nobis spiritualiter Abraham, Isaac et Jacob, Judam et cæteros sanctos patres, secundum quos narrantur generationes sapientiæ, id est Christi ; quia sine dubio de istis nascitur sapientia. Si ergo volueris, ut Christus nascatur in te, habe et imple te generationibus sapientiæ, id est Christi. Quomodo ? Habe in te Abraham, Isaac et Jacob, et cæteros tales, in quibus describuntur generationes Christi ; Abraham fuit in fide perfectus, Isaac fuit filius promissionis. Jacob facie ad faciem Dominum vidit. Habete ergo in vobis perfectam fidem, et habebitis spiritualiter Abraham. Sperate promissiones futurorum, contemnite delectationes præsentium, et habebitis Isaac. Festinate, quantum potestis, ad Dei visionem, et habebitis Jacob. Item, si fueritis Spiritu ferventes, habebitis Abraham ; si spe gaudentes, Isaac ; si fueritis in tribulatione patientes, Jacob. Nam Abraham ita spiritu fervebat, ut unicum filium suum Deo voluerit immolare. Isaac interpretatur *risus*, ideo significat gaudium, quod debemus habere in spe ; Jacob laboris patiens fuit, sicut ipse dixit ad Laban : *Die noctuque æstu urebar et gelu, et sic per viginti annos servivi tibi* (*Gen.* xxxi). Sic, si omnes patres istos, de quibus hodie loquitur Evangelium, spiritualiter habuerimus in nobis, tunc erit hoc, quod dicit Sapientia : *Et a generationibus meis implemini.* Quod si velis hic intelligere illas generationes, quas ipsa Sapientia generat in nobis, cogita, quia sapientia est mater et doctrix omnium virtutum. Nam, sicut de illa scriptum est : *Sobrietatem docet, et prudentiam, et justitiam et virtutem* (*Sap.* viii). Hæ sunt primæ generationes sapientiæ : quatuor scilicet principales virtutes, quas etiam gentiles philosophi potuerunt, ratione docente, cognoscere, scilicet temperantia, quæ hic appellatur sobrietas, prudentia, justitia, et fortitudo, quæ hic virtus nominatur.

Ex his generationes aliæ nascuntur, et ex his aliæ quibus omnibus Sapientia nos vult impleri, quæ dicit : *Et a generationibus meis implemini.* Per temperantiam casti sumus ; per prudentiam bona eligimus, et mala respuimus ; per justitiam Deum et proximum diligimus ; per fortitudinem in omnibus his perseveramus. Transite ergo ad sapientiam, et a generationibus ejus implemini. *Spiritus enim meus*, inquit, *super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Palato carnis nihil dulcius sapit quam mel, palato cordis nihil dulcius quam Spiritus Dei. Sed duo quædam hic posuit, spiritum suum, et hæreditatem suam ; videtur majus aliquid tribuere hæreditati suæ quam spiritui suo : *Spiritus enim meus super mel dulcis.* Sed quid dulcius Spiritu Dei, cum ipse Dei Spiritus sit Deus ? Quid excellentius, quid dulcius, quid delectabilius Deo ? Sed debemus hic intelligere Spiritum sanctum, secundum hoc, quod eum nunc in nobis accipimus, sicut dicit Apostolus : *Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus spiritus* (*II Cor.* v). Hæ sunt spirituales visitationes et consolationes, quibus interim quasi quodam pignore delectemur, donec ad perfectam hæreditatem perveniamus. Quæ hæreditas in regno cœlorum est ; et convenienter ista spiritualis dulcedo qua in præsenti reficimur, comparatur melli. Apis cujus opus est mel, castissimum animal est ; non enim apes per commistionem carnalem generantur. Ideo apis significat castam et sobriam mentem ; qualem sapientia libenter inhabitat. Hæc igitur casta anima quasi apis volat per agrum Scripturarum sedula meditatione. Ibi ex dictis et exemplis sanctorum quosdam spirituales flores colligit : ex quibus fit in corde ejus mira delectatio, et magna supernæ suavitatis dulcedo ; et ita experitur, quia Spiritus Domini super mel dulcis sit : *Et hæreditas mea*, inquit, *super mel et favum.* Apta comparatio. Nonne casulæ illæ, quas soletis videre in favo, ostendunt vobis quamdam similitudinem hæreditatis illius, de qua Dominus dicit : *Multæ mansiones in domo Patris mei sunt?* (*Joan.* xiv.) Ideo addidit mel cum favo, quia in illis æternis mansionibus sempiterna et ineffabilis dulcedo est. Videte, etsi laboriosus videatur transitus usque ad sapientiam, magnus est tamen fructus : non debet vos magis labor terrere quam fructus invitare. [illegible] omnino est magnus transire flucti[illegible]

Digitized by Google

hujus sæculi, calcare omnes delicias et voluptates, contemnere requiem et quietem carnis. Sed hic est transitus, quo pervenitur ad sapientiam hujus spiritus super mel dulcis, et hæreditas super mel et favum.

Videtur esse leve et dulce, amare honores mundi, sequi propriam voluntatem, in voluptatibus et deliciis vitam ducere; sed fructus amarus est. Inter hos fructus discernit Apostolus, ita dicens : *Stipendium enim peccati mors ; gratia autem Dei vita æterna* (*Rom.* VI). Amarus fructus mors æterna, dulcis fructus vita æterna. Illuc ducit peccatum, huc non nostra merita, sed Dei gratia. Quare? Quia totum quod transimus ad sapientiam, Dei gratiæ ascribere debemus, quæ præstat nobis virtutem, ut transire possimus. *Memoria mea in generationes sæculorum.* Si haberes memoriam de auro et argento, et divitiis, usquequo potest extendi ista memoria? Si multum, centum annis. Quis enim amplius vivit his temporibus? Si cogitas de Christo, si cogitas de sapientia, ista memoria potest extendi in generationes sæculorum, id est in æternum. Semper enim erit sapientia, et semper poteris esse cum sapientia; quia, sicut scriptum est, immortalis est sapientia (*Sap.* IV). Quandiu aliquis vivit, potest forte dives esse, ideo tandiu potest durare memoria divitiarum; si quis autem ponit memoriam suam in libidine et voluptatibus carnis, quam cito finiunt, quam parvo tempore durant! In uno momento transit tota illa delectatio. Quid in deliciis ventris, nonne quando saturatus est dives decem ferculis aut duodecim, omnis delectatio pretiosorum ciborum abscedit? Tamen, ut breviter dicamus, nulla memoria temporalium potest extendi, nisi quandiu homo vivit; quia nullus potest cogitare se amplius habiturum ista temporalia, nisi quandiu vivit in ista vita. Sed, si cogitat de regno cœlorum, de gloria angelorum, de beatitudine, quæ est in visione Dei, in incorruptione et immortalitate; ista memoria potest extendi in generationes sæculorum, id est in æternum; quia ista manebunt in æternum. Ideo ait : *Memoria mea in generationes sæculorum.*

Ergo, fratres, ut aliquando sermonem nostrum finiamus, transcamus ista terrena et caduca, ut perveniamus ad sapientiam et adimpleamur generationibus illius, id est illis virtutibus, quibus ipsa generetur in nobis. Experiamur, quantum possumus, quia spiritus ejus dulcis est, et hæreditas ejus super mel et favum. Auferamus, quantum possumus, memoriam nostram de ipso mundo, et cor nostrum ad æterna transferamus, ut intercedente pro nobis beatissima domina nostra sancta Maria, cujus hodie festa celebramus, quandoque ad ea, quæ æterna sunt, pervenire valeamus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et [illegible] per omnia sæcula sæculorum [illegible]

SERMO XX.

IN EADEM SOLEMNITATE II.

Mirabilis est misericordia Domini nostri Jesu Christi. Ipse est judex noster, et scit, quia miseri sumus, et non possumus in judicio ejus per nos bonam causam habere. Misericors est, et vult nostri misereri, sed non potest nisi juste judicare. Quomodo ergo providit nobis? Docet nos bene vivere, et nos contra male vivimus. Per baptismum nobis primum omnia peccata donavit, et nos postea lapsi sumus. Sæpe promisimus emendationem, et tamen semper peccamus. Dat nobis locum pœnitentiæ, et nos negligimus. Et tamen super hæc omnia parcit, et quia nos indigni sumus, nec tales, quos debeat exaudire : proponit nobis amicos suos, ut eos rogemus, et per eos ad eum accedamus et ei reconciliemur. Vos scitis quia hoc solent facere homines hujus sæculi. Quando dominus iratus est illis, quærunt familiares ejus aliquando, sæpe etiam sponsam ejus : ut si forte non sunt culpabiles, libentius audiat dominus causam illorum, quando ab illo vel illa dicitur, quam dominus valde diligit; et si culpabiles sunt, per illorum precem ignoscat eis. Invenimus de quodam sancto rege, qui lætabatur quando aliquis rogabat pro illo, quem necesse habebat secundum leges punire, ut posset habere justam causam ignoscendi. Ille sine dubio imitabatur Dominum nostrum, qui, ut possit etiam juste ignoscere nobis, vult ut sui familiares orent pro nobis. Consideret modo unusquisque seipsum; videat qualis est causa sua ante Dominum. Quomodo viximus ante conspectum ejus? Certe nos homines sumus, ille Deus; nos servi, ille Dominus; nos creaturæ, ille Creator. Non Deum nostrum coluimus, sicut debuimus; non obedivimus Domino nostro, sicut debuimus; non dileximus Creatorem nostrum, sicut debuimus. Ideo, fratres, si bene consideremus nosmetipsos, non poterimus ei respondere unum pro mille, sicut dicit Scriptura (*Job* IX). Quid ergo faciemus? Nihil possumus celare ei. Nam, sicut dicit Apostolus : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* IV). Offeramus illi preces nostras. Dicamus illi : *Non intres in judicium cum servo tuo* (*Psal.* CXLII). Parum est, tamen, [illegible] offerre. Quæramus illius [illegible] nullo modo velit contendere.

Accedamus proinde ad [illegible] ad matrem ejus, [illegible] ejus. Totum hoc est [illegible] ditate Nativitatem [illegible] ipsa pro nobis [illegible] Si aliquid [illegible] illud filio [illegible] quod [illegible] est [illegible] Sed [illegible] Dicam [illegible] illi [illegible]

Digitized by Google

debemus servitium, nos illi debemus amorem, nos illi debemus laudem. Nos illi debemus honorem, quia est mater Domini nostri. Qui enim non honorat matrem, sine dubio inhonorat filium. Iterum Scriptura dicit : *Honora patrem tuum, et matrem* (*Exod.* xx). Quid ergo dicemus, fratres? Nonne ipsa est mater nostra? Certe, fratres, ipsa est vere mater nostra. Per illam enim nati sumus, per illam nutrimur, crescimus per illam. Per illam nati sumus, non mundo, sed Deo; per illam nutrimur, non lacte carnis; sed illo, de quo dicit Apostolus : *Lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III). Per illam crescimus; non magnitudine corporis, sed in virtute animæ. Modo videamus qualis sit ista nativitas; quale sit illud lac, quale sit istud crescere.

Fuimus omnes, sicut creditis et scitis, in morte, in vetustate, in tenebris, in miseria. In morte, quia Dominum perdideramus; in vetustate, quia in corruptione eramus; in tenebris, quia lumen sapientiæ amiseramus, et ita omnino perieramus. Sed per beatam Mariam multo melius quam per Evam nati sumus, per hoc quod Christus de ea natus fuit. Pro vetustate recuperavimus novitatem, pro corruptione incorruptionem, pro tenebris lumen. Ipsa est mater nostra, mater vitæ nostræ, mater incorruptionis nostræ, mater lucis nostræ. Dicit Apostolus de Domino nostro : *Qui factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio* (*I Cor.* I). Ipsa igitur, quæ est mater Christi, mater est sapientiæ nostræ, mater justitiæ nostræ, mater sanctificationis nostræ, mater redemptionis nostræ. Ideo nobis magis mater quam mater carnis nostræ. Ex ipsa ergo est melior nostra nativitas; quia ex ipsa est nostra nativitas; nostra sanctitas, nostra sapientia, nostra justitia, nostra sanctificatio, nostra redemptio. Ideo cum jucunditate ejus celebremus Nativitatem, de qua habemus tam bonam nativitatem. Nunc quale lac de illa sumpsimus, videamus. Verbum Dei, Filius Dei, sapientia Dei, panis est, et solidus cibus est. Et ideo de illo soli illi qui fortes erant, id est angeli, manducabant. Nos, qui parvi eramus, non potuimus cibum istum gustare, quia solidus erat; nos, qui in terra eramus, non potuimus ad istum panem ascendere, quia in cœlo erat. Quid ergo factum est? Venit iste panis in uterum B. Virginis, et ibi factus est lac, et tale lac, quale nos sugere possumus. Considera modo Dei Filium in gremio Virginis, inter brachia Virginis, ad ubera Virginis, hoc totum lac est, hoc suge. Istud est lac, quod nobis bona mater nostra ministravit. Jam nunc considera ejus castitatem, ejus charitatem, ejus humilitatem; et exemplo ejus cresce in puritate, cresce in charitate, cresce in humilitate; et ita sequere matrem tuam. Ecce quemadmodum mater nostra est; ideo debemus illi honorem. Hoc enim præcepit Dominus, sicut diximus : *Honora patrem tuum, et matrem tuam.* Debemus etiam illi servitium, quia domina nostra est. Sponsa enim Domini nostri, domina nostra est; sponsa regis nostri, regina nostra; ideo servianus illi. Apostolus enim præcipit : *Servi, subditi estote omni timore dominis* (*I Petr.* II). Et, si ille contra præceptum Domini facit, qui non servit istis dominis carnalibus, sine dubio reprehensibiles sunt, qui spirituali huic dominæ non serviunt. Sed quomodo debemus servire illi?

Fratres, nullum servitium placet illi tantum, quantum hoc, ut nos omni amore et affectu humiliemus filio suo; quia omnis laus, omne servitium, quod exhibemus filio suo, hoc totum tenet pro suo. Nemo dicat : Quamvis faciam hoc aut illud contra Dominum, non curo multum; serviam sanctæ Mariæ, et securus ero. Non ita est. Statim ubi homo offendit filium, ibi sine dubio offendit et matrem. Sed quando volumus concordare Domino nostro post peccata nostra, tunc necessarium est ut eam requiramus, et ei nostram causam committamus. Item debemus ei amorem. Caro enim et soror nostra est. Non videatur vobis præsumptuosum quod dico. Ipse Filius Dei, quia filius hominis est, frater noster est; attamen ipse de sola matre homo; ista et de patre, et de matre. Videte modo quantum possumus præsumere de illa, quia soror nostra est. Amemus illam, quia ipsa utique amat nos. Istam utique sororem debemus amare; cujus sanctitas, cujus benignitas, cujus puritas non solum sibi, sed nobis omnibus profuit. Iterum debemus illi laudem. Dicit enim Scriptura : *Laudate Dominum in sanctis ejus* (*Psal.* CL). Si Dominus noster laudandus est in illis sanctis, per quos ille facit virtutes et miracula, quantum laudandus est in ista, in qua fecit seipsum, qui super omnia mirabilis est mirabilis! Si illi sunt laudandi, qui proponunt servare castitatem : quomodo est illa laudanda, quæ sine exemplo elegit servare virginitatem, et tamen cum virginitate obtinuit fecunditatem! Si illi laudandi, per quos Deus suscitat mortuos, quomodo est illa laudanda, per cujus sanctitatem totum mundum de morte perpetua suscitavit! Ideo, fratres, laudemus illam, et cum jucunditate Nativitatem ejus celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Deum nostrum. Sed, si voce laudamus, moribus non vituperemus. Idcirco non ficte, sed vere laudemus. Falso ille laudat, qui quod laudat, quantum potest, non vult imitari. Ille vere laudat humilitatem sanctæ Mariæ qui, quantum potest, studet esse humilis. Ille vere laudat ejus castitatem, qui exsecratur et despicit omnem immunditiam et libidinem. Ille vero laudat ejus charitatem, qui tota intentione et studio tendit ad hoc, ut possit Deum et proximum perfecte diligere.

Ideo, fratres, si volumus illam digne laudare, maxime hæc tria studia debemus habere, bonas cogitationes, sanctos sermones, et recta opera. Qui enim ista habet, quantum potest, et ad hoc tendit ut possit ista perfecte habere, ille imitatur sanctam Mariam. Ista enim tria commendat in illa Spiritus

Digitized by Google

sanctus, qui ait per Salomonem : *Favus distillans labia tua. Mel et lac sub lingua tua. Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris* (*Cant.* IV). Per labia debemus accipere verba, quia per labia loquimur. Favus est cera, quæ habet in se mel. Favus distillans, quæ habet tantam abundantiam mellis intrinsecus, ut etiam incipiat foris fluere. Ideo bene verba beatæ Mariæ possunt comparari favo currenti, quia omnia verba ejus dulcia erant; plena, non carnali dulcedine, sed spirituali. Sed multi sunt, qui habent mel in ore, non tamen favum distillantem, quia multi habent dulcia verba, sed non veniunt ex abundantia interioris dulcedinis. Isti secundum aliquid similes sunt api, quæ habet dulcedinem et punctionem. Ex una parte mel habent, quia dulce loquuntur, omnibus adulantur, voluntatem omnium sequuntur, sed hoc tantum foris. Nam in secretis suis, vel forte in cordibus suis, quos foris melle liniverint, intus detractionibus et judiciis pungunt. Non habent isti favum distillantem, quia ista dulcedo verborum non venit, ut diximus, de abundantia interioris dulcedinis. Non sic B. Maria. *Favus*, inquit, *distillans labia tua*, id est verba tua dulcia ex abundantia interioris dulcedinis. Et, ut sciamus, unde est ista dulcedo verborum, statim adjunxit : *Mel et lac sub lingua tua.* Qui voluerit sanctam dulcedinem habere in verbis suis, talem quæ Deo placeat, necesse est, ut duo habeat in cogitationibus suis et in corde suo, id est sanctitatem ad se, et compassionem ad proximos. Qui ista duo habet in corde suo, qui in istis duobus servat cogitationes suas, erunt ejus sermones pleni spirituali dulcedine. Sicut mel de diversis floribus fit, ita omnis sanctitas in multis virtutibus constat. Ideo per mel possumus intelligere sanctitatem. Lac, quoniam est signum maternæ charitatis, et nutrit parvulos, et facit matrem inclinare se ad parvulum suum; per lac intelligimus compassionem. Nihil autem magis facit hominem pie et benigne et dulciter loqui cum alio quam compassio. Sed compassio sine sanctitate remissio est.

Videte ergo quod dicitur : *Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua.* Ac si diceret : Ideo sermones tui pleni sunt spirituali dulcedine, quia veniunt de interiori sanctitate et compassione. Sub lingua sunt illa, quæ non adhuc veniunt ad linguam. Ideo dicit : *Sub lingua tua*, quasi diceret, in cogitationibus tuis. Sequitur : *Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* In vestimentis debemus accipere bona opera nostra, quia per bona opera nostra teguntur peccata nostra quasi turpitudo nostra. Ipsa etiam sunt ornamenta nostra ante Deum. In thure possumus duo considerare : bonum odorem, et divinum sacrificium. Vestimenta igitur sanctæ Mariæ comparantur thuri; quia et Deo placebant, et hominibus odorem bonæ famæ exhibebant. Multi sunt, quorum vestimenta habent bonum odorem, sed non habent odorem thuris. Quia multi sunt, de quibus forma religionis exit, A quorum opera videntur hominibus esse sancta; sed non habent odorem thuris, quoniam in Dei sacrificio eorum opera non ponuntur. Ideo, fratres charissimi, imitemur beatissimam Mariam, quantum possumus. Sint in nobis sancta meditatio, et pia erga invicem compassio, quasi mel et lac. Sint labia nostra quasi favus distillans, ut omnia verba nostra ex dulcedine charitatis procedant. Si corripimus, fiat cum charitate ; si ab illo corripimur, audiamus hoc cum charitate, ut secundum Apostolum, *omnia nostra in charitate fiant* (*I Cor.* XVI). Ex operibus nostris Deo sacrificemus per bonam conscientiam, spargamus inde bonum odorem, ut alii sumant exemplum, et sic non habeamus jucunditatem carnalem ; non de epulis, non in jocis, non B in hujus mundi pompis, sed cum omni jucunditate spirituali hodie Nativitatem B. Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXI.

IN NATIVITATE B. MARIÆ III.

Vos scitis, fratres charissimi, quia nos celebramus hodie Nativitatem dominæ nostræ sanctæ Mariæ : et ideo justum est ut gaudeamus in Domino, et ad memoriam nostram revocemus quantum gaudium nobis advenit per ejus nativitatem, quia in ejus nativitate cœpit apparere omne gaudium nostrum. Et ideo justum est ut excitemus nosmetipsos in hac festivitate ad laudandum Dominum nostrum. Sed, quia in hac nocte excitati estis per cantus, per lectiones, per psalmos, et per cætera talia quæ conveniunt festivitati, ut nihil vobis desit, volumus etiam, quantum possumus, vos excitare per sermonem nostrum. Spero autem quod, etsi illum ardentissimum vestræ devotionis affectum sermo noster non augeat, non minuet tamen. Et sicut mihi videtur, nihil aliud debet nos magis excitare ad amorem et laudem Domini nostri, et ad gaudium spirituale, quam si commemoremus vobis hoc, quod Dominus noster hodie incœpit ostendere nobis. Hodie enim nobis cœpit illam miram misericordiam suam, miram pietatem suam exhibere, D quam ante tot annos promiserat Abrahæ, scilicet quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes. (*Gen.* XXII). Hodie enim fuit natum illud semen, de quo ortus est sol justitiæ Christus Deus noster, in quo sine dubio non una gens, sed omnes gentes benedictæ sunt, quia per omnes gentes est fides Christi, et ejus benedictio. Istud semen, fratres, est beata Maria, quæ hodie nata est de semine Abrahæ : quæ tam miram benedictionem recepit a Domino, quod abstulit maledictionem mundi. Nam, sicut Evangelium quod hodie legitur narrat, certissimum est quod ipsa est de semine Abrahæ. Ibi enim legimus : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* I). Unde scimus quod Dominus noster, qui non habuit patrem in terra, non

Digitized by Google

posset dici recte filius Abrahæ, et filius David, nisi mater ejus esset de eodem semine. Iterum ut essemus certi, quia ipse est ille, de quo Deus locutus est ad Abraham, voluit evangelista Matthæus narrare nobis totam progeniem Domini nostri, ab Abraham usque ad beatam Mariam, de qua ortus est sol justitiæ Christus Deus noster. Debemus adhuc etiam considerare, quia non solum ad hoc tendebat evangelista, ut nobis simpliciter ostenderet illos patres, de quibus natus est Christus, et carnalem ejus progeniem sciremus; sed etiam ut de carnali ejus progenie spiritualem fructum capiamus. Quia, si ad nihil aliud ostenderet evangelista, quare faceret illas tres distinctiones, id est in unaquaque distinctione poneret quatuordecim generationes, id est quatuordecim nomina? Sic enim dicit: *Ab Abraham usque ad David, quatuordecim generationes; a David usque ad transmisgrationem Babylonis, generationes quatuordecim. A transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim* (*ibid.*). Et quia noluit hunc numerum excedere, sed istas distinctiones servare, ideo omisit numerare quosdam patres et filios, qui pertinent ad istam progeniem, et transivit de patre ad tertium nepotem. Et ideo per illos patres et filios, per quos Christus descendit ad nos, debemus aliquid spirituale intelligere, et notare quosdam gradus, quibus debemus ascendere ad ipsum. Ideo videamus, quomodo narrat istam progeniem.

Ille incipit ab Abraham, et descendendo pervenit ad Dominum nostrum. Sicut videtur, per istam descensionem, qua Dominus noster descendit ad nos, voluit ostendere nobis quamdam ascensionem, qua debemus ascendere ad ipsum. Ideo enim ille descendit, ut nos ascenderemus. Ideo pro nobis pauper factus est, ut divites faceret. Evangelista autem incipit istam descensionem ab Abraham. Abraham autem interpretatur *pater excelsus*, per quem potest significari ille, qui vere excelsus pater est, id est Dominus Pater Domini nostri Jesu Christi. Inde, id est de sinu Patris excelsi descendit Dominus noster ut veniret ad nos. Per hoc autem venit ad nos, quod homo factus est inter nos. Et per hoc quod homo est, utique filius Mariæ est. Ideo in fine hujus descensus ita ait evangelista: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* (*ibid.*). Ergo, fratres charissimi, si volumus illuc ascendere, unde ille descendit ad nos, id est ad Patrem excelsum, hic incipiamus nostrum ascendere, ad filium Mariæ, id est ad humanitatem Christi, et sic ascendamus ad ejus divinitatem. Ipse est enim via, sicut ipse ait: *Ego sum via* (*Joan.* XIV). Sine ista via, nullus potest pervenire ad Patrem excelsum. Ideo ait: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*ibid.*). Nemo enim potest aliquod bonum incipere, nisi incipiat a Christo. Ipse est enim fundamentum omnium bonorum, sicut dicit Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Jesus Christus* (*I Cor.* III). Sed, quia nos in profundo sumus, ille autem ad quem ascendere debemus, valde altus est; non possumus nisi per quosdam gradus illuc pervenire. Istos gradus spirituales, per quos debemus ascendere, possumus, ut diximus, notare in istis patribus, per quos Dominus noster descendit ad nos, ut ad illum ascenderemus. Ideo, sicut ille ab Abraham, id est Deo Patre descendit ad nos per istos patres secundum carnem; ita et nos per istos patres spiritualiter intellectos ad ipsum Deum Patrem ascendamus. Et primum videamus, quid significent istæ tres distinctiones, quas evangelista fecit.

Puto quod per has tres distinctiones debeamus accipere tres status, in quibus sunt omnes qui volunt per istos gradus ascendere illuc, unde Christus descendit ad nos. Primus status est nostra conversio; secundus nostra purgatio; tertius nostra exspectatio. Sic debet unusquisque proficere. Primo enim homo convertitur ad Dominum a sæculi hujus vanitate; postea purgatur a vitiis, quæ contraxit ex mala consuetudine. Et postquam fuerit purgatus a vitiis, quantum humana fragilitas permiserit, tunc debet cum magno desiderio solutionem suam exspectare; quando debeat de hoc corpore exire, et ad Christum venire et secure suum præmium recipere. Sed, si homo vult ad istum summum gradum ascendere, primo debet esse perfectus in primo, et postea in secundo, et sic ascendere ad tertium. Ideo oportet ut quicunque convertitur ad Dominum, non timide aut tepide convertatur. Ille timide et tepide convertitur ad Dominum, qui, quando relinquit sæculum, non vult perfecte omnia sua deserere; sed contra Domini præceptum sollicitus est de crastino, et aliquid sibi reservat, et de sua substantia; incipit aliquam novellam habitationem ædificare, et timet ne possit pati illam districtionem, quæ est esse sub alterius imperio; et incipit per se vivere, et suimet curam habere, et prius esse magister quam discipulus. Ille etiam tepide se convertit ad Deum, qui, quamvis relinquat omnia quæ habet, et se ponat sub alterius potestate, aliquem locum eligit, et ibi se ponit, ubi habeat tantas delicias, vel etiam plures, quam habebat in sæculo. Sed et ille tepide convertitur ad Deum, qui in quacunque domo fuerit, quantum potest, semper trahit ad quietem et delicias carnis, et nihil curat, nisi ut quocunque modo possit remanere in domo, ad quam venit. Iterum in purgatione nostra debet esse perfectio, ut non sufficiat nobis, si illas abominationes, quas fecimus in sæculo, relinquamus, et tamen ira, invidia, detractione, murmuratione, occultis etiam sordibus, oculus cordis nostri maculetur. Iterum in exspectatione nostra debet esse quædam perfectio, id est perseverantia usque in finem, et semper fervens desiderium. Istas perfectiones possumus intelligere per tres tessaredecades.

Sed quare posuit istum numerum, id est quatuordecim in unaquaque distinctione? iste numerus

Digitized by Google

significat perfectionem. Decem enim et quatuor significant legem et Evangelium, in quibus est omnis perfectio. Decem significat perfectionem legis, propter decem præcepta, quæ erant in lege. Quatuor significat perfectionem Evangelii, propter quatuor libros evangelistarum. Ideo autem posuit evangelista istum numerum, qui significat perfectionem, quia in unoquoque statu debet homo esse perfectus, quia utique perfecta debet esse conversio nostra. Nam si in isto statu non fuerimus perfecti, nullomodo possumus ad illum alium statum pervenire. Nisi enim voluerimus perfecte ad Dominum ab hoc sæculo converti, nequaquam poterimus a vitiis nostris purgari. Et nisi perfecte a vitiis nostris purgati fuerimus, nullo modo possumus secure præmium cœleste exspectare. Sed quoniam nec ad primam perfectionem, quæ est in conversione, nec inde ad alias potest homo statim pervenire, ideo debet quasi per quosdam gradus ascendere donec perveniat illuc, unde Dominus noster descendit ad nos. Jam nunc ergo, fratres, ascendamus et a Christo incipiamus, ut ad Christum perveniamus. A Christo incipiamus, secundum quod homo est; et ad Christum perveniamus, ubi cum Patre excelso unum est. Et si volumus per istos patres, quos commemorat Evangelium, accipere illos gradus spirituales per quos debemus ascendere, debemus primo incipere a Joseph, et ita sursum versus pervenire usque ad transmigrationem Babylonis. Nam isti sunt gradus, qui pertinent ad primum statum :

Joseph interpretatur *augmentum*. Scire debemus quod Dominus creavit rationalem creaturam ut esset particeps beatitudinis illius, ita ut nihil aliud illi posset sufficere ad beatitudinem, nisi solus Deus. Et hæc est tota perfectio rationalis creaturæ, et omne bonum adhærere illi. Et ideo recedens ab eo, tendit ad nihilum. Et hoc modo omne detrimentum hominis fuit, recedere a Deo. Idcirco, quando homo convertit se ad Deum, tunc incipit augmentum ejus. Et ideo si volumus ad ipsum ascendere, primum est ut convertamur ad eum et sic incipit augmentum nostrum, quod possumus intelligere per Joseph, qui interpretatur *augmentum*. Dominus noster Jesus Christus, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit* (*Philipp.* II), et descendit usque ad infirmitatem nostram. Sed quia *quod infirmum est Dei fortius est hominibus* (*I Cor.* I), ideo ubi ille devenit ad defectum nostrum, ibi incœpit augmentum nostrum. Sed quia ab illa magna claritate cecidimus in istas tenebras, ab illa magna quiete, quam primus homo habuit in paradiso, cecidimus in hoc mare magnum et spatiosum, ubi abundant ventus tentationum, fluctus persecutionum, et in hanc noctem, in qua transeunt omnes bestiæ silvæ (*Psal.* CIII).

In hoc etiam mari sunt reptilia, quorum non est numerus (*Psal.* XXXIX), id est maligni spiritus, qui semper intendunt ad nos decipiendos ; et inter ista omnia mala et pericula oportet nos illuc ascendere, unde cecidimus ; et in ista nocte debemus ascendere, et a mari ascendere ; necesse habemus ut habeamus aliquam lucem quæ nos illuminet, per quam ipsos gradus possimus ascendere. Ideo orta est nobis hodie stella quædam, domina scilicet nostra sancta Maria, quæ interpretatur *stella maris*, sine dubio stella istius maris, videlicet istius sæculi. Et ideo debemus erigere oculos nostros ad istam stellam, quæ hodie apparuit in terra, ut ipsa nos ducat, ut ipsa nos illuminet, ut ipsa nobis ostendat istos gradus, ut eos cognoscamus, ut ipsa nos consoletur, ne ascendendo deficiamus, ut ipsa nos adjuvet, ut ascendere valeamus. Et ideo pulchre in ista scala, de qua loquimur, ubi nos debemus incipere ascendere, ibi posita est Maria, sicut dicit evangelista, *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ* (*Matth.* I), ut statim in ipsa prima conversione nostra ipsa nobis appareat, et recipiat in sua custodia, et illuminet luce sua, et comitetur nobis in ista via laboriosa. Igitur, illa illuminante et docente per omnia, qui incepimus converti ad Deum, ipsam conversionem ducamus ad perfectionem, et incipiamus a Joseph, ubi incipit augmentum nostrum ; et proficiamus et ascendamus, donec pertranseamus transmigrationem Babylonis, ut qui fuimus per vitia et peccata captivi sub potestate Nabuchodonosor in Babylone, id est in confusione, liberemur per gratiam Christi, ad quem conversi sumus : et ita cum perfecte convertendo ad Deum redierimus a Babylone, transeamus ad secundum statum, et incipientes nosmetipsos purgare, ascendamus de gradu in gradum, donec veniamus ad Salomonem, qui interpretatur *pacificus*, ut, scilicet purgati a malis passionibus, habeamus in nobis quamdam pacem et tranquillitatem, et sic ingrediamur tertium statum, qui incipit a David, qui interpretatur *desiderabilis* ; ut et nos desideremus, et ardeamus videre illum desiderabilem vultum Creatoris nostri, et in ipso desiderio nostro perveniamus ad Patrem Abraham, ad Deum scilicet excelsum, et videamus eum in Sion.

Sed quia longum est, si velimus ista omnia nomina percurrere, et in singulis istos gradus quærere ; hoc videamus, ad quam perfectionem debemus in singulis istis tribus statibus pervenire. Et hoc primum videamus, ut fundamentum positum sit, id est fides Christi. *Sine fide* enim *impossibile et placere Deo* (*Hebr.* XI). Postea vero diligenter consideremus, ut semper habeamus ante oculos nostros istam stellam, quæ hodie apparuit in terra, ne deficiamus propter tenebras hujus noctis, in qua sumus, et sic incipiamus ascendere in primo statu, ut conversio nostra perfecta sit.

Iste status incipit a Joseph. Joseph, ut diximus, interpretatur *augmentum*. Quid significat hoc augmentum, dicit Dominus in Evangelio : *Quis volens turrim ædificare, non prius sedens cogitat, si habeat sumptus ad perficiendum* (*Luc.* XIV)? Turris ista est

Digitized by Google

perfectio, ad quam debemus ascendere. Oportet ergo ut, qui voluerit istam turrim spiritualiter ædificare, augeat sibi expensas unde possit perficere, ut sit in isto primo gradu, id est augmento. Sed quæ est ista expensa? Dubitaremus dicere, nisi ipse Dominus prius dixisset, oportere sumptus computare ad istam spiritualem ædificationem; statim in fine hujus Evangelii, de quali sumptu loqueretur ostendit, dicens : *Sic qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus* (*ibid.*). Mira res. Homines hujus sæculi, si volunt aliquid ædificare magnum, non solum servant ea quæ habent, sed etiam multa congregant et acquirunt. Sed ille qui vult spiritualem ædificationem facere, non solum non debet id quærere quod non habet, sed etiam id quod habet relinquere. Quod ergo illis videtur detrimentum, hoc est nostrum augmentum. Quanto enim magis minuuntur pro Christo istæ corporales divitiæ, tanto magis augentur spirituales. Ideo nobis, qui desideramus ascendere et spiritualem turrim ædificare, primum est positus ante nos Joseph, id est augmentum, ut scilicet terrenas divitias abjiciamus, et sic spirituales divitiæ nobis augeantur. Scire autem debemus quia temporales divitiæ et occupationes mundi sunt quasi quædam vincula, quibus diabolus tenet homines ligatos, ut non possint libere ascendere scalam Dei. Ideo quidam dives, quia audivit a Domino : *Vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX), abiit tristis. Quare autem abierit tristis, evangelista nobis ostendit, qui ait : *Erat autem habens multas possessiones* (*ibid.*). Tenebat eum ligatum diabolus occupationibus mundi, quasi quibusdam vinculis. Ideo tristis fuit. Videbat enim quid illum oporteret facere, sed quia erat his vinculis ligatus, non poterat se sine magna tristitia expedire. Qui ergo projecerit propter timorem Dei et amorem divitias hujus mundi, facile potest scalam Dei ascendere et diabolum supplantare. Quia nullomodo potest homo levius supplantare diabolum, quam per timorem Dei, quasi acuta novacula, abscindere vincula, quibus diabolus tenet eum ligatum. Sed quia quando homo incipit converti ad Deum a peccatis suis, timor nimius vult aliquando ducere eum ad desperationem : ideo ascendat superius, et respiciat ad illum qui vere misericors est, et totam spem suam in eam ponat, et eum super omnia diligat; quia omnibus qui convertuntur ad eum sine ulla dubitatione donat omnia peccata.

Dicit Salomon in Proverbiis : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). Non enim curat diabolus tentare hominem, quem in potestate sua habet. Qui enim propriæ concupiscentiæ in omnibus obedit, et satisfacit desideriis carnis suæ, non curat diabolus ad illum accedere; sed si cœperit ipsas concupiscentias abjicere, et niti contra desiderabilia carnis suæ, tunc dolet diabolus, et aggreditur eum acriori certamine. Is quem dialolus impugnat, non deficiat; sed superius ascendat, et diabolum, et omnia ejus argumenta despiciat, et dicat : *Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum* (*Psal.* XVII). *Si* enim *Deus pro nobis, quis contra nos?* (*Rom.* VIII.) Ponit diabolus ante oculos divitias mundi, quas abjecit homo, et vult eum facere redire ad vomitum suum. Sed ille cum omni fiducia dicat : *Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum.* Et sic consideret, quia si delectabilia sunt terrena et transitoria, sine ulla dubitatione delectabilior est ille, qui fecit non solum ista terrena, sed et omnia dona pulchra, et cœlestia et terrena, et pro ejus amore omnia contemnat et dicat : Deus meus, divitiæ meæ, honor meus, thesaurus meus, et omnia bona mea. In isto gradu jam perfecte contemnuntur omnes divitiæ; quia, quando homo considerat pulchritudinem Creatoris sui, parum ei videtur quidquid reliquit in sæculo. Sed jam, calcatis divitiis, quia illæ non possunt impedire quin convertatur ad Deum, incipiunt impugnare carnales affectiones, scilicet patris et matris, fratrum et amicorum. Iste locus est valde periculosus. Quando enim homo vult relinquere sæculum, et converti ad Deum, obstant omnes, retinent, clamant. Relinquis nos? Quis in senectute sua sustinebit patrem tuum? Quis consolabitur matrem tuam viduam desolatam? Quis adjuvabit fratres, sorores, parvulos, qui omnes attendunt ad te? Hæc si non dicantur foris, ipsa tamen carnalis affectio vel diabolus dicit in corde. Ex alia parte occurrunt familiares, amici, et socii, cum quibus valde dulciter vixit, et dicunt : Ita relinquis nos? Ita dividemur? Sed qui ascendit scalam istam spiritualem, et vult cantare canticum graduum, dicat : *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa* (*Psal.* CXIX). Et iterum : *Narrant mihi iniqui delectationes; sed non ut lex tua, Domine* (*Psal.* CXVIII).

Istæ certe affectiones, quasi quædam nubes obscurant animam, et abscondere nituntur omnem spiritualem delectationem. Sed debemus hic maxime cogitare hanc stellam nostram, quæ nobis luceat in hac nocte, in hac obscuritate. Debemus considerare radium, qui de ista stella ortus est; qui quodammodo obscuratus est propter nos, ut nos liberaret ab his obscuritatibus. Ipsum ponamus contra omnes carnales affectiones, et ipsum consideremus patrem, fratrem, matrem, amicum. Patrem, quia erudit nos; matrem, quia consolatur nos, et lacte dulcedinis suæ nutrit nos; fratrem, quia carnem de carne nostra assumpsit; amicum, quia sanguinem suum fudit pro nobis. Hæc est recta via. Sed hic cavendi sunt latrones, qui se abscondunt, et plerumque incautos feriunt. Hic solet latere leo in insidiis, ille qui circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* V); et quem non potest per suum gladium vulnerare, solet per ipsius arma, quem tentat, appetere. Tela illius sunt vitia, quibus nos aperte impugnat. Arma nostra sunt virtutes, quibus ei resistimus. Ideo, quando

Digitized by Google

non potest per aperta vitia, quæ sunt ejus tela, A destruere, vult de nostris armis nos occidere. Nititur enim animo nostro persuadere ut in nobis ipsis gloriemur, quasi nostra virtute divitias reliquerimus, et nostra virtute affectiones omnes contempserimus. Contra hanc pestem debemus ascendere, ut unusquisque, quando profecerit, meminerit se a Domino adjutum, et non per propriam virtutem ad aliquod bonum pervenisse, vel pervenire posse, et non in se, sed in Domino glorietur. Ipse est enim qui operatur in nobis et velle, et posse, pro bona voluntate. Unde dicit Apostolus : *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV.)

Ergo qui vult perfecte converti ad Dominum, sic ascendat de gradu in gradum, donec perveniat ad B transmigrationem Babylonis. Sicut autem in descensione intelligitur illa transmigratio quæ facta est de Jerusalem in Babylonem, ita in ascensione debemus intelligere illam transmigrationem quam facere debemus de Babylonia versus Jerusalem. Hæc est conversio perfectionis nostræ, ut Babyloniam relinquamus. Babylon interpretatur *confusio*. Quandiu homo habet cor suum vel in divitiis hujus mundi, vel in deliciis, vel in amore carnali parentum et amicorum suorum, et in propria voluntate, utique in Babylone est, id est in confusione. Quia in corde, ubi ista sunt, sine dubio magna confusio est, et parva pax. Ideo ut perfecta sit nostra conversio, omnia ista abjiciamus, et de Babylone per- C fecte transmigremus. Et non solum transmigremus, sed et magistri Babylonis efficiamur. Magnum est enim, fratres mei, magistrum esse Babylonis. Videte, quæso, magnum mysterium. Omnes filii Israel, qui erant in Jerusalem, ducti sunt captivi in Babylonem; facta est tamen in ipsis captivis quædam divisio. Alii serviebant ipsis Babyloniis, et alii facti sunt magistri in ipsa Babylone et Babyloniis imperabant. Constituti sunt enim Daniel, Ananias, Azarias et Misael, principes super omnes satrapas regis Babylonis, omnes tamen captivi. Hæc, ut ait Apostolus, *in figura facta sunt nostri* (*I Cor.* X). Omnes enim, fratres mei, omnes omnino tenemur captivi in Babylone, id est in confusione. Quis enim se liberum ab hac captivitate pronuntiet, cum D Paulus dicat : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati?* (*Rom.* VII.) Ecce illa miserabilis captivitas. Omnes gemunt, qui non more phreneticorum gaudent. Babylonici, a quibus captivi tenemur, ipsæ sunt concupiscentiæ. Sed bonum est, fratres mei, ipsis Babylonicis imperare. Miserum quidem est inter ipsos vivere, sed miserrimum est ipsis servire. Sed plures serviunt, pauci imperant. Illi quippe in Babylone Babylonicis serviunt, qui in ista misera captivitate de qua locuti sumus ipsis concupiscentiis, ipsis desideriis carnis obedientes, præbent membra sua arma iniquitatis peccato. Illi imperant, qui ipsas concupiscentias comprimunt, qui membra sua bene regunt, ut non regnet peccatum in eorum mortali corpore (*Rom.* VI), et sint magistri confusionis suæ, et non servi.

Quod quia suis viribus nemo sufficit implere, clamemus cum Apostolo : *Quis nos liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Sic clamor meus semper sit ad Deum. Oculi nostri semper ad Deum, et sic intremus in alium statum. Nam, licet hæc perfecte fecerimus, et divitias et delicias, et omnes affectus carnales, et nostram propriam voluntatem abjecerimus, tamen adhuc nos impugnant vitia nostra, ira, impatientia, superbia, luxuria, et cætera hujusmodi. Ideo ingrediamur in alterum statum, et incipiamus nosmetipsos purgare a vitiis nostris per labores, per vigilias, per jejunia, per orationes, per compunctionem, per lectionem, per meditationem. Sed quia nihil tantum valet ad nostram purgationem, quantum assidua oratio ad Deum, ideo in principio hujus distinctionis ponitur Jechonias, qui interpretatur *præparatio Domini*, ut sciamus et memoriæ commendemus, quia nos non sufficimus nosmetipsos præparare, neque purgare; sed hoc quod convertimur ad Deum, huic sæculo abrenuntiando, quod purgamur proficiendo, oportet ut omnis ista præparatio Domini sit præparantis nos, ut digni efficiamur Dei ipsius visione, omni finita tentatione. Sciendum sane quia, quandiu aliquid terrenæ cupiditatis cordi nostro insederit, nequaquam poterimus illud verum et delectabile bonum esurire. Qui autem hic justitiam non esurierit, nescio si aliquando illa satiari poterit. Verum licet sæculum deseruerimus, licet nos alienæ voluntati subdiderimus, licet vitiis nostris pristinis resistamus; nihil quoque de nobis præsumentes orationi insistamus; adhuc tamen quædam cupiditates ex ipsa infirmitate, quæ non est adhuc perfecte sanata, irruentes oculum cordis obscurant : verique luminis puritatem, cui inhiare oportet, intueri non sinunt.

Agendum est ergo, et omni nisu insistendum, ut minuatur ista cupiditas, sanetur ista infirmitas, charitas augeatur, qua unum verum solum dulce et vere delectabile bonum ametur ferventius, desideretur attentius, suavius degustetur. Hic quidem labor immanis oboritur, sed non est desperandum; non enim in nobis, sed in Domino speramus. A Domino speremus salutem, ut non obruat infirmitas et non vincat cupiditas, ut charitas nutriatur; et ideo illum jugiter oremus ut ipse nos præparet, et purget, et faciat nos vasa in honorem et non in contumeliam. Ab isto autem opere non cessemus, sed ascendamus magis de gradu in gradum, donec inveniamus, imo donec ipsi efficiamur Salomon, qui est ultimus gradus in secunda distinctione. Salomon interpretatur *pacificus*. Tandiu ergo debemus nosmetipsos a vitiis purgare, donec habeamus pacem in nobis, et vitia conquiescant, nec possint levare caput contra nos, nec ali- quando nobis bellum inferre. Ista est enim perfectio secundi status, ut a Deo purgemur a vitiis nostris.

Digitized by Google

ut incipiamus etiam in hoc sæculo quasdam primitias illius pacis degustare, quam habebimus in nostra resurrectione, quando dicemus : *Ubi est, mors, victoria tua ? Ubi est, mors, stimulus tuus* (*I Cor.* XV)? Si vero in isto statu fuerimus perfecti, quid restat, nisi ut desideremus præsentiam Christi; suspiremus ad illam visionem beatam, ut sint nobis lacrymæ nostræ panes die ac nocte (*Psal.* XLI); et cum omni cordis affectione dicamus : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Ibid.*) Incipit autem iste status a David, id est a sancto desiderio; David *desiderabilis* interpretatur. Et quis illo desiderabilior, de quo ait propheta : *Veniet desideratus cunctis gentibus?* (*Agg.* II). Desideratus plane et desiderandus.

Ut autem perfectum sit istud desiderium, non debet finiri, donec veniamus ad Abraham, id est Patrem excelsum, ut videamus Deum deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII). Hæc est perfectio ad quam ascendere debemus; hoc est præmium quod exspectamus, visio scilicet Dei, id est Patris excelsi. O quantum præmium! quam magnum! quam bonum! videbunt eum justi, videbunt impii; sed aliter impii, aliter justi. *Videbunt*, impii *in quem transfixerunt* (*Joan.* XIX). Et iterum : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* (*Isa.* XXVI). Videbunt eum justi, sed sicut est, dicente Joanne : *Nunc filii Dei sumus; sed nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* (*I Joan.* III). Esse Dei est dissimiliter nunquam esse. Videbimus ergo eum, sicuti est; quia hunc in ipsa Deitatis suæ substantia contemplabimur, quod nulli prorsus electorum in hac vita conceditur, nec ipsi Moysi, qui eum in Angelica specie contemplari solebat, dicente ei Domino : *Non poteris videre faciem meam : non enim videbit homo faciem meam, et vivet* (*Exod.* XXXIII). Cui tamen pro merito magnæ sanctitatis ait : *Ostendam tibi omne bonum* (*ibid.*). Videbimus tunc illum speciosum forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), *in quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I). Nam, sicut quidam ait, quantum licet scire, Deus est substantia spiritualis, tam inæstimabilis pulchritudinis, tam ineffabilis suavitatis, ut angeli qui septuplo solem sua vincunt pulchritudine, desiderent in eum jugiter et insatiabiliter prospicere. Videbimus tunc illum, cujus spiritus super mel dulcis, et hæreditas super mel et favum, et spiritualibus brachiis amplexabimur, et mira quadam dulcedine osculabimur. Videbimus tunc, et sentiemus quam bonum et quam dulce erit, in illa beata vita frui conspectu Conditoris nostri, interesse angelorum societati, æterna immortalitate donari. Videbimus tunc illum, qui de sinu Patris descendit in gremium matris; ut nos incipientes, ut diximus, ab ejus humanitate, quam assumpsit de matre, perveniamus ad ejus divinitatem, quam semper habet cum Patre. Hoc totum bonum nostrum ab hac festivitate incepit, in qua orta est ejus beata Genitrix, qui nos ad tantam celsitudinem per suam gratiam perducit. Et ideo in principio hujus ascensionis ponitur ipse Jesus, ponitur Maria, ut sub ipsa misericordia, sub ipsius misericordiæ matre benignissima nemo desperet, nemo ascendere dubitet, sed in ipsis omnem spem suam, omnem ponens delectationem, ascendat securus, ascendat intrepidus. Nunquam enim poterit deficere, qui talibus auxiliis poterit adjuvari. Erigamus ergo ad ipsum Christum intuitum nostrum, deprecantes illum per merita suæ dulcissimæ matris, ut ipse efficiat volentes, ut ipse adjuvet ascendentes, ut ipse recipiat venientes, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXII.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Fratres mei, si non sufficimus loqui de uno sanctorum Dei, et ejus gloriam exprimere, quomodo sufficiemus de omnibus sanctis ejus sermonem facere? Hoc ergo magis necessarium est, ut ita nos habeamus, quatenus ad eorum gloriam pervenire valeamus. Quid ergo agendum est nobis? Quomodo ad illam exaltationem poterimus pervenire? Ideo, fratres, audiamus salubre consilium. Cui enim melius credere debemus, quam illi, qui jam ad illam excellentiam pervenit? Ipse certe novit viam, quam ipse ascendit. Audiamus ergo unum de magnis amicis Jesu dicentem : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet* (*I Petri* V). Scitis quomodo hodie per universum mundum omnes laudant sanctus Dei, angelos, archangelos, apostolos, martyres, confessores, virgines. Inde sunt cantus hodie in sancta Ecclesia, inde hymni, inde luminaria et cætera quæ conveniunt festivitati. Cantus significat illam perpetuam jubilationem, in qua sancti sunt, propter ineffabile gaudium quod habent de Deo. Hymni significant illam inenarrabilem laudem qua ipsi semper Deum laudant. Unde dicit psalmista : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Luminaria significant illam perpetuam lucem, in qua habitant sancti Dei. Unde in hac nocte cantastis : *In circuitu tuo, Domine, lumen est, quod nunquam deficiet*. Modo, fratres, cogitate, si potestis, quantum exaltati sunt in cœlo, qui ita possunt exaltari et honorari in terris? Certe, fratres, si omnem gloriam mundi, et omnem laudem mundi, et omne gaudium mundi possemus simul aspicere, in comparatione illius gaudii nihil est aliud quam summa miseria. Ideo, fratres, scire debetis quia istas festivitates in luminaribus, in canticis et cæteris hujusmodi non facimus, nisi propter duas causas. Ista enim non prosunt sanctis Dei, non isto terreno cantu delectantur, non istis terrenis, luminaribus et vilibus gloriantur, quorum laus Christus est, quorum lux ille est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). Primo ut per has renovationes excitemus nosmetipsos ad majorem devotionem. Deinde propter illam significationem, quam superius diximus : et ideo tantum debemus agere, quantum sufficit ad ista duo. Nam

Digitized by Google

illi non bene, non rationabiliter, sicut mihi videtur, celebrant istas festivitates, qui cum quadam nimietate et superfluitate quærunt istas glorias exteriores et pulchritudines, ita ut exteriori homine tot cantibus, tot ornamentis, tot luminaribus et cæteris hujusmodi pulchritudinibus intento, nihil aliud pene poterit cogitare, quam ista quæ vel per oculos videt, vel per aures audit, vel per cæteros sensus carnis sentit.

Nos, fratres, qui ista non videmus, et scimus tamen quia a multis aguntur, cogitemus et delectemur in illa pulchritudine, quæ vera est, in qua sancti sunt sine corruptione; in illis spiritualibus ornamentis, quæ sancti habent in justitia et sanctitate; in illis hymnis et laudibus, quibus ipsi laudant Deum sine fastidio; in illa luce, quam ipsi vident in Dei facie; et ita agamus nostras festivitates ut mens nostra non reflectatur ad istas terrenas delectationes et caducas; sed potius ad illa spiritualia et æterna excitetur, et sic illorum gloriam et exaltationem consideremus. Et ut ad illorum exaltationem pervenire possimus, audiamus consilium apostoli, qui ait : *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Novit optime apostolus causam quare dejecti sumus, quare illam exaltationem, in qua creati sumus, perdidimus, quare in ista miseria expulsi sumus. Quæ est ista causa, fratres, nisi superbia? Ideo contra illam superbiam docet humilitatem. *Humiliamini*, inquit. Sed quia scivit quod non omnes qui se humiliant, sapienter se humiliant, ideo adjecit, *sub potenti manu Dei.* Alii humiliantur sub gloriosa manu Dei; alii humiliantur sub forti manu Dei; alii humiliantur sub larga manu Dei; alii humiliantur sub potenti manu Dei. Sunt angeli boni, sunt et angeli mali; sunt et homines boni, sunt et homines mali. Sicut dicit Apostolus : *In nomine Domini nostri Jesu Christi omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philipp.* II). Videte modo quia omnes humiliantur Domino nostro, et omnes ei subjiciuntur. Omnes certe et boni et mali, quia ejus voluntati nullus resistere potest, et omnes serviunt voluntati ejus, velint, nolint. Ideo salubriter nos monet Apostolus ut nos illi humiliemur, id est voluntate nostra subjiciamur ei, quia tunc habebimus meritum. Si enim ex voluntate nostra nolumus subjici illi, subjiciemur inviti, pœnam incurremus æternam. Jam videamus, qui sunt illi, qui humiliantur sub gloriosa manu Dei. Qui de manu Dei nihil aliud exspectant, nisi gloriam ipsius, in qua ipsi sunt sine fine beati, unusquisque secundum ordinem in quo creatus est. Mali autem angeli ipsi sunt, qui humiliantur sub forti manu Dei; quia fortitudo Dei premit eos, et facit eos, velint nolint, suæ servire voluntati. Unde dicitur in psalmo : *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII). Nonne sapienter illi illudit Dominus noster, quando omnia quæ fecit ad destructionem illorum qui sunt electi, hoc retorquet Dominus ad illorum profectum, et quidquid ipse facit ut minuat gloriam Christi, hoc auget gloriam Christi? Et puto, fratres mei, quod ipsemet hodie se tenet pro illuso. Considerat hodie gloriam apostolorum, martyrum et omnium sanctorum Dei, et videt quia per malitiam ejus aucta est illorum gloria. Quare enim tanta est illorum gloria, nisi quia, sicut dicit Apostolus : *Ludibria sunt et verbera experti, insuper vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt pro Christo?* (*Hebr.* XI). Et hæc omnia illis illata sunt per malitiam diaboli. Ipse enim operabatur in cordibus infidelium et impiorum, qui eos ita cruciabant. Et ecce omnia illa tormenta versa sunt illis in gloriam et coronam.

Sic, fratres mei, licet non patiamur illa corporalia tormenta, quæ illi passi sunt; tamen et per nos illuditur diabolo. Tentat enim et cruciat; sed quia fortitudo manus Dei premit eum, ne possit nos tentare supra id quod possumus sustinere, omnes istæ tentationes ad nostram gloriam, et ad illius contumeliam proficiunt. Similiter mali homines humiliantur sub forti manu Dei, quia non permittit eos Dominus exercere crudelitatem suam, nisi quantum viderit eis expedire. Alii sunt qui humiliantur sub larga manu Dei. Omnes tamen non eodem modo. Quidam enim videntes, quod ipse est *qui dat escam omni carni* (*Psal.* CXXXV), qui firmiter credentes quod in ejus manu sunt omnes divitiæ et honores, et cui voluerit dat illa; incipiunt servire illi, vel ut ista terrena acquirant, vel ne ista terrena amittant. Alii meliores istis largam manum ejus considerantes, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V), qui etiam ista temporalia mistim bonis et malis abunde tribuit, conjiciunt, quam mira sunt, quam ineffabilia, quæ servat suis tantum bonis et cupiditate illius beatitudinis, quam nec *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), serviunt illi et humiliantur. Item sunt alii, qui humiliantur sub potenti manu Dei. Illi sunt, qui considerantes ejus potentiam, qua superbos humiliat et humiles exaltat, qua damnat quos voluerit, salubri timore compuncti humiliantur. Ad hanc nos humiliationem Dominus invitat, dicens : *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, et non habent ultra quid faciant : sed eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X). Hæc est prima causa humilitatis nostræ, timor Domini. Sed est perfectior gradus, quando non illam potentiam considerat, qua damnat impios; sed illam, qua in ista vita suos potenter defendit, et in die judicii ad regnum cœlorum introducit. Ad istum gradum nos invitat Apostolus, dicens : *Humiliamini sub potenti manu Dei;* non timore pœnæ, sed, *ut vos exaltet in tempore visitationis* (*I Petr.* V). Tempus visitationis est dies judicii. Primo visitavit mundum per misericordiam, postea visitabit per judicium. Visitavit nos misericorditer, quando suum sanguinem fudit pro nobis; visitabit per judicium, quando *unicuique reddet secundum opera sua* (*Matth.* XVI).

Sunt etiam aliæ visitationes innumerabiles, qui-

Digitized by Google

ut incipiamus etiam in hoc sæculo quasdam primitias illius pacis degustare, quam habebimus in nostra resurrectione, quando dicemus : *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus* (*I Cor.* xv)? Si vero in isto statu fuerimus perfecti, quid restat, nisi ut desideremus præsentiam Christi; suspiremus ad illam visionem beatam, ut sint nobis lacrymæ nostræ panes die ac nocte (*Psal.* xli); et cum omni cordis affectione dicamus : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Ibid.*) Incipit autem iste status a David, id est a sancto desiderio; David *desiderabilis* interpretatur. Et quis illo desiderabilior, de quo ait propheta : *Veniet desideratus cunctis gentibus?* (*Agg.* ii). Desideratus plane et desiderandus.

Ut autem perfectum sit istud desiderium, non debet finiri, donec veniamus ad Abraham, id est Patrem excelsum, ut videamus Deum deorum in Sion (*Psal.* lxxxiii). Hæc est perfectio ad quam ascendere debemus; hoc est præmium quod exspectamus, visio scilicet Dei, id est Patris excelsi. O quantum præmium! quam magnum! quam bonum! videbunt eum justi, videbunt impii; sed aliter impii, aliter justi. *Videbunt*, impii *in quem transfixerunt* (*Joan.* xix). Et iterum : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* (*Isa.* xxvi). Videbunt eum justi, sed sicut est, dicente Joanne : *Nunc filii Dei sumus; sed nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* (*I Joan.* iii). Esse Dei est dissimiliter nunquam esse. Videbimus ergo eum, sicuti est; quia hunc in ipsa Deitatis suæ substantia contemplabimur, quod nulli prorsus electorum in hac vita conceditur, nec ipsi Moysi, qui eum in Angelica specie contemplari solebat, dicente ei Domino : *Non poteris videre faciem meam : non enim videbit homo faciem meam, et vivet* (*Exod.* xxxiii). Cui tamen pro merito magnæ sanctitatis ait : *Ostendam tibi omne bonum* (*ibid.*). Videbimus tunc illum speciosum forma præ filiis hominum (*Psal.* xliv), *in quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* i). Nam, sicut quidam ait, quantum licet scire, Deus est substantia spiritualis, tam inæstimabilis pulchritudinis, tam ineffabilis suavitatis, ut angeli qui septuplo solem sua vincunt pulchritudine, desiderent in eum jugiter et insatiabiliter prospicere. Videbimus tunc illum, cujus spiritus super mel dulcis, et hæreditas super mel et favum, et spiritualibus brachiis amplexabimur, et mira quadam dulcedine osculabimur. Videbimus tunc, et sentiemus quam bonum et quam dulce erit, in illa beata vita frui conspectu Conditoris nostri, interesse angelorum societati, æterna immortalitate donari. Videbimus tunc illum, qui de sinu Patris descendit in gremium matris; ut nos incipientes, ut diximus, ab ejus humanitate, quam assumpsit de matre, perveniamus ad ejus divinitatem, quam semper habet cum Patre. Hoc totum bonum nostrum ab hac festivitate incepit, in qua orta est ejus beata Genitrix, qui nos ad tantam celsitudinem per suam gratiam perducit. Et ideo in principio hujus ascensionis ponitur ipse Jesus, ponitur Maria, ut sub ipsa misericordia, sub ipsius misericordiæ matre benignissima nemo desperet, nemo ascendere dubitet, sed in ipsis omnem spem suam, omnem ponens delectationem, ascendat securus, ascendat intrepidus. Nunquam enim poterit deficere, qui talibus auxiliis poterit adjuvari. Erigamus ergo ad ipsum Christum intuitum nostrum, deprecantes illum per merita suæ dulcissimæ matris, ut ipse efficiat volentes, ut ipse adjuvet ascendentes, ut ipse recipiat venientes, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXII.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Fratres mei, si non sufficimus loqui de uno sanctorum Dei, et ejus gloriam exprimere, quomodo sufficiemus de omnibus sanctis ejus sermonem facere? Hoc ergo magis necessarium est, ut ita nos habeamus, quatenus ad eorum gloriam pervenire valeamus. Quid ergo agendum est nobis? Quomodo ad illam exaltationem poterimus pervenire? Ideo, fratres, audiamus salubre consilium. Cui enim melius credere debemus, quam illi, qui jam ad illam excellentiam pervenit? Ipse certe novit viam, quam ipse ascendit. Audiamus ergo unum de magnis amicis Jesu dicentem : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet* (*I Petri* v). Scitis quomodo hodie per universum mundum omnes laudant sanctos Dei, angelos, archangelos, apostolos, martyres, confessores, virgines. Inde sunt cantus hodie in sancta Ecclesia, inde hymni, inde luminaria et cætera quæ conveniunt festivitati. Cantus significat illam perpetuam jubilationem, in qua sancti sunt, propter ineffabile gaudium quod habent de Deo. Hymni significant illam inenarrabilem laudem qua ipsi semper Deum laudant. Unde dicit psalmista : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* lxxxiii). Luminaria significant illam perpetuam lucem, in qua habitant sancti Dei. Unde in hac nocte cantastis : *In circuitu tuo, Domine, lumen est, quod nunquam deficiet*. Modo, fratres, cogitate, si potestis, quantum exaltati sunt in cœlo, qui ita possunt exaltari et honorari in terris? Certe, fratres, si omnem gloriam mundi, et omnem laudem mundi, et omne gaudium mundi possemus simul aspicere, in comparatione illius gaudii nihil est aliud quam summa miseria. Ideo, fratres, scire debetis quia istas festivitates in luminaribus, in canticis et cæteris hujusmodi non facimus, nisi propter duas causas. Ista enim non prosunt sanctis Dei, non isto terreno cantu delectantur, non istis terrenis, luminaribus et vilibus gloriantur, quorum laus Christus est, quorum lux ille est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* i). Primo ut per has renovationes excitemus nosmetipsos ad majorem devotionem. Deinde propter illam significationem, quam superius diximus : et ideo tantum debemus agere, quantum sufficit ad ista duo. Nam

Digitized by Google

illi non bene, non rationabiliter, sicut mihi videtur, celebrant istas festivitates, qui cum quadam nimietate et superfluitate quærunt istas glorias exteriores et pulchritudines, ita ut exteriori homine totcantibus, tot ornamentis, tot luminaribus et cæteris hujusmodi pulchritudinibus intento, nihil aliud pene poterit cogitare, quam ista quæ vel per oculos videt, vel per aures audit, vel per cæteros sensus carnis sentit.

Nos, fratres, qui ista non videmus, et scimus tamen quia a multis aguntur, cogitemus et delectemur in illa pulchritudine, quæ vera est, in qua sancti sunt sine corruptione; in illis spiritualibus ornamentis, quæ sancti habent in justitia et sanctitate; in illis hymnis et laudibus, quibus ipsi laudant Deum sine fastidio; in illa luce, quam ipsi vident in Dei facie; et ita agamus nostras festivitates ut mens nostra non reflectatur ad istas terrenas delectationes et caducas; sed potius ad illa spiritualia et æterna excitetur, et sic illorum gloriam et exaltationem consideremus. Et ut ad illorum exaltationem pervenire possimus, audiamus consilium apostoli, qui ait : *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Novit optime apostolus causam quare dejecti sumus, quare illam exaltationem, in qua creati sumus, perdidimus, quare in ista miseria expulsi sumus. Quæ est ista causa, fratres, nisi superbia? Ideo contra illam superbiam docet humilitatem. *Humiliamini*, inquit. Sed quia scivit quod non omnes qui se humiliant, sapienter se humiliant, ideo adjecit, *sub potenti manu Dei.* Alii humiliantur sub gloriosa manu Dei; alii humiliantur sub forti manu Dei; alii humiliantur sub larga manu Dei; alii humiliantur sub potenti manu Dei. Sunt angeli boni, sunt et angeli mali; sunt et homines boni, sunt et homines mali. Sicut dicit Apostolus : *In nomine Domini nostri Jesu Christi omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philipp.* II). Videte modo quia omnes humiliantur Domino nostro, et omnes ei subjiciuntur. Omnes certe et boni et mali, quia ejus voluntati nullus resistere potest, et omnes serviunt voluntati ejus, velint, nolint. Ideo salubriter nos monet Apostolus ut nos illi humiliemur, id est voluntate nostra subjiciamur ei, quia tunc habebimus meritum. Si enim ex voluntate nostra nolumus subjici illi, subjiciemur inviti, pœnam incurremus æternam. Jam videamus, qui sunt illi, qui humiliantur sub gloriosa manu Dei. Qui de manu Dei nihil aliud exspectant, nisi gloriam ipsius, in qua ipsi sunt sine fine beati, unusquisque secundum ordinem in quo creatus est. Mali autem angeli ipsi sunt, qui humiliantur sub forti manu Dei; quia fortitudo Dei premit eos, et facit eos, velint nolint, suæ servire voluntati. Unde dicitur in psalmo : *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII). Nonne sapienter illi illudit Dominus noster, quando omnia quæ fecit ad destructionem illorum qui sunt electi, hoc retorquet Dominus ad illorum profectum, et quidquid ipse facit ut minuat gloriam Christi, hoc auget gloriam Christi? Et puto, fratres mei, quod ipsemet hodie se tenet pro illuso. Considerat hodie gloriam apostolorum, martyrum et omnium sanctorum Dei, et videt quia per malitiam ejus aucta est illorum gloria. Quare enim tanta est illorum gloria, nisi quia, sicut dicit Apostolus : *Ludibria sunt et verbera experti, insuper vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt pro Christo?* (*Hebr.* XI). Et hæc omnia illis illata sunt per malitiam diaboli. Ipse enim operabatur in cordibus infidelium et impiorum, qui eos ita cruciabant. Et ecce omnia illa tormenta versa sunt illis in gloriam et conorem.

Sic, fratres mei, licet non patiamur illa corporalia tormenta, quæ illi passi sunt; tamen et per nos illuditur diabolo. Tentat enim et cruciat; sed quia fortitudo manus Dei premit eum, ne possit nos tentare supra id quod possumus sustinere, omnes istæ tentationes ad nostram gloriam, et ad illius contumeliam proficiunt. Similiter mali homines humiliantur sub forti manu Dei, quia non permittit eos Dominus exercere crudelitatem suam, nisi quantum viderit eis expedire. Alii sunt qui humiliantur sub larga manu Dei. Omnes tamen non eodem modo. Quidam enim videntes, quod ipse est *qui dat escam omni carni* (*Psal.* CXXXV), qui firmiter credentes quod in ejus manu sunt omnes divitiæ et honores, et cui voluerit dat illa; incipiunt servire illi, vel ut ista terrena acquirant, vel ne ista terrena amittant. Alii meliores istis largam manum ejus considerantes, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V), qui etiam ista temporalia mistim bonis et malis abunde tribuit, conjiciunt, quam mira sunt, quam ineffabilia, quæ servat suis tantum bonis et cupiditate illius beatitudinis, quam nec *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), serviunt illi et humiliantur. Item sunt alii, qui humiliantur sub potenti manu Dei. Illi sunt, qui considerantes ejus potentiam, qua superbos humiliat et humiles exaltat, qua damnat quos voluerit, salubri timore compuncti humiliantur. Ad hanc nos humiliationem Dominus invitat, dicens : *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, et non habent ultra quid faciant : sed eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X). Hæc est prima causa humilitatis nostræ, timor Domini. Sed est perfectior gradus, quando non illam potentiam considerat, qua damnat impios; sed illam, qua in ista vita suos potenter defendit, et in die judicii ad regnum cœlorum introducit. Ad istum gradum nos invitat Apostolus, dicens : *Humiliamini sub potenti manu Dei;* non timore pœnæ, sed, *ut vos exaltet in tempore visitationis* (*I Petr.* V). Tempus visitationis est dies judicii. Primo visitavit mundum per misericordiam, postea visitabit per judicium. Visitavit nos misericorditer, quando suum sanguinem fudit pro nobis; visitabit per judicium, quando *unicuique reddet secundum opera sua* (*Matth.* XVI).

Sunt etiam aliæ visitationes innumerabiles, qui-

Digitized by Google

ut incipiamus etiam in hoc sæculo quasdam primitias illius pacis degustare, quam habebimus in nostra resurrectione, quando dicemus : *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus* (*I Cor.* XV)? Si vero in isto statu fuerimus perfecti, quid restat, nisi ut desideremus præsentiam Christi; suspiremus ad illam visionem beatam, ut sint nobis lacrymæ nostræ panes die ac nocte (*Psal.* XLI); et cum omni cordis affectione dicamus : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Ibid.*) Incipit autem iste status a David, id est a sancto desiderio; David *desiderabilis* interpretatur. Et quis illo desiderabilior, de quo ait propheta : *Veniet desideratus cunctis gentibus?* (*Agg.* II). Desideratus plane et desiderandus.

Ut autem perfectum sit istud desiderium, non debet finiri, donec veniamus ad Abraham, id est Patrem excelsum, ut videamus Deum deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII). Hæc est perfectio ad quam ascendere debemus; hoc est præmium quod exspectamus, visio scilicet Dei, id est Patris excelsi. O quantum præmium! quam magnum! quam bonum! videbunt eum justi, videbunt impii; sed aliter impii, aliter justi. *Videbunt*, impii *in quem transfixerunt* (*Joan.* XIX). Et iterum : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* (*Isa.* XXVI). Videbunt eum justi, sed sicut est, dicente Joanne : *Nunc filii Dei sumus; sed nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* (*I Joan.* III). Esse Dei est dissimiliter nunquam esse. Videbimus ergo eum, sicuti est; quia hunc in ipsa Deitatis suæ substantia contemplabimur, quod nulli prorsus electorum in hac vita conceditur, nec ipsi Moysi, qui eum in Angelica specie contemplari solebat, dicente ei Domino : *Non poteris videre faciem meam : non enim videbit homo faciem meam, et vivet* (*Exod.* XXXIII). Cui tamen pro merito magnæ sanctitatis ait : *Ostendam tibi omne bonum* (*ibid.*). Videbimus tunc illum speciosum forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), *in quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I). Nam, sicut quidam ait, quantum licet scire, Deus est substantia spiritualis, tam inæstimabilis pulchritudinis, tam ineffabilis suavitatis, ut angeli qui septuplo solem sua vincunt pulchritudine, desiderent in eum jugiter et insatiabiliter prospicere. Videbimus tunc illum, cujus spiritus super mel dulcis, et hæreditas super mel et favum, et spiritualibus brachiis amplexabimur, et mira quadam dulcedine osculabimur. Videbimus tunc, et sentiemus quam bonum et quam dulce erit, in illa beata vita frui conspectu Conditoris nostri, interesse angelorum societati, æterna immortalitate donari. Videbimus tunc illum, qui de sinu Patris descendit in gremium matris; ut nos incipientes, ut diximus, ab ejus humanitate, quam assumpsit de matre, perveniamus ad ejus divinitatem, quam semper habet cum Patre. Hoc totum bonum nostrum ab hac festivitate incepit, in qua orta est ejus beata Genitrix, qui nos ad tantam celsitudinem per suam gratiam perducit. Et ideo in principio hujus ascensionis ponitur ipse Jesus, ponitur Maria, ut sub ipsa misericordia, sub ipsius misericordiæ matre benignissima nemo desperet, nemo ascendere dubitet, sed in ipsis omnem spem suam, omnem ponens delectationem, ascendat securus, ascendat intrepidus. Nunquam enim poterit deficere, qui talibus auxiliis poterit adjuvari. Erigamus ergo ad ipsum Christum intuitum nostrum, deprecantes illum per merita suæ dulcissimæ matris, ut ipse efficiat volentes, ut ipse adjuvet ascendentes, ut ipse recipiat venientes, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXII.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Fratres mei, si non sufficimus loqui de uno sanctorum Dei, et ejus gloriam exprimere, quomodo sufficiemus de omnibus sanctis ejus sermonem facere? Hoc ergo magis necessarium est, ut ita nos habeamus, quatenus ad eorum gloriam pervenire valeamus. Quid ergo agendum est nobis? Quomodo ad illam exaltationem poterimus pervenire? Ideo, fratres, audiamus salubre consilium. Cui enim melius credere debemus, quam illi, qui jam ad illam excellentiam pervenit? Ipse certe novit viam, quam ipse ascendit. Audiamus ergo unum de magnis amicis Jesu dicentem : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet* (*I Petri* V). Scitis quomodo hodie per universum mundum omnes laudant sanctus Dei, angelos, archangelos, apostolos, martyres, confessores, virgines. Inde sunt cantus hodie in sancta Ecclesia, inde hymni, inde luminaria et cætera quæ conveniunt festivitati. Cantus significat illam perpetuam jubilationem, in qua sancti sunt, propter ineffabile gaudium quod habent de Deo. Hymni significant illam inenarrabilem laudem qua ipsi semper Deum laudant. Unde dicit psalmista : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Luminaria significant illam perpetuam lucem, in qua habitant sancti Dei. Unde in hac nocte cantastis : *In circuitu tuo, Domine, lumen est, quod nunquam deficiet*. Modo, fratres, cogitate, si potestis, quantum exaltati sunt in cœlo, quibus possunt exaltari et honorari in terris? Certe, fratres, si omnem gloriam mundi, et omnem laudem mundi, et omne gaudium mundi possemus simul aspicere, in comparatione illius gaudii nihil est aliud quam summa miseria. Ideo, fratres, scire debetis quia istas festivitates in luminaribus, in canticis et cæteris hujusmodi non facimus, nisi propter duas causas. Ista enim non prosunt sanctis Dei, non isto terreno cantu delectantur, non istis terrenis, luminaribus et vilibus gloriantur, quorum laus Christus est, quorum lux ille est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). Primo ut per has renovationes excitemus nosmetipsos ad majorem devotionem. Deinde propter illam significationem, quam superius diximus : et ideo tantum debemus agere, quantum sufficit ad ista duo. Nam

Digitized by Google

illi non bene, non rationabiliter, sicut mihi videtur, celebrant istas festivitates, qui cum quadam nimietate et superfluitate quærunt istas glorias exteriores et pulchritudines, ita ut exteriori homine tot cantibus, tot ornamentis, tot luminaribus et cæteris hujusmodi pulchritudinibus intento, nihil aliud pene poterit cogitare, quam ista quæ vel per oculos videt, vel per aures audit, vel per cæteros sensus carnis sentit.

Nos, fratres, qui ista non videmus, et scimus tamen quia a multis aguntur, cogitemus et delectemur in illa pulchritudine, quæ vera est, in qua sancti sunt sine corruptione; in illis spiritualibus ornamentis, quæ sancti habent in justitia et sanctitate; in illis hymnis et laudibus, quibus ipsi laudant Deum sine fastidio; in illa luce, quam ipsi vident in Dei facie; et ita agamus nostras festivitates ut mens nostra non reflectatur ad istas terrenas delectationes et caducas; sed potius ad illa spiritualia et æterna excitetur, et sic illorum gloriam et exaltationem consideremus. Et ut ad illorum exaltationem pervenire possimus, audiamus consilium apostoli, qui ait : *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Novit optime apostolus causam quare dejecti sumus, quare illam exaltationem, in qua creati sumus, perdidimus, quare in ista miseria expulsi sumus. Quæ est ista causa, fratres, nisi superbia? Ideo contra illam superbiam docet humilitatem. *Humiliamini*, inquit. Sed quia scivit quod non omnes qui se humiliant, sapienter se humiliant, ideo adjecit, *sub potenti manu Dei.* Alii humiliantur sub gloriosa manu Dei; alii humiliantur sub forti manu Dei; alii humiliantur sub larga manu Dei; alii humiliantur sub potenti manu Dei. Sunt angeli boni, sunt et angeli mali; sunt et homines boni, sunt et homines mali. Sicut dicit Apostolus : *In nomine Domini nostri Jesu Christi omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philipp.* II). Videte modo quia omnes humiliantur Domino nostro, et omnes ei subjiciuntur. Omnes certe et boni et mali, quia ejus voluntati nullus resistere potest, et omnes serviunt voluntati ejus, velint, nolint. Ideo salubriter nos monet Apostolus ut nos illi humiliemur, id est voluntate nostra subjiciamur ei, quia tunc habebimus meritum. Si enim ex voluntate nostra nolumus subjici illi, subjiciemur inviti, pœnam incurremus æternam. Jam videamus, qui sunt illi, qui humiliantur sub gloriosa manu Dei. Qui de manu Dei nihil aliud exspectant, nisi gloriam ipsius, in qua ipsi sunt sine fine beati, unusquisque secundum ordinem in quo creatus est. Mali autem angeli ipsi sunt, qui humiliantur sub forti manu Dei; quia fortitudo Dei premit eos, et facit eos, velint nolint, suæ servire voluntati. Unde dicitur in psalmo : *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII). Nonne sapienter illi illudit Dominus noster, quando omnia quæ fecit ad destructionem illorum qui sunt electi, hoc retorquet Dominus ad illorum profectum, et quidquid ipse facit ut minuat gloriam Christi, hoc auget gloriam Christi? Et puto, fratres mei, quod ipsemet hodie se tenet pro illuso. Considerat hodie gloriam apostolorum, martyrum et omnium sanctorum Dei, et videt quia per malitiam ejus aucta est illorum gloria. Quare enim tanta est illorum gloria, nisi quia, sicut dicit Apostolus : *Ludibria sunt et verbera experti, insuper vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt pro Christo?* (*Hebr.* XI). Et hæc omnia illis illata sunt per malitiam diaboli. Ipse enim operabatur in cordibus infidelium et impiorum, qui eos ita cruciabant. Et ecce omnia illa tormenta versa sunt illis in gloriam et coronam.

Sic, fratres mei, licet non patiamur illa corporalia tormenta, quæ illi passi sunt; tamen et per nos illuditur diabolo. Tentat enim et cruciat; sed quia fortitudo manus Dei premit eum, ne possit nos tentare supra id quod possumus sustinere, omnes istæ tentationes ad nostram gloriam, et ad illius contumeliam proficiunt. Similiter mali homines humiliantur sub forti manu Dei, quia non permittit eos Dominus exercere crudelitatem suam, nisi quantum viderit eis expedire. Alii sunt qui humiliantur sub larga manu Dei. Omnes tamen non eodem modo. Quidam enim videntes, quod ipse est *qui dat escam omni carni* (*Psal.* CXXXV), qui firmiter credentes quod in ejus manu sunt omnes divitiæ et honores, et cui voluerit dat illa; incipiunt servire illi, vel ut ista terrena acquirant, vel ne ista terrena amittant. Alii meliores istis largam manum ejus considerantes, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V), qui etiam ista temporalia mistim bonis et malis abunde tribuit, conjiciunt, quam mira sunt, quam ineffabilia, quæ servat suis tantum bonis et cupiditate illius beatitudinis, quam nec *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), serviunt illi et humiliantur. Item sunt alii, qui humiliantur sub potenti manu Dei. Illi sunt, qui considerantes ejus potentiam, qua superbos humiliat et humiles exaltat, qua damnat quos voluerit, salubri timore compuncti humiliantur. Ad hanc nos humiliationem Dominus invitat, dicens : *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, et non habent ultra quid faciant : sed eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X). Hæc est prima causa humilitatis nostræ, timor Domini. Sed est perfectior gradus, quando non illam potentiam considerat, qua damnat impios; sed illam, qua in ista vita suos potenter defendit, et in die judicii ad regnum cœlorum introducit. Ad istum gradum nos invitat Apostolus, dicens : *Humiliamini sub potenti manu Dei;* non timore pœnæ, sed, *ut vos exaltet in tempore visitationis* (*I Petr.* V). Tempus visitationis est dies judicii. Primo visitavit mundum per misericordiam, postea visitabit per judicium. Visitavit nos misericorditer, quando suum sanguinem fudit pro nobis; visitabit per judicium, quando *unicuique reddet secundum opera sua* (*Matth.* XVI).

Sunt etiam aliæ visitationes innumerabiles, qui-

Digitized by Google

ut incipiamus etiam in hoc sæculo quasdam primitias illius pacis degustare, quam habebimus in nostra resurrectione, quando dicemus : *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus* (*I Cor.* XV)? Si vero in isto statu fuerimus perfecti, quid restat, nisi ut desideremus præsentiam Christi; suspiremus ad illam visionem beatam, ut sint nobis lacrymæ nostræ panes die ac nocte (*Psal.* XLI); et cum omni cordis affectione dicamus : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Ibid.*) Incipit autem iste status a David, id est a sancto desiderio; David *desiderabilis* interpretatur. Et quis illo desiderabilior, de quo ait propheta : *Veniet desideratus cunctis gentibus?* (*Agg.* II). Desideratus plane et desiderandus.

Ut autem perfectum sit istud desiderium, non debet finiri, donec veniamus ad Abraham, id est Patrem excelsum, ut videamus Deum deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII). Hæc est perfectio ad quam ascendere debemus; hoc est præmium quod exspectamus, visio scilicet Dei, id est Patris excelsi. O quantum præmium! quam magnum! quam bonum! videbunt eum justi, videbunt impii; sed aliter impii, aliter justi. *Videbunt*, impii *in quem transfixerunt* (*Joan.* XIX). Et iterum : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* (*Isa.* XXVI). Videbunt eum justi, sed sicut est, dicente Joanne : *Nunc filii Dei sumus; sed nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* (*I Joan.* III). Esse Dei est dissimiliter nunquam esse. Videbimus ergo eum, sicuti est; quia hunc in ipsa Deitatis suæ substantia contemplabimur, quod nulli prorsus electorum in hac vita conceditur, nec ipsi Moysi, qui eum in Angelica specie contemplari solebat, dicente ei Domino : *Non poteris videre faciem meam : non enim videbit homo faciem meam, et vivet* (*Exod.* XXXIII). Cui tamen pro merito magnæ sanctitatis ait : *Ostendam tibi omne bonum* (*ibid.*). Videbimus tunc illum speciosum forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), *in quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I). Nam, sicut quidam ait, quantum licet scire, Deus est substantia spiritualis, tam inæstimabilis pulchritudinis, tam ineffabilis suavitatis, ut angeli qui septuplo solem sua vincunt pulchritudine, desiderent in eum jugiter et insatiabiliter prospicere. Videbimus tunc illum, cujus spiritus super mel dulcis, et hæreditas super mel et favum, et spiritualibus brachiis amplexabimur, et mira quadam dulcedine osculabimur. Videbimus tunc, et sentiemus quam bonum et quam dulce erit, in illa beata vita frui conspectu Conditoris nostri, interesse angelorum societati, æterna immortalitate donari. Videbimus tunc illum, qui de sinu Patris descendit in gremium matris; ut nos incipientes, ut diximus, ab ejus humanitate, quam assumpsit de matre, perveniamus ad ejus divinitatem, quam semper habet cum Patre. Hoc totum bonum nostrum ab hac festivitate incepit, in qua orta est ejus beata Genitrix, qui nos ad tantam celsitudinem per suam gratiam perducit. Et ideo in principio hujus ascensionis ponitur ipse Jesus, ponitur Maria, ut sub ipsa misericordia, sub ipsius misericordiæ matre benignissima nemo desperet, nemo ascendere dubitet, sed in ipsis omnem spem suam, omnem ponens delectationem, ascendat securus, ascendat intrepidus. Nunquam enim poterit deficere, qui talibus auxiliis poterit adjuvari. Erigamus ergo ad ipsum Christum intuitum nostrum, deprecantes illum per merita suæ dulcissimæ matris, ut ipse efficiat volentes, ut ipse adjuvet ascendentes, ut ipse recipiat venientes, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXII.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Fratres mei, si non sufficimus loqui de uno sanctorum Dei, et ejus gloriam exprimere, quomodo sufficiemus de omnibus sanctis ejus sermonem facere? Hoc ergo magis necessarium est, ut ita nos habeamus, quatenus ad eorum gloriam pervenire valeamus. Quid ergo agendum est nobis? Quomodo ad illam exaltationem poterimus pervenire? Ideo, fratres, audiamus salubre consilium. Cui enim melius credere debemus, quam illi, qui jam ad illam excellentiam pervenit? Ipse certe novit viam, quam ipse ascendit. Audiamus ergo unum de magnis amicis Jesu dicentem : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet* (*I Petri* V). Scitis quomodo hodie per universum mundum omnes laudant sanctos Dei, angelos, archangelos, apostolos, martyres, confessores, virgines. Inde sunt cantus hodie in sancta Ecclesia, inde hymni, inde luminaria et cætera quæ conveniunt festivitati. Cantus significat illam perpetuam jubilationem, in qua sancti sunt, propter ineffabile gaudium quod habent de Deo. Hymni significant illam inenarrabilem laudem qua ipsi semper Deum laudant. Unde dicit psalmista : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Luminaria significant illam perpetuam lucem, in qua habitant sancti Dei. Unde in hac nocte cantastis : *In circuitu tuo, Domine, lumen est, quod nunquam deficiet.* Modo, fratres, cogitate, si potestis, quantum exaltati sunt in cœlo, qui ita possunt exaltari et honorari in terris? Certe, fratres, si omnem gloriam mundi, et omnem laudem mundi, et omne gaudium mundi possemus simul aspicere, in comparatione illius gaudii nihil est aliud quam summa miseria. Ideo, fratres, scire debetis quia istas festivitates in luminaribus, in canticis et cæteris hujusmodi non facimus, nisi propter duas causas. Ista enim non prosunt sanctis Dei, non isto terreno cantu delectantur, non istis terrenis, luminaribus et vilibus gloriantur, quorum laus Christus est, quorum lux ille est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). Primo ut per has renovationes excitemus nosmetipsos ad majorem devotionem. Deinde propter illam significationem, quam superius diximus : et ideo tantum debemus agere, quantum sufficit ad ista duo. Nam

Digitized by Google

illi non bene, non rationabiliter, sicut mihi videtur, celebrant istas festivitates, qui cum quadam nimietate et superfluitate quærunt istas glorias exteriores et pulchritudines, ita ut exteriori homine totcantibus, tot ornamentis, tot luminaribus et cæteris hujusmodi pulchritudinibus intento, nihil aliud pene poterit cogitare, quam ista quæ vel per oculos videt, vel per aures audit, vel per cæteros sensus carnis sentit.

Nos, fratres, qui ista non videmus, et scimus tamen quia a multis aguntur, cogitemus et delectemur in illa pulchritudine, quæ vera est, in qua sancti sunt sine corruptione; in illis spiritualibus ornamentis, quæ sancti habent in justitia et sanctitate; in illis hymnis et laudibus, quibus ipsi laudant Deum sine fastidio; in illa luce, quam ipsi vident in Dei facie; et ita agamus nostras festivitates ut mens nostra non reflectatur ad istas terrenas delectationes et caducas; sed potius ad illa spiritualia et æterna excitetur, et sic illorum gloriam et exaltationem consideremus. Et ut ad illorum exaltationem pervenire possimus, audiamus consilium apostoli, qui ait : *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Novit optime apostolus causam quare dejecti sumus, quare illam exaltationem, in qua creati sumus, perdidimus, quare in ista miseria expulsi sumus. Quæ est ista causa, fratres, nisi superbia? Ideo contra illam superbiam docet humilitatem. *Humiliamini*, inquit. Sed quia scivit quod non omnes qui se humiliant, sapienter se humiliant, ideo adjecit, *sub potenti manu Dei.* Alii humiliantur sub gloriosa manu Dei; alii humiliantur sub forti manu Dei; alii humiliantur sub larga manu Dei; alii humiliantur sub potenti manu Dei. Sunt angeli boni, sunt et angeli mali; sunt et homines boni, sunt et homines mali. Sicut dicit Apostolus : *In nomine Domini nostri Jesu Christi omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philipp.* II). Videte modo quia omnes humiliantur Domino nostro, et omnes ei subjiciuntur. Omnes certe et boni et mali, quia ejus voluntati nullus resistere potest, et omnes serviunt voluntati ejus, velint, nolint. Ideo salubriter nos monet Apostolus ut nos illi humiliemur, id est voluntate nostra subjiciamur ei, quia tunc habebimus meritum. Si enim ex voluntate nostra nolumus subjici illi, subjiciemur inviti, pœnam incurremus æternam. Jam videamus, qui sunt illi, qui humiliantur sub gloriosa manu Dei. Qui de manu Dei nihil aliud exspectant, nisi gloriam ipsius, in qua ipsi sunt sine fine beati, unusquisque secundum ordinem in quo creatus est. Mali autem angeli ipsi sunt, qui humiliantur sub forti manu Dei; quia fortitudo Dei premit eos, et facit eos, velint nolint, suæ servire voluntati. Unde dicitur in psalmo : *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII). Nonne sapienter illi illudit Dominus noster, quando omnia quæ fecit ad destructionem illorum qui sunt electi, hoc retorquet Dominus ad illorum profectum, et quidquid ipse facit ut minuat gloriam Christi, hoc auget gloriam Christi? Et puto, fratres mei, quod ipsemet hodie se tenet pro illuso. Considerat hodie gloriam apostolorum, martyrum et omnium sanctorum Dei, et videt quia per malitiam ejus aucta est illorum gloria. Quare enim tanta est illorum gloria, nisi quia, sicut dicit Apostolus : *Ludibria sunt et verbera experti, insuper vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt pro Christo?* (*Hebr.* XI). Et hæc omnia illis illata sunt per malitiam diaboli. Ipse enim operabatur in cordibus infidelium et impiorum, qui eos ita cruciabant. Et ecce omnia illa tormenta versa sunt illis in gloriam et coronam.

Sic, fratres mei, licet non patiamur illa corporalia tormenta, quæ illi passi sunt; tamen et per nos illuditur diabolo. Tentat enim et cruciat; sed quia fortitudo manus Dei premit eum, ne possit nos tentare supra id quod possumus sustinere, omnes istæ tentationes ad nostram gloriam, et ad illius contumeliam proficiunt. Similiter mali homines humiliantur sub forti manu Dei, quia non permittit eos Dominus exercere crudelitatem suam, nisi quantum viderit eis expedire. Alii sunt qui humiliantur sub larga manu Dei. Omnes tamen non eodem modo. Quidam enim videntes, quod ipse est *qui dat escam omni carni* (*Psal.* CXXXV), qui firmiter credentes quod in ejus manu sunt omnes divitiæ et honores, et cui voluerit dat illa; incipiunt servire illi, vel ut ista terrena acquirant, vel ne ista terrena amittant. Alii meliores istis largam manum ejus considerantes, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V), qui etiam ista temporalia mistim bonis et malis abunde tribuit, conjiciunt, quam mira sunt, quam ineffabilia, quæ servat suis tantum bonis et cupiditate illius beatitudinis, quam nec *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), serviunt illi et humiliantur. Item sunt alii, qui humiliantur sub potenti manu Dei. Illi sunt, qui considerantes ejus potentiam, qua superbos humiliat et humiles exaltat, qua damnat quos voluerit, salubri timore compuncti humiliantur. Ad hanc nos humiliationem Dominus invitat, dicens : *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, et non habent ultra quid faciant : sed eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X). Hæc est prima causa humilitatis nostræ, timor Domini. Sed est perfectior gradus, quando non illam potentiam considerat, qua damnat impios; sed illam, qua in ista vita suos potenter defendit, et in die judicii ad regnum cœlorum introducit. Ad istum gradum nos invitat Apostolus, dicens : *Humiliamini sub potenti manu Dei;* non timore pœnæ, sed, *ut vos exaltet in tempore visitationis* (*I Petr.* V). Tempus visitationis est dies judicii. Primo visitavit mundum per misericordiam, postea visitabit per judicium. Visitavit nos misericorditer, quando suum sanguinem fudit pro nobis; visitabit per judicium, quando *unicuique reddet secundum opera sua* (*Matth.* XVI).

Sunt etiam aliæ visitationes innumerabiles, qui-

Digitized by Google

quando transierunt mare Rubrum, et præcedebat cum tympano (*Exod.* xv). Quia sine dubio beatissima Maria, vera scilicet Maria, cujus typum illa Maria tenebat, præcedit omnes qui transierunt hoc mare, id est præsens sæculum. Præcedit dignitate, præcedit sanctitate, præcedit puritate, præcedit etiam carnis mortificatione, id est cum tympano. Sed etiam in hoc præcessit, quia prima omnium transivit : illa enim prima fuit de omni humano genere, quæ maledictionem primorum parentum evasit. Ideo audire meruit ab angelo : *Benedicta in mulieribus* (*Luc.* i), id est cum omnes mulieres sub maledictione sint, tu sola inter eas mirabilem hanc benedictionem mereris. Ergo, fratres charissimi, imitemur, quantum possumus, beatissimam dominam nostram ; concupiscamus sapientiam, transeamus ad Sapientiam, quæ clamat et dicit : *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini.*

Quæ sunt generationes sapientiæ ? Potest dupliciter intelligi, videlicet generationes, quibus ipsa generatur in nobis, vel generationes, quas ipsa generat in nobis. Hodie lectum est in Evangelio : *Liber generationis Jesu Christi* (*Matth.* i). Et sicut postea dicit evangelista : *Ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim* (*ibid.*), et cætera, usque ad Christum. Hæ sunt ergo generationes Christi, et si Christi, utique sapientiæ. Sed hæ sunt generationes quibus ipsa Sapientia generatur in nobis, sed secundum corpus. Forte autem secundum has generationes spiritualiter nobis nascitur adhuc sapientia. Ergo, si possumus intelligere : *Et a generationibus meis implemini*, id est ut habeamus in nobis spiritualiter Abraham, Isaac et Jacob, Judam et cæteros sanctos patres, secundum quos narrantur generationes sapientiæ, id est Christi ; quia sine dubio de istis nascitur sapientia. Si ergo volueris, ut Christus nascatur in te, habe et imple te generationibus sapientiæ, id est Christi. Quomodo ? Habe in te Abraham, Isaac et Jacob, et cæteros tales, in quibus describuntur generationes Christi ; Abraham fuit in fide perfectus, Isaac fuit filius promissionis. Jacob facie ad faciem Dominum vidit. Habete ergo in vobis perfectam fidem, et habebitis spiritualiter Abraham. Sperate promissiones futurorum, contemnite delectationes præsentium, et habebitis Isaac. Festinate, quantum potestis, ad Dei visionem, et habebitis Jacob. Item, si fueritis Spiritu ferventes, habebitis Abraham ; si spe gaudentes, Isaac ; si fueritis in tribulatione patientes, Jacob. Nam Abraham ita spiritu fervebat, ut unicum filium suum Deo voluerit immolare. Isaac interpretatur *risus*, ideo significat gaudium, quod debemus habere in spe ; Jacob laboris patiens fuit, sicut ipse dixit ad Laban : *Die noctuque æstu urebar et gelu, et sic per viginti annos servivi tibi* (*Gen.* xxxi). Sic, si omnes patres istos, de quibus hodie loquitur Evangelium, spiritualiter habuerimus in nobis, tunc erit hoc, quod dicit Sapientia : *Et a generationibus meis implemini.* Quod si velis hic intelligere illas generationes, quas ipsa Sapientia generat in nobis, cogita, quia sapientia est mater et doctrix omnium virtutum. Nam, sicut de illa scriptum est : *Sobrietatem docet, et prudentiam, et justitiam et virtutem* (*Sap.* viii). Hæ sunt primæ generationes sapientiæ : quatuor scilicet principales virtutes, quas etiam gentiles philosophi potuerunt, ratione docente, cognoscere, scilicet temperantia, quæ hic appellatur sobrietas, prudentia, justitia, et fortitudo, quæ hic virtus nominatur.

Ex his generationes aliæ nascuntur, et ex his aliæ quibus omnibus Sapientia nos vult impleri, quæ dicit : *Et a generationibus meis implemini.* Per temperantiam casti sumus ; per prudentiam bona eligimus, et mala respuimus ; per justitiam Deum et proximum diligimus ; per fortitudinem in omnibus his perseveramus. Transite ergo ad sapientiam, et a generationibus ejus implemini. *Spiritus enim meus*, inquit, *super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Palato carnis nihil dulcius sapit quam mel, palato cordis nihil dulcius quam Spiritus Dei. Sed duo quædam hic posuit, spiritum suum, et hæreditatem suam ; videtur majus aliquid tribuere hæreditati suæ quam spiritui suo : *Spiritus enim meus super mel dulcis.* Sed quid dulcius Spiritu Dei, cum ipse Dei Spiritus sit Deus ? Quid excellentius, quid dulcius, quid delectabilius Deo ? Sed debemus hic intelligere Spiritum sanctum, secundum hoc, quod eum nunc in nobis accipimus, sicut dicit Apostolus : *Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus spiritus* (*II Cor.* v). Hæ sunt spirituales visitationes et consolationes, quibus interim quasi quodam pignore delectemur, donec ad perfectam hæreditatem perveniamus. Quæ hæreditas in regno cœlorum est ; et convenienter ista spiritualis dulcedo qua in præsenti reficimur, comparatur melli. Apis cujus opus est mel, castissimum animal est ; non enim apes per commistionem carnalem generantur. Ideo apis significat castam et sobriam mentem ; qualem sapientia libenter inhabitat. Hæc igitur casta anima quasi apis volat per agrum Scripturarum sedula meditatione. Ibi ex dictis et exemplis sanctorum quosdam spirituales flores colligit : ex quibus fit in corde ejus mira delectatio, et magna supernæ suavitatis dulcedo ; et ita experitur, quia Spiritus Domini super mel dulcis sit : *Et hæreditas mea*, inquit, *super mel et favum.* Apta comparatio. Nonne casulæ illæ, quas soletis videre in favo, ostendunt vobis quamdam similitudinem hæreditatis illius, de qua Dominus dicit : *Multæ mansiones in domo Patris mei sunt ?* (*Joan.* xiv.) Ideo addidit mel cum favo, quia in illis æternis mansionibus sempiterna et ineffabilis dulcedo est. Videte, etsi laboriosus videatur transitus usque ad sapientiam, magnus est tamen fructus : non debet vos magis labor terrere quam fructus mulcere. Labor omnino est magnus transire fluctus et tempestates

Digitized by Google

hujus sæculi, calcare omnes delicias et voluptates, contemnere requiem et quietem carnis. Sed hic est transitus, quo pervenitur ad sapientiam hujus spiritus super mel dulcis, et hæreditas super mel et favum.

Videtur esse leve et dulce, amare honores mundi, sequi propriam voluntatem, in voluptatibus et deliciis vitam ducere; sed fructus amarus est. Inter hos fructus discernit Apostolus, ita dicens : *Stipendium enim peccati mors; gratia autem Dei vita æterna* (*Rom.* VI). Amarus fructus mors æterna, dulcis fructus vita æterna. Illuc ducit peccatum, huc non nostra merita, sed Dei gratia. Quare? Quia totum quod transimus ad sapientiam, Dei gratiæ ascribere debemus, quæ præstat nobis virtutem, ut transire possimus. *Memoria mea in generationes sæculorum.* Si haberes memoriam de auro et argento, et divitiis, usquequo potest extendi ista memoria? Si multum, centum annis. Quis enim amplius vivit his temporibus? Si cogitas de Christo, si cogitas de sapientia, ista memoria potest extendi in generationes sæculorum, id est in æternum. Semper enim erit sapientia, et semper poteris esse cum sapientia; quia, sicut scriptum est, immortalis est sapientia (*Sap.* IV). Quandiu aliquis vivit, potest forte dives esse, ideo tandiu potest durare memoria divitiarum; si quis autem ponit memoriam suam in libidine et voluptatibus carnis, quam cito finiunt, quam parvo tempore durant! In uno momento transit tota illa delectatio. Quid in deliciis ventris, nonne quando saturatus est dives decem ferculis aut duodecim, omnis delectatio pretiosorum ciborum abscedit? Tamen, ut breviter dicamus, nulla memoria temporalium potest extendi, nisi quandiu homo vivit; quia nullus potest cogitare se amplius habiturum ista temporalia, nisi quandiu vivit in ista vita. Sed, si cogitat de regno cœlorum, de gloria angelorum, de beatitudine, quæ est in visione Dei, in incorruptione et immortalitate; ista memoria potest extendi in generationes sæculorum, id est in æternum; quia ista manebunt in æternum. Ideo ait : *Memoria mea in generationes sæculorum.*

Ergo, fratres, ut aliquando sermonem nostrum finiamus, transeamus ista terrena et caduca, ut perveniamus ad sapientiam et adimpleamur generationibus illius, id est illis virtutibus, quibus ipsa generetur in nobis. Experiamur, quantum possumus, quia spiritus ejus dulcis est, et hæreditas ejus super mel et favum. Auferamus, quantum possumus, memoriam nostram de ipso mundo, et cor nostrum ad æterna transferamus, ut intercedente pro nobis beatissima domina nostra sancta Maria, cujus hodie festa celebramus, quandoque ad ea, quæ æterna sunt, pervenire valeamus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XX.

IN EADEM SOLEMNITATE II.

Mirabilis est misericordia Domini nostri Jesu Christi. Ipse est judex noster, et scit, quia miseri sumus, et non possumus in judicio ejus per nos bonam causam habere. Misericors est, et vult nostri misereri, sed non potest nisi juste judicare. Quomodo ergo providit nobis? Docet nos bene vivere, et nos contra male vivimus. Per baptismum nobis primum omnia peccata donavit, et nos postea lapsi sumus. Sæpe promisimus emendationem, et tamen semper peccamus. Dat nobis locum pœnitentiæ, et nos negligimus. Et tamen super hæc omnia parcit, et quia nos indigni sumus, nec tales, quos debeat exaudire : proponit nobis amicos suos, ut eos rogemus, et per eos ad eum accedamus et ei reconciliemur. Vos scitis quia hoc solent facere homines hujus sæculi. Quando dominus iratus est illis, quæruntfamiliares ejus aliquando, sæpe etiam sponsam ejus : ut si forte non sunt culpabiles, libentius audiat dominus causam illorum, quando ab illo vel illa dicitur, quam dominus valde diligit; et si culpabiles sunt, per illorum precem ignoscat eis. Invenimus de quodam sancto rege, qui lætabatur quando aliquis rogabat pro illo, quem necesse habebat secundum leges punire, ut posset habere justam causam ignoscendi. Ille sine dubio imitabatur Dominum nostrum, qui, ut possit etiam juste ignoscere nobis, vult ut sui familiares orent pro nobis. Consideret modo unusquisque seipsum; videat qualis est causa sua ante Dominum. Quomodo viximus ante conspectum ejus? Certe nos homines sumus, ille Deus; nos servi, ille Dominus; nos creaturæ, ille Creator. Non Deum nostrum coluimus, sicut debuimus; non obedivimus Domino nostro, sicut debuimus; non dilexiimus Creatorem nostrum, sicut debuimus. Ideo, fratres, si bene consideremus nosmetipsos, non poterimus ei respondere unum pro mille, sicut dicit Scriptura (*Job* IX). Quid ergo faciemus? Nihil possumus celare ei. Nam, sicut dicit Apostolus : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* IV). Offeramus illi preces nostras. Dicamus illi : *Non intres in judicium cum* servis tuis (*Psal.* CXLII). Parum est, tamen, nostras preces tantum offerre. Quæramus illius auxilium, cujus preces nullo modo velit contemnere.

Accedamus proinde ad sponsam ejus, accedamus ad matrem ejus, accedamus ad optimam ancillam ejus. Totum hoc est beata Maria. Ideo cum jucunditate Nativitatem beatæ Mariæ celebremus; ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum. Si aliquid boni fecimus per gratiam Dei; si ipsa illud filio suo præsentaverit, non spernet. De malo quod fecimus sine dubio veniam impetrabit. Hoc est ergo nobis necessarium, ut ita nos habeamus coram illa, ut ipsa velit suscipere causam nostram. Sed quid ei faciemus? Qualia ei munera offeremus? Utinam saltem possemus reddere ei, quod debemus illi ex debito! Nos illi debemus honorem, nos illi

Digitized by Google

debemus servitium, nos illi debemus amorem, nos illi debemus laudem. Nos illi debemus honorem, quia est mater Domini nostri. Qui enim non honorat matrem, sine dubio inhonorat filium. Iterum Scriptura dicit : *Honora patrem tuum, et matrem* (*Exod.* xx). Quid ergo dicemus, fratres? Nonne ipsa est mater nostra? Certe, fratres, ipsa est vere mater nostra. Per illam enim nati sumus, per illam nutrimur, crescimus per illam. Per illam nati sumus, non mundo, sed Deo; per illam nutrimur, non lacte carnis; sed illo, de quo dicit Apostolus : *Lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III). Per illam crescimus; non magnitudine corporis, sed in virtute animæ. Modo videamus qualis sit ista nativitas; quale sit illud lac, quale sit istud crescere.

Fuimus omnes, sicut creditis et scitis, in morte, in vetustate, in tenebris, in miseria. In morte, quia Dominum perdideramus; in vetustate, quia in corruptione eramus; in tenebris, quia lumen sapientiæ amiseramus, et ita omnino perieramus. Sed per beatam Mariam multo melius quam per Evam nati sumus, per hoc quod Christus de ea natus fuit. Pro vetustate recuperavimus novitatem, pro corruptione incorruptionem, pro tenebris lumen. Ipsa est mater nostra, mater vitæ nostræ, mater incorruptionis nostræ, mater lucis nostræ. Dicit Apostolus de Domino nostro : *Qui factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio* (*I Cor.* I). Ipsa igitur, quæ est mater Christi, mater est sapientiæ nostræ, mater justitiæ nostræ, mater sanctificationis nostræ, mater redemptionis nostræ. Ideo nobis magis mater quam mater carnis nostræ. Ex ipsa ergo est melior nostra nativitas; quia ex ipsa est nostra nativitas; nostra sanctitas, nostra sapientia, nostra justitia, nostra sanctificatio, nostra redemptio. Ideo cum jucunditate ejus celebremus Nativitatem, de qua habemus tam bonam nativitatem. Nunc quale lac de illa sumpsimus, videamus. Verbum Dei, Filius Dei, sapientia Dei, panis est, et solidus cibus est. Et ideo de illo soli illi qui fortes erant, id est angeli, manducabant. Nos, qui parvi eramus, non potuimus cibum istum gustare, quia solidus erat; nos, qui in terra eramus, non potuimus ad istum panem ascendere, quia in cœlo erat. Quid ergo factum est? Venit iste panis in uterum B. Virginis, et ibi factus est lac, et tale lac, quale nos sugere possumus. Considera modo Dei Filium in gremio Virginis, inter brachia Virginis, ad ubera Virginis, hoc totum lac est, hoc suge. Istud est lac, quod nobis bona mater nostra ministravit. Jam nunc considera ejus castitatem, ejus charitatem, ejus humilitatem; et exemplo ejus cresce in puritate, cresce in charitate, cresce in humilitate; et ita sequere matrem tuam. Ecce quemadmodum mater nostra est; ideo debemus illi honorem. Hoc enim præcepit Dominus, sicut diximus : *Honora patrem tuum, et matrem tuam.* Debemus etiam illi servitium, quia domina nostra est.

A Sponsa enim Domini nostri, domina nostra est; sponsa regis nostri, regina nostra; ideo serviamus illi. Apostolus enim præcipit : *Servi, subditi estote omni timore dominis* (*I Petr.* II). Et, si ille contra præceptum Domini facit, qui non servit istis dominis carnalibus, sine dubio reprehensibiles sunt, qui spirituali huic dominæ non serviunt. Sed quomodo debemus servire illi?

Fratres, nullum servitium placet illi tantum, quantum hoc, ut nos omni amore et affectu humiliemus filio suo; quia omnis laus, omne servitium, quod exhibemus filio suo, hoc totum tenet pro suo. Nemo dicat : Quamvis faciam hoc aut illud contra Dominum, non curo multum; serviam sanctæ Mariæ, et securus ero. Non ita est. Statim ubi homo B offendit filium, ibi sine dubio offendit et matrem. Sed quando volumus concordare Domino nostro post peccata nostra, tunc necessarium est ut eam requiramus, et ei nostram causam committamus. Item debemus ei amorem. Caro enim et soror nostra est. Non videatur vobis præsumptuosum quod dico. Ipse Filius Dei, quia filius hominis est, frater noster est; attamen ipse de sola matre homo; ista et de patre, et de matre. Videte modo quantum possumus præsumere de illa, quia soror nostra est. Amemus illam, quia ipsa utique amat nos. Istam utique sororem debemus amare; cujus sanctitas, cujus benignitas, cujus puritas non solum sibi, sed nobis omnibus profuit. Iterum debemus illi C laudem. Dicit enim Scriptura : *Laudate Dominum in sanctis ejus* (*Psal.* CL). Si Dominus noster laudandus est in illis sanctis, per quos ille facit virtutes et miracula, quantum laudandus est in ista, in qua fecit seipsum, qui super omnia mirabilis est mirabilis! Si illi sunt laudandi, qui proponunt servare castitatem : quomodo est illa laudanda, quæ sine exemplo elegit servare virginitatem, et tamen cum virginitate obtinuit fecunditatem! Si illi laudandi, per quos Deus suscitat mortuos, quomodo est illa laudanda, per cujus sanctitatem totum mundum de morte perpetua suscitavit! Ideo, fratres, laudemus illam, et cum jucunditate Nativitatem ejus celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Deum nostrum. Sed, si voce laudamus, D moribus non vituperemus. Idcirco non ficte, sed vere laudemus. Falso ille laudat, qui quod laudat, quantum potest, non vult imitari. Ille vere laudat humilitatem sanctæ Mariæ qui, quantum potest, studet esse humilis. Ille vere laudat ejus castitatem, qui exsecratur et despicit omnem immunditiam et libidinem. Ille vero laudat ejus charitatem, qui tota intentione et studio tendit ad hoc, ut possit Deum et proximum perfecte diligere.

Ideo, fratres, si volumus illam digne laudare, maxime hæc tria studia debemus habere, bonas cogitationes, sanctos sermones, et recta opera. Qui enim ista habet, quantum potest, et ad hoc tendit ut possit ista perfecte habere, ille imitatur sanctam Mariam. Ista enim tria commendat in illa Spiritus

Digitized by Google

sanctus, qui ait per Salomonem : *Favus distillans labia tua. Mel et lac sub lingua tua. Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris* (*Cant.* IV). Per labia debemus accipere verba, quia per labia loquimur. Favus est cera, quæ habet in se mel. Favus distillans, quæ habet tantam abundantiam mellis intrinsecus, ut etiam incipiat foris fluere. Ideo bene verba beatæ Mariæ possunt comparari favo currenti, quia omnia verba ejus dulcia erant; plena, non carnali dulcedine, sed spirituali. Sed multi sunt, qui habent mel in ore, non tamen favum distillantem, quia multi habent dulcia verba, sed non veniunt ex abundantia interioris dulcedinis. Isti secundum aliquid similes sunt api, quæ habet dulcedinem et punctionem. Ex una parte mel habent, quia dulce loquuntur, omnibus adulantur, voluntatem omnium sequuntur, sed hoc tantum foris. Nam in secretis suis, vel forte in cordibus suis, quos foris melle liniverint, intus detractionibus et judiciis pungunt. Non habent isti favum distillantem, quia ista dulcedo verborum non venit, ut diximus, de abundantia interioris dulcedinis. Non sic B. Maria. *Favus*, inquit, *distillans labia tua*, id est verba tua dulcia ex abundantia interioris dulcedinis. Et, ut sciamus, unde est ista dulcedo verborum, statim adjunxit : *Mel et lac sub lingua tua.* Qui voluerit sanctam dulcedinem habere in verbis suis, talem quæ Deo placeat, necesse est, ut duo habeat in cogitationibus suis et in corde suo, id est sanctitatem ad se, et compassionem ad proximos. Qui ista duo habet in corde suo, qui in istis duobus servat cogitationes suas, erunt ejus sermones pleni spirituali dulcedine. Sicut mel de diversis floribus fit, ita omnis sanctitas in multis virtutibus constat. Ideo per mel possumus intelligere sanctitatem. Lac, quoniam est signum maternæ charitatis, et nutrit parvulos, et facit matrem inclinare se ad parvulum suum; per lac intelligimus compassionem. Nihil autem magis facit hominem pie et benigne et dulciter loqui cum alio quam compassio. Sed compassio sine sanctitate remissio est.

Videte ergo quod dicitur : *Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua.* Ac si diceret : Ideo sermones tui pleni sunt spirituali dulcedine, quia veniunt de interiori sanctitate et compassione. Sub lingua sunt illa, quæ non adhuc veniunt ad linguam. Ideo dicit : *Sub lingua tua*, quasi diceret, in cogitationibus tuis. Sequitur : *Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* In vestimentis debemus accipere bona opera nostra, quia per bona opera nostra teguntur peccata nostra quasi turpitudo nostra. Ipsa etiam sunt ornamenta nostra ante Deum. In thure possumus duo considerare : bonum odorem, et divinum sacrificium. Vestimenta igitur sanctæ Mariæ comparantur thuri; quia et Deo placebant, et hominibus odorem bonæ famæ exhibebant. Multi sunt, quorum vestimenta habent bonum odorem, sed non habent odorem thuris. Quia multi sunt, de quibus forma religionis exit, quorum opera videntur hominibus esse sancta; sed non habent odorem thuris, quoniam in Dei sacrificio eorum opera non ponuntur. Ideo, fratres charissimi, imitemur beatissimam Mariam, quantum possumus. Sint in nobis sancta meditatio, et pia erga invicem compassio, quasi mel et lac. Sint labia nostra quasi favus distillans, ut omnia verba nostra ex dulcedine charitatis procedant. Si corripimus, fiat cum charitate ; si ab illo corripimur, audiamus hoc cum charitate, ut secundum Apostolum, *omnia nostra in charitate fiant* (*I Cor.* XVI). Ex operibus nostris Deo sacrificemus per bonam conscientiam, spargamus inde bonum odorem, ut alii sumant exemplum, et sic non habeamus jucunditatem carnalem ; non de epulis, non in jocis, non in hujus mundi pompis, sed cum omni jucunditate spirituali hodie Nativitatem B. Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXI.

IN NATIVITATE B. MARIÆ III.

Vos scitis, fratres charissimi, quia nos celebramus hodie Nativitatem dominæ nostræ sanctæ Mariæ : et ideo justum est ut gaudeamus in Domino, et ad memoriam nostram revocemus quantum gaudium nobis advenit per ejus nativitatem, quia in ejus nativitate cœpit apparere omne gaudium nostrum. Et ideo justum est ut excitemus nosmetipsos in hac festivitate ad laudandum Dominum nostrum. Sed, quia in hac nocte excitati estis per cantus, per lectiones, per psalmos, et per cætera talia quæ conveniunt festivitati, ut nihil vobis desit, volumus etiam, quantum possumus, vos excitare per sermonem nostrum. Spero autem quod, etsi illum ardentissimum vestræ devotionis affectum sermo noster non augeat, non minuet tamen. Et sicut mihi videtur, nihil aliud debet nos magis excitare ad amorem et laudem Domini nostri, et ad gaudium spirituale, quam si commemoremus vobis hoc, quod Dominus noster hodie incœpit ostendere nobis. Hodie enim nobis cœpit illam miram misericordiam suam, miram pietatem suam exhibere, quam ante tot annos promiserat Abrahæ, scilicet quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes. (*Gen.* XXII). Hodie enim fuit natum illud semen, de quo ortus est sol justitiæ Christus Deus noster, in quo sine dubio non una gens, sed omnes gentes benedictæ sunt, quia per omnes gentes est fides Christi, et ejus benedictio. Istud semen, fratres, est beata Maria, quæ hodie nata est de semine Abrahæ : quæ tam miram benedictionem recepit a Domino, quod abstulit maledictionem mundi. Nam, sicut Evangelium quod hodie legitur narrat, certissimum est quod ipsa est de semine Abrahæ. Ibi enim legimus : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* I). Unde scimus quod Dominus noster, qui non habuit patrem in terra, non

Digitized by Google

posset dici recte filius Abrahæ, et filius David, nisi mater ejus esset de eodem semine. Iterum ut essemus certi, quia ipse est ille, de quo Deus locutus est ad Abraham, voluit evangelista Matthæus narrare nobis totam progeniem Domini nostri, ab Abraham usque ad beatam Mariam, de qua ortus est sol justitiæ Christus Deus noster. Debemus adhuc etiam considerare, quia non solum ad hoc tendebat evangelista, ut nobis simpliciter ostenderet illos patres, de quibus natus est Christus, et carnalem ejus progeniem sciremus; sed etiam ut de carnali ejus progenie spiritualem fructum capiamus. Quia, si ad nihil aliud ostenderet evangelista, quare faceret illas tres distinctiones, id est in unaquaque distinctione poneret quatuordecim generationes, id est quatuordecim nomina? Sic enim dicit : *Ab Abraham usque ad David, quatuordecim generationes; a David usque ad transmisgrationem Babylonis, generationes quatuordecim. A transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim* (*ibid.*). Et quia noluit hunc numerum excedere, sed istas distinctiones servare, ideo omisit numerare quosdam patres et filios, qui pertinent ad istam progeniem, et transivit de patre ad tertium nepotem. Et ideo per illos patrés et filios, per quos Christus descendit ad nos, debemus aliquid spirituale intelligere, et notare quosdam gradus, quibus debemus ascendere ad ipsum. Ideo videamus, quomodo narrat istam progeniem.

Ille incipit ab Abraham, et descendendo pervenit ad Dominum nostrum. Sicut videtur, per istam descensionem, qua Dominus noster descendit ad nos, voluit ostendere nobis quamdam ascensionem, qua debemus ascendere ad ipsum. Ideo enim ille descendit, ut nos ascenderemus. Ideo pro nobis pauper factus est, ut divites faceret. Evangelista autem incipit istam descensionem ab Abraham. Abraham autem interpretatur *pater excelsus*, per quem potest significari ille, qui vere excelsus pater est, id est Dominus Pater Domini nostri Jesu Christi. Inde, id est de sinu Patris excelsi descendit Dominus noster ut veniret ad nos. Per hoc autem venit ad nos, quod homo factus est inter nos. Et per hoc quod homo est, utique filius Mariæ est. Ideo in fine hujus descensus ita ait evangelista : *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* (*ibid.*). Ergo, fratres charissimi, si volumus illuc ascendere, unde ille descendit ad nos, id est ad Patrem excelsum, hic incipiamus nostrum ascendere, ad filium Mariæ, id est ad humanitatem Christi, et sic ascendamus ad ejus divinitatem. Ipse est enim via, sicut ipse ait : *Ego sum via* (*Joan.* XIV). Sine ista via, nullus potest pervenire ad Patrem excelsum. Ideo ait : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*ibid.*). Nemo enim potest aliquod bonum incipere, nisi incipiat a Christo. Ipse est enim fundamentum omnium bonorum, sicut dicit Apostolus : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Jesus Christus* (*I Cor.* III). Sed, quia nos in profundo sumus, ille autem ad quem ascendere debemus, valde altus est; non possumus nisi per quosdam gradus illuc pervenire. Istos gradus spirituales, per quos debemus ascendere, possumus, ut diximus, notare in istis patribus, per quos Dominus noster descendit ad nos, ut ad illum ascenderemus. Ideo, sicut ille ab Abraham, id est Deo Patre descendit ad nos per istos patres secundum carnem; ita et nos per istos patres spiritualiter intellectos ad ipsum Deum Patrem ascendamus. Et primum videamus, quid significent istæ tres distinctiones, quas evangelista fecit.

Puto quod per has tres distinctiones debeamus accipere tres status, in quibus sunt omnes qui volunt per istos gradus ascendere illuc, unde Christus descendit ad nos. Primus status est nostra conversio; secundus nostra purgatio; tertius nostra exspectatio. Sic debet unusquisque proficere. Primo enim homo convertitur ad Dominum a sæculi hujus vanitate; postea purgatur a vitiis, quæ contraxit ex mala consuetudine. Et postquam fuerit purgatus a vitiis, quantum humana fragilitas permiserit, tunc debet cum magno desiderio solutionem suam exspectare; quando debeat de hoc corpore exire, et ad Christum venire et secure suum præmium recipere. Sed, si homo vult ad istum summum gradum ascendere, primo debet esse perfectus in primo, et postea in secundo, et sic ascendere ad tertium. Ideo oportet ut quicunque convertitur ad Dominum, non timide aut tepide convertatur. Ille timide et tepide convertitur ad Dominum, qui, quando relinquit sæculum, non vult perfecte omnia sua deserere; sed contra Domini præceptum sollicitus est de crastino, et aliquid sibi reservat, et de sua substantia; incipit aliquam novellam habitationem ædificare, et timet ne possit pati illam districtionem, quæ est esse sub alterius imperio; et incipit per se vivere, et suimet curam habere, et prius esse magister quam discipulus. Ille etiam tepide se convertit ad Deum, qui, quamvis relinquat omnia quæ habet, et se ponat sub alterius potestate, aliquem locum eligit, et ibi se ponit, ubi habeat tantas delicias, vel etiam plures, quam habebat in sæculo. Sed et ille tepide convertitur ad Deum, qui in quacunque domo fuerit, quantum potest, semper trahit ad quietem et delicias carnis, et nihil curat, nisi ut quocunque modo possit remanere in domo, ad quam venit. Iterum in purgatione nostra debet esse perfectio, ut non sufficiat nobis, si illas abominationes, quas fecimus in sæculo, relinquamus, et tamen ira, invidia, detractione, murmuratione, occultis etiam sordibus, oculus cordis nostri maculetur. Iterum in exspectatione nostra debet esse quædam perfectio, id est perseverantia usque in finem, et semper fervens desiderium. Istas perfectiones possumus intelligere per tres tessaredecades.

Sed quare posuit istum numerum, id est quatuordecim in unaquaque distinctione? iste numerus

Digitized by Google

significat perfectionem. Decem enim et quatuor significant legem et Evangelium, in quibus est omnis perfectio. Decem significat perfectionem legis, propter decem præcepta, quæ erant in lege. Quatuor significat perfectionem Evangelii, propter quatuor libros evangelistarum. Ideo autem posuit evangelista istum numerum, qui significat perfectionem, quia in unoquoque statu debet homo esse perfectus, quia utique perfecta debet esse conversio nostra. Nam si in isto statu non fuerimus perfecti, nullomodo possumus ad illum alium statum pervenire. Nisi enim voluerimus perfecte ad Dominum ab hoc sæculo converti, nequaquam poterimus a vitiis nostris purgari. Et nisi perfecte a vitiis nostris purgati fuerimus, nullo modo possumus secure præmium cœleste exspectare. Sed quoniam nec ad primam perfectionem, quæ est in conversione, nec inde ad alias potest homo statim pervenire, ideo debet quasi per quosdam gradus ascendere donec perveniat illuc, unde Dominus noster descendit ad nos. Jam nunc ergo, fratres, ascendamus et a Christo incipiamus, ut ad Christum perveniamus. A Christo incipiamus, secundum quod homo est; et ad Christum perveniamus, ubi cum Patre excelso unum est. Et si volumus per istos patres, quos commemorat Evangelium, accipere illos gradus spirituales per quos debemus ascendere, debemus primo incipere a Joseph, et ita sursum versus pervenire usque ad transmigrationem Babylonis. Nam isti sunt gradus, qui pertinent ad primum statum :

Joseph interpretatur *augmentum*. Scire debemus quod Dominus creavit rationalem creaturam ut esset particeps beatitudinis illius, ita ut nihil aliud illi posset sufficere ad beatitudinem, nisi solus Deus. Et hæc est tota perfectio rationalis creaturæ, et omne bonum adhærere illi. Et ideo recedens ab eo, tendit ad nihilum. Et hoc modo omne detrimentum hominis fuit, recedere a Deo. Idcirco, quando homo convertit se ad Deum, tunc incipit augmentum ejus. Et ideo si volumus ad ipsum ascendere, primum est ut convertamur ad eum et sic incipit augmentum nostrum, quod possumus intelligere per Joseph, qui interpretatur *augmentum*. Dominus noster Jesus Christus, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit* (*Philipp.* II), et descendit usque ad infirmitatem nostram. Sed quia *quod infirmum est Dei fortius est hominibus* (*I Cor.* I), ideo ubi ille devenit ad defectum nostrum, ibi incœpit augmentum nostrum. Sed quia ab illa magna claritate cecidimus in istas tenebras, ab illa magna quiete, quam primus homo habuit in paradiso, cecidimus in hoc mare magnum et spatiosum, ubi abundant ventus tentationum, fluctus persecutionum, et in hanc noctem, in qua transeunt omnes bestiæ silvæ (*Psal.* CIII).

In hoc etiam mari sunt reptilia, quorum non est numerus (*Psal.* XXXIX), id est maligni spiritus, qui semper intendunt ad nos decipiendos ; et inter ista omnia mala et pericula oportet nos illuc ascendere, unde cecidimus ; et in ista nocte debemus ascendere, et a mari ascendere ; necesse habemus ut habeamus aliquam lucem quæ nos illuminet, per quam ipsos gradus possimus ascendere. Ideo orta est nobis hodie stella quædam, domina scilicet nostra sancta Maria, quæ interpretatur *stella maris*, sine dubio stella istius maris, videlicet istius sæculi. Et ideo debemus erigere oculos nostros ad istam stellam, quæ hodie apparuit in terra, ut ipsa nos ducat, ut ipsa nos illuminet, ut ipsa nobis ostendat istos gradus, ut eos cognoscamus, ut ipsa nos consoletur, ne ascendendo deficiamus, ut ipsa nos adjuvet, ut ascendere valeamus. Et ideo pulchre in ista scala, de qua loquimur, ubi nos debemus incipere ascendere, ibi posita est Maria, sicut dicit evangelista, *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ* (*Matth.* I), ut statim in ipsa prima conversione nostra ipsa nobis appareat, et recipiat in sua custodia, et illuminet luce sua, et comitetur nobis in ista via laboriosa. Igitur, illa illuminante et docente per omnia, qui incepimus converti ad Deum, ipsam conversionem ducamus ad perfectionem, et incipiamus a Joseph, ubi incipit augmentum nostrum ; et proficiamus et ascendamus, donec pertranseamus transmigrationem Babylonis, ut qui fuimus per vitia et peccata captivi sub potestate Nabuchodonosor in Babylone, id est in confusione, liberemur per gratiam Christi, ad quem conversi sumus : et ita cum perfecte convertendo ad Deum redierimus a Babylone, transeamus ad secundum statum, et incipientes nosmetipsos purgare, ascendamus de gradu in gradum, donec veniamus ad Salomonem, qui interpretatur *pacificus*, ut, scilicet purgati a malis passionibus, habeamus in nobis quamdam pacem et tranquillitatem, et sic ingrediamur tertium statum, qui incipit a David, qui interpretatur *desiderabilis* ; ut et nos desideremus, et ardeamus videre illum desiderabilem vultum Creatoris nostri, et in ipso desiderio nostro perveniamus ad Patrem Abraham, ad Deum scilicet excelsum, et videamus eum in Sion.

Sed quia longum est, si velimus ista omnia nomina percurrere, et in singulis istos gradus quærere ; hoc videamus, ad quam perfectionem debemus in singulis istis tribus statibus pervenire. Et hoc primum videamus, ut fundamentum positum sit, id est fides Christi. *Sine fide* enim *impossibile et placere Deo* (*Hebr.* XI). Postea vero diligenter consideremus, ut semper habeamus ante oculos nostros istam stellam, quæ hodie apparuit in terra, ne deficiamus propter tenebras hujus noctis, in qua sumus, et sic incipiamus ascendere in primo statu, ut conversio nostra perfecta sit.

Iste status incipit a Joseph. Joseph, ut diximus, interpretatur *augmentum*. Quid significat hoc augmentum, dicit Dominus in Evangelio : *Quis volens turrim ædificare, non prius sedens cogitat, si habeat sumptus ad perficiendum* (*Luc.* XIV)? Turris ista est

Digitized by Google

perfectio, ad quam debemus ascendere. Oportet ergo ut, qui voluerit istam turrim spiritualiter ædificare, augeat sibi expensas unde possit perficere, ut sit in isto primo gradu, id est augmento. Sed quæ est ista expensa? Dubitaremus dicere, nisi ipse Dominus prius dixisset, oportere sumptus computare ad istam spiritualem ædificationem; statim in fine hujus Evangelii, de quali sumptu loqueretur ostendit, dicens : *Sic qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus* (*ibid.*). Mira res. Homines hujus sæculi, si volunt aliquid ædificare magnum, non solum servant ea quæ habent, sed etiam multa congregant et acquirunt. Sed ille qui vult spiritualem ædificationem facere, non solum non debet id quærere quod non habet, sed etiam id quod habet relinquere. Quod ergo illis videtur detrimentum, hoc est nostrum augmentum. Quanto enim magis minuuntur pro Christo istæ corporales divitiæ, tanto magis augentur spirituales. Ideo nobis, qui desideramus ascendere et spiritualem turrim ædificare, primum est positus ante nos Joseph, id est augmentum, ut scilicet terrenas divitias abjiciamus, et sic spirituales divitiæ nobis augeantur. Scire autem debemus quia temporales divitiæ et occupationes mundi sunt quasi quædam vincula, quibus diabolus tenet homines ligatos, ut non possint libere ascendere scalam Dei. Ideo quidam dives, quia audivit a Domino : *Vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX), abiit tristis. Quare autem abierit tristis, evangelista nobis ostendit, qui ait : *Erat autem habens multas possessiones* (*ibid.*). Tenebat eum ligatum diabolus occupationibus mundi, quasi quibusdam vinculis. Ideo tristis fuit. Videbat enim quid illum oporteret facere, sed quia erat his vinculis ligatus, non poterat se sine magna tristitia expedire. Qui ergo projecerit propter timorem Dei et amorem divitias hujus mundi, facile potest scalam Dei ascendere et diabolum supplantare. Quia nullomodo potest homo levius supplantare diabolum, quam per timorem Dei, quasi acuta novacula, abscindere vincula, quibus diabolus tenet eum ligatum. Sed quia quando homo incipit converti ad Deum a peccatis suis, timor nimius vult aliquando ducere eum ad desperationem : ideo ascendat superius, et respiciat ad illum qui vere misericors est, et totam spem suam in eam ponat, et eum super omnia diligat; quia omnibus qui convertuntur ad eum sine ulla dubitatione donat omnia peccata.

Dicit Salomon in Proverbiis : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). Non enim curat diabolus tentare hominem, quem in potestate sua habet. Qui enim propriæ concupiscentiæ in omnibus obedit, et satisfacit desideriis carnis suæ, non curat diabolus ad illum accedere; sed si cœperit ipsas concupiscentias abjicere, et niti contra desiderabilia carnis suæ, tunc dolet diabolus, et aggreditur eum acriori certamine. Is quem dialolus impugnat, non deficiat; sed superius ascendat, et diabolum, et omnia ejus argumenta despiciat, et dicat : *Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum* (*Psal.* XVII). *Si* enim *Deus pro nobis, quis contra nos?* (*Rom.* VIII.) Ponit diabolus ante oculos divitias mundi, quas abjecit homo, et vult eum facere redire ad vomitum suum. Sed ille cum omni fiducia dicat : *Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum.* Et sic consideret, quia si delectabilia sunt terrena et transitoria, sine ulla dubitatione delectabilior est ille, qui fecit non solum ista terrena, sed et omnia dona pulchra, et cœlestia et terrena, et pro ejus amore omnia contemnat et dicat : Deus meus, divitiæ meæ, honor meus, thesaurus meus, et omnia bona mea. In isto gradu jam perfecte contemnuntur omnes divitiæ; quia, quando homo considerat pulchritudinem Creatoris sui, parum ei videtur quidquid reliquit in sæculo. Sed jam, calcatis divitiis, quia illæ non possunt impedire quin conveniatur ad Deum, incipiunt impugnare carnales affectiones, scilicet patris et matris, fratrum et amicorum. Iste locus est valde periculosus. Quando enim homo vult relinquere sæculum, et converti ad Deum, obstant omnes, retinent, clamant. Relinquis nos? Quis in senectute sua sustinebit patrem tuum? Quis consolabitur matrem tuam viduam desolatam? Quis adjuvabit fratres, sorores, parvulos, qui omnes attendunt ad te? Hæc si non dicantur foris, ipsa tamen carnalis affectio vel diabolus dicit in corde. Ex alia parte occurrunt familiares, amici, et socii, cum quibus valde dulciter vixit, et dicunt : Ita relinquis nos? Ita dividemur? Sed qui ascendit scalam istam spiritualem, et vult cantare canticum graduum, dicat : *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa* (*Psal.* CXIX). Et iterum : *Narrant mihi iniqui delectationes; sed non ut lex tua, Domine* (*Psal.* CXVIII).

Istæ certe affectiones, quasi quædam nubes obscurant animam, et abscondere nituntur omnem spiritualem delectationem. Sed debemus hic maxime cogitare hanc stellam nostram, quæ nobis luceat in hac nocte, in hac obscuritate. Debemus considerare radium, qui de ista stella ortus est; qui quodammodo obscuratus est propter nos, ut nos liberaret ab his obscuritatibus. Ipsum ponamus contra omnes carnales affectiones, et ipsum consideremus patrem, fratrem, matrem, amicum. Patrem, quia erudit nos; matrem, quia consolatur nos, et lacte dulcedinis suæ nutrit nos; fratrem, quia carnem de carne nostra assumpsit; amicum, quia sanguinem suum fudit pro nobis. Hæc est recta via. Sed hic cavendi sunt latrones, qui se abscondunt, et plerumque incautos feriunt. Hic solet latere leo in insidiis, ille qui circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* V); et quem non potest per suum gladium vulnerare, solet per ipsius arma, quem tentat, appetere. Tela illius sunt vitia, quibus nos aperte impugnat. Arma nostra sunt virtutes, quibus ei resistimus. Ideo, quando

Digitized by Google

non potest per aperta vitia, quæ sunt ejus tela, A destruere, vult de nostris armis nos occidere. Nititur enim animo nostro persuadere ut in nobis ipsis gloriemur, quasi nostra virtute divitias reliquerimus, et nostra virtute affectiones omnes contempserimus. Contra hanc pestem debemus ascendere, ut unusquisque, quando profecerit, meminerit se a Domino adjutum, et non per propriam virtutem ad aliquod bonum pervenisse, vel pervenire posse, et non in se, sed in Domino glorietur. Ipse est enim qui operatur in nobis et velle, et posse, pro bona voluntate. Unde dicit Apostolus : *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV.)

Ergo qui vult perfecte converti ad Dominum, sic ascendat de gradu in gradum, donec perveniat ad B transmigrationem Babylonis. Sicut autem in descensione intelligitur illa transmigratio quæ facta est de Jerusalem in Babylonem, ita in ascensione debemus intelligere illam transmigrationem quam facere debemus de Babylonia versus Jerusalem. Hæc est conversio perfectionis nostræ, ut Babyloniam relinquamus. Babylon interpretatur *confusio*. Quandiu homo habet cor suum vel in divitiis hujus mundi, vel in deliciis, vel in amore carnali parentum et amicorum suorum, et in propria voluntate, utique in Babylone est, id est in confusione. Quia in corde, ubi ista sunt, sine dubio magna confusio est, et parva pax. Ideo ut perfecta sit nostra conversio, omnia ista abjiciamus, et de Babylone per- C fecte transmigremus. Et non solum transmigremus, sed et magistri Babylonis efficiamur. Magnum est enim, fratres mei, magistrum esse Babylonis. Videte, quæso, magnum mysterium. Omnes filii Israel, qui erant in Jerusalem, ducti sunt captivi in Babylonem; facta est tamen in ipsis captivis quædam divisio. Alii serviebant ipsis Babyloniis, et alii facti sunt magistri in ipsa Babylone et Babyloniis imperabant. Constituti sunt enim Daniel, Ananias, Azarias et Misael, principes super omnes satrapas regis Babylonis, omnes tamen captivi. Hæc, ut ait Apostolus, *in figura facta sunt nostri* (*I Cor.* X). Omnes enim, fratres mei, omnes omnino tenemur captivi in Babylone, id est in confusione. Quis enim se liberum ab hac captivitate pronuntiet, cum D Paulus dicat : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati?* (*Rom.* VII.) Ecce illa miserabilis captivitas. Omnes gemunt, qui non more phreneticorum gaudent. Babylonici, a quibus captivi tenemur, ipsæ sunt concupiscentiæ. Sed bonum est, fratres mei, ipsis Babylonicis imperare. Miserum quidem est inter ipsos vivere, sed miserrimum est ipsis servire. Sed plures serviunt, pauci imperant. Illi quippe in Babylone Babylonicis serviunt, qui in ista misera captivitate de qua locuti sumus ipsis concupiscentiis, ipsis desideriis carnis obedientes, præbent membra sua arma iniquitatis peccato. Illi imperant, qui ipsas concupiscentias comprimunt, qui membra sua bene regunt, ut non regnet peccatum in eorum mortali corpore (*Rom.* VI), et sint magistri confusionis suæ, et non servi.

Quod quia suis viribus nemo sufficit implere, clamemus cum Apostolo : *Quis nos liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Sic clamor meus semper sit ad Deum. Oculi nostri semper ad Deum, et sic intremus in alium statum. Nam, licet hæc perfecte fecerimus, et divitias et delicias, et omnes affectus carnales, et nostram propriam voluntatem abjecerimus, tamen adhuc nos impugnant vitia nostra, ira, impatientia, superbia, luxuria, et cætera hujusmodi. Ideo ingrediamur in alterum statum, et incipiamus nosmetipsos purgare a vitiis nostris per labores, per vigilias, per jejunia, per orationes, per compunctionem, per lectionem, per meditationem. Sed quia nihil tantum valet ad nostram purgationem, quantum assidua oratio ad Deum, ideo in principio hujus distinctionis ponitur Jechonias, qui interpretatur *præparatio Domini*, ut sciamus et memoriæ commendemus, quia nos non sufficimus nosmetipsos præparare, neque purgare; sed hoc quod convertimur ad Deum, huic sæculo abrenuntiando, quod purgamur proficiendo, oportet ut omnis ista præparatio Domini sit præparantis nos, ut digni efficiamur Dei ipsius visione, omni finita tentatione. Sciendum sane quia, quandiu aliquid terrenæ cupiditatis cordi nostro insederit, nequaquam poterimus illud verum et delectabile bonum esurire. Qui autem hic justitiam non esurierit, nescio si aliquando illa satiari poterit. Verum licet sæculum deseruerimus, licet nos alienæ voluntati subdiderimus, licet vitiis nostris pristinis resistamus; nihil quoque de nobis præsumentes orationi insistamus; adhuc tamen quædam cupiditates ex ipsa infirmitate, quæ non est adhuc perfecte sanata, irruentes oculum cordis obscurant : verique luminis puritatem, cui inhiare oportet, intueri non sinunt.

Agendum est ergo, et omni nisu insistendum, ut minuatur ista cupiditas, sanetur ista infirmitas, charitas augeatur, qua unum verum solum dulce et vere delectabile bonum ametur ferventius, desideretur attentius, suavius degustetur. Hic quidem labor immanis oboritur, sed non est desperandum; non enim in nobis, sed in Domino speramus. A Domino speremus salutem, ut non obruat infirmitas et non vincat cupiditas, ut charitas nutriatur; et ideo illum jugiter oremus ut ipse nos præparet, et purget, et faciat nos vasa in honorem et non in contumeliam. Ab isto autem opere non cessemus, sed ascendamus magis de gradu in gradum, donec inveniamus, imo donec ipsi efficiamur Salomon, qui est ultimus gradus in secunda distinctione. Salomon interpretatur *pacificus*. Tandiu ergo debemus nosmetipsos a vitiis purgare, donec habeamus pacem in nobis, et vitia conquiescant, nec possint levare caput contra nos, nec ali- quando nobis bellum inferre. Ista est enim perfectio secundi status, ut a Deo purgemur a vitiis nostris.

Digitized by Google

ut incipiamus etiam in hoc sæculo quasdam primitias illius pacis degustare, quam habebimus in nostra resurrectione, quando dicemus : *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus* (*I Cor.* XV)? Si vero in isto statu fuerimus perfecti, quid restat, nisi ut desideremus præsentiam Christi; suspiremus ad illam visionem beatam, ut sint nobis lacrymæ nostræ panes die ac nocte (*Psal.* XLI); et cum omni cordis affectione dicamus : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Ibid.*) Incipit autem iste status a David, id est a sancto desiderio; David *desiderabilis* interpretatur. Et quis illo desiderabilior, de quo ait propheta : *Veniet desideratus cunctis gentibus?* (*Agg.* II). Desideratus plane et desiderandus.

Ut autem perfectum sit istud desiderium, non debet finiri, donec veniamus ad Abraham, id est Patrem excelsum, ut videamus Deum deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII). Hæc est perfectio ad quam ascendere debemus; hoc est præmium quod exspectamus, visio scilicet Dei, id est Patris excelsi. O quantum præmium! quam magnum! quam bonum! videbunt eum justi, videbunt impii; sed aliter impii, aliter justi. *Videbunt*, impii *in quem transfixerunt* (*Joan.* XIX). Et iterum : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* (*Isa.* XXVI). Videbunt eum justi, sed sicut est, dicente Joanne : *Nunc filii Dei sumus; sed nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* (*I Joan.* III). Esse Dei est dissimiliter nunquam esse. Videbimus ergo eum, sicuti est; quia hunc in ipsa Deitatis suæ substantia contemplabimur, quod nulli prorsus electorum in hac vita conceditur, nec ipsi Moysi, qui eum in Angelica specie contemplari solebat, dicente ei Domino : *Non poteris videre faciem meam : non enim videbit homo faciem meam, et vivet* (*Exod.* XXXIII). Cui tamen pro merito magnæ sanctitatis ait : *Ostendam tibi omne bonum* (*ibid.*). Videbimus tunc illum speciosum forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), *in quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I). Nam, sicut quidam ait, quantum licet scire, Deus est substantia spiritualis, tam inæstimabilis pulchritudinis, tam ineffabilis suavitatis, ut angeli qui septuplo solem sua vincunt pulchritudine, desiderent in eum jugiter et insatiabiliter prospicere. Videbimus tunc illum, cujus spiritus super mel dulcis, et hæreditas super mel et favum, et spiritualibus brachiis amplexabimur, et mira quadam dulcedine osculabimur. Videbimus tunc, et sentiemus quam bonum et quam dulce erit, in illa beata vita frui conspectu Conditoris nostri, interesse angelorum societati, æterna immortalitate donari. Videbimus tunc illum, qui de sinu Patris descendit in gremium matris; ut nos incipientes, ut diximus, ab ejus humanitate, quam assumpsit de matre, perveniamus ad ejus divinitatem, quam semper habet cum Patre. Hoc totum bonum nostrum ab hac festivitate incepit, in qua orta est ejus beata Genitrix, qui nos ad tantam celsitudinem per suam gratiam perducit. Et ideo in principio hujus ascensionis ponitur ipse Jesus, ponitur Maria, ut sub ipsa misericordia, sub ipsius misericordiæ matre benignissima nemo desperet, nemo ascendere dubitet, sed in ipsis omnem spem suam, omnem ponens delectationem, ascendat securus, ascendat intrepidus. Nunquam enim poterit deficere, qui talibus auxiliis poterit adjuvari. Erigamus ergo ad ipsum Christum intuitum nostrum, deprecantes illum per merita suæ dulcissimæ matris, ut ipse efficiat volentes, ut ipse adjuvet ascendentes, ut ipse recipiat venientes, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXII.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Fratres mei, si non sufficimus loqui de uno sanctorum Dei, et ejus gloriam exprimere, quomodo sufficiemus de omnibus sanctis ejus sermonem facere? Hoc ergo magis necessarium est, ut ita nos habeamus, quatenus ad eorum gloriam pervenire valeamus. Quid ergo agendum est nobis? Quomodo ad illam exaltationem poterimus pervenire? Ideo, fratres, audiamus salubre consilium. Cui enim melius credere debemus, quam illi, qui jam ad illam excellentiam pervenit? Ipse certe novit viam, quam ipse ascendit. Audiamus ergo unum de magnis amicis Jesu dicentem : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet* (*I Petri* V). Scitis quomodo hodie per universum mundum omnes laudant sanctos Dei, angelos, archangelos, apostolos, martyres, confessores, virgines. Inde sunt cantus hodie in sancta Ecclesia, inde hymni, inde luminaria et cætera quæ conveniunt festivitati. Cantus significat illam perpetuam jubilationem, in qua sancti sunt, propter ineffabile gaudium quod habent de Deo. Hymni significant illam inenarrabilem laudem qua ipsi semper Deum laudant. Unde dicit psalmista : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Luminaria significant illam perpetuam lucem, in qua habitant sancti Dei. Unde in hac nocte cantastis : *In circuitu tuo, Domine, lumen est, quod nunquam deficiet.* Modo, fratres, cogitate, si potestis, quantum exaltati sunt in cœlo, qui ita possunt exaltari et honorari in terris? Certe, fratres, si omnem gloriam mundi, et omnem laudem mundi, et omne gaudium mundi possemus simul aspicere, in comparatione illius gaudii nihil est aliud quam summa miseria. Ideo, fratres, scire debetis quia istas festivitates in luminaribus, in canticis et cæteris hujusmodi non facimus, nisi propter duas causas. Ista enim non prosunt sanctis Dei, non isto terreno cantu delectantur, non istis terrenis, luminaribus et vilibus gloriantur, quorum laus Christus est, quorum lux ille est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). Primo ut per has renovationes excitemus nosmetipsos ad majorem devotionem. Deinde propter illam significationem, quam superius diximus : et ideo tantum debemus agere, quantum sufficit ad ista duo. Nam

Digitized by Google

illi non bene, non rationabiliter, sicut mihi videtur, celebrant istas festivitates, qui cum quadam nimietate et superfluitate quærunt istas glorias exteriores et pulchritudines, ita ut exteriori homine totcantibus, tot ornamentis, tot luminaribus et cæteris hujusmodi pulchritudinibus intento, nihil aliud pene poterit cogitare, quam ista quæ vel per oculos videt, vel per aures audit, vel per cæteros sensus carnis sentit.

Nos, fratres, qui ista non videmus, et scimus tamen quia a multis aguntur, cogitemus et delectemur in illa pulchritudine, quæ vera est, in qua sancti sunt sine corruptione; in illis spiritualibus ornamentis, quæ sancti habent in justitia et sanctitate; in illis hymnis et laudibus, quibus ipsi laudant Deum sine fastidio; in illa luce, quam ipsi vident in Dei facie; et ita agamus nostras festivitates ut mens nostra non reflectatur ad istas terrenas delectationes et caducas; sed potius ad illa spiritualia et æterna excitetur, et sic illorum gloriam et exaltationem consideremus. Et ut ad illorum exaltationem pervenire possimus, audiamus consilium apostoli, qui ait : *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Novit optime apostolus causam quare dejecti sumus, quare illam exaltationem, in qua creati sumus, perdidimus, quare in ista miseria expulsi sumus. Quæ est ista causa, fratres, nisi superbia? Ideo contra illam superbiam docet humilitatem. *Humiliamini*, inquit. Sed quia scivit quod non omnes qui se humiliant, sapienter se humiliant, ideo adjecit, *sub potenti manu Dei.* Alii humiliantur sub gloriosa manu Dei; alii humiliantur sub forti manu Dei; alii humiliantur sub larga manu Dei; alii humiliantur sub potenti manu Dei. Sunt angeli boni, sunt et angeli mali; sunt et homines boni, sunt et homines mali. Sicut dicit Apostolus : *In nomine Domini nostri Jesu Christi omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philipp.* II). Videte modo quia omnes humiliantur Domino nostro, et omnes ei subjiciuntur. Omnes certe et boni et mali, quia ejus voluntati nullus resistere potest, et omnes serviunt voluntati ejus, velint, nolint. Ideo salubriter nos monet Apostolus ut nos illi humiliemur, id est voluntate nostra subjiciamur ei, quia tunc habebimus meritum. Si enim ex voluntate nostra nolumus subjici illi, subjiciemur inviti, pœnam incurremus æternam. Jam videamus, qui sunt illi, qui humiliantur sub gloriosa manu Dei. Qui de manu Dei nihil aliud exspectant, nisi gloriam ipsius, in qua ipsi sunt sine fine beati, unusquisque secundum ordinem in quo creatus est. Mali autem angeli ipsi sunt, qui humiliantur sub forti manu Dei; quia fortitudo Dei premit eos, et facit eos, velint nolint, suæ servire voluntati. Unde dicitur in psalmo : *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII). Nonne sapienter illi illudit Dominus noster, quando omnia quæ fecit ad destructionem illorum qui sunt electi, hoc retorquet Dominus ad illorum profectum, et quidquid ipse facit ut minuat gloriam Christi, hoc auget gloriam Christi? Et puto, fratres mei, quod ipsemet hodie se tenet pro illuso. Considerat hodie gloriam apostolorum, martyrum et omnium sanctorum Dei, et videt quia per malitiam ejus aucta est illorum gloria. Quare enim tanta est illorum gloria, nisi quia, sicut dicit Apostolus : *Ludibria sunt et verbera experti, insuper vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt pro Christo?* (*Hebr.* XI). Et hæc omnia illis illata sunt per malitiam diaboli. Ipse enim operabatur in cordibus infidelium et impiorum, qui eos ita cruciabant. Et ecce omnia illa tormenta versa sunt illis in gloriam et coronam.

Sic, fratres mei, licet non patiamur illa corporalia tormenta, quæ illi passi sunt; tamen et per nos illuditur diabolo. Tentat enim et cruciat; sed quia fortitudo manus Dei premit eum, ne possit nos tentare supra id quod possumus sustinere, omnes istæ tentationes ad nostram gloriam, et ad illius contumeliam proficiunt. Similiter mali homines humiliantur sub forti manu Dei, quia non permittit eos Dominus exercere crudelitatem suam, nisi quantum viderit eis expedire. Alii sunt qui humiliantur sub larga manu Dei. Omnes tamen non eodem modo. Quidam enim videntes, quod ipse est *qui dat escam omni carni* (*Psal.* CXXXV), qui firmiter credentes quod in ejus manu sunt omnes divitiæ et honores, et cui voluerit dat illa; incipiunt servire illi, vel ut ista terrena acquirant, vel ne ista terrena amittant. Alii meliores istis largam manum ejus considerantes, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V), qui etiam ista temporalia mistim bonis et malis abunde tribuit, conjiciunt, quam mira sunt, quam ineffabilia, quæ servat suis tantum bonis et cupiditate illius beatitudinis, quam nec *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), serviunt illi et humiliantur. Item sunt alii, qui humiliantur sub potenti manu Dei. Illi sunt, qui considerantes ejus potentiam, qua superbos humiliat et humiles exaltat, qua damnat quos voluerit, salubri timore compuncti humiliantur. Ad hanc nos humiliationem Dominus invitat, dicens : *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, et non habent ultra quid faciant : sed eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X). Hæc est prima causa humilitatis nostræ, timor Domini. Sed est perfectior gradus, quando non illam potentiam considerat, qua damnat impios; sed illam, qua in ista vita suos potenter defendit, et in die judicii ad regnum cœlorum introducit. Ad istum gradum nos invitat Apostolus, dicens : *Humiliamini sub potenti manu Dei;* non timore pœnæ, sed, *ut vos exaltet in tempore visitationis* (*I Petr.* V). Tempus visitationis est dies judicii. Primo visitavit mundum per misericordiam, postea visitabit per judicium. Visitavit nos misericorditer, quando suum sanguinem fudit pro nobis; visitabit per judicium, quando *unicuique reddet secundum opera sua* (*Matth.* XVI).

Sunt etiam aliæ visitationes innumerabiles, qui-

Digitized by Google

bus hic Dominus visitat, non solum electos, sed etiam reprobos. Visitat nos per prospera, visitat nos per adversa. Visitat nos quando tentamur, visitat nos quando consolamur. Visitat nos per occultam inspirationem, visitat nos per exteriorem sermonem. Visitat nos per Scripturas, visitat nos per sacramenta. Et hæc omnia bonis proveniunt in salutem, malis in perditionem. Si autem volue imus in his omnibus visitationibus exaltari, humiliemur sub potenti manu Domini. Et quid sunt istæ festivitates, quas celebramus, nisi quædam ejus visitationes? Sed in istis visitationibus alii exaltantur, alii dejiciuntur. Ecce hodie celebramus festivitatem Omnium Sanctorum, nec soli nos celebramus. Quis est enim Christianus, qui non hodie celebrat istam festivitatem? Sed multi in luxuriis, in comessationibus, in ebrietatibus, in impudicitiis, et hujusmodi contaminationibus. Isti non exaltantur in ista visitatione, sed potius dejiciuntur. Qui vero in præsenti festivitate apud seipsum considerat sanctos Domini nostri, gloriam angelorum, doctrinam apostolorum, patientiam martyrum, constantiam confessorum, pudicitiam virginum; et in his omnibus nunc desiderat gloriam, ad quam pervenerunt; nunc fervet sequi per viam, per quam præcesserunt; et sic compungitur, dolet, plangit præteritas negligentias et peccata sua; proponit ferventius Deo servire, ut consequatur gloriam angelorum; patientius omnia adversa tolerare, ut perveniat ad coronam martyrum; purius cor suum et carnem suam amodo custodire, ut fruatur consortio virginum, iste est qui exaltatur in hoc tempore visitationis. Sed qui sunt, qui ista faciunt? Non superbi, non clari, non contradictores, non murmurosi. Sed qui? Utique qui se humiliant sub potenti manu Dei. Qui timorem Dei semper sibi ante oculos ponunt, qui divinam potentiam semper considerant, qui semper mortem suspectam ante oculos habent. Ergo, fratres, humiliemur sub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore visitationis. In istis visitationibus nos exaltet per bona opera, per sancta desideria, ut quando venerit in illa magna visitatione, quando requiret ab omnibus quid in ista vita gesserunt, ut reddat unicuique secundum opera sua, tunc nos perfecte exaltet, audientes illam delectabilem vocem: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* xv). Hæc erit vera exaltatio nostra, quando eorum consortiis fruemur in cœlis, quorum hodie festivitatem celebramus in terris. Quod per eorum merita nobis præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIII.

DE OMNIBUS SANCTIS II.

Benedictus sit imperator noster, qui pauperem familiam suam visitare non desistit. Aliquando, fratres charissimi, visitat nos per aliquem servorum suorum, aliquando per plures, aliquando per charissimam matrem suam, aliquando, quod plus est, per seipsum. Quæ sunt enim istæ festivitates Sanctorum, quas tam sæpe celebramus, nisi quædam visitationes, per quas visitat nos Dominus noster, et confortat? Quia ergo expediebat nobis, semper memores existere beneficiorum ejus, quæ nobis per præsentiam suam corporalem exhibuit: et quia scivit memoriam nostram esse corruptam per oblivionem, intellectum per errorem, studium per cupiditatem pie providit nobis ut ipsa sua beneficia non solum recitarentur nobis per Scripturas, sed etiam nobis repræsentarentur per quasdam spirituales actiones. Ideo quando tradidit discipulis suis sacramentum corporis et sanguinis sui, ait illis: *Hoc facite in meam commemorationem* (*Matth.* xxvi). B Ob hanc causam, fratres, institutæ sunt istæ festivitates in Ecclesia Dei, ut per hoc quod modo ejus nativitatem repræsentamus, modo ejus passionem, modo ejus resurrectionem, modo ejus ascensionem: semper sit recens in memoria nostra illa mira pietas, illa mira suavitas, illa mira charitas, quam in nobis per hæc omnia ostendit. Ex his etiam plurimum proficere debet fides nostra, quando et auribus nostris videmus quid Christus pertulit pro nobis, quid etiam in ista vita dat nobis, quid post istam vitam promittit nobis. Pertulit pro nobis mortem, in præsenti dat nobis peccatorum remissionem, post istam vitam promittit æternam felicitatem. Istam nostram liberationem, fratres charissimi, C istam spem nostram, istam beatitudinem nostram debemus ad memoriam nostram reducere, quando celebramus ipsius festivitatem. Sed quare celebramus istas festivitates suorum fidelium, nisi ut consideremus attentius illorum gloriam, quam illis misericordia Dei contulit: ut per istam considerationem illam ardentius desideremus et amemus? Per hoc etiam quod audimus vitam illorum, et passiones, et labores, per quos illi venerunt ad tantam gloriam, debemus concipere magnam consolationem, et magnam spem: et quanto magis viderimus nos in laboribus et angustiis hujus vitæ, tanto possumus securius illam gloriam et felicitatem, ad quam ipsi nos præcesserunt, sperare.

Charissimi, nemo vos fallat, nulla vos cogitatio D decipiat, nec ullum blandimentum inimici. Vera est certe illa Scriptura quæ dicit: *Per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* xiv). Fratres mei, licet angelus sit, qui vobis aliud dicat, anathema sit. Celebramus sæpe festivitates apostolorum, sæpe et martyrum, aliquando et confessorum, aliquando et virginum. Quis est de illis omnibus, qui non transivit per dolores et tribulationes hujus vitæ? Ecce hodie ipse rex, ipse imperator noster, cum omni suo nos visitat exercitu. Consideremus, quantum possumus, omnes acies ejus, quam sunt pulchræ, quam sunt ordinatæ; desideremus eorum societatem, sed primo non refugiamus eorum laborem. Gravis quidem est pugna, sed debet nos delectare corona. Non deest nobis

Digitized by Google

auxilium in hac pugna. Sunt circa nos angeli, archangeli, de quibus dicit Apostolus : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* (*Hebr.* I.) Videamus ergo in prima fronte ipsum imperatorem nostrum; audiamus quomodo hortatur milites suos. *In hoc*, inquit, *mundo pressuram habebitis* (*Joan.* XVI). Fratres, veritas non potest mentiri. Ideo audite quod promisit. Duo sæcula sunt, præsens et futurum. Dominus noster prædixit nobis, quomodo habeamus esse in utroque. *In hoc*, inquit, *mundo pressuram habebitis* (*Matth.* XIII). Iterum quales sui futuri sunt in alio, ipse dixit : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris mei* (*Matth.* XXII). Et iterum : *Erunt sicut angeli Dei in cœlo* (*ibid.*). Ideo, fratres, quamvis fortassis fecisset dives ille multa mala, de quo dicit Evangelium, quia cruciabatur in inferno, et vidit Lazarum in sinu Abrahæ : et quamvis forte habuisset in se ille pauper Lazarus multa bona, tamen non commemoravit Abraham aliam causam damnationis divitis, nisi quod recepisset bona in vita sua; nec aliam causam salutis Lazari, nisi quod recepisset similiter mala in vita sua. Sic enim ait : *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua : et Lazarus similiter mala* (*Luc.* XVI). Idcirco, fratres, quantum unusquisque se videt in pressuris hujus vitæ pro Christo, sciat pro certo quia tantum crescit gloria ejus in alia vita; et quantum se videt in bonis et deliciis in hac vita, tantum timeat, ne minuatur gloria ejus in alia vita.

Quapropter, fratres, hæc duo debemus habere in memoria nostra, quales debemus esse in cœlo cum Domino, et de istis duabus vitis debemus semper aliquid sentire. Ad istam vitam pertinet labor, ad illam vitam requies; ad istam vitam pertinet tentatio, ad illam securitas; ad istam vitam paupertas, ad illam divitiæ; ad istam vitam luctus, ad illam vitam consolatio; ad istam vitam fames et sitis, ad illam vitam satietas. Hoc est, fratres mei, quod Dominus dicit in Evangelio : *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui fletis, quia ridebitis. Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini* (*Luc.* VI). Et iterum : *Væ vobis, divites, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis* (*ibid.*). Sed jam videte quod dixi, quia oportet ut hæc duo habeamus in memoria nostra, id est quales debemus hic esse, et quales futuri sumus ibi; quia si tantum illa attendamus quæ pertinent ad istam, non poterimus sustinere. Quis enim sine periculo murmurationis et desperationis potest sine aliqua consolatione semper esse in pressuris, et miseriis, et tentationibus? Quis est, fratres, in ista vita, qui non sentiat istas miserias, nisi ex toto sit sine sensu? Et propter istas miserias omnes quærunt habere aliquam consolationem. Sæculares enim et qui amant istum mundum, ipsi quærunt consolationem in divitiis, in honoribus, in multis curiositatibus, in desideriis carnis et voluptatibus. Isti sunt miseri, quando tristantur, sed multo miseriores quando sic consolantur. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (*I Petr.* II), non debetis habere tristitiam, quam isti habent; nec consolationem, quam isti habent. Considerate totam familiam istam nostri imperatoris, quam hodie nobis ostendit; et videte in ipsa ista duo, tristitiam quam habuerunt, et gaudium quod receperunt. Hæc est illa familia Christi, sponsa Christi, quæ dicit in Canticis : *Nigra sum, sed formosa* (*Cant* I). Ecce, fratres, illa duo, de quibus locuti sumus. Nigredo pertinet ad istam vitam; formositas ad illam, in qua erimus Deo præstante post istam. Quidquid habuerunt sancti de ista vita, nigrum fuit, sed cum ista nigredine habuerunt magnam pulchritudinem. Quasi quædam nigredo erat illa tribulatio, illa angustia, illæ tentationes, quas pertulerunt in mundo, de quibus dicit Apostolus : *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis; egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus* (*Hebr.* XI). Habuerunt etiam quamdam pulchritudinem in fide, in castitate, in puritate, in charitate.

Consideremus primo ipsos duces exercitus nostri; audiamus, quid de illis dicat unus eorum. *Videte*, inquit, *vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles; sed quæ sunt stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi, et contemptibilia, et ea quæ non sunt* (*I Cor.* I). Et iterum dicit : *Tanquam purgamentum hujus mundi facti sumus; omnium peripsema* (*I Cor.* IV). Hæc est nigredo illa, de qua locuti sumus. Sed ubi erat pulchritudo eorum? Audite : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). Intus erat pulchritudo eorum, non foris. Quid martyres sancti? Nonne apparebant in illis, quando tradebantur ad carceres, quando ducebant vinctos catenis coram hominibus, quando lapidabant eos, quando verberabant eos, et omnibus contumeliis et tormentis cruciabant? Vox ipsorum est in psalmo : *Miserere nostri, Domine, miserere nostri; quia multum repleti sumus despectione. Quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, et despectio superbis* (*Psal.* CXXII). Sed omnis ista nigredo, quæ erat foris, non minuebat, sed augebat pulchritudinem, quæ erat intus. Quid cæteri sancti, qui non fuerunt in istis persecutionibus, sicut confessores, sicut multæ virgines sanctæ, sicut monachi sancti et eremitæ? Nonne habuerunt illi istam nigredinem? Sed Apostolus communiter de omnibus dicit : *Omnes, qui volunt in Christo pie vivere persecutionem patiuntur* (*II Tim.* V); Ille pie vivit, qui potest veraciter dicere : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*I Cor.* XI.) Magna persecutio est, fratres, sicut nos sæpe experimur, quia scimus infirmitates, et dolores, et gravamina multorum. Magna est persecutio, habere curam de omnibus, dolorem pro omnibus; tristari, quando aliquis tristatur; timere, quando aliquis tentatur. Quoniam est

Digitized by Google

iterum intolerabilis persecutio, quæ aliquando nobis accidit, quando aliquis eorum quos nutrimus, et custodimus, et amamus quasi viscera nostra, vincitur a diabolo; in tantum, ut etiam discedat a nobis, vel ita perverse et perdite vivit, ut necesse habeamus expellere eum a nobis.

Fratres, si vos habetis dolorem et magnam tristitiam, quando talia accidunt, qui fratres estis, quantam nos tristitiam putatis habere, qui sumus et fratres, et patres, et custodes; qui suscepimus reddere rationem pro talibus? Certe, fratres, magnam compassionem debetis habere de nobis, et lætificare nos de vestra bona conversatione, qui in tantis aliis rebus tristitiam habemus. Beatus tamen, qui istam nigredinem patitur pro Christo. Ista nigredo non facit eum turpem, sed formosum. Non enim venit de flamma cupiditatis, sed de igne charitatis. Talis anima potest dicere, quia *decoloravit me sol* (*Cant.* I), sol videlicet charitatis, qui lucet et ardet in corde ejus; et facit eum, quanto magis amat, tanto magis sæpius dolere et tristari pro illis, quos amat. Est adhuc alia quædam nigredo, qua vos sæpe experimini. Illa est utique, quam nemo sanctorum unquam potuit vitare. Nigredo ista, fratres, tentatio est, sive de inimico, sive de carne, sive de hoc mundo. Hanc enim nigredinem habuit ipse Paulus, sicut ipse dicit: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet* (*II Cor.* XII). Et de tentatione carnis ipse dicit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in legem peccati* (*Rom.* VII). Hanc nigredinem tota societas sanctorum Dei experta est, ut dicere possit: *Nigra sum, sed formosa* (*Can.* I). Hoc etiam omnis sancta anima quandiu vivit in ista carne, potest dicere. Quis enim sanctus liber est a tentatione, cum Job dicat. *Tentatio est vita hominis super terram?* (*Job.* VII) *Nigra sum, sed formosa.* Nonne anima uniuscujusque nostrum hoc potest dicere, nigra sum, sed formosa? Formosa est sine dubio illa anima, quæ contemnit mundum; sed adhuc nigra, quia sæpe versat in corde suo, et cogitat mundum. Formosa est illa anima, quæ quantum potest, Deum diligit; sed adhuc nigra, quia amorem carnalium rerum sæpe in se sentit. Formosa est illa anima, quæ, quantum potest, facit quod scit prodesse cæteris, propter charitatem; sed adhuc nigra est, quia sæpe sentit in se iram, impatientiam et cætera alia quæ impugnant charitatem. Formosa est denique illa anima, quæ nulli vitio consentit; sed adhuc nigra, quia ipsa vitia sentit.

Et quid mirum, fratres, si sancti transeunt per illam nigredinem, quando ipse Dominus cum quadam nigredine voluit vivere in hoc mundo? Et ipse, fratres, ipse potuit dicere: *Nigra sum, sed formosa.* Ideo non aliquam verecundiam habet sponsa sua, omnis scilicet societas sanctorum, sive unaquæque anima sancta, fateri de se. *Nigra sum, sed formosa.* Sed audi, quomodo: *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis* (*Cant.* I). Hoc est quod dixi, quia ipse Dominus noster voluit ostendere in se quamdam nigredinem; sed habuit sub illa nigredine magnam pulchritudinem. Vultis utrumque audire, et nigredinem, et pulchritudinem? De nigredine ejus dicit Isaias: *Vidimus eum, et non erat ei aspectus, neque decor, despectum et novissimum virorum* (*Isa.* LIII). De pulchritudine ejus dicit David: *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV). Sed utique passus est tentationes, sicut dicit Apostolus: *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato* (*Hebr.* IV). Ideo omnes sancti ejus secuti sunt vestigia ejus et exemplum ut unaquæque sancta anima possit dicere: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem; sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Quis est iste Cedar, quis est iste Salomon? Ego puto, quod Dominus noster Jesus, ipse propter aliquam significationem est Cedar, et propter aliam significationem est Salomon. Nam Cedar interpretatur *tenebræ*, Salomon *pacificus*. Et ut videamus quomodo ista duo nomina conveniant Domino nostro Jesu Christo, attendamus quod ipse dicit in Evangelio: *Ego in judicium veni in hunc mundum; ut non videntes videant, et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX). Multi per ejus præsentiam cæcati sunt, et multi illuminati. *Positus* enim fuit, ut ait Simeon: *In ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel.* (*Luc.* II). Illis, qui nolebant credere in eum, sed excæcati sunt per malitiam suam in præsentia ejus, erat Cedar. Nonne tenebant eum pro Cedar, qui dicebant: *Nonne hic est filius fabri?* Videbant eum pauperem, non quærentem, sed potius fugientem gloriam mundi; esurientem, sitientem, et ideo contemnebant eum; putabant, quod esset Cedar, id est tenebrosus, et sine lumine Deitatis, sicut cæteri homines. Sed unde hoc illis; unde offenderunt in eum? Utique propter tabernaculum ejus, id est carnem ejus in qua quasi in tabernaculo habitat divinitas. In hoc tabernaculo magis niger erat Dominus noster; patiebatur famem, sitim, opprobria, ad ultimum conspuerunt in eum, colaphizaverunt, flagellaverunt, et sic crucifixerunt eum. Sed tota ista nigredo erat in tabernaculo, id est in carne; foris erat, non intus; quia intus *speciosus forma præ filiis hominum*; intus talis, *in quem desiderant angeli prospicere* Et ideo, fratres, tota illa nigredo magis erat nostra quam sua. Nos portamus carnem peccati, ille non portavit carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati.

Veniat in memoriam ille Jacob, qui ut acquireret benedictionem, abscondit propriam similitudinem intus et alterius similitudinem assumpsit foris. Audistis sæpe, fratres, istam historiam. Rebecca induit filium suum caprinis pellibus, in similitudinem illius pilosi Esau (*Gen.* XXVII). Quid enim significavit Esau pilosus nisi filios eorum qui cum pelliceis tunicis ejecti fuerunt de paradiso?

Digitized by Google

Omnes filii Adam pilosi et nigri, propter peccata et iniquitates. Non habebat istos pilos Filius Dei. Quomodo enim haberet ille peccatum qui erat unus cum Patre perfectus et omnipotens Deus? Sed nec habebat in sua illa Deitate similitudinem alicujus peccati aut corruptionis. Fratres, nisi iste assumeret similitudinem pellis nostræ, similitudinem pilorum nostrorum, nunquam nos possemus liberari a pilis nostris. Ideo dignatus est induere similitudinem carnis peccati, ut foris ostenderet infirmitatem, et quamdam nigredinem, intus autem servabat illam miram et ineffabilem pulchritudinem. Ponite modo in corde vestro, quasi videatis Jacob coopertum pellibus caprinis; nonne posset veraciter dicere, niger sum, sed formosus? Niger propter tabernacula Cedar, propter nigram pellem caprorum; sed intus formosus, propter propriam similitudinem. Sic attendite illum verum Jacob Dominum nostrum Jesum Christum; nigrum propter similitudinem carnis peccati; pulchrum, quia nullum habebat peccatum; sed per istam nigredinem acquisivit nobis benedictionem, non sibi, quia ille non indigebat; sed nobis, qui benedictione opus habebamus, quia maledicti eramus. Nam sine dubio in illa benedictione, qua Isaac benedixit filium suum, fuimus nos significati, et per significationem benedicti. Audite enim quid dixit : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (*ibid.*).

Iste est ager, fratres, quem hodie debemus maxime considerare. Ager iste plenus est omni suavitate, omni dulcedine, omni decore. Nam, sicut paulo ante cantastis : *Floribus ejus nec rosæ, nec lilia desunt.* Hic suavissimi fructus apostolorum, hic rosæ martyrum, hic lilia virginum, hic singuli sancti, quasi arbores fructuosæ in agro Domini. Utinam, fratres, et nos simus de illo pleno agro, cui benedixit Dominus! Huic agro Dominus de rore cœli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini et olei tribuit. Ros cœli est gratia spiritualis, quam iste ager solet recipere, in compunctionibus, in meditationibus, in psalmis, in lectionibus. Pinguedo terræ, quæ est? Terra nostra caro nostra est. Felix, qui potest de ista terra accipere pinguedinem. Ista pinguedo, fratres, bona opera sunt : quæ utique non facimus, nisi per corpus nostrum. Qui bene et sapienter et discrete sciunt exercere istam terram, ipsi experiuntur, quia vigiliæ, et labores, et jejunia mirabilis quædam pinguedo est. Ex his ergo duobus, de rore cœli et de pinguedine terræ, id est, ut manifestius dicam, de corporali et spirituali exercitio, habet iste ager, omnis videlicet societas sanctorum, abundantiam vini, frumenti et olei. Frumentum sapientiæ, vinum contemplationis, oleum charitatis. Sic Paulus optima arbor de isto agro, qui laborabat manibus nocte et die, quod pertinet ad pinguedinem terræ; qui sine intermissione orabat, quod pertinebat ad rorem cœli; per hæc acquisivit istud frumentum, vinum et oleum. Nam ipse loquebatur sapientiam inter perfectos, dividens illis frumentum suum. Ipse in contemplatione raptus est usque ad tertium cœlum, et inebriatus est illo vino, quod solet lætificare cor hominis. Ideo ait : *Sive mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis* (*II Cor.* v). Qui dicit se sobrium, quando se contemperabat secundum modum infirmorum, sine dubio illum excessum mentis, quem dixit esse soli Deo, appellare voluit quamdam spiritualem ebrietatem. Charitatem non est necesse commendare in Paulo.

Videtis, fratres, qualem benedictionem acquisivit Dominus huic agro pleno; pleno sine dubio omnibus virtutibus, pleno omni perfectione. Nec mirum, quando in isto agro sunt omnes sancti a constitutione mundi et unusquisque habet locum suum, suam pulchritudinem, suam virtutem. In isto agro hanc, fratres, benedictionem vobis acquisivit, per hoc, quod factus est niger, quod se induit noster Jacob pellibus carnis. Ipsæ pelles, ipsa sunt tabernacula Cedar, id est caro ejus, id est humanitas ejus : ad cujus exemplum omnes sancti voluerunt esse nigri in hac vita, ut possent postea esse formosi, sicut pelles Salomonis. Quæ sunt istæ pelles Salomonis? Quædam pelles erant, in quibus erat sanctuarium, quod habebat ille antiquus populus Judæorum, scilicet arca illa, de qua audistis sæpe, et altare incensi, et cæteri hujusmodi. B. Paulus apostolus aperte ostendit quid significant ista : *Non in manufacta sancta introivit Jesus exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum* (*Hebr.* ix). Ergo pelles Salomonis cœli sunt. In his enim pellibus non est ipse Cedar, sed Salomon. In his enim pellibus ostendit ipse pulchritudinem suam, suavitatem suam, et lucem suam; et apparet omnibus non tenebrosus, sed pacificus, quia ipse est pax et tranquillitas angelorum, qui sunt cœli, in quibus habitat Deus. Videtis modo quæ sit ista pulchritudo, et qualis sit de qua gloriatur sancta Ecclesia, id est societas sanctorum. Pulchritudo pellium Salomonis est pulchritudo cœlorum, pulchritudo angelorum. Ipsa est pulchritudo, quam Dominus præmittit, dicens : *Erunt sicut angeli Dei* (*Matth.* xxii). Felix, qui hoc potest dicere : *Nigra sum, sed formosa; sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis* (*Cant.* i). Hæc duo, fratres charissimi, debent se comitari in ista vita, scilicet tabernaculi nigredo et pellium pulchritudo. Sed ista pulchritudo tantum in anima potest esse in hac vita, post diem vero judicii, et in anima et in corpore. Ubi, fratres, inveniemus in ista vita imitationem angelorum, pulchritudinem illorum, qui sunt in æterna felicitate cum Domino? Ubi inveniemus illos, qui illum ardorem imitentur amoris Dei, quem habet ille ordo angelorum, qui propter nimium amorem quo diligunt Deum, dicuntur seraphim? Ubi inveniemus, qui imitentur scientiam illorum, qui propter miram scientiam quam

Digitized by Google

habent, dicuntur cherubim, id est plenitudo scientiæ? Et quia longum est omnes illos novem ordines angelorum commemorare ubi inveniemus illos, qui imitentur illam castitatem, illam puritatem, illam unitatem et charitatem, quam angeli habent? Beata est illa anima, quæ potest veraciter dicere et gloriari : Formosa sum, sicut pelles Salomonis. Sed videte, fratres, unde debetis vos plurimum consolari, et unde debetis multum gaudere. Ego puto, quod intelligo hic unam animam, quæ potest utrumque veraciter dicere : Nigra sum, sed formosa; sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

Et primum videte quæ sit ista anima. Unusquisque vestrum, antequam huc veniret, unam animam habuit, quæ tantum sua erat. Conversi estis ad Deum; et ecce Spiritus sanctus, ille cœlestis ignis, quem Dominus noster misit in terram, et quem vult ut ardeat, accendit corda vestra, accendit animas vestras (*Luc.* XII) et de omnibus cordibus vestris fecit cor unum et animam unam. Hæc est illa anima, quæ potest veraciter dicere, nigra sum sicut tabernacula Cedar, formosa sicut pelles Salomonis. Habet quamdam nigredinem, sicut tabernacula Cedar, quia imitatur passiones Christi, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in mortificatione carnis. Habet etiam quamdam nigredinem de proprio tabernaculo suo, propter tentationes quas patitur, et propter concupiscentias carnis, quæ non sunt adhuc perfecte consumptæ; sed tamen formosa sicut pelles Salomonis. Quam enim virtutem habent angeli quam non habet ista anima, quamvis non habeat eas ita perfecte, sicut habent angeli? Habent angeli castitatem; et ipsa est, quæ regnat in ista sancta congregatione. Habent angeli charitatem, quæ sine dubio potest reperiri valde perfecte in ista sancta societate. Habent perfectam humilitatem, qua se humiliant sub manu Dei; habent obedientiam, qua implent præcepta ejus, et portant ad nos legationes ejus. Habent inter se talem unitatem et concordiam, ut quamvis alii sint inferiores, et alii superiores, tamen per unitatem et concordiam, quidquid est singulorum, hoc est omnium, et quidquid est omnium, hoc est singulorum. Hoc totum est in ista societate quamvis propter tabernacula Cedar, non tam perfecte. Ideo, fratres, qui forte infirmi et debiliores sunt, et non possunt tanta facere quanta possunt alii, non contristentur neque desperent; tantum hoc caveat unusquisque, ne per prigritiam suam aut negligentiam, scienter subtrahat aliquid de his quæ potest facere. Timeat enim illud quod dicit propheta. *Maledictus homo qui opus Domini facit negligenter* (*Jer.* XLVIII). Quia qui scienter sine discretione se subtrahit de his quæ potest facere, ipse fraudem facit; quia virtus ejus et fortitudo non est tantum sua, sed totius congregationis. Iterum qui plus possunt, non se extollant super alios; quia gratiam quam acceperunt, non acceperunt tantum propter se, sed etiam propter illos, qui minus possunt. Si ergo vera unitas et charitas est inter vos, sine dubio quidquid unus facit erit omnium, et quidquid omnes faciunt erit singulorum; ita ut anima uniuscujusque vestrum possit dicere : *Formosa sum sicut pelles Salomonis.* Ille solus non potest hoc dicere, qui discedit ab ista societate, vel qui se dividit per discordiam, vel invidiam, vel aliquod criminale peccatum. Possemus adhuc loqui de hac nigredine, et de hac pulchritudine; sed hora diei præterit, et oportet nos non solum isto modo, sed adhuc alio laudare Dominum, et mirabilem eum prædicare in sanctis suis : ad quorum nos societatem perducere dignetur ipse Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIV.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM III.

Dominus noster Jesus Christus non solum corporales, sed etiam spirituales epulas in monte exhibere curavit : ostendens nimirum, debere nos omni affectu, omnique desiderio corda nostra ad illum erigere montem, de quo Isaias dicit. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Isa.* II). Hic est mons ille pinguis, de quo nobis cœlestis pinguedo profluere non desistit. Hic mons coagulatus, de quo nobis lac spirituale distillare consuevit. Hic est excelsa illa terra, de qua Moyses cecinit : *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo,* (*Deut.* XXXII). Pulchre ergo ait evangelista : *Videns turbas Jesus ascendit in montem* (*Matth.* V), ut scilicet seipsum montem ostenderet, ut præceptorum suorum excellentiam commendaret. Venite ergo, ascendamus in montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas. Aperiens enim os suum, docebat eos, dicens : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*ibid.*). Hæ sunt regales epulæ, quæ non erant turbis apponendæ; et ideo videns turbas Jesus, ascendit in montem. Hæ sunt turbæ, quæ cæcum illum Jerichontinum clamantem post Jesum ut taceret increpabant. Hæ turbæ fuerunt impedimento pusillo Zachæo, volenti Jesum videre (*Luc.* XIX). Sed quia illi deerat facultas ascendendi in montem, invenit arborem sycomorum, suæ scilicet parvitati satis congruam. Montes quippe excelsi cervis, petra refugium herinaciis. Qui ergo Jesum videre desiderat, si magnus est, ascendat in montem, ut videat glorificatum : si parvulus, ascendat sycomorum, ut videat crucifixum. Sycomorus quidem *fatua ficus* dicitur, per quam crux Christi manifestissime figuratur. Unde Apostolus : *Nos prædicamus Jesum crucifixum, Judæis scandalum, gentibus autem stultitiam* (*I Cor.* I). Qui vult igitur videre Jesum, si incipit, ascendat sycomorum, ut amplexetur pro se morientem; si perfectus est, montem ascendat, ut

Digitized by Google

audiat secreta patris proferentem. Ascendat, inquam, a turba ut audiat pacem, quam non novit turba. Hæc namque turba comprimit Jesum, dicentibus discipulis : *Turbæ te comprimunt.* Sanaverat namque tactu suo Dominus mulierem a profluvio sanguinis, et ait : *Quis me tetigit ?* Et Discipuli : *Turbæ te comprimunt, et tu dicis : quis me tetigit ? Luc.* VIII.) Sed non ait Dominus, quis me comprimit ; sed quis me tetigit. Aliud est Jesum tangere, aliud comprimere. Amor tangit, turba comprimit.

Et nos, fratres, si aliquando Jesum manu sancti desiderii tangimus ; si ei vel ad momentum spirituali glutino inhæremus, insurgunt sæcularium cogitationum importunissimæ turbæ, et eum ne cordi nostro dulcescat, comprimunt, vel, quod nimis dolendum est, omnino excludunt. Videns enim turbas carnalium cogitationum Jesus, ascendit in montem, cor scilicet turbatum deserens, et mentem cœlestibus inhærentem ascendens : in qua quasi in sede sua residens, secretorum suorum revelat arcana. *Videns turbas Jesus, ascendit in montem. Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.* Quibusdam ambulat Jesus, quibusdam stat, quibusdam sedet. Cum enim Adam peccasset, et a recto itinere divertisset, ambulabat Dominus ad auram post meridiem. Moysi stabat, cum ait : *Tu vero hic sta mecum* (*Deut.* V). Isaiæ vero sedit. Vidit enim Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum. Sedebat quippe, cum ex occulto judicio suo Judæorum excæcationem et gentium illuminationem ei revelaret. Sedebat et cum discipulis in monte, cum eos easdem gentes illuminare instrueret. Cum enim sedisset, *accesserunt ad eum discipuli ejus.* Non hi qui in turba sunt ascendunt ad Jesum, quia sæpius turbantur ; sed discipuli, qui pacem sectantur : et discipulis suis idem Dominus satis lucide insinuat : *In hoc*, inquiens, *cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII). Eia, fratres, hoc judicio videat unusquisque utrum sit discipulus Jesu, non interroget sapientiam suam, non sensum, non facultatum distributionem, non corporis consumptionem. *Si* enim *linguis hominum loquar, et angelorum*, ait Apostolus, *charitatem autem non habeam, nihil sum* (*I Cor.* XIII). Non, inquam, exterioris hæc interroget, sed cordis sui amorem exploret. Qui enim diligit Deum, diligit et fratrem suum. Si tamen ita diligat, ut idem Jesus præcipit : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Joan.* XV.)

Ascendant igitur discipuli in montem, nec solum ascendant, sed etiam ascendant contemplantes, ascendant amantes. Cum enim, *sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus ; et aperiens os suum docebat eos* (*Matth.* V). O mira dignatio ! Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, qui *aperiens os suum, docebat. Os suum,* inquit. Ut enim antiquis patribus loqueretur, aliquando prophetarum ora aperuit, aliquando angelorum linguas adhibuit, aliquando elementorum obsequia adjunxit. Ut autem nobis loqueretur, *Aperiens os suum docebat, dicens : Beati pauperes spiritu.* Ecce quale antidotum, fratres mei, contra antiqui serpentis venenum, quo totum genus humanum infecit : *Eritis*, inquit, *sicut dii* (*Gen.* III). Iste est calix aureus inebrians omnem terram, præferens quidem decorem beatitudinis, sed latenter propinans amarum poculum infelicitatis : *Eritis sicut dii.* Vas pulchrum, sed intus latet venenum. Eia, miser Adam, miser factus audiendo : *Eritis sicut dii*, esto beatus, audiendo : *Beati pauperes spiritu.* Est paupertas carnis, et est paupertas spiritus. Paupertas carnis nulla facultatum possessio ; paupertas spiritus pro Deo voluntaria mentis et corporis abjectio. Hinc quidam pauper spiritu gloriatur, dicens : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (*Psal.* LXXXIII). Beati ergo pauperes spiritu, quos replet spiritus timoris Domini, et ex timore nutriens amorem. Hic est primus creationis, et recreationis nostræ dies, in quo ex præcepto Domini oritur nobis lux, id est ex nostri cognitione humilitas. Ipsa namque est, quæ dividit inter diem et noctem, inter tenebras et lucem, inter justitiam et iniquitatem, inter electos et reprobos, inter damnandos et salvandos. Hic quidem dies incipit a vespera, id est consideratione nostræ infirmitatis, et tendit in mane nostræ reparationis. Et sicut initium omnis peccati superbia, ita ab humilitate incipit omnis justitia, et est primus ad regnum cœlorum ascensus. *Beati* enim *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Sed jam anima cognoscens seipsam per humilitatem, incipit Deum nosse per pietatem.

Fiat igitur ei ex præcepto Domini firmamentum, quod vocetur cœlum ; illud scilicet, de quo ait propheta : *Extendens cœlum sicut pellem* (*Psal.* CIII), sacram videlicet Scripturam significans. Ad hoc ergo firmamentum oculos erigat, hic Deum discat. Exprobrat quidem Judæis Jesus, dicens : *Erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei* (*Matth.* XXII). Christus vero Dei virtus est et Dei sapientia. Qui ergo non vult Christum Dei virtutem ignorare, studeat Scripturas intelligere. Mitis existat, ut sit tardus ad loquendum, promptus ad audiendum (*Jac.* I). Mitis, ut humiliter discat ; mitis, ut importune non resistat. In hac namque virtute quasi in secunda reparationis nostræ die, maxime nobis firmamentum Scripturarum apparet, dividens inter aquas superiores et inferiores, angelicam videlicet et humanam scientiam. Inferius ista, superius illa. Et hic quoque dies nobis incipit a vespera, id est intuitu nostræ ignorantiæ, et tendit ad mane, id est illuminationem divinæ gratiæ. Et est quidem gradus ad terram viventium repromissionis, terram perpetuæ mansionis. *Beati* enim *mites, quoniam ipsi*

Digitized by Google

possidebunt terram (*Matth.* v). Jam homo et seipsum cognoscens, et in Dei cognitione aliquantisper evigilans, opus habet scientia ; non ea quæ superbia inflet, sed ex charitate ædificet. Necessarium namque ei est scire quantæ sint hujus vitæ miseriæ, quantus timor, ne cadat in tentationem ; quantus, ne superliat in prosperitate, ut fiant ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et magis amet lugere quam ridere. Ut in hac tertia beatitudine, quasi in tertia die, ex præcepto Domini congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, scilicet fluxæ et terrenæ cogitationes, et appareat terra arida, quæ lacrymarum imbrem excipiens, proferat herbam virentem et afferentem semen, lignumque pomiferum faciens fructum. Terra namque cordis nostri lacrymis irrigata profert fructum bonarum cogitationum, quæ veterem vitam in quemdam virorem transmutat, ut ex novo homine novus videatur fructus exsurgere ; et hic nihilominus dies a vespera, id est a luctu incipit, et in mane divinæ contemplationis tendit. *Beati*, namque, *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*ibid.*). Sic homo proficiens, et ad servitutem Dei accedens, necessarium habet spiritum fortitudinis, ut fortiter stet et præparet animum suum, non ad requiem, sed ad tentationem : fortiter prospera superet, fortiter adversa toleret, s lam justitiam esuriens et sitiens, et omnia ejus contemplatione contemnens. Quod ut exsequi valeat, jam in hac quarta beatitudine, quasi in quarta die ostendit nobis Dominus luminare majus, ut præsit diei ; exemplum scilicet Salvatoris nostri, ut diem, id est prosperitatis tempus illuminet, ne in tenebris superbiæ involvatur ; luminare minus et stellas, ut præsint nocti, exemplum videlicet ecclesiasticæ patientiæ et sanctorum tolerantiæ, ne nox, id est adversitatis vespera, omnimoda luce careat. Et hic quoque dies habet vesperam, tentationem videlicet, beatitudinis et justitiæ esuriem ; sed proficit in mane, id est prosperitatem et æternam satietatem. *Beati*, enim, *qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*ibid.*). Jam iste didicit misereri animæ suæ, placens Deo. Discat misereri et proximo. Nemo enim tam justus, qui non indigeat misericordiæ : et hoc est unum et solum consilium, ut qui sibi vult misereri, misereatur et ipse alteri.

Producant ergo ex præcepto Domini aquæ reptilia animarum viventium ; ex bonis scilicet cogitationibus bona opera, non mortua, sed viventia ; frangat esurienti panem suum, et egenos vagosque inducat in domum suam, cum viderit nudum operiat eum, et carnem suam ne despiciat (*Ezech.* xviii); et sic quinta luce quasi beatitudine perfundatur. Qui habet quidem vesperam, considerationem scilicet propriæ necessitatis, in qua discit aliis, sicut sibi vellet, misereri, sed tendit ad mane, scilicet ad remunerationem ex misericordia Dei. *Beati* enim, *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*ibid.*). Sed qui jam declinavit a malo, et didicit facere bonum, dignus est plane, ut surgat ad intellectum. Nam qui student benefacere profecto merentur Deum intelligere. Iste intellectus purgat oculum cordis, ut qui Deum intelligit per speculum et in ænigmate, tunc eum videat in manifestatione (*I Cor.* xiii). In hac sexta beatitudine, quasi in sexta die, homo creatur ad imaginem Dei, ut qui comparatus fuerat jumentis per ignorantiam, conformetur Deo per intelligentiam (*Psal.* xlviii). Et hic dies habet vesperam, speculum scilicet et ænigma ; quia non valet videre manifeste, sed per munditiam cordis ad illud mane tendit, de quo ait Psalmista : *Mane astabo tibi, et videbo* (*Psal.* v). Beati enim *mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v). Igitur perfectus est iste intelligibilis mundus, et omnis ornatus ejus. Quid igitur restat nisi Sabbatum ? Post hæc enim opera sex dierum, quæ non sine labore exercentur, pervenitur ad requiem et pacem mentis, et excluditur timor servilis, et succedit amor filiorum. Fit enim Filius Dei de servo, ut ipse requiescat in Deo, et Deus in illo. *Beati* enim *pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur* (*ibid.*).

Hæc est via, charissimi, qua oportet nos ad patriam redire, et ad eorum societatem, quorum hodie festa celebramus pervenire. Per hanc viam laboriosam ipsi ante nos ascenderunt ; ab hac via eos avellere nullæ persecutiones, nullæ adversitates potuerunt. Audierant namque consolationem a Domino, quam hoc suo sermone consequenter adjunxit : *Beati*, inquiens, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*ibid.*). Et illud : *Beati eritis, cum vos oderint homines, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter me* (*Luc.* vi). Sit ergo, fratres charissimi, vera laus omnium sanctorum in ore, ne laudemus ore, et vituperemus actione. Veraciter enim eos laudamus, si imitari satagimus. Quidquid enim libenter agimus, hoc nos amare probamus ; et quamvis ore taceamus, opere laudamus. Festinemus, charissimi, eorum dulcissima societate perfrui, cum eis illum speciosum forma præ filiis hominum contemplari (*Psal.* xliv). Nihil cursum nostrum impediat, nec desidia, nec pusillanimitas, nec indiscreta laboris immanitas. Contra desidiam exempla sanctorum nobis proponamus ; contra indiscretam laboris immanitatem sola nos Dei gratia salvandos confidamus. Contra pusillanimitatem auxilium Domini, et omnium sanctorum pro nobis jugem orationem respiciamus. Quare enim pusillanimes esse debemus, qui cum tot auxiliantium manibus pugnamus ? Plures enim nobiscum sunt, quam contra nos. Tantum hoc nostrum est ut Dominum nostrum postulemus, quatenus per omnium sanctorum suorum merita, et hic pugnantes adjuvet, et cum eis æterna felicitate coronet, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

SERMO XXV.

DE BEATA MARIA (18)

Descripsit nobis rex Salomon, imo per Salomonem Spiritus sanctus, mulierem quamdam fortem, sapientem, optimam operariam, quantum existimo, in comparatione illius in paradiso insipientis et infirmæ, quæ seducta est a diabolo, propter insipientiam suam : et ideo pulsa est in hoc exsilium ad pœnam suam. *Mulierem fortem quis inveniet* (*Prov.* xxxi)? Hæc est illa, de cujus fortitudine serpenti Dominus minabatur. *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius. Ipsa conteret caput tuum* (*Gen.* iii). Hæc est illa uxor novi Adæ, quæ ei de proprio latere ædificata est, cum dormiret in cruce. Uxor ejus, sponsa ejus, sancta videlicet Ecclesia ejus, tam fortis ut vincat mundum; tam sapiens ut vincat diabolum; tam bona operaria ut acquirat cœlum. Mulierem fortem quis inveniet, nisi ille qui, relictis nonaginta novem ovibus in deserto, abiit unam, quæ erraverat, quærere (*Luc.* xv)? Verum, quia hæc prophetia quemadmodum sanctæ Ecclesiæ conveniat, sæpe et a multis tractatum est; maxime quia moralis expositio solet magis et prodesse et placere : simplicibus nos, qui utrisque sapientibus scilicet et simplicibus, debitores sumus, qualiter hæc prophetia animæ perfectæ conveniat, prout possumus, disseramus. Et satis congruum est ut perfectio, quæ spiritualiter matri convenit, etiam filiæ assignetur, quatenus matris perfectione conspecta, filia velit imitari. Igitur, quantum mihi videtur, formam quamdam optimæ vitæ sub mulieris nobis specie propheticus sermo depingit, et ad quid unaquæque proficiens anima debet inniti, mystico sermone describit. Considerans namque Salomon, post primum illud generale peccatum quam sit prona ad malum anima humana, quam labilis ad peccandum, quam debilis contra diabolum, erigens ad evangelicam gratiam mentis intuitum, et quantum in humana anima operatur, admirans, ait : *Mulierem fortem quis inveniet?* Cum illa ita debilis exstiterit in paradiso, in hoc loco miseriæ quis poterit fortem invenire? Fratres, fortis est illa anima, quæ reliquit sæculum : quæ carnis desideria calcat, quæ mundi gloriam spernit. Talem, inquit, quis inveniet? Non Moyses, non Jesu Nave, non David, non ipse Salomon, sed ille, qui ait : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Matth.* xix). Ille talem animam invenit tam fortem, quia ipse primo hanc fortitudinem docuit. Hæc fortitudo præcipue relucebat in beatissima Dei genitrice Maria, quæ sine exemplo alterius, mundi illecebras contempsit, carnis illuviem horruit; et quod nulla altera ante eam fecit, virginitatis pudorem et puritatem elegit. Hanc mulierem fortem ipse invenit, qui eam sibi matrem ante mundi constitutionem providit.

A Hanc fortitudinem, fratres, imitamini; hanc puritatem æmulamini. Sed jam factum est, Deo gratias. Quanta est enim fortitudo vestra, qui sæculum contempsistis; qui hanc pauperem et arduam conversationem subistis; qui vobis patrum, matrum, fratrum, amicorum, affectum plenissime abscidistis. Hanc fortitudinem Salomon in spiritu videns, mirabatur. Et quia nullius hominis virtute, sed sola Dei gratia fieri potuit, exclamat : *Mulierem fortem quis inveniet.* Non quia nullus; sed quia nullus, nisi solus Deus. Apparet in vobis ista fortitudo; sed adhuc aliquid quærendum videtur. Magna fecistis, fortiter egistis; sed quo pretio, qua intentione, quo fine? Quod pretium sperastis dari vobis pro hac fortitudine? Stulti quidam homines, qui sapientes
B mundi appellati sunt (sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum), stulti ergo quidam, Socrates, Diogenes, divitias contempserunt, delicias mundi magna sibi ex parte amputaverunt. Quid ergo inter vos et illos distat? Video fortem mulierem, fortem videlicet animam, in Paulo, qui lapidatur, qui virgis cæditur, fame, siti, frigore afficitur (*II Cor.* xi). Quam multi latrones fortiter talia patiuntur! In quo ergo differentia? Certe in causa, id est in intentione, in pretio quod exspectant. Audiamus itaque hujus fortis mulieris pretium. *Procul*, inquit, *et de ultimis finibus pretium ejus* (*Prov.* xxxi). Magna fortitudo philosophorum, magna fortitudo latronum, sed parvum pretium eorum. Quare parvum?
C Quia isti mundi gloriam, populi favorem, vulgi admirationem exspectant. Isti aut nummum, aut vestem, aut equum, aut aliquid hujus mundi sperant. Vile pretium, quia de prope est. *Procul* autem, *et de ultimis finibus pretium*, hujus mulieris. Si aurum cogitas, non est procul; si argentum, ne id quidem procul est; si mundi honores, si temporales dignitates, nec ista procul sunt, quia temporalia sunt. Pretium hujus mulieris procul. Procul omnino, quia nec oculis cernitur, nec aure percipitur, nec faucibus sapit, nec naribus, nec manibus attrectatur. Quale hoc pretium? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* ii). Hoc procul est. Procul, quantum cœlum a terra, quantum mors a vita, quantum
D miseria a felicitate, quantum lux a cæcitate. In tenebris est mulier ista, sed pretium ejus lux est; in morte est, sed pretium ejus vita est; in miseria est, sed pretium ejus felicitas est; in terra est, sed pretium ejus cœlum est. Postremo homo est, sed pretium ejus Deus est. Procul ergo, et de ultimis finibus pretium ejus. Sed quare de ultimis finibus? Sunt duo quidam fines, alius bonorum, alius malorum. Sed sunt fines utrorumque, alii primi, alii ultimi. Finis est uniuscujusque, quando moritur. Sed aliter moritur iniquus, aliter justus; quia *mors peccatorum pessima* (*Psal.* xxxiii), et *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* cxv). Il

(18) Hic sermo in codice Clara-Vallensi est secundus de omnibus sanctis; sed evidens est, maxime ex fine, illum de Virgine esse et in Assumption ejus habitum esse.

Digitized by Google

primi fines. Quamvis anima sancta de corpore egressa, non modicam sortiatur beatitudinis portionem, tamen procul et de ultimis finibus pretium ejus. Qui sunt ultimi fines? Quando *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor.* xv); quando, finitis omnibus molestiis, jam in carnis quoque incorruptione posita mulier fortis audiet a Domino : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* xxv); impiis econtra audientibus : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*ibid.*).

Ex his finibus exspectat mulier ista pretium suum. Pro hoc pretio, se modo vendit ancillam, et istud pretium spectans, sudat, operatur, quocunque ei præcipitur, graditur; quodcunque imponitur, libenter patitur. Hoc pretium, fratres, ante oculos ponite; hujus pretii intuitu labores, vigilias, cæterasque molestias tolerate. Si homines tam acerbos labores sustinent ut acquirant nummum, quid vobis agendum est, quibus proponitur cœlum? Ergo, ut breviter dicam, animam mundum perfecte contemnentem, et nihil aliud nisi futura sperantem, intuens Salomon, ait ; *Mulierem fortem quis inveniet. Procul et de ultimis finibus pretium ejus.* Et addidit : *Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit.* Quis sit vir hujus fortis mulieris, non est opus commendare charitati vestræ. Ipse enim est, de quo dicit Apostolus : *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* xi). Ergo confidit in ea cor viri sui. Similitudo trahitur ab humanis. Vir quippe sciens uxorem suam castam, sobriam, pudicam, bene morigeratam ; sive ille absens fuerit, sive præsens, scit quod non admittet adulteros, non audiet corruptores, non aspiciet deceptores. Timet enim caste, amat perfecte; amat virum suum, non propter sua, sed propter se; timet non quidem flagellari, sed vel modice derelinqui. Talis hic anima describitur. Si enim anima talis fuerit, videlicet si casta, si sobria, si amans perfecte, si timens caste, confidit in ea cor viri sui. Secure abest, secure adest, secure committit ei bona sua, non profligaṅda cum adulteris, non cum fornicatoribus partienda. Sed iste vir spiritualis quomodo accedit, vel quomodo recedit, qui ubique est, et nusquam deest; quoniam semper, et totus, et ubique præsens est? Sed cum aliquibus adversitatibus fatigamur, quasi recedit, cum prosperitatibus consolamur, quasi redit. Cum gratia sua mentem nostram visitat, quasi præsens est; cum ipsa gratia subtrahitur, quasi procul est. Felix mens, cum qua quasi secure Deus hæc omnia agit. Vere confidit in ea cor viri sui. Felix mens, quæ nec adversis frangitur, nec prosperis dissolvitur; quæ nec murmurat in adversis, nec superbit in prosperis. Utique confidit in ea cor viri sui. Felix mens, quæ subtracta gratia non desperat; quæ, præsente gratia, non se super cæteros exaltat. Vere confidit in ea cor viri sui. Fratres, hinc nolo incautos esse vos. Multi enim quando nec tentationes patiuntur, nec adversitatibus atteruntur, nec aliquibus molestiis afficiuntur, exsultant, tripudiant, et quasi id meritis suis acquisierint, super cæteros se extollunt. Si autem in contrarium ista omnia cedant, contristantur, dejiciuntur, murmurant, desperant. Non est de tali anima, dicere : *Confidit in ea cor viri sui.* Eia, frater, quicunque talis es, qui heri flevisti, orasti, magnam dulcedinem de Deo sensisti; scito, quia præsens fuit vir tuus. Quid tunc promisisti viro tuo? *Non movebor in æternum?* (*Psal.* xxix.) Hodie in contrarium res versa est. Sordet meditatio, horret oratio, lectio vilescit; insuper impugnat libido, succenditur caro, mens quasi quibusdam furiis agitatur. Absens est vir tuus. Jam nunc videamus, si de te dici debeat : *Confidit in ea cor viri sui.* Absens est, tu fidelis esto. Quid, quasi desperans viri tui reditum, respicis adulteros, spiritus scilicet immundos, suggerentes immoderatam tristitiam, vel in vanis et superfluis ineptam lætitiam ? Quia jam illam viri tui dulcedinem non sentis, ad carnis pessimam dulcedinem devolveris. Non est enim dicere : *Confidit in ea cor viri sui.*

Volo vos, fratres, contra istam pessimam tentationem aliquantulum instruere. Si contigerit vos gratia Dei visitari, et cœlesti quadam suavitate perfundi, lacrymarum flumine irrigari, diligenter vobis attendite, ne irrepat superbia, ne cæteris actionibus vestris aliqua misceatur negligentia, ne sitis remissiores in abstinentia, tepidiores in obedientia; et super omnia, ne eum quem simili gratia præditum non perspicitis, vobis inferiorem judicetis. His enim negligentiis solet gratia subtrahi, et ignobilitas quædam ac tepor innasci. Subtracta autem gratia, si quid horum vos elegisse memineritis, nequaquam adversum Deum murmuretis; sed vosmetipsos potius humiliter accusantes ad dirupta resarcienda viriliter accingatis. Verum, si vos nullius remissionis conscii estis, nequaquam de subtracta gratia irrationabiliter contristemini ; sed quasi iterum eamdem gratiam recepturi, in spe certa consolamini. Erudit enim vos Dominus, quatenus et in prosperis humilitatem, et in adversis patientiam habeatis. Item vir habens mulierem in quam confidit, secure ei bona sua commendat, sive eroganda, sive servanda. Nihil bona mulier sibi subripit, nihil inde adulteris et corruptoribus dispertit. Jam videat unaquæque anima, quam fideliter viri sui bona conservet. Si habet scientiam, si habet sapientiam, si intelligentiam in Scripturis, hæc omnia a viro suo accepit, non solum servanda, sed etiam eroganda. Si habet gratiam in laboribus, in vigiliis, in psalmodiis, et hæc eroganda accepit; si habet gratiam in compunctione, in oratione, in spirituali affectione, in contemplatione, hæc accepit non eroganda, sed servanda. Videat modo unaquæque anima, si fidelis est viro suo, et si debeat dici : *Confidit in ea cor viri sui.* Primum necesse est, quatenus in his omnibus non superbiat, nec ea quæ viri sui sunt sibi deputet. Deinde caveat ne ea quæ accepit eroganda, abscondat in-

Digitized by Google

videnter, nec eroget arroganter; postremo ne ea quæ tantum servanda accepit, profliget impudenter. Ut vero apertius dicam, anima quæ de collata sibi gratia non superbit, de substantia viri sui nihil sibi usurpat; si vero unde potest prodesse aliis, per invidiam non abscondit; sed ad laudem viri sui humiliter dicit, res viri sui fideliter dispensat. Si de occulta gratia, quam accepit, verbi gratia compunctione, devotione, oratione, contemplatione, non se inaniter jactat, bona viri sui prudenter conservat. Ergo de tali anima potest dici: *Confidit in ea cor viri sui.*

Hæc autem perfectio, quam in beatissima Maria splenduerit, paucis advertite. De collata sibi gratia quam nihil superbierit, testis est illa responsio humilis ad angelum: *Ecce ancilla Domini* (*Luc.* I). Quam nihil se ob id aliis prætulerit, docet illa humilis visitatio, quæ Deum in utero portans, etiam ad ancillam salutandam profecta est. Quanta reverentia bona viri sui servaverit, providit evangelicus sermo, qui ait: *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* (*Luc.* II). Quam fideliter loquendo non tacuerit, hymnus ille melliſluus clamat: *Magnificat anima mea Dominum* (*ibid.*). Merito confidit in ea cor viri sui. *Et spoliis*, inquit, *non indigebit.* Quæ est illa anima, tantis decorata ornamentis, ut spoliis alienis non indigeat? Non est ista de fatuis virginibus, quæ nihil sibi olei reservantes, ab aliis oportuit mendicare. Spolia dicuntur ea ornamenta, vel indumenta, quæ solent detrahi. Et sunt plerique, qui nihil sanctitatis in se habentes, et tamen infeliciter aliis invidentes, vitia sua quasi nudam turpitudinem aliis detrahendo cooperiunt, æstimantes se bene contegi, si aliis possint indumenta bonæ existimationis auferre. Sunt et alii, qui in propria conscientia nihil boni habentes, ut religiosi appareant apud homines, aliquid boni exterius operando suam famam commendant. Unde in die judicii, quia in se vacui sunt et nudi, aliorum commendatione, quasi alienis spoliis indigebunt. Hinc vox illa fatuarum virginum: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur* (*Matth.* XXV). Tunc mulier hæc sapiens spoliis non indigebit; quia gloria propriæ conscientiæ adornata, sponso suo secure obviabit. Potest quoque simpliciter intelligi, *spoliis non indigebit*; quia virtutum ornamentis abundavit. Sequitur:

Reddet ei, videlicet viro suo, *bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ* (*Prov.* XXXI). Nam quod sic debeat accipi, manifestat alia translatio, quæ sic habet: *Operabitur viro suo bonum, et non malum.* Si recte vir hujus mulieris Christus intelligitur, profecto quidquid boni a qualibet anima in ejus obsequiis exhibetur, redditur potius quam datur. Si pura humilitas, si dulcis charitas, si vera obedientia, si perfecta patientia ei offertur; unde habetur nisi ab illo? Si fervor in laboribus, si puritas in vigiliis, si cibi parcitas, si humilis taciturnitas, unde ista, nisi ab illo, a quo *omne datum optimum, et omne donum perfectum est?* (*Jac.* I.) Ergo sancta anima, quia ista a Deo bona prius accepit, merito reddit. *Reddet ei bonum, et non malum.* Magna commendatio, fratres. Multi enim aliter. Bona enim accipiunt, et mala reddunt. Accipiunt divitias, et hinc magis libidine dissolvuntur; si honores, inde miseri intumescunt; si scientiam, inde super cæteros se extollunt: accipiunt pulchritudinem corporis, et quanto sunt pulchriores, tanto fiunt, quia ea abutuntur, turpiores. Quid dicam, quod communem hanc lucem, aerem, panem, a Deo accipiunt: et his omnibus in ejus injuriam abutuntur? Non est de hujusmodi dicere: *Reddet ei bonum, et non malum.*

Fratres, magna omnino, magna perfectio est, nullo Dei munere abuti. Nam de spiritalibus quid dicam? Si Dei cognitione proficimus, si Scripturarum venas aliquanto subtilius penetramus, si lacrymis abundamus, si graves in sermonibus, maturi in moribus fuerimus, et ex his omnibus superbimus, non erit de nobis dicere: *Reddet ei bonum, et non malum.* Plerumque cum nos visitat Dominus, ut aliquid de ejus dulcedine sentiamus; si mox dulcedine illa subtracta contingit nos aliqua tentatione pulsari; si tunc quasi obliti illius dulcedinis dejicimur, utique non reddimus bonum pro bono, sed malum pro bono. Ergo, fratres, anima quæ nullo Dei munere abutitur, hac laude non immerito digna habetur: *Reddet bonum, et non malum.* Et quia non inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur: adjecit sermo propheticus: *Omnibus diebus vitæ suæ.* Dixerat superius, quia spoliis non indigebit; quia videlicet propriis ornamentis abundabit. Ideo unde hæc illi ornamenta provenerint, manifestat, cum subdit: *Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum* (*ibid.*). Merito spoliis non indigebit. Non enim otio torpuit, non meriti somno dissoluta est. Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. Novit, quia qui vacat otio replebitur egestate. Ergo ad labores prompta, ad operandum impigra, quæsivit lanam et linum. Quare, nisi ut vestes texeret, frigus repelleret, tegeret nuditatem? Vestimenta nostra sunt ipsa justitiæ opera, quibus nuditas nostra tegitur, et frigus æternæ damnationis vitatur. Omnis enim anima sine bonis operibus, ante Dei oculos nuda subsistit, et a Dei charitate omnino frigescit. Sed sunt vestimenta cilicina, sunt et lanea, et linea, sunt et purpurea. Vestis cilicina pungit, sed lanea frigus depellit. Linea est non modicæ lenitatis, purpurea magni honoris. Ut ergo hæc ad spiritualia referamus, quantum mihi videtur, vestis cilicina pertinet ad pœnitentes, lanea ad se erigentes ad bona opera; linea est proficientium, purpurea perfectorum. Anima, quæ adhuc vitiis sordet, necesse est, magna amaritudine pœnitentiæ compungatur, ut iniquitatum contagio hac asperitate tegatur. De hac veste mulier hæc non satagit; qui jam gradum illum pœnitentium transcendit. De hac veste purpurea in sequentibus Sri-

Digitized by Google

ptura mentionem facit; sed primo lanam et linum ponit. Non enim sufficit, si quem de malis præteritis pœnitet, nisi se viriliter ad bona opera accingat. *Quæsivit lanam et linum, et operata est.* Videamus, si placet, differentiam inter laneam et lineam vestem; exinde aliquid spirituale, si possumus, exsculpamus.

Vestis quippe lanea asperior, linea mollior est; sed lanea vestis frigus expellit; linea contra hiemis injuriam non satis sufficit. Ergo qui lanea tantum vestitur, aliquid patitur asperitatis; qui linea tantum, parum caloris. Melius ergo utraque vestitur, ut lanea excludat algorem, et linea temperet asperitatem. Vestimenta hujus mulieris, id est ecclesiasticæ cujusque animæ, bona opera diximus. Nec immerito. Iis enim vestitur, his adornatur; his, si quid forte ob carnis consortium turpe patitur, a Dei conspectu celatur. His indumentis carens anima, nuda apparebit in die judicii, nec erit unde ejus turpitudo celetur. Ideo nimirum in ignem æternum projicietur. Sed bona opera nostra, omnia in duobus consistunt, in activa scilicet vita, et contemplativa. Activa vita quasi vestis lanea, contemplativa quasi linea. Illa asperior, ista suavior; illa exterius, ista interius. Et activa quidem vita potest contra frigus damnationis sufficere, omnem turpitudinem peccatorum abstergere: sine qua, nec contemplativa vita, in hac duntaxat mortalitate, potest quemlibet ad perfectionem adducere. Nemo se decipiat, fratres mei. Falluntur omnino, fratres, falluntur; imo, ut ego existimo, non falluntur, sed alios fallere nituntur, qui errantes, et in errorem mittentes, dum nesciunt, *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* (*I Tim.* I); quia ipsi sunt otiosi et desidiosi, nihil operantes, sed curiose agentes; ipsam otiositatem suam et curiositatem velamine contemplationis oppalliant, et dicunt: Quid opus est operari? Quid habet emolumenti, vel securi truncum, vel saxum malleo tundere? *Maria optimam partem elegit* (*Luc.* X). Quos Paulus redarguit, aperte scribens ad Thessalonicenses: *Audivimus quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Denuntiamus eis in nomine Domini Jesu Christi, ut cum silentio, suum panem manducent* (*II Thess.* III).

Contendant ergo cum Paulo et dicant: Quid nobis præcipit operari? Maria optimam partem elegit. Et verum est, fratres, Maria optimam partem elegit. Veritas dixit: Lectum est in hac festivitate S. Mariæ de illis duabus sororibus, Maria et Martha. Nec sine causa in hac ejus festivitate legitur, nisi quia in ipsa B. Virgine, utraque hac vita activa et contemplativa, perfecte operabatur. Maria quidem optimam partem elegit. Sed considerandum est quia in eadem domo et Martha laborabat, et Maria vacabat, quia in anima, in qua Christus suscepitur utraque vita operatur, unaquæque suo tempore, suo loco, suo ordine. Ideo mulier ista fortis, non solum lanifica sed linifica est. Quæsivit enim lanam et linum, et operata est. Quid, nisi duplicem hanc vestem, laneam videlicet et lineam? Sed quia de istis vestibus diximus; jam de lana et lino, unde hæc vestimenta texuntur, videamus. Ut mihi videtur, imo beatissimo videtur Augustino, per lanam opera intelliguntur corporalia, ex quibus vita activa perficitur; per linum spiritualia, ex quibus vita contemplativa contexitur. Corporalia dico, vigilias, laborem, jejunia, spiritualia, orationes, lectiones, meditationes, compunctiones. Sunt plerique, qui sese exercitiis corporalibus atterunt, sed ad spiritualia minime assurgunt. Alii de solis sibi de spiritualibus, quasi de veste linea blandiuntur, et ab omni spirituali fervore frigescunt. Non quidem frigescerent, si spiritualibus ferventer et jugiter inhærerent. Sed cum illa spiritualia sine corporum quadam interpolatione nequeant exerceri; dum illa fastidiunt, in istis ex toto tepescunt. Utrique ergo hujus mulieris sapientiam imitari detrectant, quæ utrumque quæsivit, lanam et linum, et operata est. Sed ubi quæsivit? Quomodo quæsivit. Certe anima cupida salutis, studiosa perfectionis, vitam, mores, doctrinamque sanctorum circuit Patrum. In uno quærit industriam operandi, in altero studium vigilandi; illius investigat abstinentiam, alterius scrutatur obedientiam; ab isto discit quasdam, ut ita dicam, venas orationum, ab illo sibi assumit formam meditationum. Et in sinu congerens operatur consilio manuum suarum. Quod consilium manuum? Manifestum est quia manibus suis homo pascitur, manibus defenditur; manus cætera membra disponunt; manus sese contra ictus objiciunt.

Consideremus ergo corpus illud, de quo dicit Apostolus: *Quoniam unum corpus multi sumus* (*I Cor.* X). Omnes qui in ista congregatione sumus, unum corpus sumus. Alii pedum funguntur officio, alii manuum, alii oculorum. Ergo, fratres, videtur mihi manuum nomine prælatos posse intelligi, qui cæteros et doctrina pascunt, et orationibus defendunt; qui etiam cæteros quasi membra disponunt, et contra ictus exteriorum curarum sese objiciunt. Proinde, fratres, si quæsistis vobis lanam et linum, id est exercitia corporalia, et spiritualia, operamini. Non tamen proprio consilio, sed consilio manuum vestrarum, ut omnia opera vestra ex prælatorum vestrorum pendeant arbitrio. Putaveram, fratres, uno sermone omnia quæ hic de hac muliere dicuntur, concludere; sed video me prolixum sermonem habuisse, et vix quatuor versus exclusisse. Et hoc forte pertinet ad linum hujus mulieris. Nam linum, quando in colo cernitur, quam longum filum inde fieri possit, ignoratur. Ergo quæ sequuntur, alio sermone, vel si hoc non possumus, aliis sermonibus reservemus.

(Ex his ultimis verbis constat auctorem statuisse alios quoque sermones de B. Virgine in caput XXI *Proverb. habere: quos an habuerit ignoratur.)*

Digitized by Google

BEATI AELREDI

RIEVALLIS ABBATIS

SERMONES DE ONERIBUS

IN CAPP. XIII ET SEQ. ISAIÆ PROPHETÆ.

B. AELREDI

EPISTOLA AD G. (19) LUNDONIENSEM EPISCOPUM.

(*Bibliotheca Patrum Cisterc.*, t. V, p. 229.)

Dilecto, et diligendo, et cum omnis devotionis dulcedine amplectendo sancto Patri, G. Londoniensi episcopo, frater AELREDUS, pauperum Christi qui sunt in Rievalle, debitum cum omni affectu obsequium.

Audiens te, Pater beatissime, inter innumeras occupationes, quas tibi vel regiæ majestatis auctoritas, vel curæ pastoralis imponit necessitas, ut cultorem sapientiæ, quietis amicum, spiritualis scientiæ studiosum, lectioni operam dare, et inter suaves orationum delicias, irruentium curarum molestiam sanctarum Scripturarum crebra meditatione solari; ita tui avidus effectus sum ut non solum ad tuæ serenitatis notitiam, sed etiam, quod in insipientia dicam, ad ipsam audeo aspirare amicitiam. Tam enim tuæ sublimitatis, quam meæ humilitatis oblitus, legibus amoris innitor; cui nihil humile, nihil sublime est; qui cœlum terræ adæquans, Dominum cœli terrenis membris inseruit, ut Verbum caro fieret, et habitaret in nobis (*Joan.* I); qui Dominum deposuit, et hominem sustulit; ut, quasi in quodam medio, miseria et misericordia obviarent sibi (*Psal.* LXXXIV); ut ita se infirmitati virtus uniret, ut essent in carne una Verbum et anima, et in his tribus Deus et homo una persona. Quæ non igitur alta amor deponat, aut quæ ima non sustollat, ut in se unum faciat; qui salva nec confusa naturarum proprietate, tam mirifice, mediante anima, cœlum terræ, Dominum carni, spiritum commiscuit pulveri? Video præterea in omni creatura, vel irrationali, vel insensibili, quoddam amoris vestigium; per quod et diversa junguntur, et dissidentia concordantur, et uniuntur contraria. Amoris quippe in cæteris similitudo creaturis apparet; in mente vero rationali ejus veritas operatur. Diligere enim Deo, angelis, hominibusque commune est. Amor igitur, quidquid extra naturam est non attendens, copulat naturam naturæ, ut sit illis cor unum et anima una (*Act.* IV), quibus est fides una, spes una, charitas una. Animus proinde meus amoris impetum sequens, omnia, quæ tua sunt, non tu; omnia, quæ circa te sunt, quæ nec tua sunt, nec tu; spirituali quodam motu pertransiens, ipsam etiam corporis molem sui subtilitate trajiciens, in ipsum tuæ mentis sinum se totum infundit, affectum affectui, sensum sensui, et spiritum miscet spiritui, ut ex spiritus tui participatione meus spiritus renovetur, ex tui sensus lumine lumen sibi scientiæ meus sensus mutuetur, meus insuper affectus, tui affectus dulcedine foveatur. Ibi intueor, quam bonus es; ibi amplector et sentio quam sapiens es; ibi delector et gusto quam amabilis es. Hinc est, Pater amantissime, quod studium meum, si quod est in litteris sacris, ad tuæ discretionis examen credidi referendum, ut ubi sanum sapio, tua me confirmet auctoritas; ubi hæsito, te docente, mihi luceat veritas; ubi erro, corrigat me tua sancta severitas. Itaque de oneribus propheticis Isaiæ, cum summatim singula quæque tangendo, in conventu fratrum aliquando breviter disputassem, rogatus a pluribus ut prolixius ea ipsa prosequerer, eorum voluntati parui, quorum me oportebat servire profectui. Ab oneribus igitur Babylonis exordiens, et inde per onus Philisthiim ad Moabitici oneris secreta pertransiens, cum trigiata homilias stylo tradidissem, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem, suspendi calamum, donec de vultu tuo eorum quæ scripsi prodiret judicium, viderentque oculi tui eorum omnium rationem, tuæque discretionis arbitrio omnia, quæ scripta sunt vel delerentur, vel corrigerentur, vel probarentur. Licet igitur tantæ sapientiæ horum lectio videatur indigna; audet eam tamen amoris exigere vehementia: qui ita amplectitur charitatem, ut fere irreverenter irruat in majestatem. Animat præterea me tuæ humilitatis simul et benignitatis memoria, qui quondam Lundoniis positum prævenisti in benedictionibus dulcedinis (*Psal.* XX,: et a quo nihil

Digitized by Google

magnum esset vel respici ; ab ipso, stupens ac tremens ad tantam dignationem, in quodam amplexu charitatis merui salutari. Hinc, beatissime Pater, orta est ista præsumptio, ut inchoatam tunc mihi tuæ serenitatis notitiam consummari desiderem, et animum meum amicitiæ tuæ tunc fores pulsantem in ejus induci posse cubiculum non desperem. Licet igitur magnum sit sapienti, vel modicum tempus otio dare, non pigeat, rogo, Dominum meum, tantillum tempus perdere : quo ex his, quæ scripsimus, vel resecare superflua, vel supplere hiantia, vel universa delere possitis. Eo igitur sermone præmisso, qui nobis occasionem præbuit cætera conscribendi, de onere Babylonis decem et novem (*Isa.*, XIII), de onere Philisthiim tres, de onere Moab novem homilias subscripsimus, pro vestro arbitrio vel hic subsistere, vel ultra procedere parati.

—

SERMONES DE ONERIBUS.

SERMO PRIMUS.

IN ADVENTU DOMINI. — DE UNDECIM ONERIBUS.

Tempus est, fratres charissimi, etc. *Exstat inter Opera S. Bernardi edictionis Mabillonianæ vide Patrologiæ tom. CLXXXIV, col.* 817.

SERMO II.

DE ONERE BABYLONIS.

De eo quod scriptum est : « Onus Babylonis quod vidit Isaias filius Amos. »

Omnium, quæ fuerunt, vel sunt, vel futura sunt primordialis et efficiens causa Deus est : ipse omnium finis. Nam cum ipse, ut ita dicam, proprie sit esse ; omnia utique quæ sunt, ab ipso habent, quod sunt ; quia non nisi ab esse habent, quod sunt. Certum est hominem et angelum esse ; sed aliud est, esse ; aliud, hominem, vel angelum esse ; cum possit aliquid esse, nec homo, nec angelus esse. Cogitet ergo, qui potest, non homjnis vel angeli esse, sed sine angelo et homine ipsum esse, quod non solum hominis et angeli est, sed etiam omnium quæ sunt. Ipsum igitur esse, quod non specialiter hujus vel illius rei, sed communiter omnium existentium ; vel, ut expressius dicam, essentium est, sine dubio Deus est. Sicut autem ipse est omnium existentium esse, ita et omnium viventium vita, omnium sapientium sapientia. Ad hanc formam creata est rationalis creatura ; ab ipso habens, non solum esse et vivere, sed etiam sapientem esse, et sapienter vivere. Ab hac itaque forma se disjungens et separans miser homo, *comparatus est jumentis insipientibus* (*Psal.* XLVIII), et cœpit insipiens esse, et insipienter vivere ; nec tamen desiit esse et vivere : qui posset ad pristinam formam, eo qui formaverat reformante, redire. Ipsa autem forma, sapientia est ; via vero, per quam ad ipsam formam redeatur, eruditio. Omnis vero eruditio, qua de hac deformitate reducamur in formam, in tribus est, fide scilicet, spe et charitate, ut sciamus quid credendum, quid sperandum, quid sit amandum, et sic credamus, speremus, amemus. Sapientia igitur in animas sanctas se transferens (*Sap.* VII), amicos Dei et prophetas constituit : per quos nobis sacram Scripturam, quasi totius eruditionis fontem, ministravit. Quam nimirum ipse, qui condidit, tanta prudentia Spiritus ordinavit ut innumerabilium capax esset sententiarum : quarum cum istas uni, illas alteri revelaret, ad exercitandum ingenium, depellendumque fastidium semper recens esset, semper quadam renovatione delectaret. Ut autem error humanus, vel dæmonum suggestio, certo examine ac sancti Spiritus possit revelatione discerni, præfixa est fidei regula, præscripta spei promissa, promulgata charitatis præcepta, ut quæcunque sententia occurrens animo, his non convenire probetur, eam aut fallaciæ dæmonum, aut humano errori incunctanter ascribas, quæcunque vero a sacris paginis convenienter elicitur, vel ad fidem erudit, vel ad spem erigit, vel ad charitatem accendit, ipsam et a sancto Spiritu sacris Literis insertam, et ab eo tibi revelatam non dubites. Sed his, qui sæcularium negotiorum impediuntur obscuro, vel necessariarum occupationum retibus occupantur, quibus vagos, et turpes refrenent excursus, satis sunt, imo plus quam satis ea, quæ de Scripturis semel sunt dicta vel scripta : quæ illis tam ignota sunt, ut semper possint eis videri quasi nova. At vobis, charissimi, qui mundi hujus renuntiastis operibus, qui ab omni cura sollicitudineque mundana soluti, cum immundis spiritibus ac propriis cogitationibus iniistis certamen : alia in Scripturarum meditatione ratio, alia necessitas est. Quod enim multis parit idem sermo, lectioque eadem sæpius repetita fastidium, necesse est ut quæ antiqua videntur et nota, vel quarumdam sententiarum adjectione, vel saltem verborum mutatione innoventur, et sic ad quærendum studium excitetur ; inutiles et inanes cordis excursus, in id quod utile est revocentur, et mens, quæ a notis fastidiosa resilierat, renovata lectionis vel sermonis suavitate, ad id salubriter redeat, a quo fuerat quasi sensibiliter avocata. Hinc est quod librum Isaiæ assumo in manibus, cum charitate vestra quamdam ejus portiunculam inspecturus ; qui, licet expositione sanctorum possit esse notissimus, perutile tamen arbitror, ut si non alia, saltem aliter ea, quæ ab ipsis dicta sunt, repetamus ; vel certe, quæ ab ipsis velut minima, vel manifesta prætermissa videntur, sumptis ex eorum verbis rationum seminibus, sicut Deus dederit, in medium proferamus ; ut qui ad eorum perfectas sententias, quasi ad solidum panem aspirare non audet, ad micas, quas sub mensa eorum poterimus, vestris

Google

orationibus adjuti, colligere, etiamsi fuerit catellus, accedat. Sic, fratres charissimi, sic redimamus tempus, ut illudamus tempori, *quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* v); et salutaribus, verbis sanctisque meditationibus, os a sermonibus otiosis, cor a vanis cogitationibus vindicemus. Est autem iste sanctus propheta tam profundus in sententiis, in futuris prædicendis tam perspicuus, in disciplinis moralibus tam jucundus, ut nunc quasi in ipsum cœlum subvectus, videatur divinorum consiliorum secreta rimari; nunc ad inferiora firmamenti celeri penna demissus, mysteria propalare cœlestia; nunc levi volatu ad nos usque descendens, in campis moralibus spatiari; nunc quasi recipi in paradisum, et iterum redire ad nos, et referre ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Hæc omnia Christi, et Ecclesiæ sacramenta, tam manifeste revelat oraculo, ut non tam prænuntiasse futura, quam præterita narrasse putetur. Quæ omnia, licet ex sui qualitate grata sint satis, et sapida; eloquentiæ tamen ejus mira suavitate gratiora et dulciora reddantur. Sed placuit nobis ut, cæteris intermissis, de undecim oneribus, de quibus propheta, sancto Spiritu dictante, disseruit, quidquid ipse suggesserit Spiritus, ad vestram ædificationem propalemus. Fateor me vestris profectibus per omnia debitorem, et propter officium quidem, sed maxime propter affectum. Sed et *necessitas mihi incumbit, Væ enim mihi si non evangelizavero* (*I Cor.* ix); præcipue, cum quidquid in doctrina spiritali, quidquid in Scripturarum intellectu proficio, non tam datum mihi, quam vobis per me transmissum non ambigam. Neque enim meritis id ascribendum meis, cum peccator sim; nec scholasticis quidem disciplinis, cum pene, ut scitis, illiteratus sim; sed nec studio, aut industriæ meæ, cum raro in otio, crebro in negotio sim. Totum igitur Dei est, mihi commissum, vobis transmissum, ut qui gloriatur in Domino glorietur. Adesto proinde tu, bone Jesu, et panibus quos protulimus gratiam tuæ benedictionis infunde, edant pauperes, et saturentur, dicantque cum Propheta: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo* (*Psal.* cxviii). Ecce ego appono manum, tu præsta auxilium, quia sine te possum facere nihil. Qui sancto Isaiæ inspirasti, ut scriberet, inspira, quæso, mihi ut quod scripsit intelligam; quia jam inspirasti ut credam: nisi enim crediderimus, non intelliguemus (*Isa.* xliii).

Quid ergo putamus onus istud significat? Est quidem onus premens, et onus opprimens. Premit infirmitas; iniquitas opprimit. Premit tentatio; damnatio opprimit. Proponitur ergo primum onus Babylonis, deinde onus Philisthiim, tunc onus Moab, et post onus Damasci: quod sequitur onus Ægypti, cui succedit onus deserti maris, ac deinde onus Dumæ, et onus in Arabia, et tunc vallis visionis, et onus Tyri, ad ultimum autem onus jumentorum austri. Ostenditur ergo a sancto Isaia quarumdam urbium vel gentium, imo magis eorum, qui in his urbibus vel gentibus figurantur, depressio; qui et ipsius depressionis modum, causas, materiasque non tacet: quibus etiam inserit de eorum felicitate sermonem, qui hac depressione ad salutem, non ad perniciem onerantur; patetque ubique, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia; quia tu reddis unicuique juxta opera sua (*Psal.* lxi), dividens inter diem et noctem, inter lucem et tenebras, ut comparatione lucis ipsæ tenebræ densiores appareant, ut collatione tenebrarum copiosius lux ipsa resplendeat. Et quis inter hæc judicat atque discernit, nisi is qui ait: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio?* (*Joan.* v). Et iterum: *Ego in judicio veni in mundum, ut non videntes videant, et videntes cæci fiant* (*Joan.* ix). Quoniam igitur per adventum Domini Salvatoris facta est hæc bonorum ac malorum discretio, quorumdamque depressio, quorumdam et liberatio: principalem prophetæ, per totum libri corpus, ipsius Domini adventum, constat esse materiam. De quo sanctus Simeon: *Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur* (*Luc.* ii). Quod Isaias onus, ipse ruinam appellat. Sic autem hæc onera describit ut appareat Deum quosdam premere, sed non opprimere; quosdam opprimere, sed non premere; quosdam simul premere et opprimere. Premit quos affligit, opprimit quos deserit. Quosdam igitur affligit, sed non deserit, sicut scriptum est: *Flagellat Deus omnem hominem quem recipit* (*Hebr.* xii). Unde est istud Psalmistæ: *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo* (*Psal.* lxxxviii). Deserit, nec affligit: de quibus dicit Propheta: *In labore hominum non sunt: et cum hominibus non flagellabuntur* (*Psal.* lxxii). Et iterum: *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum* (*Psal.* lxxx). Et per alium prophetam: *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ: neque super uxores vestras, cum adulteraverint* (*Ose.* iv). Quosdam præterea affligit et deserit: de quibus ipse per prophetam ait: *Attrivi eos, et noluerunt recipere disciplinam* (*Jer.* v). Sane quomodo, quibusve modis fiat afflictio vel desertio, cum de ipsis oneribus tractare cœperimus, Deo volente, apparebit. Potest autem dici onus Babylonis vel Philisthiim, vel Moab, secundum onus quo premunt, vel secundum onus quo premuntur; et sic de cæteris. Sed jam, si placet, sequentis narrationis titulum inspiciamus

Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos (*Isa.* xiii). Babylonis nomine, fratres, quæ *confusio* interpretatur, mundum significari satis notum est charitati vestræ: ubi nimirum confusa sunt omnia; ubi boni cum malis, cum electis reprobi vivunt; ubi frumentum cum palea, oleum cum amurca, ubi cum acinis vinum; ubi quantum ad temporalia sicut justus ita et impius; ubi nihil habet homo jumentis amplius. Plerumque etiam Babylonem, illam tantum reproborum cum suo rege

Digitized by Google

civitatem intelligimus, ad quam nullus pertinet electorum, a qua nullus excluditur reproborum. Reprobos sane in tres partes dividimus, quarum una et societati communicat et operibus adhuc electorum; alia ab illis operibus vel communione reparatur; alia jam exutis corporibus æternis suppliciis mancipatur. Et omnes igitur simul et ista singula istarum partium, et singularum partium singuli homines, Babylonis nomine jure censentur. Electos etiam in tres dividi ordines, manifestum est. Nam alii necdum vocati sunt, ut Judæi, sive pagani; alii vocati, sed non justificati, ut peccatores Christiani; alii justificati, sed nondum glorificati, ut sancti hujus adhuc vitæ miseriis subditi. Electi itaque qui necdum vocati sunt, licet eos a Babylone prædestinatio separaverit quandiu tamen Babylonicis erroribus excæcantur, a Babylonis nomine non recedunt. Sed et hi, quos licet electis vocatio simul ac prædestinatio junxerit, detestanda tamen opera separant, Babylonici nominis opprobrio percelluntur. Dicitur itaque Babylon illa hominum universitas, in qua eisdem erroribus ut vitiis electi et reprobi implicantur. Dicitur et Babylon cor pravum et inscrustabile : quod vitiis passionibusque confunditur. Babylon etiam nuncupatur illa reproborum societas, cui æterna confusio præparatur. Est autem onus Babylonis, quo ipsa confusa universitas multorum ab ea separatione destruitur; quo etiam malis temporanbus indesinenter affligitur; quo in cordibus singulorum vitiorum ac pessimarum passionum structura, quasi civitas confusionis diruitur; quo insuper æternis pœnis post hanc vitam in solis reprobis onerabitur. Et hoc est onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos. Quomodo vidit? Ela, fratres, qui nunc prophetæ appellantur olim videntes dici solebant propter excellentiorem quamdam, divinioremque, ut ita dixerim, visionem : de qua nunc disserere, et temporis angustia, et ea quæ nunc intervenerunt, negotia non permittunt. Igitur hæc consideratio alteri sermoni reservetur. Vos interim orate, ut sensum Spiritus sequentes, sic ista onera describamus, ut ea, quæ prementia sunt, fortiter sustineamus; quæ opprimentia, caveamus; damnantia autem ipsius auxilio evadamus, qui pro nobis nostris voluit oneribus onerari Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De multiplici visione, et illa quæ prophetam facit.

Scitis, fratres charissimi, de oneribus loquturus, quod grave onus ipse susceperim. Unde invocandus est a nobis ipse Spiritus, ut qui nobis primum onus imposuit charitatis, omne onus leve faciat, quod nostris possit servire profectibus; quatenus qui dedit affectum sui luminis infusione præstet effectum. Et onus quidem Babylonis, quantum A spectabat ad titulum, hesterna die, sicut potuimus, explicavimus. Sed cum scriptum sit : *Onus Babylonis, quod vidit Isaias, filius Amos*, quærendum putamus, quomodo visum sit ab Isaia onus istud : maxime cum plures sint visiones, et ob quamdam visionis excellentiam prophetæ appellati sint *videntes*. Est quippe visio sensualis, visio imaginaria, visio phantastica, visio spiritualis, visio rationalis, visio intellectualis. Visio sensualis est, qua corporeis sensibus corporalia sentiuntur. Visio imaginaria, qua earum rerum, quæ per corpus sentiuntur, intus imagines cernuntur, vel ex eis quæ percepta sunt, alia quæ non sunt sensa finguntur. Visio vero phantastica est, qua corporalium rerum phantasmata vel oculis vel animo objiciuntur. B Porro spiritualis visio est, qua visibilium rerum imagines aliquid significantes in ipso spiritu hominis formantur. At visio rationalis est qua vera a falsis, vel virtutes a vitiis discernuntur. Intellectualis autem visio est qua, non dico vera a falsis discernuntur, sed qua in ipsis veris veritas ipsa conspicitur. Itaque visio sensualis in corpore est, corporeos omnes sensus, eorumque vim naturamque complectens. Dicimus enim, inspice, vide quam album sit; gusta et vide quam dulce sit (*Psal.* xxxiii); audi et vide quam sonorum sit; olfac et vide quam odoriferum sit; tange, vide quam lene sit. Omnis itaque per carnales sensus experientia visio dicitur sensualis. Quæ quidem visio prophetica esse potest, prophetam vero facere non potest. C Visio quippe serpentis ænei, quam Moyses exaltavit in eremo, qua filii Israel a serpentum morsibus curabantur (*Num.* xxi), prophetica fuit; videntes tamen prophetas non fecit. Sensualis etiam illa visio fuit, qua sanctus Abraham tres viros vidit descendentes per viam (*Gen.* xviii) : quam et propheticam esse ipse non dubitavit, qui tres vidit et unum adoravit. Ex illa autem sensuali visione, quamvis prophetica fuerit, ipse Abraham propheta non fuit; sed ex alia, qua illam sensualem propheticam esse conspexit. Magis igitur propheta fuit, qui exaratas in pariete aulæ regiæ Babylonis litteras exposuit, quam qui manum articulosque conspexit scribentis (*Dan.* v). Porro visionem illam, qua in animo D corporalium rerum quas sensu percepimus, videmus imagines, idcirco imaginariam dicimus; quia non aliunde nobis ingeruntur harum rerum similitudines, sed a nobismetipsis per sensus inductæ, sicut eas foris vidimus, ita eas intus imaginamur, vel ex eis ipsis alias fingimus. Nam similitudinem cervi quadrupedis, quem oculis vidi, interius imaginor, et ex ea cervi sex pedum quem nunquam vidi, imaginem fingo. Hæc autem visio nec prophetica aliquando est, nec prophetam aliquando facit, nisi forte ideo prophetica dici possit, quod res sensibiles, quando propheticæ sunt imaginari in animo possunt. Phantastica sane visio aliquando a corpore fit, aliquando ab anima, aliquando autem ab alterius naturæ spiritu, a corpore, vel supra, vel

Digitized by Google

morbo. Somno, quando dormientibus nobis corpore, anima, quæ dormire non potest, vacantibus sensibus, quibus in veris corporibus intuendis occupabatur, interim in corporum phantasiis naturaliter versatur. Morbo, quando mala aliqua valetudine sensibus perturbatis, visa similia corporibus cernuntur, quod phreneticis sæpe accidere manifestum est. Sane ab ipsa anima phantastica visio est, quando ea ipsa, quæ anima in se frequenti versat cogitatione, dum vigilat, per phantasias quasdam contuetur, dum dormit. Porro ab alterius naturæ spiritu formatur hæc visio, quando vel oculis carnis per phantasmata vana deluditur, vel dormientibus, vel ægrotantibus, rerum phantasiæ a malis spiritibus animæ præsentantur, vel cum vigilante et sano corpore, anima ab ipsius sensibus abripitur. Nam pro certo scimus multorum oculis ita delusum esse, ut homo eis bestia videretur, ut aqua fluere, ubi nulla erat aqua, æstimaretur; ut ignis sævire, ubi ignis non erat, putaretur: et multa hujusmodi. Quod autem a dæmonibus somnia multa formentur, nulli incredibile est. Phreneticis vero, vel quolibet morbo alio affectis, licet ipsa valetudine multa visa formentur, potest tamen fieri, ut a nequam spiritibus multa eorum animis objectentur. Verum quoties animam a sensibus, quasi in quemdam excessum malus abripit spiritus, delusum phantasmatibus hominem, aut dæmoniacum facit, aut arreptitium, aut falsum prophetam. Hanc itaque visionem, quam phantasticam diximus, a prophetarum officio omnino separamus. Porro visio, quam ideo spiritualem dicimus, quia in spiritu hominis alterius spiritus operatione formatur, aut per somnium fit, aut per excessum. Per somnium, cum a bonis spiritibus corporalium rerum imagines in animo dormientis formantur. Quæ profecto visio, licet prophetica sit, prophetam tamen non facit. Prophetica quippe visio illa fuit, qua Joseph patriarcha vidit solem, et lunam, et stellas undecim adorare se (*Gen.* xxxvii). Propheta tamen hac visione non fuit, si ipsius mysterium visionis non intellexit. Neque Pharaonem dicimus prophetam fuisse, quia futuræ ubertatis, famisque sequentis in somnis dicitur præsagium conspexisse, sed Joseph (*Gen.* xli), cui Deus, somnii illius occasione, propositi sui reseravit arcanum. Nec Nabuchodonosor prophetæ nomine dignum æstimo, cui statua illa in somnis apparuit, sed potius Danielem, cui somnium ipsum, somniique datum est nosse virtutem (*Dan.* ii). Præterea cum sano corpore, nec somno sensibus consopitis, aliquo occulto opere spirituali in ea visa, quæ similia sunt corporalibus, anima rapitur, extasis dicitur, vel excessus: qua visione occulta revelantur et præmonstrantur futura.

Cui cum accesserit visio intellectualis, de qua postea tractabimus, fit talia videns propheta, vel mysteria loquens, vel occulta patefaciens, vel ventura prænuntians. In excessu mentis Petrus descendentem de cœlo discum aspexit, in quo erant omnia genera reptilium et animantium, dictumque est ei: *Macta et manduca* (*Act.* x). Quam certe visionem, vel præceptum, non tunc quidem, sed accedente postmodum intellectuali visione, cognovit, quando ait: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi* (*ibid.*). In spiritu præterea, non in carne sanctum Ezechielem prophetam, multa Christi et Ecclesiæ sacramenta sub specie civitatis in monte positæ, legimus aspexisse (*Ezech.* xl), raptumque per excessum in Jerusalem, abominationes pessimas Judæorum prophetico oculo deprehendisse (*Ezech.* viii). Utrum autem per bonos aliquando spiritus in sensibus hominum aliquid fiat, quo sensus ipsi fallantur, sicut eorum profecto fallebatur sensus, quorum oculi tenebantur ne Christum agnoscerent, nolo præcipitare sententiam. Nam utrum per bonos aut malos spiritus Syri percussi sint cæcitate, ne Eliseum, vel Samariam agnoscerent (*Luc.* xxiv; *IV Reg.* vi), incertum habeo. Rationalis sane visio ea est, qua sine omni corporalium sensuum adminiculo verum, vel falsum certa ratione apprehendimus; qua inter vitia virtutesque discernimus; qua numerorum, et ponderum, et mensurarum rationes veras esse probamus; ita ut nihil certius carne videamus quam ternarium numerum, in duas æquales partes dividi non posse, mente conspicimus. Igitur visione sensuali corporalia cernimus, ex imaginaria corporalia imaginamur; phantastica per imagines corporales illudimur; spirituali per corporeas similitudines spiritus eruditur; rationali in invisibilibus mens exercetur; intellectuali in ipsam veritatem mens inducitur. Nam intellectualem illam dicimus visionem, qua mens omne corpus, omnesque corporeas imagines ac similitudines transcendens, in ipsa luce veritatis requiescit; in qua vera et vere sunt omnia prætérita, præsentia, et futura, nec aliter futura quam præterita. Unde Dominus in Evangelio: *Multa habeo vobis dicere* (*Joan.* xvi). Habuit eis dicere multa, non in multis, neque per multa, sed in uno et per unum; ubi multa non sunt multa sed unum. *Sed non potestis portare modo.* Sensuali enim visione ob dulcedinem præsentiæ ejus occupati, et corporalibus ejus verbis corporaliter intenti, ad intellectualem illam visionem, quæ omnium corporalium excludit memoriam, ubi ipsa Veritas loquitur, assurgere non valebant. Ideo ait: *Expedit vobis, ut ego vadam* (*ibid.*): ut scilicet corporalis hæc visio, corporaleque colloquium subtrahatur. Scio in monasterio virginum, quæ sub venerabili et cum summa reverentia nominando sancto Patre Gilberto uberes pudicitiæ fructus quotidie transmittunt ad cœlos, quamdam fuisse, vel adhuc forte superesse virginem sanctam, quæ cum omnem mundi amorem, ac carnales omnes affectus, curamque corporis omnem, et exteriorum

Google

sollicitudinem a suo pectore exclusisset, cœpit quodam mentis æstu et fastidire terrena, et desiderare cœlestia. Accidit autem aliquando, ut, cum amore solito orationi incumberet, mira quædam suavitas superveniens omnes animi motus, omnes cogitationum excursus, omnes insuper spirituales, quos circa amicos habebat, exstinxerit affectus: moxque anima ejus, quasi oneribus quæ in mundo sunt valedicens, rapitur supra se, et ab ineffabili quadam et incomprehensibili luce excepta, nihil aliud videbat, nisi quod est, et quod omnium esse est. Neque lux illa corporea fuit, aut aliqua corporis similitudo nec distendebatur, nec diffundebatur, ita ut ubique videretur; nec ipsa tenebatur, et tenebat omnia; et hoc miro et ineffabili modo, sicut esse tenet quidquid est, veritas, quidquid verum est. Hac igitur luce perfusa, ipsum Christum, quem prius noverat secundum carnem, cœpit jam secundum carnem non nosse; quia spiritus ante faciem ejus Christus Jesus in ipsam eam induxerat veritatem. In hoc igitur excessu cum ei hora non parva præteriisset, pulsata a sororibus, vix potuit ad corporales, quos reliquerat, sensus redire. Itaque cum hoc ei sæpius contigisset, et multum rogata tandem ipsius modum excessus cæteris exposuisset, cœperunt plurimæ visionis hujus excellentiam æmulari. Unde se ab omnibus curis, sollicitudinibusque mundanis abstrahentes, lacrymis, orationibusque continuis plures eamdem gratiam sortitæ sunt, et ita ut inter sororum conventicula sæpius hac luce perfunderentur, etiam invitæ. Erat ibi virgo quædam magnæ discretionis femina, quæ omni spiritui sciens non esse credendum, totum hoc aut morbo, aut phantasticis illusionibus credidit assignandum: et sororibus, quantum potuit, talis visionis frequentiam dissuasit. Inquirenti autem ab illa quæ in his superior habebatur, cur sibi nihil tale accidisset, respondit illa: « Quia fidem nobis non adhibes, nec in aliis diligis virtutem, quam ipsa non habes. Roga, inquit, Deum, ut si ex ipso est, mihi hoc ipsum eveniat. » Cumque aliquot diebus orassent, et nihil profecissent, requisita iterum quæ supra et unde supra, respondit: « Oportet te omnibus mundi hujus, cunctorumque mortalium renuntiare affectibus, et circa solius Dei memoriam occupari. Quid, inquit illa, pro amicis meis, vel benefactoribus non orabo? » Cui illa. « Eo tempore, quo volueris ad superiora mentis contemplatione conscendere, necesse est ut omnes quos diligis, Deo commendes atque committas, et quasi profectura de mundo, omnique omnino creaturæ valedicens, ad ejus, quem diligis, suspires aspectum. Adhuc illa non credens rogat, ut orationibus ejus, si ex Deo essent ista, voti sui mereretur effectum. Nolo tamen, inquit, ut anima mea ita sustollatur, rapiaturque a corpore, ut a mente mea omnium rerum, maxime amicorum deleatur memoria. Sufficit autem mihi scire utrum ex Deo sint ista. » Itaque die Paraseeves, cum anxiis cogitationibus fluctuaret, subito ipsa, quam diximus, luce perfusa, cœpit in eam modo ineffabili subvehi, et ad altiora sustolli. At illa radiantem in se lucem illam inaccessibilem oculo infirmiori non ferens, ad Dominicæ passionis intuitum revocari se, ut potuit, postulavit. Cum ergo vidisset quasi raptim id esse, quod est a superioribus ad inferiora defata, in illam spiritualem visionem transfertur, videtque in spiritu Jesum in cruce pendentem, confixum clavis, lancea perforatum, sanguinemque per quinque foramina profluentem, ipsamque mitissimo oculo respicientem. Tum illa resoluta in lacrymas, et in se tandem reversa, fidem sororibus adhibuit, et se huic luci minus idoneam æstimavit. Iis forte non inutiliter insertis intelligamus hanc solam visionem, quam intellectualem dicimus, prophetam facere, sicut de sapientia scriptum est: *Ipsa in animas sanctas se transferens; amicos Dei et prophetas constituit* (*Sap.* VII). Quidquid enim aliis visionibus cernitur, aut ambiguum est, aut fide magis quam scientia roboratur. Quod autem in ipsa cernitur veritate, in qua facta sunt, quæcunque futura sunt, et luminosum constat esse, et certum. Igitur in visione sensuali vel phantastica, quando hæc, quæ intellectualis est, operatur, prophetiæ donum esse, non ambiguum est. Qua igitur visione viderit Isaias filius Amos onus Babylonis, sola videlicet intellectuali, aut sensuali etiam, vel spirituali, quis facile dixerit? Nam quod utraque visione hac futura prævideriit multa, intellectuali eum illuminantes, ex ipsius libri serie, scire possumus. Ex sensuali quippe visione oraculum texuit, quando Ezechiam regem, pro eo quod nuntiis Babylonicis domus suæ thesauros ostendit, prophetica auctoritate corripuit. *Quid*, inquiens, *viderunt isti in domo tua?* Et Rex. *Non est verbum*, ait, *quod non ostenderim eis.* Tunc propheta. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et auferentur omnia quæcunque congregaverunt patres tui in Babylonem* (*Isa.* XXXIX). Ex spirituali vero, quando ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*Isa.* VI), et cætera quæ sequuntur. Quacunque autem harum visione viderit onus Babylonis, certum est quod mente vidit, non carne, ipso revelante, qui ait: *In manibus prophetarum assimilatus sum* (*Ose.* XII). Sed quia jamdiu nos tenuit visionum istarum distinctio, prophetiæ hujus visionis exordium usque in crastinum differamus.

SERMO IV.

De eo, quod scriptum est: « Super montem caliginosum levate signum, » etc.

Quando *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* (*Galat.* IV). Quæ est ista temporis plenitudo? Illa nimirum, de qua Dominus in Evangelio: *Levate*, inquit, *oculos vestros, et videte regiones, quoniam*

Digitized by Google

albæ jam sunt ad messem (*Joan.* IV). Tempus quippe vacuum dicitur, et inane, quando solis inclementia arefactis in terra seminibus, vel nimia pluviarum inundatione putrefactis, fames cuncta consumens vacuum reddit messoribus agrum, quando decem jugera vinearum faciunt lagunculam unam, et triginta modii sementis faciunt modios tres. Tempus vero plenum, quando abundant omnia, quando multiplici fruge suis respondet terra cultoribus, nudusque per agrum cursitat messor; quando ubique in vineis celeuma cantatur; quando horrea replentur frumento, et torcularia vino redundant. Veniat nunc in mentem Salvatoris de frumento zizaniisque parabola, et quid triticum, quid zizania esse dixerit, advertamus. *Semen*, inquit, *bonum, hi filii sunt regni; zizania, filii nequam* (*Matth.* XIII). Filios utique regni eos vocans, quos misericordia prædestinavit ad vitam; filios nequam quos justitia providit ad pœnam. Igitur ante adventum Domini nostri filiis nequam omnem pene superficiem terræ occupantibus, et paucis inter eos regni Dei filiis latitantibus, fames verbi Dei cuncta pervaserat, tempusque vacuum et inane spiritualibus operariis nihil, in quo laborarent, reliquerat. Venit autem plenitudo temporis, quando ubique terrarum abundabant hi, qui a Babylonicis erroribus fuerant separandi, separati justificandi, justificati glorificandi. De quibus Salvator: *Messis quidem multa; operarii autem pauci* (*Matth.* IX; *Luc.* X). Per adventum proinde Domini nostri invadenda fuit Babylon civitas confusionis, in qua vitiis et erroribus cum reprobis captivi tenebantur electi, et eorum separatione destruenda. Et hoc onus primum Babylonis, quod vidit Isaias, filius Amos. Modum autem hujus destructionis prophetico sermone describens, ita exorsus est: *Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum; ingrediantur portas duces* (*Isa.* XIII). Quis loquitur? Quibus loquitur? Notandum, arbitror, quod sancti prophetæ aliquando narrando, aliquando orando, nonnunquam etiam benedicendo, vel quasi maledicendo, aliquando aliquid agendo, plerumque vero quasi præcipiendo, futura prædicunt. Narrando, sicut est illud: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Isa.* II). Orando, ut illud: *Ostende nobis misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis* (*Psal.* LXXXIV). Vel certe illud: *Utinam disrumperes cœlos, et descenderes* (*Isa.* LXIV). Sanctus quoque Moyses: *Obsecro, Domine, mitte, quem missurus es* (*Exod.* IV). Quasi maledicendo vero, sicut ait Propheta: *Disperge illos in virtute tua; protector meus, Domine* (*Psal.* LVIII). Et: *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei* (*Psal.* LXVII). Et alibi Propheta: *Da eis*, inquit, *Domine. Quid dabis eis? Vulvam absque liberis, et ubera arentia* (*Osee* IX). Benedicendo, ut Isaac ad filium suum: *Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, et olei* (*Gen.* XXVII)! Agendo etiam aliquid, sicut Jacob lapidem erexit, et unxit (*Gen.* XXVIII): sicut Moyses serpentem æneum in eremo exaltavit (*Num.* XXI): sicut etiam idem iste Isaias nudus et discalceatus incessit (*Isa.* X). Quasi præcipiendo, ut in sequentibus libri hujus scriptum est: *Ite, angeli veloces, ad gentem divulsam et dilaceratam* (*Isa.* XVIII). Cernens igitur propheta, adveniente in carne Domino Salvatore, per ministerium apostolorum, et doctrinam prædicatorum, confusionis civitatem eversum iri, ex sua vel ipsius persona jubet, vel monet eos facere quod vidit eos esse facturos. *Super montem caliginosum levate signum* (*Isa.* XIII). Per montem caliginosum ipsam Babylonem, id est mundum, secundum statum, in quo Christus illum invenit, non inconvenienter accipimus: qui et mons dici potuit pro superbia, et caliginosus propter errorem. Quasi mons tunc Romanum erat imperium, quod universo supereminens orbi, quantum elatione tumebat, tantum errore multiplici, maxime autem Dei ignorantia caligabat. Annon tetra quadam caligine mundum obduxerat idolorum cultura, vanitas philosophorum, templorum superstitio, licentiosa libido? *Super montem caliginosum levare signum.* Quod signum? Evangelium audi: *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur* (*Luc.* II). Hoc est signum crucis, cui contradixit humana superbia, pugnantibus adversus eam Judæis et gentibus, cum regibus et principibus, cum sapientibus sæculi et prudentibus, levantibus eam super montem caliginosum parvulis. Abscondisti enim crucis tuæ sacramenta, Domine Jesu, a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Isti sunt parvuli, id est humiles; apostoli et apostolici viri, qui jubentur levare signum super montem caliginosum, ut universum mundum Dominicæ cruci doceant esse subjectum.

II, quod alicui rei superponitur, aut premit, aut claudit, aut supereminet. Superposita sunt duo cherubim arcæ testamenti, ut altius eminerent; superpositus est lapis puteo, ut clauderet; superponitur torculari prelum ut premat. Super montem igitur caliginosum vexillum crucis extollitur, ut sua virtute mundi hujus potentiam premat; superbis redemptionis nostræ mysteria claudat; apud mites vero et humiles omni mundanæ gloriæ supereminеat. Nam quod premat, audi beatissimum Paulum: *Christus factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.* (*Philipp.* II). Ecce quomodo cœlum, terra, infernus, crucis subjicitur sacramento et Babylonici regis ubique virtus premitur, evacuaturque potentia. *Cum fortis*, inquit, *armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Sed si fortior illo superveneriet, tunc vasa ejus dividit, et aufert arma*,

Digitized by Google

et spolia distribuit (*Luc.* XI). Fortis armatus diabolus, atrium mundus, vasa ejus mundi sapientes, arma reges et principes, spolia plebes. Ecce Babylon, et rex ejus, et divitiæ illius. Ante fortioris adventum rex iste in pace, id est, nullo contradicente, regnabat. Sed fortiore superveniente, imponitur ei onus premens, onus vincens, onus exspolians. Onus istud Babylonis, crux est Christi, quæ diabolum vicit, et Babylonem invasit quæ spoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos. Isti sunt Hebræi, de quibus dicitur: *Super montem caliginosum levate signum* (*Isa.* XIII). Ut crucis virtute omnibus gentibus prædicata, diripiantur spolia Babylonis vel Ægypti ab eo videlicet, qui nos eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii claritatis suæ. Elegit quippe parvulos, id est humiles; Hebræos, id est transilientes; mundi hujus contemptibiles, sed mundo superiores; infirmos mundi, sed mundi fortibus fortiores; stultos mundi, sed mundi sapientibus sapientiores. Quæ enim stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes, et quæ sunt infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia, et ignobilia et contemptibilia mundi elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I. Cor.* I). Isti sunt qui humilitate semetipsos despiciunt sicut parvuli: qui omnia, quæ sunt mundi, transiliunt, sicut Hebræi. Hi crucem levant, divitias et voluptates, quæ cruci sunt contraria, calcant, majores divitias arbitrantes thesauris Ægyptiorum improperium Christi. Audi etiam quomodo profunditatem divinæ virtutis et sapientiæ levata super mundum crucis prædicatio claudit. *Nos*, inquit Paulus, *prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (*I Cor.* I). Igitur crucis Dei abscondebatur sapientia; virtus vero Dei crucis scandalo claudebatur. Sed quibus illud? Judæis quippe et gentibus. Non omnibus tamen, sed de quibus alias scripsit: *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est: his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est* (*ibid.*) Prædicamus Christum crucifixum. Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; his autem, qui vocati sunt, Judæis et gentibus, Dei virtutem, et Dei sapientiam. Quomodo sane apud tales, omnibus mundi divitiis et honoribus supereminet crux Paulus ipse docet qui ait: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini Jesu Christi* (*Galat.* VI). Si quis vero montem caliginosum in bonam significationem accipiendum æstimet, veniat ei in mentem, quod ait idem Isaias: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion* (*Isa.* XL): cogitetque ut cujus doctrina sublimis est, sic et vita sublimis; nec manibus repat in terris, cujus lingua versatur in cœlis; nec in inferioribus jaceat infra se, qui sermone ascendit supra se. Nam ipsa doctrina evangelica nomine montis caliginosi non inconveni[illegible]ur, quæ instar excelsissimi montis, o[illegible] supereminet sapientiæ, et sacrament[illegible]a, quæ sublimiora sunt, ab infidelium vel etiam infirmorum oculis, velut quadam abscondit caligine. Potest et scriptura Veteris Testamenti mons caliginosus appellari, quæ alias mons umbrosus dicitur, et condensus: quæ et sublimis est propter spiritum, caliginosa propter litteram. Sub caligine quippe litteræ, cœlestium mysteriorum secreta velantur, quæ ab ipso per Evangelium revelantur, de quo scriptum est: *Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa* (*Psal.* XXVIII). Unde ait Propheta: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Psal.* XVII). Hinc Salomon: *Dominus dixit quod habitaret in nebula* (*III Reg.* VIII). Unde et Moyses non poterat accedere ad caliginem in qua erat Deus. Jubentur prædicatores, a quibus onus nuntiatur Babylonis, ut non in infimis jaceant, sed disponant ascensiones in corde suo; et qui ea, quæ desursum sunt, prædicant, quæ sursum sunt sapiant; et [illegible] super montem positi, non ad vallium ima dejecti, faciant quod sequitur. *Levate signum, exaltate vocem.* Vel quoniam primi veritatis præcones ex reliquiis filiorum Israel electi, legalibus fuerant instituti decretis, et litteralibus sacramentis assueti, jubet Spiritus sanctus ut a lege ad Evangelium, de littera transeant ad spiritum, et de valle carnalium observationum, ad montem ascendant spiritualium præceptorum. Aut certe præcipiuntur, ut quod prædicant in Evangelio impletum, antiquis litteris probent prænuntiatum, sicut ait Salvator: *Scrutamini Scripturas, ipsæ enim sunt quæ testimonium perhibent de me* (*Joan.* V). Et apostolis: *Oportet impleri, quæ scripta sunt in lege Moysis et prophetis, et psalmis de me* (*Luc.* XXIV). Bifarie potest legi hic sermo propheticus: *Super montem caliginosum levate signum*, ut vel signum super montem levent caliginosum, vel ipsi super montem positi caliginosum signum levent. *Exaltate vocem, levate manum* (*Isa.* XL). Habes et alias: *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem* (*ibid.*). Hæc est illa evangelicæ vocis exaltatio, quam sanctus David legitur expressisse. *In omnem*, inquiens, *terram exivit sonus eorum, et in fines terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Quod igitur sanctus David vidit futurum, et verbo præteriti temporis utens jam factum prædicat, hoc ipsum Isaias, imo ipse in Isaia Dominus jubet, ut fiat. *Exaltate*, inquit, *vocem.* Quoniam enim per universum mundum vasa iræ, quæ Babylonica libido polluerat, in vasa fuerant mutanda misericordiæ; vox evangelizantium tanta virtute personuit, ut de non audito fidei verbo nullus causari potuerit. Unde Apostolus: *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum* (*Rom.* X). Sicut igitur in signi elevatione præsignatum dicimus Dominicæ crucis mysterium, ita in vocis exaltatione apostolicæ prædicationis excellentia et efficacia prophetatur, sicut ait discipulis suis Jesus: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XV). Occurrunt adhuc

aliæ de vocis exaltatione sententiæ; sed quia nos ob alia quædam negotia instans hora compellit, ab hac consideratione, Deo volente, crastini sermonis sumemus initium. Vos autem de sermone ad lectionem, de lectione transeuntes ad orationem, pias ad aures Jesu devotis pulsate precibus ut revelet oculos nostros, et consideremus mirabilia de lege sua, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur. Amen.

SERMO V.

De eodem capitulo.

Non excidit vobis, fratres charissimi, ex quo initio, secundum hesternam promissionem nostram, hodiernus debeat sermo procedere. Prædicatoribus veritatis, ut diximus, vocis indicitur exaltatio ut ubique terrarum salus, quam operatus est Dominus in medio terræ, apostolis prædicantibus audiatur, et sic reminiscantur, et convertantur ad Dominum universi fines terræ (*Psal.* xxi); et in insulis, quæ procul sunt, dicant, Salvator noster adveniet. Volens præterea sanctus propheta inter Veteris Novique Testamenti præcones subtili examinatione distinguere, istos, ut vocem exaltent, hortatur. Nostis populo huic Judaico, ut carnali et nihil nisi terram sapienti, terrenam felicitatem fuisse promissam, panis vinique copiam, lactis ac mellis abundantiam secundum illud : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis* (*Isa.* i). Et illud : *Si ambulaveritis in mandatis Domini, adhærentes ei, disperdet Dominus omnes gentes has ante faciem vestram. Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit* (*Deut.* i). Et in Amos propheta : *Comprehendet arator messorem ; et calcator uvæ mittentem semen* (*Amos* ix). Et multa his similia. Non igitur exaltabant vocem, qui terrena promittebant; qui jacenti in imis populo, quæ ima sunt prædicabant; qui temporalia, amantibus temporalia, præmia proponebant. Exaltatur autem vox eorum, quos Christus Novi Testamenti evangelistas constituit; qui cœlestia desideranda, terrena vero docent esse spernenda; qui nihil mercedis suis promittunt auditoribus in præsenti; imo hic labores et agones, in futuro coronas et præmia pollicentur. Exaltabat plane vocem Paulus, cum diceret : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Colos.* iii). Et iterum : *Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis* (*II Cor.* iv). Sanctissimus quoque evangelista Joannes vocem exaltans, et quasi filius tonitrui super Babylonem, terribiliter intonans : *Nolite* inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (*I. Joan.* ii). Et : *Mundus transit, et concupiscentia ejus* (*ibid.*). Primus etiam evangelicæ gratiæ prædicator Joannes Baptista, non a regno terreno, sed a cœlesti suæ prædicationis sumpsit exordium, exaltans vocem et dicens. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* iii). Exaltat itaque vocem, qui prædicat spiritualia, qui loquitur divina, qui promittit cœlestia. *Exaltate vocem, levate manum.* Levantur manus in oratione, levantur in bona operatione, levantur in miraculorum exhibitione. Incumbit quippe prædicatoribus, ut pro ipsis, quibus prædicant, orent primum ut audiant, deinde ut credant, postremo ut in ipsa fide ac bonis operibus perseverent. Incumbit illis nihilominus, ut his, quæ docent, non contraria faciant, ut mens, vox, manusque concordent intentione, sermone, actione. Possunt et in manuum levatione ea quæ per manus apostolorum fiebant signa, et prodigia in plebe, non inconvenienter accipi : hisque prænuntiatum verbis, quod in Evangelio legimus, Domino præcipiente, completum. *Ite*, inquit ad discipulos, *prædicate, dicentes : Appropinquabit regnum cœlorum.* (*Matth.* x). Hoc est, quod dixit Isaias. *Exaltate vocem.* Et addidit : *Infirmos curate, leprosos mundate, dæmones ejicite* (*ibid.*). Et inde propheta : *Levate manum.* Sed nec inconveniens erit, ut credo, si elevatione manuum, vel vocis exaltatione recta præfiguretur intentio : quæ si sola perversa fuerit, et in inferiora declinans ; et verba, et opera, quamcumque videantur sublimia, a Deo judicabuntur jacentia. Nam hi qui non sincere, neque ex veritate Dei Evangelium prædicabant, sed ex occasione de quibus ait Paulus : *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi* (*Philipp.* ii). Et : *Hujusmodi Domino Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri* (*Rom.* xvi); nec vocem exaltabant, nec manus levabant ; quia, quidquid sublime sonabat in verbis, quidquid in miraculis eminebat altum, profecto totum vilis et perversa intentio in infima dejiciebat. Unde propheta : *Et victimas suas declinabant in profundum* (*Osee* v). Salutaris quippe hostia est veritatis prædicatio, carnis afflictio, pauperum recreatio, assidua et intenta oratio. Sed has certe victimas declinant in profundum qui, relicta intentione cœlestium præmiorum, eas ad hæc infima præsentium contorquent commodorum. Unde Dominus in Evangelio : *Videte, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis* (*Matth.* vii), etc. Itaque qui prædicationis officium, vel prophetiæ donum, vel gratiam miraculorum, vel opera justitiæ, vel lumen scientiæ, in vanitatem humanæ laudis, vel in avaritiam turpis quæstus expendunt, nec vocem exaltant, nec manus levant, nec præmia cœlestia, sed æterna supplicia exspectant. Nam quod etiam donis illis sublimioribus, prophetia scilicet, et miraculis, plurimi abutantur, et prophetia Balaam, et miraculis Judæ facile comprobatur. Maxime tamen argumento nobis est illa terribilis in Evangelio Salvatoris sententia, qua dicit : *Multi venient in die illa, dicentes : Nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo multa signa fecimus? Et tunc confitebor illis, quia non novi vos* (*ibid.*). Et [illegible] charissimi, æmulamini charismata [illegible] litatem, pa-

tientiam, charitatem. Hæc certe meliora, quia utiliora. Non enim humilibus, non obedientibus, non invicem in charitate diligentibus dicet Dominus in illa die : *Non novi vos :* quod scimus eum multis prophetantibus et miracula facientibus esse dicturum. Nullus itaque vestrum, fratres, ideo se putet Deo minus acceptum, quia se non videt miraculis gloriosum; sed secundum tria illa, quæ diximus, quam divinis sit gratus aspectibus, nihil hæsitans metiatur : nam. *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV); et : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI); et : *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli estis* Christi, *si dilectionem habueritis adinvicem* (*Joan.* XIII). Sancti igitur apostoli, virique apostolici, quos, ad debellandum atrium fortis, Christus misit in mundum, vocem suam quadrifarie dicimus exaltasse regni Dei prædicatione, bonorum cœlestium promissione, contemptu præsentium, intentione futurorum. O quam pulchri super montes virtutum pedes, id est affectiones, evangelizantium pacem, bonæ voluntatis hominibus, propter bona cœlestia, terrena spernentibus! Pulchri sane pedes, quibus nec saltem pulvis adhæret, sed velut posita in pelvim aqua, ab ipso Christo abluitur, aut in ipsos, propter quos contrahitur, ipso Domino jubente, excutitur. Quidquid enim prædicatores, vel prælati ex occasione officii sui, terrenarum affectionum pulveris contrahunt, vel ab ipsa charitate, pro qua contrahitur, Christo operante, diluitur, secundum illud : *Charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV); vel certe in ipsos, pro quibus laborant, si fuerint ingrati vel inobedientes, excutitur, ut totum non prædicatori, sed ipsis potius imputetur. His omnibus diligenter consideratis, brevi epilogo sensum litteræ explicemus. Vox prophetæ, vel certe vox Domini per prophetam ad apostolos : *Super montem caliginosum levate signum* (*Isa.* XIII). Ac si diceret : Contra Babylonem, id est mundum, qui mons est propter elationem, caliginosus propter errorem, signum fidei et Dominicæ passionis levate, ut humilitate crucis mundi superbia debelletur, lumine fidei errorum tenebræ depellantur. Nec id uno in loco, aut in una fiat regione, sed exaltate vocem ut in omnem terram exeat sonus vester, et in fines orbis terræ verba vestra. Ut autem doctrina veritatis libentius audiatur, facilius credatur, devotius recipiatur, levate manum ut quod verbis docetis, miraculis confirmetis. Quæ omnia impleta sunt, quando discipuli profecti prædicaverunt ubique, Deo cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis (*Marc.* XVI). Potest legi et ita. Vos prædicatores verbi Dei, ascendite de valle ad montem, de littera ad spiritum, de carnalibus cæremoniis legis ad cœlestia sacramenta Evangelii; et ita in monte illo caliginoso, in quo est Deus, id est Scripturarum scientia positi, levate signum, et vocem. Vel ita : Vos, quos [illegible] licare præcipio, ad sublimia mente co[illegible] monte contemplationis A discatis, quod in mundi hujus valle doceatis; et in sublimi, actione scilicet et contemplatione, locati, levate signum crucis mysteria prædicando; exaltate vocem, non terrena, sed cœlestia promittendo; in omni loco levantes puras manus, pro eis, quibus prædicatis, orando, vel bona opera recta intentione exercendo; et ita muri Babylonis crucis aculeo penetrentur, et spolia ejus diripiantur; fiatque quod in hoc ipso propheta scriptum est : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Et ingrediantur portas duces* (*Isa.* IX). In his quippe omnibus, quæ dicta sunt, aperiuntur portæ civitatis, duces ingrediuntur : quorum unus de ipsarum portarum apertione gloriatur, et dicit : *Ostium mihi* B *apertum est magnum, et evidens, et adversarii multi* (*I Cor.* XVI). Ibi quippe portæ Babylonis clausæ reperiuntur a ducibus, ubi omnibus infidelitate et malitia obseratis, verbo Dei ad eorum corda nullus patet accessus; ubi vox prædicatoris auditur quasi pulsantis ad ostium; sed doctrina veritatis non recipitur. Tales utique erant Judæi, quibus Paulus dicebat : *Vobis oportebat primum annuntiare regnum Dei, sed quoniam repellatis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII). Sed et illi ostium clauserant ducibus istis, qui audientes a Stephano Dominum Jesu gloriam prædicari, continuerunt aures suas (*Act.* VII). Dicuntur sane ipsi prædicatores duces verbi, quia Dei verbum auditorum cordibus introducunt, qui tunc C portas civitatis ingressi sunt, quando suscepti a gentibus, constructæ de ipsis Ecclesiæ, rectoris ac ducis nomine præsidebant. Possunt etiam per portas ipsa fidei sacramenta intelligi. Necesse quippe est ut fides præcedat, deinde introitus pateat intellectui. Tunc autem dici possunt duces ingressi, quando per fidem auditorum quasi in eorum cordibus suscepti, altioris ac secretioris doctrinæ eis lumen infundunt. Sed et primitias credentium portarum nomine dignas existimo, per quas, ad cæteros convertendos apostoli faciliorem habuerunt accessum, et in ipsam armis muniti cœlestibus ingressi sunt civitatem. Hinc credo dixisse Apostolum : *Ostium mihi apertum est magnum et evidens,* D *et adversarii multi* (*I Cor.* X). Multitudo quippe credentium quasi ostium erant, per quos in civitatem confusionis Paulus intromissus, contra adversarios, quorum non parvus erat numerus, copiam habuit cominus decertandi. Et in his omnibus onus intelligitur Babylonis, secundum quod superius eam diximus, per Christi adventum, separatione multorum esse subversam. Sed jam sermoni huic finem facimus, ne in hac parte vestris profectibus servire cupientes, alia exercitia æque vobis necessaria impedire videamur. Præcedat autem sermonem crastinum oratio, quod ea quæ allegorice dicta sunt, expositione tropologica repetere possimus, ut jacto fundamento bonorum operum superponatur structura, ad laudem et gloriam Domini no-

Digitized by Google

stri Jesu Christi, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.

SERMO VI.

De eodem capitulo moraliter.

Meminisse debetis, fratres charissimi, dixisse nos charitati vestræ, animam pessimis passionibus vitiisque confusam, Babylonis nomine convenienter intelligi. Babylon enim, ut scitis, *confusio* interpretatur. Et quid tam confusum, quam anima illa, quam nunc superbia elevat, nunc ira devastat, nunc tristitia contrahit, nunc luxuria inquinat, nunc gula dehonestat? Talis quippe anima mons caliginosus dici potest; quicunque enim tales sunt, oculi eorum cæca quadam caligine obducuntur, ut inter lumen virtutum, et tenebras vitiorum discernere non valentes, illud fugiant, in istis delectabiliter volutentur. Hujus Babylonis onus crux est, quæ jam levata per orbem, pereuntibus quidem onus est, his autem qui salvi fiunt utile, gratumque levamen. Quid enim, fratres mei, tam onerosum amantibus mundum, quam crux? In cruce commendatur gloriæ contemptus, quam illi appetunt; commendatur carnis afflictio, quam vehementer refugiunt; commendatur propriæ carnis mortificatio, quam detestantur; commendatur nuditas, et rerum temporalium exspoliatio, quam exsecrantur. Sed et nos, fratres, quantum reliquiæ Babylonis occupant, onerat crux, sicut quotidianis experimentis edocemur! Inquantum enim carnis delectat suavitas, intantum ejus torquet afflictio; et quantum honor gratus est, tantum vilitas est onerosa; et quantum elevat adulatio, tantum dejicit detractio. Si vero civitiæ affectantur, paupertas affligit; et si dulcis videtur libido, difficilis castitas æstimatur. Hinc est quod multi discipulorum Christi audientes crucis mysterium, abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant. Demus proinde operam, fratres mei, ut quidquid de reliquiis mundi in nobis est, a nostris cordibus extrudatur, et omnia, si fieri potest, Babylonis deleantur vestigia, ut experiamur quantum sit in cruce dulcedinis, quantum securitatis et gloriæ. Amorem enim parit, quo nihil dulcius; martyrium, quo nihil securius; contemptum mundi, quo nihil gloriosius. *Super montem caliginosum levate signum.* Ad angelos, credo, vox ista dirigitur, quos Dominus animarum nostrarum jussit esse custodes, ut cordibus eorum, quos adhuc mundus delectat, vel tentat, recordationem crucis imponant; et singulis vitiis, quæ animam vel vastant, vel impugnant, singulas crucis virtutes opponant. Hi sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter nos : qui intersunt psallentibus, assistunt orantibus, legentibus et meditantibus adsunt. Isti se spiritibus immundis opponunt, illecebras mundi suadentibus exemplum Dominicæ passionis objiciunt; mentem ira inflammare volentibus Dominicæ patientiæ bonitatem proponunt; elationem illis vel superbiam immittentibus, humilitatem nobis humilis Jesu suggerunt imitandam. Ideo, fratres charissimi, state in Ecclesia cum reverentia et timore, et date honorem Deo, et habete gratiam his beatis et amicis vobis spiritibus, ne forte aut levitate vestra, aut aliqua contra invicem indignatione offensi discedant, et sic ad corda vestra nequam angelis liber pateatur accessus. Felix anima, quæ inter psallendum, in ipsius de quo psallit, accenditur desiderium; excitatoque affectu, obortisque lacrymis, ipsos, quos in spiritu sentit esse præsentes, alloquitur : *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto quia amore langueo* (*Cant.* v). Quam læto putas vultu, quam hilari voce beati illi spiritus respondere videntur : *Ecce ipse venit saliens in montibus, transiliens colles* (*Cant.* II); conversique ad ipsum jamjamque animæ propinquantem : *Ipsa est*, inquiunt, *speciosa inter filias Jerusalem* (*ibid.*). Infelices et miseri, qui, ad instar spinarum et veprium, talem animam indisciplinatis signis vel vocibus pungunt; nec solum ipsi tantæ dulcedinis expertes, traduntur dæmonibus illudendi, sed etiam ministri Satanæ effecti, quantum in ipsis est, ejus jaculis et persecutionibus alios exponunt. O quam delectabile spectaculum immundis exhibent spiritibus, qui hujusmodi sunt! qui vocem suam, linguam suam, os suum, postremo ipsum cor suum, totiusque noctis laborem, a sanctissimis angelorum manibus, qui omnia jam susceperant templo cœlesti inferenda, et in conspectu Dei divinis imponenda altaribus, infeliciter avellunt : et sic omnia dæmonibus immolant, et non Deo, ut mereantur audire : *Neomenias vestras, Sabbata vestra, sacrificia vestra odivit anima meu, facta sunt mihi molesta* (*Isa.* I). O tu, sancta anima, amica Dei, sponsa Christi, habitaculum Spiritus sancti, patienter tales sustine, ut si impugnant, non expugnent; si trahunt, non pertrahant, nec sic avertant a te ut convertant ad se, ut te faciant sui similem; et illis, qui tibi assistunt, dissimilem sanctis, sed potius glorietur de te sponsus tuus, et dicat : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias!* (*Cant.* II.) Itaque, fratres charissimi, quicunque spirituales estis, cum talem aliquem videritis, nolite indignari illi, sed potius orate pro illo aliquando familiares amicos vestros, beatos, qui vobiscum sunt, spiritus; ut super montem hunc caliginosum levent signum : quatenus Dominicæ passionis et crucis recordatione repressi confundantur et erubescant; et sic ad cordis et vocis redeant unitatem. Et additur : *Exaltate vocem, levate manum.* Itaque quia in sermonem de sacris vigiliis incidimus, congruit psalmodiæ vocis exaltatio, orationi manus elevatio. Et ne litteram in hac parte penitus contemnamus, potest in vocis exaltatione fervor ille exprimi, qui in turba fratrum valde necessarius est, ut per oris sonum interior ille ignis erumpat undique, et sic se erigant invicem et accendant, quatenus una flamma effecta ex multis, holocausta illa medullata divinis angelorum ministerio illata altaribus in odorem suavitatis incendant. Commendatur etiam in manus elevatione

Digitized by Google

puritas orationis, sicut dicit Apostolus : *In omni loco levantes puras manus sine ira et disceptatione* (*I Tim.* II), Ille puras manus levat in oratione, cujus conscientia tempore orationis exsultans, bonorum operum recordatione in quamdam confidentiam sese attollit, et divinis præsentat obtutibus. Quæ quidem confidentia ex innocentia aut ex pœnitentia necesse est oriatur, si videlicet aut non flenda commiserit, aut commissa digne defleverit. Sed quando me, inquis, digne sufficienter pœnituisse præsumam? Nunquam omnino. Unde igitur ista confidentia? Eia, fratres charissimi, spiritualia spiritualibus comparamus. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est* (*Jac.* I). In cujus, quæso, potestate est sic orare ut velit? Itane, quando volumus, aut in lacrymas resolvimur, aut devotione fervescimus, aut erigimur confidentia, aut flamma charitatis succendimur, aut contemplatione sustollimur? Experti estis, quam nihil horum in vestra sit potestate; sed mittit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem : Abba, Pater. Iste igitur Spiritus has in oratione affectiones dispertit, dividens singulis prout vult. Ipse adeo in cordibus orantium gemitum salutarem infundit, ut ipse etiam gemitibus inenarrabilibus dicatur interpellare pro nobis (*Rom.* VIII). Inenarrabilibus, inquam : quis enim sufficiat enarrare, quot modis mens in oratione afficiatur, in qua nunc pudor gemitum excitat pro peccatis, nunc amor pro pœnis, nunc devotio pro affectu, nunc amor pro desiderio? Sed ex consideratione præsentis infirmitatis, vel infelicitatis, plerumque compungimur, et vitæ hujus fastidio ingemiscimus : et pœnas quas timemus, et regnum quod speramus, ante oculos ponimus, et Dei circa nos immensa beneficia recordamur : nullo tamen doloris sensu afficimur, nullo timoris affectu compungimur, ad nullum cœlestis beatitudinis desiderium sublevamur. Plerumque nihil horum præ oculis habentes, subito in hæc omnia rapimur, et de affectu in affectum modo quodam ineffabili transeuntes, lacrymarum imbre perfundimur. Quid est hoc? Certe quia, *Ubi Spiritus vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat* (*Joan.* III). Scis quando venit, quia non se sinit ignorari cum spirat; scis quando vadit, quia tepor fervori recedenti succedens, non se sinit ignorare cum spirare jam cessat. Sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Unde venit, aut quo vadit Spiritus, qui replet orbem terrarum? Neque enim ab ipso vox ista aliena est : *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII). Et tamen venit, et nescis unde veniat; et vadit, et nescis quo vadat. Nescis certe unde veniat, an a secreto misericordiæ, an a tribunali justitiæ, an ex abysso judiciorum, an ex thesauris scientiæ. Cum enim venit ut excitet torpentem, vel compungat peccantem, vel consoletur afflictum; quasi ex cubiculo misericordiæ dicitur processisse. Quando vero ut bene operantem spiritualis compunctionis suavitate remuneret, ex justitiæ eum sede ad nos dicimus descendisse. At ubi illorum mentibus salutarem nunc inspirat affectum, quibus omnia cooperantur in malum; qui ingrati beneficiis, servantur suppliciis; quibus et bonum, et malum simul sunt ad tormentum; eum ex abysso judiciorum advenisse non dubites. Si vero ea causa venire dignatur, ut mens hujusmodi visitatione purgata, ad rimanda divinæ secreta scientiæ, luminosior aptiorque habeatur, quasi ex scientiarum thesauris eum exisse confidas. Sed nescis unde veniat, cum nescias utrum amore, an odio dignus sis (*Eccle.* IX) : et utrum misericordiam præroget, an mercedem restituat, an exerceat judicium, scire non possis. Nescis et quo vadat, utrum videlicet e vicino subsistat, post modicum rediturus; an longius eat, post multum temporis reversurus; an offensus recedat, nunquam denuo reversurus. Itaque quando vult spirat, et ubi vult spirat, et sicut vult spirat, dividens singulis quod vult, et sicut vult (*I Cor.* XII). Quoties tamen orantis mentem in quamdam confidentiam erigit, et oblitteratis omnibus, quæ conscientiam obscurabant, timorem pro delictis et sollicitudinem a corde prorsus expellit, facitque eum miro et ineffabili modo de salute sua eo puncto temporis certum, manus ejus in excelsum elatas non dubites. Quod quia fit sanctorum auxilio angelorum, ad illud dictum intelligi potest : *Levate manus.* Præterea contra tria peccatorum genera quibus peccamus, cogitatione scilicet, sermone, et opere tria hæc a nobis ipsis auctoritate prophetica exiguntur : *Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum.* Cor quippe nostrum cum per naturam sublime sit, et per profunditatem inscrutabile, mons caliginosus dici potest; quod necesse est crucis semper memoria muniamus, ne peccemus cogitatione; jubemurque exaltare vocem, ne peccemus sermone. Necessarium sane præceptum, præsertim hoc tempore, quo fere omnium lingua tota die circa infima, vel noxia quæque versatur, et rarus sit qui vocem in sublime sustollat. Eia, fratres charissimi, pudet dicere, quomodo convenientibus multis in unum, detractiones undique sonent, et ferveant judicia. Nam ut taceam mundi amatores, quorum totus sermo de lucro, aut turpitudine est; de illis, qui videntur sæcularibus abrenuntiasse operibus, quid dicam? quorum omnes fere disputationes et collationes de ventre sunt, pro ejus non dicam delectatione, sed onere. Nunc enim ira turbidi, nunc dejecti tristitia, nunc odiis inflammati, nunc pressi murmure, nunc lite sunt effrenati, quorum mens intestinis semper conformatur et ventri, inde sibi aut gaudium mutuant, aut dolorem. Isti utique non vocem exaltant, sed turpiter dejiciunt. Quod simile ter faciunt, qui tota die de alienis tractant negotiis, qui de suis se jactant operibus aliorum detrahendo discutiunt qui, seriis utilibusque prætermissis, vana et ludicra in medium proferunt. Contra hæc omnia jubet nos sermo propheticus exaltare vocem, ut sermo noster de cœlestibus sit, qui vel Dei timorem

Digitized by Google

incutiat, vel amorem infundat, vel augeat scientiam, vel mores componat. Jubemur et manus levare, ut thesaurizemus in cœlum, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur (*Matth.* VI), ut videlicet omnia opera nostra transmittamus ad cœlum, non facientes justitiam nostram coram hominibus, ut videamur ab eis. *Et ingrediantur portas duces.* Hæc omnia, fratres, quæ de signi levatione, vel vocis exaltatione, vel manus elevatione diximus, quædam, ut ita dixerim, portæ sunt, per quas virtutes introducuntur ad animam, quasi quidam cœlestis exercitus, quo vitia, quibus fuerat Babylon, id est civitas confusionis affecta, penitus expellantur : et sic vocetur civitas sancta, urbs fidelis. Hujus exercitus duces, principales virtutes intelligamus, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam. Hi duces, si cogitationes nostræ sanctæ fuerint, si sermones boni, si munda opera, quasi portas quasdam intrantes, totam animam suæ subjiciunt ditioni, replentes eam virtutibus, et sancto Spiritui domicilium præparantes. Diutius quam putabamus nos sermo iste detinuit; utinam tam utilis fuerit quam prolixus! Ad illa itaque quæ sequuntur inspicienda, vel tractanda, tempus aliud exspectemus, obsecrantes eam : *Qui habet clavem David; qui aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (*Apoc.* III), quatenus quod clausum est in Scripturis suis, aperire dignetur, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VII.

De eo quod scriptum est : « Ego mandavi, » usque : « Exsultantes in gloria mea. »

De onere Babylonis, sicut meminit charitas vestra, quinque jam sermones absolvimus, in quibus de monte caliginoso, et de levatione signi, et de exaltatione vocis, et manuum elevatione, sicut potuimus, disputavimus. Jam nunc, ne cui videatur ambiguum, ad Novi Testamenti præcones vocem istam, sicut diximus, prophetice fuisse directam, manifeste id ipsum loquentis in propheta verbis Domini declaratur. Dicit enim : *Ego mandavi sanctificatis meis, et vocavi fortes meos in ira mea, exsultantes in gloria mea.* Dederat quippe mandatum ut omnia quæ præcepta sunt fierent, sed a quibus fierent non expresserat. Ideo quasi quærenti et dicenti, Domine, cui ista committis tam magna sublimiaque negotia? Respondet : *Ego mandavi sanctificatis meis*, et . Quibus verbis, ut mihi videtur, tres prædicatorum ordines exprimuntur, quorum primum sanctificatos appellat, secundum fortes in ira sua, tertium exsultantes in gloria sua. Notatur et hic triplex Ecclesiæ status, primus electionis, secundus persecutionis, tertius pacis. Potest enim sanctificatio referri ad electionem, ira ad persecutionem, gloria ad pacem. Primum itaque electi sunt apostoli et discipuli Christi, quos profecto sanctificatos appellat : pro quibus specialiter illa ejus effusa est oratio, quam post ultimum in cœna sermonem mirabili et ineffabili affectu ad Patrem profudit. *Pater*, inquit, *non rogo, ut tollas eos de mundo; sed ut serves eos a malo. Pater, sanctifica eos in veritate* (*Joan.* XVII). Et iterum. *Pro ipsis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate* (*ibid.*). Isti igitur vere sanctificati sunt in veritate, qui præsentia corporis ejus, qui doctrina dulcissimi oris ejus, qui commendatione efficacissimæ orationis ejus, qui postremo recenti effusione sacrosancti sanguinis ejus, tanto uberius quanto vicinius sanctificari meruerunt. Optime autem dicit : *Ego mandavi*, id est præcepi, *sanctificatis meis*, ut eos hic intelligas designari, qui ab ipso ejus ore mellifluo prædicandi ministerium, et officium apostolatus susceperunt. Sed quia fundata per apostolos Ecclesia persecutionibus erat exercenda, et probanda tentationibus : *vocavi*, inquit, *fortes meos in ira mea.* Ira Dei multis modis intelligitur in Scripturis. Dicitur enim iratus Deus, aliquando cum affligit, aliquando cum parcit, aliquando cum hominum resistit desideriis, aliquando cum favet. Nam commotus adversus Job dictus est, quem permisit affligi, sicut ipse loquitur ad Satan. *Et tu commovisti me adversus eum frustra* (*Job* II). Illis autem pepercit iratus, de quibus dicit : *Recedet sclus meus ab eis, et ultra non irascar eis* (*Ezech.* XVI). Sed et iratus dimisit quosdam secundum desideria cordis eorum : et iterum quasi iratus sepit vias multorum spinis, ut non inveniant amatores suos, quos quærunt. Dicitur itaque afflictio ipsa, qua suos permittit affligi, ira ejus. Licet proinde Ecclesiam non ad virtutis detrimentum, sed ad mercedis cumulum a persecutoribus permiserit fatigari; ipsa tamen ira Dei non incongrue appellatur, non secundum providentiam permittentis, sed secundum dolorem sentientis, et æstimationem quid inde futurum fuerat nescientis. Quamvis hæc ira vere ad ipsos possit referri, qui occasione persecutionis recesserunt a fide, nec ad eam per pœnitentiam redierunt. Istos vero iratus permisit affligi, quibus temporalis pœna æternæ damnationis fuit occasio; quia melius erat viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum rediisse. Potest et hæc ira Dei in persecutores sanctorum videri sævisse; qui, sicut dictum est de Pharaone, in hoc ipsum excitati sunt (*Exod.* IX), ut ostenderet in eos Deus virtutem suam, et notam faceret potentiam suam (*Psal.* CV) : quos permisit indurari, ne crederent; excæcari, ne viderent; commoveri, ut credentes occiderent. Unde scriptum est in hoc ipso Isaia : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos claude, ne forte videant oculis suis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos* (*Isa.* VI). In hac ira Dei, sive qua electi puniti sunt, ut coronarentur; sive reprobi, ut agnoscerentur; sive qua permissi sunt sævire tyranni, ut arctius vel infelicius damnarentur; in hac, inquam ira Dei, martyres sancti fortes inventi sunt, qui ignem, ferrum bestiasque perpessi, fiducialiter proclamabant : *Quis nos separabit a charit.*

Digitized by Google

tate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an gladius? (*Rom.* VIII.) Horum itaque patientia muri Babylonis arietati corruerunt, latum ducibus relinquentes ingressum. Sic mirum in modum principes, qui orbem sibi subjecerant pugnando, martyres Christo subjiciunt patiendo. Tunc vere levatum est signum, quando in corona regis crux locatur pro gloria, quæ fuerat terrori pro pœna, pro contumelia pudori. Tunc cœpit apparere etiam mundo gloria Christi, quando ubique per orbem templa subvertebantur, idola conculcabantur, martyres coronabantur, exsultantibus in hac gloria sanctis prædicatoribus Christi, de quibus ait : *Vocavi fortes meos in ira mea : exsultantes in gloria mea.* Itaque mandavit sanctificatis; fortes vel exsultantes vocavit. Præcepit nimirum sanctificatis, quos sua lætificavit præsentia, quos proprii oris erudivit doctrina, quibus ascendens in cœlum prædicationis officium et dispensationem injunxit sacramentorum. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Cæteros sane, sive martyres, sive doctores, absens corpore, sed præsens divinitate vocavit, vocatos justificavit (*Rom.* VIII), justificatos ad alios vocandos erudiendosque transmisit. Quamvis quocunque tempore fuerint omnes præcones veritatis, sanctificatos potuerit appellare propter castitatem, fortes propter charitatem, exsultantes propter spem. Nam castitate perfecta nihil sanctius, charitate nihil fortius, spe cœlestium nihil jucundius. Et hæc quidem fide quæsita sunt, persecutionibus probata, Christi gloria coruscante firmata. Fides itaque contulit sanctimoniam, ira probavit dilectionem, spem inspectio gloriæ confirmavit. Sed et nos, fratres charissimi, sanctificemur in gratia ejus; fortes simus in ore ipsius; exsultantes in gloria ejus. Quod nomine sanctificationis castitas appelletur. Scripturarum consuetudo commendat. Nam cum aliquando filiis dicatur Israel : *Sanctificamini in crastinum* (*Jos.* VII); aliquando, *in diem tertium* (*Exod.* XIX), a carnali commistione certis temporibus prohibentur. Hinc est quod panes quærens a sacerdote David, cum audisset non esse ibi panes laicos, sed tantum panes propositionis, sacerdoti interroganti utrum mundi essent pueri, maxime a mulieribus, respondit: *Siquidem de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudiustertius, et sunt vasa puerorum sancta* (*I Reg.* XXI). Unde Apostolus : *Sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, et non in passione desiderii* (*I Thess.* IV). Sciendum autem est quia est castitas carnalis, castitas sensualis, castitas spiritualis. Castitas carnalis est, si homo voluntatem suam ab omni illicita coinquinatione cohibeat. Castitas sensualis, si membrorum omnium sensus ab omni illicita delectatione contineat. Castitas spiritualis, si omnes affectiones immundas, cogitationesque impuras a cordis sui oculis abigens, eas priusquam carnem perstringant, ejiciat. Ita charissimi, carnali illi populo, cui carnalia sola sapiebant, temporalis quædam sanctificatio indicebatur, illam, quæ solius carnis est a membris tantum inferioribus libidinem arcens : nobis non modo illa præcipitur, sed omnium insuper sensuum castigatio sacratiori lege imponitur, ut mundemur ab omni inquinamento carnis et spiritus (*II Cor.* VII), et sic in nobis perficiatur sanctificatio, non unum corporis nostri membrum castitatis legibus subdens, sed omnes interioris exteriorisque hominis sensus perpetuo sibi jure submittens. Itaque, fratres, non sinamus tempus sub negligentia præterire; sed inspiciamus diligenter si quid impuritatis adhuc in oculis sit; si aures vanis noxiisve sermonibus polluantur; si manus mundæ, si defæcatæ nares, si sermo sanctus, si temperatior gustus, si vultus levitate vacuus, incessus vanitate; et sic omnia quæ sunt sanctificationi contraria resecemus, ut odor quidam suavissimus de singulis membris nostris sensibusque procedat; et sic holocaustum nostrum pingue fiat (*Psal.* XIX). Inde ad spiritualem illam, quæ cæteris excellentior est, conscendentes, omnes affectus motusque cordis, non solum ab omni immunditia; sed quantum fieri potest, ab omni pervagatione lasciviæ vindicemus; et sic exteriori interiorem pudicitiam sociantes, unum Deo sacrificium ex utriusque conjunctione libemus. Felix, felix, qui sive manducet, sive bibat, sive aliud quid faciat, omnia in gloriam Dei facit (*I Cor.* X); sanctificans semetipsum Christo, ut sanctificatus in veritate cœlestium mandatorum, secretis communicet, unus effectus ex illis, de quibus dicit : *Ego mandavi sanctificatis meis.*

Sequitur fortitudo, quæ in tentationibus necessaria est : neque enim perfectio illa sanctificationis ita indirupte in hac poterit vita retentari, ut nullis unquam tentationibus interpoletur ejus serenitas. Verum, sicut Dominus Deus noster tempore, quo pacata sunt omnia et tranquilla, dulcis et amabilis cernitur et jucundus; ita, cum nos vel tentationibus carnis, vel dæmonum exponit suggestionibus, vel mundi hujus affligit molestiis, vel atterit persecutionibus, durus quodammodo videtur et iratus. Et felix, qui in hac ira ejus fortis fuerit, nunc resistendo, nunc pugnando, nunc fugiendo, ut non infirmus inveniatur aut debilis, vel consentiendo, vel desperando. Itaque, fratres, qui non fortis inventus fuerit in hac ira ejus, non poterit exsultare in gloria ejus. Si igitur transierimus per ignem et aquam, ita ut nec ignis incenderit, nec aqua submerserit, cujus hæc gloria est? Nunquid nostra, ut in ea nobis exsultandum sit, quasi in nostra? Absit! Quam multi exsultant, fratres; exsultant cum laudantur ab hominibus, de Dei donis gloriam propriam captantes, et in Dei gloria non exsultantes! Quidam quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi; et quæ sua sunt amittunt, et quæ sunt Jesu Christi non recipiunt (*Philipp.* II). Exsultat itaque in gloria Christi qui non quærit gloriam suam, sed Christi, intelligens in nullo esse nobis gloriandum.

Digitized by Google

quando nostrum nihil est. Sic ergo in singulis hominibus civitas confusionis obruitur, si castitas expellat luxuriam, fortitudo tentationes evincat, humilitas vanitatem excludat. Habemus præterea sanctificationem ex fide et sacramentis Christi, fortitudinem ex charitate Christi, exsultationem in spe promissorum Christi. Agamus itaque quantum possumus, ut nos fides sanctificet, charitas corroboret, spes lætificet, in Christo Jesu Domino nostro, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VIII.

De eo quod scriptum est : « Vox multitudinis, » usque, « venientibus de terra procul. »

In verbis propheticis, quæ hesterna die tractavimus, sequuntur ista, quæ hodie cum charitate vestra suscepimus explananda : *Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium, vox sonitus regum et gentium congregatarum.* Primum quærendum cujus vox ista sit, prophetæ, an Domini. Deinde, utrum præcedentibus sententiæ continuatione cohæreat, an alterius prophetiæ sit vox ista principium, quam a superiori diversitas sententiarum disjungat. Mihi videntur verba ista prophetæ exsultantis, et in quemdam se mentis jubilum pro his, quæ in spiritu viderat, attollentis, quæ superioribus sic convenire manifestum est. Cernens quippe post persecutionis diuturna, ac dura discrimina, ad Christum regibus et principibus mundi conversis, ubique per orbem Christi Ecclesiam coruscantem, et in ejus gloria exsultantem, magnamque sanctorum multitudinem, qui persecutionis tempore in antris, specubusque latuerant, cum mira alacritate ubique discurrere, et verbum Dei libera jam voce et fronte prædicare, potentesque sæculi, reliquias Babylonis suæ auctoritatis terrore comprimere, ex abundantia cordis in vocem prorupit exsultationis. *Vox multitudinis in montibus.* Quod cum quodam hiatu quasi admirando, et exsultando legendum est. Videbatur itaque sibi propheta ipsam vocem prædicantium et exsultantium, erudientium et corripientium audire in spiritu, et ait : *Vox multitudinis in montibus.* Mons significat eminentiam, quia non potest civitas abscondi supra montem posita (*Matth.* v), nec vox ejus non audiri, qui loquitur in monte. Itaque regnante per imperatores Ecclesia, jam non erat latere in tenebris, jam non erat in angulis susurrare, data nimirum facultate sanctis aperte prædicandi, et quoscunque vellent doctrina evangelica erudiendi. Ait ergo : *Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium.* Tantus quippe tunc erat prædicatorum ordo, ut multitudini videretur comparandus. Quod si per multitudinem populorum frequentium velis intelligere multitudinem credentium, non erit absurdum, ut videlicet data pace Ecclesiis, et prædicandi licentia sanctis, in voce exsultationis et confessionis ad montes conscenderint, apostolorum scilicet et prophetarum doctrinam, de quibus Psalmista. *Suscipiant montes pacem populo* (*Psal.* LXXI). Et alias : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI), ejus scilicet Ecclesiæ. Hi sunt montes, ad quos levamus oculos nostros, ut inde veniat auxilium nobis, ut eorum videlicet illuminemur sapientia, et erudiamur exemplo. *Vox sonitus regum et gentium congregatarum.* In sonitu terror ostenditur, quo credentes in Christum reges, imperiali edicto templa subrui, confringi idola, sacrificia sacrilega aboleri jusserunt. Vocem itaque sonitus, id est terroris eorum super Babylonem, propheta spirituali auditu percipiens. *Vox*, inquit, *sonitus regum.* Quoniam autem exemplo superiorum inferiores, exemplo divitum pauperes, exemplo fortium debiles, exemplo imperatorum gentes ad fidem sunt conversæ, adjecit : *Et gentium congregatarum.* Non erat certe unus locus ubi congregarentur gentes, ut esset vox una omnium, una omnium in eadem sententia desiderioque voluntas. Et tamen congregatæ sunt : vocatæ nimirum ab Oriente, ab Occidente, ab Aquilone et Meridie, ut in una catholica et apostolica Ecclesia convenientes reges et gentes, a finibus terræ clamarent ad Dominum, unanimes uno ore laudantes et honorificantes Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Quæ sententia videtur verbis sequentibus repetita, cum ait : *Dominus præcepit militiæ belli : venientibus de terra procul* (*Isa.* XIII). Militiam belli reges vocat et gentes : illius utique belli, quo ad bellandum adversus confusionis civitatem, ejusque principes, aerias scilicet potestates, potentias regum, divitum gloriam, industriam sapientium, tandem autem fidem gentium excitavit. Hæc est illa militia quæ venit a terra procul, ad ejus differentiam, quæ quasi de proximo venerat. In proximo enim esse videbantur, quorum erat testamentum et legislatio, et obsequium, et promissa ; quorum Patres, et ex quibus Christus secundum carnem. An non gentes longe erant, sine lege, sine fide, sine Deo in hoc mundo? Longe erant, quibus dominabantur vitia, a quibus exsulabant virtutes, quibus spes nulla cœlestium, nulla exspectatio futurorum. Unde convenienter ait : *Venientibus de terra procul.* De terra sane, terrenis scilicet, luteisque operibus, de terrenis affectibus et cupiditatibus, de mundi hujus desideriis et inquinationibus. Sane quod ait, *præcepit Dominus militiæ belli*, vim divinæ virtutis et gratiæ præcepti nomine commendat ; quia ineffabili motu interius gentes excitavit ut audirent, illuminavit ut crederent, monuit ut venirent, recumberentque cum Abraham, Isaac et Jacob in regno Dei. Potest quippe per regnum Dei Ecclesia intelligi, in qua ad patriarcharum gratiam gentiles assumpti sunt : et abscissi ab infidelitatis oleastro, in bonam sunt inserti olivam : et participes radicis et pinguedinis facti, promissam Abraham, Isaac et Jacob beatitudinem, unius ejusdemque cum eis fidei meritis sortiuntur. Sed et hodie, fratres charissimi, ad spiritualem militiam quosdam de prope, quosdam de longe Christus adducit, et facit habitare unius moris in domo (*Psal.* LXVII) : quos et

Digitized by Google

induit armatura Dei, ut possint stare adversus insidias diaboli (*Ephes.* VI). Unde Psalmista ait : *Dicant nunc, qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici ; de regionibus congregavit eos* (*Psal.* CVI). Sunt quippe regiones vicinæ, sunt et longinquæ : de quibus congregati sunt sancti et electi ejus, qui ordinaverunt testamentum ejus super sacrificia (*Psal.* XLIX). Deinde in regionem longinquam profectus fuerat filius adolescentior, et ibi dissipaverat omnia sua, vivendo luxuriose (*Luc.* XV). Sed cum pater Deus intelligatur, quomodo ab ipso recedere, vel ad ipsum redire potuit, qui ubique est? Quæ regio longinqua illi est, extra quem nihil est? Sed regio longinqua dissimilitudo est, sicut similitudo vicina. Itaque cui cum Patre omnimoda similitudo est, ita Pater vicinus est, ut licet non sit Pater, hoc ipsum tamen sit, quod Pater. De qua similitudine dicitur. *Qualis Pater, talis Filius.* Iste nec ad Patrem accedere, nec recedere potest a Patre. Non enim ad imaginem et similitudinem Patris est factus, sed ipse est imago et similitudo Patris; de ejus substantia, non alterius substantiæ genitus. At ille Filius, qui non est natus, sed factus ; et factus ad imaginem et similitudinem ejus, id est non ut ipse esset imago et similitudo ejus, sed ut impressam et expressam in se haberet imaginem et similitudinem Dei; et recedere potest, quia potest esse dissimilis ; et redire, quia potest esse similis. Consideranda proinde sunt duo quædam, quæ quidem in Creatore unum sunt, duo in creatura, id est natura et virtus. Ad naturam pertinet immortalitas et incorruptio ; ad virtutem sapientia et dilectio. Hæc in Deo unum sunt, quia non sunt aliud in Deo ista quam Deus. At homo immortalitatem habuit et incorruptionem, secundum naturam, in qua creatus est. Habuit sapientiam et dilectionem, quæ ei superaddita est. Sed quia ipse nec immortalitas, nec incorruptio, nec sapientia fuit, ab istis recedere potuit, et esse Deo dissimilis, et iterum redire per gratiam, et iterum esse similis. Virtus itaque et virtutis præmium beatitudo, regio similitudinis est; vitium et miseria, dissimilitudinis. Quia vero primo factus est dissimilis per vitium, ut merito factus sit dissimilis per miseriam, necesse est ut primum similis efficiatur virtute, ut quandoque similis efficiatur beatitudine. Quanto autem quisque vitiosior est, tanto utique est Deo dissimilior, ac per hoc tanto longinquior, quanto autem virtuosior, tanto profecto similior, ac per hoc tanto vicinior est. Quotquot vero virtutes sunt, tot sunt et regiones, ad illam, quæ omnes continet, pertinentes regionem similitudinis ; quotquot autem et vitia, tot et regiones, quæ ad eam, in qua omnia vitia sunt, pertinent regionem dissimilitudinis. Habent quippe singula vitia, vel virtutes singulas, in quibus subsistant, regiones, extra quas aut vix, aut nunquam inveniri possunt, vel haberi. Itaque castitas virtus est, cujus regio abstinentia dici potest; labor quoque et vigiliæ, maxime autem interior solitudo. In hac sane regione habitat castitas, extra quam utrum possit inveniri, singulorum conscientia exploret. At fornicatio vitium est, cujus regio est edacitas, somnolentia, otium, maxime cohabitatio indisciplinatorum. Sic et charitas, quæ virtus est, regionem habet voluntariam paupertatem ; et avaritia, quæ vitium est, regionem habet temporalium dilectionem. Hæc de cæteris vitiis vel virtutibus facile advertere est. Sane vicinus est castitati, qui conjugii limites non excedit; longe autem remotus, qui fornicationibus, vel adulteriis, vel stupris polluitur. Sic vicinus est charitati, qui suis licenter utitur, non diripiens aliena, sicut ille longe remotus, qui nec sua misericorditer distribuit, nec ab alienis abstinet capiendis. Illis quoque de cæteris vitiis diligenter inspectis et virtutibus, considerate quam multi de longe, quam multi de prope ad militiam, quam jurastis, advenerunt. Igitur de longinquo venerunt, qui de sterquilinio vitiorum, ad montes conscendere virtutum, in quibus una omnium vox auditur psallentium in unum, unum insuper desiderantium. Quam vocem audiens in spiritu propheta. *Vox*, inquit, *multitudinis in montibus quasi populorum frequentium, vox sonitus regum et gentium congregatarum.* In hac quippe spirituali militia quidam reges sunt, quidam plebes, Reges, qui præsunt; plebes, qui obediunt ; vel reges, perfecti ; plebes, imperfecti. Et reges populo terrori sunt, sicut imperfectis perfecti, subditis prælati, unde ait : *Vox sonitus regum.* Sonet itaque, fratres, in ore vestro, et in cordibus vestris gratiarum actio et vox laudis : qui non solum a vitiis, sed quod paucis donatum est, ab ipsis vitiorum regionibus egressi, in montibus virtutum subiistis, et per hanc Dei similitudinem, quam in virtutibus habetis, ad illam, quæ adhuc deest, beatitudinem festinatis. Nos vero, his omissis, ad ea quæ sequuntur indaganda itaque tractanda, nosmetipsos tam oratione quam silentio reparemus. Ipse autem Christus revelet oculos nostros ut consideremus mirabilia de lege sua, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum.

SERMO IX.

De eo quod scriptum est : « A summitate cœli, « usque « Tabescet et conteretur. »

Hactenus propheta onus Babylonis secundum hoc, quod per adventum Domini nostri, sanctis prædicantibus, multorum est separatione destructa, paucis quidem verbis, sed profundis sententiis comprehendit. Nunc vero ad eos, qui vel Evangelii veritatem non susceperunt, ut salvi fierent ; vel qui susceptam fidei veritatem iniquis operibus corruperunt, prophetantis sermo convertitur. *A summitate cœli Dominus, et vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram.* Non hanc terram, quam calcamus præsentiat disperdendam, sed terræ nomine eos vult intelligi, qui nonnisi terram sapiunt, qui terrenis desideriis divina promissa postponunt, qui

Digitized by Google

æternis temporalia præferunt, qui, spreta Evangelii veritate, mundi vanitatibus et erroribus implicantur. Hos nimirum disperdendos præmissa sententia prophetæ declarat. Sciendum sane quod duobus modis disperduntur peccatores : cum videlicet conversi ad Dominum per pœnitentiam, desinunt esse quod erant, et incipiunt esse quod non erant, secundum illud : *Verte impios, et non erunt* (*Prov.* XII); vel certe cum de malis in deteriora ruentes, postremo æternis suppliciis mancipantur. Et primum illud ab ipso Domino in suis fieri, qui miseretur cui voluerit, nullus ambigit Christianus : sequens illud ejus quidem judicio, sed spirituum malignorum ministerio, Scripturarum auctoritate probatur. Nam et diabolus misit in cor Judæ, primum ut traderet Dominum, deinde ut suspenderet semetipsum (*Matth.* XXVII) : et in Ægyptios misit Dominus iram et indignationem et tribulationem, immissionem per angelos malos (*Psal.* LXXIX). Verum cur unus assumatur, alius relinquatur (*Luc.* XVII) ; cur iste convertatur sanandus, iste tradatur dæmonibus indurandus vel puniendus, ad occulta Dei judicia ac profunda consilia pertinere sciamus. Ideo ait : *A summitate cœli Dominus : et vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram.* Summitas cœli, ut mihi videtur, ipsa summa ac beata Trinitas est, a qua profecto immobilis dictatur sententia, ut Dominus noster Jesus filius hominis, cui potestatem dedit Deus Pater judicium facere, istos disperdat per pœnitentiam, illos per pœnam. Sequitur : *Ululate, quia prope est dies Domini.* Ululatum itaque peccatoribus propheta indicit : quos vel in pœna vel in pœnitentia ululaturos prævidit. Ululatus quippe vehementem luctum, qui cum clamore fit, convenienter significat : quem nimirum illata miseris extorquent supplicia, vel a cordibus peccatorum elicit pœnitentia. Quid enim putamus, fratres mei? *Ululate*, inquit, *quia prope est dies Domini.* Diem Domini diem appellat judicii, in quo Dominus in potentia et majestate apparens reddet unicuique juxta opera sua (*Matth.* XVI). Hic sane dies unicuique tunc incipit, quando egressus de corpore, vel futuræ beatitudinis primitias recipit in requie, vel initia damnationis in anima quam est recepturus et in corpore. Hæc utique dies tanquam *vastitas a Domino veniet.* A Domino sane. Vere enim, Domine, numerus mensium nostrorum apud te est, et constituisti terminos nostros, qui præteriri non poterunt. *Tanquam vastitas a Domino veniet.* Quid enim non dies illa devastat? *Nudus egressus sum de utero matris meæ ; nudus revertar illuc* (*Job*, I), ait quidam sanctus. Ubi ergo divitiæ, ubi deliciæ, ubi auri argentive aggeres, ubi auri promptuaria plena eructantia ex hoc in illud? (*Psal.* CXLIII.) Ubi sericæ vestes, et equi pugnantes? Omnia certe morienti vastantur : *Cum enim interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus* (*Psal.* XLVIII). Quidquid insuper virium in corpore, quidquid voluptuosum in carne, quidquid delectabile in sensibus, quidquid jucundum in moribus, totum profecto dies illa obruit et consumit. Felix mens, a qua diei hujus recordatio non recedit. Quam enim utilis sit mortis meditatio, testatur Salomon, qui ait : *Fili, semper memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* VII). Quem enim peccare delectet, ante cujus semper oculos hora illa versatur? Ulula ergo, o peccator, in pœnitentia, ne ululare cogaris in pœna ; contra voluptates sæculi amarescat tibi dies Domini in memoria, ne nimis amarescat in experientia, sentiasque quod sequitur : *Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne cor hominis tabescet et conteretur* (*Isa.* XIII). In manibus intelligitur operatio. Eia, fratres, ut ait Dominus, *oportet* nos operari, *donec dies est. Veniet nox, in qua nemo potest operari* (*Joan.* IX). *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (*Apoc.* XIV). Mors igitur nox est, in qua nemo potest operari. Aut enim in bonis operibus requiescet ; aut malis punietur. Die itaque illa Domini omnes manus dissolventur, quando alii, ligatis manibus et pedibus, mittuntur in tenebras exteriores (*Matth.* VIII) ; alii post opera sex dierum excipiuntur a Sabbato, id est requie, admissi ad delicias interiores. Amodo enim dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Itaque *Quodcunque potest manus tua, instanter operare ; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas* (*Eccle.* IX). *Omnes* enim *manus dissolventur.* Quid dicis et tu, qui confidis in virtute tua, et in multitudine divitiarum tuarum gloriaris? Videat charitas vestra. Alii quasi nihil operantur ; alii mala operantur ; alii bona male operantur ; alii bona bene operantur. Quasi nihil operatur malus ille servus et piger, qui acceptum pecuniam fodit in terram (*Matth.* XXV), nec de accepto aliquid fraudans, nec acceptum lucro cumulans. Cui similes sunt pigri et tepidi, quibus magnum videtur a solis abstinere criminibus, cum nihil laboris, nihil industriæ impendant in acquirendis virtutibus. Isti ergo quasi sine manibus sunt. Quid isti faciant, quando nemo potest operari? Certe opera eorum non sequuntur illos. Non requiescent ergo. Non sunt opera, in quibus requiescant : omnes manus dissolventur, ut operari non valeant. Quid igitur restat, nisi ut etiam servus inutilis projiciatur in tenebras exteriores? Verum sicut bene operantes bona opera sua præmittunt ad Deum ut, morte interveniente, manibus dissolutis in ipsis repausent et glorientur, sic nimirum male operantes, mala sua opera præmittunt ad inferos, in quibus perpetuo crucientur. Qui enim hic fuerint in malo potentes, potenter tormenta patientur (*Sap.*, VI) ; et qui crudeles, crudeliter torquebuntur ; et qui fetentes libidine, sulphureis fetoribus vexabuntur ; et quos inflammat avaritia, flammis tartareis exurentur ; et quos gula et ebrietas polluit, perpetuis vermibus depascentur. Cave tibi, homo. Quoties enim peccas, materias pœnarum quibus torqueaeris, præmittis ad

Digitized by Google

inferos. Tu tibi ignem accendis, quo torquearis; tu fetorem suscitas, quo crucieris; tu vermes vivificas qui te consumant; tu tenebras paras, quæ te excæcent. Tunc manus tuæ dissolventur, ut nec aptæ sint ad operandum, nec validæ ad resistendum, sed dissolutæ ad patiendum. Omnes manus dissolventur. Non est amodo tempus operandi. Amodo quidem *jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Qui? Certe, de quibus subdit : *Opera enim illorum sequuntur illos.* Itane tua te sequentur, quæ vel vendidisti, vel ventilasti in omnem ventum? Quidquid bonorum operum collegisti, aut in ipso tuo animo vanitatis et superbiæ flatibus exsufflasti, et tu secutura te tua opera arbitraris? Cum igitur non habueris ubi consoleris, quid restat, nisi ut et tu cruciaris? Tu quoque, charissime, qui etiam bona bene operaris, nolo confidas in virtute tua, neque in multitudine divitiarum tuarum (*Psal.* XLVIII), licet spiritualium, glorieris; quia tunc omnes manus dissolventur. Quomodo, inquis? Quia omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ in conspectu ejus. Non enim justificabitur in conspectu ejus omnis vivens (*Psal.* CXLII). Necesse est proinde, ut omnes ululent : malus, ne in malo perseverans damnetur; piger et tepidus, nequando neque frigidus neque calidus, a Dei ore evomatur (*Apoc.* III). Sic et qui bona male operatur, ne duabus viis viam ingrediatur; qui autem bona bene, ne occulto Dei judicio reprobetur. Dicit itaque propheta : *Ululate, quia prope est dies Domini; quasi vastitas a Domino veniet*, ut vicinæ mortis intuitu et boni timeant, et mali lugeant, discantque ululare in pœnitentia qui noluerint ululare in pœna. Hæc vox licet videatur spectare ad omnes, secundum ordinem tamen propheticæ prænuntiationis, ad eos qui vel in persecutionibus lapsi sunt, vel tempore pacis diversis fœdati sceleribus, speciali comminatione dirigitur. Quibus nimirum et pœnitentiam suadet, et pœnam intentat; quibus et convertendi, et bene operandi, dum vivunt, facultas tribuitur : quæ profecto omnibus, morte superveniente, subtrahitur. Tunc enim omnes manus dissolventur, et omne cor hominis tabescet et conteretur. Eia, fratres, tabes ex putrescentibus carnibus nascitur; et donec penitus fuerint putrefactæ, profluere non cessat. Habet autem in se tabes et horrorem et fetorem. Videat nunc unusquisque cor suum; videat qualibus cibis illud paverit. Et certe cibus animæ verbum Dei; cibus utique qui non corrumpitur, nec tabem generat, nec edenti corruptionem importat. Est cibus animæ opus bonum, sicut ait in Evangelio Dominus : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me* (*Joan.* IV). Cibus quoque salutaris animæ, compunctio, sicut dicit Propheta : *Cibabis nos pane lacrymarum* (*Psal.* LXXIX). Et item : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI). Est et cibus animæ dulcis in Deum devotio, quasi adeps frumenti, qua satiatur Jerusalem, dicente ad eum Psalmista : *Et adipe frumenti satiat te* (*Psal.* CXLIX). Hi cibi vitalem alimoniam animæ præstant esurienti, transformantes eam in se, et æternitatis suæ donantes esse participem. Sunt alii cibi perniciosi qui tabem nutriunt et materiam putredini subministrant, porcorum scilicet siliquæ, quibus plerumque tam avide inhiatur (*Luc.* XV); quibus tam delectabiliter anima pascitur, ut cœlestis edulii fastidium ingerant, et super manna cibo certe angelico nauseam provocent (*Num.* XI). Hæc sunt carnes, quæ putruerunt in dentibus populi peccatoris : qui in sepulcris concupiscentiæ miserabiliter sepulti, in ipsa quam creaverant tabe consumpti sunt. Itaque fornicationes, adulteria, furta, et cætera hujusmodi, porcorum siliquæ sunt, id est cibi dæmoniorum : qui profecto in cordibus hominum licet delectabiliter sapiant, tabis tamen et putredinis materia sunt. Cujus profecto fetorem aut homo salubriter sentiet in pœnitentia, aut, imminente morte, pœnaliter sentiet in conscientia. Tunc enim omne cor hominis tabescet, profluente undique ex conscientiæ latebris sanie immunditiarum, et sordibus vitiorum : ex quibus et vermis ille procreatur qui non moritur, et accenditur ignis qui non exstinguitur (*Marc.* IX). Isti sunt vermes, a quibus cor illud conteritur in pœna, quod hic non fuerit contritum in pœnitentia. *Omne*, inquit, *cor hominis tabescet, et conteretur.* Omne plane cor hominis, id est secundum hominem viventis, qualibus ait Apostolus : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis?* (*I Cor.* III.) Et in priori quidem sententia, cum diceret, *omnes manus dissolventur*, non addidit, *hominis*, quoniam bonorum et malorum opera morte superveniente cessabunt; eorum autem tantum, qui secundum hominem vivunt, cor et conscientia conteretur. Hæc igitur hora, fratres, non recedat a memoria, ut si nobis nunc fuerit causa timoris, tunc fiat porta salutis, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

SERMO X

De eo quod scriptum est; « Torsiones et dolores tenebunt (*Isa.* XIII), » etc.

Infelicia hæc tempora, in quæ nostra ætas devenit, in persona Ecclesiæ Ezechias deplorans : *Ecce*, inquit, *in pace amaritudo mea amarissima* (*Isa.* XXXVIII). Vere, fratres, ita est. Amara videbatur persecutio, sed in ipsa persecutione non parva bonis erat consolatio, quando non erat fictioni locus, nullum otio vel dissolutioni tempus; quando felix quædam necessitas cunctis in gradibus suis, tam subditis quam prælatis. Sublato autem timore, nata est dissolutio, crevit ambitio, honores et divitiæ virtutibus præponuntur, vitia deliciis nutriuntur. Itaque propheta Isaias, cum apostolicam prædicationem et martyrum fortitudinem descripsisset, cernens multos, persecutione cessante, pacis tempore deterius corruisse, saluberrimum eis futuræ calamitatis infudit timorem : *Ululate*, inquiens, *quia prope est dies Domini : quasi vastitas a Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne*

Digitized by Google

cor hominis tabescet, et conteretur. De his, ut novit charitas vestra, hesterna die tractavimus : et quomodo, vel ad pœnitentes, vel ad morientes pertineant, sicut Dominus dedit, explicavimus. Sequitur autem : *Torsiones et dolores tenebunt* (*Isa.* XIII); eos videlicet, quorum manus fuerint dissolutæ, et quorum cor fuerit tabidum et contritum. Eia, fratres, omnia flagitia ex ventre sumunt originem; per cætera vero membra facinora perpetrantur. Ex gula quippe, quæ ventris saturitate perficitur, libidinum incentiva generantur, ex quibus fornicationes et omnia immunditiæ genera procreantur. Porro per linguam blasphemiæ, per manus furta vel homicidia et cætera hujusmodi committuntur, servientibus in hoc ipsum oculis ad explorandum, auribus ad audiendum, pedibus ad incedendum. Igitur anxietatem mentis, quæ imminente morte ex flagitiorum recordatione procedit, per torsiones expressam intellige, illam vero, quam facinora rememorata parturient, per dolores. Quæ enim tunc, fratres mei, flagitiosis erit tristitia, cum viderint se vilissimæ ac brevissimæ voluptatis putredine æterna supplicia meruisse? Quæ etiam tunc facinorosis anxietas, quorum crudelitati crudelissima tormenta reddentur? Quid putatis, charissimi? Nihilne saporis tunc insipidis his quibus utimini, cibis hora illa profundet? Felices, quibus ventris deliciæ has torsiones non parant, quorum membra hic circumciduntur, ut hos tunc dolores non sentiant. *Torsiones*, inquit, *et dolores tenebunt.* Quoties memoria voluptatis expertæ mentem tuam afficit, et excitat desiderium, fastidiumque vilis hujus ingerit edulii, et importat horrorem, torsiones sustines spirituales, per quas torsiones illas, quas in morte multi sentiunt, evadens, sententiam inter divitem purpuratum, et pauperem Lazarum a sancto patriarcha prolatam, tibi dirigi exsultalis. *Recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris* (*Luc.* XVI). Sequitur : *Quasi parturiens dolebunt.* Eia, fratres, non est dolor, sicut dolor parturientis. Est autem partus carnalis, partus spiritualis, partus pœnalis. Et certe *mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus* (*Joan.* XVI). Dolor in membris, mors in oculis, timor versatur in conscientia; quis vero sit fructus, ignorat. Spiritualis partus est, quando sancti doctrina ac sollicitudine filios pariunt spirituales : quorum unus ait : *Filioli mei, quos iterum parturio* (*Galat.* IV). Et hic partus non sine dolore : oportet enim talem *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom.* XII). Est etiam partus spiritualis, quando anima sterilis et infecunda a timore Domini concipit : et conversa ad Dominum, bonorum operum initia parit. Et in hoc partu quis dolor, quando caro resistit spiritui, consuetudo voluntati, quando ipsa mens modo vult, modo timet, modo impellitur delectatione boni, modo retrahitur desiderio mali! Est et partus perniciosus, quando homo concipit dolorem, et parit iniquitatem (*Psal.* VII), quando concipit acquirendi affectu, et parit effectu. Unde Dominus in Evangelio : *Væ prægnantibus et nutrientibus* (*Matth.* XXIV). Væ profecto sic concipientibus, et sic parientibus; quia, etsi modo exsultent, cum male fecerint, et lætentur in rebus pessimis (*Prov.* II); imminente jàm morte, sicut parturiens dolebunt. Sicut enim mulier quæ cum delectatione concepit, magnis afficitur doloribus cum parit, ita profecto anima voluptatibus vitiisque corrupta, cum ipsius corruptionis cœperit morienti apparere stipendium, tristitia doloribusque conteritur, et sera pœnitentia reversa in se incipit sentire quod scriptum est : *Ambulate in lumine ignis vestri : et in flamma, quam succendistis vobis* (*Isa.* XXX). Potest sane partus iste dici pœnalis, quando moriens in pœna quasi parturit; et mortuus pœnam, quam peccans concepit, quasi infelicissimam sobolem pariens excipit. Quanto felicius a timore Domini concipit homo pro peccatis pœnitudinem, et morum parit conversionem! Qui quidem partus, quamvis non sit sine dolore, gaudium tamen creat in tranquillitate conscientiæ; quia, cum pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium : et qui seminant in lacrymis, in gaudio metent (*Psal.* CXXV). Omnes igitur, qui vel fidem deseruerunt inviti [victi] supplicii in persecutione, vel qui corrupti vitiis pacis abscissi sunt tempore; quasi parturiens dolebunt vel salubriter pœnitendo, vel infeliciter moriendo. *Unusquisque ad proximum suum stupebit.* Videat charitas vestra, fratres charissimi. Proximus multis modis dicitur, id est loco, tempore, natura, cognatione, similitudine, dilectione, miseratione. Loco, sicut ille illius proximus dicitur, qui ei de proximo vicinatur. Tempore, sicut ille qui descendenti nullo alio interveniente succedit. Natura, sicut omnis homo omnis hominis proximus est. Unde dicitur : *Diliges proximum tuum, sicut teipsum* (*Matth.* XXII). Quod de omni homine dictum, nullus ambigit Christianus. Cognatione, sicut patri filius, frater fratri, cognatus cognato. Similitudine, sicut bonus bono, malus malo; etiamsi loco temporeque disjuncti sunt, similitudine tamen proximus æstimatur. Porro dilectione ita sibi possunt homines proximi esse vel conjuncti, ut multitudinis credentium fuerit cor unum et anima una in Domino (*Act.* IV). Miseratione, sicut Samaritanus proximus fuisse illi, qui incidit in latrones, quia fecit misericordiam cum illo, Evangelio teste probatur (*Luc.* X). Viro itaque juste, sobrie, pieque viventi, proximus est quilibet similiter vivens; proximus et angelus sic viventi gratissime favens; proximus insuper et ipse Deus, sic viventi bene operandi gratiam subministrans. Sic et pessimo cuilibet pessimus quilibet proximus est, sive homo, sive spiritus. Nam fornicationis spiritus fornicariis, spiritus superbiæ superbis proximus perhibetur : et cujus unusquisque in vitiis et virtutibus induit similitudinem, ejus et vicinitatem meretur.

Digitized by Google

Credendum est igitur, morientibus et bonos et malos esse præsentes, ut boni a bonis susciplantur, mali a malis torqueantur. Unusquisque igitur ad proximum suum stupebit. Apparente enim dæmone fornicationis immundo cuilibet morienti, non poterit non stupere, qui viderit. Quod enim blandum cernitur et jucundum, cum suadetur, amarum sentitur, dum improperatur; stupetque miser durum invenire et immitem, quem sæpe fuerat expertus suavem. Nostra ergo interest, fratres, tales nobis facere proximos, qui in illa hora tremenda consolationi nobis sint, non horrori. Felix, qui vitæ munditia et morum honestate angelicos spiritus ita sibi meruerit habere propinquos, ut quasi amici et proximi egredienti assistentes, velut bene cognito adgaudeant. In historiis fide dignis legimus angelos sæpe morientibus astitisse, sanctosque, quos speciali devotione colebant, dum viverent, in extrema necessitate habuisse præsentes. Econtra novimus nequam spiritus illis terribili vultu, oculisque flammantibus infernalibus armatos instrumentis apparuisse: qui illorum suggestu viventes, vitiisque sese criminibusque polluerant. Et sancti ergo ad tantam claritatem admiratione et stupore egredientes corpore percelluntur, et reprobi ad tantum horrorem mentis alienatione stupidi efficiuntur. Unusquisque itaque ad proximum suum stupebit. Et additur: *Facies combustæ vultus eorum.* Hoc ad reprobos tantum arbitror referendum. Per faciem maxime et vultum homo ab homine discernitur, et singulari expressione a singulis singuli cognoscuntur. Solent autem quorumdam criminum rei in facie cauterio denotari, ut, quia vultus latere non potest, crimen quoque quod vultus deformatione publicatur, latere non possit. Vultus animæ, ut mihi videtur, conscientia est: quæ omnium actionum, sermonum et cogitationum testis est. Qualiscunque enim homo sit, conscientiam suam latere non potest. Conscientia quippe quasi speculum animæ est: in qua profecto defectus noster, vel profectus deprehenditur, et omnis status hominis interioris agnoscitur. Eia, fratres charissimi, nemo securus sit: facile peccamus, facile transgredimur, facile ad otiosa quæque ac vana dilabimur, et quasi non sentientes ad illicita pertrahimur, sicut scriptum est: *Factus est Ephraim quasi panis subcinericius, qui non reversatur. Comederunt alieni robur ejus, et ipse ignoravit. Sed et cani effusi sunt in eo, et ipse nescivit* (*Ose.* VII). Verumtamen non transeunt in ventum peccata nostra, non traduntur oblivioni; sed in ipsa conscientia, velimus, nolimus, scribuntur. Dicit Apostolus, quosdam cauteriatam habere conscientiam (*I Tim.* IV), id est iniquitatis flamma combustam; quæ quidem combustio plerumque a nobis absconditur, dum vivimus; sed nec nos, nec ipsos qui aderunt, spiritus, poterit latere, quando moriemur. Merito igitur ait: *Facies combustæ vultus eorum.* Dissolutis quippe manibus, et corde contrito, inter torsiones et dolores, quos morte imminente sustinent peccatores, quæcunque non fuerint pœnitentiæ medicamento, aut unguento contritionis sanata, erumpet in medium, et multa quæ nunc videntur sanissima, tunc profecto apparebunt adusta. Sunt certe opera splendida, labor, vigiliæ, jejunia: quæ omnia si fuerint perversa intentione corrupta, nihil decoris afferunt conscientiæ, quam nimirum cogitationum suarum reddit accusatrix flamma combustam. Si quis sane contenderit hanc etiam sententiam pœnitentibus esse aptandam, potest non inconvenienter intelligi, inter dolores, quos pœnitens quisque in recordatione sustinet, et omnia quæ commisit, subtili indignatione revolvit; multa apparere tunc illi concupiscentiæ igne combusta, quæ prius lucida putabantur et sana. Cum igitur nomine Babylonis censendi sint, qui in Ecclesia perdite vivunt, vel ab Ecclesia, vel fide corruerunt, descriptum est onus, quo conversi pœnitendo premendi, vel quo perseverantes in malo, morientes fuerant opprimendi. Procedit propheta, tempus illud miserabile mystico sermone describens, in quo adeo superabundabit iniquitas et refrigescet charitas, ut digni sint, quibus mittatur ille operator erroris, homo scilicet peccati, filius perditionis, de quo scriptum est: *Faciem ejus præcedet egestas* (*Job.* XLI). Quam quidem egestatem in sequentibus propheta non tacet. Et primum de die judicii sermo contexitur, ut ejus terrore vitia quæ tunc maxime abundabunt, facilius caveantur, vel tormenta, quæ inferet ille blasphemus, magnificentius tolerentur. Sequitur ergo et dicit:

Ecce dies Domini venit, crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque. Et apte satis de die ultimo singulorum sermone præmisso, ad illum, qui unus omnium, quantum ad præsentem vitam, ultimus est, propheticum convertit eloquium, ut qui illum non timent, expavescant vel istum. Commemorantur autem hic quatuor quædam manifesta sane illius futuræ calamitatis indicia, crudelitas, indignatio, ira et furor. Crudelitas est, quando ira modum excedit; indignatio, quando personæ alicujus, qui fecit injuriam, certa aliqua nota vilitas innotescit; ira in voce solet apparere vel vultu; furor in actu. Dies itaque illa crudelis erit, quia in ea maximæ crudelitatis species apparebit: quando elementa ignis calore solventur, et in conspectu Domini ignis ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (*Psal.* XLIX). Plenus erit indignationis, quando divina majestas, et hominis innotescit infirmitas: manifestumque erit omnibus, quomodo adversus tantam potestatem tanta sævierit infirmitas, ut nullum lateat, quantum debeat indignari rex gloriæ, quod tantam sit passus injuriam a vilissimo pulvere. Erit et plenus iræ, quando vox illa terribilis audietur: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum; qui præparatus est diabolo, et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Quam profecto sententiam Judicis furor sequitur tribulantis, quando euntibus illis in com-

Digitized by Google

bustionem æternam nulla erit effugiendi facultas, nulla spes evadendi. *Ad ponendam*, inquit, *terram in solitudinem : et peccatores ejus conterendos ex ea.* Et hoc certe manifestum est quod terra ponetur tunc in solitudinem, sive terræ nomine mundum, sive terrenam illam civitatem, id est Babylonem, velis intelligere. Aliis quippe translatis ad cœlum, aliis pœnis infernalibus deputatis, remanebit terra absque habitatore, id est mundus sine homine, et sola damnata erit illa civitas sine boni alicujus societate. Tunc et peccatores terræ conterentur de ea. Peccatores cœli dæmones sunt, qui mox, ut inventa est in eis iniquitas, contriti sunt de cœlo, et non est inventus eis amplius locus in eo (*Apoc.* xx). Peccatores vero terræ, homines sunt, qui quotidie peccant, et terram inhabitant, donec, ultimo die data sententia, a terra penitus conterantur, et ad inferos detrudantur. Sequitur :

Quoniam stellæ cœli non expandent lumen suum, Obtenebratus est sol in ortu suo ; et luna non splendebit in lumine suo. In die quippe judicii apparente Christo in gloria, sicut lucerna permodica in radio solis nihil luminis proferre videtur ; ita omnia sidera ab illo splendore absorpta intuentibus cernentur obscura. Sed hæc, quæ breviter super diem judicii exposuimus, ad tempus Antichristi arbitror posse referri, ut intelligatur propheta doctus in Spiritu, primum de apostolorum prædicatione ; postea de Ecclesiæ persecutione ; deinde de gentium conversione, et pacis tranquillitate, et sic de lapsorum pœnitentia et mortis terrore ; postremo de tempore Antichristi, et retributione justorum, et malorum condemnatione, oraculum texuisse. Sed quia jam hora præteriit, ad hæc indaganda tempus aliud occupemus : quo liberius convenientes in unum, aperiamus os nostrum in laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

De eo, quod ait : Ecce dies Domini venit, » usque : « *Visitabo super urbes mala* (*Isa.* xiii). »

Ecce dies Domini venit, crudelis, et indignationis plenus, et iræ, furorisque. Sicut meminit charitas vestra, hæc verba prophetæ, licet diei ultimo convenienter aptentur, ad tempora tamen Antichristi diximus posse referri sic, ut sanctus Isaias diversos Ecclesiæ status non solum prænuntiasse, sed etiam ordinem, quo sibi fuerant successuri, servasse intelligatur. Primum igitur apostolorum prædicationem insinuans : *Super montem*, inquit, *caliginosum levate signum*, etc. Deinde persecutionem, qua martyres fuerant coronandi, prænuntians, ait : *Ego mandavi sanctificatis meis*, et reliqua, quæ sequuntur. Ab eo autem loco, quo ait : *Vox multitudinis in montibus*, pacem Ecclesiæ redditam, regum et gentium conversione, declarat. Porro eorum, qui persecutionibus cedentes lapsi sunt, aut pacis tempore vitiis fœdati, vel perditionem vel conversionem describens : *A summitate*, inquit, *cœli Dominus, et vasa furoris ejus*, etc. Quibus demum metum mortis incutiens, adjecit : *Ululate, quia prope est dies Domini*, etc. Postremo, quoniam, crescente iniquitate, totum fere hominum genus abrenuntiaturum veritati, charitatem deserturum, vitiis vidit et erroribus implicandum, de illo tempore propheticum texuit oraculum, quod talibus mittendus erit operator erroris, ut credant mendacio, et judicentur qui non credunt Dei Evangelio. Et ideo, ut mihi videtur, tempus illud diem Domini non inconvenienter appellat, quo impius ille, quasi gladius iræ Dei, de abysso judiciorum ejus, velut de vagina, procedet ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum (*I Petr.* ii). Quæ quidem dies crudelis dicitur, in qua nimirum talis erit tribulatio, qualis non fuit ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Dicitur et plenus indignationis ; quia ubique terrarum adversus sanctos tumor illius superbi indignabitur, cum scilicet pauperes se divitem, humiles sublimem, infirmos fortem habere contemptui, suisque viderit nolle parere imperiis ; imo et decretis resistere, et contraire mandatis. Tunc erit tempus illud etiam plenum iræ furorisque, ut ira intelligatur in minis, furor in tormentis. Quæ omnia justo Dei judicio fieri permittentur, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea. Terra hoc loco Ecclesia Christi intelligitur, de qua dictum est : *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* xxiii) ; de qua etiam dicitur ad Moysen : *Locus, in quo stas, terra sancta est* (*Exod.* ii). In qua profecto boni cum malis, humiles cum superbis, ficti cum veris Christianis communiter vivunt. Et, sicut quondam a Scribis et Pharisæis, qui clavem scientiæ habebant, qui plebi legis decreta tradebant, omnis perversitas apud Judæos quasi futuræ desolationis causa sumpsit exordium ; ita nunc, quod dolens dico, a nobis, clericis videlicet et monachis, qui videmur esse mundi luminaria, futurorum malorum origines præseminantur et causæ. De quibus dicitur : *Quoniam stellæ cœli non dabunt lumen suum, Obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit lumine suo.* Hæc sunt, ut mihi videtur, futuræ calamitatis indicia ; de quibus Dominus in Evangelio : *Erunt*, inquit, *signa in sole, et luna et stellis* (*Luc.* xxi). Si quæris, quæ signa, audi Joel prophetam : *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, priusquam veniat dies Domini magnus et manifestus* (*Joel.* ii). Eia, fratres, fecit Deus duo magna luminaria : luminare majus, ut præesset diei ; et luminare minus, ut præesset nocti, (*Gen.* i). Sunt et in sanctæ Ecclesiæ firmamento a Domino creata duo magna luminaria : sacerdotium et regnum, rex et episcopus, princeps et clericus. Dies spiritualia, nox significat sæcularia. Itaque luminare majus sacerdotium, ut præsit diei, id est spiritualibus ; luminare minus, regnum, ut præsit nocti, id est, sæcularibus. Contra naturam proinde

Digitized by Google

est, si sol nocti, si præsit luna diei, si princeps ad spiritualia sacramenta conficienda se ingerat, si sacerdos sæcularium negotiorum tenebris conscientiæ suæ serenum obnubilet. *Nemo* enim *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II). Rex Osias præsumptione spiritus in Sancta sanctorum more sacerdotis ingressus, lepra percutitur (*II Paral.* II); et propheta Balaam contra Dei voluntatem impii regis desiderio favens, prophetico lumine oculos avaritia excæcatur (*Num.* XXII). O quam bene conveniebant hæc duo luminaria, quam splendide ex hoc spirituali firmamento lucebant! quam optime inter dies et menses, et tempora et annos distinguebant, rex scilicet et sacerdos in suis se gradibus continentes, quando illius potestas nonnisi subditorum paci et æquitati serviebat, istius sapientia et doctrina ad depellendas mentium tenebras, lucemque veritatis infundendam invigilabat! Væ nobis, qui in ista incidimus tempora infelicia, in quibus sol videtur conversus in tenebras. In quas, inquis, tenebras? Nolo dicere, fratres, nolo dicere, ne videar ponere in cœlum os meum. Ipsi viderint. Reducant ad memoriam eos, quorum vices gerunt, quorum obtinuerunt cathedras, quorum infulis gloriantur. Considerent quos scientiæ radios, quæ virtutum lumina, quas charitatis scintillas, quæ spiritualium correptionum fulgura suis emittebant temporibus, Gregorius, Augustinus, Ambrosius, Hilarius. Et ut ad viciniora veniamus, recogitent nostri, quomodo suis eluxerint temporibus Cuthbertus, Dunstanus. Nonne omnes hi sacerdotium, quasi unum maximum solem, per universum mundum luce incorporabili radiare fecerunt? Videant modo isti quomodo ex eorum fide resplendeant, et utrum ipsi tantum vel plus, vel paulo minus luceant; et sic conferant temporibus tempora, meritis merita, personis personas; et utrum sol conversus sit in tenebras, secundum conscientiæ suæ testimonium judicent. Felicia tempora, in quibus tam raro malus, quam nunc bonus inveniebatur. Jam vero de regia potestate quid dicemus? quam lunæ comparandam æstimavimus, quæ præest nocti? Quæ quidem tunc suo lumine resplendebat, quando ad noctis hujus, iniquitatis scilicet et injustitiæ, tenebras depellendas, reges et principes et bonis erant consolationi, et malis terrori; patres orphanorum, et judices viduarum (*Psal.* LXVII); defensores Ecclesiarum, et propulsores injuriarum; superiores potestate, sed humilitate inferiores, prodesse magis quam præesse cupientes. Talis fuit Constantinus, talis ille optimus Theodosius, et alii multi. Tunc autem luna convertetur in sanguinem, cum manus principum plenæ sanguine fuerint, exactionibus et vectigalibus effundentes viscera miserorum, justificantes impium pro muneribus, et justitiam justi auferentes ab eo; sic populo quasi præda abutentes tyranni, non reges; destructores pauperum, non consultores se præferentes; justa et injusta, licita et illicita confundentes et commiscentes; non jus et æquum, sed suamlibidinem sequentes et stomachum. *Et stellæ*, inquit, *cadent de cœlo.* Per stellas quæ non dicuntur præesse nocti, cum eam tamen et ipsæ illuminent, eos qui sæculo abrenuntiantes, cogitatione et aviditate in ipsis supernis mansionibus conversantur, intelligendos esse existimo. Qui tunc vere mundi erant luminaria, quando vita, moribus, dilectione, contemplatione, mundo universo superiores effecti, omnia terrena et temporalia contemnebant, divitias et honores reputantes ut stercora; corpore casti, mente purissimi, in illatis contumeliis immoti, in humilitate et obedientia superioribus subditi, parvissimo cibo contenti, ad iram tardi, ad præstandum prompti, ad accipiendum verecundi, nunquam quæ sua sunt quærentes, sed quæ Jesu Christi (*I Cor.* XIII). Quid dicam, fratres charissimi? Quid dicam? Quid sumus? Ubi sumus? Nunquid in cœlo? Nunquid ibi, ubi quondam Antonius, Macarius, Hilarion? Nunquid non potius de cœlo in terram cecidimus, qui nihil fere præter terram sapimus; terram amantes, terram cogitantes, de terra loquentes; contentiosi, querulosi, invicem mordentes et comedentes, invicem invidentes et detrahentes alterutrum. Quæ nundinæ sine monachis? Quod forum? Quæ concilia? Taceo multos ita absorptos a terra, ut eorum gulæ nec terra, nec mare sufficiat; ut nihil perhorrescant quod libeat; ut miseros, quibus dominantur, quasi exactores Pharaonis, vexent et crucient; crudelius, quam quilibet sæculares pecuniam extorqueant, ut sanguine pauperum incrassati, impinguati, dilatati, usque ad sacrorum quoque venditionem emptionemque prorumpant. Sanctus quoque propheta, cum de tempore Antichristi præmisisset: *Ecce dies Domini veniet, crudelis*, et cetera: mox causam, cur ab eo vel decipi, vel opprimi merebuntur, subjungit, dicens: *Quoniam stellæ cœli non dabunt lumen suum.* Quod, quæso, lumen expandent homines tenebrosi, de stellis mutati in carbones, de cœlo in sterquilinium proruentes? *Obtenebratus est sol in ortu suo.* Eia, fratres, multi in initio sacerdotii sui lucent; quorum scilicet et vita integra est, et intentio recta, et electio sana: qui tamen postea morum mutatione obtenebrescunt. At instante tempore Antichristi ita mortalium mentibus dominabitur avaritia et ambitio, ut etiam ipsa promotionis initia quasi ortus solis tenebris plena sint: quæ nimirum et vita pessima præcedet, et perversa intentio, et turpis ingressio succedet. Itaque obtenebrabitur sol in ortu suo, et luna non splendebit lumine suo; quoniam, sicut prædiximus, sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, ut sequatur dies Domini magnus et manifestus. Sequitur:

Et visitabo super urbes mala. Per urbes conventicula, quæ diversis locis sub diversa regula, diversis moribus, in una tamen fide catholica vivunt, accipienda existimo. Sicut enim multi cives in eadem urbe sub una lege conveniunt; ita hi qui sub

Digitized by Google

uno ordine in unam coeunt societatem, quasi unam civitatem efficiunt. Circa illud tempus in hujusmodi conventibus tanta erit corruptio, ut non ad colendum Deum, sed ad sua tantum desideria, concupiscentiasque explendas, videantur uniti. De quibus beatus Apostolus : *Instabunt in novissimis diebus tempora periculosa : et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores, magis quam Dei; habentes quidem speciem pietatis; virtutem autem ejus abnegantes* (*II Tim.* III). Et multi tales hodie sunt, qui in habitu, in psalmis canendis, in tonsura, spiritum pietatis præferunt; ipsius autem virtutem, quæ est in charitate, et castitate et humilitate, in contemptu voluptatum, non habent. Super hujusmodi itaque urbes visitabit Dominus mala, a peccatoribus exigens ultionem, et eorum denuntians turpitudinem; ut vel persecutionibus attriti corrigantur, vel de flagitiis ad infidelitatem prorumpentes, cum Babylone æternis suppliciis manifesto Dei judicio conterantur. Video vos ad plura audienda avidos, sed parcite jam proximo sermone fatigato, orantes ut ad ea quæ sequuntur indaganda inveniamur idonei, per Jesum Christum, cui honor et gloria. Amen.

SERMO XII.

De eo, quod scriptum est : « Visitabo super urbes mala (*Isa.*, XIII), » etc.

Fateor, fratres charissimi, quia secus quam putaveram, accidit mihi. Videbatur enim mihi, paucis sermonibus onerum istorum, de quibus nobis sermo est, mysteria et sacramenta posse absolvi, cum maximam nobis sacramentorum abyssum quasi de novo jam incipiat aperire, dicente Domino per prophetam : *Et visitabo super urbes mala et contra iniquos iniquitates eorum. Et requiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.* Sed quoniam hæc, si ea quæ jam in aliis sermonibus diximus, revolvamus, satis manifesta sunt, brevi ea epilogo transeamus. Tempore igitur Antichristi visitabit Dominus super urbes mala; eorum scilicet, qui speciem pietatis in hypocrisi detinent, conventicula dissipando. Visitabit contra impios iniquitatem eorum, illos, qui manifeste fuerint inventi, vel tormentis vel erroribus puniendo; quiescere etiam faciet superbiam infidelium, potentes sæculi, quos fides Christiana vulnerat, deprimendo; humiliabit et arrogantiam fortium, eos, qui in virtutibus gloriantur, tentationibus et persecutionibus supprimendo. Sunt enim quidam, qui propter religionis habitum, et communis vitæ societatem, in manifesto quasi boni sunt, pessimi in occulto, quos urbium nomine significatos accipimus. Sunt alii, qui in facie hominum videri pessimi non erubescunt; quos iniquos et impios a propheta vocatos arbitramur. Sunt et multi, a fide Christiana alieni, ipsam fidem superbe irridentes; quos infideles nominandos esse censemus. Sunt et alii, non solum fideles, sed etiam virtutibus stu- A dentes; qui tamen confidunt in virtute sua, et in se, non in Domino gloriantur, eos arrogantes non immerito appellamus : quos omnes vel in die judicii penitus conterendos, vel tempore Antichristi perdendos cœleste oraculum declaravit. Sequitur :

Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo. Vir a virtute nomen accepit : itaque raritatem virtutum propheta commendans : pretiosior erit, inquit, vir auro. Omnia rara pretiosa sunt, merces autem ultroneæ putent. Quoniam autem erit rarus illo tempore, qui virtutibus studeat, qui virilia, id est fortia agat; rarus, qui acerbam mortem vitæ hujus illecebris præferat; rarus, qui malit pro Christo a mundo contemni, et a carnificibus torqueri, quam mundi hujus jucunditate perfrui : profecto pretio- B sior erit vir auro, id est rarior; et homo, scilicet qui secundum rationem, non secundum sensum more bestiæ vivat, mundo obrizo. Possunt et per aurum, vel mundum obrizum perfecti, qui in Ecclesia fuerunt primitiva, non inconvenienter signari, quos tanquam aurum in fornace probatos et examinatos (*Sap.* III), in vestitu illo deaurato, in quo astitit regina a dextris Christi, decentissime novimus collocatos (*Psal.* XLIV). Qui vero in illa ultima persecutione inventus fuerit vir, nec tormentis cedens, nec promissis consentiens, nec signis et prodigiis credens; sicut aurum inter cætera metalla pretio ac decore præcellit, sic profecto ille, inter cæteros sanctos, speciali quadam prærogativa splendescet. Sane quod ait : *Homo mundo obrizo*, C repetitio est; quem prius virum, postea hominem; et quod prius aurum, hoc post mundum obrizum appellans. Et addidit : *Propter hoc cœlum turbabo, et movebitur terra de loco suo.* Cœlum illius temporis Ecclesia, vel in ipsa Ecclesia perfecti quique dicuntur, quos nimirum eo tempore dicit esse turbandos; cernentes impios et iniquos adversus sanctos triplici telo certantes : promissis, ut illiciant; miraculis, ut fallant; tormentis, ut frangant. Quis, rogo, tam poterit esse perfectus ut possit non in tanta tentatione turbari, quando surgent pseudoapostoli, et pseudoprophetæ, et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi? *Et movebitur terra de loco suo* D (*Luc.* XVI). Quæ terra? illa fortassis Ecclesiæ portio : quæ quoniam affectu terræ inhæret, terra nuncupatur. Cujus profecto locus nunc vel fides, vel ipsa Ecclesia est; a quo vel tormenta declinans, vel admirans prodigia, vel blanditiis acquiescens movebitur, aut fidem ipsam deserendo, aut ab Ecclesia recedendo, aut alicubi interim donec transeat iniquitas, delitescendo. Multi enim decepti signis mendacibus fidem deferent; victi multi suppliciis ab Ecclesia recedent, et in abdita quæque loca sese recipient. Qui omnes, in eorum comparatione qui omnibus periculis viriliter obviantes cœli dicti sunt, terra non inconvenienter appellantur. Verum quia tanta erit paucitas doctorum, tanta etiam ipsorum, qui tunc erunt, adversitas, ut nec dispersos colligere,

Digitized by Google

nec lapsos erigere, nec corrigere delinquentes, nec pusillanimes consolari sufficiant protinus subditur: *Et erit quasi damula fugiens, et quasi ovis, et non erit, qui congreget.* De terra loquitur, quæ erit quasi damula fugiens, et quasi ovis. Damula pavidum animal est; ovis simplex. Movebitur itaque terra de loco suo, fugiet a perfectorum consortio, vel propter persecutionis pavorem perterrita, vel propter miracula propria simplicitate decepta. Ait ergo: *Et erit sicut damula fugiens, et sicut ovis.* Sicut enim damula canes latrantes, venatores insequentes trepida fugit et pavida; sic profecto multi, qui tunc corde pavido bella Domini præliari non poterunt, instantia pericula declinabunt, aut cedendo loco, aut persecutoribus consentiendo. Sicut etiam oves irruentibus in gregem bestiis, fugatis percussisque pastoribus, huc illucque dispersæ fugiunt; ita simplices quique in Ecclesia, expulsis doctoribus vel occisis, per devia eorum vagabundi ferentur, non existente qui manum opponat, qui dispersos congreget, vel reducat errantes. Sequitur:

Unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient. Eia, fratres, duo populi sunt, et duæ gentes, et duo regna; bonorum scilicet et malorum, sapientium et insipientium, electorum et reproborum. Hoc autem tempore, quo omnia commista sunt et confusa, quis cujus gentis et populi sit, deprehendi non potest: cum multi specie tenus boni sint, in latebris conscientiæ pessimi, multi qui fidem, quia aliud non audent, verbo tenus laudent, quam perditis moribus impugnant. At cum tempus ventilationis advenerit, unusquisque ad populum suum convertetur, palea ad paleam, granum ad granum, bonus ad bonum, pessimus ad pessimum. *Tunc unusquisque ad populum suum convertetur.* Est quippe quasi unus populus eorum qui sessuri sunt, et judicaturi cum Domino, alius angelorum obsequentium Domino; alius ovium remunerandus a Domino; alius hædorum auditurus a Domino: *Discedite a me, maledicti* (*Matth.* xxv). *Et singuli ad terram suam fugient.* Si aliquis subtiliter hæc indaganda contenderit, geramus morem, dicamusque esse terram viventium, terram morientium, terram sanctorum et terram impiorum. Terra viventium, paradisus; terra morientium, mundus; terra sanctorum, Ecclesia; terra impiorum, Babylonia, *Credo*, inquit propheta *videre bona Domini in terra viventium.* (*Psal.* xxvi). In paradiso enim nemo moritur, ubi vita in æternitate. Mundus autem iste, in quo nihil stabile, nihil æternum est: ubi ipsa vita hominum umbra mortis est, terra morientium convenientissime appellatur At Ecclesia Christi terra sanctorum est, de qua dicit Scriptura: *Misereamur impio, et non discet facere justitiam; in terra sanctorum iniqua gessit* (*Isa.* xxvi). Merito terra sanctorum Ecclesia, extra quam in hac vita nullus sanctus, nulla justitia, nulla sanctificatio. Potest etiam caro sanctorum dici terra sanctorum, de qua dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* v). Similiter civitas illa confusionis, terra potest dici impiorum; nihilominus tamen caro eorum terra est eorum. Quo enim fugient, qui de terra sanctorum fugient, nisi ad terram impiorum, quæ est civitas Babylon, civitas confusionis, ubi diversa sunt dogmata, diversique errores, aliis carnis voluptatem, aliis mundi honores, aliis divitias et delicias pro summo bono sectantibus? Itaque luxuriosorum terra, est carnis voluptas; ambitiosorum, honorum cupiditas; eorum qui vagi sunt et instabiles, propria voluntas. Ecclesiam proinde deserentes, et tribulationes quas tunc passura est abhorrentes, ad civitatem se conferent perditionis, singulis ad terram suam fugientibus, id est pro libitu suo carne sua utentibus. Sequitur:

Omnis qui inventus fuerit, occidetur; et omnis qui supervenerit, cadet in gladio. Eia, fratres mei, non solum imperitum vulgus illius erroribus implicabitur; sed etiam plures, quibus Ecclesiarum regendarum cura commissa est, illi impiissimo manus dabunt. Et quasi quæreres a quibus fient ista, subjecit Dominus in Isaia: *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint; sed sagittis parvulos interficient, et lactantibus uteris non miserebuntur, et super filios non parcet oculus eorum.* Per Medos contrarios spiritus, vel Antichristi præcones arbitror designatos. Manifestum quippe est quod deceptoriæ potestates non mundi hujus divitias quærant: non pretiosorum metallorum aggeres appetant; utpote qui ad animas tantum decipiendas interficiendasque invigilant. Potest et per auri argentive contemptum antichristianorum discipulorum hypocrisis figurari, qui ad omnia simulanda ac dissimulanda callidi, reputabunt aurum lutum, vilissimam autem festucam argentum; ad hoc solum animum dantes, ut sagittis parvulos interficiant. Habent enim verborum dialecticorum sagittas, argumentorum versutias, quibus parvulos quosque, simplices scilicet, quibus desunt sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis (*Psal.* cxix), a recta fide avertant. *Et lactantibus, uteris non miserebuntur.* Lactentes uteri sunt fideles in matris Ecclesiæ utero procreati; quibus adhuc opus lacte est, non solido cibo; quorum teneritudinis nec falsi doctores miserentur, nec dæmones; quos potius a maternæ charitatis lacte abstractos errorum veneno et potant, et necant. Sane quod a Domino suscitandi perhibentur, justa Dei permissio ex districtissimo ejus judicio comprobatur, sicut scriptum est: *Dabo eis reges in furore meo* (*Osee* xiii). Unde et Medi convenienter a quodam Medai nomen accipiunt, quod interpretatur *a potente*, vel *forti*, vel *mensura*; quoniam a potente vel forti Deo, justo judicio contra fortitudines, vel pessimi quique homines deputantur; ut sicut bonis per bonos angelos, secundum bona opera retribuit, ita et per malos malis reddat secundum opera sua. Unde certa impiis mensura præfigitur, quam vel ad tentandos bonos, vel puniendos malos, excedere non

Digitized by Google

sinuntur. Vel ideo Medi interpretantur *mensura*, quia secundum mensuram culpæ mensura pœnæ extenditur. Sane omnium horum, quæ de Medis suscitandis dicta sunt, in bonam partem potest expositio deduci. Qua quia mihi fas non est vestram defraudare aviditatem, breviter ipsa verba prophetica explanando repetenda sunt. Sed hoc alterius sermonis exordio commodius reservabitur, ut interim ea quæ dicta sunt sedula meditatione animis vestris arctius imprimantur, et ad pertimescenda divina judicia silentii interpolatione præparentur, per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

SERMO XIII.

De eodem capitulo moraliter exposito.

Dominus ac Salvator noster in cœlum ascendens, et corporali suæ præsentiæ modum faciens, spiritualem nobis, non temporalem, sed æternam promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Nemo igitur existimet, tempore Antichristi, Dominum suam suis subtracturum præsentiam, quibus tantam tunc temporis est largiturus virtutem, ut non solum omnia ejus calliditatis argumenta contemnant, irrideantque tormenta; imo etiam obviam bestiæ, fide armati audacter procedant; et multos, quos ipse terroribus blandimentisque seduxerit, ab omni pravitate retractos, catholicæ veritati restituant Ait ergo: *Ecce ego suscitabo super eos Medos*, et cætera. Medi possunt perfecti illius temporis doctores appellari: qui a potente Christo potentes, a forti fortes effecti, mensuram tritici, id est doctrinæ spiritualis, conservis suis inexperta hactenus tentatione laborantibus, erogare non desistent. Qui super Babylonios, id est pseudochristianos et pseudoprophetas a Domino suscitati, oblatam sibi omnem rerum temporalium copiam, quæ per auri argentive pretium figuratur, contemnent; quorum summa cura erit et studium, animarum curare vulnera, et parare Domino plebem perfectam. Eia, fratres, ut ad nos ipsos redeamus, in omni bono opere tria observanda sunt: virtus discretionis, puritas intentionis, fundamentum humilitatis. Discretio spectat ad modum actionis, intentio ad causam, humilitas ad fructum. *Si recte offeras*, ait Dominus, *recte autem non dividas, peccasti* (*Gen.*, IV *sec. LXX*). Recte offert, qui bonum agit; sed non recte dividit, si modum in agendo excedit. Sed si jam bona operaris, et bene, inspice, cujus rei causa, qua intentione, quo fine. Quod si opus rectum ac discretum recta præcedat intentio, cave ne serpens ille tortuosus caput erigat: superbiam dico, quæ cum ubique et in omnibus, tum maxime in bonis operibus cavenda est. Quid enim prodest, si terra optime culta fuerit, si semen sparsum sapienter, si competentibus pluviis irrigatum, si se dilataverit culmus, si spica ferax præcesserit, si congrua solis temperie maturescens jam in se avidum cœperit provocare messorem: et mox quasi de manibus omnia subita tempestas demergat? Sic profecto, si laboras, si jejunas, si vigilas, si bonis operibus misericordiæ insistis, horum omnium fructus sola evacuat superbia, sola consumit elatio. Unde nihil magis timendum est, quam ne propter superbiam a Domino deseramur, et veniat nobis dies Domini crudelis, et indignationis plenus, et iræ, furorisque. Sentiat quisque, ut volet; ego nihil crudelius cuiquam arbitror posse contingere, quam ut derelictus a Domino dimittatur secundum desideria cordis sui, et eat in adinventionibus suis (*Psal.* LXXX). Quæ profecto crudelitas ex Dei indignatione procedit, quæ contra eos maxime, qui de bonis operibus in se gloriantur, evigilat, ingratitudinem præ cæteris vitiis odiens et detestans. O detestanda superbia, ingratitudinis mater, virtutum tinea, parens vitiorum! Tu adversus miseros mortales crudelitatem provocas Judicis, indignationem excitas, iram acuis, accendis furorem. Ideo dies illa, qua ob superbiæ meritum homo a Deo deseritur, dies profecto crudelis est, plena indignationis atque furoris. *Ad ponendam*, inquit, *terram in solitudinem*. Deserente quippe Deo cor superbum, quasi terram reprobam et maledicto proximam, quod prius videbatur terra bona et fertilis, redigetur profecto in solitudinem, spinas et tribulos germinans peccatorum, et solis vitiorum bestiis patens. *Et peccatores conterendos ex ea.* Videat charitas vestra, fratres charissimi. Regnante in pectore nostro vera humilitate, semper ad peccatorum nostrorum recordationem excitamur, semper ac subtiliter examinanda, etiam bona quæ facimus, provocamur. At superbia omnia quæ humilitatis sunt depascente, cogitationes, quibus ex commissorum memoria solebamus compungi, a cordis nostri extruduntur arcano: et hoc est de terra peccatores conteri, debitorum recordationem elatione subintroeunte deleri. Porro per lunam fidem, per solem charitatem, per stellas cæteras virtutes intellige: quæ omnia, si superbiæ fuerint tenebris obvolutæ, nihil luminis, nihil gratiæ, nihil quod Deo placeat, nihil quod expediat proferent, sed totam animæ substantiam impietatis et infidelitatis horrore suffundent. Unde necesse est ut super hujusmodi corda, quasi super urbes contrarias sibi muro obstinationis clausas, turribus elationis munitas, visitet Dominus mala, quæ faciunt, *ulciscens in omnes adinventiones eorum* (*Psal.* XCVIII), et visitans *in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum* (*Psal.* LXXXVIII). Superbi quippe et infideles dicuntur et impii, non tam in hominem quam in ipsum Deum sævientes. Videte quam pestiferum malum, quod a divinitatis cœpit injuria, quod de angelo diabolum fecit, quod hominem de paradiso expulit, dum ille divinæ potentiæ, iste scientiæ æqualitatem affectat. *Itaque quicunque putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* (*Gal.* VI). Et quicunque putat scire se aliquid, nondum intelligit, quomodo oporteat eum scire (*I Cor.* VIII). Utinam quicunque tales sunt, visitet eos Dominus in virga correptionis suæ, quiescere faciens superbiam infidelium, et arrogantiam fortium

Digitized by Google

humilians. Expedit itaque superbis, ut ait quidam sanctus, ut in aliquod manifestum peccatum incidant, ut humilientur, fiatque illud, quod scriptum est : *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur* (*Psal.* CIII). Spiritus nempe hominis proprie spiritus est superbiæ. Quo ablato, ad pulverem suum, id est, ad propriæ fragilitatis cognitionem revertitur, ut emittatur ei Spiritus Dei, qui non requiescit, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones ejus : ut ita recreetur et renovetur, proficiatque in virum perfectum, et in hominem rationi per omnia consentientem : et sic sit, quod hic scriptum est : *Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo.* Quod ut fiat, oportet, ut cœlum, id est spiritus ex Dei timore turbetur ; et terra, id est corpus, de loco suo moveatur ; pessimæ scilicet consuetudini suæ, desideriisque renuntians. Eia fratres mei, sicut pluries experti estis, etiam turbato spiritu, difficile a malæ consuetudinis loco receditur ; difficile usus deliscitur ; difficile cutis ossibus carnique inhærens deponitur. Sed tamen insit ei ex timore humilitas, pavor ex humilitate : et erit sicut damula fugiens, et sicut ovis. Omni animæ, fratres mei a pessimæ consuetudinis suæ loco recedere cupienti duo quædam necessaria sunt, ut videlicet sicut damula ante insequentes, ita illa timens ac tremens materias fugiat peccatorum ; et sicut ovis simplicitatis exemplar nec tondenti irascitur, nec resistit mactanti, ita illa se simpliciter subdat corripienti, simpliciter sustineat objurgantem. Et ita destructa urbe superbiæ, lapidibusque vitiorum, de quibus fuerat ædificata, dispersis, cum fuerit anima vera humilitate fundata, non erit qui eos ulterius congreget, et suscitet ruinas urbis. Tunc *unusquisque ad populum suum revertetur, et singuli ad terram suam fugient.* Cum omnes nequam spiritus omnium sint amatores incentoresque vitiorum, alius tamen proprie, propter turpiorem circa libidinum sordes affectum, dicitur spiritus fornicationis ; alius, pro eo quod se plus in humanæ mentis elatione delectet, spiritus superbiæ ; alius, quod frequentius suggerat avaritiam, spiritus avaritiæ. Hæc cum fuerint per Dei gratiam a corde pœnitentis expulsa, convertetur unusquisque ad populum suum ; spiritus fornicationis ad immundos, et sic de cæteris ; et singuli ad terram suam fugient, in illis qui eorum faventes suggestioni, quæ terrena sunt sapiunt, qualemcunque requiem sibi quæritantes. Infelix anima, quæ expulso ab alio, cuilibet dæmoni in se locum parat, propriumque sucipit hostem, ab eo nimirum gladio iniquitatis ferienda. Quis tam pravus est, in quo aliqua non inveniatur aut virtus, aut similitudo virtutis? Sed susceptus hostis antiquus in corde ipsam etiam speciem sanctitatis tollit, ut sint *novissima hominis illius pejora prioribus* (*Luc.* XI). Cui etsi aliqua utilis supervenerit cogitatio, facile ab eo qui totum occupat exstinguitur, ne ad fructum possit pervenire salutis. Ideo infantes eorum allidantur in oculis eorum ; cogitationes scilicet bonæ, sed adhuc teneræ, superveniente quadam cordis duritia, conteruntur. Diripiuntur domus eorum ; quoniam quidquid boni est in conscientia, a malignis spiritibus deprædatur. Quorum etiam uxores, id est affectiones, quibus ad filios bonorum operum procreandos, quasi legitimo usi fuerant matrimonio, fœdis amoribus et cogitationibus sordidis maculantur. Jesu bone, quando respicies, ut restituas animam meam a malignitate ista, et ab his leonibus unicam meam ? Utinam, Domine, suscites super nos Medos, bonos scilicet angelos, ut apprehendant arma et scutum (*Psal.* XXXIV), utpote fortes a forti, potentes a potente, ut omnia hæc tentamenta nobis in mensura disponant (*Sap.* XI), non patientes nos tentari supra quam possumus ferre (*I Cor.* X) ; sed faciant cum tentatione proventum, ut sustinere possimus (*I Cor.* X). Hoc autem sciendum, fratres, quia Medi isti eos qui sæculari sapientia tument, contemnunt ; et eos qui in vana eloquentia gloriantur, despiciunt : argentum enim non quærunt, nec aurum volunt ; sed ipsos libenter visitant, ipsis gratanter assistunt, contra eos pugnantibus se libenter opponunt ; qui sagittis parvulos interficiunt, qui lactantibus uteris non miserentur, nec super filios parcit oculus eorum : sed hoc in diem crastinum reservemus. Dominus autem Jesus nobiscum sit, ut scrutantes Scripturas, in eis ipsum inveniamus, qui in manibus prophetarum assimilatus est, et apostolorum vocibus prolatus ; qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIV.

De eo quod scriptum est : « Et ait Babylon (Isa. XIII), » etc.

Diximus, cum in principio de oneribus tractaremus, duobus modis onus Babylonis vel Philisthiim posse intelligi, id est et secundum quod premuntur, et secundum quod premunt. Descripto igitur onere Babylonis, secundum quod tempore Antichristi, civitas diaboli civitatem Dei, id est Ecclesiam premet ; ad ipsius oppressionem convertit propheta sermonem. *Et erit*, inquiens, *Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham* ; Babylone mundum significari sæpe jam diximus, sed hoc loco ipsum signat mundum, quem semper constat esse immundum ; mundum scilicet, qui in maligno positus est : mundum, pro quo non orat qui vincit mundum : mundum, de quo eliguntur qui vincunt mundum (*I Joa.* V). *Non pro mundo*, inquit, *rogo, sed pro his quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII) de mundo. O munde immunde, quid superbis ? Nunc quidem gloriosus es in regnis, nunc inclytus es in superbia dæmoniorum, vel principum pessimorum. Chaldæi quippe *quasi dæmones* interpretantur. Eia, fratres, quam gloriosa sibi videbitur Babylon, civitas illa confusionis, civitas reproborum, quando ei, tempore Antichristi, in omnibus regnis terræ sæviendi potestas tribuetur !

Digitized by Google

quamque inclyta in superbia, et sublimitate principum terrenorum faventium sibi! qui quasi dæmones non tam corporum stragem, quam animarum quærent perniciem. Sed quid gloriaris, o Babylon! Audi, quæso, prophetam : *Erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham.* De regione illa Sodomorum et Gomorrhæ dictum est, quia erat quasi paradisus Domini, antequam subverteretur a Domino. Quæ ita subversæ sunt, ut nullum sit in eis pristinæ venustatis vestigium, sed adhuc tetra quædam mortis effigies sulphure ac bitumine intolerabili fetore infernalium pœnarum imaginem præferat, et poma fumo plena, lacusque nihil vivum in se recipiens, Sodomitani sceleris detestando horrori testimonium præbeant. Ibi omnia contra naturam ubi primum lex naturæ legitur corruisse. Merito fœdum illud contra naturam detestabileque peccatum, fœda et horrenda reliquit vestigia, ut advertant homines, quibus suppliciis subdantur in inferis, quos fumus excæcat, quos fetor corrumpit, quos immunditiæ viscus instar bituminis æternis vinculis ligat, quos flamma vorax depascit, nec consumit. Hic est finis deliciarum tuarum, o Babylon, quæ miseris mortalibus ibi veneni tui dulcedinem spargis, unde oculus avertitur præ horrore, animus præ pudore, sermo præ turpitudine! Omnis creatura naturalem ordinem suæ conservat naturæ, diversorum sexuum conjunctione, suo singulis generi posteritatem procreantibus; solus homo in contemptum Dei, in contumeliam sui, in omnium rerum injuriam, tantæ perversitati propriam exponit naturam, ut totum quod Deus instituit, quod ratio probavit, quod confirmavit usus, pervertere non formidet. Væ tibi, civitas confusionis, quæ tot hodie hujus flagitii tabe corrumpis, ut merito Sodomitana et Gomorrhæa subversio a justo retributore paretur, ut eis similis videaris in pœna, quibus te similem exhibuisti in culpa. Et tu ergo sicut Sodoma et Gomorrha subverteris, ut gloriæ tuæ, divitiarum tuarum, potentiæ tuæ, immundarumque voluptatum tuarum, nulla tibi saltem sit, nisi ad pœnam, recordatio; sed sit tibi pro suavi odore fetor, vermes pro cultu, pro libidine incendium, pro brevi voluptate æternum supplicium. *Non habitabitur*, inquit, *usque in finem; et non fundabitur usque ad generationem et generationem.* Sileant hæretici, qui Babylonem apud inferos visitandam, post multa licet tempora, mentiuntur, cum æternus sit ei prophetatus interitus, quæ nec ulterius habitari, nec deinceps posse fundari, prophetica auctoritate convincitur. *Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* c). Nunc certe tempus miserendi, cui succedet tempus judicandi. Nunc tempus convertendi ad Dominum, cui succedet tempus remunerandi. Ponit in Babylone tentoria sua Arabs, qui interpretatur *occidentalis*, vel *vespertinus*; Christum utique significans, qui nos mane conducit, ad vesperum remunerat (*Matth.* xx) Non enim primum, id est mane, bonum vinum ponit; et ad vesperam, cum fuerint inebriati, tunc id quod deterius est (*Joan.* II); sed semper mane quod durum est prærogans, quod dulce ac jucundum reservat in vesperam. *In hoc*, inquit, *mundo pressuram habebitis* (*Joan.* XVI). Et : *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini* (*ibid.*). Hoc mane, id est primum. Quid postea? *Tristitia vestra convertetur in gaudium* (*ibid.*) Quando? Utique ad vesperam. Væ tibi terræ, cujus principes mane comedunt (*Eccl.* X); quoniam ob delicias temporales quibus nunc abutuntur, eas, quæ ad vesperam retribuentur, in fine videlicet temporalis hujus diei, amittunt. Dicitur occidentalis, non tam ad ortum hominis quam ad occasum respiciens; non initium operis, sed finem semper attendens. Habet hic tentoria sua Arabs; sanctos videlicet, qui peregrinantur in hoc mundo, et instar tentorii huc atque illuc a Dei Spiritu transferuntur, non habentes in hac Babylone, ubi ponuntur nunc ut tentoria, manentem civitatem; sed futuram, quæ in cœlo est, inquirentes (*Hebr.* XIII) Ponuntur autem, ut Babylonem expugnent, clamentque cum propheta : *Fugite de medio Babylonis, et salvate unusquisque animas vestras* (*Jer.* LI). Ibi etiam modo requiescunt pastores, in fide et bonis operibus conversorum gloriantes. Igitur nunc tempus est fugiendi de medio Babylonis; nunc tempus ad cœlestia tentoria transmigrandi; nunc etiam tempus pastorum se doctrinæ ac legibus submittendi. Subversa autem urbe furoris subversione finali, sanctisque ad cœlestia regna translatis : *non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi*; quia frustra apponitur medicamentum, ubi nullum potest sperari remedium. *Sed requiescent ibi bestiæ, et replebuntur domus eorum draconibus*, etc. Hæc si ad ultimam Babylonis eversionem, qua detrudetur in stagnum sulphuris cum pseudo prophetis, sicut scribitur in Apocalypsi (*Apoc.* XIX), referre voluerimus : vis litteræ videtur inferenda, ut ostendi possit quomodo in Babylone jam damnata bestiæ, sive vitia, sive maligni spiritus intelligantur, valeant requiescere : nisi forte ideo dæmones in damnatis dicantur requiescere; quia, cum a bonis malisve tentandis cessaverint, in eorum cessabunt [requiescent] suppliciis, quos ad suæ nunc voluntatis consensum illexerint.

Si autem domus uniuscujusque conscientia propria est, tunc replebuntur domus ejus draconibus, quando vitia quæ nunc jucunda videntur, et dulcia in hominis conscientia, draconis speciem præferent; cujus et faciem horreat, et flammam non ferat. Dicuntur enim hæ bestiæ terribilis esse vultus, naturæ tam igneæ, ut flammas ex se emittere videantur. Ita profecto vitia et peccata quæ nunc delectant, damnatis apparebunt horrenda, et materiam æterni incendii administrantia. Sed et singula quæque crimina, quibus hic homines de

Digitized by Google

lectabiliter implicantur, speciali recordatione mis rorum conscientiam contorquebunt : unde et habitare ibi struthiones, et saltare ibi pilosi, et respondere sibi ululæ, sed et Sirenes in delubris voluptatis, perhibentur. Per struthiones igitur simulatio hypocritarum, per pilosos incentiva libidinum, per ululas susurratio detrahentium vel murmurantium, per Sirenas fallacias intellige adulantium. Struthio quippe pennas habet, quibus tamen a terra non elevatur; quia hinc pondus corporis, hinc raritas pennarum similitudinem quidem volandi præstant, sed usum negant. Exprimit ergo natura avis vitium simulatoris, qui in facie quidem præfert signa virtutum, cum in occultis prematur pondere vitiorum ; qui magna loquens et parva operans, cœlestia sonans sed terrena cogitans; scientia splendens, intentione scatens, in altum alas erigit, quasi jam volaturus ad sidera, sed mens suis cupiditatibus vincta totum corpus deprimit in ima. Sed pilosus qui incubo dicitur, animal petulcum et hispidum, et semper ad coitum æstuans, libidinum significat incentiva, quibus Esau pilis obsitus vitiorum post illecebras gulæ, quibus primogenita sua vendidit (*Gen.* xxv) incitatus, alienigenarum se illicita conjunctione fœdavit; et simul patris et matris offendens oculos, benedictionem primogenitis debitam amisit. Videat charitas vestra. Primo venationi deditus, exteriora interioribus, vana seriis, inquietudinem quieti prætulit : deinde gulam non frenans, primogenita perdidit; postmodum in utriusque parentis offensam pudicitiam perdidit; postremo a paterna benedictione excludi promeruit. Hæc cum plurimis hodieque actitari utinam nesciremus, qui spiritualem dulcedinem, quæ ab intus tantum sentitur, fastidientes, et exteriores consolationes vagasque discursiones curiose sectantes, primum se ventris subjiciunt servituti, ob ejus delicias primogenitorum suorum gloria, abrenuntiationis scilicet se meritis defraudantes, et sic libidinis adusti incendio, ad benedictionem patris, quæ in fructu virtutum exspectatur, non attingunt. Ululæ corvinæ dicuntur magnitudinis, protenso collo, respersæ maculis : quæ, rostro in palude defixo, diræ vocis vel stridoris sonum emittunt. Rogo quid detractoribus maculosius? Habent quippe detractores hoc proprium, ut semper vituperationibus, quibus alios infamare nituntur, parvas aliquas laudes admisceant, et ita omnem derogationis suæ sermonem maculosum contrariis sententiis reddant. Porro adulatores Sirenis congrue comparantur, qui blando quidem, sed mortifero sono audientis aurem demulcent, et nisi prudentius aure obturata transierit, in scopulos superbiæ, vel in præsumptionis Charybdim inducent. Laudatur enim peccator a talibus in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur (*Psal.* x). Infelix, qui se talibus credit, relictoque propriæ conscientiæ testimonio, alieno se judicio deludendum exponit. Miseri, quibus Dominus per prophetam exprobrat, dicens : *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manu, et populus meus dilexit talia* (*Jer.* v). Sequitur : *Prope est ut veniat tempus ejus et dies ejus non elongabuntur* (*Isa.* xiv). Omne quod nobis videtur longum, Deo brevissimum est, quoniam *mille anni ante oculos ejus tanquam dies hesterna quæ præteriit* (*Psal.* lxxxvii). Et certe breve est omne quod transit, breve totum quod aliquando finis concludit. Vult proinde Spiritus sanctus, ut in æternitatem oculos figamus, nec tempus fugax ullius longitudinis æstimemus. *Prope est*, inquit, *ut veniat tempus ejus.* Cujus ejus? Illius certe, de quo præmiserat : *Ecce dies Domini venit crudelis*, etc. Dies igitur Domini tempus Domini est, in quo boni probabuntur, ficti prodentur, perfecti coronabuntur, reprobi punientur. Quando istud erit? Quæ dilationis hujus causa? Differtur sane, donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel salvus fiat (*Rom.* xi). Itaque antequam ista cœperint actitari, *miserebitur Dominus, et eliget adhuc de Israel.* Eia fratres, stat adhuc sententia illa gravis super Jacob, quam idem iste propheta, in priori hujus parte, ab ipso Domino dicit esse prolatam. *Excæca*, inquit, *cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos claude, ne forte videant oculis suis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur et sanem eos* (*Isa.* vi). Veniet dies, cum auferetur ab eis velamen, ut et ipsi revelata facie gloriam Domini mei Jesu Christi speculentur; cum nuntiatum fuerit Jacob : *Joseph filius tuus vivit, et dominatur in tota terra Ægypti* (*Gen.* xlv). Tunc quasi de gravi somno infidelitatis evigilans, *Vadam*, inquit, *et videbo eum antequam moriar* (*ibid.*). Miserebitur enim Dominus Jacob, cui nunc in fide gentium adversari videtur, vocans non plebem suam plebem suam, et non dilectam dilectam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam (*Rom.* ix). *Miserebitur* enim *Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel.* Adhuc, inquit, eliget de Israel. Elegit primum apostolos et discipulos, et multitudinem credentium de Israel, ut primitiva Ecclesia fundaretur; eliget et in fine sæculi plures, quibus ultima sæculi tempora adornentur. Nomine autem electionis intelligimus nunc omnes Judæos, quos tempus illud juverit esse salvandos. Si quæritis vobis distingui inter Jacob et Israel, et inter miserationem et electionem, infirmiores intellige per Jacob, quorum miseretur ne pereant; perfectiores in Israel, de quibus eligit ad alios docendos et regendos. Sequitur :

Et requiescere eos faciet super humum suam. Quæ est ista humus? An terra illa promissionis, quæ eorum quondam fuit, a qua evulsi sunt, et dispersi per orbem terrarum? sed et nos, charissimi, cum destructa fuerit in nobis Babylon, cum fuerimus Jacob, Babylon, inquam, id est amor mundi, ubi profecto sunt bestiæ spirituales de quibus Propheta : *Ne tradas*, inquit, *bestiis animas confitentes tibi* (*Psal.* lxxiii) : ubi dracones, immundi scilicet

Digitized by Google

spiritus locum habent; ubi simulatio regnat, libido inquietat, detractio laniat, dissolvit adulatio; cum, inquam, hæc omnia mundialis amoris fuerint deleta, miserebitur nostri Dominus. Jacob quippe *luctator* interpretatur. Quæ est ista lucta? *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Gal.* v). Quæ lucta? *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi rectores* (*Ephes.* vi). Quæ lucta? *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* xi). Quæ lucta? *Nemiremini, si odit vos mundus, quoniam me prius odio habuit* (*Joan.* xv). Habemus igitur luctam cum carne, luctam cum dæmone, luctam cum mundo, cum Deo. Prima incipientium, secunda proficientium, tertia eorum qui probantur, quarta eorum qui perficiuntur. Prima laboriosa, secunda periculosa, tertia, tædiosa, quarta fructuosa. Rogo, quid tam laboriosum quam in seipso, et contra seipsum habere conflictum? Intus est ignis, quem nos et fovere oportet, et cavere. Nam si non fovetur, natura obruitur; si non cavetur, castitas periclitatur. Hinc timor, hinc luctus, hinc lacrymæ, ignorantibus metas necessitatis, expavescentibus negotium voluptatis, non audentibus debitum naturæ negare, volentibus gulæ frenum sobrietatis imponere. Cum putant consulere necessitati, fomentum præstant voluptati; et cum subtrahunt, quod putant necessarium, in aliis quæ æque diligunt bonis, sustinent detrimentum. At contra spirituales nequitias periculosa nimis lucta est, quibus mille ad nocendum sunt artes, utpote tot annorum millibus in tali negotio exercitatis. Inter omnes dæmonum insidias illa tamen periculosior est, qua se transformant in angelos lucis, similitudine virtutum vitia palliantes, et in calice aureo venenum miseris propinantes. Tunc non est colluctatio adversus carnem et sanguinem, quando, carne jam superata, dæmonum nos calliditas iniqua deludit, suadentes vitia per virtutes, vel propter virtutes superbiam. Porro duobus brachiis mundus iste contra nos luctatur, prosperitate et adversitate. In parte prosperitatis est rerum temporalium abundantia; in abundantia pax, in pace securitas. Similiter et laudes hominum, amicitia divitum, benevolentia et fides sociorum, favor et gratia subditorum. Nihilominus et sanitatem corporis, et bonam valetudinem membrorum, quidam prosperis æstimant adjungenda. Eia, fratres, quantum hoc brachio suo mundus nos premat, quam adversum nos luctetur, quam sæpe miseros incautosque dejiciat, quis facile dixerit? Quam rarus, qui non in prosperis vel modice relaxet animum a solita gravitate; qui non in abundantia sit parum remissior; et in humana laude parum hilarior, in principum benevolentia aliquantulum lætior, in amicorum gratia dissolutior, in favore subditorum insolentior; in corporis virtute austerior! Quicunque igitur Jacob spiritualis esse voluerit, contra hæc in prosperis continua lucta se noverit exercendum. At brachium aliud mundi, quod adversitatem diximus, molestum magis est, sed minus periculosum. Ad quod spectat rerum penuria, detractiones, opprobria, persecutiones divitum, odia principum, amicorum proditio, subditorum rebellio, corporis ægritudo. Qualis est nobis, fratres, contra hæc omnia colluctatio? Quis est, qui in adversis forte non pusillanimior inveniatur; qui ad opprobria non moveatur, vel contristetur ad detractiones; qui non in persecutionibus iracundior, contra amicum proditorem impatientior? Felix animus, qui in omnibus invenitur superior; sicut in prosperis temperans, ita et constans in adversis. Felix nihilominus ille, qui, etsi vincere ista non valet, optime tamen luctando satagit ne vincatur. *Miserebitur enim Dominus Jacob*, id est luctatoris, ut si plenam non obtinuerit in hac vita victoriam, finito certamine, coronam mereatur habere in cœlis perpetuam. Sane qui in his luctis victor exstiterit, incipiat luctari cum Deo; transiens de Mesopotamia Syriæ in montem Bethel (*Gen.* xxviii), de inferioribus ad superiora, de humanis ad divina, de corporalibus ad spiritualia. Porrige ergo in altum brachia duo, o anima, orationem et meditationem; infer ea in ipsa secreta cœli, *ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Coloss.* iii): insta opportune, importune (*II Tim.* iv), ut contempleris faciem ejus, ut descendat ad te, vel te trahat ad se, ut gustes quam dulcis est, et quam mitis et misericors experiaris (*Psal.* xxiv). Itaque si in oratione tua vel meditatione exarserit cœlestium desideriorum ignis; si amorum incentiva flammescant, si æstuans et anhelans cœlestibus quibusdam movearis affectibus; et modo quasi comprehensum quem diligis sentias esse præsentem, modo elapsum de manibus doleas et suspires absentem; lucta spiritualis est, nomen tibi Israel imponens; ut non solum miseratione, sed electione dignus habearis. *Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel*: quia qui pugnans in gemitu suo laborat contra vitia, et lavat lacrymis lectum suum, dignus est cui misericordia impendatur; qui autem, vitiis superatis, in virtutum perfectione gloriatur, quasi granum purgatum et electum ad horrea superna transferetur. *Et requiescere eos faciet super humum suam.* Beatitudo magna promittitur. Humus nostra, caro nostra est. Multi sunt sub ea, multi in ea, pauci vero super eam. Sub ea sunt, quibus carnis concupiscentia dominatur. In ea sunt, qui semper ea quæ carnis sunt agunt et meditantur. Supra eam sunt, a quibus ne ipsa insolescat, laboribus et vigiliis atque jejuniis castigatur. Primus carnalis est, secundus animalis, tertius spiritualis. Et a carnis quidem dominatu nos prohibet Paulus, cum dicit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus* (*Rom.* vi). Quid est obedire concupiscentiis carnis, nisi esse sub carne? Vult etiam nos non in carne esse, qui ait. *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* xiii). Audi et hominem supra carnem, ejus desideria viri

Digitized by Google

liter prementem. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). Verumtamen quandiu est, contra quod pugnet, labor est, non requies. Si vero, exstinctis vitiis superatisque passionibus, ita supra carnem sit, ut jam non sit in ea quod premat, profecto super humum suam requiescet. Hæc est beatitudo mitibus repromissa, dicente Domino : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V). Sed quia jamdiu laborantes loquendo ad eum locum Scripturæ venimus, ubi requies commendatur : justum est, ut in portu silentii modicum quiescentes, animum simul et vocem reparemus; et sic magis idonei inveniamur ad perscrutanda sacramenta Dei et Domini Jesu Christi, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XV.

De eo quod scriptum est : « *Disjungetur advena,* » usque, « *Operimentum tuum erunt vermes* (*Isa.* XIV). »

Sanctus Isaias conversionem Judæorum, quam in novissimis diebus futuram credimus, sancto Spiritu illuminatus describens : *Miserebitur*, inquit, *Dominus Jacob, et eliget de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam.* Et addidit : *Adjungetur advena ad eos, et adhærebit domui Jacob.* Per advenam populum intellige nationum, qui vocationem Judæorum, oracula prophetarum videntes impleri, ad eamdem fidem suscipiendam eis conjungi festinabunt. Vel certe ipsa plebs fidelis, quam ipsi eatenus ut advenam exhorruerant, eis dilectione jungetur, quando illæ duæ, quæ fuerant in manu Ezechielis prophetæ divisæ, erunt in unionem (*Ezech.* XXXVII), et secundum alium prophetam, Juda et Israel facient sibi caput unum, et ascendent de terra (*Osee* I). Ita populus gentium adhærebit populo Judæorum, id est domui Jacob, ut sit illis *unus Deus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV) *Et tenebunt eos populi*, Judæos scilicet Christiani tenebunt charitate, tenebunt sollicitudine, tenebunt affectione. *Et adducent eos in locum suum*, id est Ecclesiam ; locus quippe Christianorum Ecclesia est, quam ille præfigurabat locus, de quo dixit Dominus ad Moysen : *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est* (*Exod.* III). De qua terra propheta subjunxit : *Et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et ancillas.* Receptis quippe in Ecclesia Judæis, quæ utique terra Domini est, tanta erit populis exsultatio, tam mira circa eos devotio, ut quos nunc habent persecutores et dominos, tunc in charitate servos habeant et ancillas, secundum illud Apostoli : *Per charitatem servite invicem, Et erunt capientes eos qui se ceperant* (*Galat.* V). Ut mihi videtur, mutua illa describitur prophetico sermone dilectio, qua se alterutrum capient Judæi et gentes, et quibusdam quasi brachiis amoris se invicem complectentur, de qua captione Paulus ait : *Capite nos;* vel : *Erunt capientes eos, qui se ceperant* (*II Cor.* VII), cum sicut fideles ex gentibus, sanctæ prædicationis reti plebem Israeliticam ad sinum trahunt Ecclesiæ; ita et ipsi conversi ad Dominum, plures ex gentibus, verbo simul et exemplo Christianis legibus subjugabunt. Unde sequitur :

Et subjicient exactores suos. Exactores Judæorum sunt immundi spiritus, qui diversis erroribus implicatos ad maledicta, et multorum generum vitia compellunt; quos nimirum signo crucis muniti in fine sæculi subjicient; et cum illis data fuerit virtus calcandi serpentes et scorpiones, et omnem potestatem inimici (*Luc.* X). *Et erit, in die illa : cum requiem tibi dederit Deus a labore tuo, et a confusione tua, et a servitute tua dura, qua ante servisti, sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices : Quomodo cessavit exactor*, et cætera. Descriptus est a propheta status Ecclesiæ usque ad tempora Antichristi; descripta etiam ipsa persecutio Antichristi, descripta Babylonis spiritualis eversio, descripta et Judæorum conversio, Nunc ad ipsius Antichristi, vel certe diaboli in Antichristo, vel cum Antichristo subversionem, sanctorumque requiem et exsultationem, mysticum vertit eloquium : et qui de iis, quasi de tertia persona, dura prædixerat, annuntiaturus prospera ipsos alloquitur, dicens : *Et erit, cum requiem tibi dederit Deus.* Per hanc requiem potest pax illa intelligi, quam forte, destructo Antichristo, usque ad diem judicii habebit Ecclesia ; vel illa certe, qua novissime inimica morte destructa, non erit qui impugnet, vel terreat.

Notantur hic tria genera miseriarum, quibus subjicietur genus humanum, ab eis ante tempus illud non facile eruendum, labor, confusio, servitus. Labor ad corpus proprie pertinet, ad mentem confusio, servitus ad utrumque. Tempore quippe Antichristi laborabit Ecclesia, in aliis subacta tormentis; confundetur in aliis, exposita contumeliis; premetur, servitute afflicta tributis. Sed cum ab his omnibus, inquit, illo filio perditionis exstincto requieveris, sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices : *Quomodo cessavit exactor? quievit tributum?* Obstupescent sane electi, quod importunus ille exactor tam subito perierit, et sit deletus de terra ; qui tam per se quam per satellites suos mundum vexabat, tributis ac tormentis depopulans omnia, et ad sui consensum scelerис trahens. *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga insanabili.* Plaga ista mors æterna est, qua multi, Antichristo cædente, id est persequente, ferientur : quæ quidem plaga insanabilis est, quia in inferno nulla est redemptio; ibi nec locus pœnitentiæ, qua peccata purgentur; nec confessionis remedium, quo curentur ; nec acceptabilis satisfactio, qua sanentur. *Subjicientem*, inquit, *in furore gentes, et persequentem crudeliter. Conquievit et siluit omnis terra ; gavisa est et exsultavit.* Regnante Antichristo ubique labor, ubique clamor, ubique dolor. Quo divina virtute prostrato, videbuntur quiescere omnia, silere omnia, exsultare omnia ; qui a jam non

Digitized by Google

erit luctus, neque clamor, neque ullus dolor, quia priora transierunt (*Apoc.* XXI). *Abietes quoque lætatæ sunt super te, et cedri Libani.* Per abietes accipe sublimes in sapientia; per cedros excellentes potentia. Hæc ligna ad constructionem templi vel ornatum a sapientissimo Salomone assumpta, sacræ Scripturæ prodit historia (*III Reg.* v). Sicut autem templum illud figuram præferebat Ecclesiæ, ita per abietes et cedros, quæ cæteras arbores et proceritate vincunt, et odore præcellunt, sublimes in Ecclesia, qui bonæ opinionis odore pluribus innotescunt, intellige. Qui tunc temporis tanto habebuntur sublimiores, quanto persecutionis tempore inventi fuerint fortiores. Quorum vox exsultantium et gloriantium a propheta subjungitur : *Ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos.* Somnus iste mortem significat. Mortuo quippe Antichristo, non erit qui cedros abietesve succidat. *Non ascendit.* Ascensus superbiam, vel potentiam, vel prudentiam exprimit, ut intelligas nullum post eum tanta superbia erigi, vel exaltari potentia, vel callere prudentia, ut in paradiso Dei, in Ecclesia videlicet, quoslibet perfectos quasi cedros et abietes a fidei possit fundamento succidere; sive per superbiam sæviendo, sive per potentiam opprimendo, sive per prudentiam seducendo. Bene ergo dicitur : *Ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos.* Sequitur :

Infernus subter conturbatus est in occursum tui; suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. Principes terræ vel nationum contrarias fortitudines æstimo interpretandas : quæ in hominibus terrena sapientibus, vel gentibus ab Antichristo seductis, singulæ in singulis, quasi principes in soliis, tunc temporis residebunt. Quorum omnium potentissimus, quasi cæterorum rex, Antichristi corpus et animam quasi omnibus aliis excellentius sibi solium vindicabit. Hi igitur principes cum regis sui conatum, quem per organum illud suum moliebatur, Christi virtute evacuatum conspexerint; territi de soliis suis, his videlicet quibus præsidebant, fugabuntur, et ruinam ejus admirantes quasi respondebunt et dicent : *Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es, detracta est ad inferos superbia tua.* Et est sensus : Quanto altius te extulisti, tanto profundius corruisti. *Concidit cadaver tuum.* Cadaver principis tenebrarum ipse Antichristus potest non inconvenienter intelligi : quem præ omnibus suæ malitiæ animabit, et pessimæ ejus voluntati quasi vitalem flatum effectum malitiæ ministrabit. Quod ejus cadaver tunc concidet, quando eum Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (*II Thess.* II). *Subter te sternetur tinea, et putredo, et operimentum tuum erunt vermes.* Pœna æterna, quæ totam vel diaboli, vel Antichristi substantiam occupabit, satis manifeste describitur. A parte inferiori tinea demolietur, a parte superiori vermes corrodent, putredo intus consumet. Tinea pro jucunditate, vermes pro crudelitate, putredo pro libidine. Vel tinea pro illicita locutione, putredo pro illicita cogitatione, vermes pro illicita actione. Vel tinea, quæ occulte et quasi insensibiliter consumit, dia! oli est suggestio; putredo, quæ horrorem et fetorem generat, immunda delectatio; vermes, qui manifeste corrumpunt, consensio. Ex his autem omnibus materia nascitur supplicio-rum, sive intus in conscientia, sive exterius in pœna. Hæc breviter exponendo transcurrimus, animo scilicet ad aliena festinante. Recolite, charissimi, quia de Domino Jesu præsentiam suam discipulis subtracturo scriptum est : *Convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent* (*Act.* I). Pacem enim Jerusalem significat. Pacem itaque commendamus vobis, pacem præcipimus vobis. Ipse enim Christus, qui est pax nostra, faciens utraque unum (*Ephes.* II), conservet vos in unitate Spiritus, et in vinculo pacis (*Ephes.* IV), cujus vos protectioni et consolationi sub alis Spiritus sancti commendo, ut ipse vos mihi, et me vobis cum pace et incolumitate restituat. Quod ipse concedat, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

De eodem capitulo moraliter exposito.

Ecce adsum, filii mei charissimi, gaudium meum, et corona mea in Domino. Dies ista dies mihi exsultationis et lætitiæ, quandiu desideravi ut viderem, et desiderium pauperis exaudivit Dominus ! (*Psal.* X.) O amor quam suaviter uris absentes! quam delectabiliter pascis præsentes! nec tamen satias esurientes, donec ponas Jerusalem pacem, et adipe frumenti saties eam (*Psal.* CXLVII). Hæc est pax, cujus primitiis interim refocillati gustatis quam bonum et quam jucundum sit habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII). Hæc est pax, quæ quodam prægustu charitatis vos pascit in via, ejus plenitudine satiandos in patria. Eia, fratres dulcissimi, totum quod vivo, totum quod scio, vestris profectibus offero, vestræ devoveo utilitati. Utimini me, ut libet, nec parcatis labori meo, ubicunque servire poterit profectui vestro. Redeamus ergo, si placet, imo quia placet, ad opus quod intermisimus; et cœlestes thesauros, quos sub tegmine parabolarum sanctus recondidit Isaias, lumine nos veritatis sancto Spiritu profundente, rimemur. Describens quippe parabolam, quam contra regem Babylonis populus ab ejus tyrannide liberatus assumet : *Et erit*, inquit, *in die illa, cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, et a confusione tua, et a servitute tua dura, qua ante servisti : sumes parabolam hanc contra regem Babylonis.* Itaque parabolam intelligamus ut parabolam, non arbitrantes eam contra Nabuchodonosor terrenæ illius principem Babylonis, sed potius contra eum, qui ab aquilone est, principem confusionis, esse prolatam. Sed quia hæc ultimo illo sermone quem de his ad vos habuimus, allegorica interpretatione transcurrimus: ea ipsa nunc moraliter prosequamur. Si quis igitur nostrum aliquando in confusione vitiorum positus, ac jugo iniquitatis oppressus, jam se gaudet et a

Digitized by Google

labore quiescere, et pro transactis nihil confusionis habere, jugum quoque pessimæ servitutis abjecisse sumat parabolam hanc contra regem Babylonis. Labor in vitiis est, requies in virtute, confusio in libidine, securitas in castitate; servitus in cupiditate, libertas in charitate. Est quippe labor in vitiis, labor pro vitiis, labor contra vitia. Labor in vitiis, quando, ut pessima desideria expleantur, laborem multis antiquus hostis importat. Labor pro vitiis, quando quis pro malis quæ fecit, vel invitus affligitur, vel volens labore pœnitentiæ maceratur. Labor contra vitia, quando conversus ad Deum diversis tentationibus fatigatur. Est etiam confusio in vitiis, confusio pro vitiis, confusio contra vitia. Confusio in vitiis, quando homo pessimis passionibus dissipatus non ratione regitur, sed vitiorum tumultu confuse agitatur. Confusio pro vitiis, quando quis deprehensus et convictus criminis alicujus, confunditur; vel pœnitens et confitens quæ commisit, salubri confusione purgatur. Porro contra vitia confusio, quando homo conversus ad Deum, tentationi quam patitur expertæ confusionis recordatione resistit. Clamat Dominus in Evangelio : *Venite ad me, qui laboratis, et onerati estis* (*Matth.* xi). Habes alias scriptum de quibusdam : *Ut inique agerent, laboraverunt* (*Jer.* ix). Quis labor latronibus furibusve, ut vel viatorem opprimant, vel patremfamilias domo perfossa despolient? Quis labor adulteris vel fornicatoribus, ut male cupitis potiantur amplexibus? Sed et avaro agris vel thesauris inhianti alienor non modicus est; et si non corporis, tamen ordis. Hunc laborem sequitur confusio; quia, virtutibus ordinis est pulchritudo, ita in tumultus et confusio. *Omnis* enim *qui facit atum, servus est peccati* (*Joan.* viii). O dura servitus! quæ etiam animum renitentem plerumque cogit ad vitia, cum violentia malæ consuetudinis ad illud impellitur vitium, quod jam detestatur, ut mirum in modum et peccatum ita velit, ut ploret. A quibus omnibus, cum homo fuerit liberatus, sumet parabolam hanc contra regem Babylonis, et dicet : *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum?* Audi Dominum nostrum Jesum in Evangelio dicentem Petro : *Reges gentium a quibus accipiunt tributum? a suis, an ab alienis?* Et Petrus : *Ab alienis.* Cui Dominus : *Ergo*, inquit, *liberi sunt filii* (*Matth.* xvii). Sunt igitur tres exactores tributa exigentes : Cæsar, diabolus, et Deus. Cæsar imaginem suam impressam nummo, quam homini in signum suæ dominationis imposuit, quasi exactor importunus extorquet. Diabolus similitudinem suam, quam consentienti sibi animæ affectu vitiorum, stylo consuetudinis vitiosæ inseruit, durus ac crudelis exactor quotidianæ turpitudinis solutione requirit. Deus imaginem suam quam naturæ animæ rationalis impressit, a sua rationabiliter exigit creatura. Ad imaginem quippe et similitudinem Dei creatus homo (*Gen.* i), quandiu se alterius non subdidit potestati, non cogebatur solvere, quod constabat cum non debere. Sicut autem Dei quædam similitudo lucet in virtutibus, ita similitudo diaboli in vitiis æstimatur: a qua ejus similitudine tandiu homo liber est, quandiu non præbet suadenti consensum. Consensus quippe in animam ipsam quodammodo diaboli similitudinem levi, ut ita dicam, tractu depingit. Quando vero consensu prorumpit ad actum, jam plenam ejus imaginem affectu peccandi sibi miser imponit. Sicut in homine peccato mediante diabolus potestatem accipiens, cum eum jugo malæ consuetudinis oppresserit, quotidianum peccati tributum ab eo intolerabilis exactor exstorquet. Sed, sicut Pharao plebem Israeliticam in luto affligens et latere plures sub se legitur habuisse exactores (*Exod.* v), ita princeps ille tenebrarum ad hoc tributum exigendum singulis suorum singulos imputat impulsores, qui eis labores indicant, et suggestionibus incautos concutiant, duraque peccati servitute depressos in sordidis operibus desudare compellant. Sed, o quæcunque es anima, quam ab hac infelicitate Dei pietas liberavit, præstat tibi requiem a labore tuo, et concussione tua, et a servitute tua dura, qua ante serviisti. Miraris certe quod tam facilis tibi est continentia, quæ tibi impossibilis videbatur; miraris quod inolitæ consuetudinis jugum evanuit, ad quod deponendum etiam conatum omnem desperatio innata subtraxerat. Sume ergo parabolam contra regem Babylonis. Exsulta cum tremore; clama cum stupore : *Quomodo cessavit exactor? quievit tributum?* Instituit quotidie spiritus fornicationis, alicujus turpitudinis et immunditiæ tributum exigens; nec erat repellendi facultas, vel virtus resistendi. Quomodo ergo cessavit exactor, quievit tributum? Insurgens in me spiritus iræ ad verba furoris crebrius compellebat; nunc spiritus gulæ ad negatos vel illicitos cibos excitabat appetitum; nunc amarum silentium quotidiani murmuris et detractionis a me exigens nummum, magistris intractabilem, impatientem me sociis exhibebat. Spiritus acediæ omnem statum meæ tranquillitatis evertens, et horrorem solitudinis, et quietis odium ingerens, discursiones inordinatas, signa vana vel periculosa me sibi solvere compellebat. Spiritus superbiæ ipsam interiorem cordis mei sedem pervadens, nunc subjectionis impatientem, nunc cupidum dominationis faciebat; nunc ambulare in magnis et mirabilibus super me, cæteris despectis, compellebat (*Psal.* cxxx); nunc meipsum præferre melioribus, cunctorumque profectibus invidere persuadebat. Quomodo ergo cessavit exactor? quievit tributum? Nunquid in virtute mea? Nunquid in gladio meo? Absit! Quomodo ergo? Certe *Dominus contrivit baculum impiorum, virgam dominantium.* Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. Gloria tibi, Domine Jesu, qui non permittis nos tentari supra quam possumus (*I Cor.* x). Non dedisti gladium in manu hostis, sed baculum, vel virgam. Gladius enim exstinguit; virga vel baculus affligit. Denique vox tua est ad Satan de beato Job : *Ecce in manu tua sunt cuncta quæ*

Digitized by Google

possidet ; tantum ne in eum extendas manum (*Job* I). Deinde, cum dedisset ei in corpus ejus potestatem : *Verumtamen*, inquit, *animam ejus serva* (*Job* II). Data est virga, datus est baculus ; sed negatus est gladius. Virga data est, quando concessum est ei adimere temporalia. Datus est et baculus quando in ipsum corpus ejus sævire permissus est. Negatus est gladius, quando ab animæ exstinctione prohibitus est. Percutit itaque virga, quando ea quæ foris sunt tangit. Percutit baculo, quando corpus ipsum affligit. Percutit gladio, quando a corpore animam excutit. Hac triplici tentatione adversus martyres jamdudum desævit diabolus : quibus etiam in fine sæculi adversum fideles per diabolum sæviet Antichristus. Contra nos qui in medio duorum temporum positi sumus, quoniam ei gladius ademptus est, virga baculoque contendit. Itaque, quando rerum temporalium damno percutimur, virga est ; quando ægritudine vel alia carnis afflictione, baculus est. Virga quoque percutit, quando suadet delectatione ; baculo, quando trahit ad consensionem ; gladio, quando compellit ad actum. A quibus omnibus cum fuerimus liberati, ad nos vox ista pertinebit : *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium*. Impii sunt dæmones, qui non amore justitiæ, nec corrigendi affectu, sed ex sola malitia plagas mortalibus, quibus justo Dei judicio dominari permittuntur, vel ad tempus ut purgentur, vel in æternum ut puniantur, inferre non cessant. De quorum malitia apte subjungitur : *Cædentem populos in indignatione, plaga insanabili*. Plaga ista insanabilis ad reprobos pertinet, qui in baculi virgæve percussione murmurantes, affligi possunt, sed sanari non possunt. Et addidit : *Subjicientem in furore gentes, et persequentem crudeliter*. Multis quippe tentationibus subjicit sibi gentes spiritus nequam, non amore justitiæ, sed in furore persequens eas crudeliter ; non sicut Christus misericorditer, qui percutit, ut sanet ; mortificat, ut vivificet ; deducit ad inferos, ut reducat (*Job* XIII). *Conquievit et siluit omnis terra ; gavisa est et exsultavit*. In terra cordis nostri, et in terra carnis nostræ, quando diversis tentationibus fatigamur, qualis tumultus est, qualis clamor vitiorum, quos sequitur innumerabilium exercitus peccatorum ! O quanta felicitas quando conquiescit et silet omnis terra, quando in carne nostra quiescunt incentiva libidinum, aculei delectationum, spinæ immundarum passionum, superbiæ tumor, iræ impetus, suspicionis vel indignationis susurrium ! Cum autem quieverit, et siluerit clamor vitiorum, sequitur jucunditas exsultatioque virtutum. *Gavisa est*, inquit, *et exsultavit*. O quale gaudium ! qualis exsultatio quando in hominis conscientia omnia læta sunt, omnia pacifica ; quando contrito sub pedibus Satana, omnique macula vitiorum expulsione deleta, in solis virtutibus anima gloriatur ! Unde sequitur :

Abietes quoque lætatæ sunt, et cedri Libani. Per abietes et cedros arbores sublimes et odoriferas, virtutes intellige, quarum cacumen cœlum tangit, mundum bonæ opinionis odore perfundit. Tunc vere virtutibus lætatur conscientia quando et sublimes sunt cœlestium intentione, et famæ integritate odoriferæ. Hoc est, quod ait Apostolus : *Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (*Rom.* XII). Cum igitur abietes et cedri lætatæ fuerint, id est, cum virtutes vitiis succedentes salutari lætitia mentem perfuderint : Ex quo dormisti, inquiunt, non ascendit qui succidat nos. Ad regem Babylonis, principem scilicet tenebrarum vox ista dirigitur. Obdormisti, o Satana, non interiisti. Nulla securitas, fratres mei, nulla securitas. Dormit hostis, non periit. Facile excitatur, qui dormit. Pax est, requies est, quia, ipso dormiente, non ascendit qui succidat virtutes. Verumtamen, fratres, perfectorum vox ista est, quibus jam non est colluctatio adversus carnem, quæ plerumque innata sibi concupiscentia virtutes succidit : sed adversus spirituales nequitias (*Ephes.* VI). Quibus dormientibus, id est a tentationibus cessantibus, requiescunt perfecti, nullam ex seipsis in seipsis pugnæ materiam habentes. Sciendum plane est, fratres mei, quia pax ista nec continua poterit esse, nec perfecta, donec novissima inimica destruetur mors, id est mortis auctor diabolus : non enim jam dormienti, sed quasi morienti sanctorum societas insultabit. *Ubi est*, inquit, *mors, victoria tua ?* (*I Cor.* XV.) Quod Isaias aliis verbis : *Quomodo*, ait, *cessavit exactor ? quievit tributum ? Infernus subter conturbatus est ; in occursum tui suscitavit tibi gigantes* (*Isa.* XIV). Superato a sanctis diabolo, turbatus occurrit infernus, spirituum scilicet societas immundorum ; suscitans illi gigantes, id est quoslibet de sociis fortiores, cum quibus rediens ad domum de qua fuerat expulsus, si copia fuerit reintrandi, faciet novissima hominis illius pejora prioribus (*Luc.* XI). Hæc vicissitudo tentationis et pacis nobiscum agitur, donec omnes principes terræ, id est terrena sectantium ; omnes etiam principes nationum, principes videlicet regni Persarum vel Græcorum, sicut habes in Daniele (*Dan.* XII), vel certe principes nationum, id est vitiorum, de suis fugati sedibus, principis sui interitum lugeant : cujus cadaver, id est omnis societas reproborum, cum eo æternis suppliciis data tinea demolietur, putredine corrumpotur, vermibus corrodetur. Non miremini si vos hodie diutius tenui quam solebam ; quoniam avidus vestri post diuturnam famem non facile potui vestra præsentia satiari. Ne putetis quod vel nunc satiatus sim ; cum sermonem omittam fatigatus, non satiatus. Satiabor cum apparuerit gloria Christus (*Psal.* XVI), in quo vos nunc amplector delectabiliter, quibus me spero futurum in ipso feliciter, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

SERMO XVII.

De eo, quod scriptum est : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ? (Isai. XIV.) »

Post sacra Dominicæ Nativitatis solemnia, ad indaganda propheticæ visionis mysteria revertentes, spirituales delicias, fratres charissimi, non omittimus, sed mutamus : sed nec mutamus quidem, cum ea quæ his sanctis diebus impleta recolimus, in verbis propheticis prænuntiata agnoscimus. Ubique autem uno Dei Verbo pascimur et potamur : quod ideo caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I), ut a carnalibus posset audiri, quos erudit et verbis, confirmaret miraculis, attraheret exemplis, postremo proprii sanguinis effusione redimeret. Sicut igitur nativitatem ejus, passionem, et resurrectionem, in cœlis etiam ascensionem, fidem quoque gentium, et sanctæ Ecclesiæ regnum, quæ omnia gaudemus impleta, in prophetis invenimus prænuntiata ; ita profecto tyrannidem Antichristi, Ecclesiæ in novissimis persecutionem, et perditi illius destructionem, futurum Dei judicium, et diabolicum omnibus membris suis interitum, quæ in ipsis Scripturis narrantur futura, nullus Christianus abigat esse complenda. Itaque descripta Antichristi persecutione usque ad ejus interitum, in quo et ipsius Satanæ potestas, et principatus dejicitur, propheticus sermo pervenit, in quem adhuc sub typo regis Babylonis invehitur, dicens : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris :* quæ in figura regis Babylonis, quasi in diabolum dicta intelliguntur. Et secundum beatissimum Augustinum hæc verba non tam de persona diaboli, quam de ejus membris dicuntur ; nec tam primus ille diaboli casus, unde Dominus ait, *Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X), quam membrorum ipsius apostasia ab Ecclesia recedentium mystico sermone describitur. Quoniam autem omnium membrorum ejus pessimum dicitur Antichristus, cujus tempore apostatarum erit maxima multitudo ; secundum ordinem prophetiæ, ipsius sequaciumque ejus hic ruina monstratur. Verum, quia unum corpus constat esse malorum, quicunque non ad eam redituri de Ecclesia corruerunt, hujus ruinæ participes non dubitemus. In quibus omnibus ipsius corporis caput, diabolus videlicet, confunditur : ad quem exprobrantis prophetæ sermo dirigitur : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ?* Lucifer potest dici Antichristus, vel pro splendore gloriæ temporalis, vel pro simulatione sanctitatis, vel certe pro singulari quodam, ut putatur, lumine singularis sapientiæ, vel pro fallacium miraculorum exhibitione : quibus omnibus ortus ejus, id est ostensionis initia præfulgebunt. Per hoc quod mane ortus dicitur, initium ostensionis ejus declaratur. Vel per mane præsens vita designatur : quæ vergens in senium quasi in vesperam, morte quasi nocte superveniente exstinguitur. Unde Salomon de his qui in præsenti vita spretis futuris, quibus possunt voluptatibus perfruuntur : *Væ*, inquit, *terræ, cujus principes mane comedunt* (*Eccle.* X). Ideo Antichristi gloria temporalis erit, non æterna ; brevis, et non diuturna ; non stabilis, sed caduca. Ideo ait : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ?* Cœlum hic templum intellige, de quo ait Apostolus, loquens de Antichristo : *Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus* (*II Thess.* II). Quibus verbis ostenditur habiturus in Ecclesia Dei potestatem : quam forte primo ingredietur, specie quasi recturus eam, re autem impugnaturus. Unde non absurde quidam existimant, quod aliqua in Ecclesia sedem excelsi nominis, aut formam regiæ dignitatis obtenturus sit, et ita paulatim tum pro signis et prodigiis mendacibus, tum regum et principum favore subnixus in tantam proficiet potentiam, gloriam et opinionem, ut facile Judæis et gentibus se Christum esse persuadeat, Dei se Filium mentiatur, ostendens se, tanquam sit Deus. Quod vero ait Apostolus : *Adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus ;* ipsas excellentiæ cogitationes, quibus ad illam excellentiam aspirabit, sanctus Isaias prophetando subjunxit : *Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam*, etc. Hoc est cœlum, de quo improperando eum dixerat corruisse : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes.* Quod Antichristus vulneraturus sit gentes vulnere gravi, plaga crudeli, non poterit dubitare, qui Apostolum audit dicentem : *Eum cujus est adventus secundum potestatem Satanæ in omni seductione, signis et prodigiis mendacibus, his qui pereunt* (*II Thess.* II). *Corruisti*, inquit, *in terram.* Prostratus quippe spiritu oris Dei pro cœlo inferos possidebit ; cujus corpus etiam datum terræ putredine corrumpetur. Septuaginta interpretes, non, *qui vulnerabas gentes*, sed *qui mittebas ad omnes gentes*, interpretati sunt ; nuntios Antichristi ad omnes gentes significantes esse mittendos, et ubique contra Ecclesiam Christi sævituros. *Qui dicebas in corde tuo : In cœlum ascendam.* Possunt hæc intelligi verba diaboli loquentis in Antichristo, et universam Christi civitatem per eum sibi subdere cupientis. Igitur Antichristus diabolico afflatus spiritu, cernens se in sapientia sæculari, in signis et prodigiis ab ipso principe tenebrarum accepisse virtutem ad id, quod nihil sublimius in hoc mundo habetur, Ecclesiæ videlicet ambiet principatum ; acceptoque secundum Apocalypsim (*Apoc.* XIII), vel Danielem, a bestia (*Dan.* VII), id est illius temporis regno, decem regibus quasi decem cornibus præfulgente in omnibus potestate ; iniquitatem meditabitur in cubili suo dicens : *In cœlum ascendam*, id est obtinebo in Ecclesia dominatum ; *supra astra Dei*, eos videlicet qui velut sidera sapientiæ claritate vel religionis splendore præfulgent, *exaltabo solium meum*, eos decretis meis, judiciisque subjiciens. Et addidit :

Digitized by Google

Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Mons testamenti potest dici Jerusalem illa terrena, in cujus civitatis templo Antichristum quidam existimant regnaturum, de quo Psalmista : *Mons Sion*, inquit, *latera aquilonis civitas regis magni* (*Psal.* XLVII). Quæ omnia melius de Christi Ecclesia intelliguntur, quæ utique est mons, et Sion mons testamenti, cujus latera aquilo, id est frigida semper amabit reproborum vel persequentium multitudo. *Ascendam super altitudinem nubium.* Nubes prædicatores sunt Evangelii, de quibus Dominus per hunc ipsum Isaiam : *Mandabo nubibus meis, ne pluant super* vineam *illam imbrem* (*Isai.* v). Et alias : *Qui sunt isti qui ut nubes volant?* (*Isai.* LX.) Super hujusmodi nubes ascensurum se, diabolus per Antichristum gloriatur, ut superior inferioribus dominetur, et ad suæ voluntatis consensum vel volentes illiciat, vel incautos decipiat, vel nolentes cogat, vel puniat resistentes. Sequitur :

Similis ero Altissimo. Hoc est, quod ait Paulus : *Ostendens se tanquam sit Deus* (*II Thes.* II). Cavete superbiam, fratres charissimi, cavete. Quam multi enim, quod dolens dico, si forte vident se in luce sapientiæ profecisse, verbo et exemplo alii profuisse, ut merito Luciferi nomine digni habeantur, ita ut mane, id est initio suæ conversionis, cæteris ejusdem vitæ consortibus clariores habeantur, occulta primum intentione tumescunt, prælatos suos despiciunt, et eos simplicitatis et inscientiæ arguunt; nunc, quod in temporalibus occupantur, derident et detrahunt, inferiores se cunctos aspiciunt, habentes semper præ oculis quidquid in aliis reprehensibile inveniunt ; et cum non invenerint, fingunt; et hoc quod ipsi ante oculos hominum laudabile agunt, ad memoriam revocantes, sua se vanitate interius pascunt. Deinde quisquis talis est, omnes prælatione indignos judicans : *Ascendam*, inquit, *in cœlum.* O Lucifer, qui mane oriebaris, iniquitatem meditaris in cubili tuo. Quid dicis? Quis ille, vel ille est, ut præsit nobis, homo idiota et sine litteris, homo tota die se tradens et intricans terrenis, homo nec eloquentia clarus, nec in Scripturis exercitatus, nec discretus in opere, nec in arte spirituali peritus. Hæc dicens in corde suo, instar Absalon parricidium parat. *Quis me*, inquiens, *constituat judicem super populum istum?* (*II Reg.* XV.) In cœlum conscendam, dignus qui spiritualibus, id est cœlestibus præsim, cum mea conversatio semper in cœlis sit (*Philip.* III). Utquid perditio hæc? (*Matth.* XXVI). Perditio, inquam, tantæ sapientiæ, tantæ virtutis et eloquentiæ, quæ ita prodessent; sed, quia in inferioribus sedeo, prodesse non possunt. Super sidera igitur Dei ego instar Luciferi cæteris clarior exaltabo sedem meam, in monte testamenti sedens, similitudinem mihi de aliis proficiendo acquiram. Cum enim testamentum sacra appelletur Scriptura, mons testamenti, non incongrue charitas dici potest ; quæ omnibus excellentior virtutibus in se totam legem continet et prophetas. Nihil ergo magis arrogans et ambitiosus quam in charitate præesse se pollicetur, ubique contra prælatum suum in angulis susurrans, maxime eum duritiæ et inhumanitatis accusans. Describit, et quasi ante fratrum depingit oculos qualis debeat esse abbas; quam modestus, quam pius, quam amans subditos, quam eorum compatiens laboribus, condescendens infirmitatibus. Tunc ita ordinandum esse refectorium, de infirmitorio tam misericorditer disponendum, Scripturarum auctoritate confirmat, ut audientes in cordibus suis respondeant : O si iste abbas esset, quam sapiens, quam eloquens, quam misericors, quam humanus! Et ille hæc animadvertens : Quis, inquit, similis mihi in nubibus cœli? Quis in Scripturis ita eruditus, ut ego? Quis prædicationi tam aptus? Ascendam ergo super altitudinem nubium, ut prædicatoribus cunctis supereminere ostendam sapientiam meam, ne ulterius lateat quod ad profectum multorum poterit apparere. Ita in me Dei similitudo reparata lucescet : quæ maxime in sapientia et charitate consistit. Talis aliquando cum sui fuerit compos voti, et ad prælationem quam ambierat, aut propria machinatione, aut aliorum factione promotus, Dei gratia spoliatus, de virtutibus fictis ad vitia manifesta prolabitur; et sic omnibus exosus projicitur, ut mereatur audire : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?* corruisti in terram, qui de cœlesti conversatione gloriabaris, ut appareas inferioribus tuis non medicinam aliis præbuisse, sed peccatorum potius vulnera inflixisse. Illi omnes, quoniam ad corpus illius nefandi capitis eos certum est pertinere, quali pœnâ digni habeantur, propheticus sermo non tacet. Sed, quia in longum sermonem istum protraximus, ea quæ sequuntur alio tempore tractanda reservemus, ipso juvante, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum.

SERMO XVIII.

De eodem capitulo moraliter exposito.

Hesterna die, fratres, de casu diaboli quem in corpore suo patitur, vel passurus est, pro ingenii nostri paupertate tractavimus : sed, quia multi in ipsius personam diaboli, ac primum ejus casum, quo effectus diabolus de angelo, de Lucifero vesper a cœlesti corruit mansione, prophetica hæc verba putat esse prolata; si quid in hac parte possumus, vobis non arbitror subtrahendum. Describserat propheta, sub nomine regis Babylonis, diaboli vel in se, vel in membris suis infernum. *Detracta est usque ad inferos superbia tua; concidit cadaver tuum. Subter te sternetur tinea; et putredo, et operimentum tuum erunt vermes* (*Isai.* XIV). Deinde ad pristinam ejus gloriam, qua quondam fuerat in cœlestibus gloriosus, retorquens oculos, et tantam ac tam miseram mutationem admirans : *Quomodo*, inquit, *cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris?* Lucifer ideo dictus æstimatur, quod sicut stella illa matutina cæteris sideribus lucis serenitate præcellit, ita

Digitized by Google

ille archangelus cunctis angelis lucidior fuisse putatur. Cui ait propheta Ezechiel : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum* (*Ezech.* XXVIII). Deinde novem lapidum subjungit nomina ut, secundum quosdam, novem ordinibus angelorum probaretur ornatus, clarior cæteris sapientia, et decore cæteris eminentior. Quod autem mane ortus describitur, hoc esse arbitror, quod in libro Job de diabolo scriptum intelligimus : *Ipse est principium viarum Dei* (*Job* XL). Mane quod est diei principium, initium omnis creaturæ significat : dicitur ergo mane ortus, vel viarum Dei initium; quia, sicut natura cæteris dignior exstitit, ita creatione cunctos præcessit. Hactenus cucurrimus, liberum habentes in expositione progressum. De his sane, quæ sequuntur, quid dicam ? *Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Quærendum, primum quod istud cœlum, quæ astra Dei hæc, quis mons iste testamenti, quæ aquilonis latera, quæ ista Dei similitudo. Cum enim credatur ante casum in cœlo fuisse, aliter quippe de cœlo non corruisset, in quod cœlum ascendere cupiebat. Sed, et si angeli per astra intelligi debent, cum ille excellentior prædicetur, quomodo super eos solium suum exaltare desiderat ? Obscura sunt hæc, tangenda potius a nobis, quam exponenda. Itaque opinando, non affirmando procedamus. Videndum ergo primum omnem creaturam mutabilem esse creatam; mens autem rationalis, quæ omnibus præeminet creaturis, si non esset facta mutabilis, Creatoris sui non egeret auxilio; quippe quæ nec [illegible]ficere in melius, nec in deterius posset deficere. [illegible]t autem, ut ei sua mutabilitas innotesceret, [illegible]xperientia doceretur, se, sine sui Conditoris auxilio, nec in eo bono, in quo conditus fuerat stare, nec ad sublimius aliquid posse conscendere; sic intelligens quod scriptum est : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII), ut omne os obstrueretur, et fieret omnis creatura subdita Deo. Itaque, ut angelo et homini naturæ suæ mutabilitas ostenderetur, necesse fuit ut uterque tentaretur; tentatus probaretur; probatus confirmaretur; quatenus in eis, qui vincerent, commendaretur gratia; in his, qui propria iniquitate delinquerent, appareret justitia; quia nimirum ad gloriam rationalis spectabat creaturæ, ut ad beatitudinis plenitudinem, quæ ei fuerat Creatoris sui beneficio conferenda, ex ipsius Domini sui gratia, aliquod ejus præcederet meritum, ut felicitas ipsa et donum esset, et præmium. Et tentationem hominis manifeste sacra Scriptura declarat. Propositum est ei lignum pulchrum visu, aspectuque delectabile, et ad vescendum suave, et dictum est ei, ne tangeret (*Gen.* III). Hæc ei tentationis materia, ut si vinceret, ei esset abundantioris gloriæ causa. Forte igitur sicut homini lignum illud pulchrum, et angelo aliud, in quo et ipse tentaretur, constat esse propositum, ut ipsi tentatione et naturæ mutabilitas probaretur, et libertas arbitrii commendaretur, cum in aliis A gratia conferret præmium, in aliis justitia irrogaret supplicium. Sicut societatem illam sanctam in qua regnaturus erat Deus, cœlum vidit nominandum, ita ipsos, in quibus ipse jam dominari affectabat, suum cœlum arroganter appellat. Quamvis in ipsam sanctam societatem, quasi in ipsum Dei cœlum, quam a reprobis vidit impugnandam, ipse in eis, et per eos acrius impugnaturus, nitatur ascendere. *Super astra Dei exaltabo solium meum.* Solium suum dicit reprobos quosque in hoc mundo sublimes, in quibus maxime diabolus regnat : qui in hoc mundo etiam super astra Dei, sanctos scilicet, accipiunt potestatem, ut tentent, ut premant, ut persequantur, ut puniant. Recolite, fratres mei, quam parvus erat sanctorum numerus, quam abjectus, quam contemptibilis, quando omnis gloria mundi, reges et principes, et Romani super omnia imperatores, contempto Deo, et contempti a Deo, idolis sacrificabant : et paucos Dei cultores qui, erant in Judæa, dura servitute premebant. Horum itaque sublimitatem in spiritu intuens, et potestatem, sanctorum etiam paucitatem et abjectionem, omne sublime videns, id est approbans, et abjecta despiciens, illorum dominationem, istorum quoque oppressionem anhelans : *Super astra Dei*, inquit, *exaltabo solium meum.* Et quasi diceretur ei : Quid ergo facies de Judæis, qui mons testamenti dicuntur, qui tuis resistunt decretis ? impia mox cogitatione respondet : *Sedebo in monte testamenti*; et si non omnibus, *in lateribus*, id est in partibus *aquilonis*, illis videlicet, qui aquilonari frigore vitiorum in suis cordibus mihi sedem parabunt. Ibi sublimes illæ personæ Annas et Caiphas, id est Scribæ et Pharisæi, quibus ad effectum meæ voluntatis abutar. Intuens deinde Dominum nubes suas ubique terrarum, ubi sibi resisterent, mittentem, confidens in virtute sua, et in multitudine astutiarum suarum præsumens (*Psal.* LI) : *Ascendam*, inquit, *super altitudinem nubium*, id est prædicatorum, eos vel premens, vel fallens; *eroque similis Altissimo :* ut, sicut Deus habet angelos suos, prophetas suos, apostolos suos, per quos suis consulat, suos regat, et attrahat; ita et ego habeo angelos meos, refugas scilicet spiritus, prophetas et apostolos meos (quos nos pseudoprophetas et pseudoapostolos nominamus) ut meos mihi attrahant, et meæ subdant per omnia voluntati. Hæc enim quasi verus propheta ventura prædicit, sed deceptus superbia talem sibi dominatum vana cogitatione promittit. Eapropter licet verum sit, hoc eum dixisse, id est se ascensurum in cœlum, et solium suum super cœli sidera positurum, et cætera hujusmodi, si sano intellectu non potest exponi, quod hoc evenerit : intelligendum est eum cupidum dominationis in eos, quos in Creatore viderat a Creatore relictos, non prædixisse ventura, sed verba jactantiæ protulisse. Nam profecto superbus in cœlo stare non potuit : quod quidem aliquandiu fecisset, si post conceptam ambitionem cum tempo-

Digitized by Google

ris mora tanta ei cogitare licuisset. Sed omittamus illam quorumdam opinionem, qua dicunt, quod ipse cum his qui ceciderunt, in inferioribus partibus, id est in firmamento positus, ad sublime illud cœlum, in quo Deus cum eis qui non ceciderunt, inhabitat, aspiraverit : vacillabit illa beati Gregorii expositio super Ezechielis verba dicentis : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in paradiso Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum* (*Ezech.* xxviii). Verum, si illa ejus exspositio probabilis esse putatur, intelligendum est primum illum qui corruit, inter cæteros angelos principatum habuisse ; in quo secundum illum, Dei similitudo expressius fuit impressa, maxime cum plenus sapientia et perfectus decore dicatur. Adjiciamus etiam, quod idem Pater super hæc ipsa verba, quæ habemus in manibus, montem testamenti populum dixerit Judæorum : et quod beatus Hieronymus hanc ipsam prophetiam exponens, astra cœli eos qui fulgent in Ecclesia interpretatus sit ; montem etiam testamenti, Ecclesiam. Quomodo ergo ante casum in tanto decore positus, super eos qui fulgent in Ecclesia regnare, vel in ipsa Ecclesia sedere concupierit, nisi hæc omnia ibi prius vidisset, ubi erant, etiam antequam facta fuerant ? *Verumtamen in infernum detraheris, in profundum laci.* Digna retributio, ut qui cœlum conscendere voluit elatus, in infernum trahatur invitus ; nec ad quamlibet partem inferni, sed qui summa petebat, ad inferni ima descendat. Hoc est, quod ait, *in profundum laci.* Hoc etiam de membris ejus, Antichristo videlicet, et cæteris ejus complicibus, de quibus dici potest, quod post mundi hujus gloriam impiumque dominatum ad inferos sint detrahendi, ubi ignis æternus præparatus est diabolo, et angelis ejus. *Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient.* Vere, fratres, qui viderit oculis cordis, diligenterque consideraverit ex quanta perfectione et gloria corruerit diabolus et angeli ejus ; ex quanta sanctitate quotidie in barathrum turpitudinis corruant superbi : mirum est, si non inclinatur, si non humiliatur, si non ante oculos suos et pristinam eorum gloriam, et præsentem infelicitatem objicit. Hoc est quod dicit : *Qui te viderint, ad te inclinabuntur,* humilitate ; *teque prospicient,* jugi recordatione. Sane quod dicit, *ad te inclinabuntur*, ipsos maxime respicit, qui post lucis opera, post bona conversationis initia, de consortio sanctorum quasi de cœlo cadentes, ad opera tenebrarum convertuntur. Ad quos boni quadam compassione inclinantur, eorum lugentes perditionem, quorum approbaverant sanctitatem. Sequitur vox insultantium ei : et post tantam felicitatem tantam ejus miseriam admirantium. *Nonne iste est vir, qui conturbavit terram?* Si placet charitati vestræ, differamus ista usque in crastinum, ne onus istud nimis nos oneret. Quod quia vos aliquantulum onerat, ut intelligatur ; rogemus Dominum, ut non sic oneret, ut sentiatur, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIX.

De eo quod scriptum est : « Nunquid non iste est vir, qui conturbavit terram ? » etc. (Isai. xiv.)

Verba prophetica, quæ contra principem Babylonis figurate dicuntur, primum secundum ordinem prophetiæ ad Antichristum, et ipsius diaboli corpus retulimus ; deinde quomodo ipsi capiti poterant convenire, disseruimus, et sic utriusque ruinam a sancto propheta descriptam docuimus. Eumdem itaque ordinem in his, quæ sequuntur, servantes, dicamus virum nominari Antichristum, non pro virtute, sed pro potestate. *Nunquid iste est vir, qui conturbavit terram ?* Potuit tamen eum propheta exprobrando virum appellare, sicut de quolibet ignavo dicitur : O qualis vir ! Conturbabit certe Antichristus terram, et regna concutiet, quando secundum Apocalypsim, homines terram inhabitantes mirabuntur post bestiam ; et reges, et regna, quodam terrore concussi, ad illius pavebunt potentiam. Porro regna, illorum regum interpretare imperium, quorum cor in manu Dei est, de quibus ait Dominus : *Per me reges regnant* (*Prov.* xii), quorum conversatio in cœlis est (*Philip.* iii). Ipsi sunt tunc temporis sancti atque perfecti, qui concuti quidem possunt, sed subverti non possunt, de qua concussione Dominus in Evangelio : *Surgent,* inquit, *pseudoprophetæ, et pseudoapostoli ; et dabunt signa multa, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* xxiv). Sequitur :

Qui posuit orbem desertum, et urbes ejus destruxit. Orbem vocat Ecclesiam, de qua scriptum est : *Etenim correxit orbem, qui non commovebitur* (*Psal.* xcv). Hunc orbem desertum quodammodo faciet Antichristus, quando per eum deseretur a multis. Destruet etiam ille nequam conventicula sanctorum, dissipabit congregationes fidelium, vel suis decretis subdendo, vel tormentis et proscriptionibus persequendo. *Et vinctis ejus,* id est orbis, *non aperuit carcerem.* Vincti orbis sunt hi, qui in Ecclesia ignorantiæ tenebris inclusi, vinculis malæ consuetudinis constringuntur, de quibus Propheta : *Funes,* inquit, *peccatorum circumplexi sunt me* (*Psal.* cxviii). His vinctis pestilens ille non aperiet carcerem, quos ab errore docendo non extrahet, sed arctius suæ iniquitatis et perfidiæ tenebris involvet. Si autem per virum diabolum velis intelligi, non erit absurdum, cum et in Psalmis, et in Evangelio, et multis aliis sanctæ Scripturæ locis appellatus sit homo, secundum illud : *Inimicus homo hoc fecit* (*Matth.* xiii). Et : *Exsurge, Domine, non prævaleat homo* (*Psal.* ix). Ipse nec adhuc quidem cessat conturbare terram et concutere regna. Terra dici possunt amatores mundi, et mundialis gloriæ sectatores, quos utique nunc ira, nunc invidia, nunc bellis seditionibusque conturbat. Quicunque etiam nostrum, fra-

Digitized by Google

ricationis Adæ (*Rom.* v). Gerebat itaque mortis præpositus, id est diabolus, in homine principatum, ante Moysi legem, videlicet regnans sine contradictione; lege autem subintrante et peccato divinis præceptis resistente, tyrannidem exercens. Ubi enim non erat lex, nec prævaricatio. Ideo lex subintravit ut abundaret delictum (*ibid.*). Ab Adam igitur usque ad gratiam Christi dominabatur peccatum; et per peccatum præpositus peccati, jus sibi vindicans, non solum in reprobos, sed etiam in electos, necdum vocatos, necdum justificatos, necdum Christi sanguine redemptos. Hos a propheta cœlum vocari posse, non inconvenienter existimat, qui vim prædestinationis in qua facta sunt, quæ futura sunt, non ignorat. Cernens itaque propheta, regnum diaboli mane, id est in ipso mundi exortum initio, totum fere mundum occupasse; reges et principes et omne hominum genus, præter paucissimos, idololatria polluisse; electos etiam et prædestinatos invasisse, admiransque tantam ejus potestatem Christi virtute prostratam: *Quomodo*, inquit, *cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?* Lucifer vocatur; quia lucem scientiæ ferre videbatur, cum diceret: *Gustate, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III). Cecidit de cœlo, et in terram corruit, quando ab electis ejectus, in solis reprobis quasi in carcere inclusus, terram more serpentis comedit. *Qui dicebas in corde tuo: In cœlum ascendam.* Videns diabolus, instante jam Christi adventu, totum humanum genus sibi subjectum nihil nisi terram sapere; paucissimos tamen Judæorum Deo fide et operibus adhærentes cœlestia meditari; elatus superbia etiam ipsis posse dominari confidit: *In cœlum*, inquiens, *conscendam.* Unde et in B. Job legitur: *Absorbebit fluvium, et non mirabitur; et habebit fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus* (*Job* XL). *Super astra Dei exaltabo solium meum*, id est super sanctos, qui sunt in Judæa. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis*, ut, sicut in omnibus templis mundi sacrificatur, ita et in templo Jerosolymitano, de quo scriptum est: *Latera aquilonis civitas regis magni* (*Psal.* XLVII), mea majestas quasi divina colatur. *Ascendam super altitudinem nubium*, id est omnium prophetarum excellentiam et existimationem transcendam. *Similis ero Altissimo*, ut, cum mihi fuerit Judæa subjecta, tota terra mea sit sicut totum cœlum Dei. Hinc est quod Dominum tentans, de mundi totius dominatu præsumpsit, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* (*Matth.* IV). Optime ait Scriptura: *Ante ruinam exaltatur cor* (*Prov.* XVI). Eo quippe tempore, quo sibi majora promittebat, etiam amisit, quæ possidebat. Unde dicitur: *Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* De hac ejus ruina Dominus in Evangelio: *Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII). Qui *te viderint* oculis sic erectum, *inclinabuntur* humilitate, *teque prospicient*, id est cognoscent, ut qui te prius putaverant A fortem et magnum, sciant te in comparatione Christi infirmum. *Nunquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna;* faciens gentem consurgere contra gentem, et regna adversus regna (*Matth.* XXIV): qui orbem fecit Dei cultoribus desertum, qui tot destruxit urbes, tot vinctos inclusit? Quæ omnia ejus suggestu ante Domini adventum facta, nemo qui historias legit, ignorat. *Et consurgant super eos*, filios scilicet pessimos a pessimis patribus generatos, *et perdam Babylonis nomen, et reliquias et germen et progeniem, dicit Dominus.* Nomen Babylonis est gloria mundi; reliquiæ Babylonis amor mundi; germen Babylonis affectus peccandi; progenies Babylonis cognitio consensusque peccati. Nihil enim magis appetunt homines quam magnum B nomen, quod sibi Babylonici vel divitiis, vel stulta virtute, vel scientia sæculari conquirunt. Quæ cum acquirere non potuerint, vel acquisita amiserint, habent quasdam omnium horum in corde reliquias, ipsum videlicet mundi amorem, qui ex iniquo germine pessimus affectus processit. Quorum progenies pessimæ sunt cogitationes, quasi parvuli filiæ Babylonis, de quibus Psalmista ait: *Filia Babylonis misera, beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram!* (*Psal.* CXXXVI.) Quæ omnia in fine sæculi a Domino destruentur, quando nominis Babylonici nulla erit gloria, nulla in ejus amore delectatio, nullus peccandi affectus; quando, etiam secundum Psalmistam, *peribunt omnes cogitationes* C *eorum* (*Psal.* CXLV). Sequitur:

Et ponam eam in possessionem ericii, et in paludes aquarum, ut spina peccati semper conscientia pungatur: et libidine et voluptate, instar cœnosæ paludis, fumum et fetorem exhalante, cæcetur. *Et scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum.* Sicut domus scopis mundatur et evacuatur, ita omnem Babylonis gloriam, divitias et delectationes disperdam, terens eam tormentis et doloribus conterens. Sed et nos, fratres charissimi, a quibus per adventum Domini diabolus ejectus est foras, præparemus filios pessimi seminis occisioni, ut gladius Domini devorans carnes, omnes carnales affectiones, illicitasque delectationes, cogitationes etiam perversas ex carnali affectu quasi de pessimo D semine generatas occidat, ut nec consurgant ulterius neque impleant faciem orbis civitatum. Civitates orbis memoriæ nostræ meditationes intellige: quæ utique memoria orbi comparatur; quia, quidquid in orbe corporaliter haberi potest, totum a memoria imaginaliter comprehendi potest. Facies autem orbis vel civitatum, meditationum nostrarum intentio est; secundum quam omnia quæ fiunt vel cogitantur a nobis, ab eo quem nihil latet judicantur. Adesto ergo, Domine Jesu, et super filios Babylonis misericordi severitate consurge, ut in anima mea nomen pereat Babylonis, omnique confusione deleta, Jerusalem nomine censeatur. *Et ponam*, inquit, *eas in possessionem ericii, et paludes aquarum.* Fiat, Domine, cor meum ericius plenus spinis,

Digitized by Google

ut singulorum peccatorum meorum memoria quasi spinis singulis compungatur : et, sicut totam animam meam vitia possidebant, ita totam occupet compunctio salutaris; sicque libidinum suarum recordatione quasi cœnosis paludibus stercorata, pœnitentiæ fructus producere mereatur. Sequitur : *Et scopabo eam in scopa terens.* Scopa terens cordis contritio est, qua Babylon in anima nostra teritur et conteritur, et omnes spurcitiæ ejus egeruntur. Prope est enim Dominus his qui contriverunt cor; quia cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L). Sed et flagellum Dei scopa terens dici potest, quo visitat in virga iniquitates nostras, et in verberibus peccata nostra (*Psal.* LXXXVIII), ut vitia conterens virtutes inducat, et suam a nobis misericordiam non dispergat. Ponitur deinde in possessionem ericii, et in paludes aquarum. Hæc sunt duo vitia, in quæ Dei judicio hypocritarum genus sæpissime ruit, avaritia et luxuria. Nam, secundum tententiam Salvatoris, spinis divitiæ et sollicitudines sæculi comparantur : quarum amore cum fuerit anima purgata, instar ericii suis armatur spinis, confidens in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum superbiens (*Psal.* LI). At paludes infertiles et lutosæ, in quibus cœno gaudentia reptant animalia, luxuriæ immunditiæ comparantur, quæ utique sordidæ sunt et lutosæ, in quibus spiritus insultant immundi, quorum princeps libentius sub umbra dormit, in virore calami et junci, quæ maxime nascuntur in paludibus, et locis humentibus. Talis anima scopatur, non ut mundetur, sed ut conteratur. Sequitur :

Juravit Dominus exercituum, dicens : Si non ut putavi ita erit, et quomodo mente tractavi, sic eveniet. Omnia quæ de onere Babylonis sanctus propheta describit, Domini jurantis auctoritate confirmat, ut nemo dubitet esse ventura, quæ ab ipso Deo sub jurejurando constat esse prædicta. Quod autem Dominus jurare dicitur, cui etiam non juranti credendum esse nemo qui dubitet, maximum veritatis et certitudinis indicium est. *Si non ut putavi, ita erit, et quomodo mente tractavi, ita veniet.* Humano more loquitur hominibus, quia, si loquerentur divino, non intelligeretur ab hominibus. Verum hoc, puto, non semper in ambiguis ponitur, cum Dominus iratus servo suo sæpissime dicat, puto, quod Dominus tuus sim (*Gen.* XVII). Quod itaque dicit sese putare, vel mente tractare, nulla dubitatio, nulla sollicitudo, nulla mentis distensio in Dei natura cogitetur, sed æterna et inoommutabilis ejus dispositio verbis, quibus a nobis posset intelligi, insinuata credatur. Ideo autem existimatio vel tractatio posita sunt ut, sicut homines ea, quæ non præcipitanter, sed cum quadam hæsitatione et tractatu faciunt, finem optimum sortiuntur, ita Deus nullo mentis impetu, nullo fortuito casu, sed æterno suo consilio *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII). Igitur sicut disposuit, sicut putavit, sicut voluit, sicut tractavit, sic eveniet. Quid eveniet? *Ut conteram*, inquit, *Assyrium in terra mea, et in montibus meis conculcem eum.* Per Assyrium totam illam multitudinem spirituum superborum intellige, qui conteruntur in terra Domini, ut per terram parvuli et carnales intelligantur, quos ad solidi cibi perceptionem minus idoneos lacte potat Apostolus : *Nihil*, inquiens, *judicavi me scire inter vos, nisi Dominum Jesum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* III). Porro per montes apostolos atque perfectos intellige, quibus dedit Dominus potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et omnem virtutem inimici (*Luc.* X). A quibus etiam ipsius diaboli jugum gravissimum ablatum est, quando computruit jugum a facie olei, et ille unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis (*Psal.* XLIV), ligato forti illo, captivam duxit captivitatem (*Ephes.* IV), et onus, quo eorum humeri premebantur, sua virtute deposuit. *Et auferetur jugum ejus ab eis, et onus illius ab humeris eorum tolletur.* Est jugum sive onus iniquitatis, quod homo propriis cervicibus, diabolo suadente, imposuit. Est quoque jugum, sive onus malæ consuetudinis, cui se homo male vivendo supponit. Est et jugum sive onus infelicitatis, cui hominem peccantem justitia divina prostravit. Est grave quidem jugum vel onus peccati, quod usque ad Dominicam passionem ita mortales premebat, ut nullius justitia, nullius virtute amoveri potuerit; sed cunctos non solum reprobos, sed etiam electos in infernum demersit, quamvis inter eos magnum chaos firmatum sit; istis, et si non in gloria, in requie tamen constitutis; illis, locis pœnalibus infeliciter deputatis. At per passionem Christi contrito diabolo et conculcato, jugum istud onusque sublatum est, ut libero ex hinc volatu justi quique atque perfecti ad cœlum usque ascendere potuerint. Verumtamen, fratres charissimi, adhuc jugum, vel onus nos premit Assyrii, sentientes nimirum aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ (*Rom.* VII), et captivos nos ducentem in lege peccati, quæ est in membris nostris. Grave hoc jugum, fratres, grave hoc onus, et intolerabile. Quis nos liberabit de corpore mortis hujus? (*Ibid.*) Quid de onere consuetudinis dicam, quod quicunque incaute humeris suis ingessit, sine gravi dolore nimioque labore deponere non poterit? Sed et grave jugum super filios Adam a die ortus sui usque in diem reditus sui in ventrem matris omnium. Onerat paupertas, onerat infirmitas, somnolentia premit, pigritia dejicit. Tacco persecutiones, proscriptiones, terrores etiam et timores, tentationes, murmurationes, detractiones, maledicta, falsa judicia, quibus omnibus plenus est mundus, sicut ait beatus Job : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* (*Job* XIV). Quæ omnia cum ipsa, quæ omnium gravissima et ultima est, morte, uno infelicitatis jugo vel onere contineri, manifestum est. Hoc est onus Babylonis, quo non solum illa premitur, sed quo cives quoque Jerusalem i-

Digitized by Google

ea peregrinantes premit. Felix, qui quamvis prematur his, non tamen opprimitur. Veniet certe dies, quo Assyrius penitus conteretur in terra, et in montibus conculcabitur; non in qualibet terra, nec in quibuslibet montibus, sed sicut Dominus ait: *Sicut cogitavi, sic eveniet, ut conteram Assyrium in terra mea, et in montibus meis conculcem illum.* Eia, fratres, contritus est Satanas Dominica passione; conculcatus est apostolica prædicatione. An non contritus et conculcatus videbatur, quando nec in porcos quidem per se habere potuit potestatem? Verum, fratres, non penitus contritus est, nec conculcatus, cui adhuc relicta est tentandi facultas, cui in Antichristo dabitur etiam sæviendi et persequendi potestas. At tunc plene conteretur et conculcabitur, quando novissima inimica destruetur mors (*I Cor.* xv), quando in terra Domini, carne scilicet nostra, jam æterna resurrectione glorificata, nullum diabolicæ potestatis remanebit vestigium, nec montibus Domini, spiritibus scilicet nostris in excellentia contemplationis divinæ suspensis, ullus poterit esse tentationis accessus. Conteretur, inquam, tunc penitus, quando ei tota tentandi vel persequendi potestate sublata, in abyssum æternis ignibus cruciandus detrudetur. Tunc certe jugum gravissimum infelicitatis, onusque ponderosissimum, quod multis modis in hac vita portamus, a nostris cervicibus vel humeris auferetur, quando, omni mortalitate omnique infirmitate virtute resurrectionis absorpta, erumpemus in hanc vocem exsultationis: *Ubi est mors, victoria tua? Ubi est mors, stimulus tuus? (ibid.)* Hic est certe onus, oneris finis, quo civitas confusionis, id est Babylon cum principe suo diabolo æternis pœnis onerando in infernum demergetur; et civitas pacis, id est Jerusalem, cum suo principe Christo, quæ onus Babylonis, quo onerata est, vel prudenter evavit, vel magna virtute sustinuit, vel potenter evasit, in cœlum coronanda transferetur. Cavit quidem, ne vitiis ejus opprimeretur; sustinuit, cum ejus persecutionibus urgeretur; evasit, cum excedens e corpore a requie exciperetur. Ne quis vero existimet de una aliqua regione prophetam tam divinum oraculum texuisse, omnem hinc ambiguitatem Dominus ipse excludens subjecit:

Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram; et hæc manus extenta super omnes gentes. Quid manifestius? Ostendit quippe ea quæ dicta sunt in hoc onere, ad universum orbem omnesque gentes pertinere: quæ, quoniam in electis et reprobis divisæ sunt, ad illos consilium, ad istos manum extentam æstimo pertinere. Profundum sane altumque consilium quod, electi cum reprobis in eadem societate viventes, eodem onere miseriarum premuntur, et mirabiliter adjuvantur, ne opprimantur; quod plerumque eisdem peccatis et criminibus prægravati, conversione et emendatiori conversatione ab iis separantur; quod sive vitiis, sive doloribus, sive tentationibus onerentur, omnia eis in bonum cooperantur (*Rom.* viii). At quam extenta manus Domini super reprobos, eorum non acceptans bona, nec mala diluens, quam extenta manus, qua omnia eis cooperantur in malum, cum et pœnis onerentur, ut deliciis corrumpantur; superbiant in virtutibus, ne quid ex eis mercedis consequantur; in peccatis non humilientur, ut veniam mereantur. Si malum deserunt, ad id denuo redeunt; si bonum inchoant, non perseverant. Postremo reprobi æternaliter condemnantur; electi in vitæ æternæ gaudiis coronantur. Post verba autem Domini ea quæ dicta sunt confirmantis, ipse propheta ex propria persona subjungit: *Dominus enim exercituum decrevit; et quis poterit infirmare?* De electis hoc dictum intelligo: de quorum salute divini decretum consilii nullus poterit infirmare. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? (*Ibid.*) Audi et stabile æternumque decretum, cui obviare nemo qui audeat, quod mutare nemo possit vel debeat. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Novit Dominus qui sunt ejus* (*I Tim.* ii). Quod autem sequitur, *et manus ejus extenta, quis avertet eam*, ad reprobos, ut superius diximus, arbitror referendum. Sicut enim certa et stabilis est de electorum salute misericordia, ita pro certo stabilis est et incommutabilis de reproborum damnatione justitia. Sed jam in fine hujus oneris finem faciamus hujus sermonis, obsecrantes Dominum et Deum nostrum ut onus quod in vitiis est caveamus: quod in tentationibus et miseriis est, viriliter sustineamus, ut illud quod in pœna erit æterna, evadere mereamur, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui honor et imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXI.

De principio oneris Philisthiim.

Onere Babylonis exposito, onus Philisthiim exponendum suscepimus, vestris multo magis orationibus, quam nostris viribus freti. Propheta igitur nomine Babylonis generaliter mundum, qui in electis reprobisque dividitur, intelligens, quo fuerat onere vel premendi vel opprimendi, mystico sermone describit, Domino attestante, qui ait: *Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram: et hæc manus extenta super omnes gentes* (*Isai.* xiv). Nunc de genere ad speciem transiens, singularum gentium singula describit onera, ut quod paucis verbis de toto prophetaverat, per partes enucleatius exsequatur. Et primum quidem contra Philisthiin divini judicii pandit consilium: qui cadentes poculo interpretantur. Per quos Judæos arbitror designari: qui legis litteram quasi vino veteri debriati, a gratia exciderunt. Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Qui enim in lege justificari se arbitrabantur, a gratia exciderunt. Hoc est vinum illud vetus, quod defecit in nuptiis (*Joan.* ii); quoniam Dominus noster Jesus Christus procedens de utero Virginis, tanquam sponsus de thalamo suo (*Psal.* xviii) legalibus sacramentis quasi vino veteri finem dedit, et Evangelii

Digitized by Google

vinum novum omnibus ad magni regis filii nuptias vocatis propinavit. Judæi igitur legis litteræ inhærentes, et legislatorem ignorantes, quasi potati et inebriati clamaverunt, dicentes : *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori.* O ruina, o casus! *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Magnus casus a Christo cadere et Cæsari adhærere. Et congrue satis de plurimarum gentium tractaturus interitu, a Judæis sumit exordium : qui primi omnium Christum suscipientes, ab ejus fide primi corruerunt. Sic ergo incipit :

In anno quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud. Achaz rex pessimus et superbissimus, divinæ legis contemptor, et idolorum venerator, diabolum significat. Vita autem ejus regnum ejus potest intelligi : quod in genere humano ob culpam primæ prævaricationis obtinuit. Quando igitur mortuus est rex Achaz? Quando certe impletum est, quod ait Dominus per prophetam : *Ero mors tua, o mors!* (*Ose.* XIII.) Denique traduxit in cruce principatus et potestates, palam triumphans eos in semetipso. Itaque, fratres, quandiu diabolus in omnes gentes habuit potestatem, populus Judæorum sua prosperitate gaudebat, habens templum, altare, ephod, theraphim, sacerdotes et sacrificia. At in anno, id est in tempore, quo mortuus est rex Achaz, quo videlicet diaboli destructum est imperium; cœpit plebs illa gravi miseriarum onere prægravari. Unde infelicitas infelicitati successit, donec abrasi de terra viventium, a terra etiam morientium, quæ illis fuerat in hæreditatem concessa, penitus delerentur. *Ne læteris, Philisthæa omnis tu; quoniam comminuta est virga percussoris tui.* Recordamini, fratres, consilium illud, quod contra Dominum populus ille legitur collegisse : in quo a Caipha pontifice decretum est unum mori hominem, ne gens tota pereat. *Si enim,* inquiunt, *dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI). Trepidaverunt timore, ubi non erat timor (*Psal.* XIII). Viderat in somnis sanctus patriarcha Joseph, quod esset a fratribus adorandus. Quod ne fieret, venditur in Ægyptum (*Gen.* XXXVII); per quod tamen accidit, ut fieret. Occidendum itaque Christum autumant, ne credentibus in eum populis, Romani eis et locum auferant et gentem; cum ideo quia occisus est, totus in eum crediderit mundus, nihilominusque venerint Romani, et gentem abstulerint, et locum. Verumtamen ab hoc timore sibi videbantur liberati, quando, posito in cruce Jesu et in mortem resoluto, nomen ejus et virtutem exstinxisse gaudebant. Revocemus ad memoriam ea quæ de Philisthæis et Samson sacra narrat historia : ubi manifeste Philisthæi Judæorum, Samson autem Domini Salvatoris tenet imaginem : qui missus ad oves quæ perierant domus Israel, meretricis Dalilæ, Ecclesiæ videlicet de gentibus, concupivit amplexus. Hoc igitur Samson a Philisthæis quot passus sit injurias; quibus appetitus vinculis, quibus etiam minis pulsatus sacra

A produnt Evangelia (*Judic.* XV). Observant os ejus Scribæ et Pharisæi; quæstiones objiciunt, diversarum causarum sententias exigunt, ut esset unde accusaretur, unde judici, unde morti ex sententia traderetur. Veniunt autem cum quæstionibus quasi cum vinculis : quibus ruptis toties liber exivit, quoties ab ipsis fuerat impetitus. *Licet,* inquiunt, *censum dare Cæsari, an non?* (*Matth.* XXII.) Laqueum paraverunt pedibus ejus, sed inciderunt in illum (*Psal.* LVI). *Reddite,* inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari : et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII). Sic et de adultera : *Moyses præcepit hujusmodi lapidare; quid tu dicis?* (*Joan.* VIII.) Ille sic vincula rupit, ut adultera liberata, illi sua sententia ferirentur, et propriæ conscientiæ accusatione lapidarentur. Tandem
B ille Samson amore meretricis resolutus in somnum, nudatus crine, fortitudine pariter spoliatur, Philisthinorumque traditus potestati, irrisioni patuit et dolori. Sic et meus Samson amans meretricem, quæ sub omni ligno frondoso et in omni colle nemoroso prostrata, quot idola venerabatur, tot quasi adulteriis polluebatur, crinem deposuit, fortitudinem abscondit, vincula suscepit. Elapsis discipulis quasi calvus ascendit locum Calvariæ et Judæorum traditus voluntati, irridetur pendens in cruce. Cernens autem propheta in spiritu, lætitia vesana perfusos ante crucem agitare caput, improperare miracula, suadere descensum, hanc ineptam compescit lætitiam, dicens : *Ne læteris, Philisthæa omnis tu,*
C *quia comminuta est virga percussoris tui.* Velut percussionibus ejus liberati, insultant in cruce pendenti, præ lætitia caput moventes et dicentes : *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII). O Philisthæa! o ebria! o potionata! o vesana! Cadis, ruis, prosterneris. Comminuta tibi videtur virga, id est potestas percussoris tui; capto insultas Samsoni, cui capilli abrasi sunt, cui eruti sunt oculi; ne læteris, Philisthæa omnis tu. Morietur Samson, comminuta videbitur potestas ejus; sed mors ejus tua est desolatio, filiorum oppressio, gloriæ vestræ diminutio, ruina templi, sublatio sacerdotii, totius plebis dispersio. Ideo *ne læteris, Philisthæa omnis tu, quia comminuta est virga percussoris tui.* Quod autem dicit, *omnis tu,* magnitudinem gaudii, quo
D in Christi morte exsultabant, expressit. Ne læteris, ne gaudeas, ne exsultes, ne insultes : non enim tantum scelus divina justitia dimittet inultum. Quoniam enim characterem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, mittet illis Deus operatorem erroris, ut credant mendacio. Hinc Dominus in Evangelio : *Ego veni,* inquit, *in nomine Patris mei, et non recepistis me; alius veniet in nomine suo, illum recipietis* (*Joan.* V). Ipse est operator erroris, a Judæis in fine sæculi suscipiendus, digno Dei judicio, ut qui contempserunt Christum, habeant Antichristum. Unde subjungitur : *De radice colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem.* Cum sanctus patriarcha Jacob filios benediceret, et inter cæteros Dan benedicendus accederet, ait de eo :

Digitized by Google

Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita (*Gen.* XLIX). Sicut igitur exiit virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendit, id est Christus, ita nimirum de radice Dan, qui dictus est coluber, egredietur regulus, id est Antichristus. Regulus, qui et basiliscus, rex serpentium dicitur, afflatu suo atque conspectu homines perimens. Comparatur autem serpens iste Antichristo, qui ejus virtute et malitia plenus erit, et rex est serpentium, id est princeps dæmoniorum; cujus afflatus nequitia, et illuminatus scientia, plures a fide veritatis occidet. Quos enim fallit astutia, aspectu ejus puta esse percussos; quos autem malitia cegit, ejus afflatu scias esse occisos. *Et semen*, inquit, *ejus absorbens volucrem.* Singularem numerum posuit pro plurali. Sicut bonum semen verbum Dei, ita profecto semen pessimum verbum Antichristi. Verbum itaque ejus, prædicatio ejus, doctrina ejus, quasi semen ejus absorbebit Judæos; non omnes tamen, sed illos, qui superbia tumidi, nec ad cœlum possunt ascendere, nec in terram per humilitatem volunt descendere, sed, sicut volucres in hoc inani inter cœlum pendentes et terram, eorum merentur consortium, qui projecti de cœlo, in hoc aere caliginoso sortiti sunt locum. De radice enim colubri, id est ex suggestione diaboli egressus est regulus, superbia, odium, indignatio Romanorum, quorum tunc imperator pessimus Nero, regulo venenoso non immerito comparatur; cujus semen, id est voluntas, quam ex colubri afflatu concepit, Vespasianum misit in Judæam, qui cum filio suo Tito omnem potentiam, et superbiam, et gloriam Judæorum absorbuit. *Et pascentur primogeniti pauperum.* Improperat sermo propheticus infelici populo odium, quod non solum in Christum, verum etiam in ejus discipulos exercebant. Quandiu eorum durabat imperium, non cessabat a discipulis Christi persecutio Judæorum: a quibus alii occisi, alii lapidati, alii suis fugati sunt sedibus, alii flagellis attriti. Cernens itaque propheta in spiritu, post hæc omnia Judæos multis malis affectos, Christi vero discipulos post eorum persecutionem, imo et in ipsa eorum persecutione, bonæ conscientiæ confidentia alacres. *Et pascentur*, inquit, *primogeniti pauperum.* Pauperes sunt, de quibus Dominus in Evangelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* VI). Isti sunt pauperes, qui abrenuntiantes mundo, et omnibus divitiis ejus, valefacientes etiam patri et matri, fratribus et sororibus, agris et possessionibus, nudi nudum Christum sequuntur. Quorum omnium primogeniti sancti fuerunt apostoli, et discipuli Christi qui hanc primo doctrinam ex ejus ore audientes, secura conscientia dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* (*Matth.* XIX.) Vere fiducialiter in Christo requievit Petrus, quando, præcipientibus sacerdotibus, ne loquerentur in nomine Jesu, respondit: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V). Quanta etiam fiducia quiescebat Paulus, quando in conspectu judicis stans, tam fortia de Christo ejusque præceptis disseruit, ut tonitruum verborum ejus Festus non sustinens: *Insanis*, inquit, *Paule, litteræ multæ te ad insaniam provocant* (*Act.* XXVI). Sane quies ista tranquillitatem mentis significat, qua nec suis persecutoribus irascebatur; qua nullo, adversus odientes se, odio movebatur; qua pro inimicis orare, malefacientibus benefacere, pro eorum vita, qui eorum vitam sitiebant, didicerat laborare. Hinc est, quod Stephanus pro lapidantibus intercedit (*Act.* VII), Petrus verberantibus verbum salutis non subtrahit, Paulus pro eis, qui semel cum lapidaverant, quinquies verberaverant, tristitiam magnam habet, et continuum dolorem cordis. Sed illis fiducialiter agentibus, et in charitatis suavitate quiescentibus, quid Philisthæis factum est a quibus nostro Samsoni illusum est? Audi quod sequitur:

Et interire faciam fame radicem tuam, et reliquias interficiam. Interiit fame radix ejus, quando, incenso templo, civitas pariter ruit, et tota illa nobilitas aut fame aut gladio periit. Possunt pontifices et sacerdotes radix gentis appellari; quoniam, sicut vitalis succus a radice procedens per totum arboris corpus ramosque diffunditur, ita per legis doctrinam a sacerdotibus ministratam reliquæ plebi salutis remedia parabantur. Qui quoniam verbum Christi repulerunt, et indignos se judicabant regno Dei, ipsis fame pereuntibus, eorum reliquiæ, id est cætera multitudo, vitam quæ Christus est deserentes, æterna morte punitæ sunt. Hæc secundum futurorum prænuntiationem dicta, moraliter sunt repetenda, ut fidem quam prophetiæ veritas confirmat, ornent mores, vita commendet, finis coronet. Et hoc quidem onus Philisthiim non secundum id solum intelligendum est, quo premitur Philisthiim vel opprimitur; sed etiam secundum hoc, quod vel premit, vel opprimit. Caveamus proinde, fratres charissimi, a Philisthæis opprimi; quoniam, ut non premamur, cavere non possumus. Simus ergo sicut Samson Nazarei, id est Domino consecrati, et, crescente capitis nostri cæsarie, sancti efficiamur. Crines nostri in quibus est nostra maxima fortitudo, non prodantur meretrici; et sic nec vinculis constringi, nec gladiis terreri, nec includi carcere, nec a multitudine poterimus superari. Et si forte exsultent Philisthæi, et si aliquando capti videamur, eorum jam vinculis mancipandi, audient a propheta: *Ne lætaris, Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui.* Sed, quia hæc latius et manifestius prosequenda sunt: reparemus silentio vires, sensum oratione: et ad hæc indaganda mysteria crastino conveniamus ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXII.

De eodem capitulo moraliter exposito.

Onus Philisthiim, quod post onus Babylonis cum

Digitized by Google

vestra charitate tractandum suscepimus, paucis quidem verbis propheta comprehendit; qui tamen sensuum profunditate multorum materiam ministravit. Itaque, fratres, de allegoricis montibus ad plana tropologica descendentes, ad ipsius oneris principia redeamus; dicamusque, per Philisthiim superbos quoque intelligi, qui confidunt in virtute sua, et in multitudine gratiarum spiritualium gloriantur (*Psal.* XLVIII). Ili sunt, qui cum Loth egressi de Sodomis (*Gen.* X), et montem virtutum conscendentes, inebriantur a duobus soloribus, superbia et vana gloria: et sic sensibiliter ad turpia illecti, etiam in abominationes pessimas dilabuntur, ut merito dicantur Philisthiim, id est cadentes potione. Videat charitas vestra, fratres, cum naturaliter, singulis expulsis vitiis, virtutes succedant, hæc superbia vicinior virtutibus, quam vitiis, quanto magis quisque profecerit, tanto adversus eum acrius convalescit. Est autem multiformis hæc bestia, quæ vix caveri potest, exstingui autem in hac vita nullo modo potest: quippe cui mors sua vitæ materia sit, indeque robustius surgat, quo certius putatur exstincta. Intelligitis quæ dico? Quandiu vivunt in te vitia, quorum incentor est Achaz, et colluctatio gravis est tibi cum carne et sanguine crebraque tibi, licet optime pugnanti, vulnera infliguntur; non audet bestia illa caput erigere; non audet adversus timidum et pavidum in procinctu positum exitialem inire conflictum. At si, mortuo Achaz, quieverint incentiva libidinum, mox coluber tortuosus caput erigit virulentum, ac veneni sui suggestione animam inflans, primo virtutibus reddit inanem; deinde sub ipso timore vitiorum putredinem generans, in ea quæ se evasisse gloriabatur, vitia prosternit. Igitur quasi in virtutum culmine positos, et jam non in Domino, sed in se gloriari incipentes, alloquitur sermo propheticus: *Ne lætaris*, inquiens, *Philisthæa*, quæ jam potionaris calice superbiæ, quæ jam incipis ad inferiora de superioribus ruere: *ne lætaris, quia comminuta est virga percussoris tui.* Iste Achaz percussor noster est, cui plerumque dat Dominus virgam in manu ut percutiat, ut flagellet; affligens tentationibus et suggestionibus quatiens. Quæ quidem virga tunc comminuitur, quando et tentandi potestas subtrahitur. Verumtamen, ne læteris, o Philisthæa, quasi jam evaseris; ne glorieris, quasi colubrum illum venenosum tuis viribus exstinxeris. Cave proinde radicem colubri. Quia *de radice colubri egredietur regulus;* de superbia Dei contemptus. Regulus rex est serpentium, et Dei contemptus omnium potentior vitiorum, quæ tunc magis damnabilia judicantur, quando non ex ignorantia vel infirmitate, sed potius ex contemptu generantur. Nascitur autem contemptus ex superbia; quia nisi prius mens humana tumuerit, ad sui Creatoris injuriam non erumpit. *Et semen ejus absorbens volucrem.* Sic enim contemptus desperatio est, quæ confessionem excludit, irridet pœnitentiam, satisfactionem abjurat. Impius, cum venerit in profundum malorum contemnit (*Prov.* XVIII). Blasphemus in Deum, iniquus in proximum, perniciosius sæviens in semetipsum: qui, quoniam de venia desperat, vitia vitiis cumulans, ipsi desperationi vehementiora fomenta ministrat. Per volucrem animal pennatum, et celeri volatu superiora petentem, spes significatur; per quam terrenis cœlestia, æterna temporalibus, humanis divina præponimus; per quam etiam jam nunc salvi facti sumus, et Christo in cœlestibus conregnamus. Hanc itaque volucrem desperatio absorbet, quando avulsis pennis, quibus ad cœlestia volatur, anima declinat ad infima, ut contemnens futura, amplectatur terrestria, nihilque ultra desideret, quæ nihil quod ultra sit speret. Sed et hoc quod dicitur: *Ne lætaris Philisthæa omnis tu*, ad ipsos congrue satis dirigitur, qui minus grate divina flagella suscipiunt; in prosperitate effusi, in adversitate querulosi; quos favor elevat, persecutio conturbat. Eia, fratres, ut ait Apostolus: *Quis est filius, quem non corripit pater? Flagellat quippe omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII). Potest itaque et ipse dici percussor, qui percutit et sanat, mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit (*I Reg.* II). Ipse certe virgam virtutis suæ emittit ex Sion (*Psal.* CIX), ut visitet in virga iniquitates nostras, et in verberibus peccata nostra (*Psal.* LXXXVIII). Magnum est, fratres, divinæ miserationis indicium, quando non parcit in præsenti; quando non miseretur, quando sepit vias nostras spinis, et occludit maceria, ut quærentes mortem non inveniamus (*Ose.* II), quando omnes dulcedines quibus inhiamus, multimoda aspergit amaritudine, ne inhæreamus. Quid tu, Philisthæe, cadens potione? Replevit et inebriavit te amaritudine Dominus; potionavit te calice iræ ejus, et sagittæ ejus infixæ sunt tibi (*Psal.* XXXVII): quarum indignatio ebibit spiritum tuum. Certe si irasceris, si murmuras, si indignaris, si manum repellis medici, Philisthæus es cadens potione, inde ruinam incurrens, unde sperare poteras erectionem. Væ tibi, si averterit zelum suum a te, ut ultra non irascatur tibi; sicut ad quosdam loquitur per prophetam: *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ; neque super uxores vestras, cum adulteraverint* (*Osee* IV). Infelices ergo sunt, de quibus conqueritur in Psalmis: *Non audivit populus meus legem meam; et Israel non intendit mihi* (*Psal.* LXXX). Non audivit docentem, non sustinuit corripientem: illinc rebelles et increduli, hinc murmurosi, utrobique ingrati. Qua igitur pœna plectentur; quibus pro his afficientur tormentis? Audi quod sequitur: *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum* (*ibid.*). Intelligat charitas vestra, fratres mei. Multi pro peccatis suis corripiuntur a Domino, affliguntur inopia, persecutionibus atteruntur, debilitantur membris, diversis tormentorum generibus excruciantur. Qui si nihil correctionis

Digitized by Google

admiserint, sed, sicut in prosperis superflui, ita in adversis inveniantur blasphemi, suspendit virgam; gladium mittit in vaginam, tradens eos in desideria cordis sui, ut eant in adinventiones suas (*Psal.* LXXX). Tunc lætantur, cum male fecerint (*Prov.* II). Talibus ergo loquitur propheta, dicens : *Ne læteris, Philisthæa omnis tu, quia comminuta est virga percussoris tui.* Ne læteris, quod a percussione cessavit, qui te erudivit, cujus virga caput serpentis excludit, reguli venena depulit, et semen ejus pessimum arefecit. De radice enim colubri egredietur regulus; ex voluntate videlicet corrupta delectatio immunda, cujus semen sunt opera pessima, quæ totum quod prius in anima nostra sapiebat, et instar volucris pennatæ desiderio et affectu superiora petebat, obruunt et absorbent. Sed Philisthæis, id est superbis tali onere depressis, quid pauperes facient, id est humiles? Sequitur :

Et pascentur primogeniti pauperum; et pauperes fiducialiter requiescent. Hi sunt pauperes quibus Dominus ait : *Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Paupertas ista secundum affectum æstimatur, non secundum sensum : cum abundans divitiis, regnoque sublimis, dicat : *Ego vero egenus et pauper sum* (*Psal.* LXIX). Sunt autem quædam virtutes in quibus incipimus, quædam in quibus proficimus, quædam in quibus perficimur. Prima autem omnium fides, quam spes corroborat, charitas remunerat. Illa autem fides virtus est, quæ per dilectionem operatur, cum sine spe remunerationis nemo bene operetur. Hi sunt primogeniti pauperum, id est humilium, qui non in se, sed in Domino gloriantur. Est quædam in hac vita experientia, quæ fidem probat, spem corroborat, nutrit charitatem; unctio scilicet illa spiritus, quæ nos docet de omnibus : quæ quasdam nobis futuræ beatitudinis infundit primitias, cor nostrum simul illuminans et accendens, ut videat et amet, gustet et intelligat; quando ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quoniam sumus filii Dei (*Rom.* VIII). Hæ igitur virtutes si sic pascantur, si sic nutriantur, in cæteris facilius proficimus, quæ ab his introducuntur, cum fidei timor adhæreat, patientia spei, castitas charitati. Deinde timor parit prudentiam, patientia fortitudinem, temperantiam castitas, charitas justitiam. Per has postremo ascenditur ad sapientiam, quasi per rivulos ad fontem, fides transiit in spem, spes in possessionem, charitas in plenitudinem. Tunc profecto fiet, quod sequitur : *Et pauperes fiducialiter requiescent.* Cum enim humiles quique, qui nesciunt in suis meritis gloriari, quos pauperes vocat propheta, ad virtutum culmen pervenerint, fiducialiter requiescent, quibus se non ingerit spes superbiæ, et ideo nec manu peccatoris moveri possunt, nec superveniente turbine illidi. *Ibi*, enim, id est in superbia, *cecíderunt, qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare* (*Psal.* XXXV). Ibi sunt Philisthæi cadentes potione, quibus coluber radicem suam inserit, ex qua regulus procreatur, cujus semen absorbet volucrem, de quibus adhuc propheta subjungit :

Et interire faciam radicem tuam fame, et reliquias tuas interficiam. Interfecta radice, quidni rami pariter moriantur, ut pereunte quod primum est, etiam ultima quæque deleantur? Fides radix, cæteræ virtutes reliquiæ; itaque ubi fides corrumpitur, omnes pariter virtutes evanescunt, quia, *omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV). Quid igitur? Nihil remedii, nihil spei superest Philisthæis? Est, si quidem fecerint, quod subjungitur : *Ulula, porta; clama, civitas.* Sed, quia hæc nondum allegorice exposita sunt, moralem hanc expositionem nunc interim differamus. Verum, quia onus Philisthiim non solum secundum hoc quod premitur, sed secundum hoc quod premit, potest intelligi; dicamus Philisthæos immundos esse spiritus, qui inebriati superbia, a cœlesti illa mansione corruerunt. Hi sunt qui nos suis fatigant suggestionibus, tentationibus premunt, onerant doloribus. Adversus hos nobis est colluctatio, a quibus nonnunquam vulneramur et percutimur, quos nos vicissim et percutimus et vulneramus. Induite proinde vos, fratres, armatura Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli (*Ephes.* VI). Custodite maximam fortitudinem vestram, quam instar Samson, septem vobis crines conservant. Instant Philisthæi, dormientibus funes injiciunt; sed nisi prius radantur septem crines, nihil proficiunt. De his funibus ait Propheta : *Funes peccatorum circumplexi sunt me* (*Psal.* CXVIII). Sed, quia fecit Deus quod sequitur : *Et legem tuam non sum oblitus* (*Psal.* CIX), in alio psalmo confidenter proclamat : *Dirupisti vincula mea* (*Psal.* CXV). Sunt autem tres funes quibus nos appetunt Philisthæi, concupiscentia carnis oculorumque, et superbia vitæ. Vide, o Samson, ne dormias; vide ne otio dissolvaris; vide ne meretricis, vanæ videlicet gloriæ, seducaris illecebris. Otiositas inimica est animæ : in desideriis enim est omnis otiosus. Audiant hoc, qui occasiones quærunt vagandi, quibus commune opus manuum oneri est, qui, fratribus necessariis operibus intentis, otio vacant et fabulis. Hi sunt quos sæpe cernimus Philisthinorum innexos funibus, nunc carnis stimulis agitari, nunc stultis occupationibus infeliciter irretiri, nunc quasi quibusdam furiis actos gyrovagando multis detractionibus exponi : quos Philisthæi fune carnalis concupiscentiæ trahunt ad libidinem, fune concupiscentiæ oculorum ad vanitatem, fune superbiæ ad superstitionem. Crines procedunt ex capite, cogitationes ex corde. In septem itaque cogitationibus conservatur fortitudo tua; quarum duæ sunt de præteritis, duæ de futuris, tres de præsentibus. Ad præterita pertinet recordatio creationis et redemptionis; ad futura horror damnationis, et contemplatio æternæ remunerationis; ad præsentia consideratio nostræ infirmitatis, et divinæ bonitatis, cum memoria illis,

Digitized by Google

quam sæpius experimur, consolationis. Has sane cogitationes, si lethali somno sopitus prodideris meretrici, id est vanæ gloriæ abscindendas tradideris, quasi impotens et infirmus Philisthæis, nequam videlicet spiritibus traderis illudendus. Quibus tamen exsultantibus dici potest : *Ne læteris, Philisthæa omnis tu;* quia contrita est virga Samson, cujus iterum possunt crines crescere, per quos et radicem colubri, et partum reguli potuerit declinare; si tamen ut pauper in loco pascuæ collocatus (*Psal.* XXII), verbi Dei famem vitare potuerit, et in spe divinæ misericordiæ fiducialiter requieverit. Fiet enim ex Dei gratia, ut radix colubri, cum ei subtracta fuerit peccati materia, quasi fame intereat, non habens unde vivat; et sic cætera vitia, quæ ex pessima radice pullulaverant, moriente radice, marcescant. Sed jam tandem sermoni huic demus finem, obsecrantes Dei misericordiam, ut interius illo verbo pasci mereamur, quod non habet finem, quod est Christus, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIII.

Ab eo quod ait : « Ulula, porta, » usque ad finem oneris Philisthiim (*Isa.* XIV).

Per Philisthæos, qui *cadentes potione* vel *poculo* interpretrantur, secundum typum futurorum, Judæos diximus designari : qui ob necem Domini Salvatoris a Romanis depressi et oppressi, effusi sunt et dispersi; *quoniam Deus sprevit eos* (*Psal.* LII). Unde propheta : *Et interire,* inquit, *faciam fame radicem tuam : et reliquias tuas interficiam.* Adhuc quoque calamitatem describens, subjungit : *Ulula, porta; clama, civitas; prostrata est Philisthæa omnis.* Hæc est illa civitas et gentis illius desolatio, quam et sanctus Ezechiel describit, loquente ad eum Domino : *Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum; et duces eum per caput tuum, et barbam. Et assumes tibi stateram ponderis; et dividies eos. Tertiam partem combures igni; tertiam partem concides gladio; tertiam vero partem disperges in omnem ventum; et gladium denudabis post eos* (*Ezech.* V). Quæ omnia expositione non indigent, sed consideratione. Verum, qua de causa passa sit plebs illa, propheta non tacet. *Ab aquilone enim fumus veniet, et non est qui effugiat agmen ejus.* Fumus venit cum agmine, quoniam multæ abominationes secutæ sunt ignorantiam, odia, maledicta, blasphemiæ; in quibus miser ille populus quotidie crescit in pœnis, ita ut nullus sit reproborum, qui fumi illius agmen effugiat. *Quid tu vides,* ait Dominus ad Jeremiam, *quid tu vides?* Et ille : *Ollam succensam, et facies ejus a facie aquilonis* (*Jer.* I). Nostis quis ille sit, cui pars placuit aquilonaris; frigida scilicet, et a Dei calore aliena corda mortalium : per quos ollam tentationis ille qui eis sedet plerumque succendit; ex qua fumus egrediens multorum excæcat oculos, et a veritatis lumine alienat. Dicit enim, quomodo sit Philisthæa prostrata : qua etiam ratione securus quis potest esse de venia, si digna præcesserit pœnitentia. Ait quippe Paulus in infidelitate prostratus, fide erectus, persecutor in infidelitate, doctor in fide : *Misericordiam consecutus sum; quia ignorans feci in incredulitate* (*I Tim.* I). Ignorantia ipsa quasi fumus erat : quæ nimirum ab aquilone procedens erroris tenebris mentem ejus obvolverat. Ideo facilius veniam consequitur, quia secundum æmulationem persecutus est Ecclesiam Dei, fumo ignorantiæ cæcatus, non malitia provocatus. Et tu quoque non desperes de venia; quia, etsi forte non te tetigit fumus ignorantiæ, tetigit tamen fumus suggestionis alienæ, tetigit fumus carnalis concupiscentiæ. Ille itaque qui cognoscit figmentum nostrum (*Psal.* CII), tanto citius miseretur, quanto in nobis ipsis portamus, quod ollæ illius succensæ fumo facilius obfuscatur. Ideo prosternitur certe Philisthæa, id est anima quælibet elata : quia ab aquilone, id est diabolica tentatione, aut ignorantiæ, aut concupiscentiæ fumus procedens, aut circumvenit incautam, aut infirmam illicit. Sed tu ulula cordis contritione, clama confessione, ut fiat quod in hoc ipso propheta scriptum est : *Sume citharam; circui civitatem, meretrix oblivioni tradita* (*Isa.* XXIII). Bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit apud misericordiam Redemptoris. Ipse enim scit, quia non est, qui fumi hujus pessimi agmen effugiat. Quis enim est, cujus carnem vel mentem instar ollæ ferventis hostis ille aquilonaris non aliquando succendat, ignitisque jaculis concupiscentiæ fumum non excitet? *Quid igitur respondebitur nuntiis gentium?* Si placet, per nuntios gentium angelos contrariæ fortitudinis intellige : qui, diversis tentationibus fatigatis, virtutis arduam viam opponunt; carnis fragilitatem et corruptionem abjiciunt, ut, quadam desperatione dejecti, viam salutis refugiant. Expertis loquor. In initiis conversionis nostræ inter graves tentationes carnis et spiritus, cum nos aliquando spiritus fornicationis ureret, nunc inflammaret ira, nunc gula desideriis agitaret, quasi impossibilis videbatur in his omnibus tolerantia, maxime cum adolescentiæ lubricus status, tentatoris multiplex astus, ex infirmitate facilis casus proponeretur. Spiritibus itaque talia suggerentibus quid respondebitur? Quæ spes nostra, quod refugium? (*Psal.* XC.) *Quia Dominus fundavit Sion.* Fratres, *fundamentum Dei firmum stat, habens signaculum hoc; novit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II). O Sion, o anima, quæ quasi in specula posita tui Domini præstolaris adventum, non metuas, non conturberis; quoniam, si irruant venti et fluant flumina, fatigari potes, sed subverti non potes : fundata enim es supra petram (*Matth.* VII). Dominus enim fundavit Sion : qui non permittet nos tentari supra id quod possumus; sed faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere (*I Cor.* X). Hæc miserorum in hac vita consolatio; hæc in tentationibus fortitudo; hæc in tribulatione securitas; hæc constantia in adversis. Dominus certe fundavit Sion, animam Dei contemplatione sublimem, in

Digitized by Google

veræ humilitatis fundamento eam constituens; quæ tanto securius atque solidius locatur, quanto crebris probata tentationibus nec falli potest incauta, nec illici jam probata, nec exercitata superari. Sic ita que fundavit Dominus Sion; et in ipsa sperabunt pauperes ejus, id est humiles, qui apponentes scientiam, apponunt et dolorem, ut in illa beatitudine quandoque glorientur, quam in Evangelio Dominus dicit : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v) : in Christo Jesu Domino nostro, cui est cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIV.

De principio oneris Moab.

Explicito onere Philisthiim, contra Moab armatur sermo propheticus. Cujus nominis rationem primum video vobis esse reddendam. Sanctus Loth, ut bene nostis, fratres Charissimi, egressus de Sodomis, cum ejus uxor retro respiciens in salis esset mutata figmentum, cum duabus solis filiabus ascendit in montem, et post incolatum urbis immundæ novus speluncæ factus est habitator. Ibi utraque filia ebrii patris furata concubitum, primogenita Moab, altera Ammon filios ex incestu concepit (*Genes.* xix). Moab autem *de patre*, sive *aqua paterna* interpretatur : quem nimirum pater nesciens de filia genuit, non ex affectu amoris, qui in quadam dulcedine spiritus legitime co. untes conjungit; sed ex eo fluxu qui e dormiente vel ebrio instar aquæ sine amoris sapore emanare consuevit. Quid dicam, fratres charissimi? Blasphemumne putabitis, si in his sanctum Loth Domini Salvatoris imaginem dixero tenuisse? Recordamini, quæso, Judam in concubitu Thamar, quam putaverat meretricem (*Genes.* xxxviii), et David in illicito Bethsabee amplexu (*II Reg.* xi), Domini Jesu secundum sanctos Patres expressisse figuram : et hic quoque Jesum sacerdotem magnum, sicut in Zacharia monstratum est (*Zach.* iii), in sordidis vestibus non miremini. Christus, ut scitis, Dei virtus est, et Dei sapientia (*I Cor.* i). Ex Dei autem sapientia duplex scientia, quasi duæ filiæ procreantur; practica scilicet et theorica. Has itaque filias cum in speluncam, corda videlicet tenebrosa gentilium Dei sapientia induxisset; non ex voluntario patris semine, quod est charitas, sed ex propria curiositate et vanitate, quasi ex incestu, quamdam divinarum et humanarum rerum scientiam, ex bono quidem patre, sed non legitime conceperunt. Nam, quod etiam mundi hujus sapientes, Deo revelante, multa de humanis et de divinis didicerunt, Paulus testis est, qui ait : *Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis revelavit* (*Rom.* i). Sequitur :

Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit (*Isa.* xv). Recolite, quæso, quod Deus nocte traditus et nocte illusus, instante jam nocte, noscitur de cruce depositus. In hac nocte vastata est Ar, quod interpretatur *adversarius*, de quo beatissimus Petrus : *Sobrii estote et vigilate; quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* v). Ista est adversaria illa civitas; atrium videlicet illius fortis armati : qui a fortiori superveniente devictus, et spolia perdidit, et arma projecit. Quamvis et ipsa hominum multitudo Ar civitas possit intelligi : quæ Deo adversa, ligna lapidesque colebat. Quæ quodammodo nocte vastata est; quia passione sanctorum et patientia stupefacti, quamplures adversariam civitatem sua als ntatione vastaverunt. Tunc certe Moab, id est sapientia hujus mundi, conticuit, nihil virtutis habens in voce, qua vel suam astruere, vel Christi posset doctrinam evacuare. Sequitur : *Quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit.* Murus adversariæ civitatis, id est inferni, idololatria fuit, quam per universum orbem virtute Dominicæ passionis cernimus esse vastatam. Murus præterea adversæ doctrinæ dialectica fuit, vel versutia disputandi, quam in nocte, id est in persecutionibus posita simplicitas Christiana subvertit; et omnia ejus argumenta fidei sinceritate vastavit. Tunc certe Moab, id est mundi hujus sensus, conticuit, quando intonans Dominus super aquas multas obstruxit os loquentium iniqua (*Psal.* lxii), et evacuavit omnem scientiam extollentem se adversus scientiam Dei. Ideo factum est, quod subjungitur : *Ascendit domus, et Dibon ad excelsa in planctum.* Domus non solum parietes cum tecto fundamentoque vocantur, sed etiam ea quæ in ipsa domo est, familia, secundum bonos malosve mores, bona domus, malave appellatur. Igitur, per domum Moab cor sapientium hujus mundi intelligite, in quo non parva familia sensuum, cogitationum affectionumque versatur. Porro Dibon, quæ interpretatur *fluxus eorum*, ipsorum sensuum vel cogitationum, vel etiam sententiarum diversitatem lasciviamque significat. Potest etiam sic intelligi quod, Christi ceruscante doctrina, domus Moab, id est familia philosophorum, discipuli videlicet, et Dibon civitas, id est multitudo magistrorum, qui cum gaudio idolorum solebant interesse culturæ, ad ipsa idola cum planctu ascenderint; et contra Evangelium dæmonum responsa et auxilia flagitaverint. Verum, quia sapientium hujus mundi plures conversi ad Christum suis abrenuntiaverunt erroribus, plures in innata sibi malitia perstiterunt : onus istud utrosque tangit in his verbis, illos pœnitentia, istos cordis angustia docens esse gravatos. Multi enim philosophorum, tam discipuli quam magistri, quasi domus et civitas relicto valle erroris, ad excelsa conscendere virtutis, cum planctu et lacrymis peccata sua confitentes, et de pristinis erroribus et blasphemiis humiliter pœnitentes. Et addidit propheta : *Super Nabo et super Medeba Moab ululabit.* Nabo interpretatur *sessio*, Medeba *de saltu*. Ad magistros pertinet sessio, secundum illud : *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi* (*Matth.* xxiii). Per saltum ubi sunt arbores infructuosæ et steriles, ubi non hominum, sed ferarum habitatio est, inculta exprimuntur corda gentilium :

Digitized by Google

qui magistris errorum adhærentes, eorum dogmata multitudinis auctoritate tuebantur. Ululatus igitur Moab super illos doctores plebesque describitur : quos a suo consortio recedentes, ad catholicam fidem converti sine gravi dolore, quod significat ululatus, videre non poterant. Unde subjungitur : *In cunctis capitibus ejus calvitium.* Capita Moab nominatissimos diversarum sectarum intellige magistros, Socratem, Platonem, Diogenem, et cæteros tales. Hi sunt profecto capita Moab, principes videlicet scientiæ sæcularis. Quis horum est, cujus per Christi gratiam capilli non sint rasi, discedentibus ab eorum secta discipulis, qui eis tanquam capitibus suis adhærere consueverant, et se ad Salvatoris nostri gratiam conferentibus? Certe ipsi jam videmus philosophos decalvatos : quorum sapientiæ piscatorum doctrina præfertur; quorum sectam nemo qui profiteatur, nemo qui sequatur. Ideo convenienter propheta subjungit : *Omnis barba radetur.* Quandiu imberbis est homo, puer æstimatur; barbatus autem viri nomen sortitur. Quasi barbati erant philosophi, cum eorum sapientia et doctrina populi regerentur. Cum vero personante Christi Evangelio ubique, et eorum confutante errores, insipientes et vecordes ab omnibus crederentur, quasi rasis barbis deformes et inhonori, et velut in puerilem reducti stultitiam videbantur. Jam videamus sequentia :

In triviis ejus accineti sunt sacco; et super tecta ejus, et in plateis ejus omnis ululatus descendit in fletum. Tria hic proponuntur, trivia, tecta, plateæ. In triviis philosophorum diverticula, in tectis superbia, in plateis vita perdita figuratur. Diverticula habebant in sophismarum deceptione, superbiam ex hominum æstimatione, vitam perditam ex carnis et mentis corruptione. Quorum multi conversi ad Dominum, in omnibus quæ peccaverunt puniti sunt. Nam pro dolis et fallaciis, quæ in triviis exprimuntur, amicti sacco in signum pœnitentiæ perhibentur; et pro superbia, qua buccis crepantibus sententias de divinis et humanis quasi in tecto positi promulgare consueverant, ululatum confessionis et contritionis emittere ostenduntur; et pro lata illa via, qua tendebant ad mortem, humiliati, et suis lacrymis loti, ad viam arctam et angustam, quæ ducit ad vitam, regredi nuntiantur (*Matth.* VII) : Ait ergo : *in triviis ejus*, haud dubium quin Moab, *accincti sunt sacco;* quia ad memoriam revocantes quibus diverticulis et fallaciis humanæ simplicitati illuserant, accincti sacco, id est pœnitentiæ asperitate afflicti, eum cui peccaverant, digna satisfactione placare curarunt. *Et super tecta ejus, et in plateis ejus omnis ululatus descendit in fletum.* Ait Dominus in Evangelio : *Quod in aure audistis, prædicate super tecta* (*Matth.* XX). In tecto siquidem altitudo quædam et manifestatio declaratur. Per plateas quoque, quæ latitudinem significant, latam perditionis viam accipe, per quam et ipsi incedebant, et aliis per eam gradiendi exempla præbebant. Sed qui in tectis ascenderant per elationem, humiliati descenderunt per compunctionem; et qui errores suos publice quasi in plateis prædicaverant, ululatum vocis miserandæ in auribus omnium emittebant. Sequitur :

Clamabit Hesebon, et Eleale, usque Iasa audita est vox eorum. Hesebon *cogitationes*, Eleale *ascensio*, Iasa *factum* sive *mandatum* interpretatur. Cernentes philosophi multa hominum millia quotidie ad Christi fidem et sacramenta concurrere, conturbabantur; nec facile dici potest, quantus fuerit tunc in eorum cogitatione tumultus, quomodo mirabantur, nunc indignabantur, nunc erecti in superbiam adversabantur : quæ omnia per clamorem Hesebon et Eleale, videlicet cogitationis et elationis exprimuntur. Nec iste clamor murmurque cessaverunt, donec de voce in opus procederent, vel manifeste persequendo, vel fidei et divinis mandatis obediendo. Ideo usque Iasa audita est vox eorum. Hæc fratres moraliter fuerant exponenda; sed *timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ* (*Psal.* LIV), insuper et zelus domus Dei comedit me (*Psal.* LXVIII); urget indignatio, dolor impellit, erumpunt lacrymæ, quas tamen intra comprimit, absorbet æmulatio. *Tabescere me fecit zelus meus* (*Psal.* CXVIII), et sævire jam gestit sermo meus, sed luctum mihi magis matris meæ Romanæ Ecclesiæ indicit, quæ utrasque manus extendens in cœlum, miserabili voce videtur clamare : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* (*Cant.* I). Licet enim una sit illa columba Christi, formosa Christi, perfecta Christi, cui est *unus Deus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV); propter diversos tamen populos et nationes multæ dicuntur Ecclesiæ, convenientes in una, subjectæ uni, uni obedientes. Ipsa est sancta Romana Ecclesia, cujus filii, sicut audistis, pugnaverunt contra eam. Alienati enim sunt quidam a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa (*Psal.* LVII). Insuper iniquitatem in excelso locuti sunt (*Psal.* LXXII). Papiæ quippe astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Alexandrum Christum ejus (*Psal.* II). Ibi circumdederunt eum canes multi, concilium malignantium obsedit eum (*Psal.* XXI); ibi insurrexerunt in eum testes iniqui (*Psal.* XXVI), Joannes et Guido, sed mentita est iniquitas sibi (*ibid.*). Infelices et miseri, qui descendentes ab Jerusalem in Jericho, inciderunt in latrones (*Luc.* X). Ipse est scelestissimus Octavianus, qui, instar latronis, multo tempore in insidiis latitans, papatum prædam, spolia Ecclesiam æstimavit. Infelix, qui ascendit cubile patris sui, et maculavit stratum ejus. Iste est superbissimus ille Aman, qui crucem paravit Mardochæo, qui regem compulit ferre sententiam mortis in Israel (*Esther* VII). O quando vigilabit rex, quando consurget de regno suo, quando noctem istam tenebrosam et opertam mortis

Digitized by Google

caligine ducet insomnem? Quando audiet in Annalibus suis, quanta bona ei fecerit noster Mardochæus? Quando animadvertet quod ipsam reginam, eo præsente, ille nequissimus nititur opprimere? Ista est regina, non uxor Artaxerxis regis, sed Christi, de qua Propheta: *Astitit Regina a dextris tuis* (*Psal.* XLIV). Hæc est, quæ hodie in infirmis membris suis, et minus scientibus legem, clamat et dicit: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie* (*Cant.* I). Merito terrendo, et exprobrando respondet: *Si ignoras te, egredere* (*ibid.*). Quam multi, fratres, hodie nescientes Scripturas neque virtutem Dei, egressi sunt de Ecclesia, et separantes se a vicario Christi, sequuntur præambulum Antichristi. Fratres, *nemo vos seducat inanibus verbis* (*Ephes.* V). Nemo vobis dicat: Ecce hic Christus, vel ecce illic (*Matth.* XXIV), cum in fide Petri semper sit Christus, quam S. Romana Ecclesia specialiter mutuavit a Petro, et servat in petra, quæ est Christus. Hæc igitur Ecclesia ubi cœperit, a quibus cœperit, quo processerit, inspiciamus. *Oportet*, inquit, *Dominus prædicari hoc Evangelium in universo mundo, incipientibus ab Jerusalem* (*Luc.* XXIV). Igitur in Jerosolymis initia ejus. Ipsa erat, quæ tunc parva et quasi lactens, cum complerentur dies Pentecostes erat in eodem loco, quam Spiritus sanctus in linguis igneis visitans (*Act.* II), et illuminavit sapientia, et dilectione ignivit. Ex hinc omnium gentium voces factæ sunt in Ecclesiæ ore communes, et quod postea factum est in omnium gentium conversione, præcessit in linguarum omnium unione. Hujus Ecclesiæ primus princeps Petrus fuit, cui dictum est: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Et iterum: *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Et: *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* (*Matth.* XVI), etc. Hæc est Ecclesia, quam primitivorum sanctus vocat Apostolus, cujus plenitudo potestatis, in ipsius principe, primo de Oriente transmigrans in Occidentem, auctoritate Spiritus sancti in Romana resedit Ecclesia. Ecclesiam sane Romanam non parietes et saxa, sed clerum a beatissimo Petro primo Romæ ordinatum, nemo sani capitis dubitat appellandum; sicut igitur Petro Clemens, Anacletus Clementi, Evaristus Anacleto successit, ita profecto cleri illius, quem ordinavit et instituit Petrus, alius ab aliis ordinatus, locum et dignitatem obtinuit. Sic semper pro patribus nati sunt nobis filii (*Psal.* XLIV); qui tandem, dante Constantino, cum Ecclesia quoque terrenum suscepisset imperium, etiam jure humano constituti sunt principes super omnem terram (*ibid.*). Ex hinc ob specialem excellentiam ipsius Ecclesiæ episcopi, presbyteri, diaconi, appellati sunt cardinales, ab his vocabuli hujus mutuantes honorem, de quibus scriptum est: *Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem* (*I Reg.* II). Sicut enim summus pontifex ex legitima, et, ut ita dicam, hæreditaria successione, Petri obtinet principatum, ita cæterorum apostolorum potestas in cardinales constat esse transfusa. Hæc est Ecclesia Romana, cui qui non communicat, hæreticus est. Illius interest consulere omnibus, judicare de omnibus, omnibus providere, ad quam in Petro vox ista dirigitur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Quidquid ipsa statuerit, suscipio; approbo quod approbaverit, et quod damnaverit damno. Ipsius est eligere nobis pastorem, et episcopum animarum nostrarum (*I Petr.* II). Quod enim fuit in veteri Testamento, in constitutione pontificis, carnalis generatio, hoc est in novo regularis electio, quæ est quædam spiritualis generatio: quasi enim generat qui eligit, quasi generatur qui eligitur. Itaque, fratres, quod Aaron fuit filios procreare, hoc fuit Christo apostolos eligere. Cæteris filiis Aaron unus præfertur Eleazarus, cæteris apostolis unus præponitur Petrus. Et Petrus, cum spiritualiter plures genuisset, Clementem prætulit cæteris: qui cum et ipse filiis abundasset, ipsius curiæ electione, quasi spirituali quadam generatione, solus defuncto successit Anacletus. Sicut igitur illi legitimi semper fuerunt Petri successores, quos Ecclesia ipsa elegit; sic et illi, quos sui singulis temporibus sibi elegerunt adjutores, veri cæterorum apostolorum fuerunt successores. Itaque a B. Silvestro et cardinalibus ejus, usque ad hujus nostri temporis Adrianum et cardinales ejus, nulla nobis est de legitima successione cunctatio. Ecce, defuncto Adriano legitimo Petri successore, stat in cardinalibus cæterorum apostolorum legitima successio. Cogitate nunc constitutos in medio eorum Rolandum et Octavianum, sic interim nominemus eos, quasi in utero matris suæ Ecclesiæ Romanæ jam laborantis in partu. Rogo, fratres mei, nonne partus iste sim lis est partui Rebeccæ? Ecce infelix Esau rufus et hispidus, quomodo ipsa viscera materna contorquet, et simplicem illum Jacob, quem totus ille interaneorum omni effectu conceptus complectitur, manibus furibundis invadit? Audistis enim quomodo de collo sanctissimi viri, infelix ille mantum dæmone plenus extraxit. Et cum ei non pro voto cessisset, cum summo matris dolore egressus ab utero, cupiditatis et ambitionis suæ pilis, summum cernentibus horrorem incussit. Secuti sunt eum duo, qui et ipsi alienati sunt a vulva, erraverunt a ventre (*Psal.* LVII), exteris omnibus Alexandrum eligentibus, Alexandro adhærentibus, Alexandrum sequentibus. Cernite nunc Joannem, nunc Vuidonem in parte una, et inter eos Octavianum; cernite et reliquam curiam ex parte altera, et Alexandrum inter eos. Rogo, cujus vox ista est: *Exierunt a nobis, sed non fuerunt ex nobis?* Certe aut in illis tribus curia Romana est, aut in his omnibus, aut periit de terra, et inaniter fusa est illa Salvatoris oratio, de qua dicit: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*

Digitized by Google

(*Luc.* XXII) : quod dementis est opinari: Quis enim ita desipiat, ut tot episcopis, presbyteris, diaconibus cardinalibus exclusis, Romanæ vim curiæ in his duobus æstimet residisse? Sic nunc, fratres, sic loquar de istis, quasi adhuc in Ecclesia B. Petri, ubi electionem fecerant, constitutis, et ab invicem separatis. Certe Ecclesia Romana non periit; certe, cæteris reprobatis, ut in illis tribus remanserit, nulla ratio, nullus sensus humanus admittit. Restat proinde ut in illa multitudine, quæ Alexandrum elegit, vim apostolicæ dignitatis reservaverit. Absit enim, ut dicamus, quinque cardinales episcopos, et quindecim, vel eo amplius cardinales presbyteros sive diaconos, a tribus illis exiisse, et non potius illos ab istis : quorum fama celebrior, vita sanctior, sensus profundior, multitudo numerosior, auctoritas sublimior. Cum igitur constet Ecclesiam esse Romanam, quæ Alexandrum elegit, de qua certum est illos exiisse, quicunque postea illis adhæsit, sive ipsissimus Ymarus, sive alius, non ad Christianos, sed ad hæreticos; non ad catholicos, sed ad schismaticos; non ad Ecclesiam, sed ad Synagogam Satanæ, et ipse hæreticus schismaticusque accessit. Dicant inimici quidquid volunt, mentiantur quantum volant, ubi Ecclesia esse Romana oculis cernitur, ratione probatur, confirmatur auctoritate; ibi cor meum, ibi animus meus, ibi affectus meus. Ab ejus fide, quæ, Christo orante, non deficiet; ab ejus unitate, quam schismaticorum pravitas, Christo conservante, non dividet; ab ejus subjectione, cujus mihi princeps cœlum aperiet, me neque mors, neque vita, neque alia creatura, Dei adjuvante gratia, separabit (*Rom.* VIII). Hæc ad cautelam vestram, fratres, propter labia iniqua et linguas dolosas, quibus hæc patria fervet, dixisse sufficiat, ut deinceps, reparatis paululum per silentium viribus, ad delicias verbi Dei redeamus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum, Amen.

A carnaliter genitus est, pater nuncupatur; sicut Abraham pater Isaac, et Isaac pater Jacob, et Jacob pater dicitur duodecim patriarcharum. Vel certe quando unus aliquis omnium, qui de ejus stirpe geniti sunt, pater appellatur. Unde Dominus ad Judæos : *Ne gloriamini quia patrem habetis Abraham.* Secundum creationem, sicut Deus omnis creaturæ suæ Pater pronuntiatur, a quo nimirum omnis paternitas in cœlo, et in terra nominatur. Secundum adoptionem, sicut omnes electi filii Dei vocantur, dicente Apostolo : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater)* (*Rom.* VIII). Omnes enim, qui de hac adoptione gloriantur, constanter clamant ad Deum : *Pater noster, qui es in cælis* (*Matth.* VI). B Secundum imitationem, sicut perfidos Judæos diaboli filios ipse Christus appellat : *Vos*, inquiens, *ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII) : quo pro imitatione dictum sententia illa declarat : ait enim : *Et opera patris vestri vultis facere* (*ibid.*). Hinc etiam imitando fidem Abrahæ, filii dicuntur Abrahæ, quos nimirum de lapidibus Dominus suscitavit, secundum ætatem, sicut Paulus loquitur ad Timotheum : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* (*I Tim.* V). Secundum dignitatem, sicut servi Naaman, cum indignaretur adversus Eliseum, quod non visu, oratione et tactu, sed mandato, lepræ, quam patiebatur, mederi videretur, recedenti tamen cum indignatione dicunt : *Pater, etsi grandem* C *rem tibi dixisset propheta, utique facere debueras quanto magis cum dixit tibi : Lavare, et mundaberis?* (*IV Reg.* V). Itaque Patri omnium qui nos creavit, debemus quod sumus; Patri qui nos adoptavit in filios, debemus quod boni sumus; patri qui nos in carne genuit debetur quod mortales, quod corruptibiles, quod diversis passionibus obnoxii sumus. De patre itaque carnali, id est de natura corruptibili, nobis insunt incentiva libidinum, metus concupiscentiarum, iræ impetus, tristitiæ languor, metus inordinatus, superbiæ tumor. Hæc est gens illi nimirum contraria, quam bonus pater, qui nos adoptavit, non genuit, nobis benignus infundit, quæ est charitas, gaudium, pax, patientia, humilitas, castitas, et cætera. Illa igitur Moab, ista D Israel mystice nuncupatur. Contra hunc Moab initur nobis pugna, qui etiam congrue *aqua paterna* interpretatur, quia hæ corruptiones nobis ex flexu paterni seminis inseruntur. Adsit nobis Dominus Jesus et hujus Moab tale onus importet, ut quamvis ex toto destrui non possit in nobis, sic tamen deprimatur, ut regnare non possit in nobis. Audiamus igitur onus hujus Moab. *Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit. Quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit.* Nox vero, ut scitis, tribulationem significat. Interpretatur autem Ar *adversarius*, et erat civitas Moabitarum. Gens illa naturalium passionum in anima nostra construunt civitatem, quando originalia erumpunt in actualia, dum præbemus membra nostra arma iniquitatis peccato;

SERMO XXV.

De eodem capitulo moraliter exposito.

Sicut meminit charitas vestra, principia oneris Moab secundum prophetiam, sicut potuimus, heri exposuimus; moralem vero expositionem, quam tunc exsequi timor interveniens prohibuit, in diem hodiernum distulimus. Primum igitur secundum leges tropologicas, quis sit iste Moab inquiramus, ut manifestius quomodo vel oneret, vel oneretur, perscrutari valeamus. Interpretatur autem Moab de patre, significans nimirum aliquid, quod de Patre procedit in filium; vel ipsos, qui secundum hoc vivunt, quod ex patre suo naturaliter mutuaverunt. Multis sane modis in sacra Scriptura patrem novimus appellari, videlicet secundum naturam, secundum creationem, secundum adoptionem, secundum imitationem, secundum ætatem, secundum dignitatem. Secundum naturam, quando homo illius hominis, qui ab eo

Digitized by Google

et quæ prius patiebamur ad pœnam peccati, vertimus ad voluntatem usumque peccandi, et quot peccatis manus damus, tot cives pessimos in hac civitate suscipimus. Est autem hæc civitas illi adversa; quæ de virtutibus fundata, huic, quæ de vitiis est, probatur esse contraria. Murus autem Moabiticæ urbis obstinatio est, quæ pœnitentiæ humilitatem excludit, vocem obturat confessionis. Eia, fratres, quando omnia nobis eveniunt prospera, quando læta arrident tempora, quando luxuriam omnium rerum abundantia parit, Moab iste insurgit acrius, afficit vehementius; incendit carnem, mentem dissolvit, noxia quæque ac voluptuosa suggerit, fit quidam in animo clamor vitiorum, clamantium alterius ad alterum, et dicentium: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea* (*Psal.* CXXXVI). Agit proinde benignissimus Salvator, ut optimus medicus, et prius morborum resecat causam, subtractisque paululum lætis, dum dura tristiaque succedunt, etiam voluptuosa evanescunt. Ita homo compulsus redire in se, nihil ibi lucidum, nihil serenum, nihil quod placeat, nihil invenit quod delectet; sed omnia tenebrosa, omnia obscura, omnia plena horroris, noctis et tenebrarum. In hac nocte vastatur Ar, quando et delectationes vilescunt, et pereunt voluptates, non deliciosa convivia, non potationes illicitæ blandiuntur. Vastatur eriam murus, id est mentis obstinatio, et omnia ejus propugnacula, quæ sunt utique excusationes in peccatis, destruuntur. Errant, fratres charissimi, qui in gula et ebrietate, in otio et dissolutione, in mulierum vel parasitorum contuberniis, aut sæpe aut jugiter permanentes, sibi de pudicitia blandiuntur. Experius sum, charissimi, credo quia et vos, quod crebris jejuniis, vigiliis assiduis, laboribus continuis, quasi quibusdam malleis verberatus noster Moab, etiam contritum erigit caput, et post multi temporis silentium redivivis clamoribus urget incautos, premit improvisos. Ideo, fratres, quoties gula ingerit cibi vilioris fastidium, quoties somnolentia vel corporis calor vigiliarum infundit horrorem; cogitentur, quæso, incentiva libidinum, turpitudo immunditiarum; econtra castitatis suavitas, affectionum puritas, membrorum tranquillitas: et mox omnia quæ prius existimabantur gravia, invenientur esse facillima. Felix anima, cui sic siluit Moab, sicut Nabo et Medeba: de quibus subjungit: *Super Nabo et Medeba Moab ululabit.* Nabo interpretatur *sessio*, Medeba *de saltu.* Sessio hæc securitatem significat; quæ mater est negligentiæ et incuriæ generatrix. Quidam enim, quod dolens dico, qui post multa crimina pœnitentialem hanc vitam professi sunt, ita se otio et pigritiæ tradunt; ita necessaria ordinis exercitia contemnunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, et quæ legem Dei sui non dereliquerit. Alii, quos quotidianæ passiones dehonestant, cum hostium tela frequenter excipiant, ita tamen secure sedent et A rident, quasi jam inimicus occubuerit, vel omnis pugna interior quieverit. Hi etiam de saltu, quod est Medeba, esse dicuntur, quia infructuosi, vagi, instabiles; in quibus spirituales illæ bestiæ commorantur, de quibus Propheta: *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi* (*Psal.* LXXIII). His nimirum non conticescit Moab; sed frequenti ululatu vitia suggerit, immundas ingerit affectiones et quæque pessima suadet. Per ululatum vero Moab vehemens tentatio naturalium passionum exprimitur. Et additur:

In cunctis capitibus ejus calvitium: omnis barba radetur. Capita Moab, ut mihi videtur, tres naturales motus qui in homine sunt, non incongrue dicuntur; id est irascibilis, concupiscibilis, ratio- B nabilis. Ex horum, ut æstimo, corruptione, omnium naturalium passionum incentiva procedunt. Capilli capitis sunt ornamentum; barba virilis virtutis est indicium.. Itaque quasi ornatur iræ motus, quando adversus propria vitia homo movetur, secundum illud: *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV). Ornatur etiam, quando in zelum Dei, contra legis contemptores discrete assumitur, secundum illud: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei* (*Psal.* CXVIII). Vere ornatur, quando quidem zelus iste a Domino multifariam sæpius muneratur. Nam Phinees ob meritum hujus, quam dicimus, iræ, qua fornicantes pugione confodit, æternum sacerdotium meruit (*Num.* XXV): et Jehu filius Namsi, ob zelum quo adversus domum Achab C exarsit, regnum Israel usque ad quartam generationem ad posteros, Deo favente, transmisit (*IV Reg.* IX). Sic et motus concupiscibilis turpitudo quodam ornatu celatur, quando eo quis ad liberos tantum procreandos utitur, vel quando ad necessariam tantum corporis sustentationem, in cibi potusve perceptione admittitur. Hinc est, quod quidam sanctus conjugium Abrahæ virginitati beati Joannis non dubitavit æquare, respiciens nimirum ad obedientiam, qua in ipso opere conjugali divinæ paruit voluntati, respiciens et ad honestatem intentionis in liberis procreandis, qua motus ille concupiscibilis, sine quo non redditur debitum conjugale, quasi præclaro quodam velamine tegebatur. Sed et D motus rationalis sic ornatur, si contra rationem non utimur ratione. Nam contra leges rationis furta, latrocinia, adulteria, et cætera vitia perpetrantur; quæ tamen sine opere rationis non exercentur. Nam latro locum aptum insidiis, vel tempus ad id negotii opportunum, sine vivacitate rationis non providet. Sic adulter ex vi rationis astutiam mutuans, nocte cubiculum, mariti quoque absentiam aucupatur. Itaque qui in vitiis ratione abutuntur, ipsum motum rationalem deturpant. At qui eam circa virtutes et scientiam salutarem semper exercet, pulcherrimo eam ornatu decorat. De Moab ergo, in quo corrupta sunt omnia, bene dicitur: *In cunctis capitibus ejus calvitium*; quia motus illi, ex quorum corruptione

Digitized by Google

vitia universa procedunt, quibus bene utitur sapiens, in his quibus naturalia dominantur incentiva, turpes et deformes, et omni virtute nudati et decalvati apparent. Bene etiam subditur : *Omnis barba radetur.* Porro qui ipsis passionibus manus dederit, et se servituti tradiderit vitiorum, omni virtute spoliatus, imberbis, et quasi in feminam resolutus agnoscitur. Videat charitas vestra, fratres. Multo facilius est ante lapsum vitia declinare, quam datam eis semel manum eorum potestati subducere. Quod si vinculo consuetudinis quis fuerit irretitus, in omnibus debilis et inermis, et quasi femineus invenitur. Sequitur :

In triviis ejus accincti sunt sacco; super tecta ejus, et in plateis ejus omnis ululatus descendit in fletum. De Moabitis alii sunt in triviis, alii in plateis, alii super tecta. Qui in trivio est, potest divertere hac atque illac, ne ab omnibus videatur. Platea oculis omnium patet; nec aliquid potest in ea esse celatum. Moris est in terra Jerosolymitana, ubi tecta domorum non in sublime eriguntur, sed sternuntur in latum, ut qui voluerint populo aliquid denuntiare vel prædicare, super tecta conscendant. Itaque in triviis Moab sunt, qui occulte peccant; in plateis, qui se manifeste sceleribus fœdant; super tecta, qui non solum peccant, sed etiam peccata excusant et prædicant. Qui igitur occulte peccat; simplex ei sufficit cordis corporisque contritio, quæ per saccum non inconvenienter accipitur. At qui manifeste flagitia quæque committit, eget ululatu, ut ejus vera non lateat conversio, cujus non latuit scelerum magnitudo. Porro qui peccatum suum sicut Sodoma tumens superbia prædicat, necesse est ut descendat in fletum; ut, sicut peccans in montem conscenderat elationis, ita humiliatus ad vallem descendat plorationis. Præterea, quia trivium dicitur, ubi tres viæ conveniunt, potest per trivium appellari triplex modus peccandi, cogitationis, locutionis, operis. Sed et tripartita vis animæ, per quam fit omne peccatum, memoria scilicet, voluntas et ratio, trivium potest non incongrue dici. Igitur qui triplici concupiscentiæ cedit, qui cogitatione, sermone opereque delinquit : cujus etiam memoriam cogitatio fœdat, voluntatem delectatio maculat, rationem peccati consensus enervat; iste in triviis Moab misera sorte versatur. Saccus luctus indicium est. Iste est luctus, de quo Dominus in Evangelio : *Væ vobis*, inquit, *qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis vos* (*Luc.* VI). Quia itaque in triviis Moab lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II), accingentur sacco, id est luctu miserabili contabescent. Per tecta etiam, si placet, intellige potentiam et excellentiam mundi; in plateis vero, in quibus ludi et spectacula exhibentur, libertatem peccandi. Eis itaque, qui in sæculi hujus sublimitate gloriantur, vel nullo disciplinæ freno cohibiti, præcipites in vitia feruntur, sanctus Isaias descensum, fletumque prophetat, ut scilicet pro potentia, qua se super cæteros, quasi super tecta positi extollunt, et nullo prohibente, quasi in plateis positi peccant; sciant cum ululatu ad inferos se descensuros, projiciendosque in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium (*Matth.* VIII). Quomodo autem ad hanc infelicitatem pervenerint, docet sermo propheticus. *Clamabit*, inquit, *Hesebon et Eleale, usque Iasa audita est vox eorum.* De his quæ præmissa sunt, duplicem posuimus sensum; primum secundum conversorum pœnitentiam, alterum secundum impiorum perpetuam pœnam. Hunc ordinem et in hoc sensu servemus. Hesebon interpretatur *cogitationes*, Eleale *ascensio*. Si igitur quæras quomodo de triviis ad vitæ simplicitatem, de tectis superbiæ ad humilitatem, de plateis propriæ voluntatis ad angustias pervenerint sanctæ necessitatis, induti sacco pœnitentiæ et doloris, emittentes ululatum confessionis, et descendentes ad lacrymas contritionis; si, inquam, quæras qua via huc usque processerint, dicit tibi sermo divinus : *Clamavit Hesebon et Eleale.* Non cessant perversæ cogitationes miseram animam diversis tentationibus fatigare, donec voluntas illiciatur ad actum, quod est usque Iasa vocis suæ perduxisse clamorem. Discernendæ proinde sunt cogitationes nostræ, fratres charissimi, ut si perversa suggesserint, statim obturata aure transeamus; si utilia vel honesta, usque ad actum ea quæ suggesserint prosequamur. Utrobique autem onus animadvertatur; quia sive voluntarie puniendo quæ commisimus, vel perversis resistendo, vel optimis quibusque consentiendo, sine onere vel premente, vel opprimente non evademus. Sed quia nos nec mala cavere, nec bona exercere nostris viribus possumus, rogemus Deum, ut ipse nobis et virtutem resistendi et facultatem tribuat operandi, per dilectum Filium suum Dominum nostrum, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVI.

De eo quod scriptum est : « Super hoc expediti Moab (Isa. XV), » etc.

Adhuc, fratres, onus Moab in manibus vertitur, in quo mystica quædam in urbium, vel locorum nominibus exprimuntur. Diximus autem per Moab sapientiam sæcularem, vel ipsos certe mundi hujus sapientes, qui evangelicæ doctrinæ resistunt, prophetice figuratos. De quibus dicitur : *Clamabit Hesebon, et Eleale; usque Iasa audita est vox eorum,* Sequitur : *Super hoc expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit sibi.* Erat in cogitationibus sapientium clamor magnus, cum hinc arguerentur a manifesta per Evangelium veritate; hinc superbia tumidi adversarentur divinæ sapientiæ. Ex tunc hujus certaminis fuit finis, quando alii volentes placere hominibus, *confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* (*Psal.* LII); alii humiliantes se sub potenti manu Dei (*I Petr.* V), quanto fuerant ad credendum tardiores, et ad inquirendum sub-

Digitized by Google

tiliores, tanto facti sunt in ipsa fide et doctrina expeditiores. Isti sunt expediti Moab, vel quia se a retibus fallacis sapientiæ explicuerunt, vel quia expedite per viam evangelicam incesserunt. Isti super hoc quod prius egerant ululaverunt : non solum vocis strepitu, sed etiam intimo cordis affectu. Per hoc quod dicit : *Super hoc expediti Moab ululabunt*, exterior confessio; per hoc vero quod sequitur : *Anima ejus ululabit sibi*, interior contritio exprimitur. Contigit autem ut qui Moabiticæ sapientiæ renuntiantes crucis sunt secuti stultitiam, tanto fierent divinæ scientiæ capaciores, quanto fuerant in humana perspicaciores. Unde ex persona Domini propheta subjungit : *Cor meum ad Moab clamabit.* Cor Dei sacræ Scripturæ secretus dicitur intellectus; quia in ipso voluntas ejus, consiliorumque arcana mysteria revelantur. Cor ergo Dei clamat ad Moab, quando mens illius, qui de philosophia mundi transit ad Deum, spiritualis scientiæ lumine copiosius illustratur : *Vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem.* Vectes Moab dialectica argumenta intellige : quæ in conversis sapientibus, Ecclesiæ, cui obfuerant, cœperunt prodesse. Usque Segor enim vectes Moab pervenerunt, quando philosophorum subtilia argumenta Ecclesiæ profuerunt. Ecclesia enim in eo statu, quo tunc fuerat, jure dicitur Segor, id est parva, de qua dicitur in Canticis : *Soror nostra parva, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ : quia parva est?* (*Cant.* VIII.) Parvula plane erat, quando nec fines Judæorum excessit; et in ipsis parva, et contemptibilis latuit. Parva, inquam, erat; non merito, sed numero. Unde sterili Annæ fecunda Phenenna (*I Reg.* I), id est Ecclesiæ insultat Synagoga, *donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est* (*I Reg.* II). Pulchre autem Segor, id est Ecclesia, vitula dicitur conternans, id est tertium agens annum, ut primus annus sit ante legem, secundus sub lege, tertius sub gratia. Vel primus annus intelligatur sub patriarchis, secundus sub prophetis, tertius sub apostolis. Sane genus hoc animalis abundans est lactis, et maximæ circa fetum affectionis. Nisi enim arte fallatur, nec ad ubera alienum fetum admittit; nec lac emittere, nisi proprio præsente consuevit. Hæc matri Ecclesiæ convenienter aptantur : quæ lacte charitatis et doctrinæ suavioris exuberans, quos ipsa per lavacrum aquæ suavioris non regenerat, quasi alienos sacrosanctis mysteriis indignos existimat. Quæ et idcirco potest dici conternans; quia fide, spe et charitate robusta, proficit in ætatem perfectam, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Cum igitur vectes Moab ad Segor usque pervenerint, id est cum sapientes hujus sæculi omnia sapientiæ suæ firmamenta et argumenta ad Ecclesiam contulerint : tunc fit, quod mox propheta subjungit : *Per ascensum enim Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt.* Luith interpretatur genæ. In genis vero interioris hominis qualitas plerumque deprehenditur. Has quippe timor pallore, pudor rubore, dolor horrore, gaudium hilaritate, amor suavitate perfundit. Sunt autem duo quædam, secundum quæ de humanæ mentis statu judicamus, opus scilicet et sermo. Nam *ex abundantia cordis os loquitur* (*Matth.* XII); et secundum quod quisque diligit operatur. Ascendit igitur flens Moab per ascensum Luith, quando sapiens quilibet Ecclesiam intrans, compunctus pro peccatis præteritis, verbo simul et opere ad virtutum alta ascendit. *Et in via*, inquit, *Oronaim clamorem contritionis levabit.* Hæc est arcta illa via, quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII); foramen videlicet illud acus, per quod camelus animal gibbosum transire non potest (*Matth.* XIX). Quod bene foramen mœroris dicitur, quia quicunque angusto huic foramini sese contulerit, nihil dulcius quam mœrere æstimabit. Mœret enim pro his quæ commisit illicitis; mœret pro his quæ in præsenti sentit adversis; mœret pro his quæ timet imposterum malis, mœret pro his quæ in futurum desiderat bonis. In hac proinde via Oronaim positi mundi sapientes clamorem levant contritionis, scientes quod sacrificium Deo cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L).

Aquæ enim Nemrim desertæ erunt. Interpretatur enim Nemrim *pardus*, sive *prævaricatores.* In pardis varietas, in varietate intelligitur impietas. Aquas igitur Nemrim philosophiam accipe sæcularem, in qua est tanta sectarum sententiarumque varietas; ut quod una astruit, altera destruat; et quod ista probat, improbet illa; et quod altera optimum, altera pessimum arbitretur. In omnibus autem una regnat impietas, commutantibus veritatem Dei in mendacium, et servientibus creaturæ potius quam Creatori. Sed in his qui conversi sunt ad Dominum, desertæ sunt aquæ Nemrim; quia doctrina evangelica imbutis, quæ prius fuerunt lucra, videntur propter Christum detrimenta, *Quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Herba grex irrationabilis pascitur; quam, si forte aruerit, nec ipse tangere curat. Herbæ igitur nomine illa philosophorum scientia exprimitur, qua imperitum vulgus alloqui et docere consueverant. Sed aruit fenum, et cecidit flos (*I Petr.* I); quia Dominus sufflavit in eum. Flante enim ubique Dei Spiritu, et mortalium cordibus cœlestem inspirante doctrinam, adeo tota illa scientia aruit, ut nec rusticanam simplicitatem delectet. Arescente herba, viror omnis deperiit; quia viror gloriæ, quam ex opinione vulgi habebant, statim emarcuit. Sequitur :

Secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum. Visitatio et secundum pœnam, et secundum profectum dici potest. *Visitabo super eos*, inquit, *mala; et sagittas meas complebo in eis* (*Ose.* IV). Et alias : *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ* (*ibid.*). Sed visitavit nos in salutari suo Deus; visitansque nos Oriens ex alto, illuminavit eos, qui in tenebris sederunt et umbra mortis (*Luc.* I). Hic quod magis delectat, intellige,

Digitized by Google

Si pœnam, secundum magnitudinem operis iniqui, sic visitatos intellige, ut peccatorum suorum receperint, aut interiori contritione, aut exteriori afflictione, dignam retributionem. Si vero profectum, quantum sibi videbantur magni in oculis suis et sublimes, tantum eos spiritu visitante humiles factos adverte. Vel certe ita visitati sunt, ut secundum mensuram qua mensi sunt, mundiali gloriæ abrenuntiando pro nomine Christi, metiretur eis abundantia gratiæ Christi. Sic ergo visitati, *ducentur ad torrentem salicum*. Hoc genus arboris talis fertur esse naturæ, ut semen ejus potatum virtutem auferat generandi. Unde non incongrue virtutem significat castitatis; vel illos, quos ob pudicitiæ suavitatem, spreta liberorum propagine, in torrentibus spiritualibus habitare delectat. Igitur Moab, id est sapiens quisque, conversus ad Dominum, ambulat de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII), de sui cognitione ad pœnitentiam, de pœnitentia ad humilitatem, de humilitate ad castitatem. Possunt etiam per salices homines steriles et infructuosi accipi, qui in voluptatibus hujus sæculi, quasi in torrentibus habitantes, ab omni fructu spirituali redduntur immunes. Ad quos, post conversionem suam, oratores et philosophi regendos et erudiendos, vel a magistris Ecclesiæ quibus adhæserant, vel a Spiritu sancto ducti sunt, ut fidem docerent quam impugnaverant, doctrinamque astruerent quam ante fuerant detestati. Possunt etiam per torrentes salicum tribulationes et passiones intelligi, quas cum perditis hominibus ipsi etiam sustinuerunt, imitantes eum, qui de torrente in via bibit, et propterea exaltavit caput (*Psal.* CXIX). Ostendens deinde propheta, quomodo ista omnia evenerint, *Quoniam*, inquit, *circuivit clamor terminum Moab*. Iste est clamor apostolicæ prædicationis : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV), qui nullum sapientium hujus sæculi latere poterat, quando *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Subjungitur : *Usque ad Gallim ululatus ejus, et usque ad Putcum Elim clamor ejus* Gallim interpretatur *arenarum tumuli*. Ululatus itaque Moab in his qui pœnitentes et conversos ab errore suo stulta pietate luxerunt, pervenit usque ad tumulos arenarum, in quibus nihil firmum, nihil stabile, utpote quæ omni vento facile dissipantur. Et clamor ejus in ipsis conversis pervenit usque ad puteum Elim, quod interpretatur *arietes*; quia et illorum obduratio dissipationem, et istorum pœnitentia ex puteo arietum, id est doctrina apostolorum meruit consolationem. Ait ergo : *Usque ad Gallim ululatus ejus, et usque ad puteum Elim clamor ejus*, ut idem hominum genus in aliis sterili ululatu, in aliis salubri clamore doceat esse compunctos. Habet enim hunc morem sacra Scriptura, ut de eadem gente loquens, nunc de eadem optima, nunc pessima quæque pronuntiet, sicut Apostolus de Judæis scribens ad Romanos, ait : *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem charissimi propter patres* (*Rom.* XI). Ipsos dixit inimicos et charissimos, quia in ipsa gente alii inimici inventi sunt, Christum persequentes; alii charissimi, Christo fideliter adhærentes. Hanc loquendi regulam sæpius invenies in Isaia, quam nisi diligenter advertas, omnia tibi videbuntur confusa et dissidentia. Sic ergo cum uno nomine, vel una gente Moab, mundi hujus sapientes intelligat figuratos; quorum alii reprobi, alii electi inventi sunt; ita subtiliter tractat de singulis, ut nomine non mutato, de singulis quasi de uno contrarias sententias videatur proferre. Quia igitur Moab in reprobis nihil profecit, ululans et clamans adversus sanam doctrinam, sed sicut arenarum tumuli, vento vanitatis vel uniti sunt, vel dispersi, convenienter dicitur de Moab : *Usque ad Gallim ululatus ejus. Et usque ad puteum Elim clamor ejus*. Sequitur :

Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine. Dibon interpretatur *fluens*, illos significans, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt et in vana quæque, et turpia defluxerunt. Quorum aquæ, id est doctrina repleta est sanguine, illo nimirum de quo Propheta se postulat liberari, dicens : *Libera me de sanguinibus Deus* (*Psal.* L); et de quo iste ipse Isaias. *Manus*, inquit, *eorum sanguine plenæ sunt* (*Isa.* I). Eia, fratres, quotquot philosophi suæ sectæ associaverunt, tot impietatis gladio perculerunt : *Veloces* enim *pedes eorum ad effundendum sanguinem, quoniam linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum* (*Psal.* XIII). Sic igitur lætandum est. Nemo miretur quod plurimi philosophorum puteum Elim, arenarum tumulis prætulerunt, doctrinam scilicet apostolicam sapientiæ sæculari, quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine. Perversa enim doctrina, non eorum, quos decipit, animas vivificat, sed mortificat; nec eas a sordibus mundat, sed peccati sanguine fœdat. Et addidit propheta : *Ponam enim super Dibon additamenta; his qui fugerint de Moab leonem, et reliquiis terræ*. Jam manifeste separat pretiosum a vili. *His*, inquit, *qui fugerint de Moab leonem*, id est ad eorum utilitatem, ad eorum profectum, ponam super Dibon additamenta. Addam enim plagas plagis eorum, dolores doloribus eorum, anxietatibus anxietates, timoribus timores; quoniam et hic in fluxu suo, quod interpretatur Dibon, computrescent, et ad extremum pœnis perpetuis cruciandi ad inferna descendent. Et hoc proderit his qui fugerint de Moab, et fugiendo leonem evaserint, qui circuit quærens quem devoret (*I Petr.* V). Nec solum illis, qui fugerint de Moab leonem, sed etiam reliquiis terræ, qui scilicet leonem fugerint, id est diabolum, terrena quæque vitia deserentes, et virtutibus studentes, eorum proderit pœna, qui inter perditos Moabitas perseverantes, pro fluxu rerum temporalium accipient additamenta pœnarum. Potest legi et sic : *Ponam super Dibon additamenta*. Et quasi quæreres quam diceret Dibon, exponens subjungit : *His*

Digitized by Google

qui fugerint de Moab. Quoniam enim et Dibon *sufficiens mœror* interpretatur, illos significat, qui eo modo, quo superius diximus, flentes et mœrentes fugerunt de Moab, infidelium societatem deserentes, et Christiano populo adhærentes. Super quorum augustiam, quam habuerunt in pœnitentia, posuit Dominus persecutionum additamenta; quia illis datum est, non solum ut crederent in Christum, sed etiam ut paterentur pro Christo (*Philip.* I). Exponens quippe, quæ additamenta fuerat positurus : *Leonem*, inquit, persecutionem exprimens, quam eo ille rugiens fidelibus suscitavit, non solum de sapientia sæculari conversis, sed, sicut superius diximus, reliquiis terræ. Quod si reliquiis terræ legendum est, sicut in Moab gentes, ita et in reliquiis terræ, Judæos intellige, de quibus Apostolus : *Reliquiæ*, inquit, *secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* II). Tam enim gentes quam Judæos, qui fidem Christi susceperunt, hæc leonis persecutio fatigavit. Eia, fratres, obscurissimum prophetæ locum, propter propriorum nominum copiam, ideirco breviter et continuatim, sicut potuimus, enodavimus, ut et facilius intelligeretur, et a memoria difficilius laberetur, et moralis expositio, quæ sequi debet, gratius audiretur : quam volo vos in crastinum differre, ne vel satiatos cibo, vel fatigatos labore videat onerare. Vestris autem orationibus munitus, quidquid ille Spiritus, qui revelat mysteria, suggesserit, ad vestram ædificationem cras in medium proferemus, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et eodem Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVII.

De eodem capitulo moraliter exposito.

Adestote nunc, fratres charissimi, et ut intente audiatis, et ut mente oretis, quatenus ea quæ hesterno die secundum propheticam explanationem percurrimus, tropologice ad morum ædificationem exponere valeamus. Profunda quippe sunt nimis, et propriorum nominum obtecta velamine, et ideirco uterque, tam auditor quam expositor, non parva egent intentione. Satis meminit charitas vestra, per quod Moab, qui interpretatur *de patre*, secundum legem moralem dixerimus figurari ea vitia, quæ ex carnali generatione de patre procedunt in filium, sicut sunt incentiva libidinum, et iræ stimuli, et cætera hujusmodi. Sed et eos qui ipsa vitia deserentes adversus ea spiritualem iniere conflictum; quandiu hujusmodi tentationibus fatigantur, secundum aliquid, Moab possumus appellare. Quorum alii, qui minus expediti sunt, superantur : in quibus impletur quod ait : *Clamabit Hesebon, et Eleale*, et cætera; alii, quia expediti concertant, clamant ad Dominum cum tribulantur (*Psal.* CXIX), et de necessitatibus eorum eripit eos (*Psal.* CVI); de quibus subjungit : *Super hoc expediti Moab ululabunt; anima ejus ululabit sibi.* Dicendum primo videtur, qui sint expediti Moab. Occurrit hic patriarchæ nostri Abrahæ opus memorabile, quo numeratis trecentis decem et octo vernaculis expeditis, hostem invasit, fugavit, prostravit; omnem insuper, quam de Sodomis tulerant, prædam potenter eripuit (*Gen.* XIV). In quo fere numero scitis quia Gedeon Madianitarum fudit exercitum, lumine lampadarum, et tubarum sono perterritum (*Judic.* VII). Quos ego similiter dixerim expeditos; omnibus nimirum, quos aliquod impedimentum inhabiles bello reddiderat, non minus prudenter quam audacter exclusis. Nam [quos] timor pavidos, et amor fecerat dissolutos : quos cupiditas enervaverat, vel absorbuerat voluptas, divino edoctus oraculo, dux sagacissimus jusserat a bello discedere. Mox quidam prostrati toto ore aquas hauriunt; quidam paululum inclinati necessitati consulunt, supersedent superfluitati. Videtis igitur quod non solum vitia, sed et superflua quæque impedimento sunt proficientibus, pugnantibus oneri. Multi igitur, qui naturalibus incentivis illecti in turpia quæque prolapsi sunt, in ipsis in quibus peccaverunt divitiis et deliciis, mundi quoque occupationibus, et pœnitere pro præteritis, et continere a futuris proponunt, et quamdam morum conversionem arripiunt; sed ad hoc ne modico quidem tempore sufficiunt. Non enim sunt expediti Moab. Tandiu enim in illis clamat Hesebon, id est iniqua cogitatio, et Eleale, id est mentis elatio, donec usque ad Jasa vox eorum audiatur, et cogitationem pessimam opus pessimum consequatur. Volens proinde dux noster ad bellum hoc spirituale suos milites reddere expeditos : *Qui non*, inquit, *renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus* (*Luc.* XIV). Et iterum : *Qui non odit patrem, aut matrem, et uxorem, et filios, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*ibid.*). Itaque expediti Moab illi dicuntur, qui ut vitiis Moabiticis, in quibus deciderant, securius possint resistere, ab omnibus mundi hujus negotiis et divitiis, ab omnibus affectibus, et propriis suis voluntatibus sese expediunt, et nudum Christum nudi sequuntur. Hi cum se senserint aut naturalibus incentivis, aut dæmonum suggestionibus, aut certe propriis cogitationibus infestari, vehementem cordis ululatum, et miserabilem vocis ejulatum cum lacrymis, et suspiriis emittunt ad Dominum, dicentes cum Propheta : *Afflictus sum et humiliatus sum nimis; rugiebam a gemitu cordis mei* (*Psal.* XXXVII). Hoc ipsum est, quod Isaias : *Super hoc expediti Moab ululabunt.* Quod vero sequitur : *Anima ejus ululabit sibi*, occultam cordis exprimit contritionem, quæ oculos hominum respuit, divinum aspectum requirit. Sequitur :

Cor meum ad Moab ululabit. Gratias tibi, Jesu bone; vere miserationes tuæ super omnia opera tua. Si ibi intus, ubi Deus videt, ad Deum cor hominis convertitur et conteritur; mox cor Dei ad ipsum convertitur. Per cor Dei affectus pietatis et compassionis ejus exprimitur. *Cor meum ad Moab clamabit.* Moab ululat in pœnitentia; Christus cla-

Digitized by Google

mat in misericordia. Moab ululat timendo; Christus clamat miserando. Moab ululat confitendo; Christus clamat remittendo. Moab, videns ventum validum venientem, timet, et ululat; Christus, manum porrigens et clamans, titubantem et trepidantem increpat: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* (*Matth.* XIV.) Respondet itaque clamor ululatui, affectus affectui; respondet misericordia misero, medicus ægroto, laboranti et dolenti compassio. Vere, Domine, *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XXIII). Clamas, Domine, clamas ibi intro in anima mea, quando desperatum in spem erigis; quando timenti et trementi, mira pietate et suavitate, blandiris; quando animo jam se corporeis caloribus inclinanti rorem refrigerii salutis infundis; quando mentem adversus iram, odia, et cætera hujusmodi laborantem interiori quadam tranquillitate componis. Sic quoties in his et pro his anima mea ululat sibi; toties cor Dei mei clamat, compatiendo mihi. Sic, mi Jesu, Lazarum suscitaturus, voce magna clamasti (*Joan.* XI); magno clamore magnum tuæ pietatis exprimens affectum. O Domine, quandiu adversum me istarum passionum et tentationum molestia desæviet? Quandiu Moab, quem in ipso conversionis initio me evasisse putaveram, rediviva contra me bella restaurabit? Audi quod sequitur: *Vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem.* Segor interpretatur *parvus*; humilitatem utique significans, quæ de divite pauperem, de magno parvum, de superbo facit humilem. Quæ congrue vitula dicitur, quod genus animalis lactis abundat; quia *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV). Dicitur autem vitula conternans, id est tertium agens annum: quæ ætas in bobus et apta jugo, et ad fetum habilis invenitur. Possunt etiam per vitulam conternantem tres gradus, quibus humilitas profecta cognoscitur, exprimi, quæ in triplici contemptu consistit.

Primum igitur est ut homo seipsum contemnat, subdens se majori secundum Deum. Deinde addat nullum contemnere, nullum se inferiorem æstimare; et ita subditus sit omni creaturæ propter Deum. Postea ab omnibus se contemni, vel libenter, vel certe patienter sustineat, et solum suspiret ad Deum. In his tribus consistit humilitas: ad quam quicunque Dei miseratione fuerit provectus, ita omnia ei tranquilla erunt atque pacata, ut non sit in carne quod repugnet spiritui, nec in spiritu quod Dei obviet voluntati. Certi proinde estote, fratres charissimi, quia, quoties non concupiscentia carnis urget ad vitia, aut superbia occulta arguitur, aut manifesta confundlitur; aut, ne pro virtutis cujuslibet conscientia nefandum erigat caput, præcedentis titillatione vitii deprimitur. Quocirca quicunque a carnalium passionum dominatu cupiunt liberari, circa humilitatis acquisitionem, vel conservationem, summum studium et laborem impendant; in cujus perfectione, et castitatis, et tranquillitatis perfectio tota consistit. Vectes quippe Moab, id est robur carnalium passionum, usque ad Segor vitulam conternantem perveniunt; quia ubi humilitas perfecta fuerit, tota illius vis fervorque tepescit. Ut sciamus autem quia ad hanc valeamus conscendere perfectionem, audiamus quid propheta subjungat: *Per ascensum enim Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt.* Luith interpretatur *genæ*, Oronaim *foramen mœroris. Nonne lacrymæ viduæ*, ait Scriptura, *ad maxillam descendunt; et Dominus Deus non delectabitur in illis?* (*Eccli.* XXXV.) Per genas quippe lacrymæ descendunt; sed ipsarum vis, et causa, pro qua funduntur, secreta, ad cœlum conscendunt. Recogitans igitur homo pristinos annos suos in amaritudine animæ suæ, in lacrymas sæpe resolvitur, lavansque per singulas noctes lectum suum, et stratum lacrymis rigans, dicit cum Propheta: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam* (*Psal.* CXVIII). Ita per Luith, id est genarum lacrymas flens ascendit, donec ad foramen mœroris, id est Oronaim perveniens, clamorem lenit contritionis. Eia, fratres, non perfunctorie transeundum est, quod ait, *in via Oronaim.* Est via quippe, quæ ducit ad Oronaim, id est foramen mœroris. Quale hoc foramen? quis vidit? Quis cognovit? Quis expertus est? Habet mœror salutaris ostium suum, habet fenestram, habet et foramen. Per ostium frequens est in quamlibet domum ingressus; per fenestram patens est aspectus, foramen nihil corpulentum admittit, luci soli, et aeri pervium; præbens oculo explorandi libertatem, sed perscrutandi adimens facultatem. Per ostium igitur fidem, spem per fenestram, per foramen intelligo speciem. Per fidem secreta Dei rimamur; per spem odoramur; per speciem tangimus. Fides docet omnia; spes promittit futura; species exhibet promissa. Est enim triplex mœror: primus timoris, secundus consolationis, tertius desiderii et delectationis. Cum enim fides sine operibus mortua, fides non sit; tunc iterato homo transit ad fidem, quando salubri mœrore compunctus, de pessima vita ad morum transit emendationem. Primum mœret homo, ut remissionem peccatorum consequi mereatur; deinde mœret, ut in spe divinæ promissionis consoletur, et sic in hac via vocem tenet contritionis, ut mœrenti foramen ei, per quod quasi per speculum apparcat ipsa species, aperiatur. O mœror dulcis et desiderabilis! per quem mortuus suscitatur, infirmus sanatur, illuminatur cœcus, cœli janua aperitur. Non sic hypocritarum mœror, de quo propheta: *Aquæ enim Nemrim desertæ erunt.* Nemrim *pardus* interpretatur. Est autem pardus animal maculosum et varium: quod vitæ et moribus congruit hypocritarum, qui foris candidi, intus sunt obscuri; in quibus lucet pudicitia, fetet luxuria, qui foris gloriantur in humilitate, intus pascuntur vanitate; in quorum mente cupiditas, in quorum veste vilitas; in

Digitized by Google

quorum verbis veritas, in quorum vita impuritas. Exitus aquarum deducunt oculi eorum; sed aquæ istæ desertæ erunt, quando veniens ille, *qui illuminabit tenebrarum abscondita, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV), lacrymas steriles et infructuosas, ob hominum oculos tantum extortas, omni gratia et remuneratione ostendet esse privatas. *Quia aruit herba, defecit germen, omnis viror interiit.* Quasi herba initium bonæ conversationis, quasi germen fructus boni operis, quasi viror puritas bonæ intentionis. Sed in hypocritis aruit herba, quando bonæ conversationis principium vanitate corrumpitur; deficit germen, quando in laudabili opere non perseveratur; omnis viror interiit, quando intentionis puritas, arridente cupiditate, deseritur. Sequitur :

Secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum. Visitatio hæc in bono accipienda est; quia scilicet corda sanctorum præsentia sua sancta lætificans, unicuique copiam sui, sicut quisque meretur, justa æquitate largitur. Ideo secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum. *Ad torrentem salicum deducet eos :* Moabitas scilicet, qui de vitiis ad virtutes transeunt, et locum, ut virtutes ipsas exerceant, avidissime quærunt. Ili ergo ad torrentes salicum ducentur. Torrentes salicum diversi ordines sunt sæculo abrenuntiantium : qui torrentes dicuntur, vel propter lacrymarum inundationem, vel propter tentationum violentiam. Talis erat torrens, de quo bibit Elias; quando deferebant ei corvi panem et carnes mane, et panem et carnes vespere (*III Reg.* XVII). Dicitur autem torrens Carith, quod interpretatur *calvus*. Quoniam capilli corpori superfluunt, calvi sunt qui superfluis renuntiant, necessariorum usu contenti. Isti sunt expediti Moab, quorum unus fuit Eliseus, cui pueri insultantes : *Ascende*, inquiunt, *calve; ascende, calve* (*IV Reg.* II). Isti in via bibunt de torrente, donec fluminis impetus lætificet civitatem Dei (*Psal.* XLV), et dedicet domum suam Altissimus. Non enim continue fluit torrens; sed tunc cum forte austro flante glacies solvitur, aut pluvia ubertim descendente aquis valles implentur. Talis est in præsenti hæc visitatio, qua nos Deus aqua sapientiæ salutari perfundit, nunc flante Spiritu solvens nostram suavi compunctione duritiam; nunc humiles quosque scientia spirituali quasi aquis cœlestibus rigans. In hujusmodi torrentibus salices crescunt; hi videlicet qui, spreta carnalium propagine liberorum, absciderunt se propter regnum cœlorum, habentes in domo Dei nomen melius a filiis et filiabus. Hæc est castitas et munditiæ virtus gratissima, ad quam post molestias corporis, post innumeras tentationes libidinis, post crebra incendia carnis, post periculosas suggestiones immundissimi dæmonis, per ascensum Luith, et viam Oronaim, anima sancta, Spiritu sancto docente et comitantibus angelis, pervenire meretur. *Quoniam circuivit clamor terminum Moab.* Ilic est clamor, de quo superius ait : *Cor meum ad Moab clamabit.* Clamor iste circuit terminum Moab; quia vox Dei loquentis in nobis fines vitiorum discutit, et ipsorum nobis horrorem infundit. Quam sæpe, fratres, hunc ejus clamorem aure cordis audivi, cum, circumstrepente undique tumultu vitiorum, ipse singulis obviaret, et illis narrantibus delectationes, eorum clamorem suo clamore compesceret; terminum, id est finem hujusmodi delectationis objiciens, et turpitudinem pandens, et spiritualium delectationum dulcedinem menti captivæ proponens! Sed jam quis utriusque clamoris finis audiamus. *Usque ad Gallim ululatus ejus; et usque ad puteum Elim clamor ejus.* Si placet, reddantur singula singulis, ut intelligatur ululatus Moab, hoc est vitiorum, de quo superius dixerat : *Super Nabo, et super Medeba Moab ululabit;* clamor autem ille, de quo præmiserat : *Cor meum ad Moab clamabit.* Sed ululatus ille ad tumulos pervenit arenarum, quod interpretatur Gallim; et clamor iste ad Elim, quod interpretatur *puteus arietum.* Quasi arenæ cogitationes vagæ sunt et instabiles, quæ in unum, hoc ululatu quasi flante vento coactæ, vitiorum tumulos faciunt. Porro arietum puteus profunditas est Scripturarum, quæ per arietes, prophetas scilicet et apostolos, ministratæ sunt; quarum, Domino nobis in cordibus nostris clamante, secreta reserantur. Itaque, fratres, quantum nos aut exterior persecutio, aut interior perturbatio contristat, tantum nos ex sacris litteris consolatio divina lætificat. *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* XV). Dico vobis, fratres, nihil potest adversi contingere; nihil tam triste, vel amarum emergere, quod non mox ut nos pagina sacra excepit, aut evanescat citius, aut facilius toleretur. Ilic est ager, in quem S. Isaac, inclinata jam die, pergit ad meditandum, ubi occurrens ei Rebecca, illum qui acciderat, sua lenit suavitate dolorem (*Gen.* XXIV). Quoties, mi Jesu bone, dies vergit in vesperam; quoties parvæ alicui consolationi, quasi diurnæ luci, intolerabilis dolor velut nocturna caligo succedit; vertuntur in fastidium omnia; oneri sunt cuncta quæ video. Si quis loquitur, vix audio; si quis pulsat, vix sentio; in modum silicis cor obduratur, hæret lingua, oculorum vena siccatur. Quid tunc? Exeo certe ad meditandum in agro; sacrum revolvo codicem, meditationes meas ceris imprimo; cum mihi subito occurrens Rebecca, tua scilicet gratia, Jesu bone, sua luce tenebras discutit, pellit fastidium, duritiam frangit. Mox suspiriis succedunt lacrymæ, lacrymas cœleste gaudium comitatur. Infelices, quos cum tristia quæque perturbant, non hunc agrum ingrediuntur, ut gaudeant. Scitis, fratres, cum triste aliquid acciderit mundi amatoribus, aut in vanis, aut in noxiis, consolationes requirunt, ut merito de talibus propheta subjungat : *Quoniam aquæ Dibon repletæ sunt sanguine.* Aquæ Dibon, quæ interpretatur *fluxus eorum*, lacrymas significant illorum

Digitized by Google

qui pro fluxu temporalium aut rident, si habeantur; aut plorant, si amittantur. Ideoque aquæ Dibon repletæ sunt sanguine. Quia, sicut hi, qui pro temporalibus rident, malo suo rident; ita et qui pro temporalibus plorant, malo suo plorant. Nihil enim purgationis afferunt hujusmodi lacrymæ; sed insuper eos peccati fœdant sanguine. Ideo sequitur : *Ponam super Dibon additamenta.* Addit quippe Dominus dolores doloribus eorum, ut de lacrymis ad lacrymas transeant, ingredianturque terram tribus viis, et duplici contritione conterantur. Quoniam misera sors eorum, qui nati de muliere brevi vivunt tempore; et hic replentur multis miseriis, et post hanc vitam pœnis tradentur perpetuis (*Job* XIV). Felices econtra, qui in hujus mundi laboribus in verbi Dei visitatione et lumine consolantur, et transeuntes e mundo æternis gaudiis perfruuntur. Quocirca et his quoque ponet additamenta, qui fugerint de Moab leonem; qui, fugientes vitia, ipsum incentorem vitiorum pariter evaserunt. Sed et reliquiis terræ ponet additamenta.

Notantur hic tria hominum genera; unum eorum qui se totos vitiis et sæculo dederunt; alterum eorum qui sæculo abrenuntiantes, Christi jugum suscipiunt; tertium eorum qui in sæculo criminibus abstinent, operibus tamen terrenis incumbunt. Primum per Dibon, secundum per eos qui fugerunt de Moab, tertium per reliquos terræ, vel reliquias, figurantur. Quibus omnibus ponet Dominus additamenta. Nam reprobis pro peccatis temporales in hac vita dolores, et post hanc vitam æternos animæ et corporis retribuet cruciatus. Abrenuntiantibus vero huic mundo, quæ additamenta congeminet, evangelica probat historia, dicente Domino : *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem,* et cætera, *propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX). Porro hi qui plumbum, ferrum, stannumque vitantes, ædificant super fidei catholicæ fundamentum lignum, fenum, stipulam, suscipient de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Nam hi, qui multis incommoditatibus conteruntur, et ad ultimum excepti ignibus detrimentum patientur; ipsi autem salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Quibus omnibus congruit nomen Moab, quia primi Moabiticis vitiis absorbentur; in aliis vitia Moabitica aut penitus destruuntur, aut magnifice comprimuntur : reliqui enim nunquam ipsis vitiis fœdantur, semper autem fatigantur. Ubique animadvertitur onus Moab : qui in aliis premitur, in aliis premit, in aliis opprimit. Sed jam huic sermoni terminum demus, obsecrantes misericordiam Dei nostri, ut Moabiticis expiatos, suæ voluntati nos reddat acceptos. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

SERMO XXVIII.

De eo quod ait : « *Emitte Agnum, Domine* (*Isa.* XVI), » etc.

Deus ab austro veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso (*Habac.* III). Ecce, fratres charissimi, Dominus noster Jesus ex condensissima allegoricorum verborum silva, in cujus opaca densitate hactenus latuit, subito manifestus erumpit, dicente propheta : *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Vere dilectus meus stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Quis nesciat Dominum Jesum in Scripturis esse quærendum, qui ipsum dicentem audit in Evangelio : *Scrutamini Scripturas* (*Joan.* V), et cætera? Sed inter nos et ipsum, quasi quidam paries est ipsius Scripturæ obscuritas, verborum ænigmata, et figuræ historiarum. Verum spirituales illi artifices, qui hunc nobis parietem condiderunt, fenestris illum ac cancellis variarunt, per quos plerumque dilectus ille suis se præbet amatoribus induendum, ut nemo ambigat ipsum esse ubique in his, quæ latent, quem sic manifeste exhibent ea, quæ patent. Ait ergo : *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.* Diximus in exordio, aliquando narrando, aliquando jubendo, aliquando etiam orando, prophetas locutos fuisse. Cernens ergo propheta in spiritu, etiam mundi sapientes crucis esse virtuti subdendos, per stultitiam quoque prædicationis credentes esse salvandos, perdendam nihilominus sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobandam (*I Cor.* I), et cætera, quæ in hoc onere præmissa sunt; æstuat desiderio, causatur moram, jamjamque Christum optat adesse, implere promissa, exhibere prænuntiata; conversusque ad Patrem, Filii sui adventum ardenti exigit affectu, *Emitte,* inquiens, *Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Iste est Agnus, qui per Jeremiam loquitur dicens : *Et ego tanquam agnus innocens, qui portatur ad victimam* (*Jer.* XI). De quo et iste idem Isaias : *Tanquam ovis ad occisionem ducetur, et tanquam agnus coram tondente se obmutescet* (*Isa.* LIII). Quem, Spiritu sancto revelante, sanctus Baptista cognoscens : *Ecce,* inquit, *Agnus Dei* (*Joan.* I). De quo et David cecinit, dicens : *Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. De petra deserti ad montem filiæ Sion* (*Psal.* LXXI). Petram deserti, ut æstimo, speluncam illam appellat, quæ in locis desertis natura, vel arte excisa in petra, Loth excepit de Sodomis fugientem (*Gen.* XIX). De hac petra deserti, cum magna admiratione Agnum dicit processurum, quia in ea generatus est Moab, de cujus genere natus est Christus. Emittitur autem de petra deserti ad montem filiæ Sion, quia natus de Virgine in Bethlehem, Jerusalem (in qua est mons Sion ad litteram, vel mons, id est excellentia, et gloria filiæ Sion, id est Synagogæ, quæ in templi nobilitate intelligenda sunt) sua præsentia visitavit. Allegorice petra deserti dicitur Synagoga, quæ educta de Ægypto, et quadraginta annis eremi habitatrix effecta, bibebat de spirituali consequente eos petra :

Digitized by Google

quæ idcireo petra deserti dicitur, quia tanti temporis exsilio multis in infidelitate pereuntibus, in perfectioribus fidei firmitatem servavit. Ex hac fuere apostoli, qui Agnum illum, qui abstulit peccata mundi, ut dominaretur universo mundo, prædicatione sua ad gentium populos transtulerunt, ut de Synagoga nasceretur Ecclesia, quasi filia Sion, cujus mos est altitudo fidei, sublimitas spei, via superexcellentior charitatis. Unde Dominus in Evangelio : *Oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis die tertia, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymis* (*Luc.* XXIV). Vel certe tunc emissus est Agnus, dominator terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion, quando Christus ab umbra legis, ad veritatem transivit Evangelii; quando, de petra deserti, de qua bibebant filii Israel sacramentum nostræ redemptionis, ad veritatem sui sacrosancti corporis et sanguinis transtulit; quando amoto velamine litteræ, spiritualis intelligentiæ, Novi Testamenti præconibus, reseravit arcanum. *Et erit*, Quid? Cum emissus fuerit Agnus dominator terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. *Sicut avis fugiens, et pulli de nido volantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.* Filias Moab carnales et infirmas intellige animas, Moabiticis erroribus deceptas. Arnon interpretatur *illuminatio eorum. Habitabunt apud te profugi mei Moab.* Hoc in loco per Moab sapientes intellige, quos superius diximus tanto in divinis fuisse prudentiores, quanto in sapientia illa mundiali fuerant perspicaciores. Iste est Moab, cujus vectes pervenerunt usque ad Segor vitulam conternantem.

Talis fuit beatissimus martyr Cyprianus, talis Ambrosius, talis Augustinus, atque Hieronymus qui totum, quod de scientia hauserant sæculari, ad firmamentum profectumque Ecclesiæ transtulerunt. Tales nimirum efficacius hæreticos debellabant, tales infirmos quoslibet ab infestatione pseudoapostolorum sua doctrina protegebant, sub quorum cura, quasi sub maternis alis, ne a dæmonibus seducerentur et raperentur, securius latitabant. Hunc Moab, id est tales mundi hujus sapientes, Christus alloquitur : *Habitabunt*, inquiens, *apud te profugi mei Moab; esto latibulum eorum a facie vastatorum.* Profugos suos illos appellat, quos a zabulo quondam seductos et abductos, devicto hoste, victoris iterum jure receperat; quos nimirum zabulus ipse sibi dolens ereptos, suscitavit hæreticos, commovit philosophos, falsa dogmata sevit, ut sic simplices quosque decipiens, eorum perditione, illati dispendii solaretur injuriam. Sed donec transiret iniquitas, et manifestaretur veritas, in fide perfectorum imperfecti pendebant, et a facie talium vastatorum sapienter simplicibus doctrinæ et providentiæ latibulum salutare præstabant. Ait ergo : *Habitabunt apud te profugi mei Moab, esto latibulum eorum a facie vastatorum.* Quod ne zabuli potentiam et astutiam consideranti videretur difficile, protinus subjungit : *Finitus est enim pulvis, consummatus est miser.* Doctrina diaboli pulveri comparatur, quæ tunc quodammodo finem accipit, quando, coruscante Evangelio, salutarem doctrinam mundus suscepit. Eleganter propheta diabolum miserum vocat, cui in futurum præparata est in æterno igne damnatio, cujus iniquum pectus cassa nunc urget sollicitudo, qui semper laborans et nihil proficiens, qui electorum animas semper sitiens, et nullum eorum perpetuo sibi subdere valens, tanto miserior ab omnibus judicatur, quanto a terrenis et mortalibus, spiritus cœlestis et immortalis superatur. Vere miser, qui ab angelis premitur, cui ab omnibus illuditur, quique a perfectis contemnitur, vincitur ab infirmis. Ait ergo : *Finitus est pulvis, consumptus est miser.* Unde et subditur : *Defecit, qui conculcabat terram.* Agamus gratias, fratres charissimi, Agno illi, qui, emissus de petra deserti ad montem filiæ Sion, terram, ab initio, scilicet a zabulo, conculcatam, tyrannidi ejus eripuit, imo ipsum qui conculcaverat, ejus quem conculcaverat pedibus prostravit, dans ei virtutem calcandi super serpentes et scorpiones, et omnem potestatem inimici (*Luc.* X). Unde ad credentes loquitur Apostolus : *Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter* (*Rom.* XVI). Terra quippe dicitur omnium sanctorum sancta societas; terra profecto fertilis et fecunda, afferens fructum aliquando tricesimum, aliquando sexagesimum, nonnunquam et centesimum (*Matth.* XIII). Hanc nimirum usque ad Salvatoris adventum antiquus hostis malitiæ suæ pedibus conculcabat, ob primæ prævaricationis reatum, etiam in electos jus iniquæ damnationis exercens, donec chirographum cui innitebatur excedens, illum, qui nulla ei cautione peccati tenebatur, impias manus injiceret, addicens eum morti, in quo nulla causa mortis poterat inveniri Unde non immerito chirographi pactique transgressor, quia usurpavit indebitum, et debitum pariter, dictante justitia, sententiam, avarus nimis et injustus exactor, amisit. Idcirco defecit, qui conculcabat terram. Deus quippe delens chirographum, quod erat contrarium nobis, affigensque illud cruci suæ, traduxit principatus et potestates, palam triumphans eos in semetipso (*Colos.* II). Sic hoste devicto captivam duxit captivitatem, accipiens dona in hominibus (*Ephes.* IV). *Propter quod exaltavit illum Deus; et dedit illi nomen, quod est super omne nomen* (*Philipp.* II), etc. Exinde jam cœpit impleri quod propheta subjungit : *Et præparabitur in misericordiæ solium : et sedebit super illud in veritate, in tabernaculo David, judicans et quærens judicium; et velociter reddens quod justum est. — Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C). Accedamus, fratres, cum fiducia ad solium misericordiæ, quod interius præparavit in tabernaculo David, id est in Ecclesia; quia, nunc tempus miserendi, quod profecto sequetur tempus judicandi. Sed quia hæc latius tractanda sunt, cum hæc ipsa, quæ ho-

Digitized by Google

die dicta sunt, moraliter cœperint pro modulo nostro latius explicari, demus jam et huic sermoni terminum; et die crastina, si Deus voluerit, hoc ipso capitulo repetito, quod ipse suggesserit proferemus in medium, ad laudem et præconium Domini nostri Jesu Christi cui honor et imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIX.

De eodem capitulo moraliter exposito.

Manifesta de Domino prophetia nec allegoricis involucris obvolvenda, nec tropologicis est extenuanda figuris: cum nihil magis fidem nutriat, vel mores ædificet, quam ut ea, quæ cernimus evidenter impleta, a sanctis prophetis legamus tanto ante prædicta. Quid enim manifestius, quam Agnum, quem a propheta legimus esse venturum, in Evangelio audiamus a beato Baptista monstratum, illo dicente: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ* (*Isa.* XVI); et isto clamante: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi!* (*Joan.* I.) De quo alias idem Baptista: *Qui habet*, inquit, *sponsam Sponsus est* (*Joan.* III). Quæ sponsa hæc? Illa nimirum, quam pater in psalmo alloquitur, dicens: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui* (*Psal.* XLIV). Illa itaque est, quæ nunc habens patrem Deum, primo habuit patrem diabolum, quæ dicebat lapidi: *Pater meus es tu*, et ligno: *Tu me genuisti* (*Jer.* II). Ecclesia est hæc de gentibus congregata, quæ primo Moab, id est de patre diabolo genita, transivit in adoptionem filiorum Dei. Cujus filiæ Sion, omnes animæ Christianæ, et ipsæ secundum naturam filiæ Moab, ex gratia filiæ Dei. Verum quia moraliter per Moab naturalem, quam ex patre contrahimus, corruptionem diximus figurari; congrue illas animas filias esse dicimus Moab, quæ vel carnalibus vitiis implicantur, vel eorum suggestionibus desideriisque fatigantur. De his ergo dicitur: *Sicut avis fugiens, et pulli de nido volantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.* Arnon interpretatur *illuminatio eorum.* Ut igitur filiæ Moab Agno illi, qui emissus est de petra deserti, et peccata abstulit mundi, salutaribus nuptiis copulentur, necesse est de inferioribus ad superiora conscendant, et, relictis erroribus et ignorantiæ tenebris, salutari lumine perfundantur, dicantque cum Propheta: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV). Sic autem ascendentes avi fugienti, pullisque de nido volantibus comparantur: quia frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Hæc est fuga, quam nobis Jeremias propheta suadet: *Fugite*, inquiens, *de medio Babylonis* (*Jer.* LI). Sed sunt diversa genera avium, quarum sicut natura diversa est, ita earum multitudinem, secundum diversam morum vel naturæ qualitatem, animæ sortiuntur. Unde sancta quædam anima, tenebrarum quas patiebatur impatiens, cum præmisisset. *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ* (*Psal.* LIV); fugam meditata, *Quis*, inquit, *dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* (*ibid.*) Ipse idem nunc pellicano, nunc nycticoraci, nunc passeri, nunc aquilæ comparatur. Animadvertat charitas vestra. Evenit plerumque ut in multitudine constitutus, vitiis peccatorum undique circumseptus, virtutum concipiat affectum, et desideret effectum. Conatur ascendere, sed premitur consuetudine; erigitur spiritus novitate, sed trahitur peccati vicinitate; in virtutum serenitate delectatur, sed exemplo malorum illectus, quasi invitus cogitur repetere quod detestatur. Hinc dolor si cediderit, timor si restiterit, tremor ne in his pereat, desiderium ut fugiat. Versantur tenebræ in conscientia, in corde tristitia, angustia in cogitatione. Ita loquens in amaritudine animæ suæ. *Quis*, inquit, *dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Et subjungit, dicens: *Ecce elongavi fugiens* (*ibid.*). Acceperat quod perierat ista quondam filia Moab, et instar avis volans, et publicam fugiens, materiasque peccatorum declinans, solitudinis secreta deligit, in qua mortificans membra sua, quæ sunt super terram, similis fit pellicano solitudinis. Pellicanus pallidi fertur esse coloris; qui pullos, mox ut excluserit, rostro occidit, rursumque gemitu miserabili, et sanguinis sui effusione resuscitat. Felix anima, quæ mutuans sibi alas columbæ, ad solitudinis secreta volavit: in qua mortificans membra sua, quæ sunt super terram, opera sua priora, quasi proprios pullos interficit; deinde in novam vitam dolore ac sudore, quasi sanguinis effusione, gemitibusque inenarrabilibus, ac salutari compunctione vivificat. Deinde cibos sibi cœlestes mutuans Scripturarum, nycticorax efficitur spiritualis: in nocte æque et in die, in adversis scilicet et in prosperis, in lætis et in tristibus, in tentationibus et consolationibus exsultans et volans, et de virtute in virtutem proficiens, donec mysticus passer effectus, et a tenebris hujus infelicitatis in illam inaccessibilem lucem evigilans, transeat *in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis* (*Psal.* XLI). Igitur anima Moabiticis vitiis implicata, de tenebris in lucem, quasi in transeensum Arnon, progrediens, avi comparatur fugienti, pullisque de nido volantibus, ut ea hic intelligatur fuga, quæ ad abrenuntiantium spectat conversionem; et volatus, qui ad perfectorum pertinet contemplationem. In nido quippe plumescunt pulli avium residentes; a matre simul et patre pascuntur. Quibus cum plumæ succreverint, et alis pennæ firmius inhæserint, liberas auras nido præferunt, et propria sibi industria victualia quæritantes, nunc sublimia cœli volatu petunt; nunc pennis demissis se in inferiora deponunt. Est autem nidus concupiscentiæ; nidus etiam disciplinæ. Sunt vero volucres, quæ volare conantur, nec valent; et dum pennis videntur velle adniti, mox carnis pondere pressæ ad infima delabuntur. Tales fuere coturnices, quæ uno tantum cubito a terra suspensæ, sed mox

Digitized by Google

instar lapidis in terram dejectæ, Israelitarum gulæ desiderata satietate satisfecerunt (*Num.* xi). Hæc sunt vitia carnis, voluptatisque corporeæ, quæ in vanam quamdam lætitiam extollunt animam; sed expleta libidine, conscientiam in ima detrudunt. Hæc in nido concupiscentiæ nutriuntur; sed volatum cœlestem nullo modo sortiuntur. Sunt et aliæ aves, quas nidi suavitas in tantum delectat, ut vix etiam parentum morsibus appellantur. Tales sunt animæ pigræ et inertes, quæ infelici quadam quiete adeo dissolvuntur, ut ad nulla virtutum opera vel correptæ quidem accingantur. Non sic columba, non sic pellicanus, non sic nycticorax, non sic passer. Non sic anima quæ se ad nidum contulit disciplinæ, ut in eo sub patre spirituali a matre gratia cibis salutaribus pasta plumesceret, et sic alis innocentiæ et simplicitatis elata, de tenebris vitiorum ad splendorem conscenderet virtutum, de publico ad solitudinem, per solitudinem ad scientiam, per scientiam ad sapientiam.

Præterea cogitationes nostræ avibus comparantur, quæ huc atque illuc atque mira celeritate feruntur et volitant, nunc sublimia, nunc humilia, nunc munda, nunc sordida quæque petentes. Nam sunt aves, quæ circa cadavera et carnes putrescentes occupatæ cœnum cœlo præferunt. Tales sunt cogitationes sordium sectatrices, amatrices libidinum, fetentis carnis voluptates delectationibus animæ præferentes. Hæ tota die in immunditia versantes, de turpibus ad turpia volitant, et per diversas libidinum et flagitiorum imagines discurrentes, perniciosissimis et contaminatissimis vitiorum epulis se reficiunt. Hæ in nido concupiscentiæ miserabiliter enutritæ, pennas non quibus ad alta vehantur, sed quibus deprimantur ad ima, infelici auspicio sortiuntur. Sunt et aliæ aves, quæ ita vagæ sunt et instabiles, ut fere semper in motu sint, per ventosa hujus aeris volitantes, nunc pendentes, non aliunde quam ex ipso inani viventes. Comparantur his volucribus cogitationes vana quæque somniantes, ad honores et mundi hujus gloriam aspirantes, et se hujusmodi imaginatione et elatione quasi vento pascentes. Infelix, qui his avibus nidum in suo pectore parat, ut Christi vestigiis, etiamsi velle videatur, adhærere non possit, reprobante eum Domino ac dicente: ***Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*** (*Matth.* viii). Beatus præ his omnibus ille, qui in nido sapientiæ suas cogitationes enutrit, ut, instar aquilæ volantis, in ipsum cœlum empyreum pennis contemplationis subvectus, ad ipsius solis splendorem cominus intuendum irreverberatos aperiat oculos. Itaque filiæ Moab, id est cordis cogitationes, quæ naturali illa corruptione ad vitia illectæ mœchatæ fuerant cum amatoribus multis, cum de carnali amore ad spiritualem, quasi de tenebris ad lucem, transcendere nituntur, avi fugienti, et pullis de nido volantibus comparantur; quia primum necesse est ut et vitia, et ipsas materias vitiorum fugiant: et sic in nido disciplinæ, et postmodum sapientiæ plumescentes, de inferioribus ad altiora, de humanis ad divina, de terrenis ad cœlestia transcendant. Jam vero quia multos de Moabitica vanitate et voluptate conversos non solum regulari disciplina, sed etiam in contemplatione divina perfectos, multorum vidit saluti profecturos, ipsos alloquitur sermo divinus: *Ini consilium; coge consilium; pone sicut noctem umbram tuam in meridiem.* Ac si diceret: O Moab jam conversus in Israel, qui hactenus in nido disciplinæ pristina vitia et errores deposuisti, et in nido sapientiæ inter virtutes ac Scripturarum delicias quasi in abscondito vultus mei latuisti, surge, egredere, discurre ut qui hactenus audisti, deinceps dicas: Veni. Sed quia adhuc in his exterioribus minus es exercitatus, ini consilium, id est discretionis disce virtutem, et sic coge consilium, multos videlicet colligens ad salutem, ad multorum profectum: qui cum Elia, sub umbra juniperi, angelico delectaris colloquio (*III Reg.* xix), ubi omnia opera tua quasi in nocte celebrantur. Educ quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem (*Psal.* xxxvi), ut luceat lux tua coram hominibus: et videant opera tua bona, et glorificent Patrem tuum, qui in cœlis est (*Matth.* v). Ea, fratres mei, diligenter attendite, quibus gradibus ad curam ascendendum est pastoralem, ut facilius humani generis pestem, dominandi scilicet libidinem cavea tis, magisque tuti velitis, ut dicitur, consistere in imo, quam periclitari in summo. Ac primum nolite æmulari in malignantibus, qui, cum sint fornicatores, adulteri, molles, masculorum concubitores, impudenter et irreverenter ascendunt cubile patris sui, et maculant stratum ejus, thalamum Christi vertentes in prostibulum, et sanguinem ejus adeo conculcantes, ut pretium ejus non solum in vana et noxia, sed, quod horribile dictu est, etiam in mercedem turpitudinis, deposito pudore, profligent. Nolite æmulari in talibus, licet prosperentur in viis suis, quoniam tanquam fenum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident (*Psal.* xxxvi). Qui enim inutilem servum jubet projici in tenebras exteriores, quid faciet de indigno, de impudenti, de pestilenti, de se in cathedra turpitudinis ingerenti?

Sed his omissis, notate viam, quam nobis sermo propheticus describit. Primum est, ut homo fugiens mundum, et vitia cuncta declinans, a sæculi actibus se faciat alienum. Deinde omni obedientia se subdat majori, et quidquid se meminerit deliquisse, in fame et siti, in vigiliis et laboribus, in paupertate et nuditate, purget et puniat; et sic consuetudini, pessimæ videlicet, optima succedente, in nido disciplinæ virtutum alas obtineat; quia nunquam bene potest præesse, qui prius subesse non didicerit. Sic igitur purgatus a vitiis, ornatusque virtutibus, ad indagationem transeat Scripturarum, ut sicut est informatus ad vitam, ita quoque illuminetur ad scientiam: cumque didicerit in Scripturis omne quod vivit et sapit ad Dei dilectionem referre

Digitized by Google

et proximi, duabus pennis, scientiæ scilicet et charitatis subvectus, ad montem contemplationis conscendens, discat secundum exemplar tabernaculi cœlestis, terreni hujus tabernaculi formare structuram, audiatque cum Moyse : *Vide omnia fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est* (*Exod.* xxv). Est igitur primus gradus conversionis, secundus purgationis, tertius virtutis, quartus scientiæ, quintus contemplationis, sextus charitatis. Hi sunt forte sex illi gradus in throno Salomonis, sicut Salomon loquitur : *Thronum sibi fecit rex Salomon* (*III Reg.* x), et cætera. Et ut sapienti demus occasionem ut sapientior fiat, thronus Salomonis aperte dicitur cathedra sacerdotalis, ad quam si quis sine his gradibus nititur, non tam sessurus quam ruiturus ascendit. Utrum autem duodecim leonculi illius magni leonis de tribu Juda, duodecim filiis de quibus dicit : *Non possunt filii Sponsi jejunare, quandiu cum ipsis est Sponsus* (*Marc.* II); utrum etiam aurum sapientiæ, æternitati rotunditas, fini posteriora, duæ manus duplici charitatis actioni, possint convenientissime coaptari, vestris meditationibus discutiendum relinquo, Sequitur :

Fugientes absconde, et vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei Moab ; esto latibulum eorum a facie vastatoris. Moab sic conversum sic mutatum, sic purgatum a vitiis, sic adornatum virtutibus, sic ad sublime promotum, sermo divinus alloquitur, mandans ei facere quod cum gratia comitante præviderat esse facturum. Sicut enim ipsum fugientem oportuit ab aliis abscondi, ita dignum est ut ipse jam alios fugientes abscondat. Et sicut ipse, cum vagus adhuc esset, ab his a quibus susceptus est, non est proditus ; ita et convenienter imperatur vagos ques ipse susceperit persequentibus non exponere. Fugientes igitur fornicationem, secundum Apostolum (*I Cor.* v), necesse est ut abscondantur, et qui adhuc vagi et instabiles corde sunt, et ad vitia proni, cavendum est ne facile malis doctoribus, vel vitiorum incentoribus prodantur. Eia, fratres mei, venientes noviter de sæculo alii idiotæ sunt et simplices, alii docti et subtiles, alii vitiorum pessima consuetudine obligati, alii talis naturæ, ut vix ad libidinem moveantur; alii tales ut modica occasione tententur; alii naturali conspersione iracundi, alii naturaliter mansueti.

Considerare proinde et diligenter explorare oportet singulorum a sæculo fugientium qualitatem atque naturam, quid magis possit obesse uni, quid alteri, quo insuper spiritu quis tentetur, quo affectu agitetur; sicque providere, ut sive a vitiis sive a dæmonibus, sive a sua ipsius vel natura, vel corruptione, vel affectu, vel consuetudine, sive ab alicujus hominis societate, vel suggestione, vel exemplo impugnetur, congruum singulis præbeatur latibulum. Alii abscondendi sunt ab omni exteriori occupatione, alii a quorumdam familiaritate et cohabitatione. Alii sub umbra silentii ab ira et indignatione utiliter absconduntur, alii sub victus paupertate a naturalibus incentivis salubriter proteguntur, alii sub laborum et vigiliarum umbra a cordis pervagatione et spiritus instabilitate absconduntur; alii psalmis et orationibus, meditatione, et oratione, et lectione a spirituum immundorum insidiis defenduntur. Ait ergo : *Fugientes absconde, et vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei, Moab, esto latibulum eorum a facie vastatorum.* Vastator est spiritus fornicationis; vastator superbiæ dæmon. Fugientibus itaque hujusmodi vastatores Moab salubre præstat latibulum, quando prælatus quisque, quondam Moab, sed postmodum Israel, singula virtutum exercitia vitiis singulis, quibus sibi subditi impugnantur, opponit. Quod autem sequitur, *Finitus est pulvis, consumptus est miser*, etc., sermone, quem ante hunc vobiscum habuimus, super ipso vitiorum principe exposita sunt. In morali autem expositione, nihil aliud dicendum occurrit, nisi forte per pulverem peccata, quæ ex incuria vel cordis pervagatione, vel exteriori occupatione contrahimus, velimus intelligi; per miserum, ea quæ per carnis hujus corruptibilis legem, quæ nos miseros facit, incidimus. Per eum qui conculcat terram, flagitia vel facinora, quæ totum hominem, terram videlicet infructuosam ita conculcant, et omnino conterunt, ut, instar areæ post triturum, ab omni spirituali humore, fruguique suavitate, sterilem eam reddant et vacuam. Cum igitur iste pulvis per humilem conversationem fuerit finitus, et carnis hujus naturalis quidem, sed fere intolerabilis fervor fuerit vigiliis et jejuniis laboribusque consumptus, et digna cordis contritione, et oris confessione et operis satisfactione flagitia vel facinora commissa defecerint, tunc certe, istis taliter fugientibus et latentibus, præparabitur solium Christi in misericordia, in quo sedet in tabernaculo David, id est in Ecclesia, quæ adhuc peregrinatur in terra, in qua misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt. Ibi etiam judicat et quærit judicium, judicans eos qui seipsos non judicant, et quærens de nobis judicium nostrum, ne compellamur sentire suum, quia ipse reddet velociter quod justum est, retribuens unicuique secundum opera sua, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXX.

De eo quod ait : « Audivimus superbiam Moab, » usque : « Vocem cantantium abstuli (*Isa.* xvi). »

Hactenus de his qui Moabiticæ sapientiæ et vanitati renuntiantes, Christi jugum suave et onus leve philosophicæ superbiæ prætulerunt, sanctus Isaias oraculum texuit : nunc contra eos qui propria superbia excæcati in erroris sui tenebris perduraverunt, sententiam dirigit prophetalem. Ait ergo : *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde.* Quid philosophis illis superbius, qui ad ea quæ de Christo divina creduntur, quasi ad cœlum

Digitized by Google

ascendere non valentes, ea vero quæ de humanitate ejus asseruntur, quasi vile aliquid et terrenum dedignantes, in ventoso hoc aere inter cœlum et terram, socii dæmonum, pependerunt? Quid illis superbius, qui dicentes se sapientes esse, veram sapientiam contempserunt, elati, inflati, vultu irreligiosi, cultu superstitiosi? *Superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus plus quam fortitudo ejus.* Tria quædam proposuit, superbiam, arrogantiam, indignationem. Superbia in corde, arrogantia in sermone, indignatio in actu notatur. Superbia arrogantiam parit; arrogantia indignationem. Ex superbia processit contemptus Christi, ex arrogantia blasphemia in Christum, ex indignatione disputatio contra Christum. In his autem nihil proficientibus philosophis, dentibus suis fremebant et tabescebant, et ad invicem dolebant et murmurabant. Et hoc est quod sequitur : *Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit.* De hoc ululatu latius disputavimus, super loco, ubi scriptum est : *Propter hoc expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit sibi.* Universus Moab ululat ad universum, contra bonum pessimus, contra conversum adversus, contra humilem superbus. Potest præterea per hunc ululatum dolor ille significari, quem illos in æternum esse passuros non dubitamus. Unde propheta sanctos prædicatores alloquitur dicens : *His qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas ejus.* O prædicatores mei, loquimini plagas Moab, si forte videant et intelligant, et convertantur, et sanem eos. Loquimini autem his maxime qui lætantur super muros cocti lateris. Filii Adam quondam descendentes ab Oriente in campo Sennaar turrem inchoarunt, cujus altitudo ad cœlum usque pertingeret; diluvii, si forte iterum demersisset, arceret periculum. Habebant autem lateres pro lapidibus, et pro cæmento bitumen (*Gen.* xi). Pharao quoque filios Israel, quos dura servitute premebat, lateritiis muris urbes ædificare coegit (*Exod.* i). At Salomon ex pretiosis lapidibus templum exstruxit, sic quadratis, sic sibi invicem conformatis, ut, cum parietibus insererentur, nec auditus sit in templo aut malleus tundens, aut securis incidens (*III Reg.* vi).

Revocate nunc oculos vestros, charissimi, ad lapides illos vivos, quos cæmentarii Salomonis nostri, scilicet doctores et pastores Ecclesiæ, in hoc atrio illius Jerusalem cœlestis, et correptionibus tundunt, et verberibus incidunt, et doctrina complanant, et moribus sibi ac fide conformant, et virtutibus quadrant, ut, de imis ad superiora translati, illius templi sacris parietibus inserantur, de quo cecinit sanctus David : *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate* (*Psal.* xlvi). Hi structores in eorum, quos cœlo prospiciunt inserendos, plurimum delectantur profectu. Porro eorum magistri [discipuli] a vero recedentes oriente in campo Sennaar (*Gen.* ii), quod interpretatur *fetor eorum*, quasi in lata via, illa quæ ducit ad mortem, in qua luxuria fetent, superbiæ erigunt turrem; lateres quærunt, qui de molli luto compacti in igne durantur, habentes quidem lapidum similitudinem, sed virtutem ignorantes. Talia sunt lutea corda carnalium, quæ peccandi consuetudine et mentis obstinatione durantur, repellentes sagittas acutas, quibus ad debellandas urbes Moabiticas Christi milites armantur. De hujusmodi lateribus Pharao urbes construit et filios Israel, quos in servitutem redegerit, in luto et paleis desudare compellit (*Exod.* iii). De talibus etiam lateribus sapientes hujus sæculi et perversorum dogmatum assertores, contra Christi Ecclesiam murum erexerunt, creantes sibi discipulos, qui et errorem defenderent obstinatius, et ea quæ objicerentur subtilius propulsarent. Super itaque cocti lateris murum lætantur ipsi qui erigunt : quibus optimus est ut sancti prædicatores ipsius muri ruinas plagasque loquantur, ut timore corrigantur, qui securitate nimia periclitabantur. Ait ergo propheta : *His qui lætantur super muros cocti lateris loquimini plagas ejus, quoniam suburbana Hesebon deserta erunt, et vinea Sabama.* Hesebon interpretatur *cogitationes.* Convenienter autem dicitur vinea Sabama, quod interpretatur *attollens altitudinem* : inflabilem illam scientiam exprimens, de qua dicit Apostolus : *Scientia inflat* (*I Cor.* viii). Sequitur : *Erraverunt in deserto.* De flagellis vineæ hoc dictum puto, errorum scilicet discipulis, qui videntes ubique sapientiam deseri sæcularem, per diversas philosophorum sectas cogitatione et animo discurrentes, quasi per devia quæque errantes, quam fugerent, quam tenerent, quam defenderent nesciebant. Sed domini gentium, sicut subsequenter ostenditur, transierunt mare, quia non solum ad mundi hujus sapientes, sed etiam ad omnes gentes, quæ maris nomine figurantur, transeuntes, Christi eas jugo et doctrinæ evangelicæ subdiderunt. Ipsi quippe descenderunt mare in navibus, et facientes operationes in aquis multis (*Psal.* ci), id est miracula in gentium populis, viderunt opera Domini, qualis videlicet in gentium conversione mutatio fuerit dexteræ Excelsi, et mirabilia ejus in profundo, quibus tenebrosis hominum cordibus, ipsis foris plantantibus et rigantibus, interius incrementum præstiterit gratia Christi.

Eia, fratres charissimi, quam multi sanctorum cernentes tantam ingenii subtilitatem, tantam in rebus humanis sensus vivacitatem perditum iri, qua pietate commoti sunt, qua compassione soluti, quot pro eis fuderunt lacrymas misericordia affecti! Verum hanc affectionem operari in eis Spiritum sanctum quis dubitet? Hoc est quod per sanctum Isaiam ipse prosequitur, dicens : *Super hoc plorabo in fletu Jazer vineam Sabama.* —*Quid oremus*, ait Paulus, *sicut oportet, nescimus*; *sed ipse Spiritus pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* viii). Dicitur itaque plorare Spiritus sanctus Jazer, id est vim et fortitudinem

Digitized by Google

scientiæ sæcularis, et vineam Sabama, errantium videlicet multitudinem, quia sanctos ob desiderium salutis eorum, vel ob perditionis illorum dolorem, gementes facit et flentes, quamvis ipse prophetа vel in suam, vel in sanctorum personam hoc dixisse potuerit. Unde sequitur. *Inebriabo te lacryma mea, Hesebon et Eleale.* Lacryma dixit, id est lacrymis, singularem numerum ponens pro plurali, sicut illud est in Psalmo : *Dixit et venit locusta et bruchus* (*Psal.* CIV). Itaque ploratu, fletu lacrymisque sanctorum illi inebriantur, qui luctu precibusque eorum ab errore vitiisque conversi, et salubri quadam mentis alienatione quæ retro sunt obliviscuntur, et se in ea quæ ante sunt extendentes, deficiunt ab eo, quod erant; et incipiunt esse quod non erant. Hæc ebrietas spiritualis in cogitationibus fit, quibus mens de imis ad superiora, ad virtutes de vitiis quodam spiritus fervore conscendit. Hescha quippe *cogitationes*, Eleale vero *ascensio* interpretatur; cogitationibus enim ascendimus et descendimus. Descendimus recordatione in imaginationem, imaginatione in delectationem, delectatione in consensum, consensu in actum. Cui cum se mens vitiosa consuetudine subdiderit, titubat et movetur ut ebrius, et ejus omnis honestas devoratur. Si vero primum cogitationes vestras sanctificaverit Spiritus, et sacra ejus inspiratione, mens quasi ex spiritali quadam seminis infusione, Dei timorem conceperit, inde ascendet ad pietatem, de pietate ad scientiam, de scientia ad fortitudinem, inde ad consilium, et sic ad intellectum, ut tandem ad sapientiam perveniens, inebrietur ab ubertate domus Domini Dei, et torrente voluptatis ejus potetur. Unde ebrietas ista provenerit, manifestat, cum subjungit : *Quoniam super vindemiam tuam, et super messem tuam vox calcantium irruit.* Vindemia et messis idem significant. Habes Dominum in Evangelio ad discipulos suos loquentem : *Messis quidem multa, sed operarii pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios suos in messem suam* (*Luc.* X). Istorum operariorum vox super vindemiam, et super messem Moab irruit, quia apostolica evangelicaque prædicatio multos de sæcularis sapientiæ sectatoribus discipulos collegit. Hi sunt uvæ spirituales, quas torculari passionis promendas, vel fruges quasi in area persecutionis terendas, et a paleis corporum exuendas, de agro vel vinea Domini gentium, sancti videlicet apostoli collegerunt. Qui profecto calcantes dicuntur, ob illam specialem calcandi virtutem, de qua Dominus in Evangelio : *Ecce*, inquit, *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones* (*Luc.* X). Unde et cuilibet sancto dicit Propheta : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (*Psal.* XC). Sequitur :

Et auferetur lætitia et exsultatio de Carmelo. Carmelus mons est, et interpretatur *circumcisio.* Est autem circumcisio carnalis, circumcisio sensualis, circumcisio spiritualis. Circumcisio carnalis Judæorum, sensualis philosophorum, sive hæreticorum, spiritualis Christianorum. Judæis unum membrum purgabatur; philosophus omnium sensuum munditia gloriabatur : Christianus ab omni inquinamento carnis emundatur. Itaque philosophorum circumcisio monti comparatur, propter mentis elationem : quorum mira abstinentia vel spectata continentia mundanæ vanitati militabat. Omnia enim faciebant, ut viderentur ab hominibus. Duplici autem gaudio in illa sua continentia fruebantur, quia et interius sibi placentes, in seipsis non in Domino gloriabantur, et foris laudes hominum aucupantes, in eorum æstimatione delectabantur. Sed prædicantibus Christi discipulis, lætitia et exsultatio ablata est a Carmelo, quia tota illa eorum superstitio cœpit esse contemptui. Unde exterior lætitia non habens cui inniteretur, evanuit, et interior exsultatio desiderato fructu destituta elanguit. *Et in vineis non exsultabit neque jubilabit.* Eadem est repetita sententia, nisi quod expressum est, hanc eorum exsultationem, sive jubilum, in vineis maxime personasse. In multitudine namque discipulorum positi, de contemptu mundi, de voluptatis dedecore, de corporis castigatione, magnifice disputabant, et inter disputandum vanissime tumebant, et mirantibus laudantibusque auditoribus quæ dicebantur, et interiori jubilo et exteriori tympano jucundabantur. Quæ omnia tuba evangelica personante sublata sunt. Ait ergo de Moab : *In vineis non exsultabit, neque jubilabit.* Et addidit : *Et vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueverat.* Illi enim de Moab, qui in sapientiæ suæ torcularibus ad hoc desudabant, ut ab auditoribus eorum exprimeretur vinum perfidiæ, de quo scriptum est : *Fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile* (*Deut.* XXXII), in illa vinea jam non operantur; quam a pessimis ereptam Paterfamilias optimis jam commisit agricolis ut reddant ei fructum temporibus suis. *Vocem calcantium abstulit.* Metaphoram prosequitur. Vindemiantes sive calcantes, sive etiam metentes, cum frugum, sive uvarum arriserit copia, solent cum magna alacritate gestire, atque cantare, et interiorem lætitiam voce, plausu, saltu etiam, et diversa membrorum sinuatione exprimere. At ubi succisa vel direpta ab hostibus, vel grandinata, vel incensa fulminibus fuerit vinea, aut ager depopulatus, rarus messor, vel vindemiator apparet, et vix inveniens quod colligat, demisso capite, facie squalida mœrens et flens incedit. Ita ergo errorum magistri, qui collectis undique discipulis in eorum multitudine, quasi in vinea sterili gloriabantur, buccis crepantibus et multifaria vanitate garrientibus, ab eis fidem dictorum exigebant, quam, ex uvis præmaturis vinum perfidiæ exprimentes, apostolis vero apostolorumque successoribus Dei Evangelium prædicantibus, cum eis jam vel nullus vel rarus esset auditor, et præ dolore mœrebant et præ pudore tacebant. Gratias agamus, fratres, Domino Deo nostro qui stultam fecit

Digitized by Google

sapientiam hujus mundi, et simplicitate piscatorum, prudentiam et sublimitatem evacuavit philosophorum, ut qui gloriatur in Domino glorietur; cui honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXI.

De eodem capitulo moraliter exposito.

Eia, fratres, de quibus hesterna die allegorice disputavimus, hodie moraliter exponenda repetimus. Dixerat de his qui de vitiis ad Christum conversi, proficiunt in virum perfectum, quantum aliis a simili vanitate conversis solebant præstare solatii : *Habitabunt*, inquiens, *apud te profugi mei, Moab; esto latibulum eorum a facie vastatoris* (*Isa.* XVI). Et ecce plerosque respiciens pro collata sibi gratia superbire, ignorantes Dei justitiam, in se non in Domino gloriari, et suas arroganter jactitare virtutes, præsumptionem illorum satis eleganti exprobratu deridens, *Audivimus*, inquit, *superbiam Moab, superbus est valde.* Utinam, fratres, non inveniamur tales, qui in Eliu verba quotidie prorumpentes, quidquid videntur acquisisse virtutis, jactitando profligunt! Promittunt magna, fortia quæque proponunt, ambulant in magnis et in mirabilibus super se, nihil sibi in operibus grave, nihil in Scripturis obscurum, nihil in actu difficile, ore tumido proloquentes. De quibus propheta subjungit : *Superbia Moab et arrogantia ejus, et indignatio ejus, plusquam fortitudo ejus.* Optime. Non æquat arrogans sermonibus opera, nec præsumptionem spiritus qua tumet interius, nec linguam magniloquam, qua semetipsum laudat exterius, typhum quo cæteris velut inferioribus indignans, se contendit cunctis evolasse superius, aliqua sequitur in sanctis operibus fortitudo. *Idcirco ululabit Moab ad Moab.* Ecce habes Moab et Moab. Moab cui dicitur : *Habitabunt apud te profugi mei;* Moab, de quo dicitur : *Audivimus superbiam Moab.* Primus humilis, alter superbus; primus de se præsumens, alter quidquid est Deo tribuens; primus opera sua vento vanitatis dispergens, secundus omnia bona sua in propriæ conscientiæ thesauro recondens; primus omnia faciens, ut videatur ab hominibus; secundus, ut solius Dei placeat obtutibus. Primus igitur Moab ululat ad secundum, quando per superbiæ vitium in turpia quæque demersus, suum illi cum mœrore confitetur errorem. Ululat secundus ad primum, quando ejus plangens ruinam, suis eum gemitibus, monitisque provocat ad pœnitentiam. Ita universus ululat, bonus et malus, humilis et superbus, conversus et aversus.

Igitur, fratres, non statim ejus laudanda est conversatio, cujus ignoratur intentio, quia *si oculus tuus nequam fuerit, totum* reliquum *corpus tenebrosum erit* (*Matth.* VI). Quocirca propheta sanctus eorum compescit lætitiam, qui parum discrete arrogantes quosque magnificant, omnia quæ de se ipsi jactitant, vera esse credentes : jubens eis qui saniori judicio ista dijudicant, ut eis, quanta mala sint arrogantibus ventura, denuntient. *His*, inquiens, *qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas ejus.* Murum cocti lateris superborum et arrogantium interioris hominis statum appellat : qui non ex quadris lapidibus, id est veris virtutibus compactus, stabile fundamentum sortitur, sed ex luto fetidæ intentionis, falsis simulatisque virtutibus cupiditatis igne duratus, præfert speciem pietatis, sed virtutem ejus ignorat. Lutum est aurum, lutum est argentum, lutum est cujuslibet voluptatis expletio, lutum de homine hominis æstimatio, lutea proinde omnis quæ circa hæc versatur cogitatio : lutea omnis quæ ad hæc tendit intentio. Format tamen de his omnibus arrogans cogitationes in corde; coacervat honorum, voluptatum, divitiarum imagines, quibus cum se voluntas, intentioque tradiderit, omnia opera sua facit, ut videatur ab hominibus; ipsasque virtutum similitudines, in quibus nititur adipisci quod optat, ita desideriorum igne decoquit et obdurat, ut dura simul et aspera, ob pessimi hujus finis considerationem, sibi videantur esse facillima. Fiunt tales ad vigilias cæteris promptiores, ad opera manuum paratiores, vultu cunctis severiores, graviores in verbis, in jejuniis ferventiores. Indignantur infirmis, simplicibus detrahunt, tam magna fortiaque loquuntur, ut his qui minus sunt in his exercitati, omnibus eos æstiment sanctiores. Hi sunt qui lætantur super muros cocti lateris, quibus annuntiandæ sunt plagæ Moab. Sed jam ipsas plagas audiamus. *Quoniam suburbana Hesebon deserta erunt, vinea Sabama.* Hesebon significat *cogitationes*, Sabama *attollens altitudinem.* Hæ sunt cogitationes, de quibus luteus ille murus compingitur, in quo innumerabilium affectionum coacervantur imagines. Est autem quasi urbs, ipsa quæ de his cogitationibus formatur intentio; suburbana ipsa, quæ secundum hanc intentionem fiunt, virtutes et opera. Quæ profecto in superbo quolibet Dei adjutorio præsidioque deserta, etiam speciem boni, qua velata videbantur, amittent. Sæpe enim cum superbus sua spe frustratus, suæ caruit cupiditatis effectu, non se valens ulterius continere, in manifestam prorumpit malitiam : patiturque, quod per alium prophetam tali animæ Dominus comminatur. *Ecce ego nudabo te et apparebit ignominia tua* (*Ezech.* XVI). Deserta igitur erunt suburbana Hesebon, et deserta vinea Sabama. In Scripturis sacris legimus diversa esse genera vini. Est quippe vinum dilectionis, quo sanctus Noe inebriatus in figura Domini salvatoris abscondit fortia, et nudavit infirma : dormiens irridetur, vigilans illatam injuriam ulciscitur. (*Gen.* IX.) Est vinum exsultationis, quo inebriatus est Lot, adeo quod Sodomitana evadens incendia, furtivo maculatur incendio (*Gen.* XIX). Est præterea vinum sapientiæ salutaris, quo fratres Joseph meridie ebriantur, quæ de vinea Scripturarum expressa universam lætificat civitatem Dei. Habes et vinum amaritudinis, de quo Jeremias : *Inebriavit me amaritudine inimicus meus* (*Thren.* III). Porro de vino libidinis Scriptura non tacet, dicente

Digitized by Google

Moyse : *De vinea Sodomorum vinea eorum*, etc. (*Deut.* XXXII). Sed et vinum compunctionis Psalmista commemorat, *Ostendisti*, inquiens, *populo tuo dura; potasti nos vino compunctionis* (*Psal.* LIX). Est postremo vinum doctrinæ evangelicæ et apostolicæ, vinum profecto novum, quod ab apotheca cœlesti in apostolorum corda descendens, per universum orbem germinat virgines, et corda fidelium desiderio perfectionis inebriat.

Itaque superbus quis vel arrogans, ad vineam Scripturarum accedens, et inde diversarum sententiarum transferens plantas, in agro cordis sui collocat; et multis meditationibus colens, vineam sibi creat inflatilis cujusdam scientiæ, ex qua sibi vinum exprimens, quærit cui proferat spiritum suum, et ostendat sapientiam suam. Unde non immerito vinea hæc vinea dicitur Sabama, id est extollens altitudinem. Quidquid enim altum sapit qui ejusmodi est, non quiescit spiritus ejus, donec efferatur in publicum; ita ut modo quodam loquendi, et typho, nutibusque oculorum proclamare videatur. *En venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit* (*Job* XXXII). Sed vinea hæc deseritur, quando superbus fructu, quem de sua sperabat scientia, destitutus, et opera fastidit, et studium negligit : et ita tota ejus scientia marcescit. Sequitur : *Domini gentium exciderunt flagella ejus.* Principes gentium adversarias legimus fortitudines : Unde in Daniele, principem regni Persarum, principem regni Græcorum. Sicut illi igitur spiritus nequam gentibus illis, ob quædam forte vitia, quibus eas suis suggestionibus maculari maxime delectantur, eorum domini et principes esse scribuntur (*Dan.* X), ita forte etiam alii spiritus aliarum gentium, antequam Domini Salvatoris fidem susceperint, verbi gratia Græcorum, Gallorum, Germanorum se dominos ac principes gloriantur. Hujusmodi gentium principes vel domini exciderunt flagella vineæ Sabama, id est ramos, ex quibus botri procedunt, quando nequam spiritus meditationes, quibus ex vinea scientiæ Scripturarum vinum doctrinæ arrogans quilibet exprimere consuevit, falce suggestionum, immundarumque cogitationum, ab animo superbientis excludit. Quia vero bonis affectionibus vel cogitationibus pessimis quibusque succedentibus, aliquando etiam fides turbatur, in quo omnium virtutum fortitudo consistit, recte subjungitur : *Usque ad Jazer pervenerunt.* Jazer enim *fortitudo eorum* interpretatur. Cum enim nequam spiritus animam possederit captivatam, primum omnes virtutes excludit, et sic inserens vitia, etiam ejus fidem labefactare contendit. Sequitur.

Erraverunt in deserto, ubi erat urbs et suburbana, ubi vinea, ubi Jazer, ubi desertum, locus scilicet omni virtute vacuus, omni humore charitatis arefactus. Et sicut transiens per desertum, nec vineis, nec segetibus, nec domibus, nec muris impedientibus, liberis gressibus huc illucque vagatur; ita erronei spiritus animam, in qua fuerit vinea spiritualis excisa, et exclusis virtutibus fides conturbata, quasi desertum locum nullo obsistente securi perambulant, et in quolibet errore ebriam et vagabundam præcipitant. De principibus ergo vel Dominis gentium, qui vineæ flagella succidunt, et usque ad Jazer pervenerunt, recte dicitur : *Erraverunt in deserto.* Et subjungitur : *Propagines ejus relictæ sunt.* Metaphoram vineæ prosequens, non solum eam in solitudinem asserit esse redactam, sed et propagines ejus, quæ alias transferri possent et transplantari, asserit derelictas. *Transierunt mare.* Mare amaritudinem signat pœnitentiæ. Evenit autem ut post speciem sanctitatis, lapsus quis in barathrum turpitudinis primum contristetur, ploret, expavescat, judicet semetipsum, et damnet; erigat se super se, juret et statuat custodire judicia justitiæ Dei, nunquam se repetiturum talia deliberet ac protestetur. Deinde, cum vel illectus concupiscentia, vel prævenius errore, vel vi diabolicæ tentationis oppressus, nequitiam iterans vires dederit voluptati, minuitur affectus boni, materiæque adjectione crescit ignis malitiæ, donec victus consuetudine, desperationis incurrit abyssum; et sic præceps fertur in mortem, ut nec timore compungi, nec pudore confundi, nec aliqua mentis amaritudine a flagitiorum suorum possit turpitudine revocari. De hujusmodi hominis affectibus et cogitationibus recte dicitur : *Transierunt mare.* Et adjecit propheta : *Super hoc plorabo in fletu Jazer, vineam Sabama.* Vox Christi est loquentis in Isaia. Ipse est qui videns civitatem Jerusalem, flevit super eam dicens : *Quia si cognovisses et tu, quia venient dies in te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te*, etc. (*Luc.* XIX.) Convenit evangelistæ propheta. Videt quippe Christus civitatem pollentem honoribus, affluentem divitiis, deliciis luxuriantem extolli superbia, solvi lætitia. Futuram ejus calamitatem prospiciens, plorat ridentem, plangit exsultantem, quæque sibi ventura fuerant nescientem. Videt et propheta animam suis in se virtutibus extollentem, et quanta sit in eis ruina postmodo futura prospiciens, tam in sua quam aliorum sanctorum persona, quibus hæc ipsa sæpe a Dei spiritu revelantur, plorat compatiendo : et cum prius ipsas vitiorum plagas quæ eis fuerant infligendæ, dinumerasset, *Super hoc*, inquit, *plorabo in fletu Jazer vineam Sabama.* Plorat duo propheta; Jazer et vineam Sabama. Plorat Jazer, id est tantam fortitudinem, qua prius mundo, sibi dæmonique resistens anima, hominum judicio cæteris eminentior apparebat, uno superbiæ vitio deperisse. Plorat et vineam Sabama, Sabama, id est doctrinam, quæ multis poterat prodesse, si sub humilitatis umbraculo servaretur, jactantiæ sarculo decisam, et redactam in solitudinem aruisse. Sequitur :

Inebriabo te lacryma mea, inquit, *Hesebon et Eleale.* Dolor vehemens multiplicat lacrymas, nec quidquam plangendum illamentatum reliquit. *In-*

Digitized by Google

ebriabo te, inquit, *lacryma mea, Hesebon et Eleale.* Iste dolens, iste plorans, iste plangens inebriat. Evenit aliquando ut plerique ob elationis morbum in illicita quæque prolapsi, si sanctos quoslibet sua scelera detestantes miseratione commotos perditionem suam pietatis affectu viderint deplorare, ad semetipsos reversi pœniteant de præteritis, et vino compunctionis debriati amaritudinem pro voluptate, laborem pro requie, lacrymas amplectantur pro risu. Sed ille thesaurorum pietatis et misericordiæ, qui Christi latebant in pectore, conscius, de discipulo furem, de Christiano latronem, post Ecclesiæ secreta mysteria perniciosissimum homicidam, inebriatus charitate etiam ad secreta usque solitudinis insectatus, et ipsum inebriatum pœnitentia, membris Christi, a quibus fuerat avulsus, restituit. Alloquitur igitur propheta Hesebon et Eleale, id est perversi cujuslibet cogitationem et elationem, ut sicut ipse inebriatus est charitate propter eorum perditionem, ita ipse inebriatur compunctione. Deinde doloris sui causam prosecutus adjunxit. *Quoniam super vindemiam tuam, vox calcantium irruit.* Tempore messis et vindemiæ annui laboris fructus percipiuntur. Calcantes nequam spiritus dicuntur, qui tempore, quo anima vanitate delusa, quæ omnia facit in superbia et hypocrisi, operum suorum se fructum percipere credit, supervenientes cum clamore irruunt in eam : et vinum quod ob virtutum similitudinem a sanctis angelis regnis cœlestibus putabatur inferendum, ab ea ad suam crudelitatem pascendam extorquent. *Et auferetur*, inquit, *lætitia et exsultatio de Carmelo.* Carmelus circumcisionem significat, circumcisio continentiam. Quicunque autem hominum æstimatione pascuntur, maxime solent et de servata castitate gestire; sed tempore messis et vindemiæ, cum omnia viderint ob intentionis perversitatem merito carere virtutis, dolor et tristitia exsultationi lætitiæque succedunt. Unde sequitur : *Et in vineis non exsultabit, neque jubilabit.* Quis ? Moab nimirum, qui in vineis scientiæ de quibus satis superius egimus, et interius exsultare, et exterius jubilare consueverat. Et adjungit Propheta : *Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueverat, vocem calcantium abstuli.* Hoc in loco calcantes, qui ex uvis vineæ hujus vinum exprimere solebant, eos significat, qui ex scientia arrogantium aliquid sibi consueverant mutuare, qui et cum ipsis doctoribus suis in ea gloriari et quasi celeuma cantare dulce habebant. Itaque talibus magistris pereuntibus, omnia eorum gaudia æterno damnanda silentio propheta minatur. Hæc succincte, fratres, transcurrimus ; ut omnia quæ die hesterna sub allegorica, vel prophetica complanatione uno sermone enucleavimus, uno nihilominus sermone moraliter disserta intelligibiliora redderemus. Reparemus nunc sensum silentio, et modicum id quod de onere Moab restat, inspiciendum die crastina pertractemus, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXII.

De eo quod scriptum est; « Venter meus ad Moab sonabit (Isa. xvi), » usque ad finem oneris Moab.

Processimus, fratres, in onere Moab usque ad citharam, cui ventrem suum sanctus Isaias, vel qui in eo loquitur Christus, credidit comparandum. *Super hoc*, inquit, *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Sermonis hujus principium, cum illius est fine continuandum, quem de futurorum vaticinio nudiustertius vobiscum habuimus ; ubi a mundi sapientibus, qui per Moab prophetice exprimuntur, Christi Evangelio coruscante, ob multorum conversionem, omnem diximus ablatam esse lætitiam. *Et nunc super hoc*, inquit, *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Vox prophetæ est, vel Christi loquentis in propheta. *Super hoc*, inquit, quod dixi de Moab, de conversione ejus, de depressione ejus, vel de damnatione ejus, super hoc, inquit, *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Venter Christi sancta dici potest Ecclesia, in ventre enim viscera continentur. Ibi cor, vitalem motum universo corpori præstans ; ibi hepar, calorem corporis nutriens, et vitalem sanguinem per omnia membra diffundens ; ibi cætera intestina, singula singulis officiis ad nutrimentum corporis deputata. Ita in Ecclesia Dominus ordinavit alios quidem apostolos, alios autem prophetas, quosdam autem pastores et doctores, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (*I Cor.* xii). In cithara quoque cum multæ sint chordæ, et unaquæque proprium habeat sonum, ita tamen omnes certis proportionibus et numerorum rationibus disponuntur, ut in unam concordiam omnes conveniant, et pulcherrimus sonus fiat unus de omnibus. Ita ergo, cum in Ecclesia Christi diversi gradus, et diversi sint ordines, diversa insuper habeant dona virtutum, omnia tamen in una charitate fundantur, per quam unum pulcherrimum sonum de multis virtutibus disputando componunt. Per ventrem etiam Dei, sacra Scriptura potest intelligi, in qua secreta ipsius, quasi in ventre viscera continentur. Ibi diversæ sententiæ, præcepta diversa, in una fidei ratione convenientes, dulcissimam quamdam melodiam ad fidelium corda, simul ac aures emittunt. Dicit ergo : *Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Super his omnibus, quæ dicta sunt contra Moab, id est contra sapientes mundi, sancta Ecclesia pulcherrimum et concordissimum sonum prædicationis emisit, nunc docendo, nunc monendo, nunc increpando, nunc blandiendo, nunc omnia dialecticæ artis argumenta, philosophicæ scilicet sectæ firmamenta, quasi murum cocti lateris validissimis rationibus debellando. Quod enim ait : *Et viscera mea ad murum cocti lateris*, ejusdem sententiæ est repetitio. Quia tamen superius exposuimus, Moab duobus modis dici, secundum quorumdam videlicet conversionem, et secundum quorumdam aversionem,

Digitized by Google

videtur exposuisse de quo Moab locutus sit, illo nimirum, qui instar muri ad vocem prædicatorum obduruit. *Ideo*, inquit, *viscera mea sonabunt ad murum cocti lateris.*

Habet præterea ventrem sanctus quilibet spiritualem ; sicut ait Jeremias : *Ventrem meum, ventrem meum doleo : sensus cordis mei conturbati sunt* (*Jer.* IV). Sicut ea quæ ventris clauduntur ergastulo, ab omnium oculis scientiaque celantur ; sic nemo scit quid agatur in homine, nisi conscientia ipsius hominis, quæ in ipso est. Felix anima, in qua instar chordarum citharæ omnia composita sunt et ordinata ubi virtutes virtutibus conveniunt, et exterioribus interiora respondent. Sunt autem virtutes quasi chordæ spirituales, quæ inter duo ligna, superius scilicet et inferius extensæ, crucis mysterium præfigurant. Prima omnium chorda est temperantia, per quam homo mortificans membra sua quæ sunt super terram, omnia Christo configit. Hæc chorda profundo crucis infixa est, ut inchoans a timore gravem sonum confessionis et compunctionis emittat. Secunda justitia a parte superiori crucem tangit, ut reddens unicuique quod suum est, in acutissimam charitatis vocem erumpat. Et chorda prudentiæ e traverso ligno crucis inter alias duas consistens, unius subtilitatem et alterius gravitatem discretionis suavi sono contemperat. Porro chorda quarta, quæ dicitur fortitudo, longitudinem crucis amplectitur, cæteris subsistendi præstans virtutem, et gratum patientiæ sonum emittens. Verum singulas has plures e latere virtutum chordæ comitantur, et in multarum chordarum diversitatibus, certis spiritualium numerorum rationibus unam harmoniam componunt. Moab igitur, qui interpretatur *de patre*, sicut jam sæpe diximus, naturalem, quæ membris nostris inserta est, secundum leges tropologicas, corruptionem, vel eos qui secundum eam vivunt, significat. Tunc proinde ad Moab venter prophetæ instar citharæ sonat, quando aliquis perfectus lubrico cuilibet virtutum concordiam suadet, et discordiam vitiorum, opponens frugalitatem luxuriæ, patientiam iræ, pudicitiam libidini, charitatem cupidini. Sed et unusquisque nostrum cum in se viderit Moab nefandum extollere caput, et membra omnia naturalis corruptelæ lege concutere, tangat citharam, et stimulos ejus meditatione vel imitatione Domini passionis obtundat, et lateritium murum vitiorum, qui in usum consuetudinis obduruit, crucis virtute prosternat. Huic profecto vox ista convenienter aptatur. *Venter meus ad Moab, quasi cithara sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris.* Hæc est cithara David, cujus sanctissimus sonus fugat dæmones, iram mitigat, extinguit libidinem. Felix, felix, qui omnia interiora sua quasi ventris viscera cruci dedicat, et adversus carnis concupiscentias intonans dicit cum Propheta : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia interiora mea nomen sanctum ejus !* (*Psal.* CII.) Sequitur.

Et erit, cum apparuerit, quod laboravit Moab in excelsis suis. Tunc certe apparuit quam frustra laboravit Moab, quando debellatus a viris ecclesiasticis hujus sæculi sapientibus, aliis conversis, totus inanis et vacuus apparuit, impleto hoc quod scriptum est : *Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne Deus stultam fecit sapientiam hujus mundi?* (*I Cor.* I.) Unde et præmisit : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Et pulchre satis *in excelsis suis*, inquit. Semper enim philosophi se et sublimia loqui et agere perfecta gloriantur. Quæ profecto vanitas non parvum eis laborem indixit, cum contra evangelicam apostolicamque doctrinam totis viribus niterentur. Sed hujus laboris quis finis ? *Et erit*, inquit, *cum apparuerit Moab, quod laboravit in excelsis suis*, id est cum viderent sapientes mundi se frustra adversus Ecclesiam desudasse, et excellentiam dogmatum suorum simplicitate fidei corruisse, ad preces se lacrymasque converterunt, quia dæmonum, quos deos putabant, exspectabant suffragium ; quorum sancta venerabantur. Ait ergo : *Ingredietur ad sancta sua, ut obsecret ; et non valebit.* Deficientibus quippe argumentis, et omni scientia extollente se adversus scientiam Dei, destructa, tentant obsecrationibus et præstigiis, exsecrabilibusque mysteriis dæmoniorum, resistere Spiritui sancto, divinum labefactare propositum. Sed nihil proficit hæc illorum male cauta prudentia, quia jam *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Sed et hi, qui Moabiticæ corruptioni se dederunt, cum explendis voluptatibus multum operæ et multum temporis insumpserint, finis omnium indicat quam frustra, ut inique agerent, laboraverunt. Sed, cum fatuæ virgines, quæ in excelsis suis, superbia scilicet et magnitudine cordis, sine oleo lampades portarent, cum exstinctis omnibus ab olei venditoribus nihil solatii recepissent, quasi revertentes ad sancta, preces porrigunt, dicentes : *Domine, Domine, aperi nobis* (*Matth.* XXV). Sed quam nihil hac obsecratione profecerunt, terribilis illa responsio declarat : *Amen, dico vobis, nescio vos* (*ibid.*). Exhinc propheta oneri finem ponens, *Hoc verbum*, inquit, *quod locutus est Dominus ex tunc ad Moab.* Totum illud quod de Moab, vel ad Moab declaraverat verbum appellat sermo divinus. Respondet autem finis principio ; sic quippe cœpit : *Onus Moab. Ex tunc* ergo, id est a tempore quo cœpit loqui de Moab, omnia hæc locutus est. Ostendit propheta, firmum et verum esse quod dixerat, nec erroneo spiritu sicut Montanus delirat, quid loqueretur ignorasse, sed Dei repletum Spiritu intellecta vaticinasse. Qua sententia non inconvenienter inserta, ea quæ de onere Moab prophetaverat, quibus fuerant complenda temporibus mystico sermone declarat, dicens : *Et nunc locutus est Dominus, dicens : In tribus annis quasi anni mercenarii auferetur gloria Moab super populo multo.*

Tria tempora Ecclesiæ describit sermo prophetі-

Digitized by Google

cus, vocationis, probationis, consolationis. Vocata est apostolorum prædicatione, probata est martyrum persecutione, consolata principum conversione. In his tribus temporibus, quasi in tribus annis, ablata est gloria Moab super omni populo multo. Tempore quippe vocationis gloriosi adhuc philosophi videbantur, quando vix perversissima eorum doctrina a viris catholicis fuerat attentata. At tempore, quo sanctorum patientia multis tentationibus probabatur; tanto videbatur eorum gloria major, quanto fides Christi videbatur expressior. At, ubi reges sæculi, salutari fide suscepta, Ecclesiam Christi altius extulerunt, ablata est gloria eorum desuper omni populo multo, illo scilicet, qui eorum errore fuerat deceptus. Dicuntur autem hi anni mercenarii, quia sicut mercenarius B præstolatur finem anni, ac mercedis desiderio omne tempus longum existimat; ita sapientes hujus mundi his tribus temporibus, quasi tribus annis, de die in diem destructum iri doctrinam catholicam exspectabant. Unde immundorum spirituum oraculis falsi, certum numerum annorum, quem excedere fidem Christi non posse mentiebantur, construere præsumpserunt. Sequitur : *Et relinquetur in eo sicut racemus parvus et modicus, nequaquam multus.* Cum fuerit finita vindemia, sicut rarus in vinea reperitur racemus, ita multis ab illa sapientia sæculari ecclesiastica falce succisis, vix quisquam, qui eam profiteatur, his jam temporibus reperitur.

Sed, ut ad nos, fratres charissimi, redeamus, C consideremus illum qui in nobis insertus est Moab, illam scilicet quam ex patre contraximus corruptionem, ipsiusque auctorem et incentorem diabolum. Est autem in unoquoque cogitationum, affectionum et delectationum populus multus; quibus se Moab dominari, quandiu suggestionibus ejus mens illecta consenserit, gloriatur. Sed in tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab super omni populo multo. Habemus enim quasi tres annos, tres profectuum status, conversionis, purgationis, contemplationis. Primus in dolore, secundus in timore, tertius in dilectione. Initium igitur nostræ conversionis, quasi primi anni exordium est, ut voluntas mutetur; deinde ut consuetudo pessima superetur, et sic quod malum est deseratur, et quod bonum est D appetatur. Et hic annus primus, in quo non parum adhuc Moab gloriatur, cum ejus suggestione plerumque et voluntas tepescat, consuetudo prævaleat, et malum, quod contra propositum ingeritur, obrepat, et bonum, quod appetit mens, perficere non inveniat. Minuitur sane gloria ejus, cum homo perfecte conversus ad Dominum, init cum vitiis singulare certamen, secundum ingrediens annum, satagit quantum potest ut Moabitica corruptio, quasi vetus A inolitum minuatur, et novum insolitum augeatur. Habet et in hoc anno aliquam gloriam Moab, quoniam licet non possit pugnantem expugnare, vulneret tamen aliquando, necesse est, etiam optime repugnantem. In hoc anno mens spiritualibus exercitiis purgata, ad cœlestem contemplationem, et ad Scripturarum transit meditationem. Tunc ei incipit virtus dulcescere vilescere vitium, et ex quadam dilectionis infusione gustat quam dulcis est Dominus. Tunc auferetur gloria Moab super omni populo multo, cum quidquid dilectionis immundæ in affectionibus nostris, cogitationibusque resedit, novæ dulcedinis experientia evacuatur. Relinquitur tamen sicut racemus parvus et modicus, lex scilicet illa in membris nostris, repugnans legi mentis nostræ. Sicut enim vastata vinea, rarus in ea reperitur racemus, ita vitiorum multitudine debilitata, ille necesse est inevitabilis motus resideat, quem plerumque et infantes sustinent, et senes vitare non possunt. Porro necessarii dicuntur hi anni; quia, sicut mercenarius ad mercedem suspirat, sic et quilibet converti desiderans, quandiu impossibilitatem sustinuerit continendi, miro æstuat desiderio, ipsam castitatis possibilitatem, quasi hujus laboris sui fructum, exspectans. Sed et purgationis suæ sollicitus, quandiu vitiis impugnatur, miro modo a tentationibus absolvi gestiens, requiem illa pro mercede copiosissima præstolatur. Postremo, etiam ipsam naturalem corruptionem fastidiens, rore pudicitiæ ex omni parte perfundi, omniumque virtutum suavitate impinguari, æstuanti pectore affectat. Possunt etiam per Moab hypocritæ designari : quos in occultis Moabitica corruptio polluit, in manifesto ficta quædam honestas extollit. Horum anni mercenarii anni sunt, quia omnia faciunt, ut videantur ab hominibus; audituri a Domino : *Quia receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI). Sed, cum tres anni transierint, quorum primus est in hac vita, secundus post mortem, tertius vero post resurrectionem, tunc profecto auferetur omnis gloria eorum : quando deficiente oleo, et a vendentibus non impetrato, audient a sponso : *Amen dico vobis, nescio vos* (*Matth.* XXV). His igitur, fratres, de tribus oneribus Babylonis, Philisthiim, Moab, utcunque digestis, stylum suspendo; volens ea, quæ dicta vel scripta sunt, ad ejus referre examen, quem in verborum meorum judicem correptoremque delegi; sanctum dico G. Lundoniensem episcopum : pro cujus arbitrio vel hæc ipsa delere, vel hic subsistere, vel ultra progredi proposui. Interim aliquid meditabimur, quod utile erit et jucundum, ad vestram ædificationem et aliorum : quod nobis præstare dignetur, qui vivit et gloriatur per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANIMADVERSIO AD PRÆCEDENTES DE ONERIBUS SERMONES.

Adverte, lector, Patrem Gibbonum, qui olim hos sermones De oneribus, *edidit, duo* exemplaria nactum fuisse, quorum unum, quod *erat Ecclesiæ Cameracensis, multis in locis quædam habebat, quæ alteri exem-*

Digitized by Google

plari deerant, quod erat Claromarisci cœnobii ordinis Cisterciensis. Secutus est autem P. Gibbonus in editione sua Cameracense : ego vero in hac malui Claromariscense sequi; quia huic in omnibus conforme est Fusniacense, ex quo ejusdem sermones ante aliquot annos descripsi. Conformitas enim codicum ordinis non obscure indicat, additiones illas ex Cameracensi exemplari sumptas non esse Aelredi, aut certe ex margine, cui ascriptæ fuerant, in textum postea irrepsisse.

BEATI AELREDI

ABBATIS RIEVALLIS

SPECULUM CHARITATIS.

(*Bibl. Patr. Cist.*, V, 293.)

EPISTOLA GERVASII PARCHORENSIS ABBATIS

AD AELREDUM

Sequentium librorum editionem imperantis.

Est quidem sanctorum virtus permaxima humilitas, sed si vera, sed si discreta. Neque enim humilitas in parte est constituenda mendacii, nec inobedientiæ sacrilegio conservanda. Rogavi fraternitatem tuam, imo præcepi, imo sub attestatione divini nominis adjuravi; ut mihi pauca quædam scriberes, inter quæ etiam quorumdam querimoniis, qui de remissioribus ad arctiora nituntur, obviares. Non damno, non reprehendo excusationem, sed prorsus obstinationem accuso. Fuerit humilitatis excusasse; sed nunquid humilitatis est non obedire? nunquid humilitatis est non acquiescere? Imo quasi peccatum ariolandi est repugnare; et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Sed clamas, femineos humeros gravi sarcinæ subducendos, cautiusque opus oblatum non subire, quam sub fasce, cum subieris, ruere. Sit ergo grave, quod jubeo; sit arduum, sit impossibile. Sed nec sic excusationem habes. Persisto in sententia mea : præceptum ingemino. Quid facies? Nonne is, in cujus verba jurasti. « Sciat, inquit, junior, hoc sibi expedire : et confidens de adjutorio Dei obediat? » (S. Bened. *in Regula* c. 68.) Fecisti utique, quantum debuisti, si non plusquam debuisti ; quousque licuit processisti. Causas tuæ impossibilitatis ostendisti, dicens te minus grammaticum, imo pene illitteratum : qui de coquinis, non de scholis ad eremum veneris, ubi inter rupes et montes agrestis et rusticus victitans, pro diurno pane in securi desudes et malleo, ubi magis discitur silere quam loqui ; ubi sub habitu pauperum piscatorum, cothurnus non admittitur oratorum. Accipio gratissime excusationem tuam, qua desiderii mei scintillam augeri potius sentio, quam exstingui ; cum dulcius mihi debeat sapere, si id proferas, quod non in cujuslibet grammatici, sed in schola didiceris Spiritus sancti, cum forte thesaurum ob id habeas in vase fictili, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex te. Id quoque quam jucundum, quod quodam præsagio futurorum de coquina sis translatus ad eremum, cui forte ad horam in regia domo carnalium ciborum fuit credita dispensatio, ut aliquando in domo regis nostri, spiritualibus spiritualia comparares, ac cibo verbi Dei esurientes reficeres. Sed nec ardua montium, nec aspera rupium, nec vallium concava perhorresco, cum in diebus istis montes stillent dulcedinem, et colles fluant lac et mel, in quibus valles abundant frumento; in quibus sugitur mel de petra, oleumque de saxo durissimo, et in rupibus et in montibus sunt pascuæ ovium Christi. Unde arbitror, quod malleo illo tuo aliquid tibi de rupibus illis excuderis, quod sagacitate ingenii, de magistrorum sermiis non tulisses ; et nonnunquam tale aliquid in meridiano fervore, sub umbris arborum senseris, quale nunquam didicisses in scholis. Non tibi ergo, non tibi, sed nomini ejus da gloriam, qui non solum de lacu miseriæ et de luto fæcis, de prostibulo mortis, et cœno turpitudinis eripuit desperatum; sed et memoriam faciens mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus, ad peccatorum spem cumulatius erigendam, illuminavit cæcum, indoctum erudivit, docuit imperitum. Proinde, cum id quod exigeris, tuum non esse noverit omnis, qui te novit, cur erubescis, cur trepidas? cur dissimulas? cur ad ejus vocis imperium qui dedit, renuis erogare, quod dedit? An præsumptionis notam, vel aliquorum formidas invi-

Digitized by Google

diam? Quasi aliquid utile quis unquam sine invidia scripserit; aut præsumptionis possis argui, qui monachus abbati parueris. Præcipio itaque in nomine Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri, quatenus ea quæ tibi diuturna meditatione nota sunt, de excellentia charitatis, de fructu ejus, de ordine ejus, stylo adnotare non differas, ut et quid sit charitas, et quanta in ejus posessione habeatur dulcedo, quanta in cupiditate, quæ ei contraria est, sentiatur oppressio; quam non ipsam dulcedinem charitatis minuat, ut quidam putant, sed potius augeat, hominis exterioris afflictio; postremo qualis in ejus exhibitione sit habenda discretio, in ipso opere tuo, quasi in quodam speculo agnoscamus. Verum, ut pudori tuo parcatur, hæc ipsa epistola in fronte operis præfigatur, ut quidquid in Speculo charitatis (hoc enim libro nomen imponimus), lectori displicuerit, non tibi, qui parueris, sed mihi, qui invitum coegerim, imputetur. Vale in Christo, dilecte frater.

PRÆFATIO BEATI AELREDI.

Vere sanctorum vera, et discreta humilitas virtus est; mea autem, et mei similium defectus virtutis, de qua Propheta : *Vide humilitatem meam, et eripe me* (*Psal.* CXVIII). Neque enim a virtute aliqua se eripi postulabat, aut de humilitate extollebat, sed dejectioni suæ subventionem implorabat. Quam miseram humilitatem meam, et utinam sicut humilitatem veram, sic quoque virtutem discretam, ne aliqua inobedientiæ importunitate velare videar; tantæ dignationis petitioni, jussioni, attestationi, quia dignum est, minus digne licet, quod quidem mea interest, tamen pareo. Suscipio itaque opus impossibile, inexcusabile, dignum accusatione, ex mea pusillanimitate impossibile, ex præceptione vestra inexcusabile, accusationi subjacens ex cujusvis inspectione. Quis enim digne ferat prima fronte, quadam auctoritate apostolica, de excellentiori via charitatis scribere præmittentem, non solum scribendi rudem, aut, sicut vobis placuit, illitteratum sed etiam elinguem, et lactis potum nondum idonee lingentem? Aut qualiter rerum portio una, aut certe nulla, de charitatis eminentia, incompositus, de ejus ordine, sterilis, de fructu diserat; infatuatus et insipidus, ejus dulcedinem eliciat, cupiditate victus, contra eam se erigat? denique, qualiter carnis contritione charitas augeatur, et ejus discretam exhibitionem, quis ego qui explicem? qui secus ac vobis videtur, quod tamen pace vestra dico, de coquinis ad eremum veniens, locum non officium mutavi? Atqui dicetis : Excusare non debes. Scio, domine mi, scio. Sed, quia excusare non licet, libet accusare, ut adveniens lector minus gratus non cogatur ulterius progredi, dum in ipso limine cernit, quo jure possit offendi. Illud tamen ad scribendum quantam fiduciam præstat, quod sanctissimum charitatis affectum, ad suscipiendas molestias, quæ mihi digne irrogari poterunt, incunctanter objecistis? Itaque spem perficiendi vix habens, de charitate quæ jussistis, illo malleo nostro, cui allusistis, ut Speculum perficeretur, ut potui, compegi; in hoc certissimum esse reperiens, quod, cum spes et cætera exciderint, semper maneat charitas. Præstitit autem gratiam, qui artem non tribuit. Et quidem in hoc charitatis speculo, nulli, nisi in dilectione manenti, vultus se charitatis infundet; sicut nec nisi in luce existenti, sua cuique in quovis speculo redditur facies. Sane autem præsentis operis suscipiendi propositum, quædam ipse mecum meditando, quædam vero quasi mecum, imo magis mecum, quia illa unanimi meo reverendissimo priori Hugoni, qui plus mecum, quam ego ipse mecum, communicanda epistolarum more sparsim dictaveram, ex quibus præsenti intentioni materiam sumens, sed et ipsa eadem ut congruere videbantur inserens, tribus incisionibus totum distinxi. Quarum licet de qualibet in singulis mentionem fecerim, specialiter tamen in prima parte charitatis excellentiam, tum ex ejus dignitate, tum ex adversæ ei cupiditatis improbatione commendare, in secunda ineptis quorumdam querimoniis obviare; in tertia qualiter exhibenda sit charitas, monstrare laborat intentio. Si quid igitur in hoc sudore nostro proposito congruens processit, gloriæ largitori, et vestræ orationi debetur; si quid vero aliter, mihi artem, aut usum non habenti donetur. Verum ne occupationem vestram terreat operis hujus tanta prolixitas, capitula, quæ subjecta sunt, primo percurrite, et eorum inspectione quid legendum, quid vero negligendum sit, discernite

Digitized by Google

SPECULUM CHARITATIS.

LIBER PRIMUS.

Charitatis excellentiam demonstrans.

APUT PRIMUM.

Quod nihil dignius quam ut Creator a sua ametur creatura.

Extendisti, Domine, sicut pellem cœlum tuum; ponens in eo stellas, ut luceant nobis in hac nocte; in qua pertranseunt bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes ut rapiant, et quærant nos escam sibi : qui etiam tegis aquis superiora ejus, quibus per quasdam secretissimas cataractas compluas terram cordis nostri; ut multiplicetur a fructu frumenti, vini et olei sui; et non casso sudore quæramus panem nostrum : sed quærentes inveniamus, invenientes pascamur et gustemus quoniam tu dulcis es, Domine. Anima mea, anima arida, anima sterilis et infructuosa, sitit his suavissimis complui stillicidiis, ut et illi appareat panis ille cœlestis, qui angelos pascit, quem parvulus sugit; et sapiat interiori palato meo omne oblectamentum, nec amplius suspirem ad ollas carnis, quas reliqui in Ægypto; ubi exigente Pharaone, etiam ablatis paleis, lateres luteos exsolvebam. Sonet ergo vox tua in auribus meis, bone Jesu, ut discat quomodo te amet cor meum, amet te mens mea, ament te ipsa viscera animæ meæ : amplectatur te intima medulla cordis mei, unum et solum verum bonum meum, dulce et delectabile gaudium meum. Sed quid est amor, Deus meus? mira, ni fallor, animi delectatio, eo dulcior quo castior; eo suavior quo sincerior, eo jucundior quo latior : et est palatum cordis cui sapis, quia dulcis es; oculus quo videris, quia bonus es; et est hic locus capax tui, qui summus es. Qui enim amat te, capit te; et tantum capit, quantum amat, quia ipse amor es, quia charitas es. Hæc est illa ubertas domus tuæ, qua inebriabuntur dilecti tui, deficientes a se, ut transeant in te. Et quomodo, Domine, nisi amando te? Sed hoc ex toto se. Descendat, quæso, Domine, in animam meam aliqua portiuncula hujus tantæ dulcedinis tuæ, qua dulcescant ei panes amaritudinis suæ. Prægustet cujusdam sorbitiunculæ experientia, quid desideret, quid concupiscat, ad quid suspiret in hac peregrinatione sua. Prægustet esuriendo, bibat sitiendo. Qui enim edunt te, adhuc esurient, et qui bibunt te, adhuc sitient; satiabuntur autem, cum apparuerit gloria tua cum manifesta fuerit illa magna multitudo dulcedinis tuæ quam abscondisti timentibus te, quam non revelas, nisi diligentibus te. Interim, Domine, quæram te, et amando quæram te; quia, qui proficit amando te, utique, Domine, quærit te : et qui perfecte amat te, ipse est, Domine, qui jam invenit te. Et quid justius, quam ut creatura tua amet te; qui hoc ipsum accepit a te, ut possit amare te? Non enim irrationabilia, aut insensibilia possunt amare te : non enim est iste modus eorum. Habent nempe et ipsa modum suum, speciem suam, ordinem suum; non quo beati sint, aut esse possint amando te; sed quo pulchra, et bona, et bene ordinata ex te, ad illorum gloriam proficiant qui possunt beati esse, quia possunt amare te.

CAPUT II.

De natura, specie, usu quæ omnibus creaturis communiter collata sunt.

Deus enim noster, cui est summum et incommutabile esse; cui est semper idem esse, dicente David : *Tu semper idem ipse es* (*Psal.* CI) : omnibus creaturis suis communiter hæc tria distribuit, naturam, speciem, usum. Naturam, qua bona sunt; speciem, qua pulchra sunt; usum, ut bene ordinata alicui rei proficiant. Qui enim fecit ut essent, fecit etiam ut bona essent, ut pulchra, ut bene ordinata. Quoniam enim ab ipso sunt, qui summe et incommutabiliter est, ideo sunt omnia; quoniam ipse a quo sunt, summe et incommutabiliter pulcher est, pulchra sunt omnia; ab ipso qui summe et incommutabiliter bonus est, bona sunt omnia; ab ipso qui summe et incommutabiliter sapiens est, bene ordinata sunt omnia. Sunt ergo bona per naturam; pulchra per speciem; bene ordinata ad ipsius universitatis decorem. *Vidit*, inquit, *Deus cuncta quæ fecerat; et erant valde bona* (*Gen.* I). In quantum itaque sunt, bona sunt; in quantum unaquæque pars toti suo congruit, pulchra sunt : in quantum in ipsa universitate unaquæque res convenientem sibi et locum, et tempus, et modum obtinet, optime ordinata sunt. Locum quippe, qui sibi congruat, quæque res habet, in quo sit, verbi gratia, angelus cœlum, irrationabilia solum; homo medius medium paradisum. Tempus itidem, quando, vel quandiu sint, vel videlicet in ipsius universitatis pulchritudine aliud quidem simul totum incipiat, sed nunquam desinat, ut natura angelica; alia, ut simul omnia nequaquam incipiant, cœpta tamen nequa-

Digitized by Google

quam vel ipsa desinant, ut homines ; alia, ut nec simul incipiant, et esse quandoque desinant, ut irrationabilia. Porro, ne de modo quemadmodum quæque creatura subsistat, quam congruentem sibi modum sortiantur omnia, tacuisse videamur, quid rationali creaturæ magis congruum, quam beatitudo, si justa est? quid ei magis convenit quam miseria, si iniqua? Denique irrationali, itemque insensibili creaturæ quis modus aptior, quam quod, cum ipsa nec beata, nec misera esse possit, illorum saluti subserviat; horum infelicitatem accumulet? Verissime quidem a quodam sapiente dicitur : *Aqua, ignis et ferrum; lac, et panis, et mel; botrus uvæ, oleum, et vestimentum : hæc omnia sanctis in bona; sic impiis et peccatoribus in mala convertentur* (*Eccli.* XXXIX). Nec causetur homo, quod jam communem locum sortiatur cum belluis, qui in honore positus non intellexit : et ideo comparatus est jumentis, et similis factus est illis, nec loco solum. Quis enim facile dixerit, abolita in mente rationali, etsi non imagine, divina tamen similitudine, quanta irrationabilium jumentorum similitudo succreverit? Sed hinc alias. Nunc animadvertenda simul et prædicanda Creatoris sapientia : qui cum non sit malorum Creator aut incentor, est tamen ipsorum malorum prudentissimus ordinator. Cur ergo non sineret dulcissimus simul et omnipotentissimus Dominus meus malum esse, quod nequiret vel modice æternum suum labefactare propositum ; quo insuper manifestior appareret ipsa ejus omnipotentia, sapientia mirabilior, suavior misericordia, cum de malis bona faceret omnipotenter ; inordinata ordinaret sapienter, miseris conferret beatitudinem misericorditer?

CAPUT III.

Quod homo ad imaginem sui Creatoris conditus, et beatitudinis capax sit.

Homini ergo in ipsa universitatis creatione dedit non solum esse, nec, ut cæteris, bonum tantum esse : nec solum pulchrum aut ordinatum quid esse, sed insuper beatum quid esse. Sed, quemadmodum nulla creatura nec a seipsa est, nec a seipsa pulchra, aut bona est ; sed ab ipso qui summe est, qui summe bonus et pulcher est : et ideo bonitas bonorum omnium, pulchritudo pulchrorum omnium, causa omnium existentium : ita nec a seipsa beata est ; sed ab ipso qui summe beatus est, ac per hoc beatitudo beatorum omnium. Hujus beatitudinis sola rationalis creatura capax est. Ipsa quippe ad imaginem sui Creatoris condita, idonea est illi adhærere, cujus est imago : quod solum rationalis creaturæ bonum est, ut ait sanctus David : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII). Adhæsio plane ista non carnis, sed mentis est, in qua tria quædam naturarum auctor inseruit, quibus divinæ æternitatis compos efficitur, particeps sapientiæ, dulcedinis degustator. Tria hæc memoriam dico, scientiam, amorem, sive voluntatem. Æternitatis quippe capax est memoria, sapientiæ scientia, dulcedinis amor. In his tribus ad imaginem Trinitatis conditus homo, Deum quem memoria retinebat sine oblivione, scientia agnoscebat sine errore ; amore complectebatur sine alterius rei cupiditate. Hinc beatus.

CAPUT IV.

Quod amore, in quo plenius ipsius erat beatitudinis gustus, a Deo recesserit homo; et sic miser effectus Dei in se imaginem corruperit, nec tamen abroleverit.

Verum, licet in his tribus, vel his tribus ipsa perficiatur beatitudo : in hoc tamen tertio proprie est ipsius beatitudinis gustus. Quanquam enim in pessimis delectari miserrimum sit : ubi tamen nulla delectatio, nec ulla beatitudo. Porro, ubi amor nullus, nulla delectatio. Denique ipsius summi boni quanto major dilectio, tanto major delectatio, tanto major et beatitudo. Pariat licet multa memoria, capiat licet profunda scientia, nulla tamen delectatio, si non ad parta vel nota ipsius fiat voluntatis conversio. At primus parens noster libero muneratus arbitrio, poterat quidem, Dei tamen adjutus gratia, ipsum Deum perpetuo amando in ejus memoria notitiaque delectari, perpetuoque beatus existere : potuit et ipsum amorem suum ad aliquid minus reflectere ; sicque ab ejus amore recedendo frigescere, seseque miseriæ addicere. Sicut enim rationalis creaturæ nulla alia est beatitudo, quam Deo adhærere, ita hoc ejus miseria, a Deo recedere. Verum ille in honore positus non intellexit. Quid? Fortassis id quod quidam ingrediens sanctuarium Dei, et intelligens non modo in præsentia, sed etiam in novissima, quoniam *ecce*, inquit, *qui elongant se a te, peribunt : perdidisti omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* LXXII). Non intellexit quia qui fornicantur a Deo per superbiam, devolvuntur in insipientiam : et qui per rapinam Dei usurpat similitudinem, merito jumentorum induit similitudinem. Libero ergo male usus arbitrio, amorem suum ab illo incommutabili bono deflexit, et ad id quod minus erat, propria cupiditate cæcatus reflexit, sicque a vero bono recedens, et ad id quod ex se bonum non erat deficiens, ubi aucupabatur profectum, invenit defectum ; perverseque diligendo seipsum, et se perdidit et Deum. Sicque justissime actum est, ut qui contra Deum Dei appetebat similitudinem : quo voluit fieri curiositate similior, cupiditate fieret et dissimilior. Corrupta est itaque in homine Dei imago, non abolita penitus. Proinde habet memoriam, sed obnoxiam oblivioni ; scientiam quoque, sed subditam errori, nihilominus et amorem, sed pronum cupiditati. Perseverat adhuc in anima rationali in hac trinitate, etsi misera, ipsius beatæ Trinitatis impressio, quæ ad ipsam animæ relicta substantiam, quæ et sui reminiscitur, se novit, se diligit : quæ ipsam sui memoriam diligit, novit, reminiscitur, ipsam sui scientiam reminiscitur, novit, et diligit : item ipsam sui dilectionem diligit, reminiscitur, novit : et in substantia unitatem, et in tri-

Digitized by Google

bus his, quæ perstrinximus, vocabulis præfert trinitatem. Unde Psalmista : *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur* (*Psal.* XXXVIII). Breviter quidem, sed expresse satis his verbis sanctus David utrumque insinuat animæ non deesse humanæ, et ex natura imaginem, et ex peccato corruptionem. Nam et memoriam corrumpit oblivio; scientiam error obnubilat, amorem cupiditas coangustat.

CAPUT V.

Quod post Salvatoris adventum Dei in homine renovetur imago : et quod non hic sed in futuro speranda sit ipsius renovationis perfectio.

Porro jam per Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum soluto dubito, cui obnoxia tenebatur humana natura, deleto chirographo, cujus cautione astrictos nos tenebat antiqui hostis dira superbia ; exspoliatis principibus et potestatibus, quibus nos addixerat divina justitia, pacato denique Deo Patre illa singulari in cruce hostia, reparatur tandem memoria per sacræ Scripturæ documentum, intellectus per fidei sacramentum, amor per charitatis quotidianum incrementum. Perfecta imaginis reformatio, si memoriam oblivio non interpolet, scientiam nullus error obnubilet, amorem nulla cupiditas interpellet. Sed ubi istud, et quando istud ? Hæc pax, hæc tranquillitas, hæc in patria speretur felicitas, ubi nullus locus oblivioni viventibus in æternitate : nulla erroris subreptio fruentibus veritate; nulla cupiditatis impulsio divina absorptis charitate. O æterna et vera charitas, o vera et cara æternitas : o æterna, et vera, et cara Trinitas! Hic hic requies, hic pax, hic felix tranquillitas, hic tranquilla felicitas, hic felix et tranquilla jucunditas. Quid agis, o anima humana, quid agis ? Quid per diversa raptaris ? Porro unum est necessarium. Ut quid multa? Quidquid appetis in multis, in uno est. Si excellere, si scire, si delectari, si abundare ; totum hic et perfecte hic, et nusquam nisi hic. Nunquid enim in hoc lacu miseriæ et luto fæcis vera excellentia ? Nunquid in hac regione umbræ mortis perfecta scientia ? Nunquid in hoc loco horroris et vastæ solitudinis vera delectatio, inter tot ærumnas vera abundantia? Porro quæ in mundo excellentia, quam timor non dejicit? quanta hominis scientia, qui nec seipsum capit ? Denique, si delectaris in carne, hoc et equus et mulus, quibus non est intellectus. Si in gloria, si in divitiis ; cum interieris, non sumes omnia, neque descendet tecum gloria tua. Ibi ergo vera excellentia, ubi nihil superius quod ambiatur : ibi vera scientia, ubi nihil ignoratur : illa vera delectatio, quæ fastidio non minuitur : illa vera abundantia, quæ nunquam exhauritur. Væ nobis, quia recessimus a te, Domine! *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* (*Psal.* CIX.) *Quando veniam, et apparebo ante faciem tuam?* (*Psal.* XLI.) *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ; et volabo, et requiescam?* (*Psal.* LIV.) Plumescat interim, Domine Jesu, A plumescat, quæso, anima mea in nido disciplinæ tuæ ; pauset in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Amplectatur te interim crucifixum ; sumat tui dulcissimi sanguinis haustum. Occupet interim memoriam meam hæc suavis meditatio, ne ex toto eam oblivio obscuret; judicem me interim nihil scire, nisi Dominum, et hunc crucifixum, ne scientiam meam a soliditate fidei vanus error abducat : vendicet sibi totum amorem meum hæc tua mira dilectio, ne illum cupiditas mundialis absorbeat. Quid ergo ? Mihi soli id optaverim? Impleatur, Domine, quæso : impleatur illud propheticum : *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ* (*Psal.* XXI). Reminiscentur, inquit. Absconditam ergo, non sepultam omnino in mente rationali, Dei B intellexit memoriam, ut non tam novum aliquid insertum quam illud antiquum sentias reparatum. Nisi enim naturaliter quodammodo in ipsam Dei memoriam vel modicum ratio scintillaret humana, puto non esset, unde vel insipiens diceret in corde suo : *Non est Deus* (*Psal.* XIII).

CAPUT VI.

Disputatio contra insipientem, qui dixit in corde suo : « Non est Deus (*Psal.* XIII). »

Dic inquam, quicunque es adeo insipiens, ut dixeris in corde tuo : *Non est Deus*, aliquemne putas sapientem ? Forte teipsum. Ita sit : Itane tamen sapiens, ut fieri non possis et insipiens? Aut si insipiens, eo usque, ut non possis fieri et sapiens ? C Si quid horum abnuas : jam non te desipere, sed potius non vivere dixerim. Ergo, si tu desipueris, perire æstimas sapientiam ? Sed fieri potest et sapiens. Aliunde, quæso, quam a sapientia ? Erit ergo, et te desipiente, sapientia : Erit, inquis, sed in homine sapiente. Sed quis est homo, qui non possit desipere ? Si ergo omnes homines desipiant, erit nihilominus sapientia ; alioquin non possent denuo sapere. Sed in angelis, inquis. Sed et ipsos posse natura duntaxat desipere, indicat illa insipientium angelorum tanta multitudo ; quibus quidem cum cæteris par natura, sed impar gratia. Nulla ergo creatura ex se sapiens. Unde ergo, nisi a sapientia ? Et illam ubi invenit insipiens, ut denuo sapiat ? Si eam invenit, est utique sapientia, quæ inveniatur D ab insipiente, ut sit sapiens, alioquin quomodo invenitur, quod non est, nisi prius cœperit esse ? Non, inquis, eam ita invenio ; sed meditando, et exercendo facio meipsum sapientem. Ergo facis sapientiam tuam ? Quare non fecerim ? Ego te proposcoram insipientem, et ecce adeo factus es sapiens, ut et sufficias facere sapientiam. An hoc est parum sapere, sapientem facere ? Sed, et si quis dicat stultum facere posse sapientem, quis audiens non ridebit ? Unde ergo sapientia stulto ? forte a quolibet homine sapiente. Et ipse unde sapiens ? An ipse se fecit sapientem ? Sed antequam se faceret sapientem, quid erat nisi insipiens ? Prædicta igitur sequetur abusio, ut insipiens fecerit sapientem. S et angelum dixeris posse facere sapientem : et ipse

Digitized by Google

unde sapiens? Si et ipse se fecit sapientem, prædicta nihilominus sequetur abusio. Restat ergo ut non sit facta sapientia, quæ cæteros faciat sapientes. Ipsa non potest desipere, quia sapientia non potest esse insipientia, sicut nec mors vita, quamvis mors Christi nostra sit vita : sicut lux tenebræ, quamvis fuerimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Nam nec Joannes erat lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. *Erat enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Ipsa est sapientia, quæ in animas sanctas se transfert, ut et ipsæ sint sapientes. Parumne hoc tibi, o insipiens? Quæro iterum, utrum scias te esse. Quis, inquis, hoc ignoret? Plane nec academicus. Semperne fuisti? Unde ergo accepisti, ut esses? An teipsum fecisti? Sed quomodo qui non eras aliquid, facere potuisti tam magnum aliquid? Unde ergo tibi esse? An ab alio homine? Et ipse unde? nunquid ab angelo? Et angelus unde? Restat ergo ut non sit facta essentia, a qua cætera omnia habent esse, sicut nec facta est sapientia, unde cætera omnia habent sapere. Sileat ergo tibi sic et sic sapere, sic et sic esse : loquatur tibi in corde ipsum sapere et ipsum esse, et jam non dices in corde tuo : *Non est Deus*, in ipso plane perspiciens nec posse saltem te esse, qui diceres in corde tuo, *Non est Deus*, nisi esset et Deus. Iterum quæro, utrum velis te esse et sapere? Puto quia non abnuis. Junge hæc tria, esse, sapere, velle. Redi ergo prævaricator ad cor. Considera in his tribus quanta unitas, quanta sit æqualitas. Et cum inveneris hæc tria in te esse, et a te non esse, cogita æternam voluntatem, et ne dicas in corde tuo, *Non est Deus*, sed potius reminiscens convertere ad Dominum Deum tuum, cum omni fine terræ.

CAPUT VII.

Quod mentis affectu homo a Deo recesserit.

Mirabilis facta est, Domine, scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam (*Psal.* CXXXVIII). Amplectar interim te, Domine Jesu, parvus parvum, infirmus infirmum, homo hominem, amplius dicam, pauperem. Nam et tu, Domine pauper, sedens super asinam, et super pullum filium asinæ (*Matth.* XXI). Sic ergo te amplectar, Domine. Nam tota magnitudo mea, non nisi quod parvum est tui; tota fortitudo mea, quod infirmum est tui; tota sapientia mea, quod stultum est tui. Curram, Domine, in odorem unguentorum istorum (*Cant.* I). Miraris quod unguenta appellem quæ infirmum sanant, roborant debilem, mœstum lætificant? Sequar ergo te, Domine Jesu, horum unguentorum excitatus odore, refocillatus aspergine. Sequar te, Domine, etsi non in montibus aromatum, ubi te invenit sponsa tua (*Cant.* VIII); vel in horto, Domine, ubi seminata est caro tua (*Joan.* XVIII). Illic quidem salis; hic dormis. Hic, Domine, hic dormis : hic cubas, hic dulce quoddam Sabbatum sabbatizas. Consepeliatur tibi, Domine, caro mea, ut quod jam vivo in carne, non vivam in me, sed in te, qui tradidisti temetipsum pro me. Coungatur tibi, Domine, pudicitiæ myrrha, ut jam non regnet peccatum in meo mortali corpore, nec flam velut jumentum in proprio computrescens stercore. Sed unde venisti in hortum? Unde, nisi de cruce? Utinam, Domine, et ego accipiam crucem tuam, et sequar te. Sed quomodo sequar te? Quomodo, inquis, recessisti a me? Puto, Domine, quia non pedum passu, sed mentis affectu. Nolens enim substantiam animæ meæ servare ad te, accepi eam ad me, et volens meipsum possidere sine te, perdidi et me. Et ipse factus sum mihimetipsi gravis; factus sum mihimet locus miseriæ et tenebrarum; locus horroris et regio egestatis. Surgam ergo, et ibo ad Patrem meum, et dicam ei : *Pater, peccavi in cœlum, et coram te* (*Luc.* XV).

CAPUT VIII.

Quod ex charitatis affectu homo in Dei imaginem reformetur.

Patet, ni fallor, quoniam, sicut non pedum passu, sed mentis affectu a summo bono recedens, et in seipsa veterascens humana superbia, Dei in se corrupit imaginem, ita mentis affectu ad Deum accedens humana humilitas, renovatur in imaginem Dei, qui creavit eum. Unde Apostolus : *Renovamini*, inquit, *spiritu mentis vestræ; et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est* (*Ephes.* IV). Quomodo autem fiet ista renovatio, nisi novo charitatis præcepto, de quo ait Salvator : *Mandatum novum do vobis?* (*Joan.* XIII.) Proinde hanc charitatem si mens perfecte induerit, profecto duo illa, quæ æque corrupta diximus, memoriam scilicet et scientiam, ipsa reformabit. Ideo saluberrime nobis indicitur istius unius præcepti compendium, in quo et veteris hominis exspoliatio, et mentis renovatio, et divinæ imaginis consistit reformatio. Amor quippe noster veneno cupiditatis infectus, tenacique voluptatis visco miserabiliter irretitus, quæ in ima semper, id est, de vitio in vitium proprio pondere ferebatur, charitate desuper influente, ac innatum torporem suo calore dissolvente, ad altiora se surrigit, sicque exuens vetustatem, ac induens novitatem, sortitur pennas columbæ deargentatas, quibus ad illud sublime et purum bonum evolet, de quo et genus ducit : beato Paulo id apertius Atheniensibus profitente. Cum enim de Deo subtiliter multa disseruisset; et ex philosophorum quoque libris Deum unum instantissime comprobaret, in quo vivimus, movemur, et sumus, ait inter cætera : *Cujus et nos genus sumus* (*Act.* XVII). Et addidit. *Genus ergo cum simus Dei.* Nec quis existimet genus nos Dei ita dixisse Apostolum, ut ejusdem naturæ substantiæve probarit, cujus et Deus, alioqui nec mutabiles, qui nec corruptibiles, sed nec miseri aliquando esse possemus, sicut nec ejus unigenitus, qui de ejus substantia natus, in omnibus ipsi Patri comprobatur æqualis; sed ideo nos genus asserit Dei, vel potius non negat, quia ad ejus creata imaginem

Digitized by Google

anima rationalis, ipsius sapientiæ ac beatitudini participari posse cognoscitur. Animam itaque nostram ad id ad quod facta est, charitas sublevat; ad id vero, ad quod illa sponte defluxit, premit cupiditas.

CAPUT IX.

Quod amor noster adversum se ex charitate et cupiditate contrario appetitu dividatur.

Verum, quia charitatis sive etiam cupiditatis ea sola animæ nostræ portio capax est, quæ usitatius amor nuncupatur, ipse est, qui ex nova infusione charitatis, et ex reliquiis vetustæ cupiditatis, quasi quodam contrario appetitu adversus semetipsum constat esse divisus. De quo et Apostolus : *Non quod volo ago* (*Rom.* VII). Et iterum : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis* (*Gal.* V). Intelligendum sane Apostolum spiritus carnisque nomine nequaquam duas contrarias in homine uno, ut impuri somniant Manichæi, descripsisse naturas; sed spiritus appellatione mentis ex charitatis infusione exprimens novitatem, *charitas*, quippe *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V); carnis quoque vocabulo ex reliquiis vetustatis miseram animæ insinuans servitutem, inter vetus nostrum inolitum, novumque insolitum, continuum una mente asserit oboriri conflictum.

CAPUT X.

Quod liberum arbitrium in anima locum medium teneat : nec tamen ad bonum et malum æque sufficiat.

Inter hæc duo, concupiscentiam scilicet quam carnis esse dicit Apostolus (*Gal.* V), non quod omnis concupiscentia mala ex carne sit, quippe cum ea nequaquam dæmones careant, qui carne carent; sed quod non ex Deo, sed ex homine sit, quem carnem in Scripturis appellari non ambiguum est. Inter hanc ergo concupiscentiam quæ cupiditas congruentissime appellatur, et illam spiritus quam charitatem non immerito dicemus, quæ utique spiritus est, non nostri, sed Dei : *charitas* enim *Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V) : Inter hæc, inquam, duo, id quod in homine liberum dicitur arbitrium, medium quodammodo locum tenet, ut ad quodlibet eorum se verterit anima, libero nimirum fiat arbitrio. Nemo sane ita desipiat, ut æqualem homini et ad bonum et ad malum, ex libero arbitrio ascribere audeat facultatem, cum non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, cum Deus sit, qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate; cum denique neque volentis, neque currentis, sed miserentis sit Dei. Quid ergo? His omnibus liberum in homine negatur inesse arbitrium? Absit. Est quippe liberum arbitrium ea animæ vis, sive naturæ, vel si quid aliud congruentius dici potest, id hominis, quo cuilibet rei non sine judicio rationis consentit; non hujus aut illius rei, boni malive consensus, sed id quo consentitur. Sicut enim aliud est visus, aliud visio, nam visus quidem sensus est corporis unus de quinque, visio autem ipsius sensus actus; ita aliud dicimus ipsum consensum, aliud id quo consentitur. Nam consensus quidem quædam animæ actio est; liberum arbitrium quædam animæ vis atque natura, qua consentit, habens judicium sibi insitum, quo eligit cui rei consentiat. Sed, quia consensus fit voluntate, judicium ratione, hæc duo voluntas et ratio liberum constituunt arbitrium. Ratio bona vel mala, justa et injusta, sive ea quæ media sunt, quasi proponit; voluntas consentit, cuicunque autem rei consentiat, non nisi voluntate. Ubi autem voluntas, ibi et libertas quædam. Ex his ergo duobus, ut diximus, liberum videtur constare arbitrium, ex libertate scilicet voluntatis et arbitrio rationis. Vides igitur quam non libero præscribat arbitrio, undecunque homini bona oriatur voluntas, quandoquidem nec in bona nec in mala voluntate amittit voluntatem : ac per hoc nec libertatem, sed nec rationem, ideo nec judicium. Quid enim? Quia Deus est qui operatur in nobis velle, ideo amisimus velle? Aut quia Dei est quia ratione bene utimur; ideo ratione non utimur? Vel quia ex Deo nobis est, quidquid boni perficimus, ideo bonum non perficimus? Aut quia non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quoniam ex Deo est nostra sufficientia, ideo non est sufficientia? Hæc omnia, licet ex Dei gratia est quod agimus, tamen agimus, nec sine voluntate, nec sine ratione agimus; ac per hoc non sine libero arbitrio agimus.

CAPUT XI.

Quod gratia liberum non tollat arbitrium.

Nam qui et voluntate carent ac ratione ac per hoc libero arbitrio, nihil hujusmodi Deus in eis operatur, ut sunt pecora, ac per hoc, ac ipsi aliquid hujusmodi operantur. Quidquid autem boni Deus per nos, vel de nobis, sine nostra operatur voluntate, tantum Dei est, non etiam nostri; quidquid autem cum nostra voluntate, et illius est, et nostrum. *Si enim volens id facio*, ait Apostolus, *mercedem accipio; si autem invitus, dispensatio mihi credita est* (*I Cor.* IX). Quocirca ut opus quod in nobis, sive per nos operatur, etiam nostrum sit, inclinat voluntatem ut consentiamus; sicque ex ejus gratia, merces sit nostra. Si enim volens id facio, mercedem accipio; ut autem sim volens in bono opere, Deus est qui operatur et velle. Ipsam deinde voluntatem excitans ad petendum, ad quærendum, ad pulsandum, dat gratiam pro gratia, perficere scilicet pro bona voluntate. Postremo quia vita æterna bonorum operum merces est, ipsam dans coronat dona sua, quæ voluit esse merita nostra. Vide hoc totum in Paulo : *Qui fui*, inquit, *blasphemus, et persecutor, et contumeliosus* (*I Tim.* I). Hic voluntas, sed mala : merita, sed pessima. *Sed mi-*

Digitized by Google

unde sapiens? Si et ipse se fecit sapientem, prædicta nihilominus sequetur abusio. Restat ergo ut non sit facta sapientia, quæ cæteros faciat sapientes. Ipsa non potest desipere, quia sapientia non potest esse insipientia, sicut nec mors vita, quamvis mors Christi nostra sit vita : sicut lux tenebræ, quamvis fuerimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Nam nec Joannes erat lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. *Erat enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Ipsa est sapientia, quæ in animas sanctas se transfert, ut et ipsæ sint sapientes. Parumne hoc tibi, o insipiens? Quæro iterum, utrum scias te esse. Quis, inquis, hoc ignoret? Plane nec academicus. Semperne fuisti? Unde ergo accepisti, ut esses? An teipsum fecisti? Sed quomodo qui non eras aliquid, facere potuisti tam magnum aliquid? Unde ergo tibi esse? An ab alio homine? Et ipse unde? nunquid ab angelo? Et angelus unde? Restat ergo ut non sit facta essentia, a qua cætera omnia habent esse, sicut nec facta est sapientia, unde cætera omnia habent sapere. Sileat ergo tibi sic et sic sapere, sic et sic esse : loquatur tibi in corde ipsum sapere et ipsum esse, et jam non dices in corde tuo : *Non est Deus*, in ipso plane perspiciens nec posse saltem te esse, qui diceres in corde tuo, *Non est Deus*, nisi esset et Deus. Iterum quæro, utrum velis te esse et sapere? Puto quia non abnuis. Junge hæc tria, esse, sapere, velle. Redi ergo prævaricator ad cor. Considera in his tribus quanta unitas, quanta sit æqualitas. Et cum inveneris hæc tria in te esse, et a te non esse, cogita æternam voluntatem, et ne dicas in corde tuo, *Non est Deus*, sed potius reminiscens convertere ad Dominum Deum tuum, cum omni fine terræ.

CAPUT VII.

Quod mentis affectu homo a Deo recesserit.

Mirabilis facta est, Domine, scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam (*Psal.* CXXXVIII). Amplectar interim te, Domine Jesu, parvus parvum, infirmus infirmum, homo hominem, amplius dicam, pauperem. Nam et tu, Domine pauper, sedens super asinam, et super pullum filium asinæ (*Matth.* XXI). Sic ergo te amplectar, Domine. Nam tota magnitudo mea, non nisi quod parvum est tui; tota fortitudo mea, quod infirmum est tui; tota sapientia mea, quod stultum est tui. Curram, Domine, in odorem unguentorum istorum (*Cant.* I). Miraris quod unguenta appellem quæ infirmum sanant, roborant debilem, mœstum lætificant? Sequar ergo te, Domine Jesu, horum unguentorum excitatus odore, refocillatus aspergine. Sequar te, Domine, etsi non in montibus aromatum, ubi te invenit sponsa tua (*Cant.* VIII); vel in horto, Domine, ubi seminata est caro tua (*Joan.* XVIII). Illic quidem salis; hic dormis. Hic, Domine, hic dormis : hic cubas, hic dulce quoddam Sabbatum sabbatizas. Consepeliatur tibi, Domine, caro mea, ut quod jam vivo in carne, non vivam in me, sed in te, qui tradidisti temetipsum pro me. Congatur tibi, Domine, pudicitiæ myrrha, ut jam non regnet peccatum in meo mortali corpore, nec fiam velut jumentum in proprio computrescens stercore. Sed unde venisti in hortum? Unde, nisi de cruce? Utinam, Domine, et ego accipiam crucem tuam, et sequar te. Sed quomodo sequar te? Quomodo, inquis, recessisti a me? Puto, Domine, quia non pedum passu, sed mentis affectu. Nolens enim substantiam animæ meæ servare ad te, accepi eam ad me, et volens meipsum possidere sine te, perdidi et me. Et ipse factus sum mihimetipsi gravis; factus sum mihimet locus miseriæ et tenebrarum; locus horroris et regio egestatis. Surgam ergo, et ibo ad Patrem meum, et dicam ei : *Pater, peccavi in cœlum, et coram te* (*Luc.* XV).

CAPUT VIII.

Quod ex charitatis affectu homo in Dei imaginem reformetur.

Patet, ni fallor, quoniam, sicut non pedum passu, sed mentis affectu a summo bono recedens, et in seipsa veterascens humana superbia, Dei in se corrupit imaginem, ita mentis affectu ad Deum accedens humana humilitas, renovatur in imaginem Dei, qui creavit eum. Unde Apostolus : *Renovamini*, inquit, *spiritu mentis vestræ; et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est* (*Ephes.* IV). Quomodo autem fiet ista renovatio, nisi novo charitatis præcepto, de quo ait Salvator : *Mandatum novum do vobis?* (*Joan.* XIII.) Proinde hanc charitatem si mens perfecte induerit, profecto duo illa, quæ æque corrupta diximus, memoriam scilicet et scientiam, ipsa reformabit. Ideo saluberrime nobis indicitur istius unius præcepti compendium, in quo et veteris hominis exspoliatio, et mentis renovatio, et divinæ imaginis consistit reformatio. Amor quippe noster veneno cupiditatis infectus, tenacique voluptatis visco miserabiliter irretitus, quæ in ima semper, id est, de vitio in vitium proprio pondere ferebatur, charitate desuper influente, ac innatum torporem suo calore dissolvente, ad altiora se surrigit, sicque exuens vetustatem, ac induens novitatem, sortitur pennas columbæ deargentatas, quibus ad illud sublime et purum bonum evolet, de quo et genus ducit : beato Paulo id apertius Atheniensibus profitente. Cum enim de Deo subtiliter multa disseruisset; et ex philosophorum quoque libris Deum unum instantissime comprobaret, in quo vivimus, movemur, et sumus, ait inter cætera : *Cujus et nos genus sumus* (*Act.* XVII). Et addidit. *Genus ergo cum simus Dei.* Nec quis existimet genus nos Dei ita dixisse Apostolum, ut ejusdem naturæ substantiæve probarit, cujus et Deus, alioqui nec mutabiles, qui nec corruptibiles, sed nec miseri aliquando esse possemus, sicut nec ejus unigenitus, qui de ejus substantia natus, in omnibus ipsi Patri comprobatur æqualis; sed ideo nos genus asserit Dei, vel potius non negat, quia ad ejus creata imaginem

Digitized by Google

anima rationalis, ipsius sapientiæ ac beatitudini participari posse cognoscitur. Animam itaque nostram ad id ad quod facta est, charitas sublevat; ad id vero, ad quod illa sponte defluxit, premit cupiditas.

CAPUT IX.

Quod amor noster adversum se ex charitate et cupiditate contrario appetitu dividatur.

Verum, quia charitatis sive etiam cupiditatis ea sola animæ nostræ portio capax est, quæ usitatius amor nuncupatur, ipse est, qui ex nova infusione charitatis, et ex reliquiis vetustæ cupiditatis, quasi quodam contrario appetitu adversus semetipsum constat esse divisus. De quo et Apostolus : *Non quod volo ago* (*Rom.* VII). Et iterum : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis* (*Gal.* V). Intelligendum sane Apostolum spiritus carnisque nomine nequaquam duas contrarias in homine uno, ut impuri somniant Manichæi, descripsisse naturas; sed spiritus appellatione mentis ex charitatis infusione exprimens novitatem, *charitas*, quippe *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V); carnis quoque vocabulo ex reliquiis vetustatis miseram animæ insinuans servitutem, inter vetus nostrum inolitum, novumque insolitum, continuum una mente asserit oboriri conflictum.

CAPUT X.

Quod liberum arbitrium in anima locum medium teneat : nec tamen ad bonum et malum æque sufficiat.

Inter hæc duo, concupiscentiam scilicet quam carnis esse dicit Apostolus (*Gal.* V), non quod omnis concupiscentia mala ex carne sit, quippe cum ea nequaquam dæmones careant, qui carne carent; sed quod non ex Deo, sed ex homine sit, quem carnem in Scripturis appellari non ambiguum est. Inter hanc ergo concupiscentiam quæ cupiditas congruentissime appellatur, et illam spiritus quam charitatem non immerito dicemus, quæ utique spiritus est, non nostri, sed Dei : *charitas* enim *Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V) : Inter hæc, inquam, duo, id quod in homine liberum dicitur arbitrium, medium quodammodo locum tenet, ut ad quodlibet eorum se verterit anima, libero nimirum fiat arbitrio. Nemo sane ita desipiat, ut æqualem homini et ad bonum et ad malum, ex libero arbitrio ascribere audeat facultatem, cum non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, cum Deus sit, qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate; cum denique neque volentis, neque currentis, sed miserentis sit Dei. Quid ergo? His omnibus liberum in homine negatur inesse arbitrium? Absit. Est quippe liberum arbitrium ea animæ vis, sive naturæ, vel si quid aliud congruentius dici potest, id hominis, quo cuilibet rei non sine judicio rationis consentit; non hujus aut illius rei, boni malive consensus, sed id quo consentitur. Sicut enim aliud est visus, aliud visio, nam visus quidem sensus est corporis unus de quinque, visio autem ipsius sensus actus; ita aliud dicimus ipsum consensum, aliud id quo consentitur. Nam consensus quidem quædam animæ actio est; liberum arbitrium quædam animæ vis atque natura, qua consentit, habens judicium sibi insitum, quo eligit cui rei consentiat. Sed, quia consensus fit voluntate, judicium ratione, hæc duo voluntas et ratio liberum constituunt arbitrium. Ratio bona vel mala, justa et injusta, sive ea quæ media sunt, quasi proponit; voluntas consentit, cuicunque autem rei consentiat, non nisi voluntate. Ubi autem voluntas, ibi et libertas quædam. Ex his ergo duobus, ut diximus, liberum videtur constare arbitrium, ex libertate scilicet voluntatis et arbitrio rationis. Vides igitur quam non libero præscribat arbitrio, undecunque homini bona oriatur voluntas, quandoquidem nec in bona nec in mala voluntate amittit voluntatem : ac per hoc nec libertatem, sed nec rationem, ideo nec judicium. Quid enim? Quia Deus est qui operatur in nobis velle, ideo amisimus velle? Aut quia Dei est quia ratione bene utimur; ideo ratione non utimur? Vel quia ex Deo nobis est, quidquid boni perficimus, ideo bonum non perficimus? Aut quia non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quoniam ex Deo est nostra sufficientia, ideo non est sufficientia? Hæc omnia, licet ex Dei gratia est quod agimus, tamen agimus, nec sine voluntate, nec sine ratione agimus; ac per hoc non sine libero arbitrio agimus.

CAPUT XI.

Quod gratia liberum non tollat arbitrium.

Nam qui et voluntate carent ac ratione ac per hoc libero arbitrio, nihil hujusmodi Deus in eis operatur, ut sunt pecora, ac per hoc, ac ipsi aliquid hujusmodi operantur. Quidquid autem boni Deus per nos, vel de nobis, sine nostra operatur voluntate, tantum Dei est, non etiam nostri; quidquid autem cum nostra voluntate, et illius est, et nostrum. *Si enim volens id facio*, ait Apostolus, *mercedem accipio; si autem invitus, dispensatio mihi credita est* (*I Cor.* IX). Quocirca ut opus quod in nobis, sive per nos operatur, etiam nostrum sit, inclinat voluntatem ut consentiamus; sicque ex ejus gratia, merces sit nostra. Si enim volens id facio, mercedem accipio; ut autem sim volens in bono opere, Deus est qui operatur et velle. Ipsam deinde voluntatem excitans ad petendum, ad quærendum, ad pulsandum, dat gratiam pro gratia, perficere scilicet pro bona voluntate. Postremo quia vita æterna bonorum operum merces est, ipsam dans coronat dona sua, quæ voluit esse merita nostra. Vide hoc totum in Paulo : *Qui fui*, inquit, *blasphemus, et persecutor, et contumeliosus* (*I Tim.* I). Hic voluntas, sed mala : merita, sed pessima. *Sed mi-*

Digitized by Google

sericordiam consecutus sum, ut fidelis essem (I Tim. I). Ecce voluntas bona; sed vide, unde. Non quia aliquid boni in me præcessit, sed quia ejus misericordia me prævenit. Misericordiam enim consecutus sum, ut fidelis essem. Nempe, ut ait beatus Augustinus, ire ad ecclesiam, audire verbum Dei, sacramentum percipere Christi, aliquis potest nolens : credere nemo, nisi volens. Audi et de opere. *Plus illis omnibus laboravi* (*I Cor.* XV). Hoccine habes, Paule, quod non accepisti? imo accepi. Et quidem plus illis omnibus laboravi, *non autem ego* (*ibid.*). Quomodo utrumque verum; ego, et non ego? Non ego, quia non ex me; non viribus meis; non sapientia mea; non denique meritis meis; *sed gratia Dei* (*ibid.*). Quid igitur? Itane, ut liberum tibi tollat arbitrium, destruat voluntatem, judicium rationis absumat? Absit! Dixi, non ego, quia gratia Dei mecum. Quomodo mecum? Agens scilicet, ut consentiam operari, et sic ipse cooperer, et volens cooperer, ne, si me invito de me, aut per me operetur, non sim qui dicam : *Bonum certamen certavi; cursum consummavi; fidem servavi* (*I Tim.* IV). Non ergo liberum arbitrium ad aliquod bonum sufficit, sed in ipso, vel cum ipso, vel per ipsum, Deus multa bona perficit. In ipso, quando illud occulta inspiratione ad aliquod bonum erigit; cum ipso, quando ipsum liberum arbitrium sibi per consensum jungit; per ipsum, quando Deo operante alter per alterum proficit. *Reposita est mihi*, inquit, *corona justitiæ* (*ibid.*). Quæ corona, nisi vita æterna? *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die* (*II Tim.* IV). Reddet, inquit. Ergo, quia redditur, merces est vita æterna. Merces plane, quia bonum opus præcessit. *Bonum enim certamen certavi.* Sed hoc opus unde? *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Merita itaque nostra, Dei est gratia. Propter quæ merita dat vitam æternam; gratiam pro gratia. Denique reddet unicuique secundum opera sua. Sed illa tantum opera cœlesti mercede donantur, quæ prius ejus munere largiuntur. Nam quod vita æterna gratia sit, ipsum audi : *Stipendium enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna* (*Rom.* VI). Gratia, inquam, vita æterna, et duplex gratia. Gratia, quia pro gratia data; gratia, quia meritis præponderat gloria. *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII).

CAPUT XII.

Quod nec salvatis nec damnatis liberum arbitrium auferatur, et quod gratia non nisi in libero arbitrio operetur.

Sed nunquid in illa gloria, aut sine voluntate erimus, qua tanto bono consentiamus; aut sine ratione, qua hoc bonum nostrum judicemus? Ergo nec sine libero arbitrio; non quo ullum malum poterimus; sed quo illius boni capaces existamus. Non enim pecora aut damnationis obnoxia, aut salutis possunt esse capacia, utique quia sunt rationis ac voluntatis expertia. Nam infantes quidem, in quibus etsi non major, tamen gratia est evidentior; in quibus nec ex dono ulla sunt merita, licet ob infirmitatem, quæ ex peccati pœna accidit, sine libero et vivant et moriantur arbitrio, exuti tamen hoc, quo impediuntur, carnis involucro, nequaquam credendi sunt absque rationali voluntate æternæ felicitatis, vel debitæ damnationis esse participes. E quibus quotquot salvantur, evidentiori fit gratia; quippe quibus liberum deest arbitrium, cui possint ascribi merita; cæterum illa mihi videtur cumulatior; qua et merita donantur et præmia. Igitur in nullo gloriandum, quando nostrum nihil est. Quis enim te discernit, o homo? Liberum arbitrium? Ita plane, sed a jumentis, non ab injustis. Nam et injusti liberum habent arbitrium, sine quo non possent esse vel injusti. Excepto duntaxat originali peccato, quod alia ratione etiam invitos quosque constringit, nemo nisi voluntate justus, nemo nisi voluntate potest esse injustus : ac proinde nec sine libero arbitrio. Sed voluntatem ad justitiam sola gratia erigit; in injustitiam ipsa se dejicit. Porro, ubicunque voluntas ibi et libertas. Ubicunque enim voluntate est, ibi non cogitur, ut sit necessitate. Habet ergo innatam sibi quodammodo voluntas libertatem, quia nullam potest pati necessitatem. Vis audire quamdam etiam in injustitia libertatem? Audi Apostolum : *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI). Videsne quod non desit libertas voluntati, etiam in servitute peccati? Sed nunquid in libertate injustæ voluntatis judicium deest rationis; quo id quod vult discernat, ab eo quod non vult : quo sibi commodum, vel bonum, vel voluptuosum judicet, etiam id quod male vult? Nam, si utrumlibet horum deesset, posset forte voluptuosa tantum appetere, non autem illis rationali quodam judicio dissentire : quod est liberi arbitrii. Nam quod ratione etiam ad malum abuti possit homo, probat illud propheticum : *Sapientes sunt, ut faciant mala* (*Jer.* IV). Nam nec in pœnis inferni liberum deest arbitrium, quo voluntarie, ac per hoc libere a malis dissentiant, quæ patiuntur; nec judicium rationis, quo seipsos accusent et judicent, quia suis meritis talia patiuntur. Patet, ni fallor, ratio, quod nec gratia liberum arbitrium destruat; nec liberum arbitrium gratiam minuat. Quomodo enim gratia liberum arbitrium auferat, cum gratia non nisi in libero operetur arbitrio? Neque enim gratia ista, de qua loquimur, aut in brutis animalibus, aut in rebus operatur insensibilibus; sed in his tantum, qui præceptionis, aut prohibitionis capaces audiunt : Fac hoc, et fac illud; et noli hoc, et noli illud. Quæ procul dubio non dicuntur, nisi his, quibus inest liberum arbitrium, quo possint velle hoc aut illud. Ut autem bonum velint, Dei gratia operatur; non liberum destruens arbitrium, ut nihil velint, sed ad hoc inclinans, ut bonum velint. Quocirca, cum aliquid boni facis, non existimes hoc te tuis viribus agere; nec tamen a tua id alienes voluntate, quandoquidem non

Digitized by Google

dicendum est opus bonum, nisi sit et voluntarium.

CAPUT XIII.

Ratio, cur non ad bonum et ad malum liberum arbitrium æque sufficiat.

Sed dicet aliquis : Assentio jam, et quidem satis probatum est, Dei gratiam ita posse omnia in omnibus operari, ut nihil arbitrii præjudicet libertati. Sed utrum ita sit, quis novit? Quæ ratio, ut cum nullius adminiculo ad malum egeat, ad bonum sibi non sufficiat? Et quis est, cui satis non sit, quod huic assertioni consentiat fides catholica, probet quotidiana uniuscujusque bene proficientis experientia, affirment insuper prophetica, simul et apostolica testimonia, et quod his majus est, illa illius veridici oris sententia qua dicit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv). Porro oculis hac fide purgatis ratio deesse non poterit, aderit intelligentia, lumen se ingeret veritatis. Videat ergo qui potest, credat qui videre non potest. Qui videt, gaudeat, sed humiliter; qui non videt, credat, sed perseveranter, quia *nisi crederitis, non intelligetis* (*Isa.* vii). Videat, inquam, quia cum omnis creatura de nihilo sit facta, et mutabilis facta, naturali quodam suæ mutabilitatis impulsu, semper ad id, de quo facta est, id est ad nihilum vergit. Et revera perfacile est videre omne quod natura mutabile est, quodam incommutabili indigere, ut non mutetur. Nullum siquidem mutabile in se habet incommutabilitatem, alioquin ne mutabile quidem esset; quanto minus alteri confert? Si vero nullius fulcita præsidio creatura mutetur, quis non facile videat eam naturalius, ut ita dicam, et expressius ad id, de quo facta est, impetu quodam necessario commutari? Quapropter ut in inferiora sua mutabilitate non defluat, ut in eo quod est, suam mutabilitatem cohibeat, ut ad altiora auspicio feliciori se subrigat, semper illius eget gratia cujus est creata potentia.

CAPUT XIV.

Quid sit inter gratiam, quam primi homines in paradiso, et illam quam habent prædestinati in mundo, et quod juste imputetur homini mala voluntas, licet ad bonam obtinendam liberi arbitrii non sufficiat facultas.

Unde et in cœlis angelo, et homini in paradiso, licet nulla eos coarctaret infirmitas, quibus nulla dominabatur iniquitas, quia tamen uterque mutabilis natura, utrique hæc gratia necessaria; quæ utique si collata non esset, excusabiliter uterque peccasset. At, quia ex creante gratia, bona eis erat collata voluntas; ex adjuvante gratia, si ipsi vellent, in ea perseverandi facultas : nulla superest de mutabili natura causatio : cui sustentandæ, ac promovendæ non deesset divina bonitas, si eam propria illorum non deseruisset iniquitas. Utrum autem reprobis aliquando etiam nunc talis gratia conferatur, ut et bona eis inspiretur voluntas; addatur gratia, qua non desit, si tamen ipsi velint, perseverandi facultas, non audeo præcipitare sententiam. Sane electis, quia major quam primis in paradiso hominibus, incumbit miseria, major confertur et gratia : et quo major impugnat infirmitas, eo uberior præstatur resistendi facultas. Illis enim, ut dictum est, datum novimus posse perseverare, si vellent; istis insuper, ut perseverent. Sed quod, inquiens, hominis vitium, si bonam non habuerit voluntatem, quam nec propriis viribus acquirere, nec adeptam suis poterit viribus retentare? At qui bonæ voluntatis conditus, cujus est vitio pejoratus? Cur non justissime ipsa ei impotentia imputetur, quam non ei Creator imposuit, sed cui ipse se sponte submisit? Et si forte æquum non videtur, ut hinc culpetur, si nunc bonam non habeat voluntatem, quam quidem habere non poterit si non acceperit; injustumne, ut imputetur ei, quod acceptam amisit; injustum, ut imputentur mala, quæ nullo cogente deliquit?

CAPUT XV.

Quod justissima sit etiam parvulorum damnatio.

Ad hæc, inquis, ratio justissime illos condemnat, qui rationis capaces, nec judicio eligendi, nec voluntate carent consentiendi : cæterum parvulos quæ ratio addicit damnationi, quos nec creatio malos, nec propria voluntas fecit injustos? Quid enim? Injustum æstimas, ut lignum inutile et infructuosum ignis depascat? Cogita, quæso, totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsa radice vitiatum, utpote veneno antiqui serpentis inficiatum, justissime addictum flammis, igni destinatum, adjudicatum damnationi. Quid ergo? Ingratum te præbes, o lignum inutile, quod quidam ramusculi a tua præmortua præcisi radice, eripiuntur incendio, quatenus stipiti cuidam fructuoso inserti, pristinæ venustati donentur! Vide lignum illud viride, lignum vitæ, lignum cujus non defluunt folia, cujus omnia facta prosperantur, in ipso suo dulcissimo latere, quod ideireo voluit in cruce aperiri, ramis, ab illa damnata radice, sola sua miseratione discretis, dedisse locum; ut sibi inserti et complantati, et unum cum eo effecti, non sua virtute, quæ nulla est, sed, illius spiritus participatione, reviviscant et virescant, susceptaque pluvia illa voluntaria, quam segregat Deus hæreditati suæ, sole quoque divinæ charitatis incalescente, resumpto novo cœlestis gratiæ succo, fructus afferant spirituales, supernis nimirum horreis recondendos. Sed relictus sum ego, ait ramus ille inutilis. Relictus plane. Quid causaris? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Multis quidem dedi, quod nulli debui; et tu hinc nequam, hinc invidus, hinc opponis, hinc calumniam struis? Sed, cum utrosque, inquis, parvulos, par teneat involutos damnatio, cur ille eligitur, iste respuitur? Audi quare. Quia *Jacob*, inquit, *dilexi* : *Esau autem odio habui* (*Rom.* ix). Injustum clamas. *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit : quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem; aliud in contumeliam* (*ibid.*). Si ergo homo ex vasis

Digitized by Google

quæ facit, quæ voluerit deputat honori, quæ voluerit exponit contumeliæ; nec quisquam est qui causetur injustum, tu calumniaris, si Deus ex vasis, omnibus quidem justissimæ contumeliæ expositis, quæ voluerit, assumat; quæ voluerit, relinquat; quæ voluerit, in pristinum reformet honorem; quibus voluerit, debitam inferat damnationem? Si, inquam, figulus in vasis, quæ de eodem luto compingit discernendis, ipsa ejus voluntas justitia est, quomodo non multo magis in omnibus, quæ ex nihilo creavit Omnipotens, discernendis, ordinandis, sumendis, discernendis, salvandis, damnandis, ipsa ejus voluntas summa justitia sit? Ergo miseretur cui voluerit; et misericordiam præstat, in quem sibi placuerit; et quem vult obdurat, justissime deserendo; et quem vult emollit, piissime miserendo; et quidquid vult facit, nec injustum aliquid facit, quandoquidem inter justum et injustum sola ejus discernit voluntas, quæ non est aliud quam ipsa æquitas, nec ejus voluntas ex alia pendet lege justitiæ, sed lex justitiæ ex ejus utique voluntate. Hæc diximus, ne injusta videatur damnatio parvulorum. Itaque, o homo, noli altum sapere; sed time. Si enim ramis cum quibus est æqua conditio, par meritum, non parcit Deus, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo severitatem et bonitatem Dei. In his quidem qui deseruntur, severitatem; in te autem bonitatem, si tamen permanseris in bonitate. Alioquin et tu relinqueris. Porro ut non relinquaris, sed a relictis potius discernaris, noli de te præsumere, noli de Dei bonitate desperare, noli esse negligens ad operandum, noli esse segnis ad orandum cum Propheta, qui ait: *Discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII). Verum, ut in bonitate hac perseveres, non tibi de tuis viribus blandiaris, sed de illo præsume, cui item clamat Propheta: *Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum* (*Psal.* XI). Illa scilicet generatione, de qua statim subjecit: *In circuitu impii ambulant* (*ibid.*). Hi sunt, qui instar Samson decisis virtutum crinibus, defossisque scientiæ rationisque luminibus, deputantur ad molam, ut deserentes compendium charitatis, circuitum teneant cupiditatis.

CAPUT XVI.

Quod charitati nihil desit perfectionis.

Quid tu, o anima mea, satisne es hoc intricata circuitu? *Caput*, inquit, *circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos* (*Psal.* CXXXIX). Quod, quæso, hujus laboris emolumentum? Aliudne, quam porcorum siliquæ? Nec hinc quidem satietas; si forte satietas, qualis? O quam suavior, quam jucundior, quam denique gratior esuries charitatis, quam satietas cupiditatis! Cæterum de beatitate nulla comparatio. Quanto enim quisque saginatior cupiditate, tanto veritate inanior, tanto proinde et miserior. Audiens quapropter, o anima mea, vituperationem multorum commorantium in circuitu, esto quasi vas perditum, quatenus a temetipsa deficiens, et tota in Deum transiens, nescias tibi vivere, nec tibi mori; sed ei qui pro te mortuus est, et resurrexit. O quis dabit mihi hoc salutari poculo debriari, hoc mentis stupore perfundi, hoc suavissimo lethargo sopiri! ut diligens Dominum Deum meum toto corde meo, et ex tota anima mea, et ex omni virtute mea, nunquam quæram quæ mea sunt, sed quæ Jesu Christi; diligensque proximum tanquam meipsum, non quæram quod mihi utile est, sed quod alteri. O verbum consummans et abbrevians in æquitate! verbum charitatis, verbum amoris, verbum dilectionis, verbum totius perfectionis! Verbum consummans, cui nihil potest deesse, verbum abbrevians, in quo pendet tota lex et prophetæ. O Judæe, quid tantis opus est? Hic circumcisio, hic Sabbatum, hic hostiæ salutares, hic odoriferum sacrificium, hic totius suavitatis incensum. Tene charitatem, et nihil horum deerit; charitatem neglige, et nihil horum proderit.

CAPUT XVII.

De spirituali circumcisione, quæ in charitate continetur.

Hic plane non carnalis unius membri amputatio, sed potius interioris exteriorisque hominis vera et perfecta circumcisio, resecans voluptatem, exstinguens libidinem, coercens gulam, cohibens iracundiam, invidiam penitus evertens, omnium vitiorum generatricem expugnans superbiam. Hæc edaces tristitiæ stimulos spirituali quadam suavitate contemperans, sequacis acediæ occurrit languori. Hæc avaritiæ pestem liberalitatis gratissimo mucrone confodiens, ab idololatriæ vitio animam liberat ac conservat. Quid, rogo, hac circumcisione perfectius, qua vitiorum membra resecantur, corpus peccati destruitur, protoplastorum exuvies villosa deponitur, totaque antiquæ vetustatis labes squalorque rejicitur? Mentem enim, quam dulcedo charitatis oppleverit, non timor angustat, non libido commaculat, non ira dilaniat, non superbia elevat; non cœnodoxiæ inanis fumus eventilat; non exagitat furor, non stimulus ambitionis eviscerat; non avaritia contrahit, non dejicit tristitia, non invidia tabefacit. *Charitas* quippe *non æmulatur; non agit perperam; non inflatur, non est ambitiosa; non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate* (*I Cor.* XIII). Vides hanc spiritualem circumcisionem omnium vitiorum esse peremptoriam; etiam omnes sensus corporis divino quodam cultro purificat, oculorum abscindens petulantiam, aurium pruritum eradens, gustus superfluas summitates propellens, linguæ procacitatem detrahens, meretricios odores excludens naribus, tactus perniciosam mollitiem eradicans.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Quod verum Sabbatum ac spirituale in charitate.

Jam quale hoc sabbatum, advertat Judæus; si tamen vilis homuncio gemens sub sarcina peccatorum, vinculatus retibus passionum, qui certe nihil, aut perparum hujus dulcedinis degustavit, hinc aliquid loqui potuerit. O, si daretur mihi vel modica requies ab exactoribus Pharaonis, ut liceret animam meam dimidia saltem hora in hujus silentio Sabbati repausare, profecto in pace in idipsum dormiens silerem, et somno meo requiescerem cum regibus et consulibus, qui ædificant sibi solitudines, et replent domos suas argento! Sed unde misero tanta spes? Quæram, quæram sabbatum illud; si forte desiderium pauperis audias, Domine; et eductum aliquando de lacu miseriæ et luto fæcis, dones vel stillulæ alicujus experientia discere, *quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te* (*Psal.* xxx), quia non revelas, nisi diligentibus te. Qui enim diligunt te, requiescunt in te : et ibi vera requies, vera tranquillitas, vera pax, verum mentis sabbatum. Tibi autem, Judæe, unde sabbatum? Quia requievit, inquis, Deus die septimo ab omnibus operibus suis (*Gen.* i). Quid ergo? in præcedentibus sex non requievit? Imo, inquis, sex diebus fecit Deus cœlum et terram, septimo requievit. Hinc ergo præcipitur tibi vacare, vacare, inquam, non saltare. O, si scires vacare, et videre quoniam Jesus ipse est Deus, sublato certe mox infidelitatis obscuro, revelata facie in charitate perfectum cerneres sabbatismum, nec magnopere jam carnales carnalis tui sabbati epulas affectares, qui ingressus locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exsultationis et confessionis sonus epulantis, in illud canticum gratulabundus erumperes : *Exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum* (*Cant.* i). Sed et illud Habacuc in cumulum tuæ jucunditatis assumens : *Ego autem in Domino gaudebo; et exsultabo in Deo Jesu meo* (*Habac.* iii).

CAPUT XIX.

Quantum dies septimus cæteris præferatur; et quod in eo Dei charitas commendetur.

Sed jam septimi diei prærogativam paucis advertamus. Et quidem magnus dies ille, in quo, decussis tenebris, lux Deo jubente resplenduit : magnus et ille, quo aquas inferiores et superiores, interjecto firmamento vox divina discrevit. Pretiosus nihilominus ille quo, aquis Dei verbo in unum congregatis, terra arida vestitur herbis, venustatur arboribus, decoratur floribus, fructibus fœcundatur. Nec ille inferior, in quo cœlum luminibus adornatur, quibus dierum successus temporum vices, anni cursus, signorum ordines disponuntur. Illius quoque quæ eminentia, quo aqua diversorum animantium genus emittens, partem suis mersit gurgitibus, partem transmisit in aera! Nec vacat admiratione dies sextus, quo quadrupedia et serpentia producuntur e terra, quo demum homo formatus e limo, divino flatu animatur. At nullus horum diei septimo videtur comparandus, in quo nulla quidem naturæ creatio, sed ipsius Dei requies omniumque creaturarum commendatur perfectio. Sic enim habes : *Completitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et requievit ab universo opere quod patrarat* (*Gen.* ii). Magnus hic dies, magna requies, magnum sabbatum. O si intelligas! Ni fallor, dies iste non hujus visibilis solis cursu peragitur, non ejus inchoatur exortu, nec terminatur occasu; denique non habet mane, non vespere. Porro de die primo, si tamen primus dicendus est; non enim eum scriptura primum appellat, sed unum. Sed quomodo, inquis, sequens dicitur secundus, si non iste primus? Vide ne forte secundo dicatur dies unus, dicatur et tertio; ut uno die sexies repetito, senarius nobis numerus commendetur. Verum quoquo modo se habeat ista obscuritas : *factum est*, inquit, *vespere et mane dies unus* (*Gen.* i). Et infra : *Factum est vespere et mane dies secundus* (*ibid.*). Id ipsum et de reliquis. Puto his verbis omnium creaturarum mutabilitatem esse signatam, defectum et profectum, initium et finem. De die septimo nihil tale. Non ei ascribitur vespere, non mane; non finis, non initium. Ergo dies requietionis Dei non temporalis, sed æternus. Tu paulo ante Deum finxeras temporaliter laborantem, quasi fatigatum temporaliter quiescentem. Hoc non erat Deum cogitare, sed idolum fabricare. Cavendum tibi est ne, non habens idolum in templo Jerosolymitano, habeas illud in corde tuo. Non aliquid laborans fecit; quia dixit, et, factum est. Non fatigatus uno aliquo tantum die requievit; quia dies requietionis ejus æternus est. Ergo requies ejus, æternitas ejus. Putaveras eum tibi similem, ideo quasi indigentem aliquid creasse, quo oblectaretur aspiciendo, vel in quo requiesceret fruendo : idcirco non in aliqua creatura requies ejus describitur, ut scias nullius indigentem, sed sibi in omnibus sufficientem; nec creasse aliquid, ut suæ consuleret egestati, sed ut satisfaceret suæ plenissimæ charitati. Porro creavit ut essent omnia; sustentat, ut maneant, quæ manent omnia; ipse ad debitos fines perducit universa. Nec id agit ulla necessitate, sed sola sua suavissima voluntate. Denique attingit a fine usque ad finem fortiter, præsentissima et omnipotentissima majestate; sed disponit omnia suaviter, quietus semper et quiescens in sua placidissima charitate. Ipsa incommutabilis et æterna requies ejus, æterna et incommutabilis tranquillitas ejus; æternum et incommutabile Sabbatum ejus. Ipsa sola causa cur creavit creanda, regit regenda, administrat administranda, movet movenda, promovet promovenda, perficit perficienda. Ideo aptissime, ubi ejus requies commemoratur, ibi omnium rerum perfectio demonstratur. Charitas enim ejus,

Digitized by Google

ipsa est voluntas ejus; ipsa est et bonitas ejus : A et hoc totum aliud quam esse ejus. Hoc est enim ei in sua dulcissima charitate, in sua placidissima voluntate, in sua abundantissima bonitate, semper quiescere, quod semper est esse. Quocirca, sicut diebus sibi succedentibus, et quasi vices suas mane ac vespere variantibus, in quibus creata narrantur omnia, creaturæ mutabilitas designatur; sic die hoc, die cui nihil advenit, nihil præterit, nihil succedit, qui nec initio angustatur, nec fine concluditur, ipsa ejus æternitas non immerito commendatur : in qua ejus requies aptissime describitur, ne indigens aut laborans aliquid creasse putetur. Sed cur ibi senarius numerus, hic septenarius? Et hinc accipe, quale possumus, documentum.

CAPUT XX.

Cur senarius numerus in Dei opere, septenarius in ejus requie commendetur.

Senarius sane numerus perfectionem maximam continere videtur. Ex omnibus quippe suis partibus constat, nec eas excedit. Partes ejus sunt unum, duo, tria. Nam si quæras, unum quota pars sit senarii, respondetur sexta; quota duo, responderi potest tertia; quota tria, respondetur media. Jam in senario nullus alius est numerus : de quo posset responderi, quota sit ejus. Omnes igitur partes senarii, unum, duo, tria. Hæc conjunge, nec plus nec minus invenies quam sex. Is ergo numerus in mundi creatione servatus est, ut in universitate creaturæ nihil superfluum, nihil æstimes imperfectum. Porro septenarius numerus in Dei requie C dedicatur. Requiem Dei ejus diximus charitatem. Nec immerito. *Pater*, inquit, *diligit Filium; et omnia monstrat ei quæ ipse facit* (*Joan.* v). Et iterum : *Sicut ego Patris mei mandata servavi, et maneo in ejus dilectione* (*Joan.* xv). Et ipse Pater : *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III). Hæc mutua Patris Filiique dilectio amor suavissimus, gratus complexus, charitas beatissima, qua Pater in Filio, Filius repausat in Patre : hæc plane, hæc utriusque imperturbabilis requies, sincera pax, æterna tranquillitas, incomparabilis bonitas, charitas indivisibilis : hoc utriusque unum, imo in quo uterque unum, dulce, suave, jucundum, sanctum dicimus D Spiritum : qui et idcirco creditur hoc sibi vocabulum proprie assumpsisse, quod esse constat utriusque commune. Nam cum Pater et Filius uterque sit Spiritus, uterque sanctus, hic tamen qui utriusque est, charitas scilicet et unitas consubstantialis amborum, proprie dicitur Spiritus sanctus. Qui licet sit unus, et cum Patre et Filio unum, propter septiformem tamen gratiam, quæ ex illius fontis plenitudine creditur emanare, in Scripturis septenario numero designatur. Unde et in lapide uno, juxta Zachariam, septem cernuntur oculi (*Zach.* III) : et secundum Apocalypsin, septem sunt spiritus ante thronum Dei (*Apoc.* v). Vides ergo, quanta præstantia charitatis, in qua omnium Creator et rector perenne quoddam et ineffabile Sabbatum sabbatizat.

CAPUT XXI.

Quod in omnibus creaturis quoddam vestigium divinæ charitatis appareat : et ideo quasi ad Sabbatum, id est ad requiem, omnia tendant.

Porro si omnem creaturam a prima usque ad novissimam, a summa usque ad imam, a summo angelo usque ad minimum vermiculum subtilius contempleris, cernes profecto divinam bonitatem, quam non aliud dicimus, quam ejus charitatem; non locali infusione, non spatiosa diffusione, non mobili discursione; sed substantialis præsentiæ stabili et incomprehensibili in se permanente simplicitate omnia continentem, omnia ambientem, B omnia penetrantem, ima superis conjungentem, contraria contrariis, frigida calidis, siccis humida, lenibus aspera, duris mollia, concordi quadam pace fœderantem; ut in ipsa creaturæ universitate nihil adversum, nihil possit esse contrarium; nihil quod dedeceat, nihil quod perturbet, nihil sit quod ipsam universitatis pulchritudinem decoloret, sed in ipsius ordinis tranquillitate, quem ipsi universitati præfixit, cuncta quasi tranquillissima quadam pace quiescant. Unde id quod tumescens foras ordinem excedit divinæ bonitatis, excipitur mox ab ordine ejus invictissimæ potestatis, ut quanquam in se inquietum sit et inordinatum, tranquillitati tamen ipsius universitatis non modo non obsit, sed etiam prosit plurimum, dum comparatione ejus, quæ pulchra sunt pulchriora; quæ bona sunt judicantur esse meliora. Hinc est, quod singula quæque ad suum ordinem tendunt, sua loca petunt, extra ordinem suum inquieta sunt, ordinata quiescunt. Nam si lapidem libres in aera, nonne mox quasi vim passus proprio pondere se deponit ad solida, ibi tantum requiem habiturus, ubi nec deflectet in latera, nec in ima solidi alicujus oppositione labatur? At si oleum cæteris suffundas liquoribus, continuo suæ dejectionis impatiens penetrat ad superiora, nec alias deponit conatum, quam cæteris supereminens ordinis sui quiete potiatur. Quid olera, quid arbusta? Nonne quo feracius uberiusque fructificent, hæc solidiorem, hæc molliorem, hæc pinguiorem, hæc argillosam, hæc arenosam quasi appetunt terram? Quæ cum fuerint secundum naturæ suæ ordinem posita vel transposita, plantata vel transplantata, nihil se ulterius affectare, ipsius incrementi sui voce testantur. Denique si singula quæque corpora diligenter attendas, cernes nimirum singula suis constare partibus; partes partibus quasi unitatis quodam vinculo colligari, ordinem suæ servare naturæ, in eo quasi quadam pace quiescere; ita ut si velis ab eo modo, in quo quæque res est, eam transferre, pax partium quodammodo perturbetur, donec abductæ in eum quem velis modum, quadam iterum assumpta tranquillitate quiescant. Porro animantibus irrationalibus quis labor est tueri salutem, vitare perni-

Digitized by Google

ciem, carnalium appetituum quærere satietatem : qua adepta, cum nihil habeant ultra quod appetant, conquiescant? Rationis quippe, scientiæque expertia, quod sensum carnis excedat, ne appetere quidem possunt.

CAPUT XXII.

Quod rationalis creatura nonnisi in beatitudinis adeptione quiescit, et quare cum beatitudinem optet, viam tamen qua eam obtineat, mira infelicitate relinquat.

Tibi enim, o anima rationalis, præ cæteris animantibus hæc prærogativa servatur; quo te sensibus carnis emergens, ad altiora contendas : nec aliquando satiès appetitum, donec ad id quod est summum, id quod est optimum, id quo nihil superius, nihil excellentius, felici curiositate pervenias. Ubicunque infra substiteris, tametsi altum, tametsi magnum, tametsi jucundum judicetur, misera procul dubio remanebis. Misera, quia indiga. Indiga, quia restat quod petas; restat ad quod anheles; restat postremo ipsa beatitudo, ad quam appetendam animam rationalem vis quædam naturalis impellit. Quocirca cum omnes homines beatos esse velle singulorum testis sit conscientia, cum hæc voluntas ullomodo nequeat aboleri, patet rationalem creaturam optatam omnibus requiem nonnisi in beatitudinis adeptione sortiri. Proinde deploranda satis est miseri hominis cæca perversitas : qui cum beatitudinem vehementer exoptet, non modo non agit, quibus adipiscatur optata; verum proniori affectu ea committit, quibus miseriam magis accumulet suam. Quod, ut mea fert opinio, nequaquam ageret, nisi hinc eum falsa quædam felicitatis imago deluderet; hinc veræ miseria similitudo terreret. Nam pauperiem, luctum, famem, sitim quis non videat miseriæ fore non modicam portionem? Quibus tamen plerumque vera miseriæ præcavetur, æterna beatitudo conquiritur. *Beati enim pauperes*, ait Jesus, *quoniam vestrum est regnum cœlorum. Beati qui lugetis, quoniam consolabimini. Beati qui esuritis nunc, quia saturabimini* (*Matth.* VI). Pauperies ergo æternis divitiis muneratur; luctus æterna jucunditate mutatur; esurienti satietas æterna servatur. Hæc enim omnia, divitias scilicet, jucunditatem, satietatem, beatitudini non deesse, nemo qui dubitet. Verum, quia reprobum quemque in qualicunque suæ voluntatis affectu species quædam jucunditatis eludit, in desideriorum expletione delectatio falsa dissolvit, ignorans miser quanta sit electis et in pressuris consolatio, et in spe gratulatio. Perhorrescit quidem eam, quæ in facie paret, infelicitatis effigiem, sed sub felicitatis colore veram excipit infelicitatem, falsam jucunditatem, quæ verum dolorem non effugit, ei miseriæ præferens, cui vera beatitudo succedit. Non secus quam si æger quispiam salutem vehementer exoptet, sed ob præsentem molestiam refugiat sectionem, adustionem exhorreat ac præsenti quadam suavitate pellectus olei fomenta requirat, quanquam morbus ejusmodi sit, ut hac magis lenitate fervescat, nec sine adustionis sectionisve dolore lentescat. Sic miser homo sic vel deceptus, dum putat felicitatem esse, quæ non est, vel præsentium suavitate illectus, quæ falsa est; et seipsum miseriæ addicit, et beatitudinis appetitum non amittit; ac perinde infelici circuitu laborans, nunquam quiescit. Enimvero cum anima rationali solus sit superior Deus, par angelus, cætera omnia inferiora judicentur, quid dementiæ tam vicinum, quam relicto superiore, in his quibus ipsa fit melior, requiem aucupari?

CAPUT XXIII.

De prærogativa rationalis creaturæ : et quod requies, quam naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in mundi hujus sit quærenda divitiis.

O mirabilis creatura, solo Creatore inferior, quo te dejicis? Mundum amas? Sed ipsa es mundo superior. Solem miraris? Sed ipsa es sole lucidior. De cœli hujus volubilis situ philosopharis? Sed tu cœlo sublimior. Secretas creaturarum causas rimaris? Sed te nulla causa secretior. Dubitas, cum tu de his omnibus judices; de te autem nihil horum? Sed si velis judicare, noli tamen amare. Sed nec ipsum judicare ama. Ipsum ama, qui his omnibus te præposuit, non submisit. Præposuit, non ut ex his tu beatior, sed ut esset quo tu esses superior, subjiciens tibi omnia ad cumulum honoris, se tibi servans ad fructum beatitudinis. Quid ergo sequeris fugitivas pulchritudines, cum tua ipsius pulchritudo nec senectute marcescat, nec paupertate sordescat, nec palleat ægritudine, nec ipsa saltem morte depereat? Quod quæris, quære; sed noli ibi. Quæris, ut voluntati tuæ nihil desit, et sic requiescas. Hoc ergo quære. Ubi, inquis? Noli in salute corporis : quæ si sic ametur, ut in ea requies ista quæratur, cerne, si desit, quanto labore acquiritur, quam pœnali exitio pœnalis plerumque morbus expellitur. Porro si adsit, quanta necesse est cura servetur, quot ei insidiantur morbi, quot febres, quot pestes, quot denique mortes. Quid ergo? Nunquid in divitiis? Sed quis labor in acquirendis, quæ sollicitudo in servandis; quis timor, ne amittantur; quis dolor, si delabantur? Auxisti pecuniam, et timorem nihilominus auxisti. Timetur potens, ne auferat; timetur latro, ne minuat; timetur servulus, ne perdat. Deinde quam crebro id quoque eveniat, quod quidam sapiens ait : *Divitiæ conservatæ in malum domini sui* (*Eccle.* V), quis dixerit? Magis ergo requiescit pauper. Vacuus enim viator et nudus, ut quidam ait, non timet latronis insidias. Securus a nocturnis furibus dormit pauper, etsi claustra non muniat. Inde est et illud poeticum ;

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Cæterum mordaces divitum curas quidam sapiens satis eleganter irridens : *Saturitas*, inquit, *divitis non sinit eum dormire* (*ibid.*). Quod licet ad litteram plerumque contingat, ut dives quispiam saturatus ad nauseam, dum prægravato stomacho se colligit

Digitized by Google

ad quietem, crebris ructibus excitetur; intelligendum tamen dictum de illo potius somno, de quo sponsa gloriatur in Canticis : *Ego*, inquiens, *dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* v). De quo et Psalmista : *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (*Psal.* IV). Hic est somnus, in quo sopitis sensibus carnis ac temporalibus curis a penetralibus sui cordis extrusis, sancta anima in Dei suavitate quiescit, gustans et videns, quam dulcis est Dominus (*Psal.* IXXX); quam beatus omnis qui sperat in eo (*Psal.* XXXIII). Hoc ergo somno absit ut divitem quempiam æstimes consopiri, qui semper lucris inhians, quo plura congesserit, eo inexplebiliori ingluvie non habita concupiscit. Unde Salomon : *Avarus*, inquit, *non satiabitur pecuniis; et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis* (*Eccle.* v). Qui propheticum quoque illud maledictum incurrit. *Væ qui congregat non sua.* Statimque idem metallorum ejus subsannans congeriem : *Ut quid aggravat contra se densum lutum?* (*Habac.* II.)

CAPUT XXIV.

Quid sit inter divites electos et reprobos.

Notandum sane quod non ait Salomon : Qui habet divitias, sed, *qui amat*, inquit, *divitias, fructum non capiet ex eis* (*Eccle.* v). Nam profecto electi quique, etsi forte divitias habeant, non tamen eas amant, proinde nec in his requiem quærunt, sed audientes præcipientem Apostolum *divitibus, non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum* (I *Tim.* VI), sed facile tribuant, communicent, thesaurizent *sibi fundamentum bonum, ut apprehendant veram vitam*, ex suis divitiis non modicum fructum accipiunt, audituri nimirum a Domino : *Venite, benedicti Patris mei : esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, etc. (*Matth.* XXV). Hi sane non laborant in divitiis acquirendis, timentes illud Apostoli, quia *qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli* (*I Tim.* VI), hos in conservandis cassa sollicitudo non cruciat, sponsionem Domini altius recitantes, qui et sollicitudinem prohibet, necessaria spondet. *Nolite*, inquiens, *solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus?* Et paulo post : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI). Postremo harum amissione non murmurant; imo et rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiunt, considerantes se habere meliorem et manentem substantiam (*Hebr.* X). At perversis in contrarium cedit. Dum enim rationalis animæ appetitum, cui solus Deus satis est, vilissima mundialium rerum copia existimant posse sopiri; quia nihil quantarumlibet rerum ingestione proficiunt, nec ad modicum curis se infelicibus exuunt, nec aliquando laborem deponunt: et tamen, quod miserius est, talium rerum quæstu vana cæcitate tumescunt. Et hæc quidem in præsenti; at quis horum finis? Ultima eorum verba, quæ sacra Scriptura non tacet, potius audiamus : *Dicent*, inquit, *inter se pœnitentiam agentes et præ angustia spiritus gementes;* eorumque verba subnectit, in quibus sunt hæc : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia velut umbra, et tanquam nuntius præcurrens, et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantes aquas, cujus, cum præterierit, non est vestigium inveniri; ita et nos nati continuo desivimus esse; et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno, qui peccaverunt: quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur; et tanquam spuma, quæ a procella dispergitur, et tanquam fumus qui a vento diffusus est; et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis* (*Sap.* V). Alias ergo hæc requies et hoc Sabbatum videtur esse quærendum.

CAPUT XXV.

Quod nec in mundiali amicitia requies sit quærenda.

Sed amare, inquis, et amari, quid tranquillius. Siquidem in Deo, et propter Deum, non improbo, imo et probo plurimum. At si secundum carnem vel mundum, cerne quot invidiæ, quot suspiciones, quot zelantis animi urentia flagra quietem mentis excludunt. Quod si nihil horum evenerit, mors quam experiri omnes habent, hanc dirimet unitatem; dolorem viventi, pœnam importabit discedenti. Quanquam et in hac vita inter amicissimos graves inimicitias obortas novimus. Sane de ea, quæ inter bonos est, dilectione, alias disseremus.

CAPUT XXVI.

Quod nec in corporis voluptate, nec mundi potentia requies inveniatur.

Compellimur quasi nævum quemdam huic corpori inserere, de carnali scilicet voluptate sermonem; de qua tacendum quidem foret, nisi plerosque quasi exutos homine, belluina quadam similitudine adeo cerneremus indutos, ut in ventris, eorumque quæ sub ventre sunt voluptate, omnem vitæ suæ fructum æstiment collocandum. Ne quis ergo existimet in his mentis suæ requiem esse quærendam, paucis hinc dicendum. Quid enim perversius, quam rationalis mentis bonum in ventris ingluvie collocare, ac id quod præcellit in homine, vilissimæ cuidam carnis suæ portioni substernere, maxime cum se in his a stolidissimis belluis nihil videat posse differre? Denique et fames cruciatum, et satietas fastidium parit. Nam etsi voluptati satisfaciat, necessitatis metas excedat necesse est; si autem naturæ modum excesserit, dolorem corporis vitare impossibile est. Porro libidinum sordibus oblectari, ac instar immundissimæ suis in cœno turpitudinis volutari, sicut nihil turpius, nihil fœdius, nihil magis erubescendum, nihil tam confusione dignum; ita profecto nihil magis inquietum, nihil ita omni quiete ac tranquillitate vacuum. Nam de ejus fœditate quid dicendum, cum hæc fœdissima lues et carnem contaminet, et mentem effeminet; ac quidquid in animo honestum, quidquid decorum,

Digitized by Google

quidquid denique virile est obruat pariter et evertat? Et quidem cum cætera vitia plerumque se quibusdam virtutum tegumentis obpallient, ac perinde non modo ad humanos non erubescant, imo et intumescant aspectus: hæc sola in prima fronte tantum sui præfert horrorem, ut ea maxime hora, qua etiam carnem perstringit ac sibi vindicat, oculos vehementer refugiat. Nempe et ipsis membris humano corpori a sapientissimo Creatore honeste insertis, ob sui obscenitatem tantum turpitudinis ingessit, ut is qui ea maluit cernere quam reverenter obtegere, æterna patris maledictione mulctetur: quibus autem horum nuditas verecundiæ notam incussit, benedictionis perpetuæ gratia munerentur. Nec mirandum, jam triumphante ac ubique coruscante illa mollitiei debellatrice cruce Jesu, hujus passionis colluviem proditam ac nudatam, cum in illa dæmonicola plebe, in qua callidissima dæmonum factione falsorum deorum flagitia pro sacris colebantur, pro eorum quasi reverentia in theatris saltabatur, nec saltem sub spurcissimo Jove spurcus quisquam notam aliquando confusionis exuerit. Nam et ab ipsis adulterorum deorum cultoribus et adulterium puniebatur, et castitas plurimum laudabatur. Quid ergo his agendum qui Virginis filium virginitatis colunt auctorem? Cavendum profecto ne cuiquam id eveniat, quod de quibusdam ait propheta: *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel* I). Quibus verbis proprie satis finem modumque hujus spurcissimæ passionis expressit: eum quem luxuriæ Charybdis absorbuit, carnis suæ colluvione quasi proprii stercoris egestione asserens esse corruptum, ut eum non modo exstinctum æstimes, vel absorptum; sed instar sepulti cadaveris immundissimi pruritus sanie profluente putrescentem sentias et fetentem. Necesse est ergo mentem, cui nequam hic spiritus insederit, quibusdam furiis agitari, et ignitis luxuriæ stimulis impetitam, ad quæque flagitia ebriam et vagabundam, soluto freno totius honestatis, impelli, restinctoque semel conceptæ passionis incendio, in aliud nihilominus æstu vehementiore succendi. Perabsurdum est ergo in hujusmodi voluptate rationalis mentis requiem aucupari; præsertim cum a divina justitia nunquam majorem pœnam in præsenti vita legamus irrogari, quam cum propriis desideriis quilibet traditur maculandus, dicente Scriptura: *Et non audivit populus meus vocem meam; et Israel non intendit mihi: et dimisi eos secundum desideria cordis eorum* (*Psal.* LXXX). Et Apostolus manifestius de his, qui commutaverunt gloriam Dei in idola: *Propter quod*, inquit, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* (*Rom.* I). Non quod eos Deus quasi malorum incentor ad hæc probra compulerit; sed quod ab eo justissime derelicti hæc facinora vitare nequiverint. Sapprimo multa silentio, quæ mihi contra hanc immundissimam luem animo suggerantur, verens nimirum pudicissimos oculos tuos, mi amantissime ac desideratissime, cui præsens opusculum destinavi. Videor enim mihi quasi cernere pudoratam faciem tuam, ad hæc quæ scripta sunt, honestæ verecundiæ nota perfundi, ac suavissimo oculorum nutu mihi silentium imperare. Novi enim illud castissimum pectus tanta charitatis suavitate perfusum, ac suave olentis pudicitiæ refertum floribus tam cœlestem ac divinum spirare odorem, ut hujus colluvionis fetorem saltem audire onerosum sit. Proinde ad alia transeuntes, de aurium, oculorumve ac cæterorum sensuum voluptate, de dominatu ac potentia, ille rex ditissimus, potentissimus, delicatissimus, sed sapientissimus, Salomon videlicet consulatur; imo in ipso ipsa sapientia intentissime audiatur. Primo igitur ex sua, sive aliorum persona pronuntians: *Dixi*, inquit, *in corde meo: Vadam et affluam deliciis, et fruar bonis* (*Eccle.* II). Et infra: *Ædificavi domos; plantavi vineas; feci hortos et pomaria: et consevi cuncti generis arboribus.* Multaque hujusmodi addens, adjecit: *Possedi servos et ancillas, et familiam multam nimis. Coacervavi mihi argentum et aurum; substantias regum et provinciarum.* Et cum de voluptate aurium addidisset: *Feci mihi cantores et cantatrices;* post pauca subjunxit: *Quidquid desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur; et oblectaret se in his quæ paraveram.* Quid, rogo, delicatius? Quid suavius? Quid secundum hanc vitam jucundius? Sed audi, quia nihil vanius. *Cumque convertissem me*, inquit, *ad cuncta opera mea et labores meos, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem spiritus; et nihil permanere sub sole.* Ideoque generalem sententiam præmiserat, dicens: *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole: et ecce omnia vanitas et afflictio spiritus* (*ibid.*). Addamus et illam Salvatoris nostri sententiam: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). Conjungantur ergo hæc tria, *Vanitas, servitus, et afflictio spiritus.* Ubi igitur requies, ubi Sabbatum; maximeque cum lex dicat: *Nullum opus servile facietis in eo?* (*Levit.* XXIII.) Certe omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Ubi ergo ab hoc servili opere certa vacatio; ubi cavetur hujus servitutis contagio, ubi fit vera et perfecta sabbatizatio? Denique non est justus super terram, qui non peccet (*Eccle.* VII). Porro in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea, ait sanctus David (*Psal.* L).

CAPUT XXVII.

Quod charitas sit illud jugum suave, sub quo vera requies, quasi verum Sabbatum invenitur.

Audiamus quapropter eum qui ait: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). Ipsum inquam, audiamus vocantem, clamantem, et ad requiem, et ad Sabbatum laborantes invitantem, *Venite*, inquit, *ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* (*Matth.* XI). Ecce refectio, quasi Sabbati præparatio. Jam ipsum Sabbatum audiamus: *Tollite jugum meum super vos, et discite a me,*

Digitized by Google

quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Ecce requies, ecce tranquillitas, ecce Sabbatum. *Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI). Prorsus jugum istud suave est, et onus leve, ideo invenietis requiem animabus vestris. Jugum istud non premit, sed unit; onus istud pennas habet, non pondus. Jugum istud charitas est, onus istud fraterna dilectio est. Hic requiescitur, hic sabbatizatur, hic a servilibus operibus vacatur. Denique *charitas non agit perperam, et non cogitat malum* (*I Cor.* XIII); et dilectio proximi malum non operatur. Vides, Judæe, ubi Sabbatum : in quo etsi contingat non quidem ex charitate, sed ex infirmitate aliqua peccati subreptio, *quia* tamen *charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV), non perit Sabbati feriatio. Et merito septimo die hæc vacatio dedicatur, *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V). Porro septenario numero Spiritum sanctum significari, jam superius diximus.

A

B

CAPUT XXVIII.

Exemplum de scipso, et sua conversione.

Ecce, dulcis Domine, perambulavi mundum, et ea quæ in mundo sunt, quia quidquid in mundo est (ait ille arcanorum tuorum conscius), aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Quæsivi in his requiem infelici animæ meæ; sed ubique labor et gemitus, dolor et afflictio spiritus. Clamasti, Domine, clamasti, vocasti, terruisti, rupisti surditatem meam; percussisti, verberasti, vicisti duritiam meam; obdulcuisti, sapuisti, prodidisti amaritudinem meam. Audivi, sed heu! sero, clamantem : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis* (*Matth.* XI). Et ego : *Operi*, inquam, *manuum tuarum porriges dexteram* (*Job* XIV). Jacebam enim pollutus et obvolutus, ligatus et captivatus, irretitus visco tenacis iniquitatis, oppressus mole inveteratæ consuetudinis. Itaque intendi meipsum, quis essem, ubi essem, qualis essem. Exhorrui, Domine, et expavi propriam effigiem meam; terruit me tetra imago infelicis animæ meæ. Displicebam ipse mihi, quia tu placebas. Volebam fugere a me, et fugere ad te, sed retinebar in me. *Retinebant me*, ut ait quidam (20), *nugæ nugarum, et vanitas vanitatum antiquæ amicæ meæ*; vinculabat me catena pessimæ consuetudinis meæ, vinciebat amor sanguinis mei, stringebant vincula socialis gratiæ, maxime nodus cujusdam amicitiæ, dulcis mihi super omnes dulcedines illius vitæ meæ. Sapiebant ista, placebant ista, sed tu magis. Attendens enim singula ista, vidi amaris dulcia, lætis tristia, adversa prosperis esse permista. Placebat amicitiæ grata connexio, sed semper timebatur offensio, et certa erat futura quandoque divisio. Consideravi jucunditatum illarum initia, attendi processus, finem prospexi. Vidi nec initia reprehensione, nec media offensione, nec finem carere posse damnatione. Mors suspecta terrebat, quia talem animam post mortem certa pœna manebat. Et dicebant homines, attendentes quædam circa, sed nescientes quid ageretur in me : O quam bene est illi! O quam bene est illi! Ignorabant enim, quia ibi mihi male erat, ubi solum poterat bene esse. Valde enim intus erat plaga mea, crucians, terrens, et intolerabili fetore omnia interiora mea corrumpens; et nisi cito admovisses manum, non tolerans meipsum, forte pessimum desperationis remedium adhibuissem. Cœpi ergo conjicere, quantum inexpertus potui, imo quantum tu dedisti, quanta in tui dilectione jucunditas, quanta cum jucunditate tranquillitas, quanta cum tranquillitate securitas. Non ejus qui te amat errat electio, quia te nihil melius; non spes fallitur, quia nihil amatur fructuosius; non modi excessus timetur, quia in tui dilectione nullus modus præscribitur; non mundialis amicitiæ diremptrix mors formidatur, quia vita non moritur. In tui dilectione non timetur offensio, quia nulla est, nisi ipsa deseratur dilectio; non intervenit ulla suspicio, quia judicas ipsius conscientiæ testimonio. Hic jucunditas, quia timor excluditur; hic tranquillitas, quia ira compescitur; hic securitas, quia mundus contemnitur. Cœpisti interim paulatim sapere palato meo, quanquam minus sano, et dicebam : O si sanarer! Et rapiebar ad te; sed iterum recidebam in me. Et tenebant me quasi compeditum ea, quæ per carnem delectabiliter sentiebam, vi quadam consuetudinis; sed magis placebant ea, quæ animus conjiciebat vi rationis. Et dicebam sæpe in auribus etiam aliorum. Ubi, rogo, modo sunt omnes deliciæ nostræ, omnes voluptates, omnes jucunditates, quibus usque in hanc horam usi sumus? Jam nunc hoc momento temporis, quid inde sentimus? Quidquid jucundum fuit, hoc abiit : hoc solum de his omnibus superest, quod conscientiam pungat, quod timorem mortis incutiat, quod nos æternæ damnationi addicat. Comparetur, quæso, omnibus divitiis nostris, omnibus deliciis, omnibus honoribus, id unum famulorum Christi, quod mortem non timent. Vilui ipse mihi in his verbis, sæpe, et flebam aliquando amarissima contentione animæ. Viluit mihi quidquid aspiciebam, sed carnalis delectationis consuetudo premebat. Sed qui audis gemitus compeditorum, et solvis filios interemptorum, dirupisti vincula mea; et qui meretricibus, et publicanis offers paradisum tuum, me omnium peccatorum primum convertisti ad te. Et ecce respiro sub jugo tuo, et repauso sub onere tuo, quia jugum tuum suave est, et onus leve est.

C

D

CAPUT XXIX.

Quantum errent, qui de Dominici jugi asperitate cantant, cum, quidquid laboris sentitur, ex reliquis

(20) August., VIII, *Confes.*, c. 11.

Digitized by Google

sit cupiditatis; quidquid requiei, ex infusione charitatis.

Errant, Domine, errant; falluntur, qui ignorantes semetipsos, et quid in se agatur non advertentes, de jugi hujus asperitate ac oneris gravitate causantur. Quid ergo, inquis, tu qui videris huic jugo supposuisse cervices, ac oneri humeros subjecisse, nunquam laboras? Imo persæpe. Nam hodie quoque nonnihil laboravi. Cum enim paulo incautius mihi verbum exsiliisset, ita illud amicissimus quidam meus moleste accepit, ut etiam offensionem suam vultu proderet, et prostratum me ad pedes ejus paulo tardius erigeret. Nec adhuc plene exsudavit animus meus mœrorem illum : Domine, tu scis; non ideo quia ego tarde erectus, sed quia ille offensus, et ego incauto sermone præventus. Et fortè ob singularem familiaritatem, qua ei magis nude loqui consuevi, hic mihi facilius sermo subrepsit, secundum id quod vulgo dicitur, privatus dominus stultum mancipium facit. Et nunc, Domine, inspector infirmitatis meæ, medicus animæ meæ, unica spes salutis meæ, tibi soli peccavi, etiam quod in ipsum peccavi. Non enim ideo peccatum est, quia illum offendi; sed quia ne offenderem tu prohibuisti. Tibi, Domine, tibi soli peccat, quicunque peccat; quia, cum peccatur, aut non fit quod jubes, aut fit quod prohibes. Homicidium, Domine, peccatum est; quia tu dixisti : *Non occides* (*Exod.* xx). Et ideo cum tu aliquando diceres : *Occide*, non solum peccatum non fuit occidere, sed scelus maximum, te jubente nolle occidere. Fraudem quoque damnat tua lex; et tamen cum, te jubente, mutuatis vasis et vestibus Hebræi spoliarent Ægyptum (*Exod.* xv), quoniam tibi paruerunt, non utique peccaverunt. Dicis nihilominus : Non fornicaberis; et idcirco fornicari immanissimum scelus est; nec tamen, te jubente, dubitavit Propheta tuus sumere sibi uxorem fornicariam ut faceret filios fornicationis (*Ose.* i) : quod utique non faceret, si uxorio vinculo sibi eam copulasset. Quanquam dubitetur utrum ad litteram sic factum sit. *Tibi* ergo *soli peccavi* (*Psal.* l). Neque occurrit in Scripturis, hoc facile homini dictum, *tibi peccavi*, quanquam dictum sit : In te peccavi. Nescio quid magnum innuit, quod dictum est, *tibi*. Quid est ergo, *tibi soli peccavi*, nisi : tuo arbitrio æstimandum est peccatum meum, tuo arbitrio judicandum, tuo arbitrio puniendum? Tibi soli peccavi. Ut quid parat lapidem Judæus? Tibi soli peccavi. *Qui sine peccato est*, inquit, *vestrum, primo in illam lapidem mittat* (*Joan.* viii). Illi ergo soli peccavi, cui congruit de peccato judicium; cujus judicii est, quod hoc constat esse peccatum. Tu ergo, Domine, tu ignosce quod peccavi; quia tibi soli peccavi. Quia tamen et in illum peccavi, projiciam me adhuc ad pedes ejus; tu autem inspira ei, ut et ipse ignoscat, quod illud offendi; quanquam sicut tu scis, tunc cum offendere non cogitavi, non volui. Sed ut redeam ad priora : nunquid hic labor meus de jugo Dominico, et non potius de morbo proprio? Sentio profecto quidquid mihi est tranquillitatis, quidquid pacis, quidquid est jucunditatis, hoc totum mihi hoc suavissimum jugum parturire; quidquid vero laboris, quidquid fatigationis, quidquid denique gravitatis ex reliquiis mundialis concupiscentiæ provenire. Sub jugo enim illo, quod infelicissimæ cervici meæ Babylonis, id est confusionis princeps imposuit, infirmata est virtus mea, contrita sunt ossa mea : et quamvis ex aliqua parte sit soluta captivitas, restat tamen ex antiqua oppressione nonnulla infirmitas : ex qua plerumque turbatur jam aliquantulum expertæ suavitatis serenitas, donec ille qui propitiatur omnibus iniquitatibus meis, sanet etiam omnes infirmitates meas, redimensque de interitu vitam meam coronet me in misericordia et miserationibus (*Psal.* ciii) : cum corruptibile hoc induerit incorruptelam, et mortale hoc induerit immortalitatem : et impleatur sermo qui scriptus est : *Absorpta est mors in victoria* (*I Cor.* xv). Interim ex jugi hujus suavitate non modica consolatio, et contra inditam infirmitatem nonnulla conflictatio.

CAPUT XXX.

Quod hi, qui de Dominici oneris gravitate queruntur, mundi potius onere comprimuntur.

Proinde qui de jugi hujus asperitate causantur, forte gravissimum mundialis concupiscentiæ jugum, aut non plene abjecerunt, aut abjectum cum majori confusione resumpserunt; ac a foris jugum Dominicum præferentes, sed ab intus humeros sæcularium negotiorum sarcinæ supponentes, labores et dolores, quibus semetipsos addicunt, gravitati Dominici oneris imputant; sicque præcepta Domini, quæ sicut dicit Joannes, gravia non sunt, fastidientes (*I Joan.* v), et ut canes proprium vomitum repascentes, sub habitu abstinentium, ventrem colunt : sub tunica pœnitentium, ad mundiales glorias et honores anhelant; sub sacro amictu continentium, carnis sordibus maculantur; sub agnino vellere, lupinum gerentes animum, ac inexplebili avaritia æstuantes, domum ad domum, agrum agro copulant, viduis non parcunt, orphanis non miserentur, patrimonia sibi pauperum vendicant, pro his ad lites et contentiones proni, ad judicia parati, pro his continuis curis eviscerantur, inflammantur odiis, anxii cogitationibus dissipantur; quia jugum non Domini, sed mundi asperum est, et onus mundi grave est. Porro jugum Domini suave est, et onus Domini leve est.

CAPUT XXXI.

Quanta sit in charitate perfectio, et quid a cæteris virtutibus distet.

Quid enim suavius, quid gloriosius quam mundi contemptu mundo se cernere celsiorem, ac in bonæ conscientiæ vertice consistentem, totum mundum habere sub pedibus, nihil videre quod appetat, nullum quem metuat, nullum cui invideat; nihil

Digitized by Google

quod possit ab alio auferri, suum esse; nihil quod ab alio sibi possit inferri, malum esse; dumque in illam hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcessibilem conservatam in cœlis, dirigit mentis obtutum, sæculares divitias quasi corruptibiles, carnales illecebras quasi contaminatas, omnes mundi pompas quasi marcessibiles, quadam mentis nobilitate contemnere, et in illud propheticum exsultare : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni; exsiccatum est fenum et cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum?* (*Isai.* XL.) Quid, rogo, dulcius, quidve tranquillius quam turbidis carnis motibus non agitari, carnalium incentivorum incendiis non aduri, ad nullum illecebrosum moveri aspectum, sed tepescentem rore pudicitiæ carnem spiritui habere substratam, non jam ad carnales voluptates illectricem, sed ad spiritualia exercitia obedientissimam adjutricem? Quid tandem divinæ tranquillitati tam proximum, quam ad illatas contumelias non moveri, nullo supplicio, nullave persecutione terreri, unam mentis et in prosperis et in adversis habere constantiam, inimicum et amicum eodem oculo intueri; ad ejus se similitudinem conformare, *qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos?* (*Matth.* v.) Hæc simul omnia in charitate, et nonnisi in charitate simul omnia; ac perinde in illa vera tranquillitas, vera suavitas, quia ipsa est jugum Domini, quam si, Domino invitante, tulerimus, inveniemus requiem animabus nostris, quia jugum Domini suave est, et onus leve (*Matth.* XI). Denique *charitas patiens est, benigna est; non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa* (*I Cor.* XIII), et cætera. Proinde cæteræ virtutes sunt nobis, aut quasi fesso vehiculum, aut quasi viatori viaticum, aut quasi lucerna caligantibus, aut quasi arma pugnantibus : at charitas, quæ, licet ut aliæ virtutes sint, sit oportet in omnibus, specialius tamen ipsa et requies fatigato, et viatori mansio, et plena lux pervenienti, et perfecta corona victori. Quid enim est fides, nisi vehiculum nostrum, quo ad patriam vehimur? quid spes, nisi viaticum nostrum, quo in hujus vitæ miseriis sustentamur? quid quatuor illæ virtutes, temperantia, prudentia, fortitudo, justitia, nisi arma sunt nostra, quibus pugnamus? At ubi charitate, quæ nonnisi in Dei visione perficitur, illis duntaxat quibus hic in fide inchoatur, mors fuerit plenius absorpta, nec fides erit, quia [illegible]i cernitur et amatur, non est opus ut credatur; nec spes erit, quia brachiis charitatis Deum amplexi nihil restat, quod speretur. Verum temperantia pugnat contra libidines, prudentia contra errores, fortitudo contra adversitates, justitia contra inæqualitates; sed in charitate perfecta castitas, ideoque nulla libido, contra quam pugnat temperantia; in charitate perfecta scientia; ideoque nullus error, contra quem pugnet prudentia; in charitate vera beatitudo, ideo nulla adversitas, quam fortitudo devincat; in charitate pacata sunt omnia, ideo nulla inæqualitas, contra quam justitia vigilet. Sed nec fides virtus est, nisi per dilectionem operetur; nec spes, nisi quod speratur ametur. Porro si subtilius advertas, quid est temperantia, nisi amor, quem nulla voluptas illicit; quid prudentia, nisi amor, quem nullus error seducit; quid fortitudo, nisi amor fortiter adversa sustinens; quid justitia, nisi amor æquus quodam moderamine inæqualitates hujus vitæ componens; in fide ergo charitas inchoatur, et in cæteris virtutibus exercetur, in seipsa perficitur.

CAPUT XXXII.

Quomodo opera sex dierum cæteris aptentur virtutibus; septimi vero diei requies charitati assignetur.

Sit ergo fides nobis quasi primus dies, quo fideles ab infidelibus, quasi lux a tenebris separamur. Sit spes secundus, per quam in cœlestibus habitantes, et pro fidei meritis sola super cœlestia sperantes, ab his qui terram sapientes, et a Deo sola terrena flagitantes, sub cœli firmamento aquarum instar dilabuntur et fluitant, Deo promovente, discernimur. Temperantia nobis quasi dies tertius illucescat, in quo membra nostra quæ sunt super terram mortificantibus, ac carnales concupiscentias quasi aquas amarissimas necessariis terminis coercentibus, appareat cordis nostri arida et inaquosa, sitiens Dominum Deum suum. Jam vero prudentia quasi diei quarti lumen erumpat, per quam inter facienda et non facienda, quasi inter diem et noctem, dividamus : cujus adminiculo lumen sapientiæ velut solis splendor effulgeat; lux scientiæ spiritualis, quæ in aliquibus nobis crescit, in aliquibus deficit quasi lunæ decus appareat; per quam etiam præcedentium patrum exempla quasi stellarum globos mens devota suspiciat; per quam inter dies et annos, menses et horas, dividat; quid distet videlicet inter eos qui ante legem et sub lege? quid inter hos et illos qui sub gratia? quid singulis conveniat? quæ præcepta, quæ tempora, qui mores, quæ sacramenta, æqua examinatione discernat? Sit nobis fortitudo quasi dies quintus, per quam hujus maris magni et spatiosi, sæculi videlicet hujus, procellas toleremus; ac pisces spirituales, Deo operante, effecti, vitam nostram inter undas tempestatesque servemus; ac mentis nostræ desideria simul et affectus, quasi volatilia pennata ad cœlestia erigentes, et ea quæ sursum sunt sapientes, multiplices bonorum operum fructus Deo benedicente reddamus. Porro diem sextum nobis justitia dictet, per quam divinam similitudinem reinduti, atrocissimis vitiorum bestiis, terrenisque desideriis, quasi reptilibus, corporisque motibus, quasi jumentis, generosa auctoritate imperemus, agentes, ut corpus menti, mens Deo subdatur; sicque, justitia dictante, cuique quod suum est, tribuatur. Hic iterum benedictio, non jumentis, non reptilibus, sed hominibus. Monemur plane de hac historia, licet ad litteram

Digitized by Google

facta spirituales capere fructus, qui piscibus maris et volatilibus cœli Dei benedictionem legimus accessisse; quam tamen bestiis ac jumentis, sive reptilibus terræ, divinam largitatem non cernimus contulisse, quanquam et ipsa crescant, et multiplicentur, quod muneris et volatilibus præfata benedictione Deus cernitur concessisse. Sic enim scriptum est : *Benedixit illis Deus, dicens : Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram* (*Gen.* I). Bestiis et jumentis nihil horum. Nimirum virtutibus sanctisque affectibus, quos piscibus volatilibusque credimus comparandos, debetur benedictio, debetur multiplicatio, debetur spirituali generatione successio. Verum, sicut homini, ad Dei imaginem et similitudinem creato, bestiæ et jumenta, Deo benedicente, subluntur; sic in ipsam imaginem et similitudinem justitiæ meritis reparato, spirituales bestiæ de quibus Psalmista : *Ne tradas*, inquit, *bestiis animam confitentem tibi* (*Psal.* LXXIII), quibus successio non debetur, Dei imperio substernuntur. Restat septimus dies, id est Sabbatum, in quo omnia ista opera consummantur, in quo requies vera suscipitur, in quo labori nostro terminus ac finis indicitur. Ipsa est charitas virtutum omnium consummatio, sanctarum animarum suavis refectio, honesta morum compositio. Ipsa radix, ex qua omnia bona opera perficiuntur. Ipsa septimus dies divina nos gratia reficit; ipsa septimus mensis, in quo post tentationum diluvium arca cordis suaviter requiescit. Huic servit temperantia; prudentia vigilat; militat fortitudo; justitia famulatur.

CAPUT XXXIII.

Quod in hac vita cæteræ virtutes charitati famulentur; et post istam vitam in charitatis plenitudinem transjta dendæ sint.

Cum enim sit temperantiæ, ut illecebrosos carnis animive motus cohibeat ac retundat, ne scilicet noxiæ voluptatis dulcedinem germanæ dilectionis suavitati mens illecta præponat, prudentiæque pervigil cura inter amanda et non amanda discernat, ne cor incautum charitatis colore cupiditas pallata prævenat, roburque fortitudinis non ob aliud se mundi hujus adversis opponat, nisi ut rebus minus pro voto cedentibus, vel etiam asperis quibusque conglobatim irruentibus, nequaquam legem charitatis animus oppressus excedat, patet profecto hæc tria virtutum vocabulo sic esse censenda, si eorum usus ad charitatem obtinendam vel conservandam omnimodis dirigatur. Alioqui nec virtus temperantia æstimatur; quæ etsi carnis pruritum contegat vel refrenet, dum tamen mens nomine castitatis in avaritiam turpis quæstus abutitur, tam perniciosam interioris hominis lasciviam non coercet. Sed nec virtus ea est prudentia judicanda, qua quisque fallere doctus, non inter amanda et non amanda, sed inter lucra temporalia damnaque discernit, ac charitatis sine reliquo, aliarum pernicie sibi commodi quidpiam comparare contendit. Absit autem ut fortitudo Catilinæ inter virtutes numeretur; quia, licet omnia adversa incredibili modo ferre sufficeret; pro hac tamen fortitudine nonnisi potentiæ mundialis, vel certe propriæ voluptatis pretium captans, semetipsum debito virtuti præmio defraudavit. Proinde quantumcunque sibi temperans popularis gloriæ cupidus videatur, quantumlibet prudens pecuniosus quispiam et astutus vulgi judicio æstimetur; quanquam etiam immani stupore durescens philosophus quis nullis adversitatibus moveatur : quidquid de radice charitatis non pullulaverit, a virtutum fructibus sequestrandum nostri philosophi censuerunt; quidquid structuræ recta linea ad cubitum illum unum non dirigitur, extra spiritualis arcæ fabricam metiendum subtiliter perviderunt. Agit itaque vera temperantia, ne illecta vera prudentia, ne decepta vera fortitudo, ne oppressa mens rationalis normam charitatis excedat. Verum ut sui sectatores in regnum suæ tranquillitatis charitas perfecta transtulerit, cunctis jam carnis illecebris cum ipsa carnis mortalitate consumptis, cunctis errorum tenebris divinæ lucis contemplatione decussis, certaque securitate mundi hujus succedente molestiis, depositis, ut ita dixerim, quibus hoc belli tempore utitur armis, sola sui suavitate reficiet ipsa victores. Ita enim tunc cæteræ virtutes in charitatis plenitudinem sese refundent, ut in illa felicitate nihil aliud temperantia, prudentia, fortitudine putetur quam charitas; tam casta, ut nullis tentetur illecebris; tam lucida, ut nullis interpoletur erroribus; tam valida, ut nullis omnino appetatur adversis. Cujus tranquillitatis statum Dominus mystico nobis sermone promittens, et *auferam*, inquit, *malas bestias de terra, et dormire vos faciam fiducialiter* (*Levit.* XXVI). Atrocissimis namque passionum bestiis a terra nostra, carne scilicet, quam gestamus, ablatis, cœlesti nos faciet somno soporari, cum immenso illius divinæ claritatis pelago absorpti, ac ineffabiliter extra nosmetipsos elati, perfecte vocabimus, et videbimus, quoniam Dominus ipse est Deus, perenne illud charitatis Sabbatum celebrantes, quod S. Isaias propheta describit : *Et erit*, inquiens, *mensis ex mense, et Sabbatum de Sabbato* (*Isai.* LXVI); cum scilicet ex hoc Sabbato, quo quadam charitatis initia degustantes, quantum diei sinit malitia, a negotiosis actibus feriamur, in illud perfectum fuerimus introducti, ubi nulla interpellente molestia, nulla carnis præpediente miseria, diligemus Dominum Deum nostrum ex tota anima nostra, et ex tota virtute nostra, et ex omnibus viribus nostris, et proximos nostros tanquam nosmetipsos (*Deut.* VI). Porro justitiam, qua cuique quod suum est tribuitur, secundum illud Apostoli : *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem* (*Rom.* XIII), fraternæ dilectionis quoddam dixerim incentivum, cujus quidem initium est, nulli nocere; profectus, sine querela se omnibus exhibere. Plurimum enim

Digitized by Google

sibi aliorum mentes benevolentiæ suavitate conciliat; qui quieta sui conversatione offendit neminem, obtemperans senioribus, contemperans æqualibus, junioribus condescendens; primis timorem et reverentiam, mediis honorem et gratiam, posterioribus humilem exhibens compassionem. In re quoque pecuniaria hæc virtus ad charitatis bonum provocat intuentes; quæ secundum præmissum Apostoli præceptum non differt debitum, donec exigat importunus exactor, sed cum quadam potius hilaritate prævenit repetentem. Si ergo hæc virtus temporalium tantum dispensationes amplectitur, nec ipsam tranquillitati illius felicissimi status vereor abrogare: quo summa illa quiete, singulis secundum merita vel præmia, vel supplicia dispensante, illi irrevocabili damnationis sententia feriuntur; illi æternæ beatitudinis præmio munerantur, ut, cum fuerit utrobique æternitas, nulla temporalium possit esse varietas. Verum si altius ipsius justitiæ regulas contempleris, nemo melius, nemo perfectius unicuique quod suum est tribuit, quam is qui diligit diligenda, et tantum diligit, quantum sunt diligenda; Deum scilicet supra seipsum, proximum tanquam seipsum; Deum nonnisi propter ipsum, se et proximum nonnisi propter Deum. Vides, ni fallor, ex charitatis perfectione perfectionem pendere justitiæ, ut nihil aliud videatur esse justitia, quam charitas ordinata: in qua quantum quisque profecerit, tantum et requiescit.

CAPUT XXXIV.

Interveniente morte amici, triplicis concupiscentiæ consideratio differtur, et in ejus epitaphium primus hic liber terminatur.

Consideranda quapropter illa tria videntur, quæ in mundo esse sanctus describit apostolus: *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* II), ne forte, quidquid minus jucundum sub Dominico jugo perferimus, ex harum passionum virulenta radice procedat. Sed ulterius progredi dolor prohibet, et ad flendi magis negotium recens mors Simonis mei violenter impellit. Hinc forte timor ille nocturnus, mentem exagitans meam. Hinc terror ille somniorum, necessariam mihi quietem eripiens; quia videlicet dilectissimus meus subito rapiendus erat e terris. Nec mirandum, si mea mens quadam sui perturbatione ejus præsagiebatur excessum, cujus vita tam delectabiliter fruebatur. Ecce jam timor, quem timebam, evenit mihi; et quod verebar, accidit. Quid dissimulo? Cur sileo? fortasse idcirco manet super me ista tribulatio. Procedat ad oculos, procedat ad linguam, quod corde tegitur; si forte lacrymarum guttulis, stillulisque verborum, conceptam intimis præcordiis mœstitiam, cor dolentis exsudet. Miseremini mei, miseremini mei, si qui estis amici mei, quia manus Domini tetigit me (*Job* XIX). Miramini lacrymantem, imo magis miramini viventem. Quis enim non miretur Aelredum sine Simone vivere, nisi is qui nescit quam dulce fuit simul vivere, quam dulce foret simul in patriam redire? Patienter ergo ferte lacrymas meas, gemitum meum, rugitum pectoris mei. Et tu, dilecte mi, quanquam introductus in gaudium Domini tui, ad mensam illius summi patrisfamilias delectabiliter epuleris, illoque novo genimine vitis in regno patris, cum tuo Jesu feliciter debrieris; patere tamen, ut libeat tibi lacrymas meas, resolvam tibi affectum meum, refundam tibi, si fieri potest, totum animum meum. Noli has lacrymas prohibere, quas dulcis memoria tui, mi charissime frater, educit. Non sit tibi onerosus hic gemitus, quem non excitat desperatio, sed affectus; nec cohibeas has lacrymas, quas pietas elicit, non fidei defectus. Et certe si meministi quo veneris, quid evaseris, ubi illum tuum familiarem reliqueris: cernes profecto quam justus sit dolor meus, quam flenda plaga mea. Dimitte me ergo, ut plagam paululum dolorem meum. Meum: neque enim tua mors flenda est, quam tam laudabilis, tam amabilis, tam omnibus grata vita præcessit, quam commendat illa stupenda conversio tua, illa prædicanda conversatio tua, illa beata perseverantia tua. Vere stupenda conversio tua! Quis enim non obstupescat, quis non miretur puerum tenerum et delicatum, clarum genere, forma conspicuum, talem arripuisse viam, et sic arripuisse? Recessisti, mi dulcis frater, scienter nescius, et sapienter indoctus; qui instar primi illius patriarchæ egressus de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui (*Gen.* XII), ibas qua ignorabas, veniebas quo nesciebas. Sed sciebat ille, qui te ducebat, qui tenerum adhuc cor tuum flamma suæ dilectionis succenderat, et tu in odorem unguentorum illius currebas. Præcessit te ille speciosus forma præ filiis hominum, ille unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis (*Psal.* XLIV), unctus spiritu sapientiæ et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiæ et pietatis (*Isai.* XXI); et tu in odorem unguentorum istorum currebas (*Cant.* I). Præcessit te humilis ille spiritualis per ardua et montuosa, itinera spargens sua aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii; et tu in odorem unguentorum istorum currebas. Præcessit puerum suum puer Jesus, ostendens ei præsepium paupertatis suæ, reclinatorium humilitatis suæ, cubiculum charitatis suæ, refertum floribus gratiæ suæ, pinguescens melle dulcedinis suæ, respersum balsamo consolationis suæ, et tu in odorem unguentorum istorum currebas. Nescio quid magnum, quid ineffabile jam tunc mens illa prægustaverat, quæ corpusculo fame deficienti, quasi jumento lassescenti, feni pabulum credidit ministrandum. Fugiebat pius puer a facie patris sui, sed magis ad faciem patris sui. Voluit quidem oblivisci populum suum, et domum patris sui, ut concupisceret Rex, Regis filius, decorem suum, et essent duo in spiritu uno, quatenus ejus fieret pater per gratiam, qui illius est per naturam. O mira devotio; o mira sui ipsius oblivio! Parum fuit æmulatori venerabi-

Digitized by Google

ti patriarchæ Joseph, relicto mulieri Ægyptiæ palliolo quo tenebatur astrictus (*Gen.* XXXIX), nudum e manibus amplectentis elabi, sed insuper evangelicæ perfectionis strenuus exsecutor, de crastino non cogitabat. Denique iter laboriosum satis sine viatico arripiens, deficientibus jam jamque præ inedia membris, « audivi, inquit, servos Christi herbis pasci. Quare non et nos? » Divertensque paululum ab itinere, cœpit carpere. « O, inquit, quam dulce! O bone puer, quid tibi sapiebat? Quid rogo, herba illa, an fides; fenum, an charitas? Sapiebat plane, sed Jesus in corde; et ideo fenum in ore. Unde, quæso, unde ista puero? Tua sunt ista, Domine Jesu, qui das et accipis, præstas, et exigis. Quis enim tibi dat aliquid non tuum? Sed et si quis dare voluerit, quod a te non accepit, non dignaris accipere. » Accepit igitur, Domine Jesu, puer iste; accepit a te, et reddidit; accepit, et obtulit. Accepit et obtulit hanc mentis devotionem, hunc fidei fervorem, hunc dilectionis ardorem.

Tua ergo omnia, Domine, qui primordia conversionis ejus his miraculis dedicasti, qui piæ conversationis ejus gratum postmodum sacrificium suscepisti, qui nunc holocaustum illud acceptissimum in sublime illud templum tuum misericorditer transtulisti. Ibi in sinu Abrahæ requiescit Simon meus, dulcissimus amicus meus, tuus autem pauper, Domine Jesu: ibi requiescit, translatus de morte ad vitam, de labore ad requiem, de miseria ad felicitatem. Ecce qui dolere cœperam, inveni unde gaudeam. Inveni plane, sed in te, mi dilecte frater, non in me. *Nolite*, ait, *flere super me; sed super vos ipsas flete* (*Luc.* XXIII). Tibi, mi dilecte frater, tibi congaudeo; sed mihi condoleo. Tibi gaudendum est, ego flendus, ego dolendus, qui possum sine Simone vivere. Mirum tamen, si vivere dicendus sum, cui ablata est tanta portio vitæ meæ; tam dulce solatium peregrinationis meæ; tam unicum levamen miseriæ meæ. Quasi avulsa sunt viscera mea, quasi dilaniata infelix anima mea. Et vivere dicor? O miserum, o dolendum vivere! sine Simone vivere. Flevit patriarcha Jacob filium suum (*Gen.* XXXVII): flevit Joseph patrem suum (*Gen.* L): flevit sanctus David Jonathan charissimum suum (*II Reg.* I). Omnia hæc mihi unus Simon fuit. Filius ætate, pater sanctitate, amicus charitate. Plora ergo, miser, charissimum patrem tuum, plora amantissimum filium tuum, plora dulcissimum amicum tuum. Rumpantur cataractæ miseri capitis, deducant oculi lacrymas per diem et noctem. Plora inquam, non quia ille assumptus, sed quia tu relictus. Pater mi, frater mi, fili mi, quis mihi det, ut ego moriar tecum? Nollem enim pro te. Hoc enim non esset tibi, sed potius mihi consuluisse. Dicebat quidem hoc de filio parricida sanctus David: *Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det, ut ego moriar pro te?* (*II Reg.* XVIII.) Nunquid hoc dixit de Jonatha amico suo? Nunquid hoc Joseph de patre suo? De parricida dici debuit; de peccatore hoc dici debuit, quia mors peccatorum pessima. Pium erat, velle mori pro impio, ut esset qui pœniteret, esset qui fleret, esset cui misereretur Deus, ne in æternum periret. At illi translati ad requiem non erant ulterius in hanc miseriam revocandi; non erat tot timoribus, tot doloribus iterum subjiciendi.

Denique *Rachel plorans filios suos noluit consolari* (*Jer.* XXXI). Quid plorabat? Affectus. Affectus autem consolaretur, si filius a mortuis revocaretur, si ejus aspectibus mater iterum frueretur. Hoc noluit Rachel. Quare? Quia si ille a mortuis revocaretur, de beatitudine in miseriam devolveretur. Noluit autem ut filius revocaretur: sed ut illa ad filium in requiem assumeretur. Affectus filios requirebat, ne revocarentur, affectui ratio obsistebat; matris vero assumptionem divina providentia differebat: Ideo *Rachel plorans filios suos noluit consolari*. Similis causa mihi. Doleo dilectissimum meum, unicordem meum mihi ereptum, gaudeo eum in æterna tabernacula assumptum. Quærit affectus dulcem ejus præsentiam, qua delectabiliter pascebatur: sed non acquiescit ratio, ut dilecta mihi anima carne soluta iterum carnis miseriis addicatur. Optat anima mea simul cum illa sua portione frui amplexibus Christi, sed obsistit infirmitas mea, obsistit iniquitas mea, obsistit etiam divina providentia. Certe qui paratus erat, intravit cum sponso ad nuptias; mihi misero adhuc clausa est janua (*Matth.* XXV): Utinam, Domine Jesu, utinam quandoque aperiatur! Spero autem in tua misericordia, Domine, quod aliquando aperiatur. Præmisi primitias meas; præmisi thesaurum meum; præmisi non modicam mei portionem. Sequatur ad te quod mei restat. Ubi est thesaurus meus, ibi sit et cor meum. Sequar hic, Domine, itinera ejus, ut in te fruar consortio ejus. Et poteram quidem, Domine, licet lento pede, cum oculis hic objiceretur pia conversatio ejus; cum superbiam meam retunderet conspecta humilitas ejus, cum inquietudinem meam reprimeret considerata tranquillitas ejus, cum levitas mea constringeretur freno miræ gravitatis ejus. Memini me sæpe, cum oculis huc illuc que discurrerem, ad unum ejus aspectum tanto pudore perfusum, ut subito intra memetipsum receptus, manu gravitatis omnem illam compescerem levitatem, ac me ad me colligens inciperem mecum aliquid utile actitare. Simul quidem loqui ordinis nostri prohibebat auctoritas, sed loquebatur mihi aspectus ejus, loquebatur mihi incessus ejus, loquebatur mihi ipsum silentium ejus. Aspectus pudicus, maturus incessus, gravitas in sermone, silentium sine amaritudine.

Denique hoc ultimo anno vitæ suæ, quasi futuræ vocationis suæ non inscius, quanta tranquillitate, quanta pace, quanta circumspectione vitam exigebat! Videbatur quasi omnium exteriorum, etiam mei oblitus, ac infra quasdam suæ mentis

Digitized by Google

inclusus angustias virum illum expressius depinxisse, quem sanctus Jeremias propheta describens : *Bonum est*, inquit, *viro, cum portaverit jugum ab adolescentia ; sedebit solus, et tacebit, quia levabit se super se* (*Thren.* III). Suscepit quidem jugum disciplinæ tuæ, Domine Jesu, florescente ætate, eligens arctam illam viam quæ ducit ad vitam, in sudore vultus sui vesci pane suo, et alieno judicio suam subdere voluntatem. Portavit etiam grave jugum infirmitatis ab ipsa adolescentia, qua cum usque ad extrema ejus per octennium, ut reor, sine ulla interpolatione paterno flagellasti affectu. Et ideo exterius nihil pene inveniens quo oblectaretur, in interiorem suæ mentis solitudinem sese recluserat, solus sedens et tacens, non tamen otio torpens. Scribebat enim vel legebat, vel meditationi Scripturarum, quippe cui erat vigil sensus, secretius intendebat. Vix cum priore saltem de necessariis loquebatur. Incedebat tanquam surdus non audiens, et sicut mutus non aperiens os suum, factus sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones. Verum si quis cum accepta occasione quolibet conveniret affatu, tanta mox redolebat in ejus sermone suavitas, tanta in vultu sine omni dissolutione apparebat hilaritas, ut quam fuerit silentium ejus vacuum amaritudinis, plenum dulcedinis, et modus loquendi, et humilitas proderet audiendi. Ecce quid perdidi : ecce quid amisi. Quo abisti, o exemplar vitæ meæ, compositio morum meorum ? Quo abisti, quo recessisti ? Quid faciam ? Quo me vertam ? Quem mihi jam sequendum proponam ? Quomodo avulsus es ab amplexibus meis, subtractus oculis meis, subductus oculis meis ? Amplexabar te, dilecte frater ; non carne, sed corde. Osculabar te, non oris attactu, sed mentis affectu. Dilexi te, qui me ab ipso initio conversionis meæ in amicitiam suscepisti, qui te mihi præ cæteris familiarem exhibuisti, qui in ipsis visceribus animæ tuæ me Hugoni associasti. Tanta enim tibi erat circa utrosque dilectio, tam similis affectio, tam una devotio, ut, sicut mihi videor ex verbis tuis collegisse, neutrum alterius tuus præferret affectus, quamvis ejus sanctitatem mihi omnino præferendam certa ratio judicaret. Cur ergo me absente transiisti ? Cur quem solum pro duobus præsentem habuisti, discedens præsentem noluisti ? An parcendum utrique, scilicet et tibi et mihi æstimavisti, ne meos conspectus tuus exitus afflictaret, et lætum tuum exitum ac tranquillum dolor meus vel modice contristaret ? An forte, quod magis credo, tibi soli pietas divina prospexit, ut tranquillam ac pacificam illam animam in desideratam tibi patriam ab hujus vitæ miseriis cum omni tranquillitate transferret, ac corporei habitaculi vinculum, te pene nesciente, tanta solveret facilitate, ut nec modicus mortis timor dilectam sibi animam molestaret ?

Denique is qui lectulo accubabat tuo, nullum in te vicinæ mortis deprehendit indicium : imo vultus hilarior, sermo facilior, spem revocandæ salutis augebant. Porro cum caput tuum suaviter reclinans spiritum reddidisses, obdormisse te credidit, non obiisse. Tibi ergo, mi dilecte frater, tibi consultum est, qui cum tanta tranquillitate transiisti, qui pacifica tua morte, a pacis ministris te fuisse susceptum, manifestissime prodidisti. Nec mirum. Non enim horam illam horruisti, sed potius desiderasti, qui pridie quam a nobis discederes, visitanti te monasterii nostri præposito, nullas te ulterius vitæ inducias optare dixisti. Quid igitur profecisti, o amara mors ? quid profecisti ? Invasisti certe tabernaculum ejus, in quo peregrinabatur, sed rupisti vinculum quo tenebatur. Obruisti domicilium quo interim fruebatur, sed tulisti sarcinam qua premebatur. *Scimus*, inquit Apostolus, *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus domum non manufactam a Deo, æternam in cœlis* (*II Cor.* v). Ergo jam illa anima amica virtutibus, quietis cupida, studiosa sapientiæ, victrix naturæ, exuto hujus carnis involucro, liberioribus, ut ita dixerim, pennis ad illud sublime et purum bonum evolat : ac diu cupitis Christi excipitur amplexibus. Sed caro, inquis, terræ mandata, in cineres solvitur. Ita plane. Sed quid exsultas ? Mortua est, ut vivificetur ; dissolvitur, ut melius reparetur. Seminata est in corruptione ; sed surget in incorruptione. Seminata est in ignobilitate, sed surget in gloria. Denique seminatum est corpus animale ; surget spirituale. *Ubi est, mors, victoria tua ; ubi est, mors, stimulus tuus ?* (*I Cor.* xv.) Certe ubi videris in eum aliquid fecisse, inde convinceris profuisse. In me ergo totum tuum virus evomuisti ; et illum appetens dira mihi vulnera inflixisti. Ego ego tuli, quod amaritudinis, quod acerbitatis, cui ablatus est dux itineris mei, magisterium conversationis meæ. Sed quidnam est, o anima mea ? quod dulce illud funus tandiu sine lacrymis aspexisti ? Quid est quod dilectum tibi corpus illud sine osculis dimisisti ? Dolebam miser et rugiebam ; et ab intimis præcordiis trahebam longa suspiria ; nec tamen flebam. Tantumque mihi dolendum esse pervidebam, ut nec dolere me crederem, etiam cum vehementer dolerem. Sic postea sensi. Tantus quippe stupor mentem invaserat meam, ut etiam nudatis jam ad lavacrum membris transisse non crederem. Mirabar enim cum, quem arctis dulcissimi amoris vinculis mihi astrinxeram, subito elapsum manibus : mirabar animam illam, quæ cum mea una erat, sine mea corporis exui posse complexibus. Sed jam cessit ille stupor affectui, cessit dolori, cessit compassioni. Nunc quid agitis, oculi ? Nolite, quæso, parcere : nolite dissimulare. Præbete in exsequiis, dilecti mei quidquid habetis, quidquid potestis. Quid erubesco ? An solus ploro ? Ecce quot undique lacrymæ, quot gemitus, quot suspiria ! An hæ lacrymæ reprehendendæ ? Sed excusant nos tuæ lacrymæ, Domine Jesu, quas in morte amici tui fudisti (*Joan.*

Digitized by Google

11), exprimentes quidem nostram affectionem ; sed tuam insinuantes charitatem. Induisti Domine, nostræ infirmitatis affectum, sed quando voluisti : ideo et non flere potuisti. O quam dulces lacrymæ tuæ ! quam suaves ! O quantum sapiunt anxiæ menti meæ ! quantum consolantur ! *Ecce*, inquiunt, *quomodo amabat eum* (*ibid.*). Et ecce quomodo meus Simon amabatur ab omnibus, amplectebatur ab omnibus, ab omnibus fovebatur. Sed forte judicant nunc aliqui fortes lacrymas meas, nimis carnalem existimantes amorem meum. Interpretentur eas, ut volent ; tu autem Domine vide eas, respice eas. Vident alii quid exterius agitur, quid interius patiar non attendunt. Ibi tui oculi, Domine. Certe in oculis meis nihil habuit hic servus tuus, quod vel impedimento ei sit ad tuos transire amplexus. Sed nemo scit hominum quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Tuus autem, Domine, oculus penetrat usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et est discretor cogitationum, et intentionum cordis. Et, ut ait quidam laudabilis servus : *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate discutiatur.* Ecce, Domine, unde timor meus, ecce unde lacrymæ. Attende eas, o piissime, dulcissime, misericordissime. Suscipe eas, o unica spes mea, unum et solum refugium meum, finis intentionis meæ, Deus meus, misericordia mea. Suscipe eas, Domine, sacrificium, quod tibi offero pro dilectissimo amico meo, et si quæ in eum maculæ resederunt, aut ignosce, aut mihi imputa. Ego, ego percutiar, ego flageller, ego totum pendam ; tantum, quæso, ne illi abscondas beatam faciem tuam, ne illi subtrahas dulcedinem tuam, ne illi differas piam consolationem tuam. Experiatur, mi Domine, dulcedinem misericordiæ tuæ, quam tam vehementer optavit, de qua tanta securitate præsumpsit, quam tanto affectu commendavit, quæ ei tam delectabiliter sapuit nocte illa, cum cæteris sese ad quietem recipientibus, uno ei fratre ad excubias relicto, in hanc vocem gratulabundus erumperet : *Misericordiam, misericordiam, misericordiam.* Conabatur, ut aiunt, versiculum illum ex integro psallere : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* c). Verum, ut reor, primi illius verbi dulcedine revocatus, in ejus repetitione familiarius immoratus, denique convertens se ad eum qui ejus lectulo assidebat, eumdem sermonem crebro repetiit. Cernens quoque illum quodam quasi stupore suffundi, velut indignatus tantam ejus insensibilitatem, quod videlicet simili non perfunderetur dulcedine, simili sapore frueretur, cœpit manu quasi velle excitare sopitum, et expressiori, arctioriique voce ingeminat : *Misericordiam, misericordiam.* Quid est quod intueor, mi Domine? Videor mihi certe quasi oculis cernere mentem illam, ad hujus versiculi haustum quodam ineffabili gaudio resolutam, dum cerneret peccata sua, immenso hoc pelago divinæ miserationis absorpta, nihil reliquisse quod premeret, nihil quod ejus conscientiam vel modice obfuscaret. Libet intueri animam illam, fonte divinæ misericordiæ dilutam, deposito pondere peccatorum, ipso naturali impulsu levissimis quibusdam moribus ad superiora conari, carnisque exuviis jam jamque exui gestientem, ipsam tantum Dei misericordiam, cui tota innititur, meditari. Eia, convertere nunc, o anima, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi ; transi ad locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei, in voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis. Ego te prosequar lacrymis meis, prosequar te qualibuscunque precibus meis, prosequar te affectu meo, prosequar ipso singulari Mediatoris nostri sacrificio. Et tu pater Abraham, etiam atque etiam extende, ad suscipiendum hunc pauperem Jesu, alium quemdam Lazarum (*Luc.* XVI), manus tuas, aperi gremium tuum, expande sinum, et a vitæ hujus miseriis revertentem pie suscipe, fove, consolare. Mihi quoque misero, qualicunque dilectori suo, in ipso sinu tuo cum ipso aliquando locum quietis indulge. Amen.

LIBER SECUNDUS.

In quo obviat auctor querelis quorumdam.

CAPUT PRIMUM.

Quid in primo libro proposuerit considerandum : et quod manifeste vitiosi ab hac sint consideratione removendi.

Superiore opusculi hujus parte de charitatis perfectione disserentes, in ea omnium virtutum summam consistere, sicut valuimus, demonstravimus. Neque enim virtus dicenda est, quam radix ista non protulerit; nec opus perfectum æstimabitur, quod finis iste non concluserit. In hac et legis consummatio et evangelica probatur esse perfectio : cum in ea et spiritualis interioris exteriorisque hominis circumcisio, vera mentis sabbatizatio ; veritas sacrificiorum, et omnis sit plenitudo præceptorum. Et de circumcisione quidem superius pauca perstrinximus, mentis sabbatum nusquam, nisi in charitate esse, aut esse posse, ostendimus. Ipsa est namque jugum illud suave, et onus leve, ad quod nos Salvatoris invitat clementia. *Et invenietis*, inquit, *requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Verum, quia plerique nostrum, qui videmur huic jugo supposuisse cervices, in multis convincimur laborare,

Digitized by Google

conati sumus ostendere, captivitatis jugum hunc parturire laborem. Unde tria illa proposuimus consideranda, in quibus evangelista Joannes omnigenam videtur comprehendisse cupiditatem, concupiscentiam scilicet carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ (*I Joan.* II). Sed interveniente morte dilectissimi nostri interruptum est opus : aliquodque tempus lacrymis et planctui indulgentes, hanc considerationem alteri exordio reservavimus. Igitur ut a Pauli verbis sumamus initium, dicimus quia *radix omnium malorum est cupiditas* (*I Tim.* VI), sicut a diverso radix omnium virtutum charitas. Proinde quandiu in ipsis animæ præcordiis radix hæc virulenta resederit, licet summatim quidam ramusculi recidantur, germine redivivo necesse est alios pullulare, donec radix ipsa evulsa radicitus, unde perniciosissima vitiorum soboles oriatur, ulterius non relinquat. Porro sunt quidam, qui manifestioribus, et, ut ita dicam, crassioribus implicati vitiis, confusionis suæ notam prima mox fronte prætendunt : quos a præsenti consideratione æstimo semovendos; quod eorum mentem omni vacuam requie satis superius demonstratum sit. At nos qui evangelico jugo, quod suavissimum Salvatoris sententia manifestat, Dominicoque oneri, quod levissimum ejusdem nihilominus probat auctoritas (*Matth.* XI), videmur mentis humeros subjecisse, et tamen convincimur laborare, nos, inquam, professores crucis Christi, assumpta clave verbi Dei, reserentes claustra pectoris nostri, et penetrantes usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, discernamus cogitationes et intentiones cordis; et sine adulatoria palpatione quid in ipsis animæ recessibus secretius latitet pervidentes, ipsos potius morborum radices eruere conemur.

CAPUT II.

Quod labor exterior pro interioris qualitate formetur, et ab illo aliquando minuatur.

Sane labor iste non carnis, sed cordis est, sicut et requies de qua agimus, cordis constat esse, non carnis, quanquam exterior labor pro interiori qualitate formetur, nec dicendus sit exterior labor ullus, si interior fuerit nullus. Verbi gratia, attende venatores vel aucupes, vel quoslibet talium vanitatum sectatores. Si exteriores corporis motus perspexeris, quid laboriosus? Si mentis qualitatem, quid delectabilius? Idipsum, etiam in laudabilibus indicare facillimum est. Quantus apostolis labor exterior! cum in carcerem traderentur; cum astringerentur vinculis; cum flagris acerrime cæderentur. Et tamen *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V). Quam multis tunc sacrilegis similis pœna! sed quia dissimilis conscientia, illi utrobique miseri, et interius et exterius laborabant; isti ad interiorem requiem in pœnis exterioribus exsultabant. Nec mirandum, cum plerumque interiore labore exterior minuatur : et gravissimi corporis æstus æstibus animi temperentur. Quis enim labor adulteris? quæ pœna latronibus? Illis, ut male cupitis excipiantur amplexibus; istis, ut alienis spoliis perfruantur. Sed ille interius face libidinis ardens, quid exterius patiatur, ignorat; hunc avaritiæ flamma secretior manifestas facit pœnas corporis non sentire. De quibus propheta : *Ut inique agerent, laboraverunt* (*Jer.* IX). His igitur diligenter inspectis, patet profecto nequaquam exteriores corporis passiones interiorem parturire laborem, sed radicem internis visceribus residentem, quidquid exterius recidit, pro sui conformare natura. Quid enim est quod duobus ad eamdem mensam residentibus, eisdem appositis cibis, alter exsultat, murmurat alter? Quid, quod eisdem exceptis vulneribus alter tristitiæ languore dejicitur, alter mira jucunditate perfunditur; duo simul orbitatis sive paupertatis infortunio feriuntur, et tamen iste blasphemat, gratias agit ille. Eadem species utriusque ingeritur oculis, et unus turpiter commovetur, alius solita sibi pace perfruitur. Oblata occasione honoris cujuslibet ambiendi, alter tanta dominandi libidine inflammatur, ut spe culminis potiundi nihil sceleris committere perhorrescat; adeo alter ab hac passione liber existit, ut oblatas quoque dignitatum insulas, aut non, aut vix suscipere acquiescat.

CAPUT III.

Quod omnia accidentia charitas sua temperet tranquillitate, cupiditas omnia sua corrumpat perversitate.

Nonne et corporibus idipsum accidere manifestum est, ut pro sanitatis utique qualitate, ea, quæ exterius accidunt, aut molesta experiantur, aut grata? Nam cibus, qui morbum anget alterius, alterius proficit sanitati et sol qui lumen oculo eripit lippienti, sano jocundius illucescit. Sicut ergo in corporibus, pro interioris naturæ modo, ea quæ exterius adhibentur, aut salubria inveniuntur, aut noxia, ita præmissis indiciis facile pervidetur, ex interna mentis qualitate hujus requiem, istius pendere laborem. Mentem enim, quam suavissimum ac tranquillissimum Domini jugum, charitas videlicet perfecta possederit, in suæ tranquillitatis statum accidentia quæque transfundet, non sinens eam ullis rerum perturbationibus commoveri, sed ipsas rerum permutationes ad sui profectus usum proficere compellens. At si mens gravissimo fuerit jugo cupiditatis addicta, quandiu quidem nulla fuerit commotionis occasio, dominici jugi suavitatem requies remissa mentitur : sed causa cujuslibet indignationis oborta, mox de cordis recessibus quasi de abditissimis cavernis, bestia sæva prorumpens, dirissimis passionum morsibus miseram animam lacerat et crueiat, nullum paci, nullum ei requici tempus indulgens. Computrescat itaque jugum a facie olei, jugum scilicet cupiditatis a præsentia charitatis; et statim experitur sarcina Christi, ut ait quidam, quam sit levis, quam suavis quam jocunda.

Digitized by Google

quam in cœlum rapiens, et a terra eripiens. Quocirca si requiei hujus dulcedinem volumus experiri, laboris nostri causas et radices sollicite exquiramus, non affectu tepido, quasi ferro retuso, exteriora tantum recidentes, sed ad ipsas morborum origines vehementiori desiderio penetrantes.

CAPUT IV.

Quod a triplici concupiscentia omnis labor interior oriatur.

Puto autem, quia si subtilius indagemus, quidquid nobis laboris oboritur, vel a carnis concupiscentia, vel a concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, quasi quibusdam venenosis fontibus derivari, manifestissime cognoscemus. Si ergo adhuc cibus me contristat asperior, laborem mihi concupiscentia carnalis indicit : nec ideo laboro, quia jugum Christi suscepi, sed quia non plene jugum cupiditatis abjeci. Quid si lautioris edulii inflammatus ardore, vilioris appositione conturbor; vel si solito minus, vel si tardius, vel negligentius præparetur, murmurationis peste consumor ? Quid mihi has parit angustias, passio cupiditatis, an suavitas charitatis ? Quid si monachus quis pro numero nocturnalium lectionum a suo præposito numerum sibi exigat ferculorum : et pro solemnitatis cujuslibet excellentia dapes esculentiores, ac peregrinos expetat sapores ? Quid si, cum horum aliquid aliqua occasione defuerit, in lites ac contentiones erumpat; ac pessimæ passionis æstus ferre non sustinens, importunis clamoribus, occultis susurrationibus fratrum pacem perturbet ? Nonne ei jugum hujus miseræ servitutis, ac vilissimi laboris angustias, concupiscentia mundialis invexit ? Quos bene Jacobus redarguens : *Unde*, inquit, *lites et contentiones in vobis ? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris* (*Jac.* IV).

CAPUT V.

De eorum sententia, qui exteriores labores charitati et interiori dulcedini dicunt esse contrarios.

Sed assiduis, inquis, vigiliis corpus tabefacere; quotidianis laboribus carnem affligere; vilissimis cibis membrorum labefactare vigorem; non solum non modici laboris; sed et ei, quam tantopere niteris commendare, adeo charitati constat esse contrarium ut totam mentis suavitatem evacuans, omni eam spirituali dulcedine reddat effetam. Hæc est illa ridenda quorumdam opinio, qui spiritualem dulcedinem in carnis quodammodo suavitate constituunt, asserentes corporis afflictionem contrariam esse spiritui, exteriorisque hominis passiones interioris minuere sanctitatem. Cum enim, inquiunt, caro ac spiritus affectu sibi naturali cohæreant, necesse est suas invicem communicent passiones; ac sic impossibile, ut non hujus oppressione alterius hilaritas perturbetur, ita ut in illud gaudium spirituale mœroris quadam anxietate dejectus spiritus nullatenus valeat respirare. Acute hæc vel investigari videntur, vel probari. O rem pudendam ! secundum regulas Hippocratis gratia quæritur spiritualis. Sic nimirum, sic errant : qui physicis argumentis, magis quam præceptis apostolicis innituntur. Plane hæc est sapientia, non desursum descendens, quæ primum quidem pudica, est deinde pacifica : sed prorsus terrena, animalis, diabolica. Hæc est sapientia verbi, quæ cum suavitatem doceat carnis, crucem Christi evacuare contendit : in qua profecto quantum ad carnem nihil est suave, nihil molle, nihil tenerum, nihil omnino delicatum. Sed non illa evacuatur. Illa potius hanc delicatam doctrinam evertit; quam clavi sacris inditi membris expugnant; quam lancea illa dulcibus impressa visceribus acumine salutari debellat. Ego prorsus contra sentio, audacterque pronuntio, carnis afflictionem, si sana præcedat intentio, et fuerit servata discretio, quam tamen non propria conjectura, sed exemplis majorum capere oportet, ne forte remissio et dissolutio sub colore se discretionis obpalleant; sic, inquam, carnis afflictionem non spiritui contrariam, sed nec divinam minuere consolationem, sed potius sentio provocare : adeo ut hæc duo semper æquari in hac duntaxat vita existimem; exteriorem scilicet tribulationem, et interiorem consolationem. Quid ergo, inquis ? Tuæne sententiæ, magis quam propriæ credam experientiæ ? Et quid, si alius longe aliud se testetur expertum ? Cui vestrum potissimum credam ? Tu arrepta arctiori conversatione diminutam tibi autumas gratiam spiritualem : ille quo magis affligitur, eo majorem divinæ dulcedinis gratiam experitur. Cujus ergo sententiæ accommodanda est fides ? An et hic physicis rationibus divinam gratiam substernendam putabimus ? Absit, absit ! Plane cui vult miseretur. Forte ergo huic divitiis et deliciis affluenti suæ consolationis dulcedinem impertit : quam a pauperculo suo pro se quotidie morienti rigida censura suspendit. Absit hoc de illo dulcissimo, suavissimo, piissimo, compatientissimo sentire. Sed si ego dico, potes dubitare : si autem Christus dicit, hæreticum est non credere.

CAPUT VI.

Apostolica et prophetica auctoritate præmissa sententia confutatur.

Accedat ergo ille athleta fortissimus, testis fidelissimus, disputator egregius, in quo Christus loquitur, qui pro Christo quotidie moritur, qui omnem tribulationem patitur, cui foris pugnæ, intus timores, qui castigat corpus suum et in servitutem redigit, qui non gratis panem suum manducat, sed in fatigatione nocte ac die operatur, cujus manus et [his] sibi, et qui cum eo sunt, necessaria subministrant : qui denique in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in frigore et nuditate, sub signis Jesu acerrimus miles insudat : ille, inquam, hanc dirimat quæstionem, et utrum tanta tribulatio, tam mira fatigatio, consolationem ei subtraxerit spiritualem, ostendat. Forte caput tot vigiliis et laboribus, ab omni humore naturali siccatum, nullam producere lacrymam prævalebat ; et cor ob tot

Digitized by Google

pressuras marcidum, nihil spiritualis dulcedinis hauriebat. Sed video eum scribentem quibusdam, cum multa tribulatione et angustia cordis, per multas lacrymas ; video eum lugentem quosdam, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam ; video cum gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus ; audio ingemiscentem, eo quod nolit exspoliari, sed supervestiri. De spirituali ejus dulcedine quid dicam, cum ad ejus suavissimum gustum, etiam quæ sibi videbantur lucra arbitratur ut stercora ? Nonne mira dulcedine provocatus, ad ipsos Christi gestit amplexus, *Cupio*, inquiens, *dissolvi, et esse cum Christo, multo enim melius?* (*Philip.* I.) Nonne mira Christi dilectione debriatus, omnem gloriam prorsus abjurat, *Nisi*, inquit, *in cruce Domini mei Jesu Christi ?* (*Gal.* VI.) Nonne fervore nimiæ charitatis excitus anathematizat non amantes Dominum Jesum. *Si quis*, inquit, *non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit, Maran Atha !* (*I Cor.* XVI). Ipse tamen dicat, utrum sine consolatione in sua sit tribulatione relictus, et quid in nostra tribulatione nobis sperandum sit, manifestet ; sicque serpentinum caput, quod virus hoc noxium humanis insibilat sensibus, apostolico mucrone confodiat. Ipsius namque sunt hæc, qui super ventrem repit, qui terram comedit, qui sub umbra dormit in locis humentibus, qui negotium ventris et libidinis, sub colore actitat sanctitatis. Sic enim facilius simplices quosque ab apostolica paupertate et evangelica puritate cogitat exterrendos, si majorem divinæ dulcedinis gratiam, in remissiori vita sibi æstiment adfuturam. Si sanctius credent inter epulas et vina, inter regalia fercula et apparata convivia, inter otiosas confabulationes et nocturnas potationes, madentia lacrymis ora præferre, quam in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in frigore et nuditate, et propriæ voluntatis mortificatione, in diurna fatigatione, in mundi contemptu, et carnis despectu, pallentia ora siccis præferre obtutibus. Dicat ergo Paulus utrum suos in præsenti tribulatione, pius ille consolator sine consolatione relinquat, et hæresim Joviniani iterum pullulantem, sua auctoritate præoccupet. Perniciosior tamen hæc hæresis ; quam Joviniani videtur, nam cum illa epulas abstinentiæ æquarit, ista præponit. Ergo qui majorem divinæ dulcedinis consolationem, in carnis suavitate quam tribulatione constituunt, Paulum audiant dicentem : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (*II Cor.* I). Sive ergo jejuniis maceremur, sive afficiamur vigiliis, sive laboribus atteramur, benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, et si lapidibus obruamur, et si vinculis astringamur, et si cædamur virgis, et si carceris toleremus angustias, benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Fremat mundus, sæviat mundus, insectetur odiis, aggrediatur maledictis, diripiat substantiam, commaculet famam : benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra : *Ut possimus*, inquit, *et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt* (*ibid.*) Et hic non his qui in divitiis et deliciis, sed his, qui in omni pressura sunt, suam consolationem promittit. Et nihil quæstioni relinquens, adjecit : *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Quid manifestius ? Hoc est plane, quod paulo ante diximus, duo scilicet hæc coæquari, exteriores passiones et interiores consolationes. Quis est ergo tam hebes, tam præsumptuosus, ut contra manifestissimam veritatem et apostolicam auctoritatem, physicis rationibus innitens, communicationem passionum Christi contrariam esse spiritui, et spiritualis dulcedinis imminuere gratiam, impudenti vanitate affirmet? Communicare passionibus Christi est regularibus disciplinis subdi, carnem per abstinentiam, vigilias, et labores mortificare, alieno judicio suam subdere voluntatem, nihil obedientiæ præferre, et ut brevi multa complectar, professionem nostram, quæ secundum Regulam beati Benedicti facta est, exsequi, hoc est, passionibus Christi participare, teste eodem legislatore nostro, qui ait (21) : « Et ita in monasterio usque ad finem perseverantes, passionibus Christi per patientiam participemus ut regni ejus mereamur esse consortes. » Hoc ipsum et Apostolus : *Scientes*, inquit, *quoniam sicut socii passionum estis ; sic eritis et consolationis* (*II Cor.* I). Quam sit autem necessaria exterioris hominis afflictio, manifestissime perdocemur, eodem Apostolo ita pronuntiante : *Etsi exterior homo noster corrumpitur, tamen is qui interior est, renovatur. Id enim quod in præsenti est, momentaneum et lere tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (*II Cor.* IV). Denique Salomon quibus divina consolatio sit infundenda, mysticis verbis declarat, dicens : *Date siceram mœrentibus, et vinum his, qui amaro animo sunt. Bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris non recordentur amplius* (*Prov.* XXXI). Aperte his verbis vinum illud quod lætificat cor hominis, non otio dissolutis, non diem in cachinnis et fabulis expendentibus, sed his qui amaro sunt animo, repromittit, siceramque illam, quæ de pomis novis et veteribus, quæ in sponsi deliciis sponsa conservat, conficitur, non epulantibus et potantibus, sed propter angustias hujus vitæ mœrentibus, et egestate et dolore laborantibus, pronuntiat esse donandam. *Bibant*, inquit, *et obliviscantur egestatis suæ*, laboris videlicet magnitudinem divina consolatione asserens minuendam. Cui sententiæ apertissime concinit Psalmista : *Secundum multitudinem*, inquiens, *dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificarerunt animam meam* (*Psal.* XCIII).

(21) S. Bened. prolog. *Reg.*

Digitized by Google

Nemo ergo arduam illam viam, quæ ducit ad vitam, exhorreat, nemo remissiorem, quam semel abjecit, timida infelicitate repetat; sed sicut ait noster legislator, sustinens non lassescat, nec discedat: sciens quia secundum multitudinem laborum quos tolerat pro Christo, consolationes lætificabunt animam illius.

CAPUT VII.

Quæstio, cur quidam ampliori dulcedine in remissiore vita, quam in arctiori, compungantur.

Sed quid est, inquiens, quod cum aliquanto remissius viverem; saginatioribus uterer cibis, poculis pauculum relaxarer, plusculo somno indulgerem, nec corpus labore, aut tanta vestium asperitate attererem, nec silentio tanto supprimerer, ita compungebar, ita afficiebar, ita quadam mentis dulcedine resolvebar; at nunc in hac districtione ita aridus et siccus incedo, ut nec vi quidem ab oculis meis lacrymas valeam extorquere? Et ego quæro a te quid de eo æstimes judicandum, qui cum immani vitiorum gurgite absorptus omni se spurcitiæ, et immunditiæ traderet, nihil prorsus flagitii perhorresceret, in tali vita sæpius compungebatur, sæpius lacrymabatur, nec solum timore pœnæ, et peccatorum suorum recordatione, quod forte nemo miraretur, sed etiam miro affectu in amoris Jesu dulcedinem resolutus, quodam mentis osculo ipsum videretur amplecti. Quid ergo? Hujusne æmulanda vita, hi sectandi mores, tradenda caro illecebris, membra subdenda libidini, ut simili dulcedine perfruamur? Quis hoc dementissimus dixerit? Nec ego ista quasi ambigua; sed sicut novit ipse Jesus, vera et certa pronuntio. Novi et ipse fratrem, qui cum tota die sæcularibus viris ac feminis immistus, fabulis et potationi vacaverit, sero rediens monasterium ita in lacrymas ac suspiria erumpit, ut etiam importunis gemitibus multorum aures compellet; nec ideo vel modicum ab hujusmodi illecebris temperet. Hujusce igitur spe compunctionis regularis districtio deserenda; et similis est sectanda spurcitia? Cujus non hoc abhorret auditus.

CAPUT VIII.

Quod triplex sit causa spiritualis visitationis.

Noverimus ergo quia hujusmodi visitatio non semper sanctitatem ostendit; nam sæpe provocat, sæpe et conservat. Est autem, quantum inpræsentiarum occurrit, triplex hujus visitationis causa. Fit enim aliquando ad excitationem, nonnunquam ad consolationem, plerumque etiam ad præmium. Ad excitationem dormientibus, ad consolationem laborantibus; pro præmio ad cœlestia suspirantibus. Prima ergo excitat torpentes, secunda reficit laborantes, tertia suscipit ascendentes. Prima hæc compunctio ad sanctitatem provocat, secunda sanctitatem conservat, tertia remunerat. Prima terret contemnentem, vel illicit timentem; secunda fovet et promovet adnitentem, tertia amplectitur venientem. Prima est quasi stimulus devium corrigens, secunda quasi baculus debilem sustentans, tertia lectulus quietum suscipiens. Sicut igitur divina clementia plerumque verbo, plerumque exemplo, nonnunquam correptione, aliquando etiam flagello, tepide vel perdite viventes provocat ad salutem, ita etiam occulta compunctione, quam vel timor excitat, vel generat affectus, ad melioris vitæ statum invitat. Hujus autem visitationis causa bipertita est. Fit enim electis ad profectum, reprobis ad judicium.

CAPUT IX

Quod primum genus compunctionis, sicut aliæ quædam gratiæ, et reprobis ad judicium, et electis proveniat ad profectum.

Nec mirandum, hanc gratiam reprobis et electis plerumque esse communem, cum excellentiora illa charismata, sermo videlicet scientiæ, prophetia, genera linguarum, gratia miraculorum, etiam reprobis noverimus impertita. Nam et Saul inter prophetas, et inter apostolos Judas. *Et multi*, inquit, *dicent mihi in illa die, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo signa multa fecimus? et tunc confitebor illis, quia non novi vos* (*Matth.* VII). Quod ut similiter de gratia compunctionis videamus, compunctus Balaam, *Moriatur*, inquit, *anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* (*Num.* XXIII). Qui propriam quoque perversitatem deplorans, ait: *Dixit Balaam filius Beor: dixit auditor sermonum Dei, qui cadens apertos habet oculos* (*ibid.*). Nihil tamen hac compunctione profecit, qui docuit Balaac ponere scandalum coram filiis Israel, fornicari et bibere, et comedere de idolothytis. Quam sæpe filii Israel in eremo correpti a Moyse fleverunt coram Domino: quibus nihil illa compunctio profuit, pristinis concupiscentiis denuo resolutis (*Num.* XI *et alibi*). Sed et introducti in terram repromissionis cum loqueretur illis angelus in loco flentium, levaverunt vocem et fleverunt: et nihilominus post hæc addiderunt facere malum coram Domino (*Judic.* II). Quid Judas? Nonne compunctus ait: *Peccavi tradens sanguinem justum?* (*Matth.* XXVI.) Verum quam nihil prosit suam perversitatem iterantibus hujusmodi compunctio, testis est Sapiens ille qui ait: *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus?* (*Eccli.* XXXIV.) Baptizatur a mortuo, qui vitam suam omni calore fervoris expertem, vel certe vitiis fetidam ac sepultam, compunctus deplorat. Sed nihil proderit talis lavatio, nisi fuerit secuta correctio. Porro electi, quibus omnia cooperantur in bonum, hujusmodi compunctione excitantur, non ad judicium, sed ad profectum, qui hac cœlesti visitatione perciti, nequaquam securius in remissiore vita torpescunt, sed quo majore divinæ dilectionis dulcedine perfruuntur, eo ardentius ad fortiora virtutum exercitia accingüntur.

CAPUT X.

De duplici ratione secundæ visitationis, et quod de ista ad tertiam, quæ cæteris excellentior est, transitur.

Qui excusso tepore statim ut sudores et agones

Digitized by Google

pro Christo susceperint, ab illo excellentiori compunctionis genere excipiuntur, quæ infirmos sanat, debiles roborat, allevat desperatos. Ipsa est consolatio gementibus, pausatio laborantibus, tentatis protectio, viaticum itinerantibus. Quam quidem consolationem illi sibi adimunt, qui statim ad primos sudores resilientes, vel in pristinum torporem devolvuntur, vel viles quasdam consolationes in crebra confabulatione, vel amicorum visitatione, vel certe propriæ voluntatis libertate conquirunt. Quas consolationum sordes sanctus Propheta contemnens: *Renuit*, inquit, *consolari anima mea* (*Psal.* LXXVI.) Quid ergo? sine omni consolatione relictus es? Absit! *Memor fui Dei, et delectatus sum* (*ibid.*). Et hujus similiter visitationis ratio duplex. Provenit enim aliquando tentatis, ne corruant; aliquando tentandis, ut levius ferant. Prima reficiuntur, altera armantur. Nemo ego secundum primum illud visitationis genus, suam metiatur sanctitatem, quod et reprobis nonnunquam accidere manifestum est, sed neque secundum istud, quod licet excellentius sit, sanctitatem tamen præparat, non ostendit. In illo enim quasi parturitur; hic nutritur. Sane in hoc secundo genere crebra compunctione assuefactus, crebris sorbitiunculis divinæ dulcedinis pastus, in illud sublimius gradu excellentiore provehitur, quod non jam debilem corroborat et confortat; sed quasi perfectum victorem gratia abundantiori remunerat.

CAPUT XI.

Quid in singulis his visitationibus Deus operetur.

In primo igitur statu anima suscitatur, in secundo purgatur, in tertio sabbati tranquillitate perfruitur. In primo statu operatur misericordia, in secundo pietas, in tertio justitia. Misericordia enim quærit perditum, pietas reformat inventum, justitia munerat jam perfectum. Misericordia erigit jacentem, pietas adjuvat pugnantem, justitia coronat victorem. Et revera quod poterit esse majus divinæ miserationis indicium, quam ut illa suavitas, illa jucunditas, illa mira serenitas, in qua nihil inquinatum incurrit, animæ inquinatæ adhuc gratiam suæ visitationis impertiat, nec solum terrore concutiat, sed omnia mentis claustra seris vitiorum obserata sua penetrabilitate perscindens, fœdis adhuc labiis quoddam suæ dulcedinis imprimat osculum, ac ineffabili suavitate sua blandiatur avertenti, cunctantem alliciat, animet desperantem? O dulcis Domine; quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? O quam suavis est in omnibus spiritus tuus! Vere, Domine, misericordia tua magna est super me, qui emisisti manum tuam de alto, eripiens et liberans me de aquis multis, et de manu filiorum alienorum; qui eripuisti animam meam de inferno inferiori, in quo elinxi quamdam dulcedinis tuæ stillam; et audivi vocem tuam quasi de longinquo. Quid agis, indigne et sordide? Ut quid in his sordibus volutaris, in his turpibus delectaris? Ecce quid apud me dulcedinis; quid suavitatis; quid jucunditatis? An scelerum tuorum immanitate desperas? Sed qui persequor fugientem, rejiciam venientem? Qui avertentem te faciem tuam a me amplector et attraho, sub alas misericordiæ meæ fugientem repellam? Et vox tua, Domine, inspiratio tua. Unde enim animæ desperatæ tanta spes, nisi te, Domine, donante, qui miris modis curas infirmitates nostras; formas deformia nostra? Sed jam de secundo illo statu quid dicendum, in quo divina pietas tam mirabiliter operatur in homine, ut ex tentatione proficiat, ex infirmitate amplius convalescat? Et cum omnis anima naturaliter labores, tentationes et dolores refugiat, tot consolationibus in suis tentationibus animatur, ut non solum sustineat irruentes, sed etiam retardantes provocet quodammodo, ac requirat. In quem statum sanctus ille profecerat, qui ait: *Proba me, Domine, et tenta me.* (*Psal.* XXV.) Et iterum: *Proba me, Domine, et scito cor meum* (*Psal.* CXXXVIII). In hoc statu innumerabilibus cœlestium affectuum incentivis assuefacta mens, paulatim in illud sublimissimum, ac perpaucis expertum visitationis genus provehitur, ubi quasdam futuræ suæ remunerationis primitias incipiat prægustare, transiens in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, et effundens super se animam suam, cœlestium secretorum nectare debrietur; futuræque quietis suæ locum purissimis contemplans obtutibus exclamet cum Propheta: *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam* (*Psal.* CXXXI). Sicut ergo in illo statu ubi nulla præcedunt merita, sola operatur misericordia, ita in isto, in quo coronat munera sua, quæ tamen esse voluit merita nostra, cum misericordia operatur justitia.

APUT XII.

Quod in prima visitatione specialiter timor, in secunda consolatio, in tertia sit dilectio.

Porro notandum arbitror quia, licet in prima illa visitatione nonnunquam timori dulcedinem suavitatis admisceat, in secunda vero, cum suavitate stimulum plerumque timoris adhibeat, proprie tamen illa ad timorem, ista pertinet ad consolationis dulcedinem; nam in tertia perfecta charitas foras mittit timorem. Initium enim sapientiæ, timor Domini; consummatio autem sapientiæ, amor Domini. In timore inchoatio, in dilectione perfectio. Hic labor, ibi præmium. Hoc ad illam ascenditur, nec tamen ad ipsam, nisi per ipsam pervenitur. Menti etenim, quam plerumque timor afficit, urget dolor, dejicit desperatio, absorbet tristitia, corrodit acedia, quædam miræ suavitatis gutta descendens a balsamo illius montis pinguis, montis coagulati, quasi quoddam placidissimo se superinfundit elapsu: ad cujus radiantis divini splendorem luminis omnis illa irrationabilium sensuum nebula dissolvitur; ad cujus suavissimum gustum tota illa amaritudo fugatur, dilatatur cor, mens impinguatur, et ascendendi facultas miro modo præparatur. Sic timore tepor excluditur, timor gustu divinæ dulce-

Digitized by Google

dinis temperatur. Ne mens in infimis torpeat, timor excitat; ne laborando deficiat, pascit affectus. His nimirum alternantibus tandiu eruditur, donec tota mens illa ineffabili charitate absorpta jam non ex dilectione pinguescat, sed illius speciosi forma præ filiis hominum desideratissimos ardens amplexus, incipiat velle dissolvi et esse cum Christo, dicens quotidie cum Propheta : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX.) Sic benedictionem dabit legislator, administrans incipientibus vinum compunctionis cum timore ejus, proficientibus lac ab uberibus consolationis ejus : et cum avulsi fuerint a lacte, epulabuntur ab introitu gloriæ ejus. Igitur prima illa visitatio arguit iniquitatem, secunda sustentat infirmitatem ; sane tertia ostendit sanctitatem. Nemo ergo glorietur in prima, in qua convincitur iniquus vel tepidus ; sed nec in secunda, in qua probatur infirmus ; in tertia autem qui gloriatur in Domino glorietur.

CAPUT XIII.

Quis sit fructus in singulis, et quare quidam secundæ visitationis consolatione priventur.

Porro fructus primæ visitationis vera est ad Deum conversio ; fructus secundæ propriæ voluntatis et omnium passionum mortificatio, fructus tertiæ perfecta est beatitudo. Denique accepto fructu primæ compunctionis in excellentia perfectæ consolationis ; cessant jam illa, quæ suum, ut ita dixerim, explevit negotium, statim sequitur tentationum et laborum probatio : ut merito succedat illa, quæ est dulcis in Deum devotio. Non enim facile dulcedinis hujus affectus sine præcedente vel comitante, vel certe statim subsequente labore, aut tentatione donatur ; quæ nequaquam pro vitæ merito, sed pro infirmitate sustentanda, vel tentatione alleviandа donatur. Ideoque hi qui ad primas mox tentationes et labores resiliunt, et instar quorumdam discipulorum Domini scandalizati, communicationem Dominici corporis et sanguinis, id est passionis illius imitationem abhorrent, dicentes : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire* (*Joan.* VI)? ac sic regno Dei minus apti retro respiciunt, vel certe abjectissimas illas terrenas, et humanas consolationes admittunt : hi, inquam, ab hujus consolationis dulcedine semetipsos excludunt, et ubique miseri, nec ad sublime illud visitationis genus ascendunt, et virtutum exercitia sine hujusmodi consolatione fastidiunt : ad pristina vero redire, conscientia resistente, non præsumunt. Qui merito forte de divinæ consolationis desertione causarentur si perfecte pristinis abrenuntiantes, ac propriam voluntatem plene mortificantes, nequaquam viles et abjectas mundi consolationes Dei consolationi præponerent. Nunc vero, cum ingressi arctioris propositi viam, statim incipiant nescio quas dignitatum insulas somniare, ac vanissima præsumptione sui libertatem usurpare, nec exspectent miseri donec dicatur eis : *Amice ascende superius* (*Luc.* XIV); sed ipsi se quantum possunt, ad altiora impudenter impingant, appetantque, ut evangelicis sermonibus utar, primas cathedras in synagogis, primos discubitus in cœnis, primas salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi (*Matth.* XXIII), affectantes nimirum esse magistri, qui ne una quidem die didicerunt esse discipuli : cum ergo talium ineptiarum ipsi sibi conscii sint, miror qua fronte, quave irreverentia divinam sibi dulcedinem impertiendam, ac animam terrenis affectibus constupratam, suavissimis ac purissimis amplexibus Jesu æstiment confovendam. Quibus profecto si qua cœlestis dulcedinis gutta profluxerit, non ob sanctitatis meritum, nec laboris solatium, sed quasi in infirmis positis, ad excitationem certum sit provenire, quanquam post acceptam notitiam veritatis, ac arreptam viam perfectæ puritatis, voluntarie peccantibus, vel inertia torpentibus, aut vix aut nunquam hujusmodi gratia largiatur. Hoc sane dicendum, aliud esse terrenis illis affectibus attentari solum ; aliud vix in aliquem rarissime cadere, aliud cedere et consentire, vel se eis ex toto dedere ; aliud si quid hujusmodi occupationum imponatur, invitum suscipere.

CAPUT XIV.

Proponuntur quædam divina testimonia, secundum quæ statum suum quisque metiatur.

Proinde si visitationis tuæ causas, ac rationes velis lucidius intueri, primo statum, in quem profecisti, sagaci inspectione discutito, ac vitæ morumque tuorum qualitatem ; non secundum propriam conjecturam, sed secundum regulas Scripturarum, et cœlestium præceptorum lineas, propriæque professionis normam, teste conscientia, subtili inquisitione examina. Ait nempe Dominus : *Videte, ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ* (*Luc.* XXI), Et item : *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, et qui dixerit, raca, reus erit concilio : et qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* V). Et alias : *Qui voluerit inter vos major esse, sit omnium servus* (*Matth.* XX). Item : *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines bona, et vos facite illis* (*Matth.* VII). Et : *De omni otioso sermone quem locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* (*Matth.* XII). Ait et apostolus Paulus : *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione ; sed induimini Dominum nostrum Jesum, et carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII). Et ipse : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II). Et ad Galatas : *Si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* (*Gal.* V). Et ad Thessalonicenses : *Rogamus vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et ut operemini manibus vestris, et ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis* (*I Thess.* IV). In secunda quoque Epistola ad eosdem : *Quia si quis*, inquit, *non vult operari, nec manducet* (*II Thess.* III). Jacobus quoque : *Fratres mei*, in-

Digitized by Google

quit, *nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi* (*Jac.* IV). Item : *Si zelum animarum habetis, et contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari : ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum* (*ibid.*). Et paulo post : *Quicunque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituetur* (*ibid.*). Idem in consequentibus : *Nolite detrahere alterutrum, fratres mei* (*ibid.*). Veniamus ad apostolorum Principem : *Obsecro vos*, inquit, *tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis* (*I Petr.* II). Et in eadem Epistola : *Deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias et omnes detractiones* (*ibid.*). Et infra : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei* (*I Petr.* IV). Et post pauca ad pastores : *Pascite qui in vobis est gregem, non turpis lucri gratia, neque dominantes*, inquit, *in clero. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate* (*I Petr.* V). Idem in secunda Epistola : *Fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem* (*II Petr.* I). Et item : *Sobrii estote et vigilate* (*II Petr.* V). Jam nunc ad illum discipulum quem diligebat Jesus, veniendum est : *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* II). Et : *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (*ibid.*). Et infra : *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III). Judas quoque apostolus : *Væ illis*, inquit, *qui in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt. Ili sunt in epulis suis maculæ convivantes* (*Judæ* XI). Et post pauca : *Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes* (*ibid.* XVI). Et infra : *Odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam* (*ibid.* XXIII).

Hæc ergo, et his similia, evangelicæ et apostolicæ doctrinæ testimonia, tibi quasi quoddam speculum spiritale proponens, vultum animæ tuæ sollicitius contemplare, et si adhuc inveneris temetipsum fluitare epulis, mero crebrius incalescere, sæcularibus negotiis implicari, distendi curis mundi, ac carnis desideriis incubare; litibus et fabulis occupare diem, impuris detractionum morsibus fraternam lacerare carnem ; inerti dissolutum otio, quasi quibuslibet stimulis inquietatum, mobili discursione huc atque illuc volitare; et non proprio labore, sed sanguine et sudore pauperum ventris delicias comparare; si denique ira, impatientia, invidia, inobedientia crebrius maculari; et sollicitius curam ventris, quam mentis agere, metas professionis tuæ sine cessatione transgredi; si igitur in his omnibus nitidus ac crassus incedas, noli, quæso, de tuis lacrymulis multum gloriari; quæ forte ut et nos aliquid secundum physicos dicamus, tumescentibus mero venis, ac diversis ciborum saporumve nidoribus, humore capitis succrescente, facilius elabuntur; vel certe, si Dei timore, vel affectu in hoc statu compungaris, noli tanta Dei gratia tam impudenter abuti, ut securius in tuis sordibus voluteris : et Deum qui nequaquam te adhuc a calore viscerum suorum hoc videtur indicio penitus abjecisse, tuo tepore compellas ad vomitum, et fiant novissima tua pejora prioribus. Quod multis evenire quotidianis experimentis perdocemur.

CAPUT XV.

Quibus modis ad spirituales consolationes transitur.

Cæterum si talibus affectuum aculeis excitatus, sordidas Ægyptiorum ollas abjecisti, ac paupertatem Jesu cunctis mundi opibus prætulisti ; si regalia fercula grossioris panis, et vilissimi oleris commutasti edulio, si subjectionem et abjectionem honoribus compensasti, si mundi curis ac negotiis exutus, non cum rusticorum maledictione, sed proprio tuo, ac communi fratrum tuorum labore victum quærere delegisti, si pro loquacitate silentium, pro crebris litibus fraternæ dilectionis induisti affectum, si jam cœpisti reddere vota tua, quæ distinxerunt labia tua ; si, inquam, his atque hujusmodi indiciis deprehendetis temetipsum exisse de Ægypto, et hujus maris magni et spatiosi, sæculi videlicet hujus fluctus, quasi verus Israelita transisse, si non statim cœlestis dulcedinis tibi manna profluxerit; noli adversus Deum murmurare, noli Deum tentare, et dicere : Si Deus est in nobis, an non ? cum præceptorum illius exsecutio præsentiæ illius apertissimum indicium sit, ipso dicente : *Si quis diligit me, mandata mea servabit : et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). Noli, inquam, murmurare, incidasque in illam blasphemiam, ut dicas : *Vanus est qui servit Deo ; et quid emolumenti, qui custodivimus præcepta ejus?* (*Malac.* III.) Et illud Psalmistæ : *Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis, quando quidem ipsi peccatores et abundantes in sæculo, obtinueruut divitias* (*Psal.* LXXII), et quod est summum, divitias spirituales. Si in amplioribus divitiis amplior præstatur et gratia, ut quid mortificamur tota die, æstimamur ut oves occisionis? Nonne melius est manducare et bibere, et frui bonis in ista vita, et in alia ? Nonne insulsi hominis est id ingenti corporis quærere cruciatu, quod facile possit, et sine labore conquiri ? Sed ubi est quod ait Paulus : *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei?* (*Act.* XIV.) Et ad Thessalonicenses : *Nemo*, inquit, *moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus* (*I Thess.* III). Sed miraris, quod non statim te dulcedo cœlestis excipiat. Et tamen filii Israel, qui in Ægypto quidem crebrius divinorum miraculorum gloria excitati, ac mystici illius agni sacris sunt carnibus pasti, post maris Rubri transitum non statim angelici pabuli meruere solatium, imo primo ad aquas Mara adducti, ibique tentati sunt, ac inde per duodecim fontes ad secretioris eremi abdita pervenientes, cœlesti pane mirabiliter saginantur (*Exod.* XV).

Digitized by Google

Et tu ergo egressus de Ægypto, si intumescentes A hujus sæculi fluctus sicco vestigio pertransisti, ducendus es primo ad aquas Mara, id est amaras, ut te corporalium laborum amaritudo deterreat, experiarisque illud Evangelicum, quia *arcta est via, quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII). Ibique tentaberis a Domino; si forte ad illorum merearis transire consortium, quibus dicit : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis* (*Luc.* XXII). Inde ad duodecim fontes, ad apostolicæ videlicet fluenta doctrinæ gradu excellentiore transibis, ut assidua Scripturarum meditatione assuefactus, quodammodo extra mundum efficiaris, et e divinis eloquiis, quæ sunt nimirum argentum igne examinatum, mutuatis tibi pennis columbæ deargentatis, quasi turtur castissimus ad eremum pervoles spiritualem, ubi B si quid tibi stillicidii spiritualis pietas Conditoris effuderit, scito non tui esse arbitrii, quando colligas, aut quantum colligas, aut quandiu quod collegeris serves. Nam si Sabbato egressus aliquid cœlestis edulii colligere tentaveris, ne inveniri quidem poterit. Cæteris vero diebus certam tibi quantitatem gomor, id est divini judicii mensura præscribet. Porro si quid in crastinum servare tentaveris, ut sine labore diurno cœlesti pascaris alimento; vermes tibi tua exspectatio procreabit. Verum gustata dulcedine spirituali non statim otio dissolvaris; mox enim a latere spiritualis insurget Amalec, non armis, sed orationibus evincendus. Ita succedentibus sibi ex divina quidem pietate nonnullis consolationibus, ex propriis autem concupiscentiis C multis laboribus, post innumeros agones ad illud ineffabile visitationis genus munerandus ascendes, ut ex integro charitatis ardore flammescens ab introitu gloriæ Dei, quasi ex fructu terræ repromissionis feliciter satieris, ac igne divini amoris jugum concupiscentiæ penitus absumente, requiescas in pallore auri, in splendore sapientiæ, in suavitate contemplationis divinæ; experiarisque ex toto quia jugum Domini suave est, et onus ejus leve est (*Matth.* XI).

CAPUT XVI.

Quod non sit aeserendum ab aliquo arctioris vitæ propositum, quamvis illum dulcem non experiatur affectum. D

Sed esto, nihil hujusce dulcedinis profluat : nulla te lacrymarum suavitas mulceat. Nec tibi est sic ad pristina redeundum, imo utriusque conversationis conferendi sunt fructus, ac libra conscientiæ æquo examine trutinandi, ne forte in tua æstimatione præponderent minora majoribus; deteriora melioribus comparentur, ne securis dubia, aut pluribus præjudicent pauciora. Nam si aliter non possis, satius profecto tibi est, uno membro debilitato, vel si necesse sit, amputato, in cæteris validum ac sanum incedere, quam omnibus artubus arefactis, unius sanitati importunius inniti.

CAPUT XVII.

Interrogationes cujusdam novitii, et suæ responsiones inseruntur.

Cum ante non multum tempus frater quidam abrenuntians mundo, nostro se monasterio contulisset, traditus a reverendissimo abbate nostro meæ parvitati disciplinis regularibus instituendus, cœpit aliquando admirans quærere, quænam mihi causa videretur, quod in sæculari adhuc habitu ac conversatione positus ita sæpius compungebatur, ac in quemdam divini amoris resolvebatur affectum tantaque spiritus suavitate frueretur, quantam, inquit, modo non dicam diutius retinere, sed ne raro quidem degustare sufficiam. Tum ego : « Sanctioremne, inquam, illam tuam conversationem, Deoque acceptiorem fuisse existimas? — Nequaquam, inquit, id dexerim; præsertim cum multa jam agam, quorum si unum aliquid tunc egissem, non modo sanctus, imo ab omnibus crederer, ut ita dixerim, adorandus. — Rogo, inquam, in quantis illud apostolicum experiebaris, quia *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei* (*Act.* XIV); illudque beati Job : *Si justus fuero, non lavabo caput meum, saturatus afflictione et miseria?* (*Job* X.) » — « Nihil, inquit, horum sensisse me memini, sed plerumque expressius ac dulcius me Christum amare persensi. » Et ego : « Tantane tunc patereris pro Christo, quanta nunc pateris? — Ne una, inquit, hora, quanta hic sine cessatione sustineo. Nam ut cætera taceam, nullo modo saltem una die tanto me sinerer premi silentio, aut me ulla ratione ab otiosis et vanis sermonibus continerem. Quinimo post illas, quas præfatus sum lacrymas, statim ad cachinnos redibam et fabulas, ac pro impetu animi huc atque illuc mobili discursione ferebar, ac meæ voluntatis possidens libertatem, parentum præsentia gratulabar, sociorum confabulationibus arridebam; conviviis apparatis intereram, potationes non abhorrebam; matutinos somnos pro libito carpebam, cibo ac potu supra metas etiam necessitatis distendebar. Taceo iræ stimulos, quibus nonnunquam urgebar, lites, contentiones, ac mundialium rerum cupiditates, quibus pro posse intendebam. — At nunc, inquam, qui mores tui, quæ vita, qui actus? » Et ille subridens : « In promptu, inquit, est dicere : non enim ignorari se sinunt. Est quidem eibus parcior, vestis asperior; potus e fonte, somnus plerumque in codice. Denique fatigatis membris male mollis matta substernitur; dum somnus suavior fuerit, surgere campana pulsante compellimur. Taceo quod in sudore vultus nostri vescimur pane nostro, quod tribus solum hominibus, et hoc rarissime, et vix de necessariis loquimur. Nonne istud apostolicum manifestissime impletur in nobis : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram* (*Coloss.* III). Et illud Psalmistæ : *Ut jumentum factus sum apud te?* (*Psal.* LXXII.) Vere ut jumentum facti sumus; quocunque ducimur sine contradictione euntes, quodcunque

Digitized by Google

imponitur sine reluctatione ferentes. Propriæ voluntati nullus locus ; otio aut dissolutioni nullum tempus. Prætereunda non æstimo quædam, quæ non minus delectant quam ista fatigant. Nusquam lites ; nusquam contentio ; nusquam rusticorum ob diram oppressionem quærulus planctus ; nusquam pauperum injuriatorum miserandus clamor, placita nulla ; sæcularia judicia nulla. Ubique pax, ubique tranquillitas, et a mundialium tumultuum mira libertas. Inter fratres tanta unitas, tantaque concordia, ut singula videantur omnium, et omnia singulorum. Et quod me miro modo delectat, nulla est personarum acceptio : nulla natalium consideratio. Sola necessitas parit diversitatem, sola infirmitas disparilitatem. Quod enim in communi laboratur ab omnibus distribuitur singulis, non ut carnalis affectus, aut privatus amor dictaverit, sed prout cuique opus fuerit. Quam illud quoque mirandum, quod trecentis, ut reor, hominibus unius hominis voluntas est lex, adeo ut quod semel ex ejus ore elapsum fuerit, tanta cura servetur ab omnibus, ac si in id omnes conjuraverint, vel ab ipsius Dei ore audierint. Et ut breviter multa comprehendam, nihil prorsus perfectionis in evangelicis et apostolicis præceptis ; nihil in litteris sanctorum Patrum invenio ; nihil in antiquorum monachorum dictis intelligo : quod non huic ordini, et huic consonet professioni. » Tum ego : « Novitius, inquam, es : ideo non hoc jactantiæ, sed fervori potius assignarim. Volo te tamen cautum esse, ne ullam omnino professionem esse existimes in hac vita, quæ fictos non habeat, ne si forte quemquam perspexeris aut sermone aut actu excedere ; quasi præter æstimationem tuam novi aliquid accidere conturberis. Attamen hæc omnia, quæ tam ferventer enumeras, illisne lacrymis tuis æstimas comparanda ? — Absit, inquit, ut securam mihi conscientiam nunquam illa lacrymarum profusio reddiderit, nunquam metu mortis exuerit ! At nunc non multum curo, imo et opto plurimum, ut post modicum tollat me factor meus. Quod licet forte pusillanimitatis sit, ut exprobrare mihi soles, quod videlicet malim his laboribus eximi, nullo modo tamen sine certa spe divinæ miserationis id possem. Unde satis miror, cur ampliori amore Deum amabam, quando minori securitate fruebar. — Rogo, inquam, si duo tibi essent servi, quorum alter præceptis tuis non solum obedientissime pareret, imo nonnullos labores tui causa sustineret ; alter præceptorum tuorum quotidianus transgressor, nihil prorsus adversi pro te ferre consensisset, dicentibus utrisque : « Diligo Dominum meum, cui potius cre- « dere deligeres ?»

« Quis, inquit, non videat hunc copiosissime munerandum, illum non modo transgressionis, sed et nimiæ impudentiæ arguendum ? — Sic te, inquam, inter hos duos status tuos oportet te judicare. — Sed ut propriæ, inquit, experientiæ non credam, quæ mihi ratio persuadere poterit ? — Si quis, inquam, quærat abs te, quisnam sit melior, qui amplius, an qui minus Deum diligit, nonne sine omni cunctatione eum pronuntiabis meliorem, quem plus noveris diligentem ? — Insani capitis est, inquit, saltem hinc hæsitare. — Quæso nunc, inquam, semoveas, si quid tibi adhuc, utpote novitio. De sæculari suavitate blanditur, si quid expertæ delectationis alludit ; nec attendas quid caro suggerat, sed quid ratio dictet, respondeasque mihi secundum regulas veritatis, ac conscientiæ tuæ testimonium, utrum malles te in illo statu nunc esse, quam in isto, quo nunc es. — Prorsus, inquit, si non velim fallere me ipsum, nec agere, ut sit mihi proprium os oleum peccatoris, ad impinguandum caput meum, necesse habeo confiteri, quia si illum statum præelegissem, esset plane hoc non propter Christum, sed propter mundum, nec desiderio majoris perfectionis, sed fastidio præsentis laboris, vel certe appetitu majoris delectationis. — Jam nunc, inquam, quasi fervoris tui conscius, non cunctor affirmare, nolle te nunc in eo esse statu. — Non falleris, inquit. Sed si in eo, inquam, statu Deum magis amabas, profecto melior eras. Si tunc melior, quare nunc securior ? An eligis securior esse quam melior ? Sed et si quis dixerit meliorem illum, qui amplius, quam qui minus præceptis Domini adimplendis insiterit, puto quia non abnues. — Coarctor, inquit, undique, et quasi de scopulo ad scopulum impulsu rationis allidor, nec invenio exitum. Nam quod tunc Deum magis amaverim et dulcibus quibusdam lacrymis in ejus amorem sæpius respiraverim, quasi de re experta dubitare non debeo ; at quin is melior sit, qui in Dei amore fuerit fervention, negare non audeo. Porro ne vitam illam huic conversationi præponam, omnis sanctarum Scripturarum repugnat auctoritas, obsistit ratio, ipsa conscientia nostra reclamat. Unde eum dubitare meliorem, cujus moribus magis Scripturæ concordat auctoritas, insanissimum judico. Sed cum in his non parva repugnantia sit, considerandum mihi est, unde dubitare minus sit periculosum, de Scripturarum veritate, an de manifestissima ratione, an potius de conjectura propriæ experientiæ. Sed contra Scripturam, inquam, nemo Catholicus, contra manifestam rationem nemo pacificus ; verum in sui æstimatione cui non facile subrepat fallacia ? Denique experimentum fallax, et, sicut scriptum est : « Non omni spiritui creden- « dum est, et aliquando Satanas transfigurat se in « angelum lucis (*II Cor.* XI). — Verumtamen licet, inquit, tunc forte Deum magis amaverim, quia tamen nunc ejus voluntati magis obtempero, magis præceptis ejus adimplendis insisto, amplius pro ejus nomine memetipsum affligo : hinc mens securior, hilarior conscientia, et tot laborum conscius animus, ad ipsam subeundam mortem, spe præmiorum promptior. — Duo, inquam, valde sibi contraria asseris, quod scilicet amplius Deum amaveris, et minus ejus voluntati parueris. Quam opi-

Google

nionem tuam, sententia ipsius Salvatoris evacuat, ita dicentis : *Si quis diligit me, mandata mea servabit* (*Joan.* XIV). Sed et iterum : *Qui habet mandata mea, et servat ea, hic est qui diligit me* (*ibid.*). Et iterum : *Qui non diligit me sermones meos non servat* (*ibid.*). Hinc discipulus ille, quem diligebat Jesus, cujus reclinatorium capitis sacrum illud pectus fuerat est : *In hoc est charitas Dei, ut mandata illius custodiamus* (*I Joan.* V). Proinde ut ait quidam sanctus : « Quicunque dictu, vel actu, vel etiam « cogitatu improbo Dei mandata violaverint, frustra « se Deum diligere credunt. » Unde etiam beatus Gregorius : « Amor Dei nunquam est otiosus; aut « enim operatur magna, si est; aut si operari contem- « nit, amor non est. Probatio ergo dilectionis exhi- « bitio est operis (*Hom.* 30). »

« Quid ergo, inquit? Vanusne fuisse dulcissimus ille affectus credendus est, deceptoriasque illas lacrymas judicabimus?— Minime, inquam. Imo maximus earum fructus, si tamen intelligas. Noveris ergo primo quod nequaquam secundum momentaneum illum, et, ut ita dicam, horarium affectum, Dei pensandus sit amor : quod ex contrariis exemplis perspicuum est intueri. Cum enim in tragœdiis vanisve carminibus quisquam injuriatus fingitur, vel oppressus, cujus amabilis pulchritudo, fortitudo mirabilis, gratiosus prædicetur affectus; si quis hæc vel cum canuntur audiens, vel cernens si recitentur, usque ad expressionem lacrymarum quodam moveatur affectu, nonne perabsurdum est, ex hac vanissima pietate de amoris ejus qualitate capere conjecturam, ut hinc fabulosum illum nescio quem affirmetur amare, pro cujus ereptione, etiamsi hæc omnia vere præ oculis gererentur, ne modicam quidem substantiæ suæ portionem pateretur expendi? Similis profecto ineptiæ est, imo multo majoris insaniæ; si quisquam luxuriosus aut tepidus, occulta Dei dispensatione ob quosdam internos compungatur affectus, de ejus dilectione ferre sententiam, ut hinc Deum plus illo credatur amare, qui adeo se divinæ servituti subjecit, ut quidquid ejus voluntati noverit esse contrarium, omni detestetur horrore, quidquid fuerit laboris impositum, pro ejus nomine omni amplectatur fervore. » Ad hæc verba quodam ille pudore perfusus, demisso capite, fixisque in terram luminibus : « Verissime, inquit, verissime. Nam et in fabulis, quæ vulgo de nescio quo finguntur Arcturo, memini me nonnunquam usque ad effusionem lacrymarum fuisse permotum. Unde non modicum pudet propriæ vanitatis, qui si forte ad ea quæ de Domino pie leguntur, vel cantantur, vel certe publico sermone dicuntur, aliquam mihi lacrymam valuero extorquere, ita mihi statim de sanctitate applaudo, ut si magnum aliquid ac inusitatum mihi miraculum contigisset. Et revera vanissimæ mentis judicium est, pro his affectibus, si forte pro pietate contingant, vana gloria ventilari : quibus in fabulis et mendaciis solebat compungi. Sed quia non modicum fructum his inesse affectibus paulo ante dixisti : rogo, ut et quæ cœperas, prosequaris. — Libentissime, inquam. Neque enim tibi deneganda est cognitio veritatis, pro qua nec tibi ipsi existimas esse parcendum. Nam plerique, si forte audiant aliqua contra inertiam disputari, sophisticas quasdam ratiunculas, quibus veritati resistant, reclamante etiam conscientia, moliuntur, ac declinantes cor suum in verba malitiæ, amant excusationes in peccatis. Melius est profecto confiteri Domino, et dicere : *Miserere mei, quoniam infirmus sum* (*Psal.* VI), quam dicere : *Dives ego sum, et locuples, et nullius egeo, cum sit miser, miserabilis, cæcus, et pauper, et nudus* (*Apoc.* III). » Sed ad propositum veniamus.

CAPUT XVIII.

In quibus amorem Dei stare credendum sit.

« Igitur, ut diximus, non secundum hos momentaneos affectus, quos minime nostræ subesse voluntati, nullus spiritualis ignorat, Dei æstimandus est amor, sed potius secundum continuam ipsius voluntatis qualitatem. Suam enim voluntatem Dei voluntati conjungere, ut quælibet voluntas divina præscribat, his voluntas humana consentiat, ut nulla sit alia causa, cur hoc aut illud velit, nisi quia hoc Deum velle cognoscit : hoc utique Deum amare est. Nam ipsa voluntas nihil est aliud quam amor; nec aliud dicendæ sunt bonæ aut malæ voluntates, quam boni vel mali amores. Deniqueipsa Dei voluntas amor est ejus : qui nihil est aliud quam sanctus Spiritus ejus, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris. Quæ charitatis diffusio divinæ est et humanæ voluntatis conjunctio. Quæ tunc fit, cum Spiritus sanctus, qui utique Dei voluntas et amor est, et Deus est, humanæ se voluntati ingerit et infundit, eamque ab inferioribus ad superiora sustollens, totam ipsam in sui modum qualitatemque transformat, ut ei indissolubili glutino unitatis adhærens, unus cum eo spiritus efficiatur, Apostolo hoc idem manifestius intimante : *Qui adhæret, inquit, Domino, unus spiritus* efficitur (*I Cor.* VI). Sane hæc voluntas secundum duo quædam judicanda est, passionem scilicet et actionem, si videlicet ea quæ Deus intulerit, vel inferri permiserit, patienter sustineat, et ea quæ jusserit ferventer adimpleat. Cæterum, ut ait B. Gregorius (*Hom.* 20), nemo credat quidquid sibi mens sine operibus de Dei amore respondeat. Ejus est enim sententia, qui non mentitur : *Qui habet mandata mea, et servat ea : hic est qui diligit me* (*Joan.* XIV). Quocunque igitur modo insuetos hos affectus, internasque visitationes, judicia Dei, quæ sunt abyssus multa, dispensent, quibuscunque etiam causis, his non quærentibus nec pulsantibus, nonnunquam, ut ita dixerim, subito infundantur, illis omni licet conatu in earum acquisitione laborantibus subtrahantur, cujuscunque voluntas Dei voluntati concordat; eaque quæ Deus intulerit sustinet patienter, et ea quæ jusserit exsequitur ferventer, Deum

Google

diligere sine omni cunctatione dicendus est. Alioqui, si secundum hos affectus noster metiendus est amor, ut tunc solum Deum vel hominem quemlibet amare dicamur, cum hujusmodi affectum experimur, non utique continue, sed per rarissima quæque intervalla amare dicendi sumus. Dicendum sane quod si forte homo justus aliquando velit, verbi gratia, salutem alicujus, quod tamen nolit Deus, non tamen ejus voluntas a Dei voluntate discordat, quandoquidem, ut hoc velit, Dei utique operatur voluntas, qui ideo vult omnes homines salvos fieri (*I Tim.* II), quia a suis id facit optari. Habet præterea amor iste inchoationem suam, profectum suum, perfectionem suam. De quibus omnibus enucleatius disserere, nec hujus temporis forte, nec nostræ est facultatis. Proinde affectus illos sentire, non ita, ut autumas, Deum amare est, sed oblatam, imo infusam menti quamdam dulcedinis illius guttam, interioris palati quasi præsentem, suavi præsentire attractu. Nam aliud est melleæ dulcedinis cupidum in ejus acquisitione pro viribus laborare, aliud si cujuslibet non quærentis nec amantis infusa fuerit labiis, sensum dulcedinis illius non posse effugere. Ille non gustat, amat tamen; iste non amat, tamen gustat. Ut ergo simplicioribus verbis utar, quo facilius intelligas; qui quantumcunque potest, insistit, ut Deum habeat, mandatis videlicet illius obtemperando, et secundum apostolica et evangelica præcepta sobrie, et juste, et pie vivendo, etsi nihil hujus dulcedinis gustet, Deum tamen diligere dicendus est, ipso attestante, qui ait : *Qui mandata mea custodierit, ille est qui diligit me* (*Joan.* XIV). Qui vero quotidie hunc experitur affectum, et nihilominus divinæ voluntati sua desideria præponit, non quidem Deum diligere, sed ingestum suæ menti divina dispensatione spiritualem saporem non nisi sentire posse, credendus est. »

CAPUT XIX.

Quis sit diversarum compunctionum fructus, novitio interroganti exponitur.

« Hæc tamen dulcedinis experientia, negligentibus quidem ad bona opera magna excitatio, in bonis operibus desudantibus necessaria consolatio, in culmine perfectionis consistentibus suavis et secura refectio est. Operatur ergo ille mire misericors, miris et ineffabilibus modis salutem nostram; ipse sapientia illuminans, ipse justitia terrens, ipse dulcedo suavitatis illiciens. Velut si quemlibet ignarum mellis ad ejus velles appetitum accendere, sed cernens eum aliis speciebus, minus licet sapientibus, delectatum, nec sermone, nec ejus qualibet laude in illius desiderium inflammari, sumpta modica liquaminis illius gutta, ejus faucibus instillares; illeque sumpto gustu, ita in ejus æstuaret appetitum, ut pro ejus acquisitione, ne immensos quidem labores aggredi perhorreret, quoties, tamen immanitate laboris cernères fatigatum a cœpto fervore tepescere, simili cum dulcedinis stilla mulcere : sic clementia piissimi Salvatoris nostri, illecebris carnis immersos, quos nec lumen rationis, nec futuri examinis timor, a male blanda prævalet suavitate compescere, quodam internæ dulcedinis gustu allicit ad salutem; donec propria voluptate paulatim attracti secundum illud :

Trahit sua quemque voluptas,
(VIRGIL., *Ecl.* 2, vers. 65.)

jugum eis suæ servitutis imponat. Sed quia accedens quis ad servitutem Dei, audit Scripturam dicentem : *Sta fortiter et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II), necesse est, ut quoties labor tentationis oppresserit, nutanti jam, peneque desperanti, spiritalis quidam sapor interfluat; cujus recreatus aspergine, vitiorum colluctationem acriori mentis æstu suscipiat, magnanimiter toleret; facilius superet, vel evitet. Teipsum diligentius intuere. Nonne post illam dulcissimi affectus experientiam, ad ludicra vanaque reversus, cum iterum redires in te, confundebaris, ac quodam, ut ita dixerim, odio salutari contra teipsum accendebaris? Hinc meditari arctiorem vitam arripere, tantamque tibimet opponere necessitatem; ut si etiam talibus consentiret voluntas, nulla tamen foret ad talia redeundi facultas. — Omnino, inquit, ita est. — Vides ergo quia illa fervens conversio tua, ista districta admodum conversatio tua, quasi illarum lacrymarum fructus est? Ad hoc enim datæ sunt, hoc paulatim operabantur, imo per illas Deus. Quid ergo mirum, si suo, ut ita dixerim, negotio consummato cessarunt? Nunc quidem labores tibi pro Christo subeundi sunt, virtus patientiæ exercenda, carnis insolentia crebris vigiliis, ac jejuniis castiganda, perferendæ tentationes, et ab omni terrena sollicitudine animus avocandus : præcipue autem virtute obedientiæ propria mortificanda voluntas : quoties vero in his animus plus nimio fatigatur, sollicita orationum devotione, ad materna ubera Jesu properandum, ex quorum abundantia, lac tibi miræ consolationis eliciens, dicas cum Apostolo : *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione* (*II Cor.* I); Et : *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra* (*ibid.*). Sic affectus ille pius, qui prius torpentem excitaverat ne periret, consolabitur laborantem ne deficiat, donec post innumeras victorias, quasi emeritus jam miles effectus, his tentationibus quibus nunc quasi novitius fatigatis, penitus consopitis, in virtutum suavitate repauses : ad illud quoque sublimissimum consolationis genus gratia divinæ pietatis admissus, quod quasi præmium constat esse justorum, dicas cum Propheta : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* » (*Psal.* XXX.) Tum ille, obortis lacrymis : « Placet, inquit, et valde placet, quod dicis, quia non solum hæc ita esse ratione magistrante conjicio, verum in me ipso luce clarius perspicio. Nam primum illud visitationis genus, sic prorsus, ut asseris, expertus sum; secundum vero,

Digitized by Google

quod in me jam incipiat actitari, te instruente persentio; at sublime illud et ineffabile quandoque me adepturum confido.»

CAPUT XX.

Novitius ille unde Deum se magis amasse probat, inde minus amasse convincitur: et quibus lacrymarum profusio proficiat ostenditur.

«Vide igitur, inquam, quam præter opinionem tuam res acta sit. — Quomodo, inquit? — Ne forte, inquam, unde te Deum magis amare credebas, hinc minus convincaris amasse. — Aliquantisper, inquit, et mihi hæc ratio interlucet: velim tamen plenius eam, te disputante, cognoscere. — Nonne, inquam, quanto quisque negligentior fuerit, vel mente infirmior; tanto in Dei amore probabitur imperfectior? — Negari, inquit, non potest. — Sed sicut, inquam, temetipsum dicis clarius intueri, primus ille affectus arguebat errantem: secundus iste sustinet infirmantem. — Prorsus, inquit, ita. — Convincunt igitur, inquam, imperfectius amantem.» Tum ille suspirans: «O, inquit, quam miserabiliter falluntur, quam sunt suæ salutis proditores, qui vitiis innumerabilibus ac damnabilibus implicati, si parum quid hujus, de quo loqueris, experiantur affectus; non solum sibi veniam de præteritis pollicentur, imo ad eadem securius quodammodo revertuntur, nec aliquid hos spirituali incitamento proficiunt; sed sanctiores hinc semetipsos arbitrantes, in suis sordibus vel negligentiis impudentius volutantur. Forte de talibus ait Apostolus: *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos, ut non videant; et aures, ut non audiant* (*Rom.* II). Nunquid non genus hoc compunctionis excæcat oculos; aures obturat, illorum duntaxat, qui immanissimas vitiorum sordes sine pœnitentiæ fructibus paucis his lacrymis æstimant abluendas? — Est profecto, inquam, gratissimum et acceptissimum Deo sacrificum profusio lacrymarum, pro omnibus admissis sufficiens holocaustum, si pœnitentibus et confitentibus, sed ea unde pœnituerint, non iterantibus? sed cum spiritu humilitatis et animo contrito ad pia viscera Jesu fugientibus, sed dignis pœnitentiæ fructibus pro posse insistentibus. Quocirca tibi, omnique suæ salutis sollicito elaborandum est, quatenus hæc carnis mortificatio, hæc vigiliarum ac laborum sollicitudo, hæc vestium vilitas, hæc ciborum asperitas, hæc silentii gravitas, hæc, inquam, omnium membrorum interioris et exterioris hominis quasi acceptissimum holocaustum, sagimine, ut ita dixerim, lacrymarum, ac devotissimorum affectuum suavitate pinguescat, ut in arca cordis igne charitatis admisso suave redoleat, et sic, secundum Prophetam: *Holocaustum tuum pingue fiat* (*Psal.* XIX). Cæterum si utrumque non possis, satius est, sine lacrymis in apostolica paupertate, et evangelica vivere puritate, quam cum quotidianis lacrymis quotidie divinis obviare mandatis. Nam licet mortuos suscitent, dæmonia ejiciant, cæcos illuminent: nihilominus tamen audient a Domino: *Discedite a me* (*Matth.* VII, 3), quicunque fuerint operarii iniquitatis.»

CAPUT XXI.

Quod ex his quæ inserta sunt, quid charitas, quid cupiditas in proficiente operetur, possit adverti.

Hactenus hæc forte non inutiliter inseruimus: quæ omnia si attente, si diligenter, postremo si humiliter inspiciantur, erit, ni fallor, perfacile intueri, conversum quemlibet ex nova charitatis infusione, alacri conatu, ac levissimis quibusdam mentis suæ motibus ad altiora sustolli, sed cupiditate deorsum premente, et omne cui inhæserit naturali pondere ad ima semper urgente, in ipso suo conatu, nonnihil laborare. Et quanto frutex perniciosa altius in ipsis animæ recessibus radices infixerit, tanto in earum avulsione major difficultas, proinde in ascensione minor facilitas. Sed sicut piger quis ac desidiosus, ac agriculturæ imperitus, agrum suum parva licet ex parte tribulis ac spinis obsitum, tardius evacuat et emundat: impiger autem ac sollicitus ac hujus disciplinæ industrius, etiamsi omnem agri superficiem occupaverit, veprium densitatem citius eradicat, ac de sterili et infecundo pinguem reddit et uberem: sic nimirum abrenuntians quis mundo, si tardus, si tepidus, si suæ purgationis minus fuerit curiosus, quanquam in sæculo minus existit inquinatus, tardius in conscientiæ serenitatem, ac charitatis proficiet libertatem: at si fervens spiritu, si diligens, sollicitus, si discretionis virtute fundatus, assumptis spiritualium exercitiorum instrumentis, vitiorum genimina ab agro sui cordis potenter evellat, in auras conscientiæ purioris citius respirabit, ac jugo cupiditatis excusso, ac onere deposito passionum, inveniet, quia jugum Domini suave est, et onus ejus leve.

CAPUT XXII.

Quanta sit in voluptatum contemptu victoriaque jucunditas.

Sicque probabit expertus, non modo nullius laboris, imo summæ esse jucunditatis, pudicitiæ suavitate perfundi, quanquam onerosum sit naturalia incentiva immundaque desideria, quæ de concupiscentia carnis emergunt, freno temperantiæ cohibere. Similiter non solum jucundum, sed insuper gloriosum, cum gulæ fuerit concupiscentia superata, non se servum sui ventris, sed dominum intueri, illa mira exsultatione tripudians. *Ego autem didici, in quibus sum, sufficiens esse: scio humiliari, scio et abundare; ubique et in omnibus institutus sum, et esurire, et satiari: et abundare, et penuriam pati* (*Philipp.* IV). Sed et amor carnis si fuerit perfecte sopitus, vel certe igne divini amoris absorptus, nullus erit in exterioribus labor, quia non poterit mens ejus afflictione turbari, cujus non potest dilectione dissolvi. Illecebris sane odorum licet nonnulli turpiter abutantur, quia tamen hi, de quibus nunc sermo est, vel parum vel nihil in eorum appetitu vel

Digitized by Google

amissione laborant, hinc plura loqui supersedeo. Porro oculorum auriumque voluptas plurimis non modicum laboris importat, qui nequaquam recte jugo Salvatoris ascribitur, cum totum perversa potius pariat consuetudo. Quam quia abscindere sentiunt onerosum, de Dominici jugi, cujus non experti sunt lenitatem, malunt asperitate causari; quæ cum in voluptatum contemptu consistat, non minorem profecto contemnentibus confert libertatem, quam vana illa et ludicra damnosa pariunt suavitatem.

CAPUT XXIII.

De vana aurium voluptate.

Sed quia aperte malos ab hac consideratione putavimus removendos, de his nunc sermo sit, qui sub specie religionis negotium voluptatis obpalliant: qui ea, quæ antiqui patres in typis futurorum salubriter exercebant, in usum suæ vanitatis usurpant. Unde, quæso, cessantibus jam typis et figuris, unde in Ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus, tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem? Ad quid illa vocis contractio et infractio? Hic succinit, ille disciuit; alter medias quasdam notas dividit et incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur; aliquando virili vigore deposito, in femineæ vocis gracilitates acuitur, nonnunquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur et retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore quasi intercluso halitu exspirare, non cantare, ac ridiculosa quadam vocis interceptione quasi minitari silentium; nunc agones morientium, vel exstasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitatur, torquentur labia, rotant, ludunt humeri; et ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio; et ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur. Stans interea vulgus sonitum follium, crepitum cymbalorum, harmoniam fistularum tremens attonitusque miratur; sed lascivas cantantium gesticulationes, meretricias vocum alternationes et infractiones non sine cachinno risuque intuetur, ut eos non ad oratorium, sed ad theatrum, nec ad orandum, sed ad spectandum æstimes convenisse. Nec timetur illa tremenda majestas, cui assistitur, nec defertur mystico illi præsepio, cui ministratur, ubi Christus mystice pannis involvitur, ubi sacratissimus ejus sanguis calice liberatur, ubi aperiuntur cœli; assistunt angeli; ubi terrena cœlestibus junguntur; ubi angelis homines sociantur. Sic quod sancti Patres instituerunt, ut infirmi excitarentur ad affectum pietatis, in usum assumitur illicitæ voluptatis. Non enim sensui præferendus est sonus: sed sonus cum sensu ad incitamentum majoris affectus plerumque admittendus. Ideoque talis debet esse sonus, tam moderatus, tam gravis, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed sensui majorem relinquat portionem. Ait nempe beatissimus Augustinus (*lib.* x *Confess.* c. 33). « Movetur animus ad affectum pietatis divino cantico audito: sed si magis sonum quam sensum libido audiendi desideret, improbatur. » Et alias: « Cum me, inquit, magis cantus quam verba delectant, pænaliter me peccasse confiteor, et mallem non audire cantantes. » Cum igitur aliquis, spreta ridiculosa illa et damnosa vanitate, antiquæ Patrum moderationi sese contulerit, si ad memoriam nugarum theatricarum prurientibus auribus immane fastidium gravitas honesta intulerit; sicque totam Patrum sanctitatem quasi rusticitatem contemnat ac judicet; modo cantandi, quem Spiritus sanctus per sanctissimos Patres quasi per organa sua, Augustinum videlicet, Ambrosium, maximeque Gregorium, instituit: Iliberas, ut dicitur, Ænias, vel nescio quorum scholasticorum nugas vanissimas anteponens. Si ergo hinc crucietur, hinc doleat, hinc ad ea quæ evomuerat, anxius anhelet: quæ rogo hujus laboris origo, jugum charitatis, an onus concupiscentiæ mundialis?

CAPUT XXIV.

De concupiscentia oculorum in curiositate sita, quæ ad viam perfectiorem conversos affligit.

Sed jam de concupiscentia oculorum pauca dicenda sunt, quam curiositatem sancti Patres viderunt appellandam; nam eam non solum ad exteriorem, sed etiam ad interiorem hominem æstimant pertinere. Ergo ad exteriorem pertinet curiositatem omnis superflua pulchritudo, quam amant oculi in variis formis, in nitidis et amœnis coloribus, in diversis opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis, picturis, sculpturis, diversisque figmentis, usum necessarium et moderatum transgredientibus: quæ omnia amatores mundi ad illecebras expetunt oculorum: foras sequentes quod faciunt, intus relinquentes a quo facti sunt, et exterminantes quod facti sunt. Inde etiam in claustris monachorum grues et lepores, damulæ et cervi, picæ et corvi: non quidem Antoniana et Macharia instrumenta, sed muliebria oblectamenta: quæ omnia nequaquam monachorum paupertati consulunt, sed curiosorum oculos pascunt. Si quis ergo paupertatem Jesu, his oculorum illecebris præferens, infra metas necessitatis sese recluserit, et pro superflua illa ædificiorum amplitudine, ac supervacua altitudine, pauperum quorumdam fratrum cubilia expetierit, cum forte ingrediens oratorium impolito constructum lapide, nihil pictum, nihil sculptum, nihil occurrerit pretiosum, non marmora strata tapetibus, non vestiti parietes ostro, historias gentium, pugnas regum, vel certe scripturarum seriem præferentes, non ille cereorum attonitus fulgor, non in diversis utensilibus radiantis metalli splendor, cum ergo nihil horum occurrerit intuenti, si incipiant ei cuncta sordere quæ cernit, ac se quodam paradiso excussum, ac

Digitized by Google

carcerali quodam squalore queratur immersum, unde hæc mentis angustia, unde totus hic labor? Rogo, si didicisset a Domino Jesu esse mitis et humilis corde, ac contemplari secundum Apostolum : *Non ea quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna* (*II Cor.* IV) : si interioris illius gloriam vel modicum degustasset, de qua scriptum est : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus* (*Psal.* XLIV) ; illudque Apostoli : *Opus suum probet unusquisque, et sic in semetipso gloriam habebit, et non in altero* (*Gal.* VI) : quod si non in homine altero, quanto minus in muto insensibilique metallo? Si, inquam, interiori cervice jugo divinæ dilectionis supposito, ibi intus Jesus ille dulcis dulciter sapuisset, multumne, quæso, gloriolas has exteriores affectasset? Nunc de interiori illa curiositate pauca dicenda sunt, quæ maxime in tribus constat; in appetitu videlicet noxiæ vel inanis scientiæ; in pervestigatione alienæ vitæ, non ad imitandum, sed ad invidendum, si bona est, vel insultandum si mala, vel certe sola curiositate tantum, ut sciatur, sive mala sit, sive bona ; postremo in curiosa quadam pro sæcularium rerum vel actuum agnitione, inquietudine. Ex quibus omnibus mentibus captivatis non modicus labor innascitur, cum vel intemperate exercentur, vel libenter exercentibus prohibentur. Hinc est quod plerique, qui inani philosophiæ dedere animum, quibus etiam moris est cum Evangeliis Bucolica meditari, Horatium cum prophetis, cum Paulo Tullium lectitare, tunc etiam metro ludere, laciniosisque carminibus amatoria texere, vel invectionibus invicem provocare, cum eo sese contulerint, ubi hæc omnia quasi seminaria vanitatis, vel initia jurgiorum, vel libidinis incentiva, regulari districtione damnantur : incipiunt contristari tristi : et cum non habeant, quibus semina conceptæ vanitatis effundant, in illa Eliu verba videntur prorumpere : *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit* (*Job* XXXII). Unde ergo labor iste nascatur, in promptu est judicare. Inde est etiam quod cum tota die inanibus spectaculis dediti, vel rumoribus audiendis intenti a nobis quodam modo exierimus, revertentes iterum ad nos, vanitatum imagines introducimus, et cor plenum simulacris ad locum quoque quietis nostræ ferentes, pro ineptissima vanitate noctes ducimus insomnes; regum prælia, victorias ducum, quasi sub oculis stultissima præsumptione depingimus, omniaque regni negotia in ipsa psalmodia vel orationibus nostris otiosis discursibus ordinamus. Est adhuc aliud curiositatis pessimum genus, quo tamen hi soli, qui magnarum sibi virtutum conscii sunt, attentantur : explo atio scilicet suæ sanctitatis per miraculorum exhibitionem : quod est Deum tentare. Quod curiositatis genus lege Mosaica ita prohibetur : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI). Unde etiam Apostolus: *Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt* (*I Cor.* X). Cui pessimo vitio si quis consenserit; ex nimia mentis angustia cum compos non fuerit voti, vel laqueos desperationis, vel sacrilegium incurret blasphemiæ.

CAPUT XXV.

De superbia vitæ, ac primo de vanitate.

Restat noxiæ radicis tertius ramus, quem superbiam vitæ sanctus Apostolus nominavit. Cujus cum multa sint genera, ad præsentem quæstionem de duobus pertinet disputare. Et primum quidem est, quod amorem vanæ laudis infundit, secundum libidinem inserit dominandi. Ex his ergo quantus oriatur labor, quanta mentis angustia, quis facile dixerit? Quoties plane correctus vel injuriatus conturbor, vel qualibet detractione vel oblocutione confundor; aut, quod est lugubrius, tristitiæ peste consumor, si velim laboris hujus causas expressius indagare, invenio in ipsis animæ recessibus radicem vanitatis altius latitantem, qua animus magna de se præsumens, talem se delusus depingit ; qui non modo non corripi, vel objurgari, sed insuper laudari ab omnibus et honorari debuerit. Vel certe, cum mente veneno hujus nefandæ pestis infecta, in aliorum existimatione sanctum se finxerit, et mirandum, statim ut a sua vanitate alios dissentire perspexerit, gloria sua gaudioque frustratus, quod videlicet in aliorum æstimatione falsa opinione locaverat, necesse est tristitiæ stimulis corrodatur. Ex hoc quoque pessimo morbo primæ cathedræ, salutationes primæ, prima vox in conciliis, primæ in conventu sedes appetuntur : quæ omnia, quantum oblata vel acquisita delectant, tantum negata vel ablata conturbant.

CAPUT XXVI.

De dominandi libidine.

At si mentem libido dominandi corruperit, quantum ei laboris imponit, solus ille nosse potuerit, qui hujus pessimæ passionis expertus tyrannidem, Dei tandem auxilio ab ejus est dominio liberatus. Statim enim ut noxium hoc virus mens insana conceperit, ei a quo desiderii sui aucupatur affectum, degeneri vilitate substernitur, et antequam ille aliis præferatur, ipse omnium, quos sibi obesse vel prodesse posse perspexerit, abjectissimus servus efficitur. Inde ob eorum timorem veritatis suppressio, ob eorum favorem turpis adulatio, itaque ei tota vocis libertas adimitur, ut laudare cogatur quæ conscientia viderit arguenda; arguere quæ ipsa indicaverit approbanda. Denique si quemlibet ejus cui innititur familiaritati, propius accedere perspexerit, mox suspicionum jaculis mens captiva confoditur, ne is ad eos, quos ipse ambit, honores citius assumatur, ægritudine timoris afficitur. Itaque invidiæ virgis ferreis cæditur, ut nec cibus ad utilitatem, nec ei somnus proveniat ad quietem. Tunc ad detractiones, susurrationesque convertitur, ac quidquid in eo perspexerit arguendum, prodit et publicat; quidquid publice arguere non potest, sinistra interpretatione com-

Digitized by Google

maculat. Verum si tota sua spe frustrata, alius provehatur; quæ tunc illi animæ cruces, quæ tormenta? Confunditur, conteritur, conturbatur, dissipatur, internosque æstus ferre non sustinens, aut e congregatione, tot passionum ictibus arietatus, excutitur, vel si humano pudore devinctus in congregatione resederit, totus in contrarium vertitur, conceptamque semel ambitionis flammam ferre non valens, anhelat, æstuat, cruciatur, ita ut in silentio ejus amaritudo appareat, et in verbis indignatio, et vasis testei instar ad vim fornacis occultæ per exterioris hominis motus infeliciter crepat, mordaciter loquens, truculenter aspiciens, et ad omnia quæ objiciuntur, turgida inflatione respondens. Tunc quibus prius turpiter adulabatur, aperta fronte resistit, contradicit, obloquitur, clam malitiosa detractione corrodens, palam sine omni reverentia et honestate objurgans. Tunc omnia seniorum suorum verba male curiosus attendens, singulis insidiatur syllabis, explorat facta; et omnes, ut ita dixerim, motus et itinera impudicis oculis perlustrans, enumerat omnia, de omnibus judicat, ac pro malitiæ suæ livore omnia interpretatur. Quod si forte, ut se habet humana infirmitas, excessu aliquo præventus senior fuerit, jam tunc ille nactus locum suæ, ut sibi videtur, injuriæ ulciscendæ erigit supercilium, rugat frontem, labia importunis dilatat clamoribus. Verum ut se Dei zelo agi intuentibus mentiatur, quasdam sibi aliquando extorquet guttulas lacrymarum, dolosa producit suspiria, querulis satis vocibus charitatem deseri queritur; puritatem transgredi, conculcari justitiam ingemiscit. Dicas, si nescias, eo spiritu agi eum, quo quondam Jeremias propheta flammescens: *Factus est*, inquit, *sermo Domini quasi ignis æstuans in ossibus meis: et defeci, ferre non* A *sustinens* (*Jer.* xx). Sic ille igne zeli Dei interiora sua depasci proclamans, se pro justitia erigi, certare pro ordine, pro charitate etiam odia subiisse mentitur. Quid plura? Ita tandem rebellis ac contumax experitur, ut vel expelli eum extrema necessitas urgeat, aut certe aliqua propriæ voluntatis libertate leniri. Hinc mira quædam orta abusio est. Cum aliquando status religionis pure admodum tractaretur, sicut se habet regula veritatis; quicunque humiliores, quietiores ad obedientiam, ad opprobria promptiores, in omnibus bonis ferventiores, qui honores maxime non appeterent; hi tales vel ad alios regendos, vel ad aliquas administrationes, non dico promovebantur, sed compeliebantur; nunc contrario, dum quorumdam timetur B insolentia, vel cavetur rebellio, vel improbitas formidatur, quia querulosi, quia iracundi, quia leves et acediosi, non valentes in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc intus; quia denique timentur, promoventur; et quæ illis debuit esse causa dejectionis et humilitatis, fit fomes tumoris. Sed de trimoda hac cupiditate hæc satis sint. In quibus omnibus si quis animæ suæ vultum, quasi in quodam speculo diligenter attenderit, invenlet, ni fallor, non modo quid habeat deformitatis, sed et ipsius deformitatis causas occultas sub veritatis luce cognoscet, ac sic non Dominici jugi asperitatem, quæ nulla est, sed propriam arguet perversitatem. His ergo passionum radicibus, quasi totius C laboris nostri causis, evulsis penitus, ac mentis nostræ humeris charitatis jugo suppositis, discemus a Domino Jesu quia mitis est et humilis corde, et inveniemus requiem animabus nostris, sabbatizantes, non cum Judæis Sabbatum carnale, sed in dulcedine charitatis æternum et spirituale.

LIBER TERTIUS.

In quo, quomodo sit exhibenda charitas monstratur.

CAPUT PRIMUM.

Lex de Sabbatorum distinctione proponitur.

Legimus in Veteri Testamento quasdam sabbatorum distinctiones (*Levit.* xxiii): quorum considerationi libri hujus dedicamus exordium. Habes nempe in lege tria tempora sabbati requiei consecrata: septimum videlicet diem, septimum annum, et post septies septem quinquagesimum annum. Primum ergo sabbatum dierum, secundum annorum, tertium non immerito dicitur sabbatum sabbatorum. Constat namque ex septem annorum sabbatis, addito uno, ut septenarius numerus in unitate concludatur: qui et ab unitate progreditur, et in unitate perficitur. Nam et omne opus bonum ab unius Dei fide inchoatur, quod septenario Spiri- D tus sancti munere promovetur, ut ad ipsum, qui vere unus est, veniatur, ubi totum quod sumus unum cum ipso efficiatur. Et quia in unitate nulla est divisio, nulla sit ibi per diversa mentis effusio: sed sit unum in uno, cum uno, per unum, circa unum: unum sentiens, unum sapiens; et quia semper unum, semper requiescens: et sic perenne sabbatum sabbatizans. Interim habes sabbatum dierum, sabbatum annorum, et in quodam prægustu sabbatum sabbatorum. Quis ita illuminatus est Dei spiritu, ut has sabbatorum distinctiones, non ex aliorum verbis mutuet, memoria mediante; sed in se ipso agi sentiens, loquatur non solum ex memoria, sed etiam ex sententia? Adesto, tu bone Jesu, adesto huic pauperculo tuo, men-

Digitized by Google

dicanti non micas divitis purpurati, sed instar catuli, micas, quæ cadunt de mensa dominorum meorum filiorum tuorum. Magnus enim ille filius tuus, et quia filius tuus, Dominus meus, sanctus scilicet Moyses; admissus nimirum ad mensam tuam, epulatus est in ferculo Salomonis panem tuum. Et scio, mi dulcis Domine, dixisti enim: *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus* (*Matth.* xv). Sed quia catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, tu frange catulo tuo panem istum, ut micas colligat, qui non sufficit ad crustulam.

CAPUT II.

Quod in dilectione triplici, istorum Sabbatorum sit quærenda distinctio: et quæ sit in triplicis dilectionis distinctione complexio.

Audiamus ergo frangentem: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omni mente tua, et proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* xxii). Si igitur credimus, imo quia credimus veritati, necesse est in his duobus præceptis has Sabbatorum quæramus distinctiones; nam et ipsæ ex lege sunt. Porro hæc duo præcepta si diligenter inspicias, tria quædam invenis diligenda, te videlicet, proximum, Deum. Ubi enim dicitur: *Diliges proximum tuum tanquam teipsum*, manifestum est quia diligere debes et teipsum. Hoc tamen non est præceptum; quia naturæ est insitum. *Nemo enim unquam carnem suam*, teste Apostolo, *odio habuit* (*Ephes.* v). Et si non carnem, multo minus utique mentem, quam quilibet homo, etiam nesciens, magis diligit quam carnem. Nemo est enim qui non mali: infirmus carne, quam insanus vivere mente. Sit ergo homini dilectio sui Sabbatum primum; dilectio proximi sit secundum; Dei autem dilectio, Sabbatum Sabbatorum. Est autem, ut supra diximus, Sabbatum spirituale requies animi, pax cordis, tranquillitas mentis. Et hoc Sabbatum nonnunquam in propria dilectione sentitur, aliquando ex dulcedine fraternæ dilectionis hauritur; in Dei autem dilectione absque ulla ambiguitate perficitur. Hoc sane providendum, ut homo, sicut oportet, diligat semetipsum; proximum vero tanquam seipsum; Deum autem supra seipsum; quia nec se, nec proximum, nisi propter ipsum. Sed hæc dilectio quemadmodum vel proximo adhibenda sit, si Dominus voluerit, postea adnotabimus. Nunc vero considerandum est quia, licet in hac trina dilectione manifesta sit distinctio, inest tamen eis mira quædam complexio; ita ut singulæ in omnibus, et omnes inveniantur in singulis; nec una sine omnibus habeatur, et una vacillante ab omnibus recedatur. Nam neque se diligit, qui vel proximum, vel Deum non diligit; nec proximum diligit tanquam seipsum, qui non diligit semetipsum. Porro Deum non amare convincitur, a quo proximus non amatur. *Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* (*I Joan.* iv.) Præcedit ergo quodammodo dilectionem Dei dilectio proximi; dilectionem vero proximi dilectio sui: præcedit, inquam, ordine, non dignitate. Præcedit, sed illam perfectam, de qua dictum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (*Matth.* xxii). Nam profecto quædam hujus dilectionis portio, et si non plenitudo, et sui et proximi dilectionem præcedat, necesse est, sine qua utraque illa mortua est, ac proinde nulla est. Videtur enim mihi Dei dilectionem quasi aliarum dilectionum animam esse, quæ et in seipsa plenissime vivit, et aliis sui præsentia essentiam vitalem impertit, absentia mortem inducit. Ut ergo homo se diligat, in ipso Dei dilectio inchoatur; ut diligat proximum, capaciori quodammodo sinu concipitur, ut divinus ille ignis paululum calescens, cæteras tandem quasi scintillulas in sui plenitudinem miro modo absorbeat, totam animi dilectionem ad illud sublime et ineffabile bonum abducens; ubi nec ipse a se, nec proximus diligitur, nisi in quantum uterque deficiens a se, totus transfertur in Deum. Interim hi tres amores et ab invicem concipiuntur, et ab invicem nutriuntur, et ab invicem accenduntur: porro simul omnes perficiuntur. Agitur autem miro et ineffabili modo, ut quanquam hi tres amores simul omnes habeantur, neque enim aliter potest, non tamen semper æque sentiantur: sed nunc requies illa, illa jucunditas in propriæ conscientiæ puritate sentiatur; nunc ex fraternæ dilectionis dulcedine mutuetur; nunc in Dei contemplatione plenius acquiratur. Sicut enim rex aliquis diversas aromatum possidens apothecas, nunc hanc, nunc illam ingreditur; nunc hujus, nunc illius odore perfunditur; ita mens cellaria quædam referta spiritualibus divitiis intra conscientiæ suæ septa retentans, nunc hoc, nunc illud inambulat, ac jucunditatis suæ materiam pro divitiarum diversitate diverso modo compensat.

CAPUT III.

Quomodo Sabbatum spirituale in sui dilectione sentiatur.

Cum enim homo ab hoc exteriori tumultu intra secretarium suæ mentis sese receperit, et contra circumstrepentium turbas vanitatum, clauso ostio, interiores gazas perlustraverit, nihilque occurrerit inquietum, nihil inordinatum, nihil quod remordeat, nihil quod oblatret; sed omnia jucunda, omnia concordantia, omnia pacifica, omnia tranquilla, et instar ordinatissimæ cujusdam familiæ, omnis cogitationum, sermonum, operumque turba, ipsi animo, quasi patrifamilias domus arriserit: oritur hinc subito mira securitas, ex securitate mira jucunditas, ex jucunditate autem jubilus quidam, eo devetius in Dei laudes erumpens, quo perspicacius conspicit ejus esse muneris quidquid in se boni recognoscit. Hæc est septimi diei jucunda solemnitas quam necesse est sex dies, id est operum præcedat perfectio, ut primum in bonis operibus desudemus,

Digitized by Google

et sic demum in conscientiæ tranquillitate pausemus. Ex bonis namque operibus puritas conscientiæ nascitur, secundum quam sui dilectio judicatur. Sicut enim is qui operatur vel diligit iniquitatem non diligit, sed odit animam suam: ita profecto qui diligit et operatur justitiam, non odit, sed diligit animam suam. Hæc est primi illius Sabbati jucunda solemnitas, in qua servilia mundi opera minime exercentur; in qua nec ignis concupiscentiæ turpis accenditur, nec passionum onera comportantur.

CAPUT IV.

Quale Sabbatum ex fraterna dilectione capiatur, et quomodo sex anni, qui præcedunt septimum, charitati coaptentur.

Porro si ab hoc secretiori cubiculo, in quo primum hoc Sabbatum celebravit, ad illud pectoris sui diversorium sese contulerit, ubi solet gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, uri cum scandalizatis; senserit que ibi animam suam, cum omnium fratrum suorum animabus glutino charitatis uniri, nullis invidiæ stimulis agitari, nullis indignationum æstibus inflammari, non jaculis suspicionum atteri, non edacis tristitiæ morsibus consumi; sicque ad quemdam tranquillissimum mentis suæ sinum omnes rapiat, ubi dulci quodam affectu omnes amplectatur et foveat, ac secum unum cor, et unam animam faciat; ad hujus mox dulcedinis suavissimum gustum omnis cupiditatum silet tumultus, ac vitiorum strepitus conquiescit, et fit ibi intus ab omnibus noxiis absoluta vacatio, et in fraternæ dilectionis dulcedine grata et jucunda pausatio. Nam quod in hujus Sabbati quiete, nullum prorsus vitium residere charitas fraterna permittat, testis est hujus ipsius Sabbati continuus feriator apostolus Paulus: sic enim ait: *Non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (*Rom.* XIII). Hujus Sabbati requie ac dulcedine perfusus propheta David, in sonum gratulabundæ solemnitatis erupit, dicens: *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Vere bonum, vere jucundum. Bonum plane, quia nihil utilius; jucundum, quia nihil sapidius. Sicut autem primo illi Sabbato unus tantum dies dedicatur, quia videlicet singulare est, quod in propriæ cujusque conscientiæ tranquillitate consistit; ita non immerito huic annus integer consecratur; quia, sicut ex multis diebus annus efficitur, ita ex multis animabus unum cor, et una anima charitatis igne conflatur. Quod si ex sex illis annis, qui Sabbatum hoc spirituale præcedunt, aliquid mysticum velis exsculpere, scito sex esse genera hominum, in quorum dilectione necesse est animus exerceatur. Sicut autem annus multos dies complectitur, ita in singulis illis generibus multi nobis homines dilectionis copula conjunguntur. Primo ergo dilectio nostra naturali ordine ad domesticos sanguinis nostri derivatur. Quæ dilectio ut habeatur, quia ipsi naturæ est insitum; si non habeatur, nimis est inhumanum. Unde Apostolus: *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit: et est infideli deterior* (*I Tim.* V). Nec hanc apostolicam sententiam Dominicis verbis quisquam æstimet esse contrariam, quibus dicit: *Qui venit ad me, et non odit patrem et matrem, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Sed de his in consequentibus videbimus. Igitur quia sunt nonnulli, qui immaniores bestiis, nec domesticos attendunt jam aliquantulum ad Sabbatum hoc spirituale procedit qui suos, ita ut oportet, diligit. Hæc autem dilectio, quoniam ab ipsa natura proficiscitur, in præceptis quæ ad dilectionem pertinent proximi primo loco sancitur, ita, Deo protestante: *Honora patrem tuum et matrem* (*Exod.* XX). Hinc ad eos qui nobis spiritualis amicitiæ fœdere, vel officii vicissitudine copulantur, dilectio nostra progreditur, et quodammodo sinu ampliori laxatur. Sed hæc dilectio Pharisæorum justitiam non transcendit: quibus dictum est: *Diliges amicum tuum; et odio habebis inimicum tuum* (*Matth.* V). Sane utraque hæc dilectio quanquam parum præmii servata conquirat, quippe cum ad illam lex naturalis impellat, ad istam gratia impertita nos provocet; neglecta tamen cumulum damnationis importat. De his Dominus in Evangelio: *Si diligitis*, inquit, *eos qui vos diligunt; quam mercedem habebitis? Nonne et ethnici hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis?* (*ibid.*). Ut ergo in aliquid amplius dilectio nostra tendatur, amplectatur et eos qui nobiscum eodem jugo professionis subduntur. Hæc plane dilectio præmio non fraudabitur; quia Deus causa est cur exhibetur. In hoc statu mens vestimentis agglutinata Jesu, aliquid sibi unctionis elingit: quæ descendens a capite, etiam barbæ influit veri Aaron, et ad oram usque vestis attingit, cujus uncta pinguedine aliquantisper extenditur: et primum omnes ad quos unctio ipsa pertingens, participium illis nominis Jesu, ut ab uncto uncti, id est a Christo Christiani vocentur, impertit, laxiori sinu recipit diligendos. Restant adhuc duo hominum genera; quæ si pectori nostro amoris vinculis astringantur, nihil profecto obstabit, quin veri illius Sabbati requie perfruamur. Nam et eorum qui foris sunt, gentilium videlicet et Judæorum, hæreticorum et schismaticorum, necesse est ut ignorantiam doleamus, compatiamur infirmitati, malitiam defleamus, ac pio affectu solatium illis nostræ orationis impertiamus; ut et ipsi inveniantur nobiscum in Christo Jesu Domino nostro. Inde ad illud transeundum est, in quo fraternæ charitatis summa consistit, in quo homo Dei Filius efficitur, in quo divinæ bonitatis similitudo plenius reparatur, sicut ait Salvator in Evangelio: *Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos; et orate pro persequentibus; et calumniantibus vobis, ut sitis filii Pa-*

Digitized by Google

tris vestri, qui in cœlis est (*Matth.* v). Exinde quid supererit, nisi annus septimus, in quo debitores repetere non permittimur, in quo servus libertate donatur? Qui enim novit etiam inimicos simplici oculo intueri : ille est, qui veraciter dicere potest : *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus* (*Matth.* vi). *Omnis* enim *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* viii). Cui deplorandæ servituti tandiu quisque addicitur, donec ipse dimittens et diligens, dimittatur et diligatur, de servo non modo liber, sed etiam amicus efficiatur. Vere tempus pacis, tempus quietis, tempus tranquillitatis, tempus gloriæ et exsultationis. Quid enim molestiæ, quid perturbationis; quid mœroris, quid anxietatis ejus poterit interpolare lætitiam, qui a primo illo Sabbato, in quo laborum suorum fructibus pascitur, ad hujus divinæ similitudinis statum gratia pleniore progreditur, ut omne hominum genus uno mentis amore complectens, nullius injuria moveatur; sed, sicut indulgentissimus aliquis pater erga charissimum sibi filium phrenesi laborantem, ita ille erga suos afficiatur inimicos, ut quo magis ab eis injuriatur, eo profundiori charitatis affectu inferentibus sibi molestiam compatiatur? Hac igitur virtute possessus tunc maxime Sabbatum hoc celebrare dicendus est, cum ingrediens cor suum in fraternæ dilectionis dulcedinem intendit animum, et erga charissimos sibi in quemdam suavissimum resolutus affectum, gustat *quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* cxxxii).

CAPUT V.

Quomodo utraque hæc dilectio Dei dilectione servetur.

Verum, quia, ut superius diximus, utrumque hunc amorem, quo vel propriæ saluti consulimus, vel quo proximis puro affectu unimur, quadam divini amoris portione necesse est animari : sciendum quia ad hanc geminam dilectionem Dei nos dilectio movet et promovet, secundum id, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* i). Siquidem in hac gemina dilectione acquiritur innocentia, quam in duobus constare manifestum est. Innocens quippe est, qui nec sibi, nec alteri nocet. Sibi autem nocet, qui semetipsum vitiis alicujus aut turpitudinis labe corrumpit. Ad quam corruptionem quia maxime voluptas, ac delectatio carnis impellit, sic eam facile quilibet respuit vel evitat, si erga carnem nostri Salvatoris pium indutus affectum, gaudet spiritalibus oculis intueri Dominum majestatis, usque ad præsepis inclinatum angustias, virgineis inhiare uberibus, maternis amplexibus stringi, tremuli senis, sancti videlicet Simeonis, felicibus labiis osculari. Qui mentis suæ obtutibus imaginari dulce habet, quam mitis aspectu, quam dulcis affatu, quam peccatoribus compatiens, quam infirmis et miseris condescendens, quod mira benignitate nec meretricis attactum, nec publicanorum refugit convivium (*Luc.* vii), quod unius adulteræ suscipit causam ne lapideiur (*Matth.* ix), quod alteri confabulatur, ut de adultera evangelista quodammodo efficiatur (*Joan.* viii; *Joan.* iv). Quis est, cui ad hoc dulce spectaculum, omnis fetentis carnis delectatio non sordescat? Inde suaves quædam lacrymæ facile oriuntur, quibus omnis concupiscentiarum æstus exstinguitur, tepescit caro, gulæ voracitas temperatur, omnis vanitatum titillatio sedatur. Porro ad inimicorum dilectionem, in qua fraternæ charitatis consistit perfectio, nihil nos ita animat, ut illius miræ patientiæ grata consideratio, qua ille *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* xliv), venustam faciem suam impiis præbuit conspuendam, qui oculos illos, quorum nutu reguntur omnia, velamini subdidit iniquorum; qua latera illa sua flagellis exposuit; qua caput, tremendum principatibus et potestatibus, spinarum asperitati submisit; qua semetipsum opprobriis ac contumeliis addixit; qua tandem crucem, clavos, lanceam, fel, acetum patienter sustinuit, in omnibus lenis, mitis, tranquillus. Denique tanquam ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum (*Isa.* liii). Considera, o humana superbia, o superba impatientia, quid sustinuit, quis sustinuit, quomodo sustinuit! Cogitentur, rogo, non scribantur. Quis est, cujus ad hunc mirabilem intuitum non statim ira deferveat? Quis illam audiens mirabilem vocem, plenam dulcedinis, plenam charitatis, plenam immutabilis tranquillitatis : *Pater, ignosce illis* (*Luc.* xxiii), non statim omni affectu suos amplectitur inimicos? *Pater*, inquit, *ignosce illis*. Quid lenitatis, quid charitatis huic addi potuit orationi? Addidit tamen. Parum fuit orare; voluit et excusare. *Pater*, inquit, *ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt*. Sunt quidem magni peccatores, sed pusilli æstimatores; ideo, Pater, ignosce illis. Crucifigunt; quem tamen crucifigant nesciunt, quia *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* ii); ideo, Pater, ignosce illis. Putant legis prævaricatorem; putant divinitatis præsumptorem; putant populi seductorem. Abscondi ab eis faciem meam, non agnoverunt majestatem meam; ideo, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Igitur, ut homo se diligat, nulla se carnis delectatione corrumpat. Ut vero carnali concupiscentiæ non succumbat, omnem affectum suum ad suavitatem Dominicæ carnis extendat. Porro, ut perfectius ac suavius in fraternæ charitatis delectatione quiescat, etiam inimicos brachiis veri amoris astringat. Sed ne divinus hic ignis injuriarum statu tepescat, dilecti Domini ac Salvatoris sui tranquillam patientiam oculis mentis semper aspiciat.

CAPUT VI.

Quomodo perfectum Sabbatum in Dei dilectione reperitur, et quomodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur.

Verum hac gemina dilectione purgata mens, tanto devotius, quanto securius, ad ipsius divinita-

Digitized by Google

tis felices gestit amplexus, ita ut nimio desiderio succensa velamen carnis excedat, intransque in illud sanctuarium, ubi spiritus fit ante faciem suam Christus Jesus, ab illo ineffabili lumine, ab illa inusitata dulcedine penitus absorbeatur; factoque silentio ab omnibus corporalibus, ab omnibus sensibilibus, ab omnibus mutabilibus, in id quod est, et sic semper est, et ipsum est, in illud unum perspicacem figat intuitum; vacans et videns quoniam Dominus ipse est Deus, et inter charitatis ipsius suaves amplexus, sabbatizans sine dubio Sabbatum sabbatorum. Hic annus jubilæus, in quo homo ad suam possessionem revertitur, ipsum videlicet Auctorem suum, ut nimirum possideatur et possideat, habeatur et habeat, teneatur et teneat. Ipsa est possessio, quæ distracta vili peccati pretio, amore hominis diffluente ab eo, a quo factus est, et inhærente rei, quæ facta est. Huic Sabbato non immerito quinquagenarius numerus dedicatur, in quo servilis timor expellitur, carnis non solum concupiscentia, sed et memoria consopitur, spiritus concipitur. *Ante*, inquit, id est ante Pentecosten, *Spiritus non erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* (*Joan.* VII). Non omnino non datus, sed non tanta plenitudine, non tanta perfectione. Datur profecto in Sabbato primo, datur et in secundo, sed in Sabbato sabbatorum ejus infunditur plenitudo. In gemino enim illo Sabbato Jesus cernitur parvus, non magnus; humilis, non sublimis; injuriatus, non glorificatus. Ideo Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Verum quia charitas diffunditur in cordibus nostris, non alias nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V), ubi septenarius numerus custoditur, sed ipsius septenarii multiplicatione, profectus ipsius charitatis dignoscitur. Nam septimus dies quasi charitatis est inchoatio, septimus annus promotio, quinquagesimus annus, qui est post septies septem, ejus est plenitudo. In singulis requies, in singulis vacatio, in singulis spiritualis quædam sabbatizatio. Primo requies in puritate conscientiæ; deinde in multarum mentium dulcissima conjunctione; postremo in ipsius Dei contemplatione. In primo Sabbato vacatur a crimine; in secundo a cupiditate; in tertio ab omni prorsus dissensione. In primo gustat mens, quam dulcis est Jesus in humanitate; in secundo videt quam perfectus in charitate; in tertio quam sublimis in Deitate. In primo colligitur ad se; in secundo extenditur extra se; in tertio rapitur supra se.

CAPUT VII.

Quid sit amor, quid charitas, quid cupiditas.

Locus et tempus exigit, ut quod superius distulimus, quemadmodum videlicet charitas sit exhibenda, paulo latius exsequamur. Quod ut manifestius fiat, quidnam sit charitas, enucleatius video ostendendum. Et manifestum quidem est quod charitas amor sit, quanquam non minus manifestum, quod non omnis amor charitas sit. Quocirca subtiliori indagatione opus est ut primo quid sit amor pateat intuenti; quatenus genere agnito species non lateat inquirentem. Dupliciter igitur amorem dici, animadversa loquendi consuetudo demonstrat. Dicitur enim amor, animæ rationalis vis quædam sive natura, qua ei naturaliter inest ipsa amandi aliquid, non amandive facultas. Dicitur et amor ipsius animæ rationalis quidam actus vim illam exercens, eum ea utitur vel in his quæ oportet, vel in his quæ non oportet: qui quidem actus cum additamento amor appellari solet, verbi gratia amor sapientiæ, amor pecuniæ; quem utique amorem vel bonum necesse est esse, vel malum. Nam vis illa animæ, sive natura, qua hic amor, sive bonus sive malus exercetur, bonum quiddam animæ est, et in bono et in malo nunquam potest esse non bonum. Pertinet quippe ad ipsius naturam substantiæ, quæ ab ipso summo bono est, qui fecit singula quidem bona, universa autem bona valde. Sed homo libero muneratus arbitrio, sicut cæteris naturæ suæ bonis, sic et hoc aut bene utitur, adjutus per gratiam; aut male, relictus per justitiam. Quia igitur, ut quidam ait, bonos aut malos mores non faciunt, nisi boni aut mali amores; præmissi boni bonus usus bonum hominem facit, quia bonum amorem facit; abusus autem, quia malum amorem facit, utique malum hominem facit. Quid ergo dubitamus charitatem dicere ipsius amoris rectum usum, abusum autem cupiditatem?

CAPUT VIII.

Quomodo in electione, in motu, in fructu, amoris rectus usus constet, sive perversus.

Jam nunc inter ejus usum rectum sive perversum aliquanto subtilius discernamus. Constat autem, ut mihi videtur, usus ejus in tribus, in electione, in motu, in fructu. Est autem electio ex ratione; motus in desiderio et actu; fructus in fine. Rationalis quippe creatura sicut beatitudinis capax condita est; ita ipsius beatitudinis avida semper: sed ad beatitudinem nequaquam ipsa sibi sufficiens est. Propria autem infelicitate, quod ad beatitudinem sibi non sufficiat, consequenter edocta, ut cupita beatitudine potiatur, re aliqua sibi videt esse fruendum, quæ ipsa non sit. Proinde unusquisque vel pro modo suæ fidei et intellectus, vel pro erroris fallacia, vel pro experientia sensus, primo sibi beatitudinem in rei cujuslibet, vel certe rerum quarumlibet fructu constituit. Deinde quidquid illud est, cujus se fructu beari posse confingit, sine omni ambiguitate sibi eligit ad fruendum. Quam utique electionem amor facit: nam ea vi sua, sive natura, quam superius amorem diximus, anima rationalis id facit. Habet nempe amor semper comitem rationem, non qua semper rationabiliter amet; sed qua, ea quæ eligit, ab his quæ reprobat, vivaci circumspectione discernat. Denique rationis est inter Creatorem et creaturam, inter temporalia et æterna, inter amara et dulcia, inter aspera et delectabilia discernere; amoris autem quod voluerit ad

Digitized by Google

fruendum eligere. Porro et ipsa electio amor dicitur, et est quidam actus animæ; sed, cum amor ipse quo eligit, semper bonum sit, hæc tamen electio, quæ et amor nihilominus appellatur, necesse est ut bona vel mala sit, ac per hoc bonus vel malus amor sit. Nam si experientia cujuslibet delectationis illecta, vel certe quolibet errore decepta mens, ea quibus minime fruendum est eligat ad fruendum, profecto infeliciter amat. Frui autem dicimus, cum delectatione et gaudio uti. Ipsam sane electionem statim sequitur, vel etiam comitatur ipsius amoris motus occultus, excitans quodam modo et movens animum in illius rei desiderium, quam eligendam putavit. Et hic similiter motus animi actus est, et ex amore est, et amor dicitur : et si sit ad id quod debet, et sicut debet, amor bonus est; si vero ad id quod non debet, vel aliter quam debet, malus amor est. At si eam rem quam ad fruendum elegerit, electam desideraverit, actibus opportunis pro voto adeptus fuerit, in illius mox usum cum gaudio ac delectatione quiescit. Quem usum, ut uno verbo appelletur, fructum vocamus. In his igitur tribus charitas sive cupiditas constare videtur, in animi scilicet electione, in motu, in fructu. Sed electio amoris sive boni sive mali est inchoatio : motus amoris ipsius cursus; fructus ipsius amoris est finis. Si itaque mens ad fruendum eligat quod oportet : si ad id sic moveatur ut debet, vel eo fruatur ut decet, et tam salubris electio, et tam utilis fructus non immerito charitatis censeri vocabulo judicatur. Sed in hac electione charitas inchoatur, motu extenditur; in fructu vero perficitur. At si animus eligat insipienter, moveatur indecenter, turpiter abutatur; his quasi gradibus cupiditatem consummari facile adverti potest. Hi sunt duo fontes, bonorum scilicet et malorum origines; quoniam quidem *radix omnium malorum est cupiditas* (*1 Tim.* VI), et radix omnium bonorum charitas.

CAPUT IX

Quid nos oporteat ad fruendum eligere.

Quoniam igitur inter bonum malumque amorem distinximus, superest nunc ut quid ad fruendum eligere debeat animus, quemadmodum ad id quod elegerit, moveri oporteat, sicut ipse, in cujus manu sumus, et nos et sermones nostri, inspirare voluerit, ostendamus. Sic quidem et quid diligendum, et quemadmodum diligendum sit agnoscemus. Hoc sane dicendum, quia non omne quod in usum nostrum eligimus, diligere dicendi sumus, sed solum id quod ad fruendum eligimus. Ea quippe mens quæ sterquilinio carnis immersa, ad nihil subtile quod crassitudine sensus excedat, nititur aspirare, vel fallaces divitias, vel inutiles honores, aut corporeas voluptates, mundive favores, vel horum aliquid, vel simul omnia, quasi destinatum intentionis sibi eligit finem, in talium perfunctione felicitatem falsa opinione depingens. Ad horum tamen fructum non eodem omnes calle nituntur. Alius enim negotiari, militare alius, quamlibet artem alius eligit exercere, ad destinatum finem alius rapinis ac latrociniis tendit. Ex his omnibus id solum amare quis dicendus est, ad quod fruendum tota ejus festinat intentio; cæteris autem quasi quibusdam adminiculis uti; quo facilius ad desideratæ rei perfunctionem valeat pervenire. Sed perversa mens quandiu quidem non potitur optatis, in eorum fructu felicitatis pingit imaginem; aut voti compos effecta cum se solita indigentia senserit laborare, vel certe ab his quibus abusa est, quodam quasi fastidio resilire; in alterius cujuslibet rei succenditur appetitum, non quidem satianda, sed eadem iterum vanitatis ineptia turpiter deludenda. Hic est circuitus impiorum, de quorum misera indigentia in prima hujus operis parte satis superque disputatum est. Porro is cui mens sanior, oculus purior, vita est defæcatior, altiori sensu rem investigans, cum manifestum sit neminem sibi ad beatitudinem posse sufficere, videt profecto id quod sit inferior abjectiorque natura, dejicere posse hominem sui amore, non extollere altius, miseriisque magis involvere quam veræ felicitatis conferre solatium. Hinc semetipsum metiri aggrediens, ac suæ privilegium æstimare naturæ : cernit profecto quam digne, quam magnifice, quam denique juste homini lex divina præcipiat : *Dominum Deum tuum adorabis; et illi soli servies* (*Deut.* VI; *Matth.* IV). Quod nullomodo dixisset, si esset quælibet natura sublimior, cui humana natura singulare illud deberet obsequium, vel a qua posset beatitudinis præmium exspectare. Ipse igitur nobis præ omnibus eligendus est, ut eo fruamur, quod est amoris inchoatio; ipse præ omnibus desiderandus, quod est ipsius amoris quasi cursus quidam atque promotio; in cujus adoptione, quia perfecti boni perfecta erit dilectio, perfecta erit et beatitudo. Merito igitur primum mandatum et maximum de Dei dilectione lex divina contradidit : *Diliges*, inquiens, *Dominum Deum tuum* (*ibid.*). Verum, quia hoc beatifico bono, cum adepti fuerimus, quisque pro sua capacitate fruetur; capaciores autem erunt omnes simul quam singulus quisque : erit sine dubio ipsa beatitudo cumulatior, si hoc quod quilibet minus capax habere non poterit in seipso, habere incipiat vel in altero. At alterius bonum suum non erit, nisi hoc ipsum bonum in altero dilexerit. Quod æque impossibile erit, nisi alterum ipse dilexerit. Congruentissime ergo secundum præceptum divina sanxit auctoritas : *Diliges proximum tuum* (*Matth.* V). Sed quoniam summum bonum nostrum Deus erit, et in seipso, et in nobis, et in altero, ipse ex toto præcipitur diligendus. *Diliges* itaque *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omni virtute tua.* Quia vero tantumdem gaudii nobis conferet proximi bonum, quantum proprium; merito dicitur : *Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Patet igitur duo nobis eligenda ut his fruamur Deum scilicet et proxi-

Digitized by Google

mum, quanquam dissimiliter. Nam Deum, ut eo fruamur in seipso, et propter seipsum; proximum, ut ipso fruamur in Deo, imo et Deo fruamur in illo. Nam licet verbum hoc *frui* districtius soleat accipi, ut videlicet nulla re alia, sed solo Deo fruendum esse dicatur; ad hominem tamen loquens Paulus: *Ita, frater*, inquit, *ego te fruar in Domino* (*Philem.* xx). Cum igitur hæc duo et ratio, ut diximus, eligenda perspexerit, et, cæteris omnibus horum contemplatione contemptis, mentis consensus elegerit, inchoata est profecto Dei proximique dilectio; quia ad id quod debet fit ipsius amoris conversio.

CAPUT X.

Quod ad actum et desiderium amor noster moveatur, et quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moveatur.

Hæc de electione dixisse sufficiat, ut deinceps de ipsius amoris motu, quæ dicenda sunt, prosequamur. Fit autem motus ejus ad duo, vel interius ad desiderium, vel exterius ad actum. Ad desiderium, cum ad id quo fruendum judicaverit, animus se motu quodam interno, et appetitu extendit. Ad actum, cum mentem ad aliquid etiam exterius agendum, amoris ipsius vis quædam occulta compellit. Proinde investigandum arbitror quænam sint illa, quibus quasi incentivis, amor ipse ad hæc duo excitetur ac moveatur, quæque ei cursum suum ordinent quodammodo atque præscribant. Deinde quid eorum sequi debeat, vel quantum sequi debeat, quidve respuere, quid admittere, quid minuere, quid augere oporteat, ut ipse motus competens sit, subtilius inquirendum. Sunt autem duo, ut mihi videtur, quibus animus ad duo illa quæ præmisimus, movetur quodammodo ac excitatur, id est affectus et ratio. Aliquando enim affectu tantum, aliquando tantum ratione amor noster vel ad publicum actum, vel in occultum succenditur appetitum; quocirca de singulis his, quantum necesse videbitur, disputare conabimur. Hoc sane dicendum, cum superius duo quædam ad fruendum, Deus scilicet et proximus, ratio docuerit eligenda, cæteris omissis, quemadmodum ad hæc duo amor noster moveri oporteat, deinceps esse tractandum. Igitur de omnibus motibus, quibus amor noster multipliciter variatur, quis maxime sequendus sit, videamus. Sed primo de bifaria ipsius motus origine, quæ cœpimus exsequamur.

CAPUT XI.

Quid sit affectus, et quot sint affectus declaratur, et quod spiritalis affectus multipliciter accipiatur, ostenditur.

Est igitur affectus spontanea quædam ac dulcis ipsius animi ad aliquem inclinatio. Affectus autem aut spiritualis est, aut rationalis, aut irrationalis, aut officialis, aut naturalis, vel certe carnalis. Spiritualis affectus dupliciter potest intelligi. Nam spirituali quidem affectu animus excitatur, cum occulta et quasi improvisa Spiritus sancti visitatione in divinæ dilectionis dulcedinem, vel fraternæ charitatis suavitatem mens compuncta resolvitur. Cujus visitationis modum et causas, quam lucide a nobis fieri potuit, superius memini demonstratas. Huic affectui ille contrarius est, qui ex diaboli immissione generatur. Quo illos ad turpia quæque constat illectos, de quibus propheta: *Spiritus*, inquit, *fornicationis decepit eos* (*Ose.* iv). Gemino enim tormento sanctorum pudicitiam immundissimus hostis insequitur; nunc carnem intolerabili flamma succendens, nunc mentem perniciosæ dulcedinis affectu dissolvens. Ni fallor, Amon filius David ex immissione callidissimi hostis noxiæ suavitatis resolutus affectu, in illicitos propriæ sororis exarsit amplexus, ac tanti patris domum incestu commaculans, fratris in se gladium provocavit (*II Reg.* xiii), ac futuri parricidii quo patrem infelix Absalon regni cupidus infestavit, occasiones quasdam præseminavit et causas (*II Reg.* xv). Nemo sane exhorreat, quod hunc affectum dicimus spiritualem, pro eo quod a spiritualibus vitiis generatur, nec causetur de nomine, cum res ipsa manifesta sit.

CAPUT XII.

De affectu rationali et irrationali.

Rationalis affectus est, qui ex consideratione alienæ virtutis oboritur; videlicet cum oculis nostris cujuslibet virtus vel sanctitas explorata, vel fama divulgante, vel certe lectione comperta, mentem nostram quadam dulcedinis suavitate perfundit. Hic est affectus, qui nos, audita triumphali martyrum passione, suavissima devotione compungit, ac memorabiles præcedentium actus quasi sub oculis delectabili meditatione depingit. Hinc vox illa, qua admirabilis athleta Jesu, Paulum dico, fortia sua gesta commendat: conceptæ gratulationis indices ab oculis audientium plerumque lacrymas elicit, animumque ad ejus jamjamque gestientem amplexus infusa subito pietate perstringit. Quis enim audiens pericula illa fluminum, pericula latronum, pericula ex genere, pericula ex gentibus (*II Cor.* xi), illam insuper vocem virtutis, *Ubique et in omnibus institutus sum, et satiari et esurire, et abundare et penuriam pati; omnia possum in eo qui me confortat* (*Philip.* iv): quis, inquam, hæc audiens vel legens, in talem virum non mirabili moveatur affectu? Hic affectus inter David et Jonathan sacratissimi amoris primitias consecravit, ac socialis vinculum gratiæ ne paterna quidem auctoritate solvendum, fœdere gratissimæ charitatis innexuit. Visa namque immutabili pectoris illius constantia, qua loricatum gigantem puer inermis prostraverat, quod alteri foret invidiæ seminarium, optimo adolescenti virtutis exstitit incrementum, dum virtutis amicus in virtuosi juvenis excitatur affectum, dicente Scriptura: *Anima Jonathæ colligata est animæ David; quia dilexit eum Jonathas quasi animam suam* (*I Reg.* xviii). Hunc ipse mire miserecors misericorditer in se transformans affectum, intuitus adolescentem qui ei suas virtutes prodide-

Digitized by Google

rat, ut ait evangelista, dilexit eum (*Marc.* x). Huic affectui contrarius est irrationalis, qui quolibet erga aliquem comperto ejus vitio, quadam mentis inclinatione movetur. Multi enim ob vanissimam Philosophiam, vel ob stultissimam in negotio militari audaciam, quorumdam sibi animos inclinarunt. Et quod lugubrius est, multi quia prodigi, quia luxuriosi, quia pudicitiæ proditores et insectores; quia turpissimorum hominum sanctores et fautores, quia inanium spectaculorum vanissimi, sed intentissimi spectatores, aliquorum sibi alliciunt et inclinant affectum.

CAPUT XIII.

De affectu officiali.

Porro officialem eum dicimus affectum, qui munerum vel obsequiorum gratia parturitur. Moyses sanctus cum Pharaonis declinaret insidias, sacerdotis Madian officio memorabili sibi comparavit affectum : cujus dum filias virgines a pastorum improbitate constantissime, licet alienigena, protexisset, admiratus adolescentis benevolentiam homo, non solum amicum eum sibi, sed et generum postulavit (*Exod.* II). Berzellai quoque Galaadites, regis David, quem fugientem a facie Absalon officiosissima devotione susceperat, muneribus nihilominus paratum excitavit affectum (*II Reg.* XVII) : qui viri constantissimi animo tam perseveranter inhæsit, ut inter hæreditaria præcepta tantæ munificentiæ recompensationem filio Salomoni rex statim moriturus indixerit (*II Reg.* II).

CAPUT XIV.

De affectu naturali

Est præterea affectus naturalis cuilibet ad carnem suam, matri ad filium, homini ad domesticum seminis sui. *Nemo enim carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V); et : *Non potest mater oblivisci infantis sui, ut non misereatur filio uteri sui* (*Isa.* XLIX); et : *Qui suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior* (*I Tim.* V). Primus horum etiam viros sanctissimos non effugit, qui eo affectu, quo nemo carnem suam odio habuit, de sepultura solliciti, narrantur sacramentis posteros obligasse, ne in alieno, sed in sepulcris patrum mortui conderentur (*Gen.* XLVII). Secundum sapientissimus Salomon, cum pro superstite puero (nam alterum mater oppresserat), meretrices feminæ in ejus præsentia disceptarent, credidit explorandum. Denique allato ense, cum divisionem pueri regia sublimitas judicasset, matrem affectus prodidit naturalis, et cessit affectui, quæ non cesserat improbitati : et quæ laboraverat ne mater proprio pignore frustraretur, laborare cœpit ut alteri traderetur. *Obsecro*, ait, *date huic infantem vivum et non occidatur.* Econtra, quæ ad aliena viscera expers pietatis obduruit, *nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur* (*III Reg.* III). Porro tertius in pectore sanctissimi Joseph, etiam fratricidali præponderavit injuriæ, qui cum fratribus fratricidis dispensatoria severitate explorationis crimen inureret, cernens eos non mediocriter fatigari, ac sera satis pœnitentia de fratris proditione torqueri; cedens affectui, ut Scriptura ait, *avertit se parumper, et flevit* (*Gen.* XLII). Hunc affectum a piis visceribus Patriarchæ David nec filii parricidalis abrasit immanitas : a quo cum quæreretur ad mortem, mittens qui ejus obviarent insaniæ, oblitus injuriæ, memor naturæ, ut sciret patrem, dissimulans nosse persecutorem : *Servate*, inquit, *mihi puerum Absalon* (*I Reg.* XVIII). Hunc in se Salvator ipse mirabili compassione transfundens, videns civitatem, quæ ei secundum carnem metropolis fuit, ex qua illi patres secundum carnem, naturali pietate commotus, cum infusione lacrymarum futurum ei deploravit excidium. Cujus imitator Paulus naturali, ut reor, compunctus affectu, optabat aliquando anathema esse a Christo pro fratribus suis secundum carnem (*Rom.* IX).

CAPUT XV.

De affectu carnali duplici.

Carnalis affectus duplex occurrit origo. Plerumque enim cujuslibet non quidem virtus aut vitium, sed quædam exterioris hominis habitudo animum sibi intuentis inclinat. Facile quippe alicujus et forma elegantior, et sermo suavior, et maturus incessus, et venustus aspectus, etiam ignorantis qualis ipse homo sit, provocat et perstringit affectum. Hæc adeo in Moyse puero adhuc gratia relucebat; ut contra tyrannicum Pharaonis imperium, quo masculos Hebræorum neci destinaverat, a parentibus tribus mensibus, servaretur, ut ait Apostolus, *eo quod vidisseut elegantem infantem* (*Hebr.* XI ; *Exod.* II). Expositus quoque periculo, formæ elegantia etiam filiæ Pharaonis sibi pietatem illexit; cui adoptatus in filium magnus effectus est coram universis quoque servis Pharaonis. Porro quem ad noxiæ voluptatis memoriam in quamlibet speciem suavitas male blanda compungit; carnali motum affectu, nemo sani capitis dubitabit. Hic affectus ambulantem in solario domus suæ David ad speciem Bethsabee prævenit incautum (*II Reg.* XI), præventum dissolvit, obruit dissolutum. Contrarioque modo quem in alienæ uxoris enervavit amplexum, in proprii militis crudelem armavit interitum. Hic affectus sapientiam Salomonis absorbuit, et carnali libidine dissolutum in spiritualis fornicationis barathrum nefandissima idolorum cultura dejecit.

CAPUT XVI.

Quid de his affectibus sentiendum sit.

Hi affectus interim meditanti occurrunt; quos amoris origines quasdam dixerim, sive radices, non amores. Non enim his affectibus excitari vel pulsari valde laudabile existimamus, si boni sunt, nec exitiabile, si mali. Nam et eo quem primo loco posuimus, quanquam optimo, plerique in sui perniciem, ut superiori libello docuimus, abutuntur : et hoc ultimo, qui cæteris formidabilior judicatur, aliquando viri optimi ad probationis me-

Digitized by Google

ritum titillantur. Quocirca non his affectibus moveri, sed secundum hos affectus moveri, aut utile judicamus, aut noxium. Quando enim hi affectus movent animum, aut visitatio est, aut tentatio: quando secundum hos affectus movetur, plena est ipsius voluntatis consensio. Consensio autem aut occulta est, aut etiam manifesta. Occulta cum ex consensu desiderii agitatur interius; manifesta, cum ipsum desiderium ad actum prorumpit exterius. Utrum autem secundum hos affectus moveri debeat amor noster, vel quantum moveri debeat, investigare conabimur; si tamen prius de ratione, quam aliam ipsius motus causam diximus, pauca præmiserimus.

CAPUT XVII.

Quomodo mens ad Dei et proximi dilectionem ratione moveatur.

Nam animum, quem ad Dei proximique dilectionem nullus movet affectus plerumque movet ratio, tanto utique sacratius, quanto securius, quanto defæcatius; tanto autem defæcatius, quanto rationabili amore nihil utilius potest esse, vel purius. Igitur ratio ut ad desiderium conditoris sui animum excitet tepescentem, tribus innititur argumentis: nostræ videlicet necessitati vel utilitati, illius autem dignitati. Suadet ratio Deum esse diligendum, quia necessarium hoc nobis, quia commodum, quia dignum. Necessarium, ut caveamus damnationem; commodum, ut acquiramus glorificationem; dignum, quia ipse prius diligens nos merito ipsius dilectionis exigit compensationem. Desiderandus est homini Deus tanquam bonum suum, sine quo necesse est eum semper miserum esse; cum quo non potest nisi beatissimus esse; qui bonorum nostrorum non indigens, pro nobis voluit miser esse. Huic igitur rationi si mens consenserit, etsi non ex affectu, ex voluntate tamen in Dei desiderium se excitaverit; prosequitur statim ratio necessarium probans illius præceptis [illegible] suum, necessarium probans illius præceptis [illegible]endis gnaviter insistendum, si adipisci vo[illegible] desideratum. Sic innatum internis visceribus desiderium ratione compellente procedit ad actum. Quia vero inter ejus præcepta id maximum invenitur, ut homo proximo suo consulat sicut sibi; instat ratio, ut ad beneficium proximo impendendum animus moveatur. Omnis autem proximus aut amicus est, aut non amicus, vel etiam inimicus. Amicus, quia prodest, vel profuit; non inimicus, quia non nocet nec nocuit; inimicus, quia obest, vel obfuit. Amicus ex sanguine vel gratia; non inimicus ex innocentia; inimicus ex injuria. Igitur ut amico se impendat homo, tria quædam proponit ratio; ut non inimico, duo; ut inimico, unum. Amico debetur beneficium ex natura, ex officio, ex præcepto. Ex natura, quia homo, vel etiam domesticus est; ex officio, quia amicus est; ex præcepto, quia proximus est. Non inimico vero ex natura, quia homo est; ex præcepto, quia proximus est. Inimico tantum ex præcepto, quia ut inimicus diligatur, præceptum Domini est. Iis igitur rationibus cedens animus, si ad beneficium impendendum non solum amico, sed etiam inimico sese paraverit; etsi non sentiat affectum, charitatis tamen meritum non amittet.

CAPUT XVIII.

Distinctio gemini amoris, inter quos animus fluctuat proficientis.

Distinguendi sunt igitur duo amores isti; unus ex affectu, alter ex ratione. Inter hos duos amores sæpe animus proficientis, et ordinatum amorem habere cupientis, timet et fluctuat; dum putat se minus amare eum, qui amplius amandus est; aut amplius amare eum, qui minus amandus est. Hic est enim amor ordinatus, ut nec diligat homo quod diligendum non est, diligat autem quidquid diligendum est, amplius tamen non diligat quam diligendum est; nec æque diligat quæ dissimiliter diligenda sunt; nec dissimiliter quæ æque diligenda sunt. Constituamus igitur duos homines ante oculos nostros, quorum alter sit lenis, blandus, tranquillus, suavis, et omnium bonorum aptus consortio, invitans cæteros ad familiaritatem sui, dulcis eloquio, moribus temperatus, in quibusdam tamen virtutibus minus perfectus. Porro alter, licet in summa virtute perfectior, vultu tamen tristior, aspectu severior et fronte austeris moribus irrugata; qui omnibus benefaciat, præstet quod possit, non sit tamen suavis consortio nec sua cunctos invitet benevolentia. Ut igitur illum diligat, animus quodam spontaneo movetur affectu, ut istum, urget ratio et ordinata regula charitatis. Sentiens itaque homo animum suum, illum quadam amplecti dulcedine, erga istum omni vacuum suavitate durescere, anxiatur, dolet, timet regulam excedere charitatis, dum putat se amare illum quidem supra quam oportet, istum nec quantum oportet.

CAPUT XIX.

Quid sit quod homo benevolus ac suavis, quamvis minus perfectus, majore quam austerus et perfectior et dulciori diligatur affectu, gemina comparatione probatur, et quomodo utriusque amor non sit periculosus ostenditur.

Volo nunc primo latebras propriæ explorare conscientiæ, ut non me fallat affectus iste, si ejus causam et originem contigerit ignorare. Cum igitur iste, cui animus meus dulci quadam inclinatione movetur, etsi minus perfectus, non sit tamen vitiosus, imo multis virtutibus adornatus; cur non iste affectus ex virtute credatur habere principium, ac proinde non timendus sit, sed potius amplectendus? Sed si ejus originem vel causam dixerim esse virtutem, cur non erga istum, quem magis virtuosum agnosco, faciliori vel saltem simili motu dirigitur? Ergone carnalis judicandus est affectus iste, qui quadam exterioris hominis competentia generatur? sed si ita est, cur alium æque exterio-

Digitized by Google

ribus adornatum moribus, quia tamen æstimo vitiosum, non ejusdem dulcedinis suavitate complector? Contigit enim mihi aliquando, ut alicujus exterior habitudo, quandiu in eo vel virtus sperabatur, vel vitium ignorabatur, plurimum sibi animum inclinaverit meum; proditum autem ejus vitium totum illum affectum absorbuerit, ac non modicum menti horrorem ingesserit. Quid ergo? Forte virtus aut vitium quasi animæ cibus vel utilis vel noxius æstimanda sunt; exterioris vero hominis vel austeritas vel benignitas, quasi vasa quædam vel rusticana vel urbana judicanda. Et utilis quidem cibus in vasis deformibus plerumque sumitur; noxius autem nec in pretiosis admittitur. Contingit autem, et quidem persæpe, ut cibus aliquanto vilior ob vasis decorem jucundius admittatur; pretiosissimus autem ob vasis horrorem insanius assumatur. Sic nonnunquam evenit, ut homo vitiosus, et in summo corporis ornatu displiceat; virtus autem etiam in quadam exterioris hominis duritia et austeritate plurimum placeat. Nihilominus et id contingere manifestum est, ut minorem virtutem in homine benevolo quis ac jucundo libentius videat; majorem autem in homine duro et austero insuavius sapiat. Sed erit elegantior, puto, quia et expressior similitudo; si virtus veritas, falsitas vitium æstimetur: nimia autem morum severitas, quasi sermo durus et rusticus; exterioris autem hominis grata suavitas, quasi sermo comptus et eloquens. Sicut ergo in suaviloquio non est falsitas admittenda; sic in duro rusticoque sermone veritas non spernenda. Simili modo nec in homine exterius ornato vitium placeat, nec in homine quanquam duro et austero virtus displiceat. Denique si duo homines incipiant aliqua persuadere, quorum alter obtuse, deformiter, frigide id faciat; alter acute, ornate, suaviter, vehementer; donec nescitur quis eorum veritati innitatur; quis diffluat falsitate; non est mirum, si in ejus sermone magis delectatur auditor, qui novit ope sermonis conciliare adversos, remissos erigere; benevolum, intentum, docilem auditorem proœmio reddere; nescientibus quo ejus tendat oratio, quid exspectare debeant, intimare. Quod si uterque æque vera, æque magnifica persuadere cognoscitur; in hujus verbis cum quadam amaritudine salubritas sumitur; in istius et suavis salubritas, et salubris suavitas gratius avidiusque percipitur. Quanto enim magis in vera assertione appetitur jucunda suavitas, tanto facilius salubritas prodest. Verum si uterque vera, sed ille minus eloquens magnificentiora ac profundiora conetur asserere; illa quidem quæ dicuntur suaviter, quanquam minora, suavius auribus illabuntur; non modica autem vi opus est, ne illa pretiosa ob sermonum quibus proferuntur ineptiam audire animum tædeat; intelligere non placeat, credere postremo non libeat. Non secus si duo homines proponantur, quorum alter benevolus, affabilis, gratus aspectu, jucundus affatu, quadam exterioris hominis suavitate in corda intuentium sese refundat; alter durus, austerus, nimia quadam gravitate intuentibus quasi metum incutiat: quandiu utriusque virtus latet, vel vitium, quis reprehendat, si illum dulcius interior sensus accipiat; istum non voluntas aut ratio, sed affectus rejiciat? Si vero in cæteris virtutibus pares utrosque cognoverit, vel si etiam illum jucundiorem in aliquibus imperfectiorem invenerit; non mirum, nec ratione vacuum, si cui virtus interior in exteriori oblata suavitate quasi veritas in pulchro sermone jucundius sapiat; virtutem in morum austeritate nimia, quasi veritatem in duro rusticoque sermone, cum quadam mentis anxietate vel etiam coactione suscipiat. Sed sicut est quædam eloquentia, quæ juvenilem decet ætatem, quædam autem quæ senilem et quæ in juniori ætate fervor et vivacitas, in maturiori levitas arbitratur; ita profecto in adolescente si sit benevolentia hilarior, promptior, pronior ad obsequium, agilior ad actum, in seniore vero honesta, gravis, sine omni dissolutione, hilaris, vacua levitatis, plena maturitatis; nec ille levitatis, nec iste debet argui austeritatis. Quomodocunque ergo varietur, istius amatoris affectus, si isti, quem animus ejus affectuose complectitur, nec sui copiam, nec aliud quid præter rationem præbuerit, illi nihil, quod ratio impendendum esse monstraverit, præbere omiserit, charitatis utique regulam non excedit. Nam cum affectus isti nequaquam in nostro arbitrio collocentur, cum quibusdam aliquando invitissimi moveamur, nec quosdam, etiamsi velimus, experiri valeamus; nequaquam tunc amor ex affectu est, cum mentem affectus moverit, sed cum mens ipsum motum secundum affectum direxerit. Similiter de motu, qui ex ratione generatur, sentiendum est.

CAPUT XX.

Quod tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex utroque.

Est ergo amor ex affectu, cum affectui animus consenserit; ex ratione, cum se voluntas rationi conjunxerit: potest et tertius amor ex his duobus confici, cum scilicet hæc tria, ratio, affectus, et voluntas in unum coierint. Primus dulcis, sed periculosus; secundus durus, sed fructuosus; tertius prærogativa perfectus. Ad primum sensus expertæ dulcedinis illicit, ad secundum ratio manifesta compellit, in tertio sapit. Differt autem hic ultimus a primo; quia, licet illo et quod amandum est, aliquando ametur; magis tamen propter ipsius affectus dulcedinem amatur: hoc autem amatur, non quia dulce est, sed quia amore dignum; ideo dulce est.

CAPUT XXI.

Recapitulatio eorum quæ dicta sunt, et quomodo vera Dei cognoscatur dilectio.

Igitur ex his omnibus quæ dicta sunt, in quo

Digitized by Google

tota vis consistat amoris breviter colligamus. Primo si mens aliquid ad fruendum elegerit, deinde ad id quodam interno desiderio sese extenderit, postremo id agat, quo ad desideratum pervenire valuerit, hoc sine dubio amare dicendum est. Hoc autem quanto quisque ferventius instantiusque peregerit, tanto magis et diligit : quod si ex affectu id fecerit, dulcius utique diligit, ac proinde facilius agit. Si autem totum hoc quod alius ex affectu, alter ex sola fecerit ratione; minus quidem dulce diligit, sed non tardius, quod desiderat, obtinebit. Porro si ipsa electio perversa fuerit, ut quod non oportet eligat ad fruendum; et illa quæ ipsam sequuntur electionem, perversa esse constabit; et talis amor perversus erit, cupiditatis non charitatis vocabulo censendus. Sed sicut superius docuimus, quidquid aliud mens ad fruendum præter Deum in seipso, proximum autem in Deo, vel illecta, vel decepta elegerit, metas veræ dilectionis excedit. Potest præterea ipsa electio sana esse, motus tamen uterque perversus. Potest et electio, et sequens motus in desiderio, ex ratione consistere; alter autem motus, qui in actu est totam dilectionem corrumpere : quod exemplis manifestius fiet. Si quis igitur Deum ad fruendum elegerit, sana est ista electio. Si vero in ipso fructu carnale aliquid desideraverit, existimans cum ad Deum pervenerit, quod ibi, ut Judaicæ fabulæ ferunt, et epulis effluere, et voluptatibus habeat incubare : nihil proderit electionis integritas quam sequitur desiderii tanta perversitas. Sed et si Deum ad fructum sibi felicitatis elegerit, nec in Deo quidquam nisi Deum desideraverit ; si tamen aliis quam oportet actibus, verbi gratia, aut Judaicis cæremoniis, aut gentilium sacrificiis, vel alia aliqua superstitione ad tantum bonum ambierit, totum utique dilectionis fructum evacuabit. Sit ergo electio sana, desiderium competens, actus rationalis; et sic non excedet limites charitatis. Interest sane quantum fuerit quis in hac dilectione affectuosus, discretus, fortis. Affectuosus ut dulciter, discretus ut prudenter, fortis ut diligat perseveranter. Affectuosus, ut quod elegit in desiderio, sapiat; discretus, ne in actu modum excedat; fortis, ne inde aliqua eum tentatio avertat. Affectus prodest contra perversas dulcedines, discretio contra deceptiones, fortitudo contra persecutiones. Si quis autem in tribus his noscitur esse perfectus, non solum feliciter, sed et suaviter amat. Sane si non poterit affectuosus; sit tamen discretus et fortis; et si non ad præsentem, non minus tamen proficiet ad futuram felicitatem.

CAPUT XXII.

In proximi dilectione quæ consideratio habenda.

Hæc eadem in proximi dilectione consideremus. Si ergo proximum ad ipsius fructus societatem, qui in Deo est, elegerimus, sana est ista electio. Sed hanc electionem si desiderium turpe aut actus inordinatus subsequitur, tota electionis sanitas maculatur. Verum in Dei dilectione nobis non ipsi consulimus; Deus enim noster est, et bonorum nostrorum non indiget : in mutua autem dilectione, quoniam mutuo indigemus, necesse est ut nobis invicem consulamus. Quocirca desiderium ipsum ad quo debet extendi, et actus nihilominus dupliciter exerceri. Debet quippe desiderium ad hoc esse; ut, sicut decet, mutuo nobis fruamur in Deo; et ut Deo invicem fruamur in ipso. Quia vero homo et ex corpore constat, et ex anima; actus utique noster, quantum facultas suppeditat, utrique debet prospicere. In his quanto quisque ferventior et prudentior, tanto utique et in charitate perfectior. Quanto autem affectuosior, tanto charitas ipsa constat esse suavior. Sicut autem ad hæc aliquando, ut diximus, affectus, aliquando movet ratio, ita utrumque ipsius desiderii modum actusque pro sui qualitate ordinare contendit. Proinde diligenti consideratione opus est ut de ipsis affectibus, quis sequendus sit, et in quantum sequendus sit, videamus.

CAPUT XXIII.

Qui affectus admittendi non sunt, et quantum spiritualis, qui ex Deo est, sit sequendus affectus.

Igitur spiritualis affectus qui ex diabolo est, irrationalis qui pro vitio est, carnalis qui ad vitium; tres isti affectus non solum non sequendi, sed ne admittendi quidem sunt, imo quantum fieri potest, a cordibus nostris radicitus eruendi. Porro spiritalis qui ex Deo est, non solum admittendus, sed et omnibus modis excitandus est, et augendus : quem desiderium nostrum salubrius sequitur, ut quanto dulcius se nobis innotescit tanta excellentia, tanto ferventius ejus desiderabilis desideretur præsentia. Sane hoc affectu etiam actus noster excitari habet, sed secundum hunc ordinari non debet. Excitari habet, ut nunquam voluntas bene, imo perfecte operandi tepescat; ordinari autem secundum affectum operatio ipsa non debet, ne metas corporeæ possibilitatis excedat. Corpus enim hoc quoddam est instrumentum, quo ipsum exerceri habet, quod cum luteæ qualitatis sit, innumerabilibus obnoxium passionibus, vim ferventis spiritus ferre non sustinens, nisi quodam moderamine actus exterior temperetur : infecto negotio procul dubio deficiet ac succumbet. Habet autem hoc affectus proprium, ut plerumque modum nesciat, humanas non metiatur vires, corporeas passiones absorbeat, ac impetu quodam cæco irruens in amatum, solum id meditetur, quod appetit, despiciat quidquid extra est; et quod grave, quod arduum, quod impossibile quoque, ac si leve ac vacuum laboris opus aggrediens, molestissimas hominis exterioris injurias præ interni affectus delectatione non sentiat. Proinde ut voluntas jugi fervore calescat; ut illatas extrinsecus passiones patienter quis, imo gaudenter sustineat, usque ad ipsius desiderii motum affectus hujus est perferendus, ad voluntarios vero actus progrediens ne metas corporeæ possibilitatis excedat, rationis est moderamine coercendus. Quam mensuram vitæ quidam ignorantes, ac totum affe-

Digitized by Google

ctus sui impetum importune sequentes, debiliores A fiunt, quam sanctiores; ac sic affectu ob actus immoderationem tepescente, ipsa quoque voluntas immoderatius oppressa tepescit. De ipsa sane actus moderatione, quam secundum rationem fieri necesse est, si quid utile ipse affectuum bonorum inspirator et ordinator, malorum tantum ordinator Spiritus suggerere voluerit, suo loco adnotabimus. Nunc de ipsorum affectuum distinctione quæ cœpimus, exsequamur.

CAPUT XXIV.

De rationali affectu in quantum et ipse sequendus sit.

Rationalem igitur affectum, qui ex alterius contemplatione virtutis oboritur, cæteris, quibus ad proximi dilectionem accendimur, constat esse perfectiorem. Etenim non modicum virtutis indicium B est ipse amor virtutis. Denique huic consentire affectui utilissimum est, tum pro ipsarum æmulatione virtutum, quæ ipso affectu facilius excitatur, tum pro horrore vitiorum, quæ ex virtutum diligenti consideratione sordescunt. Sed et desiderium nostrum, si secundum hunc dirigatur affectum, nec perniciosum arbitror esse, nec noxium; nihil enim obest, imo et prodest plurimum, si ejus desideremus præsentiam cujus exemplo corrigamur, si mali sumus; si boni, promoveamur; si æque perfecti, mutua collatione firmemur. Est autem præsentia sanctorum temporalis et ipsa quidem desideranda, sed magis illa, quæ cum Christo erit æterna in cœlis. Licet autem in utriusque desiderium simili C excitemur affectu, non tamen simili actu ad utramque pertingimus. Nam ad corporalem sanctorum præsentiam, si forte absunt, aliqua terrarum spatia peragrando; ad æternam tendimus, sancte, et juste, et pie vivendo. Si ergo ad utrumque hunc actum eodem incitemur affectu, iste ultimus, quantum ad interiorem exercitationem, ejus impetum sine cunctatione sequatur, neque enim timenda est in interiori sanctitate nimietas; exterior autem virtutum exercitatio de qua dictum est : *Noli esse nimium justus* (*Eccle.* VII), rationis est moderamine temperanda. Porro sanctorum præsentia corporalis, etsi utiliter desideretur, non tamen semper quæritur : unde in actu hoc ratio consulenda est, non sequen- D dus affectus. Quam grata fuit fratribus Antiochenis Pauli ac Barnabæ præsentia corporalis! quorum scientia instruebantur, quorum firmabantur exemplo, disputationibus contra diversa sentientes tuebantur. Audientes tamen a Spiritu sancto : *Segregate mihi Barnabam et Paulum in ministerium quo vocavi eos* (*Act.* XIII), quanquam repugnaret affectus, imponentes tamen eis manus et orantes, dimiserunt eos. Nonne Paulus ex profusione lacrymarum Timothei probavit affectum; cui si vir tantus consensisset, utique irrationabiliter Pauli vestigiis inhæsisset : *Gratias*, inquit, *ago Deo meo, memoriam tui faciens, memor lacrymarum tuarum ut gaudio implear* (*II Tim.* I).

CAPUT XXV.

Officialis affectus in quo cavendus sit, in quo admittendus.

Sequitur officialis affectus, cæteris qui admittendi sunt periculosior; siquidem admittendus est, sed permaxime cavendus est. Quid enim tam dignum, tam consonum rationi, quam ut vicem rependas amanti, obsequenti officium, gratiam munera porrigenti? Quid deinde cavendum magis quam ne delinitus obsequiis vel muneribus illectus, aut foveas vitia, aut faveas vitioso? Nec de his mihi sermo est, qui diligunt munera, sequuntur retributiones; qui justitiam venale habentes, non homini sed muneribus favent; sed de his qui obsequiis vel muneribus provocati, non jam munera, sed ipsum hominem quodam interno complectuntur affectu. Admittendus est, inquam, iste affectus, sed et cavendus: admittendus, ne sit ingratus officio; cavendus, ne non tam homini impertiatur quam vitio. Proinde, quamvis in muneribus vel obsequiis suscipiendis, magna sit habenda discretio, hoc attendendum, ut cum erga eum, cujus beneficiis utimur, vel obsequiis adjuvamur, quodam movemur affectu : ipsius personæ dignitas diligentius inspiciatur; ut si forte ejus meriti sit, affectus ipse officialis transeat in rationalem; et quem cœpimus diligere, quia nobis gratus, diligi incipiatur, quia virtutibus adornatus. Evenit aliquando, ut vir optimus ob exteriorem quamdam austeritatem, ut superius diximus, non facili affectu in cor influat intuentis; quem, si aliqua occasione oblata munificum nobis senserimus, insensibiliter ipse, quem austeritas illa oppresserat quodammodo et obruerat, erigitur, ut ita dicam, et excitatur affectus; et virtus quæ prius placebat, sed non sapiebat, ipsi affectui quasi cordis palato, licet ad aliud adhibito, sua se suavitate ingerat et infundat; sic mirabili modo delectetur et sapiat. Quod si talis forte fuerit, in quo non sit virtus quæ placeat : quantum quidem ejus desiderari potest correctio, affectus admittendus est; simplex autem affectus ille, qui, quamvis certis quibusdam causis moveatur et moveat; hominem tamen sine alterius respectu causæ complectitur, per omnia temperandus. Ipsa sane obsequiorum vel munerum redhibitio, utrique secundum affectum impendatur. Sic et desiderium, quo eorum præsentia desideratur, vel actus quo ipsa præsentia comparatur, rationem sequantur, non affectum.

CAPUT XXVI.

De affectu naturali; et quid sit diligere in Deum, quid propter Deum.

Jam nunc in naturali affectu quis modus servandus sit, diligentius inquiramus. Hunc sane affectum sicut non admittere impossibile est, ita non sequi, summæ virtutis est. Nemo enim seipsum odio habuit; et tamen : *Qui venit ad me*, ait Salvator, *et non odit animam suam, non potest meus esse discí-*

Digitized by Google

pulus (*Luc.* XIV). Similiter, *Qui venit*, inquit, *ad me, et non odit patrem et matrem, non potest meus esse discipulus* (*Ibid.*). Et contra Apostolus : *Qui suorum, maxime autem domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (*I Tim.* V). Quid ergo? Contraria sensisse æstimandi sunt magister et discipulus, servus et Dominus, ipsa veritas et amicus veritatis? Absit! Distinguendi sunt ergo duo illi amores, de quibus superius locuti sumus; alter secundum affectum, alter secundum rationem. Naturale quidem est, quod homo erga se et suos affectum habet, sed amorem secundum affectum habere non debet; secundum rationem vero habere debet. Affectus ipse ostenditur, cum per Apostolum dicitur : *Nemo unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V). Amor autem secundum affectum, ipsius Salvatoris auctoritate interdicitur, qui ait : *Qui venit ad me, et non odit patrem et matrem, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Amor secundum rationem indicitur, cum idem dicit Apostolus : *Qui suorum, maxime autem domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (*I Tim.* V). Amor secundum affectum arguitur, cum futura mala prænuntians idem Paulus, ait inter cætera : *Et erunt homines se ipsos amantes* (*II Tim.* III). Quod vero hic amorem secundum affectum intellexerit, docent sequentia : *Erunt enim*, inquit, *homines se ipsos amantes, cupidi, elati; voluptatum amatores magis quam Dei* (*ibid.*). Semper etenim affectus iste mollia suggerit et suavia; quod jucundum et tenerum, quod voluptuosum, quod delicatum, libenter amplectitur; quod vero arduum, quod asperum, quod voluntati contrarium, omni horrore refugit et evitat. Quocirca affectus hujus exsecutio amor perversus est, hominem exuens homine, formam induens bestialem; quod rationis, quod honestatis, postremo quod utilitatis obruens quodam modo et abscondens. Hic amor proprie convenit bestiis; excusatur in pueris : nam illis ratio non infunditur; in istis sopitur. Denique utrumque hunc amorem breviter satis Salvator ipse distinguens : *Qui amat*, inquit, *animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam inveniet eam* (*Joan.* XII). Proinde, ut ait sanctus ille (Aug. tract. 51 *in Joan.*) : « Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. » Qui enim amat secundum affectum, utique odit, quia *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X). Qui vero odit secundum affectum secundum rationem diligit. Ad hoc enim addidit : *In hoc mundo;* quia *quidquid in mundo est*, aut *concupiscentia carnis est*, aut *concupiscentia oculorum*, aut *superbia vitæ* (*I Joan.* II). Qui itaque animam suam secundum affectum amat, in hoc mundo amat, quia in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum, in superbia vitæ, quæ omnia affectus suggerit, amat. Hac distinctione id quoque solvitur, quod quærunt quidam : quid videlicet distet inter amorem qui in Deo, et illum qui exhibetur propter Deum. Affectus quippe non propter Deum assumitur; sed in ipsa anima aut carnaliter aut accidentaliter oritur. Proinde si ei cui animus quadam spontanea ac dulci inclinatione sese refundit, totus amor secundum ipsum affectum exhibeatur : iste nec in Deo, nec propter Deum, sed potius propter se amatur. Si vero is quem affectus iste complectitur, in Dei dilectionem pariter assumitur; amor quia ipse ex affectu sapiat, sed ejus exhibitio ex rationis moderamine pendeat : hujus utique amor non primo propter Deum assumitur, sed in Deo salubriter exercetur. Porro ei quem affectus ipse respuit et evitat, si consideratione divini præcepti nosmetipsos, ut oportet, exhibuerimus, ac quidquid dictaverit ratio, prout indiguerit, impenderimus, iste non propter se, sed tantum propter Deum diligitur. Igitur amicus qui non potest non diligi, diligatur in Deo; inimicus qui non propter se potest diligi, diligatur propter Deum. Ille ex affectu, iste ex ratione. Hic itaque modus in naturali servetur affectu, ut habeatur quidem et sentiatur; sed in omnibus et per omnia rationis moderamine temperetur. Denique Joseph sanctus prius lacrymis naturalem erga fratres protestatur affectum (*Gen.* XLII), quem si vir sanctus ratione postposita sequeretur, nequaquam fratres salubri dolore a proditionis crimine purgarentur. Salvator quoque pium erga suos indutus affectum, ruituram civitatem compassione mirabili deploravit (*Luc.* XIX), nihilominus tamen ejusdem civitatis scelera, summæ calamitatis injuria ex rigore justitiæ castigavit. Ad quam regulam utinam rectores Ecclesiæ suum castigarent affectum, quorum multi domesticos sanguinis sui nimis carnaliter amplectentes, non solum eos a mundi vanitate et voluptate nullo rigore compescunt, imo ex ipso pretio sanguinis Christi, unde suas expleant libidines, damnabili præsumptione prospiciunt. Proh dolor! Sic est ingredi domos quorumdam episcoporum nostrorum, et, quod magis pudet, cucullatorum, quasi quis ingrediatur Sodomam et Gomorrham. Procedunt quidam capillati et effeminati seminudis natibus, cultu meretricio, de qualibus Scriptura : *Et posuerunt*, inquit, *pueros in prostibulo* (*Joel.* III). Et in talium libidines tuus sanguis assumitur, Domine Jesu, erigitur crux tua, panduntur vulnera tua, insumitur pretium mortis tuæ. Ut isti habeant currentes canes, aves volantes, equos spumantes, nudantur in pauperibus latera tua, ridentur verbera tua, effunduntur viscera tua. Vides ista, Jesu meus, vides ista et taces; sed nunquid semper tacebis? *Imo*, inquis, *ut parturiens loquar* (*Isa.* XLII). Sed ad propositum redeamus.

CAPUT XXVII.

De affectu carnali, quod nec omnino respuendus, nec plene sit admittendus.

Igitur carnalis affectus, quem parturit quidam hominis exterioris ornatus, nec omnino respuen

Digitized by Google

dus est; nec ita ut se profuderit, admittendus. Vicinus enim illi est affectus ille, qui ducit ad vitia; et nisi iste prudentius caveatur, ille sine sensu pene patientis illabitur. Ad hoc igitur affectus iste salubriter admittitur, si tamen suspense et temperate quodammodo admittatur; ut videlicet si virtus in eo claruerit, facilius amplectatur; si vero vitium, correctioni ejus vehementius insistatur. Quidquid enim de officiali affectu diximus, de hoc quoque sentiendum nihilominus arbitremur. Ab his tamen, qui adhuc carnalibus vitiis appetuntur, consulte affectus iste respuitur, a quibus rarissime sine vitii titillatione sentitur.

CAPUT XXVIII.

Quod affectum non solum origo, sed etiam processus et finis scrutetur, et quod affectus transeat in affectum, exemplis ostenditur.

Porro horum affectuum non solum origo scrutanda est, sed et processus ipse ac finis sagaciter attendendus. Subtilissime enim aliquando unus oritur, et in alium terminatur, vel certe mutatur. Quod de duobus vel tribus ostendisse satis sit. Fama cujuslibet virginis excitus quis, quæ et sancta corpore et spiritu, fide sincera, discretione præcipua, usque ad perfectum contemptum sui humilitatis virtute fundata, præclaræ abstinentiæ, summæ prædicatur obedientiæ: ob tantarum admirationem virtutum summo eam veneratur affectu. Quem quidem affectum superius rationalem nominavimus. Hujus ergo si incipiat familiaritate potiri, venerari obsequio, recreari colloquio, eulogiis vel litteris, vel certe quibusdam munusculis frequentare, rationalis iste affectus pene insensibiliter transit in officialem: et quæ cœperat amari ob meritum sanctitatis, frequentari incipit ob gratiam mutuæ liberalitatis. Deinde affectus iste dum ad quædam blandimenta se porrigit: etiam carnalis ille qui cæteris perniciosior est, vitio tentante, subrepit. Novi ego viris pudicissimis et continentissimis, omnique spurcitiam summo horrore detestantibus, accidisse, ut dum quasdam in tenera adhuc ætate summis virtutibus cernerent accessisse, ac mirabili morum gravitate ac vitæ sanctitate in quosdam canos, ut ita dixerim, spirituales incredibiliter profecisse; devotissimo eas ac dulcissimo colerent simul et amplecterentur affectu. Quibus dum sui copiam pronius indulgerent, ac in eorum aspectus, ut ita dicam, amplexu suavius requiescerent, vitioso quodam affectu subtilius irrepente plurimum fatigati sunt: et qui alios ejus criminis conscios non dico non aspicerent, imo a nauseantis animi sinu summo horrore rejicerent; istos pudicissimos, gravissimos, forte etiam virgineo decore serenos, quos et impudicus quis ob ipsam desperationem non nisi pudice conspiceret; vix sine quadam vitii titillatione frequentari potuerint. Cur hoc? Profecto quia officialis affectus facilius in carnalem affectum mutatur, quam vel pectore pudico impudicus amplectatur, vel in impudico quis manifestæ pudicitiæ appetatur. Proinde cum affectus noster quanquam rationalis, vel etiam spiritualis, usque ad suspectam ætatem vel sexum sese protenderit; consultissimum est, ut infra ipsum mentis sinum cohibeatur; nec ad inania quædam blandimenta mollesque teneritudines pariatur effluere, nisi forte ob id aliquando mature ac temperate progrediatur, ut virtus amata et laudata ferventius exerceatur.

CAPUT XXIX.

Diversos affectus sæpe in eadem mente luctari; et quis cui præponendus sit.

Dicendum adhuc de his affectibus, quod plures aliquando in una mente compugnent: ac quodam modo invicem se expugnare contendant. Quod cum contigerit, magna discretione opus est, ut quis cui præponendus sit, agnoscatur, virtusque necessaria, ne ab inferiore superior expellatur. Denique Abraham proprium filium immolare jussus, nequaquam ad propria viscera expers naturalis affectus obduruit; sed cum naturalis, quo filium, spiritualis, quo Deum amplectebatur, in sancti viri pectore compugnarent, superiorem inferiori præposuit: imo ob superiorem inferiorem contempsit. Optimus quoque adolescens Jonathas, non in patris injuriam consilium, quo David neci destinaverat, eidem sacro fœdere copulatus prodidit; sed rationalem affectum naturali legitimo jure præposuit. Nec mirum, si amici gratia in ejus sacratissimo pectore patris obliteraverit affectum; ob quam propriam, ut putabatur, injuriam immutabili virtute contempsit. Denique David fugienti a facie Saul cum in secretioribus locis vir invictæ charitatis occurreret, patris ei consilia proditurus, inter amplexus et oscula cum se mutuis lacrymis perfudissent, ac pio fletu pium protestarentur affectum, renovato rursus fœdere intulit Jonathas. *Tu quidem eris rex, ego autem ero secundus post te* (*I Reg.* xx). O virum summis laudibus efferendum! Virum expertem invidiæ, cupiditatis vacuum, qui amicum regno prætulit; qui quod videbatur suum esse, voluit alienum. *Ego*, inquit, *ero secundus post te.* O summæ humilitatis pectus! Vir regii seminis, cui ex successione sperabatur hæreditas; cui spem auxerant culminis potiundi genus, virtus, militum gratia, populi favor, ipsius etiam mirabilis fama triumphi, quo uno tantum fulcitus comite armatos cuneos agminis hostilis invasit, ac suæ genti inperatam victoriam reportavit, infra servum semet dejiciens: *Ego*, inquit, *ero secundus post te.* Hic, inquam, in cujus laudibus adhuc canitur: *Sagitta Jonathæ nunquam abiit retrorsum, et gladius ejus non est reversus inanis* (*II Reg.* i); quasi se ipsum nesciens ut sciret amicum: *Tu*, inquit, *eris rex, et ego ero secundus post te.* Quis, rogo, hæc etiam de uterino suo fratre sine immani saltem cogitaret invidia? Quis amici causa totam spem in desperationem deduceret? Filii patriarchæ Jacob (*Gen.* xxxvii), paternæ gratiæ, qua unus cæteris dulcius foveba-

Digitized by Google

tur, immoderatius invidentes; servitutem fratri, patri summam invexere tristitiam. Primus ille pontificum cum sorore prophetissa præventus, ni fallor, invidia, fratri mansuetissimo detrahens, vix ipso orante Moyse divinam ultionem evasit (*Num.* XII); sapientissimus Salomon fratrem æmulum regni, accepta qualibet occasione, delevit (*III Reg.* II); Jonathas solus infra amicum, patrem, patriam regnumque despiciens : *Tu*, inquit, *eris rex, et ego ero secundus post te.* Qui si dixisset : Ego ero rex, tu autem eris secundus post me; nec legem amicitiæ, nec amici gratiam violasset. *Flebant autem ambo*, ut ait Scriptura, *sed David amplius* (*I Reg.* XX). Instabat nimirum illa amarior morte divisio, qua individua illa pectora mutuo frustrarentur aspectu : qua cessare habuit illa dulcis confabulatio, illa periculorum omnium alleviatrix consolatio, illa quoque vitæ ipsi præferenda mutui secreti revelatio : ideo flebant ambo. Cerne, quæso, ordinatissimæ dilectionis hominem. Debebat quippe Jonathas amico affectum, sed patri obsequium. Amico gratiam, sed paternæ senectuti custodiam. Si secutus affectum inhæsisset amico, paternæ dilectionis jura læsisset. Sed si monente, imo etiam compellente patre, amico gratiam subtraxisset, initi fœderis ac sacratissimæ amicitiæ legem violasset. Ex affectu itaque utrique placebat conjunctio; sed ex ratione placebat divisio. Flendo igitur solvebant quod debebant affectui; sed dividendo, coacti licet, cedebant rationi. Uterque flebat, quia uterque diligebat. Cur igitur David amplius? Prædixerat nimirum Jonathas (*I Reg.* XVIII) suum quodam modo defectum, amici profectum; se regno privandum, David assumendum; idcirco lex amicitiæ exigebat, ut ille compassione amici fleret injuriam : iste ne amici videretur dolere successus, aliquantisper lacrymis temperaret. Affectum igitur naturalem rationali præposuit, actum vero secundum rationem ordinavit. David quoque ipse cum fidelis ei exercitus de filio parricida victoriam reportasset, naturali cedens affectui, filii sui lugebat interitum (*II Reg.* XIX); sed correptus a milite officialem naturali præposuit : depositoque luctu victori populo gratulabundus occurrit. Salvator etiam noster, cum jam ex affectu naturali, quo *nemo unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V), proclamasset, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI); spirituali, quo semper Patri inhæsit, rationis cum jure submisit : *Verumtamen*, inquiens, *non sicut ego volo, sed sicut tu* (*ibid.*). Proinde in his affectibus hæc ratio servanda est, ut is quo animus noster excitatur in Deum, cæteris omnibus præponatur; deinde rationalis officiali, officialis naturali, naturalis carnali.

CAPUT XXX.

In affectibus quæ sit quærenda utilitas.

Iis itaque, quæ de affectuum distinctione dicta sunt, diligenter inspectis, patet, ni fallor, quæ in illis sit quærenda utilitas. Ilia nimirum, ut in corum desiderium, quæ diligenda sunt, ipsis affectibus, quasi amoris quibusdam aculeis excitemur; ut ipsum amorem, ipsorum affectuum infusa dulcedine suavius, ac proinde diligentius teneamus; ut actus ipsos, quibus ad desiderata tendimus, quanto affectuosius, tanto delectabilius; quanto autem delectabilius, tanto ferventius exerceamus. Ipsum sane desiderium etsi affectum excitare habet; rarissime tamen ipsum affectum sequi debet, sicut superius monstratum est. Similiter ad bonorum operum exercitia affectum excitari, in ipsis operibus ex affectu teneri, utilissimum est; sed ipsa opera secundum affectum ordinare, præter ordinem est. Restat igitur, ut quemadmodum ipsa sint opera secundum rationem ordinanda, pro modulo nostro paucis dicamus. Nam ipsum desiderium secundum rationem uniforme est, quod in eo tamen amore, qui ex affectu est, sentitur; in eo autem qui ex ratione, in sola voluntate computatur.

CAPUT XXXI.

Quibus actibus nos oporteat ad Deum tendere, quibus nobis, proximisque consulere.

Sunt itaque actus quidam, quibus spiritualiter ad illum summum bonum, quod summe diligendum est, summeque desiderandum contendimus; sunt et alii, quibus vel nostræ necessitati, proximorum autem necessitati simul et saluti consulimus, quæ tamen providentia, ad illum æque finem referenda non ambigitur. Videtur autem Apostolus omnem perfectæ vitæ statum paucis insinuasse sermonibus : *Sobrie*, inquiens, *et juste, et pie vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* II). Est enim sobrietas humanæ vitæ modus quidam ac temperantia, utramque nimietatem prudenter evitans, et regia via inter dextram et sinistram cursum nostrum deducens. Hanc virtutem sæculi hujus sapientes frugalitatem nominant, cujus excellentiam illorum omnium eloquentissimus lucide satis exponens. Ut volet, inquit, quisque accipiat, ego frugalitatem, id est modum et temperantiam virtutem maximam puto. Cum enim ille, ad quem summe tendimus, quidam modus sit, cui nihil deest, nihil obest, nihil superfluit, nihil deficit; ad quem cum pervenerimus, nihil erit exterius quod appetamus, nihil interius quod fastidiamus : necesse profecto est, ut nosmetipsos in quadam mensura modoque servemus, nec infra quam necesse est dilabamur; nec supra, quam oportet pestifera præsumptione feramur. Justitiam sane ab Apostolo illam hic æstimo nominari, qua proximorum necessitati sive saluti consulentes, et in ipsis beneficiis quid cui conveniat, quis cui præferendus sit discernentes, quod justum est cuique tribuimus. His autem duabus virtutibus, sobrietati scilicet et justitiæ, ne de eis philosophi, vel quilibet a Christi fide alieni glorientur, consultissime addidit pietatem, quæ in fide sincera, et pura intentione consistit. Porro ipsa intentio in amoris electione, de qua jam disputatum est, constare videtur. Hic fortasse lector exiget, ut ipsum vivendi modum, quem pe-

Digitized by Google

riculosum imo perniciosum videtur excedere, manifestius evolvamus. Quod quam sit arduum, difficileque tractatu, quis non videat? cum tot sint hominum qualitates, quot homines, nec raro saltem duo simul inveniantur, quibus cuncta æque conveniant; dum quod uni satis est, hoc alteri parum est; et quo iste proficit, ille deficit; et quod alteri necessarium est, alteri constat esse superfluum. Dicendum tamen aliquid videtur quod conveniat omnibus, quod quisque sibi possit aptare, et utrum necessarium vivendi modum excedat, ductrice possit ratione conjicere.

CAPUT XXXII.

De modo humanæ vitæ tractare incipiens, quæ sit in naturali ordine servanda sobrietas ostendit.

Igitur tres ordines humanæ conversationis occurrunt, primus naturalis, secundus necessarius, tertius voluntarius. Primus conceditur, secundus indicitur, tertius offertur. Primus ex potestate, secundus ex necessitate, tertius ex voluntate. Primo debetur gratia, secundo misericordia, tertio gloria. Sed de singulis quam lucide possumus, quæ dicenda videntur, exsequamur. Est autem ordo naturalis; ut qui nulla commisit illicita, si velit ipse licitis utatur, licite tamen. Est autem licitus, verbi gratia, esus carnium, vini potus, usus conjugii, divitiarum possessio. Ut enim ait Apostolus : *Omnia munda mundis; et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione accipitur* (*Tit.* I). Nam et hæretici ab ipso Apostolo judicantur, qui prohibent nubere, et jubent *abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus* (*I Tim.* IV). Verum ut horum usus licitus sit, modus servandus est, tempus, locus, genus diligentius attendenda. Modum sane quemdam servandum omnibus, nec a quolibet pacto quolibet excedendum, Salvator ipse præscribens : *Videte*, inquit, *ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ* (*Luc.* XXI). Et de usu conjugii ait Paulus : *Sciat unusquisque suum vas possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii* (*I Thess.* IV). Vestium quoque usum describens Petrus : *Non in veste*, inquit, *pretiosa* (*I Tim.* II). In licitorum igitur usu hic modus servandus est, ut quis in cibi potusque perceptione infra crapulam et ebrietatem sese contineat, in divitiis servandis anxiam sollicitudinem tollat, in usu conjugis ignominiosas passiones evitet, in vestium cultu non pretium, sed necessitatem requirat. Sed et tempus congruum cujuslibet usui servandum est; ne, verbi gratia, his temporibus, quibus traditio ecclesiastica a cibis præcipit abstinere, jejunium sine rationabili necessitate solvatur; ne temporibus quibus orationi vacandum est, nuptialis usus exerceatur; ne diebus quos salubri vacationi ad audiendum verbum Dei Christiana sacravit auctoritas, curis mundialibus insistatur; ne diebus, quibus dolorem vel pœnitentiam vestium mutatione præferre religio sacra constituit, solemnibus quis vestibus abutatur. Locus itidem in omni usu necessario providetur. Nam in Ecclesia vacare epulis, vel uti conjuge, vel exercere negotia, quis non sacrilegium judicet? Corinthiis scribens Apostolus, in cibi potusque perceptione tempus legitimum eos arguit non servasse : *Convenientibus*, inquiens, *vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare; unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum* (*I Cor.* II). Non enim tempus congruum observabant, qui ante perceptam Eucharistiam, communes cibos contra scita apostolica præsumebant. De modi quoque transgressione, eosdem ipsos inculpans, subjecit : *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est* (*ibid.*). Deinde loci contemptum improperans : *Nunquid domos*, inquit, *non habetis ad manducandum et bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* (*ibid.*) Postremo earum rerum, quibus uti licitum est, genus subtilius discernendum, non quod aliquid creaturarum Dei immundum, sine sacrilega impietate credatur; sed quia his, quæ in dæmoniorum sacrificiis noscuntur exhibita, vel aliis furto, vel rapina probantur ablata, ne eorum usus impiis, vel infirmis, impietatis videatur esse consensus, sacra nos abstinere compellit auctoritas. Unde Apostolus : *Si quis dixerit : Hoc immolatum est idolis, nolite comedere* (*I Cor.* X). Tobias quoque sanctus cum balatum pecoris quod pro mercede operis uxor advexerat, oculis quidem captus, sed mente integra advertisset, timens ne civi injuriam, sibi maculam illicitus esus inveheret : *Videte*, inquit, *ne furtivus sit* (*Tit.* II). Hæc de naturali ordine dicta sint, in quibus licet non omnia, quibus licite utuntur homines, adnotavimus; ex his tamen quis modus in cæteris servandus sit, diligens inquisitor inveniet. Jam nunc de ordine necessario aliqua perstringamus.

CAPUT XXXIII.

Modus satisfactionis in ordine necessario, purgationisque describitur.

Et quippe ordo necessarius ut qui commisit illicita ab usu quoque licitorum sese restringat. In qua restrictione duo consideranda sunt : modus scilicet satisfactionis, et necessitas purgationis. Modus satisfactionis, ut secundum modum culpæ rigor continentiæ extendatur : quatenus secundum Baptistæ vocem, dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Sed de ipsa satisfactionis qualitate cum ad pastoralem curam pertineat, et a sanctis patribus libri scripti, ac sententiæ præfinitæ sint, plura dicere supersedeo. Verum non satisfactionis modus tantum conservandus est, sed etiam purgationis necessitas perquirenda. Nec pro sola satisfactione a licitis continendum; sed etiam pro expellendis vel minuendis passionibus, quæ vitiosa consuetudine inolescunt, laboriosis operibus insistendum. Sunt enim exterioris hominis exercitia interioris hominis instrumenta; quibus et passiones vitiosæ, quæ ipsam inficiunt animam, facilius absciduntur : et interioris facici sordes, quasi confectione quadam

Digitized by Google

asperiori plenius diluuntur. Proinde suæ purgationis sollicito primo necesse est ut passiones quibus impugnatur attendat; deinde quæ sint quibus maxime fatigatur inspiciat; postremo quæ instrumenta, quibus passionibus magis obvient sagaci circumspectione perquirat. Quibus inspectis, congruum cuilibet passioni objiciat; et quæ magis impugnat, fervențiori instantia ut ipsa obruatur, insistat. Denique passionem libidinis facile comprimit ventris restrictio, vagum cor et instabile vigiliarum infirmat afflictio, iram silentium mitigat, tædium mentis operis illicitudo castigat. Nec sic tamen unius passionis exstinctioni tota vehementia insistendum est, ut ad cætera comprimenda instrumentum corporale deficiat; nec importunius laborandum, ut non quælibet passio sentiatur; sed cum surrexerit, ut secundum rationis judicium compescatur. Hæc de modo purgationis breviter tetigisse sufficiat. Cæterum qui vitiorum impugnationem atque remedia plenius nosse desiderat; legat librum Joannis Cassiani, quem de instituendis abrenuntiantibus intitulavit; in quo eorum origines, impugnationis modum, expulsionis remedium, luculento stylo digessit,

CAPUT XXXIV.

Quis sit ordo voluntarius, et quis in eo servandus sit modus.

Sequitur ordo voluntarius a nobis deinceps inspiciendus, de quo Psalmista : *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII). Est quippe holocaustum gratuitum, acceptabilis hostia, sacrificium voluntarium; cum quis ab his quæ concessa sunt, per ea quæ præcepta sunt, ad ea quæ potioris gloriæ præmia suspirantibus proposita sunt, spiritus libertate contendit. Ad quod perfectionis culmen ferventiores quosque Salvator invitans : *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade et vende quæ habes, et da pauperibus : et veni, sequere me* (*Matth.* XIX). Et alias : *Sunt spadones*, inquit, *qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat* (*ibid.*). Itaque sæculi abrenuntiatio, castitatis propositum, cujuslibet acrioris vitæ professio, inter voluntaria sacrificia computantur. Nam licet post sæculi abrenuntiationem retro respicienti regni cœlorum non patescat ingressus; post votum castitatis illicita sit quælibet carnis corruptio; post arctioris vitæ propositum ruina sit ad remissiora delabi; absit tamen, ut ista vitæ perfectio, quam voluntarie subiit quis, non coactus, inter necessaria et coactitia, et non potius inter voluntaria numeretur; cum et ipsa necessitas, quam invito nullus imposuit, sed cui ipse se desiderio perfectionis sponte subjecit, voluntaria dicenda sit, non coactitia. Qui igitur ad hæc excelsa, et sublimia sese contulerit, primo voti vel propositi sui normam; in quibus et in quantis constet, diligenter inspiciat; deinde interioris et exterioris hominis vires experientiæ libra trutinet et discernat. Vires dico interiores, quibus contra tentationum bella exercitatione quotidiana confligat; vires exteriores, quibus corporalium laborum onera infatigabili longanimitate toleret. Licet autem in quemlibet statum proficienti necessarius sit et interioris et exterioris hominis labor; corporalia tamen ipsam animam specialiter a passionum sordibus diluunt; spiritualia autem exercitia, quasi quædam cœlestia aromata spiritualium eam odoramentorum suavitate profundunt. Proinde quoniam vitiorum squalore sordenti non congruit unctionis illa dulcedo : profecto ei quem adhuc carnis passiones impugnant, necessaria magis est hominis exterioris afflictio. Ipsis autem passionibus sopitis vel exstinctis, licet ab exterioribus modicum temperare; ipsa autem spiritualia instantius et ferventius exercere. Nec sic tamen, ut professionis suæ normam præsumptuosus excedat, nec temporum distinctiones, quæ in regula cui se subdidit præscribuntur, destruat vel confundat; sed servato cuilibet operi tempore præstituto, in ipsis se vel sedatius vel ferventius, sicut utile sibi norit, exerceat.

CAPUT XXXV.

Disputatio contra cujusdam epistolam, de monachorum regula et professione.

Porro licet ad materiam non omnimodis pertinere videatur, consultum tamen arbitror, quatenus nobis, qui monachi dicimur, consulentes, ipsius regulæ nostræ vim diligentius inspiciamus; et cum ibi multa de spiritualibus, multa de corporalibus disseruntur, in quibus maxime ipsius regulæ vis, ac professionis nostræ norma consistat, diligentiori inquisitione vestigemus. Legi cujusdam litteras, qui super hanc quæstionem, cuidam sciscitanti ita respondit. Non timeo dicere, monasticæ conditionis regulam esse, sed virtutem monastici ordinis, imo substantiam monasticæ professionis ea, quæ aliis cessantibus monachum faciunt; et sine quibus cætera, non dico non faciunt, sed nec sapiunt. Sed quæ sunt hæc? Illa quæ juravimus, in quorum stabilitatem et observantiam Deum et sanctos ejus attestati sumus. Et quæ sunt hæc? Stabilitas, inquit, in nostro monasterio; conversio morum nostrorum, et obedientia secundum regulam Sancti Benedicti. Et infra : Cupio Beati Benedicti volumen ad monachos revolvere; et quæ ejus, quam nostræ Regulæ, imo monasticæ professionis substantiam præscripsimus, in eo esse cognovero, ut necessaria mente complectar; ut vota, et in quæ juravi, reddere, prout mihi Dominus dederit, tota devotione contendam. Cætera vero, non ut Regulæ nostræ corpus, sed tanquam ipsam juvantia, ipsam nutrientia, opere complere tentabo. Dubitaremus forte quæ essent ista cætera, nisi postmodum ipse insinuasset. Claustrum scilicet non exire, opus manuum exercere; quantitas vel multiplicitas, vel certe varietas cibi et potus, lecti stratura, feminalium usus non nisi in viam directis. Quid enim, inquit? Nunquid si de substantia monasticæ professionis essent, vel ad momentum in ea aliquid liceret dispensari, vel aliquid ex eis permutari? Alioqui non existente

Digitized by Google

substantia, nec monachus invenior : qui monachi substantiam in me destruxero. Et in fine tractatus: Sic, inquit, frater diligende, sic quia in his dispensari licet, ut et ipse beatus Benedictus dispensat in esu carnium omnino debilibus; in feminalium usu saltem in viam directis; sic, inquam, quia in his dispensari et mutari potest, ergo non sunt de substantia professionis. Hæc ille. Verum, quod de usu feminalium, de usu carnium dixit : utrum beati Benedicti dispensatio vel institutio dici debeat, ipse viderit. Sane senibus et infantibus misericordiam impendendam, non ex dispensatione, sed ex Regulæ auctoritate præcepit. Regulæ, inquit, auctoritas eis prospiciat. Sed ad priora redeamus.

Manifestum est, quid dixerit Regulæ corpus, ac monasticæ professionis substantiam : loci scilicet stabilitatem, conversionem morum, et obedientiam secundum Regulam Sancti Benedicti. Sed miror, quod cum de his, quæ non tam Regulam, quam ipsam juvantia asserit, loqueretur; de lectione tacuerit. Nam cum ipsa dispensationem admittat, manifestum est secundum ipsum ad Regulæ corpus non pertinere. Cum igitur opus manuum, panis potusque quantitas; pulmentariorum numerus, modus induendi, quantitas vigiliarum, lectisternii qualitas, silentii gravitas, lectionis prolixitas, psalmorum modulatio, jejunii protelatio, hospitum susceptio, et si qua alia hujusmodi sunt; nec Regulæ corpus, monasticæ professionis substantia habeantur; quippe cum in eis dispensationes et mutationes multæ inveniantur; ita ut per plura monasteria nihil per omnia secundum quod in Regula præfinitum est, exerceant; ubi, quæso, in Regula Regulæ corpus inveniam, monasticæ professionis substantiam? Nonne de his omnibus, imo pene his solis Regula tota compacta est? Sed enim, inquies, ea sola quæ profitemur, Regulæ corpus, ac monasticæ professionis substantiam dico : tria videlicet illa præscripsimus. De loci ergo mutatione nulla fieri potest dispensatio. Quid est igitur, quod jam Regula facta et promulgata, ipse Pater Benedictus Maurum misit in Gallias? Quod si ejusmodi mutationem descriptam in Regula legissem, utique non eam dispensationem, sed potius Regulæ institutionem nominandam arbitrarer. Nunc vero, cum eam non Regula præscriptam, sed post Regulæ institutionem factam invenio, cur non eam libere dispensationem appellem; cum ille esum carnium, quem omnino debilibus Regulæ concedit auctoritas, dispensationi assignet? Nonne hujusmodi dispensationes quotidie ab abbatibus nostris fieri cernimus? Quam sæpe non dico de monasterio ad monasterium, sed et de regionibus ad regiones abbatum suorum dispensatione monachi transferuntur. Quomodo ergo ad Regulæ nostræ corpus, ac monasticæ professionis substantiam, quæ dispensationem non admittit, loci stabilitas tam multiplici dispensationi obnoxia pertinebit? Quid quod plerumque in clericatum assumpti non dico a loci illius stabilitate, sed et ab ipsius abbatis sui obedientia auctoritate ecclesiastica absolvuntur? Tantane permutatio monachi substantiam destruit? Quæ est igitur dispensatio, quæ si de loci stabilitate fiat, monachum destruet? Dicet fortasse, si de monasterio ad monasterium sine abbatis sui consensu, nullo salutis suæ periculo compellente, transmigraret. Hæccine est dispensatio, et non potius prævaricatio? Quod si prævaricatio non est; constanter dico, quia nec talis mutatio monachum destruit. Forte ergo pœnitebit eum argumenti sui; nec ideo tria hæc monasticæ professionis substantiam, quod dispensationem non admittant; sed quod ea sola monachus profiteatur, affirmabit. Interim et nos hoc ipsum concedamus. Sit ergo Regulæ corpus ac monachi substantia loci stabilitas, morum conversio; obedientia secundum Regulam S. Benedicti. Rogo, demus interim dextras, et qualis sit hæc loci stabilitas, hæc morum conversio, hæc obedientia, diligentius inquiramus. Vellem tamen scire, utrum sicut hoc ultimum, ita duo illa priora secundum Regulam : an simpliciter sine determinatione monachum profiteri existimet. Quod nullo modo quæsitu dignum arbitrarer, nisi quosdam comperissem qui sic se professos dicant, ut scilicet solam obedientiam secundum Regulam, duo autem priora, non secundum Regulam, sed sine aliqua determinatione se promisisse affirment. Sed cum alia sit Regula B. Augustini, cui canonici; alia S. Benedicti, cui monachi interposita se professione submittunt, quæro inter horum professiones quæ habeatur distinctio. Utrique enim et loci stabilitatem, et morum conversionem, et obedientiam profitentur. Sed si duo illa priora sine determinatione promittuntur, videtur quod in obedientiæ tantum professione, a cæteris regulis Regula discrepet S. Benedicti. Ergone alia erit obedientia secundum Regulam Benedicti, alia secundum Regulam Augustini? Commendat beatus Benedictus obedientiam, quam nec tardam vult esse, nec tepidam; non tristem, nec murmurantem; non injuriis vel contrariis lassescentem, nec ante mortem deficientem. Aliane erit illa secundum Regulam S. Augustini? Aliane erit illa, quam clericus episcopo, episcopus archiepiscopo, archiepiscopus episcoporum debet episcopo? Illane aut tarda potest esse vel tepida, aut tristis, aut murmurans, aut in injuriis contrariisve lassescens, aut ante mortem deficiens? In quibus ergo istarum professionum constat diversitas? An forte obedientia secundum Regulam est ipsius Regulæ præceptis subdi; quibus aliarum regularum professores non sunt obnoxii? Quæ sunt igitur ista præcepta?

Si ea quæ de charitate, de humilitate, de patientia cæterisque virtutibus disserit; quis, non dico canonicus, sed etiam Christianus his præceptis non est obnoxius? An aliam charitatem in sua Benedictus, aliam in sua commendat Augustinus? Annon potius uterque illam, quam commendat in lege et

Digitized by Google

Evangelio Christus? Quod de cæteris virtutibus similiter quæri potest. Quis enim sani capitis ad virtutes cohortans, sua hæc, et non potius Christi dicat esse præcepta? Quæ ergo erit in diversis regulis præceptorum diversitas? Profecto sic vesci, sic indui, sic legere, sic psallere, sic corripere et corripi, et cætera hujusmodi, quæ in diversis regulis diversa inveniuntur. Quæ idcirco vel Augustini, vel Benedicti specialiter dicuntur, quia non evangelica auctoritate Christianis omnibus imponuntur, sed proponuntur, ipsis autem regularum professoribus non jam proponuntur, sed etiam imponuntur. Aut si ista non sunt, quæ sunt? Profecto quidquid in suis regulis de charitate, de humilitate, cæterisque virtutibus ponunt, non hoc quasi sua, sed quasi Dominica præcepta commendant; nec ad ea, quasi ad sua (quis enim illis crederet), sed quasi ad Christi præcepta, non solum monachos, sed quoslibet Christianos invitant. Si ergo obedientia secundum Regulam Sancti Benedicti est ipsius Regulæ præceptis obedire; ipsius autem præcepta Regulæ, in his quæ supra commemoravimus constant, cum illa quam profitemur obedientia, monasticæ sit professionis substantia, quomodo substantiam monasticæ professionis servat, qui non illa servat? Sed dicat fortasse, quod utique dici debet, etiam priora illa duo non secundum Regulam profiteri, affirmetque quod non in loci stabilitate, vel obedientia, quæ monachis, clericis, canonicis, episcopis eædem injunguntur, Regularum constet ista diversitas, sed in morum tantum conversione. Nam de loci stabilitate nonne omnibus una incumbit necessitas? ne videlicet sine ejus qui sibi præest consensu, temeraria præsumptione locum mutet. Porro si morum conversionem non secundum Regulam, sed simpliciter sine determinatione profitemur; hoc et hi, qui in Ecclesia dicuntur pœnitentes, hoc ad conjugii portum de fornicationis naufragio fugientes.

Quis enim horum non profitetur morum conversionem? Restat ergo inquirere, quæ sit secundum Regulam Sancti Benedicti morum conversio. Si autem hic ad virtutes confugimus, ut verbi gratia, qui hactenus superbus, deinceps humilis; qui hactenus iracundus, deinceps lenis inveniatur; dicimus profecto quia hæc morum conversio, non tam Regula Sancti Benedicti monachis, quam ex Evangelio omnibus indicitur Christianis. Proinde ut inter conversiones morum quæ secundum regulas diversas, diversæ profitentur, aliqua inveniatur diversitas, non est quo fugiamus nisi ad illa, quæ sola in diversis regulis diversa constituuntur, de quibus jam satis dictum est. Quomodo ergo professionem suam servat, qui ista non servat? Sed dicet aliquis : Si ergo quis superbus, contumax, impatiens fuerit, omnia tamen illa, quæ supra commemorata sunt, servaverit, Regulam Sancti Benedicti servare dicendus est? Constanter dico quia si quælibet ista contra Dei Regulam monachus commiserit, si secundum modum in Regula præscriptum ista correxerit, professionis suæ reus non erit. Sed quid si quis Regulam Sancti Benedicti, quasi quoddam instrumentum intelligat, quo vitia facilius resecentur, præcepta evangelica sollicitius impleantur; posseque contingere ut optimo hoc instrumento abutens quis, non eo vitia sua resecet, nec virtutes acquirat, ideoque in sui perniciem Regulam quidem habeat, Christi tamen præcepta non impleat? Nonne ipse beatus Benedictus hoc ipsum insinuat? « Constituenda est, inquit, a nobis Dominici schola servitii, in qua nihil asperum, nihil grave nos instituros speramus. Quod si quid districtius, » etc.

Hic primum quæro, quæ sit districtio, quam ne incipientes formident, hortatur. Profecto in hac districtione institutionem suam esse confirmat. Si patientia, si humilitas, si cæteræ virtutes cogitentur; hæccine instituturum quasi novi aliquid diceret? Profecto non est, quo fugiamus, nisi ad illa, quæ ipse nova instituit; non lex, aut propheta, aut ipse Christus præcepit. His nimirum incipientibus non modica videtur inesse districtio, considerantibus cibi potusque parvam vilemque quantitatem, vestium asperitatem, jejuniorum ac vigiliarum afflictionem, quotidiani operis contritionem, et cætera talia, quæ in ipsa Regula ab eo instituta inveniuntur. Si quis autem Regulam in solis his constare non acquieverit, saltem concedat, quod non nisi obstinatia pertinaci negatur, professionem nostram et Regulam in utrisque, virtutibus scilicet observantiisque constare, ac proinde utraque a nobis necessario servanda non neget. Quanquam ipse Regulæ institutor in illis verbis, quæ considerare cœpimus, aliud probare videtur : « Quod et si quid, inquit, districtius, dictante æquitatis ratione, propter custodiam charitatis, et emendationem vitiorum, processerit. » Rogo, quid tenebras in luce quærimus? Quid nodum in scirpo? Quid in meridie, quasi in nocte palpamus? Nonne in omni institutione aliud est ipsa institutio, aliud causa institutionis? Nonne ipse hic manifestissime inter institutionem, causamque institutionis, divisit? Nonne hic custodiam charitatis, ac vitiorum emendationem, suæ institutionis causam testatur? Sed ecce alius e latere surgens: Quid mihi, inquit, de Regula objicis? Habe charitatem, et fac quidquid vis. Ergo manducemus et bibamus, non quia cras moriemur (*Sap.* II); sed quia charitate pleni sumus. Charitate, rogo, an vanitate? Quid ergo, inquis? Qui charitatem habet, Regulam non implet? Quam multi canonici sancti, sacerdotes sancti, episcopi sancti, sed et conjugati sancti, charitatem se habere sentiunt, qui tamen se monachorum Regulam et professionem nec promisisse, nec servare non nesciunt. Si autem de ipsius Regulæ professoribus dicitur, verum dicitur; si tamen intelligatur quod dicitur. Quid ergo, inquis, me ad illa aspera Regulæ auctoritate compellis? Imo si charitatem habes, non

Digitized by Google

est necesse, ut compellaris reddere vota tua, quæ distinxerunt labia tua. Quod si ea quæ vovisti inscriptione interposita Deo et sanctis in testimonium vocatis, reddere contemnis; profecto charitatem non habere convinceris. Quomodo enim eum diligis, quem irrides? Ut si aliter, inquit, fecerit, videlicet quam promisit, a Deo se damnandum sciat, quem irridet. Quid igitur? Dispensationes quæ in ipsa Regula a patribus factæ sunt, vel fiunt, damnamus? Imo hinc eas rationabiliter fieri posse; quod de hominis, non de Dei præceptis fiunt, astruimus. Non enim de divinis præceptis, aut mutare aliquid aut minuere, ulli hominum fas est. Hoc sane providendum est ut ipsa mutatio vel variatio, dispensatio sit non destructio. Cum enim custodia charitatis, vitiorum emendatio, ipsius institutionis causa sit; sic profecto ipsa dispensatio rationabilis erit, si causæ huic dispensatio ipsa profecerit. Si autem dispensatione magis quam institutione nutriuntur vitia, charitas violatur; si forte non damnosa, certe periculosa ipsa dispensatio comprobatur.

CAPUT XXXVI.

Item modus in ordine voluntario servandus describitur.

Ergo qui ordine voluntario ad culmen perfectionis aspirat; primo charitatem, qua Deo maxime propinquamus, imo qua Deo inhæremus, eique conformamur, in qua totius perfectionis plenitudo consistit, quasi destinatum finem, quo totum cursum suum dirigat, indesinenter aspiciat; deinde via quam ei voti vel professionis suæ norma præscribit, ad ejus plenitudinem infatigabili spiritus alacritate contendat. Huic itaque fini militet abstinentia, famulentur vigiliæ, invigilet lectio, quotidianus labor insudet. Quod si aliquo horum charitas, cujus causa instituta sunt, violari cognoscitur; tunc demum ei cui dispensatio credita est, incumbit necessitas, ut sic omnia temperet ac disponat, quatenus non horum causa charitas deseratur, sed ejus fructus in omnibus requiratur; nec si tamen ut aliqua eorum, quæ instituta sunt, prætermittantur, aut certa tempora certis quibusque exercitiis attributa confundantur, nisi extrema cogat necessitas; alioquin non erit dispensatio sed destructio; sed ut certis temporibus certa exercitia, pro cujusque qualitate ac mentis statu modificentur. Hoc est quod ipse sanctus, cum de opere manuum legem poneret: « Sic, inquit (22), omnia temperet atque disponat, quatenus animæ salventur, et quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant. » Et alias: « Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes. » Nunquid dixit, hoc aut illud prætermittatur propter pusillanimes? « Imo et infirmis, inquit, et delicatis talis ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur. » Ergo et infirmi et delicati operentur, sed eorum opus sic temperetur, ut non opprimantur. Quem, rogo, de opere absolvit, ad quod etiam infirmos et delicatos compellit? Hunc sane modum, in ipsis exercitiis, quemlibet servare utile est, quatenus sic se in uno habeat, ut in cæteris non deficiat; illud tamen in quo se magis proficere sentit, majori fervore exerceat. Habeo ad manum de hac re cujusdam verba sapientis, et congruentius arbitror, quæ præsto sunt inserere, quam de sententia nova verba componere. Meditatio, inquit, in moribus primo considerat quæ debita sunt, sive ex præcepto, sive ex voto, et ea primum agenda judicat, quæ sic facta habent meritum, ut non facta generent reatum. Hæc ergo primum facienda sunt, quæ sine culpa dimitti non possunt. Post hæc si quid voluntaria exercitatione superadditur, sic faciendum est, ut debitum non impediatur. Alii volunt quod non debent, qui non valent id quod debent; alii etsi valent quod debeant, voluntaria impedimenta adducunt, volendo quod non debent. Item duo mala in bona actione præcipue cavenda sunt, afflictio scilicet et occupatio. Per afflictionem dulcedo mentis amaricatur, per occupationem tranquillitas dissipatur. Afflictio est, quando pro his quæ non valet per impatientiam uritur, occupatio, quando in his quæ valet agendis per intemperantiam agitur. Ne igitur male amaricetur animus, suam impossibilitatem patienter sustineat; ne autem male occupetur, possibilitatem suam extra mensuram suam non extendat.

CAPUT XXXVII.

Quid homo sibi, quid proximo debeat, ostenditur, et utrum se proximo, an proximum sibi præferre debeat, declaratur.

Hæc de modo in singulis servando gradibus dicta sunt; quo ad eum quem summe diligendum cernimus, contendentes, et animæ saluti consulimus, et corpori debita naturæ concedimus. Quoniam autem proximum æque ut nos ipsos a nobis diligi divina tradit auctoritas; primo necesse est, ut cui quis ordo conveniat, intelligentiam nostram non lateat; deinde summopere elaborandum, ne quis in quolibet ordine præscriptum vivendi modum excedat. Sed quia quosdam præesse, quosdam subesse, quosdam coesse, manifestum est; cum a quolibet horum legitima mensura transgreditur, debet quidem inferior superiori suggerere; par parem corripere; superior inferiorem etiam, si sit necesse, compellere. Ipsa sane suggestio, sive correptio, sive compulsio, secundum qualitatem singulorum temperetur, ut et in suggestione subjectio, et in correptione collectio, et in compulsione sentiatur compassio. Qui in inferiori ordine legitime obversatur, ut ad superiora conscendat moneri potest; cogi autem non potest. Qui superiori sua se sponte submisit secundum professionis suæ modum tractari debet; ad arctiora vero compelli ejus inconsulta voluntate non debet. Ita sane sit de proximi dilectione sollicitus, quem diligere debet sicut se ipsum; ne modum dilectionis

(22) S. Bened. *in Regul.* c 48.

Digitized by Google

excedat, qua diligere debet se ipsum : quod tunc fit, cum ipse negligitur quem diligere debet supra se ipsum. Neque enim audiendi sunt, qui sic arbitrantur accipiendum quod dicitur, *diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII), ut unumquemlibet diligere debeat tanquam se ipsum, duos autem aut plures supra se ipsum; ideoque magis suam, quam aliorum debeat velle perditionem. Sed *quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quid prodest ei si lucretur universum mundum*, etiam ad salutem, *animæ autem suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* XVI.) Animadvertendum quoque est, quia quidquid præmissa ratione fraternæ dilectioni adjicitur, totum profecto divinæ dilectioni subtrahitur. Cum enim secundum modum quo Deum diligit, sui dilectio metiatur, tunc solum minus diligit se B ipsum, quando minus diligit Deum. Porro se ipsum qui diligit, cujus perditioni non parcit? Quomodo ergo alium diliget sicut se ipsum, qui non diligit nec se ipsum! Nam et Apostolus cum ait : *Optabam aliquando anathema esse a Christo pro fratribus meis secundum carnem* (*Rom.* IX); ut eos, proposita mirabili charitate sua traheret ad salutem, affectum quidem prodidit, consilium non expressit. At quam diversa in una mente suggerant affectus et ratio, superius satis ostendimus. Unde Apostolus cum diceret : *Optabam anathema esse a Christo pro fratribus*, verum quidem dixit, quia affectum, quem sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset, mallem totum mundum perire, quam me solum a Christo separari, C verum nihilominus dixisset, quia rationis consilium prodidisset. Nam et ipse Salvator ex affectu, quo *nemo unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V), quem a nobis et pro nobis voluntarie suscepit, ut transiret hora passionis optavit (*Matth.* XXVI); sed ex consilio rationis, ipse ne transiret effecit. Sed et Scriptura consulte non ait : *Diliges proximum tuum*, quantum te ipsum; sed *sicut te ipsum* (*Matth.* XXII). Modum ergo diligendi præscripsit, non quantitatem indixit. Sic autem sua sibi exhibeatur dilectio, ut primo animæ suæ, quæ potior sui pars est; consulat ad salutem; deinde corpori ad necessitatem. Quod si aliquando incumbat necessitas alterum contemnendi, etiam corporis patiatur interitum; dum tamen animæ non sustineat detrimentum. Nec hoc D est corpus odire; sed animam corpori in dilectione præferre. Ab hac ergo sui dilectione nunquam recedat; sed ipsa constanter et perseveranter retenta, ad consulendum proximo securus accedat. Modum autem consulendi ex ea, qua sibi consulit, regula accipiat. Agat ergo cum proximo quantum potest; ut salvus corpore, et sanus sit mente. Nam si alterum horum negligit; profecto proximum, qui ex utroque constat, non diligit. Si vero talis fuerit proximus, qui sine quodam detrimento ad salutem animæ non accedat, cum quadam compassione ac cordis contritione carnis ejus patiatur interitum, ut spiritus salvus sit in die Domini. Nulla sane ratione vel præ- A cepto compellitur suæ animæ perditione animæ fraternæ comparare salutem, nec sui corporis interitu fraterni corporis interitum propulsare. Nam quod præcipimur *animas pro fratribus ponere* (*I Joan.* III), ad vitæ contemptum, non ad animæ pertinet detrimentum. Sic enim non ad perditionem, sed potius ponitur ad salutem. Unde sic animam ponere, ipsi utique animæ consulere est. Porro hi qui temporalium dominorum suorum mortem temporalem morte sua temporali propulsant; qui recte id faciunt, non tam pro alieni corporis, quam pro suæ animæ salute id faciunt. Sic enim habet eorum conscientia, dominis suis fidem esse servandam; ut in tali periculo eorum vitam suæ æstiment præferendam. Qui autem non pro fide servanda, sed pro gloria capessenda, opprobrioque vitando id faciunt, stulte quidem id faciunt; nec tamen pro corpore alieno, sed pro suæ famæ pretio id faciunt. Sed hoc forte laudabiliter fieri potest, ut ex sola dilectione quis pro alterius corpore suum corpus objiciat; ut autem, non dico pro unius animæ, sed etiam pro totius mundi salute suæ animæ detrimentum sustineat, salvo veræ dilectionis ordine fieri non potest : est enim detrimentum animæ, ab ejus, qui summe diligendus est, dilectione recedere. Quod aliquando laudabiliter vel saltem culpabiliter fieri posse, quis dicat? A Dei sane dilectione receditur, cum vel aliquid dignum damnatione committitur; vel aliquid sine quo non est salus, omittitur. Sunt præterea media quædam, ut lectio, meditatio, labor corporis, jejunium ventris, suavitas orationis, cæteraque hujusmodi : quæ omnia pro fraterna salute dispensanda, varianda, mutanda, nonnunquam etiam sunt prætermittenda. De quibus Apostolus : *Non quæ sua sunt*, inquit, *singuli quærentes; sed quæ aliorum* (*Philip.* II). Et item : *Sicut ergo per omnia omnibus placeo : non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant* (*I Cor.* X). Denique quod ait : *Optabam anathema esse a Christo pro fratribus* (*Rom.* IX), sic quoque non inconvenienter potest intelligi, ut ab illo orationum suarum secreto, quo inter amplexus Jesu suaviter quiescebat, ab illa ineffabilis contemplationis eminentia, qua cœlestium mysteriorum secreta purissimis oculis perlustrabat; ab illa gratissimæ compunctionis dulcedine, quæ animam illam cœlestia sitientem spiritualium affectuum suavissimis stillulis perfundebat; ad mundi strepitum ob fratrum salutem optaverit evocari. Quam evocationem, a Christo separationem ille non ambigit nominandam, qui pro modulo suo vacat et gustat quam dulcis est Dominus (*Psal.* XLV); quam beatus omnis qui sperat in eo. Porro qui sic a Christo separari, fraterna dilectione provocatus, elegit, vel superiorum auctoritate coactus consensit; providendum sibi est ne obruat ista necessitas, et pereat illa suavitas. Verum quod de lectione vel oratione diximus; etiam de commodis corporis, imo de ipso corpore sentiendum est; ut quidquid pro sua salute

Digitized by Google

contemnendum, impendendum, variandumque perspexerit, pro salute quoque proximi ad ipsum faciendum agnoscat.

CAPUT XXXVIII.

Inter ipsos proximos, quis cui præponendus sit, distinguitur.

Quoniam igitur de charitate tractantes, secundum ejus legem, quid homo sibi, quid proximo debeat, ostendimus, cum omnibus ad corporalem necessitatem sufficere tanta nos multitudo non sinat; restat, ut, inter ipsos, quis cui præponendus sit, ratio consulta, discernat. Consideremus itaque cordis nostri latitudinem, quasi arcam quamdam spiritalem, lignis imputribilibus, moribus scilicet bonis virtutibusque compactam; in qua mansiunculas et tristegas, spiritalia videlicet receptacula collocantes, singulis singula, pro cujuslibet dignitate vel ordine, deputemus. Igitur bestias, bestiali scilicet more sævientes, ac sanguinem nostrum ferali rabie sitientes, inimicos videlicet nostros, in inferioribus includamus; quibus et orationis solatium, et post cæteros, communis hujus vitæ præbeamus subsidium. Sed quia sunt mansiunculæ interiores et exteriores, de hoc hominum genere his, qui foris sunt, exteriora sufficiant; illos vero qui, speciemus licet, communem nobiscum sortiuntur fidem, interior mansio non repellat. Superior his locus reptilibus, jumentisque conceditur, qui terrena licet sapientes, ac semetipsos ventris sordibus, ac libidinis spurcitia maculantes, infra hominem sese dejiciunt; nihil tamen inhumanum, nihil crudele, nihil in nos moliuntur adversum. Iis et orationis remedium, et adhortationis auxilium, et correptionis cauterium, et præ inferioribus, sed post superiores, necessitatis præbeamus supplementum. Inter quos, qui vel sanguinis communione, vel officii humanitate nobis viciniores sunt, in isto gradu intima sortiantur; ab exterioribus cæteri non excludantur. Jam vero in superioribus homines collocemus: illos nimirum qui, etsi supra hominem perfectionis desiderio non vehuntur, non tamen in bestias feritate, non in pecudes voluptate, non in reptilia sordibus devolvuntur. Est in hoc quoque gradus; quanto quis nobis aut carne propinquior, aut amicitia gratior, aut beneficiorum fuerit largitione propensior, tanto sit et in pectoris mansione interior. Porro locus excelsior volatilibus cedat; qui supra hominem virtutum pennis spiritualibus vecti, quanto Deo sunt propinquiores, tanto in arca hac spirituali esse debent superiores. Inter quos quicunque dulcissimo nobis spiritualis amicitiæ vinculo copulantur, in interioribus ac secretioribus pectoris nostri locis suavius recondantur, astringantur arctius, dulcius foveantur. Est præterea locus cæteris omnibus eminentior, cujus spiritualis hujus arcæ fabricator simul ac reparator Jesus solus sine comite speciosus insidens, ac inferiora omnia sua suavitate componens, in omnibus sapiat, in omnibus fragret, in omnibus luceat, in omnibus splendeat, totamque inferiorem latitudinem ad unum suæ dilectionis cubitum linea rectiore traducat. Ipse solus in omnibus, ipse solus præ omnibus, et affectum nostrum afficit, et amorem exigit; ipse sibi sedem, non solum potiorem, sed et superiorem, nec solum superiorem, sed et interiorem in pectoris nostri mansione requirit. Hæc itaque ratio in hac distinctione servetur, ut servata omnibus consulendi voluntatem, cum ad omnes præsens indigentia sufficiat, inferiori gradus superior præponatur, in singulis autem gradibus interiori potius consulatur.

CAPUT XXXIX.

Qui sint quibus in hac vita frui valeamus.

Unum adhuc restat, de quo ratio divisionis nostræ deinceps tractare compellit. Diximus enim in hoc constare charitatem, si mens ad fruendum eligat quod oportet, moveatur ut decet, competenter utatur. De electione et motu, quantum ad præsens opus, satis egimus. Sed si electio sana, motus integer fuerit: nunquid usus perversus erit? Sed in ipsius quem diligit adeptione, et motus variari potest, et æstimatio falli. Potest enim aliquis etiam intentione recta, et competenti motu, ejus quem ad fruendum elegit præsentiam comparare; in ipso tamen fructu et intentione mutare et variare motum, et modum excedere. Verum, quia in diversis gradibus meritisque diversis paulo superius proximos ordinavimus, dicendum sane est, utrum omnibus, vel certe aliquibus frui debeamus, aut valeamus. Sed est fructus temporalis, quo invicem in hac vita frui possimus; sicut Paulus fruitus est Philemone (*Phil.*, 20): et est fructus æternus, quo invicem fruemur in cœlo, sicut se fruuntur angeli pura mentium unitate. Proinde cum frui sit cum gaudio et delectatione uti, manifestum arbitror in præsenti nequaquam nos omnibus frui posse, sed admodum paucis. Nam ut mihi videtur, uti quidem possumus quibusdam ad probationem, quibusdam ad eruditionem, quibusdam ad consolationem, quibusdam ad sustentationem. Inimicis siquidem ad probationem, magistris ad eruditionem, senioribus utimur ad consolationem, necessaria ministrantibus ad vitæ sustentationem; solis autem his quos suavi quodam affectu complectimur, de quocunque horum genere sint, ad vitæ dulcedinem, ac spiritus delectationem. His igitur etiam in præsenti frui possumus, id est cum gaudio ac delectatione uti. Quocirca charitas in hac vita, quantum ad electionem et motum qui in actu est, exhiberi omnibus ab omnibus potest; quantum vero ad fructum, a paucis, vel certe a nullo exhiberi omnibus potest. Pauci enim sunt, si tamen aliqui sunt, a quibus omne hominum genus non solum rationali, sed etiam affectuosa dilectione colatur. Denique ipsi Deo a multis et electione et motu charitas exhibetur, quibus ipsius dilectionis fructus non in hac vita comeditur, sed post hanc vitam in ejus beatissima visione servatur. Nam et hi quibus in contemplationis lumine, in compunctionis dulcedine, quidam hujus dulcedinis fructus inchoatur; si ad futura gaudia spectes, nec ipsi Deo frui dicendi sunt,

sed potius uti. Nam illius dulcedinis suavissimum gustum non tam pro fructu dilectionis, quam sustentatione infirmitatis, plerisque largiri, satis superius monstratum est. Porro non modicum vitæ hujus solatium est, habere quem tibi affectu quodam intimo ac sacratissimi amoris unire possis amplexu, habere in quo requiescat spiritus tuus, cui se refundat animus tuus; ad cujus grata colloquia, quasi ad consolatoria quædam carmina inter tristia quæque confugias; ad cujus amicitiæ gratissimum sinum inter tot sæculi scandala securus accedas, cujus amantissimo pectori, ac si tibi ipsi omnium cogitationum tuarum viscera sine cunctatione committas; cujus spiritualibus osculis, quasi medicinalibus quibusdam fomentis languores tumultuantium curarum exsudes; qui tibi collacrymetur in anxiis, collætetur in prosperis, tecum quærat in dubiis; quem vinculis charitatis in illud secretarium tuæ mentis inducas, ut licet absens corpore, spiritu tamen præsens sit, ubi solus cum solo conferas; ac quiescente mundi strepitu, in somno pacis, in amplexu charitatis, in osculo unitatis, interfluente Spiritus sancti dulcedine, solus cum solo repauses : imo ita te ei adjungas et applices, et animum animo misceas, ut de pluribus unum fiat. His igitur in præsenti frui possumus, quos non solum ex ratione, sed etiam ex affectu diligimus : inter quos his maxime, qui nobis spiritualis amicitiæ gratissimo fœdere cæteris familiarius, arctiusque junguntur. Cujus charitatis sacratissimum genus ne cui improbandum videretur, ipse Jesus noster per omnia nobis condescendens, per omnia nobis patiens et compatiens, suæ dilectionis exhibitione transformans, uni, non omnibus, suavissimi pectoris sui reclinatorium in signum præcipue dilectionis indulsit, ut virgineum caput virginei pectoris floribus fulciretur, ac thalami cœlestis odorifera secreta fragrantiam spiritualium unguentorum virgineis affectibus quanto vicinius, tanto copiosius instillarent. Hinc est, quod licet a piissimo magistro discipuli omnes summæ charitatis dulcedine foverentur; huic tamen hoc cognomen familiarioris affectus prærogativa concessit, ut diceretur discipulus ille, quem amabat Jesus (*Joan.* XIX).

CAPUT XL

Quomodo invicem frui debeamus.

Qui igitur amico frui dulce habet, videat ut fruatur in Domino, non in sæculo : non in carnis voluptate, sed etiam in spiritus jucunditate. Sed quæris, quid sit frui in Domino? Dicit de Domino Apostolus : *Qui factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio* (*I Cor.* I). Cum igitur Dominus sapientia sit, sanctificatio, et justitia : in Domino frui, est frui in sapientia, frui in sanctificatione, frui in justitia. Sapientia vanitas sæcularis excluditur, sanctificatione spurcitia carnis abscinditur, justitia assentatio omnis, adulatioque compescitur. Tunc enim *charitas est*, si sit, ut ait Apostolus, *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* I). Purum cor suscipit sapientiam, pudicitia serenat conscientiam, fides non ficta exornat justitiam. Sunt qui se fruuntur, in vanis et ludicris, in sæculi pompis et mundi spectaculis, in studio vanitatis et gaudio falsitatis. Illi non se fruuntur in sapientia, ac proinde non in illo, qui Dei virtus est, Dei sapientia. Alii etsi non deteriores, certe sordidiores, quibus pene de homine nihil est, quos obscena turpitudo transformavit in bestias; qui se in luxuriosis conviviis, et immundis fruuntur desideriis, quia se non in sanctificatione, quæ in castitatis suavitate consistit, fruuntur, utique in Domino, qui factus est nobis a Deo sanctificatio, non fruuntur. At hi qui se assentatorie fruuntur, invicem palpantes, invicem consentientes, qui dum alterutram cavent offensionem, mutuam incurrunt perniciem, quia non se in libertate fruuntur justitiæ, in Domino non fruuntur. Ergo si mutua delectat verborum collatio, sit sermo de moribus, sit sermo de Scripturis : nunc de miseriis hujus vitæ congemiscamus; nunc in spe futurorum bonorum congaudeamus; nunc mutui secreti revelatione recreemur; nunc simul ad illam beatam visionem Jesu, ac bona cœlestia suspiremus. Si vero, quod nonnunquam utile est, tensum animum ad inferiora quædam ac jucunda laxemus, sint laxamenta ipsa plena honestatis, vacua levitatis, etsi careant ædificatione. Fruamur invicem in sanctificatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere, id est proprium corpus in sanctificatione et honore, non in passione desiderii. Fruamur in justitia, ut in spiritu libertatis mutuo cohortemur, mutuo corripiamus, scientes quia meliora sunt amici vulnera, quam fraudulenta inimici oscula (*Prov.* XXVII).

CAPUT XLI.

Epilogus totius operis, et auctoris excusatio sui.

Hæ sunt, amantissime Pater, de charitate meditationes meæ; in quibus si excellentia ejus, si fructus ejus, si competens modus exhibitionis ejus, quasi imago quædam illius ostenditur, liber ipse, ut scripsistis, charitatis speculum nominetur. Obsecro tamen ne speculum illud efferatis in publicum, ne forte in eo non charitas luceat, sed potius auctoris imago sordescat. Quod si illud in meam, ut vereor, confusionem emiseritis, per illud dulce nomen Jesu obtestor lectorem, ne me ex præsumptione ad hoc opus æstimet accessisse, ad quod et paterna auctoritas, et fraterna charitas, et propria me coegit necessitas. Nam superiori non obedire, periculosum, cum absente charissimo meo de hujusmodi in spiritu fabulari, dulce ac jucundum; vagos et inutiles luxuriantis animi mei excursus harum meditationum vinculis alligare necessarium duxi. Si quis autem horum lectione aut affectu, aut cognitione profecerit, sudoribus meis hanc vicem rependat, ut pro innumerabilibus peccatis meis, apud justum et misericordem judicem intercedat.

Digitized by Google

COMPENDIUM SPECULI CHARITATIS.

Adverte ex reverendissimo Angelo Manrique tomo II, Annal. Cisterciens. ad annum 1166, cap. 3 et ex rever. D. Carolo de Visch Dunensis cœnobii priore, lib. De scriptoribus ordinis Cisterc. *hoc opus prius auctorem scripsisse; et ejus occasione postea hortatu amicorum fusius de eadem materia disseruisse, ac majus Speculum charitatis tribus libris distinctum edidisse: sicut idem cum Homiliam unicam in Onera Isaiæ scripsisset, postea rogatus ac monitus de iisdem alias triginta et unam Homilias vulgavit.*

CAPUT PRIMUM.

Ut Creator ametur a sua creatura.

Nihil dignius, quam ut Creator a sua ametur creatura. Igitur ratio, ut ad desiderium Conditoris sui animam excitet tepescentem, tribus innititur argumentis: nostræ videlicet necessitati vel utilitati, illius autem dignitati. Suadet ratio Deum esse diligendum, quia necessarium hoc nobis, quia commodum, quia dignum. Necessarium, ut caveamus damnationem; commodum, ut acquiramus glorificationem; dignum, quia ipse prius diligens nos, merito ipsius dilectionis exigit recompensationem. Desiderandus est homini Deus tanquam bonum suum, sine quo necesse est eum semper miserum esse; cum quo non potest nisi beatissimus semper esse; qui bonorum nostrorum non indigens, pro nobis voluit miser esse. O Domine Deus, quanta in tui dilectione jucunditas! quanta in jucunditate tranquillitas! quanta in tranquillitate securitas! non ejus qui te amat errat dilectio, quia te nihil melius; non spes fallitur, quia nihil amatur fructuosius; non excessus timetur, quia nec modus amandi præscribitur; mundialis amicitiæ direptrix mors formidatur. In tui dilectione non timetur offensio, quæ nulla est, nisi ipsa deseratur dilectio: non intervenit ulla suspicio, quia judicas ipsius conscientiæ testimonio. Hic jucunditas, quia timor excluditur; hic tranquillitas, qua, ira compescitur; hic securitas, qua mundus contemnitur. Comparetur, quæso, omnibus ditiviis, omnibus deliciis mundi, omnibus honoribus hoc unum famulorum Christi, quod mortem non timent. Quid, quæso, in mundo jucundum; cum ipsa ejus jucunditas conscientiam pungat, cum timorem mortis incutiat, cum amatores suos æternæ damnationi addicat?

CAP. II. (*Specul.* lib. I, cap. 10.) *Quod charitati nihil desit perfectionis: Diliges Dominum Deum tuum*, etc. (*Matth.* XXII.)

O verbum consummans et abbrevians in æquitate! verbum charitatis, verbum amoris, verbum dilectionis, verbum totius perfectionis! Verbum consummans, cui nihil potest deesse, verbum abbrevians, in quo pendet tota lex et prophetæ (*ibid.*). O Judæe, quid tantis opus est? Hic circumcisio, hic Sabbatum, hic hostiæ salutares, hic odoriferum sacrificium, hic totius suavitatis incensum. Tene charitatem, et nihil horum deerit. Charitatem neglige, et nihil horum proderit. Hic plane non carnalis unius membri amputatio, sed totius exterioris, interiorisque hominis vera et perfecta circumcisio, resecans voluptatem, exstinguens libidinem, coercens gulam, cohibens iracundiam, invidiam penitus invertens; omnium vitiorum generatricem expugnans superbiam. Hæc edaces tristitiæ stimulos spirituali quadam suavitate contemperans, sequacis acediæ occurrit languori. Hæc avaritiæ pestem liberalitatis gratissimo mucrone confodiens, ab idololatriæ vitio animam liberat ac conservat. Quid rogo hac circumcisione perfectius: qua vitiorum membra resecantur, corpus peccati destruitur, protoplastorum exuvies villosa deponitur, totaque antiquæ vetustatis tabes squalorque dejicitur? Mentem enim, quam dulcedo charitatis compleverit, non timor angustat, non libido commaculat, non ira dilaniat, non superbia elevat, non cænodoxiæ inanis fumus eventilat, non exagitat furor, non stimulus ambitionis eviscerat, non avaritia contrahit, non dejicit tristitia, non invidia tabefacit. *Charitas* quippe *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem* (*I Cor.* XIII). Vides hanc spiritualem circumcisionem omnium vitiorum esse peremptoriam; quæ omnes sensus corporis divino quodam cultro purificat, oculorum abscindens petulantiam, aurium pruritum eradens, gustus superfluas suavitates propellens, linguæ procacitatem detrahens, meretricios odores excludens naribus, tactus perniciosam mollitiem eradicans.

CAP. III. (*Specul.* lib. I, cap. 10.) *Quod amor noster adversum se ex charitate et cupiditate contrario appetitu dividatur.*

Apostolus ait: *Caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæ vultis illa faciatis* (*Gal.* V). Quia charitatis, sive etiam cupiditatis ea sola animæ nostræ portio capax est, quæ usitatius amor nuncupatur; ipse est, qui ex nova infusione charitatis et ex reliquiis vetustæ cupiditatis, quasi quodam contrario appetitu, adversus semetipsum constat esse divisus. Unde intelligendum est, Apostolum spiritus carnisque nomine nequaquam contrarias in homine uno, ut impuri somniant Manichæi,

Digitized by Google

descripsisse ngturas; sed spiritus appellatione, A mentis ex charitatis infusione exprimens novitatem, carnis quoque vocabulo ex reliquiis vetustatis miseram animæ insinuans servitutem, inter vetus nostrum inolitum, novumque insolitum, continuum in una mente asserit oboriri conflictum. Hac itaque concupiscentia, quam carnis esse dicit Apostolus (*ibid.*), non quod omnis concupiscentia mala ex carne sit, quippe cum ea nequaquam dæmones careant, qui carne carent, hæc, inquam, concupiscentia mala congruentissime cupiditas appellatur. Carnis vero concupiscentia dicitur, eo quod non ex Deo sed ex homine sit; quem carnem in Scripturis appellari non est ambiguum. Concupiscentia autem spiritus non immerito charitas appellatur, quæ quidem in cordibus nostris diffunditur per Spiritum B sanctum (*Rom.* v).

Cap. IV. (*Speculi.* lib. I, cap. 21 et 22.) *Quod rationalis creatura nonnisi in beatitudinis adeptione quiescit : et quare cum beatitudinem optet, viam tamen, qua eam obtineat, mira infelicitate refugiat.*

Ipsis animantibus irrationabilibus magnus labor est, tueri salutem, vitare perniciem, carnalium appetituum quærere satietatem; qua adepta cum nihil habeant ultra quod appetant, conquiescunt. Rationis quippe scientiæque expertia, quod sensum carnis excedat, ne appetere quidem possunt. Tibi enim, o anima rationalis, præ cæteris animantibus hæc prærogativa servatur, quod te a carnis sensibus abstrahens, ad altiora contendas, nec aliquando satiet appetitum, donec ad id quod summum est, id quod est optimum, id quo nihil superius, quo nihil excellentius, felici curiositate pervenias. Ubicunque infra subsistis, tametsi altum, tametsi magnum, tametsi jucundum judicetur; misera procul dubio remanebis. Misera, quia indiga. Indiga, quia restat quod petas, restat ad quod anheles; restat postrema ipsa beatitudo, ad quam appetendam animam rationalem vis quædam naturalis impellit. Sed deploranda satis est miseri hominis cæca perversitas, qui cum beatitudinem vehementer exoptet, non modo non agit, quibus adipiscatur optata; verum proniori affectu ea committit, quibus miseriam magis accumulet suam. Non secus quam si æger D quispiam salutem vehementer exoptet, sed ob præsentem molestiam refugiat sectionem, adustionemve exhorreat, ac præsenti quadam suavitate pellectus olei fomenta requirat : quanquam morbus ejusmodi sit, ut hac magis levitate fervescat, nec sine adustionis, sectionisve dolore lentescat. Sic miser homo, sic vel deceptus, dum putat esse felicitatem, quæ non est, vel præsentium suavitate illectus, quæ falsa est, et se ipsum miseriæ addicit, et beatitudinis appetitum non amittit; ac proinde infelici circuitu laborans, nunquam quiescit. Enim vero cum animæ rationali solus sit superior Deus, par angelus, cætera omnia judicentur inferiora, quid dementiæ tam vicinum, quam relicto superiore, in his, quibus ipsa sit melior, requiem aucupari? Quod, ut mea fert opinio, nequaquam ageret, nisi hinc eam falsa quædam imago felicitatis deluderet, hinc veræ miseriæ similitudo terreret. Nam pauperiem, famem, sitim, et talia sustinere, miseria judicatur; quibus tamen plerumque vera miseria præcavetur, æterna beatitudo conquiritur. *Beati*, enim, *pauperes*, ait Jesus, *quoniam vestrum est regnum cœlorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini* (*Matth.* v; *Luc.* VI). Pauperies ergo æternis divitiis muneratur, luctus æterna jucunditate mutatur, esurienti satietas æterna servatur. Hæc enim omnia, divitias scilicet, jucunditatem, satietatem, beatitudini non deesse, nemo qui dubitet. Verum, quia reprobum quemque in qualiscunque voluntatis suæ affectu, species quædam jucunditatis eludit, et in desideriorum expletione delectatio falsa dissolvit; ignorans miser, quanta sit electis et in pressuris consolatio, et in spe congratulatio, perhorrescit quidem eam, quæ in facie paret, infelicitatis effigiem; sed sub felicitatis colore veram excipit infelicitatem, falsam jucunditatem, quæ verum dolorem non effugit, ei miseriæ præferens, cui vera beatitudo succedit.

Cap. V. (*Speculi* lib. I, cap. 23 et 26.) *Quod requies, quam rationalis creatura naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in voluptate, neque in divitiis quærenda sit.*

C O mirabilis creatura, solo Creatore inferior, quo te dejicis? mundum amas? sed ipsa es mundo superior. Solem miraris? sed ipsa es sole lucidior. De cœli hujus volubilis situ philosopharis? sed tu cœlo sublimior. Secretas creaturarum causas rimaris? sed te nulla natura secretior. Dubitas cum te de his omnibus judices, de te autem nihil horum? sed si velis judicare, noli tamen amare. Sed nec ipsum judicare ama. Ipsum ama, qui his omnibus te præposuit, non submisit. Præposuit, non ut his tu beatior; sed ut esset, quo tu e ses superior : subjiciens ti i omnia ad cumulum honoris, se tibi servans ad fructum beatitudinis. Quid ergo sequeris fugitivas pulchritudines; cum tua ipsius pulchritudo nec senectute marcescat, nec paupertate sordescat, nec palleat ægritudine, nec ipsa saltem morte depereat? Quæris, ut voluntati tuæ nihil desit, et sic requiescas; hoc ergo quære. Ubi, inquis? noli in salute corporis, noli in voluptate carnis, noli in potentia, noli in divitiis. Quid enim perversius, quam rationalis mentis bonum in ventris ingluvie collocare, ac id quod præcellit in homine, vilissimæ cuidam carnis suæ portioni substernere : maxime cum se in his a stolidissimis bellu's nihil videat posse differre? Denique et fames cruciatum, et satietas fastidium parit. Nam etsi voluptati satisfaciat, necessitatis metas excedat necesse est; si autem naturæ modum excesserit, dolorem corporis vitare impossibile est. Porro libidinum sordibus oblectari, ac instar immundissimæ suis in

Digitized by Google

cœno turpitudinis volutari, sicut nihil turpius, nihil fœdius, nihil magis erubescendum, nihil tam confusione dignum : ita profecto nihil magis inquietum, nihil ita omni quiete ac tranquillitate vacuum. Nam de ejus fœditate quid dicendum ? cum hæc sordissima lues et carnem contaminet, et mentem effeminet, ac quidquid in animo honestum, quidquid decorum, quidquid denique virile est, obruat pariter et evertat ? Et quidem cum cætera vitia plerumque se quibusdam virtutum tegumentis oppalient, ac proinde non modo ad humanos non erubescant, imo et intumescant aspectus ; hæc sola in prima fronte tantum sui præfert horrorem, ut ea maxime hora, qua etiam carnem perstringit ac sibi vindicat, oculos vehementer refugiat. Quid ergo his agendum, qui Virginis Filium, ac virginitatis colunt auctorem ? Cavendum est profecto, ne cuiquam id eveniat, quod de quibusdam ait propheta : *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel* I). Quibus verbis proprie satis finem, modumque hujus spurcissimæ passionis expressit : eum, quem luxuriæ Charybdis absorbuit, carnis suæ colluvione, quin proprii stercoris egestione asserens esse corruptum ; ut eum non modo exstinctum æstimes, vel absorptum, sed instar sepulti cadaveris, immundissimi pruritus sanie profluente, putrescentem sentias et fetentem. Necesse est ergo mentem cui nequam hic spiritus insederit, quibusdam furiis agitari, et ignitis luxuriæ stimulis impetitam, ad quæque flagitia ebriam et vagabundam, solum freno totius honestatis, impelli : restinctoque semel conceptæ passionis incendio, in aliud nihilominus æstu vehementiore succendi.

Cap. VI. (*Speculi* lib. I, cap. 27.) *De suavi jugo charitatis.*

Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* XI). Jugum istud fraterna dilectio est. Jugum istud non premit, sed unit : onus istud pennas habet, non pondus. Prorsus qui de hujus asperitate causantur, jugum cupiditatis nondum radicitus abjecerunt. Forsitan enim sub habitu religionis ventrem colunt ; sub tunica pœnitentium, ad mundiales glorias et honores anhelant ; sub agnino vellere, lupinum gerentes animum inexplebili avaritia æstuant. Unde nimirum continuis curis eviscerantur, inflammantur odiis, anxiis cogitationibus dissipantur ; quia jugum utique mundi asperum est, et onus mundi grave est. Porro jugum Domini suave est, et onus Domini leve est.

Cap. VII. (*Speculi* lib. I, cap. 31.) *Quanta sit in charitate perfectio.*

Quid enim suavius, quid gloriosius, quam mundi contemptu, mundo se cernere celsiorem, ac in bonæ conscientiæ vertice consistentem, totum mundum habere sub pedibus : nihil videre quod appetat, nullum quem metuat, nullum cui invideat ; nihil quod possit ab alio auferri, suum esse ; nihil, quod ab alio sibi possit inferri, malum esse : dumque in illam hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcessibilem, conservatam in cœlis, dirigit mentis obtutum, sæculares divitias quasi corruptibiles, carnales illecebras quasi contaminatas, omnes mundi pompas quasi marcescibiles, quadam mentis nobilitate contemnere, et in illud propheticum exsultare : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni. Exsiccatum est fenum, et cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum ?* (*Isa.* XL.) Quid rogo dulcius quidve tranquillius, quam turbidis carnis motibus non agitari, carnalium incentivorum incendiis non aduri, ad nullum illecebrosum moveri aspectum ; sed tepescentem rore pudicitiæ carnem spiritui habere substratam, non jam ad carnales voluptates illectricem, sed ad spiritualia exercitia obedientissimam adjutricem ? Quid tandem divinæ tranquillitati tam proximum, quam illatis contumeliis non moveri, nullo supplicio, nullave persecutione terreri, unam mentis et in prosperis, et in adversis habere constantiam, inimicum et amicum eodem oculo intueri, ad ejus se similitudinem conformare, *qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos ?* (*Matth.* V.) Hæc simul omnia in charitate, et non nisi in charitate simul omnia : ac proinde in illa vera tranquillitas, vera suavitas ; quia ipsa est jugum Domini, quam si Domino invitante tulerimus, inveniemus requiem animabus nostris, quia jugum Domini suave est, et onus leve. Proinde cæteræ virtutes sunt nobis aut quasi fesso vehiculum, aut quasi viatori viaticum, aut quasi lucerna caligantibus, aut quasi arma pugnantibus ; at charitas, quæ, licet ut aliæ virtutes sint, sit oportet in omnibus, specialius tamen ipsa est requies fatigato, et viatori mansio et plena lux pervenienti, et perfecta corona viatori. Quid enim est fides, nisi vehiculum nostrum, quo ad patriam vehimur ; quid spes, nisi viaticum nostrum, quo in hujus vitæ miseriis sustentamur ; quid quatuor illæ virtutes, temperantia, prudentia, fortitudo, justitia, nisi arma sunt nostra, quibus pugnamus ? At ubi charitate, quæ non nisi in Dei visione perficitur, illis duntaxat quibus hic in fide inchoatur, mens fuerit plenius absorpta : nec fides erit, quia qui cernitur et amatur, non est opus ut credatur ; nec spes erit, quia brachiis charitatis Deum amplecteuti nihil restat quod speretur. Verum temperantia pugnat contra libidines, prudentia contra errores, fortitudo contra adversitates, justitia contra inæqualitates : sed in charitate illa perfecta castitas, ideoque nulla libido, contra quam pugnet temperantia ; in charitate perfecta scientia, ideoque nullus error, contra quem pugnet prudentia ; in charitate vera beatitudo, ideo nulla adversitas, quam fortitudo devincat ; in charitate pacata sunt omnia, ideo nulla inæqualitas, contra quam justitia vigilet. Agit itaque modo vera temperantia, ne illecta ; vera prudentia, ne decepta ; vera fortitudo, ne oppressa mens rationalis normam charitatis exce-

Digitized by Google

dat. Porro si subtilius advertas, quid est temperantia, nisi amor, quem nulla voluptas illicit? Quid est prudentia, nisi amor, quem nullus error seducit? Quid fortitudo, nisi amor fortiter adversa sustinens? Quid justitia, nisi amor, æquo quodam moderamine inæqualitates hujus vitæ componens? In fide ergo charitas inchoatur, in cæteris virtutibus exercetur, in seipsa perficitur. Verum ut sui sectatores in regnum suæ tranquillitatis charitas perfecta transtulerit, cunctis jam carnis illecebris cum ipsa carnis mortalitate consumptis, cunctis errorum tenebris divinæ lucis contemplatione decussis, certaque securitate mundi hujus succedente molestiis; depositis, ut ita dixerim, quibus hoc belli tempore utitur armis, sola sui suavitate reficiet ipsa victores. Ita enim tunc cæteræ virtutes in charitatis plenitudinem sese refundent, ut in illa felicitate, nihil aliud temperantia, prudentia, fortitudove putetur, quam charitas : tam casta, ut nullis tentetur illecebris; tam lucida, ut nullis interpoletur erroribus; tam valida, ut nullis omnino appetatur adversis.

Cap. VIII. (*Speculi* lib. I, cap. 32.) *Quod opera sex dierum cæteris apteutur virtutibus, septimæ vero diei requies charitati assignetur.*

Est ergo fides nobis quasi primus dies, quo fideles ab infidelibus, quasi lux a tenebris, separamur. Sit spes secundus, per quam in cœlestibus habitantes, et pro fidei meritis sola super cœlestia sperantes, ab his, qui terram sapientes, et a Deo sola terrena flagitantes, sub cœli firmamento, aquarum instar dilabuntur et fluitant, Deo promovente, discernimur. Temperantia nobis quasi dies tertius illucescat, in quo membra nostra, quæ sunt super terram, mortificantibus, ac carnales concupiscentias, quasi aquas amarissimas, necessariis terminis coercentibus, appareat terra cordis nostri arida et inaquosa, sitiens Dominum Deum suum. Jam vero prudentia quasi diei quarti lumen erumpat, per quam inter facienda et non facienda, quasi inter diem et noctem dividamur; cujus adminiculo lumen sapientiæ, velut solis splendor effulgeat; lux scientiæ spiritalis, quæ in aliquibus nobis crescit, in aliquibus deficit, quasi lunæ decus appareat; per quam etiam præcedentium patrum exempla, quasi stellarum globos, mens devota suspiciat; per quam inter dies et annos, menses et horas dividat; quid distet videlicet inter eos, qui ante legem, et sub lege; quid inter hos et illos qui sub gratia, quid singulis conveniat; quæ præcepta, quæ tempora, qui mores, quæ sacramenta, æqua examinatione discernat. Sit nobis fortitudo quasi dies quintus, per quam hujus maris magni et spatiosi, sæculi videlicet hujus procellas toleremus : ac pisces spiritales, Deo operante, effecti, vitam nostram inter undas tempestatesque servemus; ac mentis nostræ desideria, simul et affectus, quasi volatilia pennata, ad cœlestia erigentes, et ea, quæ sursum sunt sapientes, multiplices bonorum operum fructus, Deo benedicente, reddamus. Porro diem sextum nobis justitia dictet, per quam divinam similitudinem reinduti atrocissimis vitiorum bestiis terrenisque desideriis, quasi reptilibus; corporisque motibus, quasi jumentis, generosa auctoritate imperemus; agentes ut corpus menti, mens Deo subdatur, sicque, justitia dictante, cuique quod suum est, tribuatur. Restat septimus dies, id est Sabbatum, in quo omnia ista opera consummantur, in quo requies vera suscipitur, in quo labori nostro terminus ac finis indicitur. Ipsa est charitas virtutum omnium consummatio, sanctarum animarum suavis refectio, honesta morum compositio. Ipsa radix, ex qua omnia bona opera, ut bona sint, oriuntur; in qua omnia bona opera perficiuntur. Ipsa septimus dies divina nos gratia reficit; ipsa septimus mensis, in quo post tentationum diluvium, arca cordis suaviter requiescit. Huic servit temperantia, prudentia vigilat, militat fortitudo, justitia famulatur.

Cap. IX. (*Speculi* lib. III, cap. 1.) *De distinctione trium Sabbatorum.*

Legimus in Veteri Testamento quasdam Sabbatorum distinctiones. Habes nempe in lege tria tempora Sabbati requie consecrata; septimum videlicet diem, septimum annum, et post septies septem quinquagesimum annum. Primum ergo Sabbatum dierum, secundum annorum, tertium non immerito dicitur Sabbatum sabbatorum. Constat namque ex septem annorum Sabbatis, addito uno; ut septenarius numerus in unitate concludatur, qui et ab unitate progreditur, et in unitate perficitur. Nam et omne opus bonum ab unius Dei fidei inchoatur, quod septenario Spiritus sancti munere promovetur, ut ad ipsum, qui vere unus est, veniatur; ubi totum quod sumus, unum cum ipso efficiatur. Habemus interim Sabbatum dierum, Sabbatum annorum, et in quodam prægustu Sabbatum sabbatorum.

Cap. X. (*Speculi* lib. III, cap. 2.) *Quod in dilectione triplici, istorum Sabbatorum sit quærenda distinctio.*

In lege sic scriptum est : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omni mente tua : et proximum tuum tanquam teipsum: In his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII). Necesse est ergo, ut in his duobus præceptis, has Sabbatorum quæramus distinctiones, nam et ipsæ ex lege sunt. Porro hæc duo præcepta, si diligenter inspicias, tria quædam invenis diligenda, te videlicet, proximum et Deum. Ubi enim dicitur : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* manifestum est, quia debes diligere et te ipsum. Hoc tamen non est præceptum, quia naturæ est insitum. *Nemo enim unquam*, teste Apostolo, *carnem suam odio habuit* (*Ephes.* IX), et si non carnem, multo minus utique mentem, quam quilibet, etiam nesciens, magis diligit quam carnem. Nemo est enim qui non malit infirmus carne, quam insanus vivere mente. Sit ergo homini dilectio sui Sabbatum primum; dilectio proximi, sit secundum;

Digitized by Google

Dei autem dilectio, Sabbatum sabbatorum. Est autem, ut superius diximus, Sabbatum spiritale requies animi, pax cordis, tranquillitas mentis. Et hoc Sabbatum nonnunquam in propria dilectione sentitur; aliquando ex dulcedine fraternæ dilectionis hauritur; in divina dilectione absque ulla ambiguitate perficitur. Hoc sane providendum, ut homo, sicut oportet, diligat semetipsum, proximum vero tanquam se ipsum, Deum supra se ipsum; quia nec se, nec proximum, nisi propter ipsum. Porro Deum non amare convincitur, a quo proximus non amatur. *Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* (*I Joan.* IV.) Præcedit ergo quodammodo dilectionem Dei dilectio proximi; dilectionem vero proximi dilectio sui. Præcedit, inquam, ordine, non dignitate. Præcedit, sed illam perfectam; de qua dictum est. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua.* Nam profecto quædam hujus dilectionis portio, etsi non plenitudo, et sui, et proximi dilectionem præcedat necesse est: sine qua mortua illa utraque est, ac proinde nulla est. Videtur enim mihi Dei dilectionem, quasi aliarum dilectionum animam esse, quæ et in se ipsa plenissime vivit, et aliis sui essentiam vitalem impertit, absenti mortem inducit. Ut ergo homo se diligat, in ipso Dei dilectio inchoatur; ut diligat proximum, capacieri quodammodo sinu concipitur, ubi divinus ille ignis paululum coalescens, cæteras tandem, quasi scintillulas quasdam, in sui plenitudinem miro modo absorbeat: totam animi dilectionem ad illud sublime, et ineffabile bonum abducens, ubi nec ipse a se, nec proximus diligatur, nisi in quantum uterque deficiens a se, totus transfertur in Deum. Interim tres hi amores et ab invicem concipiuntur, et ab invicem nutriuntur, et ab invicem accenduntur, porro simul omnes perficiuntur. Agitur autem miro et ineffabili modo, ut quanquam hi tres amores omnes simul habeantur, neque enim aliter potest, non tamen semper æque sentiantur; sed nunc requies illa, illa jucunditas in propriæ conscientiæ puritate sentiatur: nunc ex fraternæ dilectionis dulcedine mutuetur, nunc in Dei contemplatione plenius acquiratur. Sicut enim rex aliquis diversas aromatum possidens apothecas, nunc hanc, nunc illam ingreditur, nunc hujus, nunc illius speciei odore perfunditur: ita mens, cellaria quædam spiritualibus referta deliciis, intra suæ conscientiæ septa retentans, nunc hoc nunc illud inambulat, ac jucunditatis suæ materiam, pro divitiarum diversitate, diverso modo compensat.

Cap. XI. (*Speculi* lib. III, cap. 3.) *Quomodo Sabbatum spirituale in sui dilectione sentiatur.*

Cum enim homo ab exteriori tumultu intra secretarium mentis sese receperit, nihilque occurrerit inquietum, nihil inordinatum, nihil quod remordeat, nihil quod oblatret; sed omnia jucunda, omnia concordantia, omnia pacifica, omnia tranquilla, et instar ordinatissimæ ac pacatissimæ cujusdam familiæ, omnis cogitationum, sermonum, operumque turba ipsi animo, quasi patrifamilias domus arriserit: oritur hinc subito mira securitas, ex securitate mira jucunditas, ex jucunditate autem jubilus quidam, eo devotius in laudes Dei erumpens, quo perspicacius conspicit, ejus esse muneris, quidquid in se boni recognoscit. Hic est septimi diei jucunda solemnitas, quam necesse est sex dies, id est operum præcedat perfectio, ut primum in bonis operibus desudemus, et sic demum in conscientiæ tranquillitate pausemus. Ex bonis namque operibus puritas conscientiæ nascitur, secundum quam sui dilectio judicatur. Sicut enim is *qui* operatur vel *diligit iniquitatem*, non diligit, sed *odit animam suam* (*Psal.* X); ita profecto qui diligit, et operatur justitiam, non odit, sed diligit animam suam. Hæc est primi illius Sabbati jucunda solemnitas: in qua servilia mundi opera minime exercentur; in qua nec ignis concupiscentiæ turpis accenditur, nec passionum onera comportantur.

Cap. XII. (*Speculi* lib. III, cap. 4.) *Quale Sabbatum ex fraterna dilectione capiatur, et quomodo sex anni, qui præcedunt septimum, charitati coaptentur.*

Porro si ab hoc secretiori cubiculo, in quo primum hoc Sabbatum celebravit, ad illud pectoris sui diversorium sese contulerit, ubi solet *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom.* XII), infirmari cum infirmis, uri cum scandalizatis; senseritque ibi animam suam cum omnium fratrum suorum animabus glutino charitatis uniri, nullis invidiæ stimulis agitari, nullis indignationum æstibus inflammari; non jaculis suspicionum atteri, non edacis tristitiæ morsibus consumi; sicque ad quemdam tranquillissimum mentis suæ sinum omnes rapiat, ubi dulci quodam affectu omnes amplectatur et foveat, ac secum unum cor et unam animam faciat; ad hujus mox dulcedinis suavissimum gustum, omnis cupiditatum silet tumultus, ac vitiorum strepitus conquiescit; et fit ibi intus ab omnibus noxiis absoluta vacatio, et in fraternæ dilectionis dulcedine grata, et jucunda pausatio. Hujus Sabbati requie ac dulcedine, propheta David in sonum gratulabundæ solemnitatis erupit dicens: *Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum!* (*Psal.* CXXXII.) Vere bonum, vere jucundum. Bonum plane, quia nihil utilius; jucundum, quia nihil sapidius. Quod si ex sex illis annis, qui Sabbatum hoc spirituale præcedunt, aliquid mysticum velis exculpere, scito sex esse genera hominum, in quorum dilectione necesse est animus exerceatur. Primo ergo dilectio nostra, naturali ordine, ad domesticos sanguinis nostri derivatur. Quæ dilectio, ut habeatur, quia ipsi naturæ est insitum, si non habeatur, nimis est inhumanum. Unde Apostolus: *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior* (*I Tim.* V). Hæc autem dilectio, quoniam ab ipsa natura

Digitized by Google

proficiscitur, in præceptis, quæ ad dilectionem pertinent proximi, primo loco sancitur; ita Deo protestante : *Honora patrem tuum et matrem* (*Exod.* xx). Hinc ad eos, qui nobis specialis amicitiæ fœdere, vel officii vicissitudine copulantur, dilectio nostra progreditur, et quodammodo sinu ampliore laxatur. Sane utraque hæc dilectio, quanquam parum præmii servata conquirat, quippe cum ad illam lex naturalis impellat, ad istam gratia impertita nos provocet, neglecta tamen cumulum damnationis importat. De his Dominus in Evangelio : *Si diligitis*, inquit, *eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et ethnici hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis?* (*Matth.* v.) Ut ergo in aliquid amplum dilectio nostra tendatur, amplectatur et eos, qui nobiscum eidem jugo professionis subduntur. Hæc plane dilectio præmio non fraudabitur, quia Deus causa est, cur exhibetur. Restant adhuc duo hominum genera, eorum qui foris sunt, gentilium videlicet et Judæorum, hæreticorumque vel schismaticorum; quorum necesse est ut ignorantiam doleamus, compatiamur infirmitati, malitiam defleamus, ac pio affectu solatium illis nostræ orationis impertiamur, ut et ipsi inveniantur nobiscum in Christo Jesu Domino nostro. Inde ad illud transeundum est, in quo homo fraternæ charitatis summa consistit, in quo homo Dei Filius efficitur, in quo divinæ bonitatis similitudo plenius reparatur, sicut ait Salvator in Evangelio: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est* (*ibid.*). Exinde quid supererit, nisi annus septimus, in quo debitores repetere non permittimur, in quo servus libertate donatur? Qui enim novit etiam inimicos simplici oculo intueri, ille est qui veraciter dicere potest : *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus* (*Matth.* vi). *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* v), cui deplorandæ servituti tandiu quisque addicitur, donec ipse dimittens et diligens, dimittatur et diligatur; et de servo non modo liber, sed etiam amicus efficiatur.

Cap. XIII. (*Speculi* lib. III, cap. 6.) *Quomodo perfectum Sabbatum in Dei dilectione reperiatur, et quomodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur.*

Verum hac gemina dilectione purgata mens, tanto devotius, quanto securius ad ipsius Divinitatis felices gestit amplexus; ita ut nimio desiderio succensa velamen carnis excedat, jamque ab illo ineffabili lumine, ab illa inusitata dulcedine penitus absorbeatur; factoque silentio ab omnibus corporalibus, ab omnibus sensibilibus, ab omnibus mutabilibus, in id quod est, et sic semper est, et ad ipsum est, in illum unum perspicacem figat intuitum, vacans et videns quoniam Dominus ipse est Deus; et inter charitatis illius suaves amplexus sabbatizans sine dubio Sabbatum sabbatorum. Hic annus jubilæus, in quo ad suam possessionem revertitur, ipsum videlicet auctorem suum; ut nimirum possideatur et possideat, habeatur et habeat, teneatur et teneat. Ipsa est possessio, quæ distracta vili peccati pretio, amore hominis defluente ab eo, a quo factus est, et inhærente rei, quæ facta est. Huic Sabbato non immerito quinquagenarius numerus dedicatur : in quo servilis timor expellitur, carnis non solum concupiscentia, sed et memoria consopitur, spiritus plenitudo concipitur. *Ante*, inquit, id est ante Pentecosten, *Spiritus non erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* (*Joan.* VII) : non omnino non datus, sed non tanta plenitudine, non tanta perfectione. Datur profecto in Sabbato primo, datur et in secundo; sed in Sabbato sabbatorum ejus infunditur plenitudo. Verum quia charitas diffunditur in cordibus (*Rom.* v), non alias, nisi per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ubique septenarius numerus custoditur; sed in ipsius septenarii multiplicatione profectus ipsius charitatis dignoscitur. Nam septimus dies quasi charitatis est inchoatio, septimus annus promotio, quinquagesimus annus, qui est post septies septem, ejus est plenitudo. In singulis requies, in singulis vacatio, in singulis spiritualis quædam sabbatizatio. Primo requies in puritate conscientiæ, deinde in multarum mentium dulcissima conjunctione, postremo in ipsius Dei contemplatione. In primo Sabbato vacatur a crimine, in secundo a cupiditate, in tertio ab omni prorsus distensione. In primo mens colligitur ad se, in secundo extenditur extra se, in tertio rapitur supra se. In primo gustat quam dulcis est Jesus in humanitate, in secundo videt quam perfectus in charitate, in tertio, quam sublimis in deitate.

Cap. XIV. (*Speculi* lib. III, cap. 5.) *Quomodo utraque dilectio, sui videlicet et proximi, Dei dilectione servetur.*

Quoniam, ut superius diximus, utrumque amorem, quo vel nobis ipsis contulimus, vel quo proximis unimur, quadam divini amoris portione necesse est animari, sciendum quod ad hanc geminam dilectionem Dei nos dilectio movet, et promovet; secundum id quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Si quidem in hac gemina dilectione acquiritur innocentia, quæ in duobus est. Innocens quippe est, qui nec sibi, nec alteri nocet. Sibi autem nocet, qui semetipsum vitii alicujus, aut turpitudinis labe corrumpit. Ad quam corruptionem, quia maxime voluptas ac delectatio carnis impellitur, sic eam facile quilibet respuit vel evitat; si ergo carnem nostri Salvatoris pium indutus affectum, gaudet spiritualibus oculis intueri Dominum majestatis usque ad præsepis inclinatum angustias, virgineis inhiare uberibus, maternis amplexibus stringi, tremuli senis, sancti videlicet Simeonis felicibus labiis osculari (*Luc.* II). Qui mentis suæ obtutibus imaginari dulce habet, quam mitis aspectu, quam dul-

Digitized by Google

eis affatu, quam peccatoribus compatiens, quam infimis et miseris condescendens. Quis est cui ad hoc dulce spectaculum, omnis fetentis carnis delectatio non sordescat? Inde suaves quædam lacrymæ facile oriuntur, quibus omnis concupiscentiarum æstus exstinguitur, tepescit caro, gulæ veracitas temperatur, omnis vanitatum titillatio sedatur. Porro ad inimicorum dilectionem, in qua fraternæ charitatis consistit perfectio, nihil nos ita animat, ut illius miræ patientiæ grata consideratio, qua ille *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV), venustam faciem suam impiis præbuit conspuendam; qua oculos illos, quorum nutu reguntur, omnia velamini subdidit iniquorum; qua latera illa sua flagellis exposuit; qua caput tremendum principibus et potestatibus, spinarum asperitati submisit; qua semetipsum opprobriis ac contumeliis addixit; qua crucem, clavos, lanceam, fel, acetum, patienter sustinuit, in omnibus lenis, mitis, tranquillus. Denique tanquam *ovis ad occisionem* ductus est, *et quasi agnus coram tondente se* obmutuit, *et non* aperuit *os suum* (*Isai.* LIII). Considera, o humana superbia, o superba impatientia, quis sustinuit, quare sustinuit, quomodo sustinuit. Cogitentur, rogo, hæc non scribantur. Quis est, cujus ad hunc mirabilem intuitum, statim ira non deferveat? quis illam audiens mirabilem vocem, plenam dulcedinis, plenam charitatis, plenam tranquillitatis: *Pater ignosce illis*: non statim omni affectu suos amplectitur inimicos? *Pater*, inquit, *ignosce illis*. Quid lenitatis, quid charitatis huic addi potuit orationi? Addidit tamen. Parum fuit orare, voluit et excusare: *Pater*, inquit, *ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt* (*Luc* XXIII). Putant legis prævaricatorem, putant divinitatis præsumptorem, putant populi seductorem. Abscondi ab eis faciem meam, non agnoverunt majestatem meam. Ideo *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Igitur ut homo se diligat, nulla se carnis delectatione corrumpat; ut vero carnali concupiscentiæ non succumbat, omnem affectum suum ad suavitatem Dominicæ carnis extendat. Porro ut perfectius ac suavius in fraternæ charitatis delectatione quiescat, etiam inimicos brachiis veri amoris astringat. Sed ne divinus hic ignis injuriarum flatu tepescat, Domini ac Salvatoris sui tranquillam patientiam, oculis mentis semper aspiciat.

CAP. XV. *In quibus amorem Dei constare credendum sit.*

Deus in Evangelio ait: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me* (*Joan.* XIV). Non enim secundum momentaneos affectus Dei æstimandus est amor; sed potius secundum continuam ipsius voluntatis humanæ qualitatem. Suam enim voluntatem Deo voluntati conjungere; ut quælibet voluntas divina præscribat, his voluntas humana consentiat; ut nulla sit alia causa, cur hoc aut illud velit, nisi quia hoc Deum velle, cognoscit, hoc utique Deum amare est. Nam ipsa voluntas nihil est aliud quam amor; nec aliud dicendæ sunt bonæ aut malæ voluntates, quam boni vel mali amores. Sane hæc voluntas secundum duo quæ[illegible]am judicanda est, passionem videlicet et actionem; si videlicet ea, quæ Deus intulerit, vel inferri permiserit, patienter sustineat; et ea quæ jusserit ferventer adimpleat. Cæterum, ut ait beatus Gregorius (hom. 30 *in Evang.*), nemo credat quidquid sibi mens sine operibus de Dei amore respondeat. Cujuscunque ergo voluntas Dei voluntati concordat, eaque quæ Deus intulerit, sustinet patienter, et ea quæ jusserit exsequitur ferventer, qui quantumcunque potest insistit ut Deum habeat, mandatis videlicet illius obtemperando, sobrie, et juste, et pie vivendo (*Tit.* II), Deum diligere sine omni cunctatione dicendus est. Ejus enim est sententia, qui non mentitur: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me*. Habet siquidem amor iste inchoationem suam, profectum suum, perfectionem suam. Interest sane, quantum fuerit quis in hac dilectione affectuosus, discretus, fortis. Affectuosus ut dulciter; discretus, ut prudenter; fortis, ut diligat perseveranter. Affectuosus, ut quod elegit, in desiderio sapiat; discretus, ne in actu modum excedat; fortis, ne inde aliqua eum tentatio avertat. Affectus prodest contra perversas dulcedines, discretio contra deceptiones, fortitudo contra persecutiones. Si quis autem in his tribus noscitur esse perfectus, non solum feliciter, sed et suaviter amat. Sane si non poterit affectuosus, sit tamen discretus, et fortis; et si non ad præsentem suavitatem, non minus tamen ad futuram proficiet felicitatem.

CAP. XVI. (*Speculi* lib. III, cap. 8 et 9.) *In quibus constet amor rectus, sive perversus.*

Constat autem amor iste in tribus, in electione, in motu, in fructu. Est autem electio ex ratione, motus in desiderio et actu, fructus in fine. Habet nempe amor semper comitem rationem, non qua semper rationabiliter amet, sed qua ea, quæ eligit, ab his quæ reprobat, vivaci circumspectione discernat. Denique rationis est, inter Creatorem et creaturam, inter temporalia et æterna, inter amara et dulcia, inter aspera et delectabilia discernere; amoris autem, quod voluerit ad fruendum eligere. Nam si experientia cujuslibet delectationis illecta, vel certe quolibet errore decepta mens, ea, quibus minime fruendum est, eligat ad fruendum, profecto infeliciter amat. Frui autem dicimus, cum delectatione ac gaudio uti. Ipsam sane electionem statim sequitur vel etiam comitatur ipsius amoris motus occultus, excitans quodammodo et movens animum in illius rei desiderium, quam eligendam putavit; at si eam rem, quam ad fruendum elegerit, electam desideraverit, pro voto adeptus fuerit, in illius mox usu cum gaudio ac delectatione quiescit, quem usum fructum vocamus.

Digitized by Google

In his igitur tribus charitas, sive cupiditas constare videtur; in animi scilicet electione, in motu, in fructu. Sed electio, amoris sive boni, sive mali est inchoatio; motus amoris ipsius cursus; fructus amoris ipsius est finis. Si itaque mens ad fruendum eligat quod oportet, si ad id sic moveatur ut debet, vel eo fruatur ut decet: et tam salubris electio, et tam competens motus, et tam utilis fructus, non immerito charitatis censeri vocabulo judicatur. Sed in hac electione charitas inchoatur, motu extenditur, in fructu vero perficitur. At si animus eligat insipienter, per desiderium moveatur indecenter, turpiter abutatur; his quasi gradibus cupiditatem consummari facile adverti potest. Ili sunt duo fontes, bonorum scilicet et malorum origines, quando quidem *radix omnium malorum est cupiditas* (*I Tim.* VI), et radix omnium bonorum charitas. Hoc sane dicendum, quia non omne quod in usum nostrum eligimus, diligere dicendi suum, sed solum id quod ad fruendum eligimus. Deus igitur nobis præ omnibus eligendus est, ut eo fruamur, quod est amoris inchoatio; ipse præ omnibus desiderandus, quod est ipsius amoris quasi cursus quidam, atque promotio; in cujus adeptione, quia perfecti boni perfecta erit dilectio, perfecta erit et beatitudo. Pater igitur duo nobis eligenda ad diligendum, Deum scilicet et proximum quanquam dissimiliter. Nam Deus diligendus ut eo fruamur in se ipso, et propter se ipsum proximus, ut ipso fruamur in Deo, imo et Deo fruamur in illo. Nam, licet verbum hoc frui districtius soleat accipi, ut videlicet nulla re alia, sed solo Deo fruendum esse dicatur, ad hominem tamen loquens Paulus: *Ita, frater*, inquit, *ego te fruar in Domino* (*Phil.* v. 20). Cum igitur hæc duo ratio eligenda perspexerit, et cæteris omnibus horum contemplatione contemptis, mentis consensus elegerit, inchoata est profecto Dei proximique dilectio, quia in quod debet, fit ipsius amoris conversio.

Cap. XVII. (*Speculi* lib. III, cap. 10.) *Quod ad actum et desiderium amor noster moveatur, et quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moveatur.*

Fit autem motus amoris ad duo, vel interius ad desiderium, vel exterius ad actum: ad desiderium, cum ad id quo fruendum judicaverit animus, se motu quodam interno et appetitu extendit; ad actum, cum mentem ad id etiam exterius agendum, amoris ipsius vis quædam occulta compellit. Proinde investigandum arbitror, quænam sint illa, quibus quasi incentivis amor ipse ad hæc duo excitetur ac moveatur: quæque ei cursum suum ordinent quodam modo, atque præscribant. Deinde quid eorum sequi debeat, vel quantum sequi debeat; quid respuere, quid admittere, quid minuere, quid augere oporteat, ut ipse motus competens sit, subtilius inquirendum. Sunt autem duo, ut mihi videtur, quibus animus duo illa, quæ præmisimus, movetur ac excitatur, id est affectus et ratio. Aliquando enim affectu tantum, aliquando tantum ratione amor noster vel exterius ad actum, vel in occultum succenditur appetitum. Ut igitur de omnibus motibus, quibus amor noster multipliciter variatur, quis maxime sequendus sit, videamus, primo de bifaria motus ipsius origine, id est de affectu et ratione breviter exsequamur.

Cap. XVIII. (*Speculi* lib. III, cap. 11.) *Quid sit affectus, et quot sint affectus declaratur; quod spiritualis affectus dupliciter acciviatur, ostenditur.*

Est igitur affectus spontanea quædam ac dulcis ipsius animi ad aliquem inclinatio. Affectus autem aut spiritualis est, aut rationalis, aut irrationalis, aut officialis, aut naturalis, vel certe carnalis. Spiritalis affectus dupliciter potest intelligi. Nam spirituali quidem affectu animus excitatur, cum occulta et quasi improvisa Spiritus sancti visitatione in divinæ dilectionis dulcedinem, vel fraternæ charitatis suavitatem mens compuncta resolvitur. Item spiritualis affectus dici potest, qui ex diaboli immissione generatur. Hoc affectu Amnon filius David in propriæ sororis exarsit amplexus. Hoc quoque affectu ad quam turpia constat illectos, de quibus propheta: *Spiritus*, inquit, *fornicationis decepit eos* (*Ose.* IV). Gemino enim tormento sanctorum pudicitiam immundissimus hostis insequitur: nunc carnem intolerabili flamma succendens, nunc mentem perniciosæ dulcedinis affectu dissolvens.

Cap. XIX. (*Speculi* lib. III, cap. 12.) *De affectu rationali et irrationali.*

Rationalis affectus est, qui ex consideratione alienæ virtutis oboritur, videlicet cum oculis nostris cujuslibet virtus vel sanctitas explorata, vel fama divulgante, vel certa lectione comperta, mentem nostram quadam dulcedinis suavitate perfundit. Hic est affectus, qui nos audita triumphali martyrum passione suavissima devotione compungit, ac memorabiles præcedentium actus quasi sub oculis delectabili meditatione depingit. Huic affectui contrarius est irrationalis, quo quilibet erga aliquem, comperto ejus vitio, quadam mentis inclinatione movetur. Multi enim vel ob vanissimam philosophiam, vel ob stultissimam in negotio militari audaciam, vel ob quamlibet nequitiam, aliquorum sibi illiciunt et inclinant affectum.

Cap. XX. (*Speculi* lib. III, cap. 13.) *De affectu officiali.*

Officialem affectum dicimus, qui munerum vel obsequiorum gratia parturitur. Multi enim vel utilitate munerum impensorum, vel obsequiorum exhibitione, quorumdam sibi animos concilfarunt.

Cap. XXI. (*Speculi* lib. III, cap. 14.) *De affectu naturali.*

Naturalis affectus inest cuilibet ad carnem suam,

Digitized by Google

matri ad filium, homini ad domesticum seminis sui. *Nemo enim carnem suam odio habuit* (*Ephes.* v), et : *Non potest mater oblivisci infantis sui* (*Isa.* XLIX), et : *Qui domesticorum suorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (*I Tim.* v).

CAP. XXII. (*Speculi* lib. III, cap. 15.) *De affectu carnali dupliciter accipiendo.*

Carnalis affectus duplex est. Plerumque enim non quidem virtus aut vitium, sed quædam exterioris hominis habitudo, animum sibi intuentis inclinat. Facile quippe alicujus et forma elegantior, et sermo suavior, et maturus incessus, et venustus aspectus, etiam ignorantis qualis ipse homo sit, provocat et perstringit affectum. Hæc adeo in Moyse puero gratia relucebat, ut contra Pharaonis imperium, *a parentibus tribus mensibus* servaretur, ut ait Apostolus (*Hebr.* XI ; *Exod.* II), *quod vidissent elegantem infantem*. Expositus quoque periculo, formæ elegantia etiam filiæ Pharaonis sibi pietatem illexit, cui adoptatus in filium, magnus effectus est coram universis quoque servis Pharaonis. Porro quem ad noxiam voluptatem in quamlibet speciem suavitas male blanda compungit, carnali motum affectu, nemo sani capitis dubitabit. Hic carnalis affectus ambulantem in solario domus suæ David, ad speciem Bethsabee prævenit incautum, præventum dissolvit, ebruit dissolutum (*II Reg.* XI). Hic affectus sapientiam Salomonis absorbuit (*III Reg.* XI), et carnali libidine dissolutum, in spiritualis fornicationis Larathrum, nefandissima idolorum cultura dejecit.

CAP. XXIII. (*Speculi* lib. III, cap. 16.) *Quid de his affectibus sentiendum sit.*

Hi affectus interim meditanti occurrunt : quos amoris origines quasdam dixerim, sive radices, non amorem. Non enim his affectibus excitari vel pulsari valde laudabile existimamus, si boni sunt; nec exitiabile, si mali. Nam etiam carnali affectu, qui cæteris formidabilior judicatur, aliquando viri optimi ad probationis meritum titillantur. Quocirca non his affectibus moveri, sed his affectibus informari, aut utile judicamus, aut noxium. Quando enim hi affectus movent animum, aut visitatio in bonis est, aut tentatio in malis : quando secundum hos affectus disponitur, plena est ipsius voluntatis consensio. Consensio autem aut occulta est, aut manifesta. Occulta, cum ex consensu desiderii agitatur interius; manifesta, cum ipsum desiderium ad actum prorumpit exterius. Utrum autem secundum hos affectus moveri debeat amor noster, vel quantum moveri debeat, investigare conabimur; si tamen prius de ratione, quam aliam amoris causam diximus, pauca præmiserimus.

CAP. XXIV. (*Speculi* lib. III, cap. 17 et 18.) *Quomodo mens ad Dei proximique dilectionem ratione moveatur.*

Nam animum, quem ad Dei proximique dilectionem nullus movet affectus, plerumque movet ratio, tanto utique sacratius, quanto securius; tanto securius quanto defæcatius; tanto autem defæcatius, quanto rationali amore nihil utilius potest esse vel purius. Suadet ergo ratio primo, ut a rationali creatura Creator ametur, sine quo necesse est eam semper miseram esse : cum quo non potest nisi beatissima semper esse. Huic igitur rationi si mens consenserit, et Dei desiderio sese excitaverit, prosequitur statim ratio negotium suum, necessarium probans, illius præceptis adimplendis graviter insistendum, si adipisci voluerit desideratum. Sic innatum internis visceribus desiderium, ratione compellente, procedit ad actum. Quia vero inter Dei præcepta id maximum invenitur, ut proximus diligatur (*Matth.* XXII), instat ratio, ut ad beneficium proximo impendendum animus moveatur. Omnis autem proximus aut amicus est, aut non inimicus, vel etiam inimicus. Amicus, quia prodest, vel profuit; non inimicus, quia non nocet, nec nocuit; inimicus, quia obest, vel obfuit. Amicus, ex sanguine vel gratia; non inimicus, ex innocentia; inimicus, ex injuria. Igitur ut amico se impendat homo, tria quædam proponit ratio; ut non inimico, duo; ut inimico, unum. Amico debetur beneficium ex natura, ex officio, ex præcepto. Ex natura, quia homo, vel etiam domesticus est; ex officio, quia inimicus est; ex præcepto, quia proximus est. Non inimico vero, ex natura, quia homo est; ex præcepto, quia proximus est. Inimico, tantum ex præcepto, quia ut inimicus diligatur, præceptum Domini est (*Matth.* v). His igitur rationibus cedens animus, si ad beneficium impendendum non solum amico, sed etiam inimico sese paraverit, etsi non sentiat affectum charitatis, tamen meritum non amittet. Distinguendi igitur sunt duo amores isti, alter ex affectu, alter ex ratione. Qua distinctione id quoque solvitur, quod quærunt quidam, quid videlicet distet inter amorem qui in Deo est, et illum qui exhibetur propter Deum. Affectus quippe non propter Deum assumitur, sed in ipsa anima aut naturaliter, aut accidentaliter oritur. Proinde si ei, cui animus quadam spontanea ac dulci inclinatione sese refundit, totus amor secundum ipsum affectum exhibeatur; iste nec in Deo, nec propter Deum, sed potius propter se amatur. Si vero is, quem affectus iste complectitur, in Dei dilectione pariter assumitur, amorque ipse ex affectu sapiat, sed ejus exhibitio ex rationis moderamine pendeat; hujus utique amor non primo propter Deum assumitur, sed in Deo salubriter exercetur. Porro ei, quem affectus iste respuit et evitat, si consideratione divini præcepti nosmetipsos, ut oportet, exhibuerimus, ac quidquid dictaverit ratio, prout indiguerit, impenderimus, iste non propter se, sed tantum propter Deum diligitur. Igitur amicus, qui non potest non diligi, diligatur in Deo; inimicus, qui non propter se potest diligi, diligatur propter Deum; ille ex affectu, iste ex ratione.

Digitized by Google

CAP. XXV. (*Speculi* lib. III, cap. 19.) *Quod affectus non sint in nostro arbitrio positi.*

Dicendum adhuc de his affectibus, quia nequaquam in nostro arbitrio collocantur, cum quibusdam aliquando invitissimi moveamur, nec quosdam etiam si velimus, experiri valeamus. Proinde nequaquam tunc amor ex affectu est, cum mentem affectus moverit, sed cum ipsum motum secundum affectum direxerit. Similiter de motu, qui ex ratione generatur, sentiendum est.

CAP. XXVI. (*Speculi* lib. III, cap. 20.) *Quod tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex utroque.*

Est igitur amor ex affectu, cum affectui animus consenserit; ex ratione, cum se voluntas rationi conjunxerit; potest et tertius amor ex his duobus conflci, cum scilicet hæc tria, ratio, affectus, et voluntas in unum coierint. Primus dulcis, sed periculosus; secundus durus, sed fructuosus; tertius utriusque prærogativa perfectus. Ad primum sensus ex parte dulcedinis illicit, ad secundum ratio manifesta compellit, in tertio ipsa ratio sapit. Differt autem hic ultimus a primo, quia licet illo, et quod amandum est, aliquando ametur; magis tamen propter ipsius affectus dulcedinem amatur. Hoc autem amatur, non quia dulce est, sed quia amore dignum, ideo dulce est.

CAP. XXVII. (*Speculi* lib. III, cap. 21.) *Quid sit amare.*

Igitur ex his omnibus, quæ dicta sunt, in quo tota vis consistat amoris, breviter colligamus. Primo si mens aliquid ad fruendum elegerit, deinde ad id quodam interno desiderio sese extenderit, postremo id agat, quo ad desideratum pervenire valuerit; hic sine dubio amare dicendus est. Hoc autem quanto quisque ferventius, instantiusque peregerit, tanto magis et diligit. Quod si ex affectu id fecerit, dulcius utique diligit, ac proinde facilius agit. Si autem totum hoc, quod alius ex affectu, alter ex sola fecerit ratione : minus quidem dulce diligit, sed non tardius quod desiderat obtinebit.

CAP. XXVIII. (*Speculi* lib. III, cap. 22.) *In dilectione proximi quæ sit habenda discretio.*

Si igitur proximum, ad ipsius fructus societatem, quæ in Deo est, elegerimus, sana est ista electio. Sed hanc electionem si desiderium turpe, aut actus inordinatus subsequitur, tota electionis sanitas maculatur. Porro si ipsa electio perversa fuerit, ut quod non oportet eligat ad fruendum, et illa, quæ ipsam sequuntur electionem, perversa esse constabit; et talis amor perversus erit, cupiditatis, non charitatis censendus vocabulo. Sed quidquid aliud mens ad fruendum, præter Deum in se ipso, proximum autem in Deo, vel illecta, vel decepta elegerit; metas veræ dilectionis excedit. Sit ergo electio sana, desiderium competens, actus rationalis; et sic non excedet limitem charitatis. Sane desiderium ipsum ad duo debet extendi, et actus nihilominus dupliciter exerceri. Debet quippe desiderium ad hoc esse, ut sicut decet, mutuo nobis fruamur in Deo; A et ut Deo invicem fruamur in ipso. Quia homo ex corpore constat et anima, actus utique noster, quantum facultas suppeditat, utrique debet prospicere. In his quanto quisque fervention et prudentior, tanto utique et in charitate perfectior; quanto autem affectuosior, tanto charitas ipsa constat esse suavior. Sicut autem ad hæc aliquando, ut diximus, affectus, aliquando movet ratio; ita utrumque ipsius desiderii modum actusque, pro sui qualitate ordinare contendit. Proinde diligenti consideratione opus est, ut de ipsis affectibus quis sequendus sit, et in quantum sequendus sit, videamus.

CAP. XXIX. (*Speculi* lib. III, cap. 23.) *Qui affectus admittendi non sint, et qui sequendi.*

B Igitur spiritalis affectus qui ex diabolo est, irrationabilis qui pro vitio est, carnalis qui ad vitium : tres isti affectus non solum non sequendi, sed ne admittendi quidem sunt; imo, quantum fieri potest, a cordibus nostris eruendi. Porro spiritalis affectus, qui ex Deo est, non solum admittendus, sed et omnibus modis excitandus est, et augendus. Habet autem hoc affectus iste proprium, ut plerumque modum nesciat, humanas non metiatur vires, corporeas affectiones absorbeat, ac impetu quodam cæco irruens in amatum, solum id meditetur, quod appetit; despiciat quidquid extra est : etiam quod grave, quod arduum, quod impossibile quoque, ac si leve ac vacuum laboris opus aggrediens, molestissimas hominis exterioris injurias, C præ interni amoris delectatione non sentiat. Proinde ut voluntas jugi fervore calescat, ut illatas extrinsecus passiones patienter quis, imo gaudenter sustineat, usque ad ipsius desiderii motum, affectus hujus est impetus perferendus; ad voluntarios vero actus progrediens, ne metas corporeæ possibilitatis excedat, rationis est moderamine coercendus. Neque enim timenda est in interiori sanctitate nimietas, exterior autem virtutum exercitatio, de qua dictum est : *Noli esse nimis justus* (*Eccle.* VII), rationis est moderamine temperanda. Semper enim in actu ratio consulenda est, non sequendus affectus.

CAP. XXX. (*Speculi* lib. III, cap. 24.) *In quantum rationalis affectus sequendus sit.*

D Rationalem igitur affectum, qui ex alterius contemplatione virtutis oboritur, cæteris, quibus ad proximi dilectionem accendimur, constat esse perfectiorem. Etenim non modicum virtutis indicium, est ipse amor virtutis. Denique huic consentire affectui utilissimum est, tum pro ipsarum æmulatione virtutum, quæ ipso affectu facilius excitatur, tum pro horrore vitiorum, quæ ex virtutum diligenti consideratione sordescunt. Sed et desiderium nostrum, si secundum hunc dirigatur affectum, nec perniciosum arbitror esse, nec noxium. Nihil enim obest, imo et prodest plurimum, si ejus desideremus præsentiam, cujus exemplo corrigamur, si mali sumus; si boni, promoveamur; si æque

Digitized by Google

perfecti, mutua collatione firmemur Est autem præsentia sanctorum temporalis et ipsa quidem desideranda, sed magis illa, quæ cum Christo erit æterna in cœlis; ad quam tendimus, non terrarum spatia peragrando, sed sancte, et juste, et pie vivendo (*Tit.* II).

CAP. XXXI. (*Speculi* lib. III, cap. 25.) *Officialis affectus in quo cavendus sit, in quo admittendus.*

Sequitur officialis affectus, cæteris, qui admittendi sunt, periculosior. Siquidem admittendus est, sed permaxime cavendus. Admittendus, ne sis ingratus officio; cavendus, ne non tam homini impertiatur, quam vitio. Quid enim cavendum magis, quam ne delinitus obsequiis, vel muneribus illectus, aut foveas vitia, aut faveas vitioso? Proinde, quamvis in muneribus vel obsequiis suscipiendis, magna sit habenda discretio, hoc attendendum, ut ipsius personæ dignitas diligentius inspiciatur, ut si forte ejus meriti sit, affectus ipse officialis transeat in rationalem; et quem cœpimus diligere, quia nobis gratus, diligi incipiat, quia virtutibus adornatus. Ipsa sane obsequiorum, vel munerum redhibitio, secundum rationem, non secundum affectum impendatur. Sed et desiderium, quo amati præsentia desideratur, vel actus, quo ipsa præsentia comparatur, rationem sequantur, non affectum. Ipse quoque affectus, qui hominem, sine alterius causæ respectu, sponte complectitur, per omnia temperandus.

CAP. XXXII. (*Speculi lib.* III, cap. 26). *Quis modus in naturali sit servandus affectu.*

Jam nunc in naturali affectu qui modus servandus sit, diligentius inquiramus. Hunc sane affectum, sicut non admittere impossibile est, ita non sequi, summæ virtutis est. Semper etenim affectus iste mollia suggerit, et suavia: quod jucundum, quod tenerum, quod voluptuosum, quod delicatum, libenter amplectitur; quod vero arduum, quod asperum, quod voluntati contrarium, omni horrore refugit, et evitat. Quocirca hujus affectus exsecutio, amor perversus est. Hic amor Salvatoris auctoritate interdicitur, cum dicit: *Qui amat animam suam perdet eam, et qui oderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam inveniet eam* (*Joan.* XII). Proinde, ut ait sanctus ille: « Si male amaveris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti (S. AUGUST., tract. 51 *in Joan.*). » Qui eam amat secundum affectum, utique odit; quia *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X). Qui vero odit secundum affectum, secundum rationem diligit. Ad hoc enim addidit: *In mundo*, quia quidquid in mundo est, aut *concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ* (*Joan.* XII). Qui itaque animam suam secundum affectum amat in hoc mundo, amat quia in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum, in superbia vitæ, quæ omnia affectus suggerit, amat. Distinguendi sunt ergo illi amores, de quibus superius locuti sumus, alter secundum affectum, alter secundum rationem. Naturale quidem est, quod homo erga se et suos affectum habet; sed amorem secundum affectum habere non debet, secundum rationem vero habere debet. Affectus ipse ostenditur, cum per Apostolum dicitur: *Nemo unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V). Amor autem secundum affectum, ipsius Salvatoris voce interdicitur, qui ait: *Qui venit ad me, et non odit patrem et matrem, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Amor secundum rationem indicitur, cum idem Apostolus dicit: *Qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (*I Tim.* V). Amor secundum affectum arguitur, cum futura mala prænuntians idem Paulus, ait inter cætera; *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores, magis quam Dei* (*II Tim.* III). Hic itaque modus in naturali servetur affectu, ut habeatur quidem, et sentiatur, sed in omnibus, et per omnia, rationis moderamine temperetur.

CAP. XXXIII. (*Speculi* lib. III, cap. 27 et 28): *De affectu carnali, quod nec omnino respuendus, nec plene sit admittendus.*

Carnalis affectus, quem parturit quidam exterioris hominis ornatus, nec omnino respuendus est, nec ita ut se profuderit, admittendus. Vicinus enim ille est affectus ille, qui ducit ad vitia, et nisi prudentius iste caveatur, ille sine sensu pene parientis illabitur. Ad hoc igitur affectus iste salubriter admittitur, si tamen suspense et temperate quodammodo admittatur; ut videlicet si virtus in eo claruerit, facilius amplectatur; si vero vitium, correctioni ejus vehementer insistatur. Sicut enim in suaviloquio non est falsitas admittenda, sicut in duro rusticoque sermone non est veritas aspernenda; simili modo nec in homine exterius ornato vitium placeat, nec in homine duro et austero virtus displiceat. Quidquid enim de officiali affectu diximus, de carnali quoque sentiendum arbitremur. Ab his tamen, qui adhuc carnalibus vitiis appetuntur, consulte affectus iste respuitur, a quibus rarissime sine vitii titillatione sentitur. Proinde cum affectus noster, quanquam rationalis, vel etiam spiritalis, usque ad suspectam ætatem vel sexum sese prodiderit, consultissimum est, ut infra ipsum mentis sinum cohibeatur, nec ad inania quædam blandimenta, mollesque teneritudines patiatur effluere: nisi forte ob id aliquando mature ac temperate progrediatur, ut virtus amata et laudata ferventius exerceatur.

CAP. XXXIV. (*Speculi.* lib. III, cap. 29.) *Quod diversi affectus in una sæpius mente luctentur.*

Dicendum adhuc de his affectibus, quod plures aliquando in una mente compugnent, ac quodammodo invicem se expugnare contendant. Quod cum contigerit, magna discretione opus est, ut quis cui præponendus sit agnoscatur, virtusque necessaria, ne ab inferiore superior expellatur. Denique Abraham proprium filium immolare jussus, nequaquam

Digitized by Google

ad propria viscera expers naturalis affectus obduruit; sed cum naturalis quo filium, spiritalis, quo Deum amplectebatur, in sancti viri pectore compugnarent, superiorem inferiori præposuit; imo ob superiorem inferiorem contempsit. Ipse etiam Apostolus, cum ait: *Optabam aliquando anathema esse a Christo pro fratribus meis secundum carnem* (*Rom.* IX), ut eos, proposita mirabili charitate sua, traheret ad salutem, affectum quidem, quem sentiebat, prodidit, consilium non expressit. Verum utique dixit, quia quod affectu sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset: Mallem totum mundum perire, quam me solum a Christo separari, verum nihilominus dixisset, quia rationis consilium prodidisset. Salvator etiam noster cum ex affectu naturali, quo *nemo unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V), proclamasset: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI); spiritali, quo Patri semper inhæsit, rationis eum sub jure submisit: *Verumtamen*, inquiens, *non sicut ego volo.* Ipse itaque ex affectu, quem a nobis, et pro nobis, voluntarie suscepit, ut transiret hora passionis, optavit; sed ex consilio rationis ipse, ne transiret, effecit. Proinde de his affectibus hæc ratio servanda est, ut is quo animus noster excitatur in Deum, cæteris omnibus præponatur: deinde rationalis officiali, officialis naturali, naturalis carnali.

CAP. XXXV. (*Speculi* lib. III, cap. 30). *De utilitate horum affectuum.*

His itaque, quæ de affectuum distinctione dicta sunt, diligenter inspectis, patet, ni fallor, quæ in illis quærenda sit utilitas. Illa nimirum ut in eorum desiderium, quæ diligenda sunt, ipsis affectibus, quasi amoris quibusdam aculeis excitemur, ut ipsum amorem ipsorum affectuum infusa dulcedine, suavius ac perinde diligentius teneamus: ut actus ipsos, quibus ad desiderata tendimus, quanto affectuosius, tanto delectabilius, quanto autem delectabilius, tanto ferventius exerceamus. Ipsum sane desiderium, etsi secundum affectum excitari habet, rarissime tamen ipsum affectum sequi debet. Similiter ad bonorum operum exercitia affectu excitari, et in ipsis operibus ex affectu teneri, utilissimum est; sed ipsa opera secundum affectum ordinari, præter ordinem est. Nam ipsum desiderium secundum rationem uniforme est; quod in eo tantum amore, qui ex affectu est, sentitur; in eo autem qui ex ratione, in sola voluntate computatur.

CAP. XXXVI. (*Speculi* lib. III, cap. 39.) *De usu amoris.*

Patet ex præmissis, in hoc constare charitatem, si mens ad fruendum eligat quod oportet, moveatur ut decet, competenter utatur. De electione et motu satis ad præsens egimus; sed de usu adhuc aliquid dicamus. Si ergo electio sana, motus integer fuerit, nunquid usus perversus erit? Sed in ipsius quem diligit adeptione, et motus variari potest, et æstimatio falli. Potest enim aliquis etiam intentione recta, et competenti motu, ejus, quem ad fruendum elegit, præsentiam comparare, in ipso tamen fructu, et intentionem mutare, et variare motum, et modum excedere. Verum quia in diversis gradibus, meritisque diversis proximi ordinantur, dicendum sane est, utrum omnibus, vel certe aliquibus frui debeamus, aut valeamus. Sed est fructus temporalis, quo invicem in hac vita frui possumus; sicut Paulus fruitus est Philemone (*Phil.*, 20): et est fructus æternus, quo invicem fruemur in cœlo, sicut sè fruuntur angeli pura mentium unitate. Proinde cum frui sit cum gaudio ac delectatione uti, manifestum arbitror, in præsenti nequaquam nos omnibus frui posse, sed admodum paucis. Nam, ut mihi videtur, uti quidem possumus quibusdam ad probationem, quibusdam ad eruditionem, quibusdam ad consolationem, quibusdam ad sustentationem. Inimicis siquidem ad probationem, magistris ad eruditionem, senioribus ad consolationem, necessaria ministrantibus ad vitæ sustentationem; solis autem his, quos suavi quodam affectu complectimur, de quocunque modo horum genere sint, ad vitæ dulcedinem, ac spiritus delectationem. His igitur etiam in præsenti frui possumus, id est cum gaudio ac delectatione uti. Quocirca charitas in hac vita, quantum ad electionem, et motum, qui in actu est, exhiberi omnibus ab omnibus potest; quantum vero ad fructum, a paucis, vel certe a nullo exhiberi omnibus potest. Pauci enim sunt, si tamen aliqui sunt, a quibus omne hominum genus non solum rationali, sed etiam affectuosa dilectione colatur. Denique ipsi Deo, a multis, et electione, et motu charitas exhibetur; quibus ipsius dilectionis fructus non in hac vita conceditur, sed post hanc vitam in ejus beatissima visione servatur. Nam et hi, quibus in contemplationis lumine, compunctionis dulcedine, quidam hujus dilectionis fructus inchoatur, si ad futura gaudia spectes, non ipsi Deo frui dicendi sunt, sed potius uti. Nam illius dulcedinis suavissimum gustum, non tam pro fructu dilectionis, quam sustentatione infirmitatis, plerisque largiri satis manifestum est. Porro non modicum hujus vitæ solatium est, habere cui affectu quodam intimo, ac sacratissimi amoris uniri possis amplexu; habere in quo requiescat spiritus tuus, cui se refundat animus tuus; ad cujus grata colloquia, quasi ad consolatoria quædam carmina, inter tristia quæque confugias; ad cujus amicitiæ gratissimum sinum, inter tot sæculi scandala securus accedas; cujus amantissimo pectori, ac si tibi ipsi, omnium cogitationum tuarum viscera sine cunctatione committas; cujus spiritualibus osculis, quasi medicinalibus quibusdam fomentis, languores tumultuantium curarum exsudes; qui tibi collacrymetur in anxiis, collætetur in prosperis, tecum quærat in dubiis; quem in secretarium tuæ mentis inducas, ut licet absens corpore, spiritu tamen præsens sit; ubi solus cum solo tanto dulcius, quanto secretius fabuleris; solus cum solo conferas, ac interfluente

Digitized by Google

Spiritus sancti dulcedine, solus cum solo repauses; imo ita te ei adjungas et applices, et animum animo misceas, ut de pluribus unum fiat. His igitur in præsenti frui possumus, quos non solum ex ratione, sed etiam ex affectu diligimus: inter quos his maxime, qui nobis spiritualis amicitiæ gratissimo fœdere cæteris familiarius arctiusque junguntur. Cujus charitatis sacratissimus gustus, ne cui improbandus videatur, ipse Jesus noster, per omnia nobis condescendens: uni, non omnibus, suavissimi pectoris sui reclinatorium, in signum præcipuæ dilectionis indulsit; ut virgineum caput virginei pectoris floribus fulciretur, ac thalami cœlestis odorifera secreta, fragantiam spiritualium unguentorum virgineis affectibus, quanto vicinius, tanto copiosius instillarent. Hinc est, quod licet a piissimo magistro discipuli omnes summæ charitatis dulcedine foverentur; huic tamen hoc cognomen familiarioris affectus prærogativa concessit, ut diceretur discipulus ille, quem amabat Jesus (*Joan.* XIII).

CAP. XXXVII. (*Speculi* lib. III, c. 40.) *Quomodo invicem frui debeamus.*

Qui igitur amico frui dulce habet, videat, ut fruatur in Domino, non in sæculo, non in carnis voluptate, sed in spiritus jucunditate. Sed quæris, quid sit frui in Domino. Dicit de Domino apostolus Paulus: *Qui factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio* (*I Cor.* I). Cum igitur Dominus sapientia sit, sanctificatio et justitia; in Domino frui, est frui in sapientia, frui in sanctificatione, frui in justitia. Sapientia vanitas sæcularis excluditur, sanctificatione spurcitia carnis absciditur, justitia assentatio omnis, adulatioque compescitur. Tunc enim *charitas est*, si sit, ut ait Apostolus, *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* I). Purum cor suscipit sapientia, pudicitia serenat conscientiam, fides non ficta exornat justitiam. Sunt qui se fruuntur in vanis et ludicris, in sæculi pompis et mundi spectaculis, in studio vanitatis et gaudio falsitatis. Ili non se fruuntur in sapientia; ac proinde non in illo, qui Dei virtus est, et Dei sapientia. Alii, quibus pene de homine nihil est, quos obscena turpitudo transformavit in bestias; qui se in luxuriosis conviviis, et immundis fruuntur desideriis, qui se non in sanctificatione, quæ in castitatis suavitate consistit, fruuntur, utique in Domino qui factus est nobis a Deo sanctificatio non fruuntur. At hi qui se assentatorie fruuntur, invicem palpantes, invicem consentientes, qui dum alterutram cavent offensionem, mutuam incurrunt perniciem, quia non se in libertate fruuntur justitiæ, in Domino non fruuntur. Fruamur itaque invicem in sanctificatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere, id est proprium corpus in sanctificatione et honore, non in passione desiderii. Fruamur in justitia, ut in spiritu libertatis mutuo cohortemur, mutuo corripiamus; scientes quia meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta inimici oscula. Ergo si mutua delectat verborum collatio, sit sermo de moribus, sit sermo de Scripturis, nunc de miseriis hujus vitæ congemiscamus, nunc in spe futurorum bonorum congaudeamus, nunc mutui secreti revelatione recreemur, nunc simul ad illam beatam visionem Jesu, ac bona cœlestia suspiremus. Si vero, quod nonnunquam utile est, tensum animum ad inferiora quædam ac jucunda laxemus, sint laxamenta ipsa plena honestatis, vacua levitatis: et si careant nimio pondere, non tamen careant ædificatione.

CAP. XXXVIII. (*Speculi lib.* III, *cap.* 31.) *Quibus actibus nos oporteat ad Deum tendere, proximisque consulere.*

Restat, ut de actibus nostris, quibus vel specialiter ad Deum tendimus, vel nostræ necessitati, vel proximorum necessitati simul et saluti consulimus, quemadmodum secundum rationem ordinandi sint, pro posse nostro breviter dicamus. Videtur Apostolus omnem perfectæ vitæ statum paucis insinuasse, *Sobrie*, inquiens, *et juste, et pie vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* II). Est enim sobrietas humanæ vitæ modus quidam ac temperantia, utramque nimietatem prudenter evitans, et via regia inter dextram et sinistram cursum nostrum deducens. Cum enim ille ad quem summe tendimus, summus quidam modus sit, cui nihil deest, nihil superfluit, nihil deficit: ad quem cum pervenerimus, nihil erit exterius quod appetamus, nihil inferius, quod fastidiamus: necesse profecto est, ut nosmetipsos in quadam mensura modoque servemus; nec infra quam necesse est, dilabamur, nec supra quam oportet, pestifera præsumptione feramur. Justitiam sane ab Apostolo illam hic æstimo nominari, qua proximorum necessitati sive saluti consulentes, et in ipsis beneficiis quid cui conveniat, quis cui præferendus sit, discernentes, quod justum est, cuique tribuimus. His autem duabus virtutibus sobrietatis et justitiæ, ne de his philosophi, vel quilibet a Christi fide alieni glorientur, consultissime addidit pietatem, quæ in fide sincera, et pura intentione consistit. Porro ipsa intentio in amoris electione, de qua jam disputatum est, constare videtur. Hic fortasse lector exiget, ut vivendi modum unicuique præscribamus. Quod quam sit arduum, difficileque tractatu, quis non videat; cum tot sint hominum qualitates, quot homines: nec saltem duo inveniantur, quibus cuncta æque conveniant? Nam quod uni satis est, hoc alteri parum est: quo iste proficit, ille deficit: et quod alteri necessarium est, alteri constat esse superfluum. Dicendum tamen aliquid videtur, quod conveniat omnibus, quod quisque sibi possit aptare, et utrum vivendi modum excedat, districta possit ratione conjicere.

CAP. XXXIX. (*Speculi* lib. III, cap. 32.) *De tribus ordinibus humanæ conversationis, et primo de naturali ordine.*

Igitur tres ordines humanæ conversationis oc-

Digitized by Google

currunt; primus naturalis, secundus necessarius, tertius voluntarius. Primus conceditur, secundus indicitur, tertius offertur. Primus ex potestate, secundus ex necessitate, tertius ex voluntate. Primo debetur gratia, secundo misericordia, tertio gloria. Est autem ordo naturalis, ut qui nulla commisit illicita, si velit ipse, licitis utatur, licite tamen. Est autem licitus verbi gratia, esus carnium, vini potus, usus conjugii, divitiarum possessio. Modum sane quemdam servandum omnibus, nec a quolibet pacto quolibet excedendum, Salvator ipse præscribit, dicens: *Videte, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ* (*Luc.* XXI). In usu igitur cibi et potus hic modus servandus est, ut in eorum perceptione, infra crapulam et ebrietatem, se quisque contineat. In usu cæterorum, quibus licite utuntur homines, quis modus servandus sit, diligens inquisitor per se inveniet. Jam nunc de ordine necessario aliqua perstringamus.

Cap. XL. (*Speculi.* lib. III, cap. 33.) *De necessario ordine.*

Est quippe ordo necessarius, ut qui commisit illicita, ab usu licitorum sese restringat. In qua restrictione duo consideranda sunt, modus scilicet satisfactionis, et necessitas purgationis. Modus satisfactionis, ut secundum modum culpæ rigor continentiæ extendatur: quatenus secundum Baptistæ vocem, dignos pœnitentiæ fructus faciamus (*Matth.* III). Verum non satisfactionis modus tantum servandus est, sed etiam purgationis necessitas perquirenda. Nec pro sola satisfactione a licitis abstinendum; sed etiam pro expellendis, vel minuendis passionibus, quæ vitiosa consuetudine inolescunt, laboriosis operibus insistendum. Sunt enim exterioris hominis exercitia interioris hominis instrumenta, quibus et passiones vitiosæ, quæ ipsam inficiunt animam, facilius abscinduntur, et interiores faciei sordes, quasi confectione quadam asperiore plenius diluuntur. Proinde suæ purgationis sollicito primo necesse est, ut passiones, quibus impugnatur, attendat; deinde quæ sint, quibus maxime fatigatur, inspiciat; postremo quæ instrumenta quibus passionibus magis obvient, sagaciter perquirat. Quibus inspectis congruum instrumentum cuilibet passioni objiciat; et quæ magis impugnat, ferventiori instantia; ut ipsa obruatur instat. Denique passionem libidinis facile comprimit ventris restrictio, vagum cor et instabile vigiliarum confirmat afflictio, iram silentium mitigat, tædium mentis operis sollicitudo castigat. Nec sic tamen unius passionis exstinctioni tota vehementia insistendum est, ut ad cætera comprimenda instrumentum corporale deficiat nec importunius laborandum est, ut non quælibet passio sentiatur; sed cum surrexerit, ut secundum rationis judicium compescatur.

Cap. XLI. (*Speculi* lib. III, cap. 33.) *De ordine voluntario, et quis in eo servandus sit modus.*

Sequitur ordo volontarius, a nobis deinceps inspiciendus, de quo Psalmista: *Voluntarie*, inquit, *sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII). Est quippe holocaustum gratuitum, acceptabilis hostia, sacrificium voluntarium; cum quis ab his, quæ concessa sunt, per ea, quæ præcepta sunt, ad ea, quæ potioris gloriæ præmia suspirantibus præposita sunt, spiritus libertate conscendit. Ad quod perfectionis culmen ferventiores quosque Salvator invitans: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade et vende quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX). Et alias: *Sunt spadones*, inquit, *qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat* (*Ibid*). Itaque sæculi abrenuntiatio, castitatis propositum, cujuslibet arctioris vitæ professio, inter voluntaria sacrificia computantur. Absit enim ut ista vitæ perfectio, quam voluntarie subiit quis, non coactus; inter necessaria et coactitia, et non potius inter voluntaria numeretur, cum et ipsa necessitas, quam invito nullus imposuit, sed cui ipse se, desiderio perfectionis, sponte subjecit, voluntarie dicenda sit, non coactitia. Qui igitur ad hæc excelsa et sublimia sese contulerit, primo voti vel propositi sui normam, in quibus et in quantis constet, diligenter inspiciat; deinde interioris hominis vires, experientiæ libra trutinet et discernat. Vires dico interiores, quibus tentationum bella, exercitatione quotidiana confligat; vires exteriores, quibus corporalium laborum onera infatigabili longanimitate toleret. Licet autem in quemlibet statum proficienti necessarius sit et interioris et exterioris hominis labor, ei tamen, quem adhuc carnis passiones impugnant, necessaria magis est hominis exterioris afflictio. Ipsis autem passionibus sopitis vel exstinctis, licet ab exterioribus modicum temperare; ipsa autem spiritalia instantius, et ferventius exercere. Nec sic tamen, ut professionis suæ normam præsumptuosus excedat; nec temporum distinctiones, quæ in regula, cui se subdidit, præscribuntur, destruat vel confundat; sed servato cuilibet operi tempore præstituto, in ipsis se vel sedatius, vel ferventius, sicut utile sibi norit exerceat.

Cap. XLII. *Item modus in ipsis exercitiis describitur.*

Hunc sane modum in ipsis exercitiis, quemlibet servare utile est, quatenus sic se in uno habeat, ut in cæteris non deficiat; illud tamen, in quo se magis proficere sentit, majori fervore exerceat. Habeo ad manuum de hac re cujusdam verba sapientis. « Meditatio, inquit, in moribus primo considerat quæ debita sunt, sive ex præcepto, sive ex voto, et ea primum agenda judicat, quæ sic facta habent meritum ut non facta generent reatum. Hæc ergo primum facienda sunt, quæ sine culpa dimitti non possunt. Post hæc, si quid voluntarie superadditur, sic faciendum est, ut debitum non im-

Digitized by Google

pediatur. » Alii volunt quod non debeat, qui non valent id quod debent; alii et si valent quod debent, voluntaria impedimenta adducunt, volendo quod non debent. Item duo mala in bona actione præcipue cavenda sunt, afflictio scilicet et occupatio. Per afflictionem dulcedo mentis amaricatur, per occupationem tranquillitas dissipatur. Afflictio est, quando pro his quæ non valet, per impatientiam uritur. Occupatio quando in his, quæ valet, agendis, per intemperantiam agitatur. Ne igitur male amaricetur animus, suam impossibilitatem patienter sustineat, ne autem male occupetur, possibilitatem suam extra mensuram suam non extendat.

CAP. XLIII. (*Speculi* lib. III, cap. 37.) *Quid homo proximo suo debeat, ostenditur.*

Hæc de modo, in singulis servando gradibus, dicta sunt: quo ad eum, qui summe diligendus est, contendentes, et animæ saluti consulimus, et corpori debita naturæ concedimus. Quoniam autem proximum, æque ut ipsi, a nobis diligi divina tradit auctoritas, primo necesse est ut, cui quis ordo conveniat, nos minime lateat; deinde summopere elaborandum ne quis in quolibet ordine præscriptum vivendi modum excedat. Sed quia quosdam præesse, quosdam subesse, quosdam coesse manifestum est, cum a quolibet horum legitima mensura transgreditur, debet quidem inferior superiori suggerere, par parem corripere, superior inferiorem etiam, si sit necesse, compellere. Ipsa sane correptio sive compulsio, secundum qualitatem singulorum temperetur; ut in suggestione subjectio, et in correptione dilectio, et in compulsione sentiatur compassio. Qui in inferiori ordine legitime conversatur, ut ad superiora conscendat, moneri potest, cogi autem non potest. Qui superiori sua se sponte submisit, secundum professionis suæ modum tractari debet; ad arctiora vero compelli, ejus inconsulta voluntate, non debet.

CAP. XLIV. (*Speculi* lib. III, cap. 27.) *Quomodo sibi et proximo exhibenda sit dilectio.*

Scriptura ait: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII). Consulte non ait: *Diliges proximum tuum*, quantum te ipsum, sed *sicut te ipsum*. Modum ergo diligendi præscripsit, non quantitatem indixit. Sic autem sua sibi exhibeatur dilectio, ut primo animæ suæ, quæ potior sui pars est, consulat ad salutem, deinde corpori ad necessitatem. Quod si aliquando incumbat necessitas alterum contemnendi; etiam corporis patiatur interitum, dum tamen animæ non sustineat detrimentum. Nec hoc est corpus odire, sed animam corpori in dilectione præferre. Ab hac ergo sui dilectione nunquam recedat, et ad consulendum proximo securus accedat. Agat ergo cum proximo quantum potest ut et salvus corpore, et sanus sit mente. Nam si alterum horum negligit, profecto proximum, qui ex utroque constat, non diligit. Nulla sane ratione vel præcepto compellitur, suæ animæ perditione animæ fraternæ comparare salutem; nec sui corporis interitu fraterni corporis interitum propulsare. Nam quod præcipimur animas pro fratribus ponere (*I Joan.* III), ad vitæ contemptum, non ad animæ pertinet detrimentum. Sic enim non ad perditionem, sed potius ponitur ad salutem. Unde sic animam ponere, ipsi utique animæ consulere est. Sed et illud forte laudabiliter fieri potest, ut ex sola dilectione quis pro alterius corpore, suum corpus objiciat; ut autem non dico pro unius animæ, sed etiam pro totius mundi salute, suæ animæ detrimentum sustineat, salvo veræ dilectionis ordine fieri non potest. *Quum enim dabit homo commutationem pro anima sua? Quid prodest ei, si universum mundum lucretur,* etiam ad salutem, *animæ autem suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* XVI.) Est enim detrimentum animæ, ab ejus, qui summe diligendus est, dilectione recedere. A Dei dilectione receditur, cum vel aliquid dignum damnatione committitur; vel aliquid, sine quo non est salus, prætermittitur. Quidquid autem, prænissa ratione, fraternæ dilectioni adjicitur, totum profecto divinæ dilectioni subtrahitur. Cum enim secundum modum quo Deum diligit, sui dilectio metiatur, tunc solum minus diligit se ipsum, quando minus diligit Deum. Porro se ipsum qui diligit, cujus perditioni non parcit? Quomodo ergo alium diliget sicut se ipsum, qui non diligit nec se ipsum? Nam et Apostolus cum ait: *Optabam* aliquando *anathema esse a Christo, pro fratribus meis* (*Rom.* XI), affectum quidem prodidit, consilium non expressit. At quam diversa in una mente suggerant affectus et ratio, superius satis ostendimus. Unde Apostolus cum illud diceret, verum quidem dixit, quia affectum, quem sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset, mallem totum mundum perire, quam me solum a Christo separari: verum nihilominus dixisset; quia rationis consilium prodidisset. Illud tamen quod ait: *Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis*, sic quoque non inconvenienter potest intelligi, ut ab illo orationum suarum secreto, quo inter amplexus Jesu suaviter quiescebat: ab illa ineffabili contemplationis eminentia, qua cœlestium mysteriorum secreta, purissimis oculis perlustrabat; ab illa gratissimæ compunctionis dulcedine, qua animam illa cœlestia sitientem, spiritualium affectuum suavissimis stillulis perfundebat; ad mundi strepitum, ob fratrum salutem, optaverit evocari. Quam evocationem, a Christo separationem, ille non ambigit nominandam; qui pro modulo suo gustat et videt, quoniam dulcis est Dominus; quam *beatus* omnis *qui sperat in eo* (*Psal.* XXXIII). Porro qui sic a Christo separari, vel fraterna dilectione provocatus elegit, vel superiorum auctoritate coactus consensit, providendum sibi est ne obruat ista necessitas, et pereat illa suavitas.

Digitized by Google

CAP. XLV. *De quibus dispensatio fieri possit.*

Sunt itaque media quædam, utpote lectio, meditatio, labor corporis, jejunium ventris, suavitas orationis, cæteraque hujusmodi ; quæ omnia pro fraterna salute dispensanda, varianda, mutanda, nonnunquam etiam sunt prætermittenda, de quibus Apostolus : *Non quæ sua sunt*, inquit, *singuli quærentes, sed quæ aliorum* (*Phil.* II). Et item : *Sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant* (*I Cor.* X). Verum quod de lectione vel oratione diximus, etiam de commodis corporis, imo de ipso corpore sentiendum est : ut quidquid pro sua salute contemnendum, impendendum variandumque perspexerit ; pro salute quoque proximi, id ipsum faciendum agnoscat. Hoc sane providendum ut ipsa mutatio vel variatio, dispensatio sit non omnimoda destructio. Cum custodia charitatis, vitiorum emendatio, ut ipse beatus Benedictus insinuat, ipsius institutionis causa sit ; sic profecto ipsa dispensatio rationabilis erit, si causæ huic dispensatio ipsa profecerit. Si autem dispensatione magis, quam institutione nutriuntur vitia, charitas violatur ; certe periculosa ipsa dispensatio comprobatur.

CAP. XLVI. *De modo dispensationis.*

Ergo qui ordine voluntario ad culmen perfectionis aspirat, primo charitatem, qua Deo maxime propinquamus, imo qua Deo inhæremus, eique conformamur, in qua totius perfectionis plenitudo consistit ; quasi destinatum finem, quo cursum suum dirigat, indesinenter aspiciat : deinde via, quam ei voti vel professionis suæ norma præscribit, ad ejus plenitudinem infatigabilis spiritus alacritate contendat. Huic itaque fini militet abstinentia, famulentur vigiliæ, invigilet lectio, quotidianus labor insudet. Quod si aliquo horum charitas, cujus causa instituta sunt, violari cognoscitur ; tunc demum ei, cui dispensatio credita est, incumbit necessitas, ut sic omnia temperet ac disponat, quatenus non horum causa charitas deseratur, sed ejus fructus in omnibus requiratur ; nec sic tamen ut aliqua eorum quæ instituta sunt, prætermittantur, aut certa tempora, certis quibusque exercitiis attributa confundatur, nisi extrema cogat necessitas ; alioquin non erit dispensatio, sed destructio ; sed ut certis temporibus certa exercitia, pro cujusque qualitate ac mentis statu, modificentur. Hoc est quod ipse sanctus (S. BENED. *in Regula*), cum de opere manuum legem poneret. « Sic, inquit, omnia temperet atque disponat quatenus animæ salventur, et quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant. » Et alias : « Omnia tamen mensurate fiant, propter pusillanimes. » Nunquid dixit, hoc aut illud prætermittatur propter pusillanimes ? Imo et infirmis, inquit, et delicatis talis ars injungatur ; ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur. » Ergo et infirmi et delicati operentur, sed eorum opus sic temperetur, ut non opprimantur. Quem rogo de opere absolvit, ad quod etiam infirmos et delicatos compellit ?

CAP. XLVII. *De optima lege claustralium.*

Ut jumentum factus sum apud te (*Psal.* LXXII). Vere ut jumentum facti sumus, quocunque ducimur sine contradictione euntes ; quodcunque imponitur, sine revelatione ferentes. Propriæ voluntati nullus locus, otio aut dissolutioni nullum tempus. Est quidem cibus parcior, vestis asperior, potus e fonte, somnus plerumque in codice. Quam illud quoque mirandum quod innumeris hominibus, unius hominis voluntas est lex ? Adeo ut quod semel ex ejus ore elapsum fuerit, tanta cura servetur ab omnibus, ac si in id omnes conjuraverint, vel ab ipsius Dei ore audierint. Et quod miro modo delectat, nulla est personarum acceptio, nulla natalium consideratio. Sola necessitas parit diversitatem, sola infirmitas disparilitatem. Quod enim in communi laboratur, distribuitur singulis, non ut carnalis affectus aut privatus amor dictaverit, sed prout cuique opus fuerit.

CAP. XLVIII. (*Speculi* lib. II, cap. 1.) *Quare laborent aliqui sub jugo Christi.*

Invitat nos Dominus ad requiem, dicens . *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos*, etc. (*Matth.* II.) Sane charitas est jugum illud suave, et onus leve, ad quod nos Salvatoris invitat clementia : *et invenietis*, inquiens, *requiem animabus vestris* (*ibid.*). Verum quia plerique nostrum, qui videmur huic jugo supposuisse cervices, in multis convincimur laborare, conemur ostendere cupiditatis jugum hunc parturire laborem. *Radix enim omnium malorum cupiditas* (*I Tim.* VI), sicut e diverso radix omnium virtutum charitas. Proinde quandiu in ipsis animæ præcordiis, radix hæc virulenta resederit, licet summatim quidem ramusculi recidantur, germine redivivo necesse est alios pullulare, donec radix ipsa evulsa radicitus, unde perniciosissima vitiorum soboles oriatur, ulterius non relinquatur.

CAP. XLIX. (*Speculi* lib. II, cap. 2.) *Quod labor exterior pro interioris qualitate formetur.*

Sane labor iste, de quo causamur, non carnis sed cordis est ; sicut et requies, de qua hic agimus, cordis constat esse, non carnis : quanquam exterior labor pro interioris qualitate formetur, nec dicendus sit exterior labor ullus, si interior fuerit nullus. Verbi gratia, attende venatores, vel aucupes, vel quoslibet talium vanitatum sectatores ; si exteriores corporis motus perspexeris, quid laboriosius ? mentis qualitatem, quid delectabilius ? Id ipsum etiam in laudabilibus videre facillimum est. Quantus apostolis labor exterior, cum in carcerem truderentur, cum astringerentur vinculis, cum flagris acerrime cæderentur ! et tamen *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V). Quam multis tunc sacrilegis similis pœna ! sed quia dissimilis conscientia, illi utrobique miseri, et interius et exterius laborabant ; isti ad interiorem requiem in pœnis exterioribus exsultabant. His igitur diligen-

Digitized by Google

ter inspectis, patet profecto nequaquam exteriores corporis passiones, interiorem parturire laborem, sed radicem internis visceribus residentem, quidquid exterius accidit, pro sui conformare natura. Quid enim est quod duobus ad eamdem mensam residentibus, eisdem appositis cibis, alter exsultat, murmurat alter? Quid quod eisdem exceptis vulneribus, alter tristitiæ languore dejicitur, alter mira jucunditate perfunditur? Duo simul orbitatis sive paupertatis infortunio feriuntur, et tamen iste blasphemat, gratias agit ille. Eadem species utriusque ingeritur oculis, et unus turpiter commovetur, alius solita sibi pace perfruitur. Oblata occasione honoris cujuslibet, alter dominandi libidine inflammatur, alter aspernatur

Cap. L. (*Speculi* lib. II; cap. 3.) *Quod omnia accidentia charitas sua temperet tranquillitate ; cupiditas omnia corrumpat sua perversitate.*

Nonne et in corporibus id ipsum accidere manifestum est, ut pro sanitatis vitiive qualitate, ea, quæ exterius accidunt, aut molesta experiantur aut grata? Nam cibus qui morbum auget alterius, alterius proficit sanitati, et sol qui lumen oculo eripit lippienti, sano jucundius illucescit. Sicut ergo in corporibus pro interioris naturæ modo, ea quæ exterius adhibentur, aut salubria inveniuntur, aut noxia; ita perspicuum est ex interna mentis qualitate, hujus requiem, istius pendere laborem. Mentem enim, quam suavissimum ac tranquillissimum Domini jugum, charitas videlicet perfecta possederit, in suæ tranquillitatis statum accidentia quæque transfundit: non sinens eam ullis rerum perturbationibus commoveri, sed ipsas rerum perturbationes, ad sui profectus usum provenire compellens. At si mens gravissimo fuerit jugo cupiditatis addicta, quandiu quidem nulla fuerit commotionis occasio, Dominici jugi suavitatem requies remissa mentitur; sed causa cujuslibet indignationis oborta, mox de cordis recessibus, quasi de abditissimis cavernis, bestia sæva prorumpens, durissimis passionum morsibus miseram animam lacerat et cruentat; nullum pacis, nullius ei requiei tempus indulgens. Computrescat itaque jugum a facie olei, jugum scilicet cupiditatis a præsentia charitatis, et statim experitur, sarcina Christi quam sit levis, quam suavis, quam jucunda, quam in cœlum rapiens, et a terra eripiens. Quocirca si requiei hujus dulcedinem volumus experiri, laboris nostri causas et radices sollicite exquiramus; non affectu tepido, quasi ferro retuso, exteriora tantum recidentes, sed ad ipsas morborum origines, vehementiori desiderio penetrantes.

Cap. LI. (*Speculi* lib. II, cap. 4.) *Quod a triplici concupiscentia omnis labor oriatur.*

Puto autem quia, si subtilius indagemus, quidquid nobis laboris oboritur, vel a carnis concupiscentia, vel oculorum, vel superbia vitæ (*Joan.* II), quasi quibusdam venenosis fontibus derivari, manifestissime cognoscemus. Si ergo adhuc cibus me contristat asperior, laborem mihi concupiscentia carnalis indicit; nec ideo laboro, quia jugum Christi suscepi; sed quia non plene jugum cupiditatis abjeci. Quod si lautioris edulii inflammatus ardore, vilioris appositione conturbor, vel si solito minus vel si tardius, vel negligentius præparetur, mur murationis peste consumor: quis mihi has parit angustias, passio cupiditatis, an suavitas charitatis?

Cap. LII. (*Speculi* lib. II, cap. 24.) *De concupiscentia oculorum.*

Concupiscentiam oculorum curiositatem sancti Patres appellant; et eam non solum ad exteriorem, sed etiam ad interiorem hominem æstimant pertinere. Ad exteriorem curiositatem pertinet omnis superflua multitudo, quam amant oculi in variis formis, in nitidis et amœnis coloribus, in diversis opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis, picturis, sculpturis, diversisque figmentis, usum necessarium et moderatum transgredientibus: quæ omnia amatores mundi ad illecebras expetunt oculorum, foras sequentes quod faciunt intus: relinquentes a quo facti sunt, et exterminantes quod facti sunt. Inde etiam in claustris quorumdam monachorum grues et lepores, damulæ et cervi, picæ et corvi; non quidem Antoniana vel Machariana instrumenta, sed muliebria oblectamenta; quæ omnia nequaquam monachorum paupertati consulunt, sed curiosorum oculos pascunt.

Cap. LIII. *De interiori curiositate.*

Curiositas interior in tribus consistit, in appetitu scilicet noxiæ vel inanis scientiæ; in pervestigatione alienæ vitæ, non ad imitandum, sed ad invidendum, si vana est; vel insultandum, si mala; vel certe sola curiositate, tantum ut sciatur, sive bona sit, sive mala; postremo in curiosa quadam sæcularium rerum vel actuum agnitione. Ex quibus omnibus, mentibus captivitatis non modicus labor innascitur. Inde est etiam, quod cum tota die insanibus spectaculis dediti, vel rumoribus audiendis intenti, a nobis quodam modo exierimus, revertentes iterum ad nos, vanitatum imagines introducimus; et cor plenum simulacris ad locum quietis ferentes, noctes ducimus insomnes, variaque negotia in ipsa psalmodia, vel orationibus nostris, otiosis discursibus ordinamus. Est adhuc aliud curiositatis pessimum genus, quo tamen hi soli, qui magnarum sibi virtutum conscii sunt, attentantur; exploratio scilicet suæ sanctitatis per miraculorum exhibitionem; quod est Deum tentare. Unde: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI).

Cap. LIV. (*Speculi* lib. II, cap. 5.) *De quorumdam sententia, qui exteriores labores charitati, et interiori dulcedini dicunt esse contrarios.*

Sed assiduis vigiliis corpus tabefacere, quotidianis laboribus carnem affligere, vilissimis cibis membrorum labefactare vigorem, non solum non modici laboris; sed et ei, quam tantopere niteris commendare, adeo charitati constat esse contra-

Digitized by Google

rium ; ut totam mentis suavitatem evacuans, omni eam spirituali dulcedine reddat effetam. Hæc est illa ridenda quorumdam opinio, qui spiritualem dulcedinem in carnis quodammodo suavitate constituunt, asserentes corporis afflictionem contrariam esse spiritui, exteriorisque hominis passiones interioris minuere sanctitatem. Cum enim, inquiunt, caro ac spiritus affectu sibi naturali cohæreant, necesse est, suas invicem communicent passiones ; ac sic impossibile ut non hujus oppressione alterius hilaritas perturbetur ; ita ut in illud gaudium spirituale, mœroris quadam anxietate dejectus, spiritus nullatenus valeat respirare. Acute hæc vel investigari videntur, vel probari. Orem pudendam ! secundum regulas Hippocratis gratia quæritur spiritualis. Sic nimirum, sic errant, qui physicis argumentis magis, quam præceptis apostolicis innituntur. Ipsius namque sunt hæc, qui super ventrem repit, qui terram comedit, qui sub umbra dormit in locis humentibus, qui negotium ventris et libidinis sub colore actitat sanctitatis. Sic enim facilius simplices quosque ab apostolica paupertate et evangelica puritate cogitat exterrendos, si majorem divinæ dulcedinis gratiam in remissiore vita sibi æstiment ad futuram. Plane hæc est sapientia, non desursum descendens, sed prorsus terrena, animalis, diabolica (*Jac.* III). Hæc est prudentia verbi, sapientia carnis, quæ, cum suavitatem doceat carnis, crucem Christi evacuare contendit ; in qua profecto quantum ad carnem nihil est suave, nihil molle, nihil tenerum, nihil omnino delicatum. Sed non illa evacuatur. Illa potius hanc delicatam doctrinam evertit, quam clavi sacris inditi membris expugnant; quam lancea illa dulcibus impressa visceribus acumine salutari debellat. Ego prorsus contra sentio, audacterque pronuntio, carnis afflictionem, si sana præcedat intentio, et fuerit servata discretio, quam tamen, non propria conjectura, sed exemplis majorum capere oportet, ne forte remissio et dissolutio sub colore se discretionis oppallient; sic, inquam, carnis afflictionem non spiritui contrariam, sed necessariam; sed nec divinam minuere consolationem, sed potius sentio provocare ; adeo ut hæc duo semper æquari in hac duntaxat vita existimem, exteriorem scilicet tribulationem et interiorem consolationem. Quid enim ? Forte Deus huic divitiis et deliciis affluenti suæ consolationis dulcedinem impertit ; quam a pauperculo suo pro se quotidie moriente rigida censura suspendit ? Absit hoc de illo dulcissimo, suavissimo, compatientissimo sentire vel credere ! Sed si ego dico, potest forsitan dubitare ; si autem Christus dicit, hæreticum est, non credere. Quid ergo, inquis ? Tuæne sententiæ magis, quam propriæ credam experientiæ ? Et quid, si alius longe aliud se testatur expertum ? Certe ille, quo magis affligitur, eo majorem divinæ dulcedinis gratiam experitur Plane cui vult miseretur.

A CAP. LV. *Apostolica et prophetica auctoritate, præmissa sententia confutatur.*

Accedat ergo ille athleta fortissimus, testis fidelissimus, disputator egregius, in quo Christus loquitur ; qui quotidie pro Christo moritur, qui omnem tribulationem patitur, cui foris pugnæ, intus timores, qui castigat corpus suum et in servitutem redigit (*I Cor.* II), qui non gratis panem suum manducat, sed in fatigatione nocte et die operatur : cujus manus et sibi et qui cum eo sunt, necessaria subministrant ; qui denique in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in frigore et nuditate, sub signis Jesu acerrimus miles insudat ; ille, inquam, hanc dirimat quæstionem, et utrum tanta tribulatio, tam mira fatigatio, consolationem ei B subtraxerit spiritualem, ostendat. Dicat ergo Paulus, utrum suos in præsenti tribulatione, pius ille consolator sine consolatione relinquat, et hæresim Joviniani iterum pullulantem, sua auctoritate præoccupet. Perniciosior tamen hæc hæresis, quam Joviniani videtur ; nam cum illa epulas abstinentiæ æquarit, ista præponit. Ergo qui majorem divinæ dulcedinis consolationem, in carnis suavitate quam tribulatione constituunt, Paulum audiant dicentem : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (*II Cor.* I). Sive ergo jejuniis macceremur, sive afficiamur vigiliis, sive laboribus atteramur ; C *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Etsi lapidibus obruamur, etsi vinculis astringamur, etsi cædamur virgis, etsi carceris toleremus angustias ; *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Fremat diabolus, sæviat mundus, insectetur odiis, aggrediatur maledictis, diripiat substantiam, commaculet famam ; *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus*, inquit, *et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt* (*ibid.*). Et hic non his qui in divitiis et deliciis, sed his qui in omni pressura sunt, suam consolationem promittit. Et nihil quæstionis relinquens adjecit : *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra* (*ibid.*). Quid manifestius ? D Hoc est plane, quod paulo ante diximus, duo scilicet hæc coæquari, exteriores passiones et interiores consolationes. Denique Salomon, quibus divina consolatio sit infundenda, mysticis verbis declarat, dicens : *Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro animo sunt. Bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris non recordentur amplius* (*Prov.* XXXI). Aperte his verbis vinum illud, quod lætificat cor hominis (*Psal.* CIII), non otio dissolutis, non diem in cachinno et fabulis expendentibus, sed his, qui amaro sunt animo, repromittit ; siceramque illam, quæ de pomis novis et veteribus, quæ in sponsi deliciis sponsa conservat, conficitur ; non epulantibus et potantibus, sed propter angustias hujus vitæ mœrentibus, et egestate et dolore laborantibus, pro-

Digitized by Google

nuntiat esse donandam. Bibant, inquit, et obliviscantur egestatis suæ; laboris videlicet magnitudinem, divina consolatione afferens minuendam. Cui sententiæ apertissime concinit Psalmista: *Secundum multitudinem*, inquiens, *dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII). O consolatio quæ infirmos sanat, debiles roborat, allevat desperatos! Ipsa est consolatio gementibus, pausatio laborantibus, tentatis protectio, viaticum itinerantibus. Quam quidem consolationem illi sibi adimunt, qui statim ad primos sudores resilientes, vel in pristinum torporem devolventes, vel viles quasdam consolationes in crebra confabulatione, vel amicorum visitatione, vel certe in propriæ voluntatis libertate conquirunt. Quas consolationum sordes sanctus Propheta contemnens: *Renuit*, inquit, *consolari anima mea* (*Psal.* LXXVI). Quid ergo? Sine omni consolatione relictus es? Absit! *Memor fui Dei, et delectatus sum* (*ibid.*). Nemo ergo arduam illam viam, quæ ducit ad vitam, exhorreat. Nemo remissionem, quam semel abjecit, timida infelicitate repetat, sed sicut ait noster legislator (S. BENED. *in Reg.*), sustinens non lassescat nec discedat, sciens, quia secundum multitudinem laborum, quos tolerat pro Christo, consolationes ejus lætificabunt animam illius. Verum gustata dulcedine spirituali, non statim odio dissolvaris; mox enim e latere spiritualis insurget Amalec, non armis, sed orationibus evincendus. Quoties enim in tentationibus animus plus nimio fatigatur, sollicita orationum devotione ad materna ubera Jesu properandum, ex quorum abundantia lac tibi miræ consolationis eliciens, dicas cum Apostolo: *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (*II Cor.* I). Et: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra* (*ibid.*).

CAP. LVI. *Quomodo charitas et cupiditas in proficiente operentur.*

Hactenus hæc forte non inutiliter præmisimus; quæ omnia si attente, si diligenter, postremo si humiliter inspiciantur, erit, ni fallor, perfacile intueri, conversum quemlibet ex nova charitatis infusione, alacri conatu, ac levissimis quibusdam mentis suæ motibus ad altiora sustolli; sed cupiditate deorsum premente, et omni, cui inhæserit, naturali pondere ad ima semper urgente, in ipso suo conatu nonnihil laborare; et quanto frutex perniciosa altius, in ipsis animæ recessibus, radices infixerit, tanto in earum avulsione major difficultas, perinde in ascensione minor facilitas. Sed sicut piger quis, ac desidiosus, ac agriculturæ imperitus, agrum suum, parva licet ex parte tribulis, ac spinis obsitum, tardius evacuat et emundat; impiger autem ac sollicitus, ac hujus disciplinæ industrius, etiamsi omnem agri superficiem occupaverit, veprium densitatem citius eradicat, ac de sterili et infecundo pinguem reddit et uberem: sic nimirum abrenuntians quis mundo, si tardus, si suæ purgationis minus fuerit curiosus, quanquam in sæculo minus exstitit inquinatus, tardius in conscientiæ serenitatem, ac charitatis proficiet libertatem; at si fervens spiritu, si diligens ac sollicitus, si discretionis virtute fundatus, assumptis spiritalium exercitiorum instrumentis, vitiorum germina ab agro cordis sui potenter evellat; in auras conscientiæ purioris citius respirabit, ac jugo cupiditatis excusso, ac onere deposito passionum, inveniet quia jugum Domini suave est, et onus ejus leve est (*Matth.* XI).

CAP. LVIII. *Quanta sit in voluptatum contemptu, victoriaque jucunditas.*

Sicque probabit expertus, non modo nullius laboris, imo summæ esse jucunditatis, pudicitiæ suavitate perfundi; quanquam onerosum sit naturalia incentiva, immundaque desideria, quæ de concupiscentia carnis emergunt freno temperantiæ cohibere. Similiter non solum jucundum, sed insuper gloriosum, cum gulæ fuerit concupiscentia superata; non se servum sui ventris, sed Dominum intueri, illa mira exsultatione tripudians: *Ego autem didici in quibus sum sufficiens esse. Scio humiliari, scio et abundare; ubique et in omnibus institutus sum, et esurire, et satiari, et abundare, et penuriam pati* (*Philipp.* IV). Sed et amor carnis si fuerit perfecte sopitus, vel certe igne divini amoris absorptus, nullus erit in exterioribus labor; quia non poterit mens ejus afflictione turbari, cujus non potest dilectione dissolvi. Suavitas ergo jugi Dominici, et levitas oneris ejus, in voluptatum contemptu consistit. Nemo ergo æstimet majorem in vitiis, quam in virtutibus esse delectationem.

Digitized by Google

BEATI AELREDI

ABBATIS RIEVALLIS

DE SPIRITUALI AMICITIA LIBER.

Opusculi hujus compendium inter opera sancti Augustini reperitur, tomo IV, adjuncta Erasmi censura auctorem, quem ignoravit, affectasse Augustinum videri, inepte existimantis : qui alias sæpe de similibus alienis libris, qui in opera Patrum irrepserunt, judicium facit. Quid enim emolumenti inde sperassent noster Aelredus, aliique viri docti et pii? Lucubrationes alienas sibi tribuere potest quis, ad nomen sibi conciliandum : hæretici quoque aliquando libros erroribus refertos Patribus affinxerunt; at a catholicis piis, atque a fictione et mendacio abhorrentibus hoc alienum fuit. Errore itaque eorum, qui Patrum opera ediderunt, accidit, ut aliena illis admiscerentur. Sane hoc Opusculum De amicitia, *in manuscriptis passim nomen Aelredi Rievallis abbatis præfert : imo dialogus est, cujus interlocutores sunt ipse Aelredus, et Ivo ex monachis ejus unus. Digestum est autem in tres libros, et quadruplo prolixius est, quam apud Augustinum, apud quem cum sit mutilum, non mirum, si minus gratum appareat. Quos autem carpit Erasmus flosculos sermonis* ita quod pro invicem, *et similes, non adeo venustant opus, ut non obtinuerit, sicut idem Erasmus fatetur, ut Augustini esse crederetur. Patres sæpe eloquentiam suam spreverunt, et Scripturæ phrases nostræ versionis libenter usurparunt, licet minus elegantes.*

PROLOGUS.

Cum adhuc puer essem in scholis, et sociorum meorum me gratia plurimum delectaret, inter mores et vitia, quibus illa ætas periclitari solet, tota se mens mea dedit affectui et devovit amori ; ita ut nihil mihi dulcius, nihil jucundius, nihil utilius quam amari et amare videretur. Itaque inter diversos amores et amicitias fluctuans, rapiebatur animus huc atque illuc : et veræ amicitiæ legem ignorans, ejus sæpe similitudine fallebatur. Tandem venit mihi in manus liber, quem de amicitia Tullius scripsit, qui statim mihi et sententiarum gravitate utilis, et eloquentiæ suavitate dulcis apparebat. Et licet nec ad illud amicitiæ genus me viderem idoneum, gratulabar tamen quamdam me amicitiæ formulam reperisse, ad quam amorum meorum et affectionum valerem revocare discursus. Cum vero placuit bono domino meo corrigere devium, elisum erigere, salubri contactu mundare leprosum ; relicta spe sæculi, ingressus sum monasterium ; et statim legendis sacris litteris operam dedi, cum prius nec ad ipsam earum superficiem oculus lippiens et carnalibus tenebris assuetus sufficeret. Igitur cum sacra Scriptura dulcesceret, et parum illud scientiæ quod mihi mundus tradiderat, earum comparatione vilesceret ; occurrebant animo, quæ de amicitia in præfato libello legeram : et jam mirabar, quod non mihi more solito sapiebant. Jam tunc enim nihil, quod non dulcissimi Jesu fuisset melle mellitum, nihil quod non sanctarum Scripturarum fuisset sale conditum, meum sibi ex toto rapiebat affectum. Et iterum atque iterum ea ipsa revolvens quærebam, si forte possent Scripturarum auctoritate fulciri. Cum autem in sanctorum litteris de amicitia plura legissem, volens spiritualiter amare, nec valens, institui de spirituali amicitia scribere, et regulas mihi castæ sanctæque dilectionis præscribere. Opusculum igitur in tribus distinximus libellis : in primo, quid sit amicitia, et quis ejus fuerit ortus vel causa commendantes ; in secundo, ejus fructum excellentiamque proponentes ; in tertio, quomodo et inter quos possit usque in finem indirupta servari, prout potuimus, enodantes. In hujus igitur lectione si quis profecerit, Deo gratias agat, et pro peccatis meis apud Christi misericordiam intercedat. Si quis autem superfluum aut inutile putat esse, quod scripsimus, parcat infelicitati meæ, quæ fluxum cogitationum mearum hujus meditationis me compulit occupatione restringere

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

De ortu amicitiæ

Aelredus. Ecce ego et tu, et spero quod tertius inter nos Christus sit. Non est modo, qui obstrepat; non est, qui intercidat amica colloquia, gratæque huic solitudini nullius vox vel tumultus irrepit. Age nunc, charissime, aperi pectus tuum, et amicis auribus quidquid placet instilla, nec ingrate accipiamus locum, tempus et otium. Nam paulo ante in turba fratrum me residente, cum omnes undique circumstreperent, et alius quæreret, alius disputaret; et iste de Scripturis, ille de moribus, alter de vitiis, de virtutibus alter quæstiones ingererent, tu solus tacebas : et nunc caput erigens, parabas aliquid proferre in medium : sed quasi vox in ipsis interciperetur faucibus, iterum demisso capite tacebas : nunc parvo intervallo secedens a nobis, et iterum rediens tristem vultum præferebas, quibus omnibus mihi duntaxat dabatur intelligi, te ad proferendum tuæ mentis conceptum, et horrere multitudinem, et optare secretum. Ivo. Profecto ita est, et gratulor plurimum, intelligens quod cura tibi est de puero tuo ; cujus tibi mentem, mentisque propositum non alius quam spiritus charitatis aperuit. Et utinam hoc mihi tua concedat dignatio, ut quotiescunque filios tuos (23), qui hic sunt, visitaveris, vel semel mihi liceat, cæteris remotis tui habere copiam, et æstus pectoris mei sine perturbatione proferre!

Aelredus. Faciam quidem, et libens. Delector enim plurimum, quod te pronum ad hæc vana et otiosa non video; sed semper aliquid utile et profectui tuo necessarium proloqui. Loquere ergo secure, et cum amico omnes curas tuas cogitationesque commisce; ut vel discas aliquid vel doceas, des et accipias, profundas et haurias. Ivo. Ego quidem paratus sum, non docere, non dare, sed accipere; haurire non profundere : sicut mihi ætas præscribit, imperitia cogit, hortatur professio. Sed ne in his tempus ad alia necessarium insipienter insumam, volo, me aliquid de spirituali amicitia doceas, videlicet quid sit, quid pariet utilitatis, quod ejus principium, quis finis; utrum inter omnes esse possit, et si non inter omnes, inter quos : quomodo etiam possit indirupta servari, et sine aliqua dissensionis molestia sancto fine concludi.

Aelredus. Miror, cur a me hæc æstimas esse quærenda, cum satis superque ab antiquissimis, excellentissimisque doctoribus de his omnibus constet esse tractatum : maxime cum pueritiam tuam in hujusmodi studiis triveris, et Tullii Ciceronis librum *De amicitia* legeris; ubi copiosissime de omnibus quæ ad eam spectare videntur jucundo stylo disseruit, et quasdam, ut ita dicam, leges in ea ac præcepta descripsit, Ivo. Non usquequaque ipse mihi ignotus est liber, utpote qui in eo aliquando plurimum delectabar; sed ex quo mihi de sanctarum Scripturarum favis aliquid cœpit emanare dulcedinis, et mellifluum Christi nomen sibi meum vindicavit affectum, quidquid sine cœlestium litterarum sale, ac dulcissimi illius nominis condimento, quamvis subtiliter et eloquenter disputatum legero, vel audiero, nec sapidum mihi potest esse, nec lucidum. Eapropter vel ea ipsa quæ dicta sunt, si tamen sunt consona rationi, vel certe alia, quæ disputationis istius poscit utilitas velim mihi Scripturarum auctoritate probari : et quemadmodum ea ipsa, quam inter nos oportet esse, amicitia, et in Christo inchoetur, et secundum Christum servetur, et ad Christum finis ejus et utilitas referatur, plenius edoceri. Constat enim Tullium veræ amicitiæ ignorasse virtutem, cum ejus principium finemque, Christum videlicet, penitus ignoraverit.

Aelredus. Victus sum, fateor, ut quasi me ipsum nesciens, nec vires proprias metiens, de his non quidem te doceam, sed tecum potius conferam; cum tu ipse viam utrisque aperueris, lumenque illud splendidissimum, in ipsa inquisitionis nostræ janua accenderis, quod nos non sinat errare per devia; sed certo tramite ad certum finem propositæ quæstionis perducat. Quid enim sublimius de amicitia dici potest, quid verius, quid utilius, quam quod in Christo inchoari, et secundum Christum produci, et a Christo perfici debeat, probatur? Age nunc, et quid primum de amicitia videatur esse quærendum, edicito. Ivo. Primum quid sit amicitia, arbitror disserendum; ne videamur in inani pingere, si nesciamus quid sit illud, de quo debeat disputationis nostræ series, tenorque procedere.

Aelredus. Nonne satis tibi est hinc, quod ait Tullius. Amicitia est rerum humanarum et divinarum, cum benevolentia et charitate consensio? Ivo. Si tibi sufficit ista definitio, mihi judico satisfactum.

Aelredus. Ergo quibuscunque fuerit de rebus humanis atque divinis sententia eadem, eademque voluntas cum benevolentia et charitate, ad amicitiæ perfectionem eos pervenisse fatebimur. Ivo. Quidni? Verumtamen charitatis vel benevolentiæ nomine, quid ethnicus ille significare voluerit, non video.

(23) Videtur Ivo fuisse monachus non Rievallis, sed alterius monasterii Rievalli subditi.

Digitized by Google

AELREDUS. Forte nomine charitatis mentis affectum, benevolentiæ vero operis expressit effectum. Nam ipsa in rebus humanis atque divinis, mentibus utriusque chara, id est suavis et pretiosa debet esse consensio: benevola etiam et jucunda, in rebus exterioribus, operum exhibitio. Ivo. Fateor, placet mihi satis ista definitio, nisi et ethnicis et Judæis, iniquis insuper Christianis eam convenire putarem. Quod autem vera amicitia inter eos, qui sine Christo sunt, esse non possit, mihi fateor esse persuasum.

AELREDUS. Satis nobis in consequentibus elucescet, utrum definitio minus aliquid habeat, vel superabundet in aliquo; ut vel reprobetur a nobis, vel quasi sufficiens, et extra nihil recipiens admittatur. Ex ipsa tamen definitione, quamvis forte tibi minus videatur esse perfecta, intelligere utcunque poteris, quid sit amicitia. Ivo. Non sim tibi oneri, rogo te, si non ista sufficiant, nisi ipsius vocabuli rationem mihi enucleaveris.

AELREDUS. Geram tibi morem, si tamen parcas inscientiæ meæ, ut me non cogas docere, quod nescio. Ab amore, ut mihi videtur, amicus dicitur, ab amico amicitia. Est autem amor quidam animæ rationalis affectus per quem ipsa aliquid cum desiderio quærit et appetit ad fruendum; per quem et fruitur eo cum quadam interiori suavitate, amplectitur et conservat adeptum. Cujus affectus et motus in Speculo nostro, quod satis cognitum habes, quam lucide potuimus ac diligenter, expressimus. Porro amicus quasi amoris, vel, ut quibusdam placuit, ipsius animi custos dicitur; quoniam amicum meum amoris mutui, vel ipsius animi mei oportet esse custodem, ut omnia ejus secreta fideli silentio servet; quidquid in eo vitiosum viderit, pro viribus curet et toleret; cui et gaudenti congaudeat, et dolenti condoleat, et omnia sua esse sentiat, quæ amici sunt. Amicitia igitur ipsa virtus est, qua talis dilectionis ac dulcedinis fœdere ipsi animi copulantur, et efficiuntur unum de pluribus. Unde ipsam amicitiam non inter fortuita et caduca, sed inter ipsas virtutes, quæ æternæ sunt, etiam mundi hujus philosophi collocarunt, quibus Salomon in Proverbiis consentire videtur: *Omni*, inquiens, *tempore diligit, qui amicus est* (*Prov.* XVII), manifeste declarans amicitiam æternam esse, si vera est; si autem esse desierit, nec veram fuisse, cum videretur existere. Ivo. Quid est igitur, quod inter amicissimos graves ortas inimicitias legimus?

AELREDUS. De his suo loco uberius, si Deus voluerit, disputabimus; hoc volo interim credas, nunquam fuisse amicum, qui lædere potuit eum, quem in amicitia semel recepit; sed nec eum veræ amicitiæ gustasse delicias, qui vel læsus desiit diligere, quem semel amavit. Omni enim tempore diligit, qui amicus est; etsi arguatur, etsi lædatur, etsi tradatur flammis, etsi cruci affigatur, omni tempore diligit qui amicus est; et, ut ait noster Hieronymus, « Amicitia quæ desinere potest, nunquam vera fuit. » Ivo. Cum tanta sit in amicitia vera perfectio, non est mirum quod tam rari fuerint hi, quos veros amicos antiquitas commendavit. Vix enim, ut ait Tullius, tria vel quatuor amicorum paria, in tot retro sæculis fama concelebrat. Quod si nostris, id est Christianis temporibus, tanta est raritas amicorum, frustra, ut mihi videtur, in hujus virtutis inquisitione desudo, quam me adepturum, ejus mirabili sublimitate territus, jam pene despero.

AELREDUS. Magnarum rerum, ut ait quidam, ipse conatus magnus est. Unde virtuosæ mentis est, sublimia semper et ardua meditari; ut vel adipiscatur optata, vel lucidius intelligat, et cognoscat optanda, cum non parum credendus sit profecisse, qui virtutis cognitione didicit, quam longe sit a virtute. Quamvis de nullius virtutis acquisitione desperandum sit Christiano, cui quotidie ex Evangelio vox divina resultat: *Petite et accipietis*, etc. (*Matth.* VII.) Nec mirum si inter ethnicos veræ virtutis rari fuerunt sectatores, qui virtutum largitorem Dominum nesciebant, de quo scriptum est: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ* (*Psal.* XXIII). In cujus profecto fide, non dico tria vel quatuor, sed mille tibi proferam paria amicorum; qui quod illi de Pilade et Oreste pro magno miraculo dicunt vel finguut, parati erant pro invicem mori. Nonne, secundum Tullianam diffinitionem, veræ amicitiæ virtute pollebant, de quibus scriptum est. *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam aliquid suum esse dicebat, sed erant illi omnia communia?* (*Act.* V.) Quomodo non inter eos rerum divinarum et humanarum, cum charitate et benevolentia fuit summa consensio, quibus cor erat unum et anima una? Quot martyres pro fratribus animas posuerunt! quot non pepercerunt expensis, non laboribus, non ipsius corporis cruciatibus! Credo te multoties, non sine lacrymis, legisse puellam illam Antiochenam, pulcherrima cujusdam militis fraude ereptam lupanaribus, ipsum postmodum socium habuisse martyrii, quem custodem pudicitiæ invenerat in lupanari. Multa tibi hujus rei proferrem exempla, nisi et prolixitas prohiberet, et silentium nobis ipsa copia indixisset. Annuntiavit enim Christus Jesus, et locutus est, et multiplicati sunt super numerum. *Majorem*, inquit, *hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV). Ivo. Ergone inter amicitiam et charitatem nihil distare arbitrabimur?

AELREDUS. Imo plurimum; multo enim plures gremio charitatis, quam amicitiæ amplexibus recipiendos, divina sanxit auctoritas. Non enim amicos solum, sed et inimicos sinu dilectionis excipere, charitatis lege compellimur. Amicos autem illos solos dicimus, quibus cor nostrum, et quidquid in illo est, committere non formidamus; illis vicissim nobis, eadem fidei lege et securitate con-

Digitized by Google

strictis. Ivo. Quam multi seculariter viventes, et sibi in quibuslibet vitiis consentientes simili sibi fœdere copulantur, et præ cunctis mundi deliciis gratum, et dulce etiam talis amicitiæ vinculum experiuntur! Non sit tibi molestum inter tot amicitias, illam quam spiritualem ad differentiam aliarum credimus nominandam, quæ illis quodammodo involvitur et obscuratur, et illam quærentibus et desiderantibus occurrunt et obstrepunt, ab earum, ut ita dixerim, communione secernere; ut illarum comparatione clariorem eam nobis, ac proinde optabiliorem faciens, ad ejus nos acquisitionem vehementius excites et accendas.

Aelredus. Falso sibi præclarum amicitiæ nomen assumunt, inter quos est convenientia vitiorum; quoniam qui non amat, amicus non est, non B amat autem hominem, qui amat iniquitatem. *Qui* enim *diligit iniquitatem* non amat, sed *odit animam suam* (*Psal.* x); qui vero suam non diligit animam, utique alterius amare non poterit. Unde colligitur eos amicitiæ falso nomine gloriari, fallique ejus similitudine, non veritate fulciri. Verumtamen cum in hac tali amicitia, quam vel libido commaculat, vel avaritia fœdat, vel incestat luxuria, tanta ac talis experiatur dulcedo: libet conjicere, quantum habeat suavitatis illa, quæ quanto honestior est, tanto est securior; quanto castior, tanto jucundior; quanto liberior, tanto felicior. Patiamur tamen ut, propter quamdam, quæ in affectibus sentitur, similitudinem, etiam illæ amicitiæ C quæ veræ non sint, amicitiæ nuncupentur, dum tamen ab illa quæ spiritualis est, et ideo vera, certis judiciis distinguantur. Dicatur itaque amicitia alia carnalis, alia mundialis, alia spiritualis. Et carnalem quidem creat vitiorum consensus; mundialem spes quæstus accendit; spiritalem inter bonos vitæ, morum studiorumque similitudo conglutinat. Verum amicitiæ carnalis exordium ab affectione procedit, quæ instar meretricis divaricat pedes suos omni transeunti, sequens aures et oculos suos per varia fornicantes; per quorum aditus usque ad ipsam mentem pulchrorum corporum, vel rerum voluptuosarum inferuntur imagines: quibus ad libitum frui, putat esse beatum; sed sine socio frui, minus æstimat esse jucundum. Tunc motu, nutu, D verbis, obsequiis, animus ab animo captivatur, et accenditur unus ab altero, et conflantur in unum: ut inito fœdere miserabili, quidquid sceleris, quidquid sacrilegii est, alter agat et patiatur pro altero; nihilque hac amicitia dulcius arbitrantur, nihil judicant justius: idem velle, et idem nolle, sibi existimantes amicitiæ legibus imperari. Hæc itaque amicitia nec deliberatione suscipitur, nec judicio probatur, nec regitur ratione; sed secundum impetum affectionis per diversa raptatur; non modum servans, non honesta procurans, non commoda incommodave prospiciens; sed ad omnia inconsiderate, indiscrete, leviter, immoderateque progrediens. Idcirco vel quasi quibusdam furiis agitata, a A semetipsa consumitur, vel eadem levitate resolvitur, qua contrahitur. At amicitia mundialis, quæ rerum vel bonorum temporalium cupidine parturitur, semper est plena fraudis atque fallaciæ; nihil in ea certum, nihil constans, nihil securum; quippe quæ semper cum fortuna mutatur, et sequitur marsupium. Unde scriptum est: *Est amicus secundum tempus, et non permanebit in die tribulationis* (*Eccli.* VI). Tolle spem quæstus, et statim desinet esse amicus. Quam amicitiam quidam versus ita eleganter derisit:

Non est personæ sed prosperitatis amicus,
Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

Attamen hujus amicitiæ vitiosæ principium quosdam plerumque ad quamdam veræ amicitiæ provehit portionem: eos scilicet, qui primum spe lucri communis fœdus ineuntes, dum sibi in iniquo mammona fidem servant, in rebus duntaxat humanis, ad maximum perveniunt grātumque consensum. Attamen vera amicitia nullo modo dicenda est, quæ commodi temporalis causa suscipitur et servatur. Amicitia enim spiritalis, quam veram dicimus, non utilitatis cujusque mundialis intuitu, non qualibet extra nascente causa, sed ex propriæ naturæ dignitate, et humani pectoris sensu desideratur, ita ut fructus ejus præmiumque, non sit aliud quam ipsa. Unde Dominus in Evangelio: *Posui vos*, inquit, *ut eatis, et fructum afferatis* (*Joan.* XV), id est ut invicem diligatis. In ipsa namque vera amicitia itur proficiendo, et fructus capitur perfectionis illius dulcedinem sentiendo. Amicitia itaque spiritalis, inter bonos, vitæ, morum, studiorumque similitudine parturitur, quæ est in rebus humanis atque divinis, cum benevolentia et charitate consensio. Quæ quidem diffinitio, ad amicitiam exprimendam, satis mihi videtur esse sufficiens; si tamen more nostro charitas nuncupetur, ut amicitia omne vitium excludatur, benevolentia autem ipse sensus amandi, qui cum quadam dulcedine movetur interius, exprimatur. Ubi talis est amicitia, ibi profecto est idem velle et idem nolle, tanto utique dulcius, quanto sincerius; tanto suavius, quanto sacratius; ubi sic amantes nihil possunt velle quod dedeceat, nihil quod expediat, nolle. Hanc nempe amicitiam prudentia dirigit, justitia regit, fortitudo custodit, temperantia moderatur; de quibus suo loco disputabimus. Nunc autem si de eo, quod primum quærendum putasti, videlicet quid sit amicitia satis dictum existimas, edicito. Ivo. Sufficiunt plane ea, quæ dicta sunt, nec aliquid mihi suggeritur, quod ultra quæram. Sed antequam ad alia transeamus, scire desidero, unde primum amicitia inter mortales orta est, natura an casu, an necessitate aliqua, vel certe præcepto, aut lege humano generi imposita in usum venerit, usus vero eam commendabilem fecerit.

Aelredus. Amicitiæ, ut mihi videtur, primum ipsa natura humanis mentibus impressit affectum, deinde experientia auxit, postremo legis auctoritas ordinavit. Deus enim summe potens et summe bonus, sibi ipsi sufficiens bonum est; quoniam bo-

Digitized by Google

num suum, gaudium suum, gloria sua, beatitudo sua ipse est; nec est aliquid extra ipsum quo egeat, non homo, non angelus, non cœlum, non terra, nec aliquid, quod in ipsis est. Cui omnis creatura proclamat : *Deus meus es, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* xv). Nec tantum sibi sufficit ipse, sed et omnium rerum sufficientia ipse est, dans aliis esse, aliis et sentire, aliis insuper et sapere, ipse omnium existentium causa, omnium sentientium vita, omnium intelligentium sapientia. Ipse itaque summa natura omnes naturas instituit, omnia suis locis ordinavit, omnia suis temporibus discrete distribuit. Voluit autem, nam et ita ratio ejus æterna præscripsit, ut omnes creaturas suas pax componeret, et uniret societas; et ita omnia ab ipso, qui summe et pure unus est, quoddam unitatis vestigium sortirentur. Hinc est, quod nullum genus rerum solitarium reliquit, sed ex multis quadam societate connexuit. Nam ut ab insensibilibus ordiamur, quæ humus, vel quod flumen unum unius generis gignit lapidem : aut quæ silva unam unius generis arborem profert? Ita inter ipsa insensibilia quasi amor quidam societatis elucet, cum nihil eorum solum sit, sed cum quadam sui generis societate et creetur, et persistat. Verum inter ipsa sensibilia quanta amicitiæ species et societatis amorisque fulgeat imago, quis facile dixerit? Certe cum in cæteris omnibus irrationabilia deprehendantur, in hac tamen parte ita humanum animum imitantur, ut pene ratione agi æstimentur. Ita se sequuntur, ita colludunt sibi, ita motibus simul et vocibus suum exprimunt et produnt affectum, tam avide et jucunde mutua societate fruuntur, ut nihil magis quam ea, quæ amicitiæ sunt, curare videantur. Sic etiam in angelis divina sapientia providit, ut non unus videlicet crearetur; sed plures; inter quos grata societas, et amor suavissimus eamdem voluntatem, eumdem crearet affectum; ne cum alter superior, inferior alter videretur, locus pateret invidiæ, si non obstitisset charitas amicitiæ, et ita solitudinem excluderet multitudo, jucunditatem augeret in pluribus charitatis communio. Postremo cum hominem condidisset, ut bonum societatis altius commendaret : *Non est bonum*, inquit, *homini esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi* (*Gen.* II). Nec certe de simili, vel saltem de eadem materia, hoc adjutorium divina virtus formavit, sed ad expressius charitatis et amicitiæ incentivum, de ipsius substantia masculi feminam procreavit. Pulchre autem de latere primi hominis secundus assumitur, ut natura doceret omnes æquales, quasi collaterales, nec esset in rebus humanis superior vel inferior, quod est amicitiæ proprium. Ita natura mentibus humanis, ab ipso exordio amicitiæ et charitatis impressit affectum, quem interior mox sensus amandi, quodam gustu suavitatis adauxit. At post lapsum primi hominis, cum refrigescente charitate cupiditas subintrasset, fecissetque bono communi privata præponi, amicitiæ charitatisque splendorem avaritia invidiaque corrupit; contentiones, æmulationes, odia, suspiciones corruptis hominum moribus invehens. Tunc boni quique inter charitatem et amicitiam distinxerunt; animadvertentes quod etiam inimicis atque perversis sit impendenda dilectio; cum in bonos et pessimos esse non possit voluntatum vel consiliorum ulla communio. Amicitia itaque, quæ sicut charitas inter omnes primum et ab omnibus servabatur, inter paucos bonos naturali lege resedit, qui videntes a multis sacra fidei et societatis jura violari, arctiori se dilectionis et amicitiæ fœdere constrinxerunt; inter mala, quæ videbant et sentiebant, in mutuæ charitatis gratia quiescentes. Verum his, in quibus omnem virtutis sensum oblitteravit impietas, ratio, quæ in eis exstingui non potuit, ipsum amicitiæ et societatis affectum reliquit; adeo ut sine sociis nec avaro divitiæ, nec ambitioso gloria, nec voluptas placere posset luxurioso. Compacta sunt itaque etiam inter pessimos quædam societatis fœdera detestanda; quæ amicitiæ pulcherrimo nomine palliata, lege et præceptis a vera amicitia fuerant distinguenda; ne cum ista appeteretur, in illa propter quamdam ejus similitudinem incaute incideretur. Sic amicitiam, quam natura instituit, quam roboravit usus, legis auctoritas ordinavit. Manifestum proinde est amicitiam naturalem esse, sicut virtutem, sicut sapientiam, et cætera, quæ propter se, quasi bona naturalia, et appetenda sunt et servanda : quibus omnis, qui ea habet, bene utitur, quibus nullus prorsus abutitur.

Ivo. Nonne, quæso te, sapientia multi abutuntur; qui ex ea hominibus placere cupiunt, vel in seipsis pro collata sibi sapientia superbiunt; vel certe hi, qui eam venalem habent, et quæstum existimant pietatem?

Aelredus. Hinc tibi satisfaciet noster Augustinus, cujus verba sunt hæc : « Qui sibi placet, stulto homini placet, quia profecto stultus est, qui sibi placet. » Qui vero stultus est, sapiens non est. Et qui sapiens non est, non habendo utique sapientiam, sapiens non est. Quomodo igitur sapientia male utitur, qui sapientiam non habet? Sic et superba castitas virtus non est; quia superbia ipsa, quæ vitium est, eam quæ virtus putabatur, sibi conformem facit; ideo jam non virtus, sed vitium est. Ivo. Sed pace tua dico, non congruum mihi videtur, quod amicitiæ sapientiam adjunxisti, cum inter illas nulla sit comparatio.

Aelredus. Sæpe minora majoribus, bona melioribus, inferiora fortioribus, etsi non coæquantur, conjunguntur tamen, maxime in virtutibus; quæ licet a se graduum diversitate discrepent, quadam sibi tamen similitudine vicinantur. Vicina enim est virginitati viduitas, viduitati conjugalis castitas; quamvis inter has virtutes magna sit differentia, in eo tamen, quod virtutes sunt, nonnulla est convenientia. Neque enim ideo pudicitia conjugalis virtus non est, quia præcellit continentia vidualis; quibus licet sancta præferatur virginitas, earum tamen

Digitized by Google

gratiam non obliterat. Quamvis si ea, quæ de amicitia dicta sunt, diligenter advertas, invenies eam sapientiæ sic vicinam vel infertam, ut pene dixerim, amicitiam nihil aliud esse, quam sapientiam. Ivo. Obstupesco, fateor, nec facile id mihi persuaderi posse, existimo.

AELREDUS. Exciditne tibi dixisse Scripturam : *Omni tempore diligit, qui amicus est? (Prov.* XVII.) Ait etiam, sicut meministi, noster Hieronymus : « Amicitia quæ desinere potest, nunquam vera fuit. » Amicitiam etiam nec subsistere quidem sine charitate, satis superque monstratum est. Cum igitur in amicitia et æternitas vigeat, et veritas luceat, et charitas dulcescat, utrum nomen sapientiæ tribus his debeas abrogare, tu videris. Ivo. O quid est hoc? dicamne de amicitia quod amicus Jesu Joannes de charitate commemorat : Deus amicitia est?

AELREDUS. Insuetum quidem hoc, nec ex Scripturis habet auctoritatem : quod tamen sequitur de charitate, amicitiæ profecto dare non dubito, quoniam : *Qui manet in* amicitia, *in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV). Quod, cum de ipsius fructu vel utilitate cœperimus disputare, manifestius pervidebimus. Nunc, si quid sit amicitia, pro simplicitate ingenioli nostri satis diximus, cætera, quæ enucleanda proposuisti, alio tempori reservemus. Ivo. Licet aviditati meæ nimis ista sit molesta dilatio, ad hoc tamen non solum tempus cœnæ, cui deesse non permittitur; sed etiam multorum, quibus debitor tu es, exspectatio satis onerosa compellit.

LIBER SECUNDUS.

De fructu amicitiæ et excellentia ejus.

AELREDUS. Jam nunc, frater, accede : quidnam causæ fuerit, quod paulo ante, cum carnalibus illis carnalia compararem, solus sedebas, modicum semotus a nobis; et nunc oculos huc illucque vertebas, nunc frontem confricabas manu, nunc capillos digitis contrectabas, nunc iram ipsa facie præferens, aliquid tibi præter votum accessisse, crebra vultus mutatione querebaris, edicito. GALTERUS. Profecto ita est. Quis enim patienter sustineat tota die, nescio quos exsecutores Pharaonis tui habere copiam; nos autem, quibus specialiter debitor es, nec rarum tecum habere posse colloquium?

AELREDUS. Et illis quoque gerendus est mos, quorum vel optamus beneficia, vel maleficia formidamus. Quibus vel nunc tandem exclusis, tanto mihi gratior est solitudo, quanto molestior inquietudo præcessit. Nam optimum cibi condimentum fames est; nec mel aliave species vinum sic sapidum reddit ut sitis vehemens aquam. Quocirca erit tibi forte hæc nostra collatio quasi cibus vel potus quidam spiritualis, eo jucundior, quo æstus præcessit ardentior. Age jam, et quod anxio pectore paulo ante parabas evolvere, in medium proferre non differas. GALTERUS. Faciam quidem, nam si velim de hora causari, quam isti nobis reliquere brevissimam, videbor mihi eam facere breviorem. Dic nunc, rogo te, utrum elapsum animo sit, an adhuc memoria teneas; quid inter te quondam, et tuum Ivonem de amicitia spirituali convenerit; quas tibi ipse proposuerit quæstiones : quantum in earum enucleatione processeris, quid de his quoque stylo tradideris.

AELREDUS. Equidem charissimi mei recordatio, imo continuus amplexus et affectus, ita mihi semper recens est, ut, licet humanis exemptus conditioni satis dederit, in meo tamen animo nunquam videatur obiisse. Ibi enim semper mecum est, ibi mihi religiosus ejus vultus elucet, ibi mihi dulces ejus arrident oculi, ibi ejus jucunda mihi verba sic sapiunt, ut vel ego videar cum eo ad meliora transisse; vel ipse mecum adhuc in inferioribus conversari. Scis autem, quia plures præterierunt anni, ex quo schedula ipsa, cui de spirituali amicitia ejus interrogationes, measque responsiones impresseram, nobis elapsa est. GALTERUS. Non me latent ista; sed, ut verum fatear, hinc tota aviditas et impatientia tota descendit; quod schedulam ipsam ante hoc triduum repertam, et tibi traditam, a quibusdam accepi. Ostende eam, quæso, puero tuo : non enim requiescit spiritus meus, donec conspectis omnibus, et quid illi disputationi desit, advertens; ea quæ mihi vel mens propria, vel inspiratio occulta suggesserit esse quærenda, ad tuæ paternitatis examen proferam, aut reprobanda, aut admittenda, aut exponenda.

AELREDUS. Geram tibi morem; sed solus volo legas quod scriptum est, nec efferatur in publicum : ne forte aliqua resecanda, addenda nonnulla, plurima vero corrigenda æstimaverim. GALTERUS. Ecce adsum, habens aures ad tua verba suspensas; tanto certe avidius, quanto id quod de amicitia legi, dulcius sapuit. Quoniam igitur, quid sit amicitia, legi magnifice disputatum; quid cultoribus suis pariat utilitatis, velim mihi insinues. Cum enim res tanta sit, ut certis rationibus visus es comprobasse; tunc primum vehementius appetitur, cum finis ejus fructusque cognoscitur.

AELREDUS. Non id pro tantæ rei dignitate a me explicari posse præsumo; cum in rebus humanis nihil sanctius appetatur, nihil quæratur utilius, nihil difficilius inveniatur, nihil experiatur dulcius, nihil fructuosius teneatur. Habet enim fructum

Digitized by Google

vitæ præsentis et futuræ; ipsa enim omnes virtutes sua ostendit suavitate, vitia sua virtute confodit : adversa temperat, componit prospera : ita ut sine amico inter mortales nihil fere possit esse jucundum : et homo bestiæ comparetur, non habens qui secum collætetur in rebus secundis, in tristibus contristetur; cui évaporet, si quid molestum mens conceperit; cui communicet, si quid præter solitum sublime vel luminosum accesserit. *Væ soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se !* (*Eccle.* IV.) Solus omnino est, qui sine amico est. At quæ felicitas, quæ securitas, quæ jucunditas est, habere cum quo æque audeas loqui, ut tibi; cui confiteri non timeas, si quid deliqueris; cui non erubescas revelare, in spiritualibus si quid profeceris; cui cordis tui omnia secreta committas, et commendes consilia? Quid igitur jucundius, quam ita unire animum alterius, et unum efficere de duobus, ut nulla jactantia timeatur, nulla formidetur suspicio, nec correptus alter ab altero doleat, nec laudantem alter alterum adulationis notet vel arguat ? *Amicus*, ait Sapiens, *medicamentum est vitæ* (*Eccli.* VI). Præclare quidem id. Non enim validior vel efficacior est vulneribus nostris in omnibus temporalibus medicina, quam habere qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans; ut, junctis suis humeris, onera sua invicem tolerent, nisi quod unusquisque propriam levius quam amici portet injuriam. Amicitia ergo secundas res facit splendidiores, adversas partiens communicansque reddit leviores. Optimum ergo vitæ medicamentum amicus. Nam et philosophis etiam placuit. Non aqua, non sole, non igne pluribus locis utimur, quam amico. In omni actu, in omni studio, in certis, in dubiis, in quolibet eventu, in fortuna qualibet, in secreto, in publico, in omni consultatione, domi forisque ubique amicitia grata, amicus necessarius, utilis gratia reperitur. Quocirca amici, ait Tullius, et absentes adsunt sibi, et egentes abundant, et imbecilles valent : et quod difficilius est dictu, mortui vivunt. Igitur amicitia est divitibus pro gloria, exsulibus pro patria, pauperibus pro censu, ægrotis pro medicina, mortuis pro vita, sanis pro gratia, imbecillibus pro virtute, robustis pro præmio. Tantus enim amicos honor, memoria, laus, desideriumque prosequitur, ut et eorum vita laudabilis, et mors pretiosa judicetur : et quod his omnibus excelsius, quidam gradus est amicitia vicinus perfectioni, quæ in Dei dilectione et cognitione consistit; ut homo ex amico hominis Dei efficiatur amicus, secundum illud Salvatoris in Evangelio : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (*Joan.* XV). GALTERUS. Ita, fateor, tua me movit oratio, ita in amicitiæ desiderium totum animi mei succendit appetitum, ut nec vivere me crediderim, quandiu hujus tanti boni, tam multiplici fructu carudo. Sed hoc quod ultimum posuisti, quod me totum rapuit, et pene abripuit a terrenis, plenius mihi enodari desidero; quod scilicet amicitia optimus ad perfectionem gradus existit. Et opportune satis hic nunc noster Gratianus intravit, quem ipsius amicitiæ alumnum jure dixerim : cujus totum studium est amari et amare; ne forte amicitiæ nimium avidus, ejusque similitudine deceptus, falsam pro vera, fictam pro solida, pro spiritali carnalem recipiat. GRATIANUS. Ago gratias humanitati tuæ, frater, quod non vocato, sed se impudentius ingerenti, nunc tandem ad spiritale convivium concedis accessum. Nam si me serio, non ludo alumnum amicitiæ appellandum putasti, debueram in sermonis principio accersiri, nec aviditatem meam posita verecundia prodidissem. At tu, Pater, perge quo cœperas, et causa mei aliquid mensis appone; ut, si non satiari ut iste (qui nescio quot ferculis devoratis, nunc me quasi ad reliquias suas fastidiosus ascivit), saltem modicum valeam refocillari.

AELREDUS. Non verearis, fili, quoniam tanta restant adhuc de amicitiæ bono dicenda, quæ si quilibet sapiens prosequeretur, nos nihil dixisse putares. Verum quomodo ad Dei dilectionem et cognitionem, gradus quidam sit amicitia, paucis adverte. In amicitia quippe nihil inhonestum est, nihil fictum, nihil simulatum, et quidquid est, id sanctum et voluntarium, et verum est. Et hoc ipsum quoque charitatis proprium est. In hoc vero amicitia speciali prærogativa præluceat, quod inter eos, qui sibi amicitiæ glutino copulantur, omnia jucunda, omnia secura, omnia dulcia, omnia suavia sequuntur. Ex charitatis igitur perfectione plerosque diligimus, qui nobis oneri sunt et dolori; quibus licet honeste, non ficte, non simulate, sed vere voluntarieque consulimus, ad secreta tamen eos amicitiæ nostræ non admittimus. Quocirca in amicitia conjunguntur honestas et suavitas, veritas et jucunditas, dulcedo et voluntas, affectus et actus. Quæ omnia a Christo inchoantur, per Christum promoventur, in Christo perficiuntur. Non igitur videtur nimium gravis vel innaturalis ascensus, de Christo amorem inspirante, quo amicum diligimus, ad Christum, semetipsum amicum nobis præbentem, quem diligamus; ut suavitas suavitati, dulcedo dulcedini, affectus succedat affectui. Itaque amicus, in spiritu Christi adhærens amico, efficitur cum eo cor unum et anima una, et sic per amoris gradus ad Christi conscendens amicitiam, unus cum eo spiritus efficitur in osculo uno. Ad quod osculum anima quædam sancta suspirans, *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui* (*Cant.* I). Consideremus istius osculi carnalis proprietatem, ut de carnalibus ad spiritalia, de humanis ad divina transeamus. Duobus alimentis vita hominis sustentatur, cibo et aere. Et sine cibo quidem aliquandiu potest subsistere, at sine aere ne una quidem hora. Itaque ut vivamus, ore haurimus aerem, et remittimus. Et ipsum quidem quod emittitur vel recipitur, spiritus nomen obtinuit. Quocirca in osculo duo sibi spiritus obviant, et miscentur

Digitized by Google

sibi, et uniuntur : ex quibus quædam mentis suavitas nascens, osculantium monet et perstringit affectum. Est igitur osculum corporale, osculum spiritale, osculum intellectuale. Osculum corporale impressione fit labiorum; osculum spiritale conjunctione animorum; osculum intellectuale per Dei spiritum, infusione gratiarum. Osculum proinde corporale non nisi certis et honestis causis aut offerendum est, aut recipiendum : verbi gratia in signum reconciliationis, quando fiunt amici, qui prius fuerant inimici adinvicem. In signum pacis, sicut communicaturi in Ecclesia, interiorem pacem exteriori osculo demonstrant. In signum dilectionis, sicut inter sponsum et sponsam fieri permittitur; vel sicut ab amicis, post diuturnam absentiam, et porrigitur et suscipitur. In signum catholicæ unitatis, sicut fit cum hospes suscipitur. Sed sicut plerique aqua, igni, ferro, cibo et aere, quæ naturaliter bona sunt, in suæ crudelitatis vel voluptatis satellitium abutuntur; ita perversi et turpes, etiam hoc bono, quod ad ea significanda quæ diximus, lex naturalis instituit, sua quodammodo flagitia condire nituntur : ipsum osculum turpitudine tanta fœdantes, ut sic osculari nil sit aliud quam adulterari. Quod quam sit detestandum, quam abominandum, quam fugiendum, quam aversandum, quilibet honestus intelligit. Porro osculum spiritale proprie amicorum est, qui sub una amicitiæ lege tenentur : non enim fit oris attactu, sed mentis affectu : non conjunctione labiorum, sed commistione spirituum, castificante omnia Dei spiritu, et ex sui participatione cœlestem immittente saporem. Hoc osculum dixerim Christi, quod ipse tamen porrigit non ore proprio sed alieno; illum sacratissimum amantibus inspirans affectum, ut illis videatur quasi unam animam in diversis esse corporibus; dicantque cum Propheta : *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Huic ergo osculo assuefacta mens, et a Christo totam hanc dulcedinem adesse non ambigens, quasi secum reputans et dicens : O si ipsemet accessisset; ad illud intellectuale suspirat, et cum maximo desiderio clamans : *Osculetur me*, dicit, *osculo oris sui* (*Cant.* I); ut jam terrenis affectibus mitigatis, et omnibus, quæ de mundo sunt, cogitationibus desideriisque sopitis, in solius Christi delectetur osculo, et quiescat amplexu, exsultans et dicens : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II). GRATIANUS. Amicitia hæc, ut video, non est popularis, nec qualem eam somniare consuevimus. Nescio quid hic Galterus hactenus senserit; ego aliud nihil amicitiam esse credidi, quam inter duos tantam voluntatum identitatem, ut nihil velit unus, quod alter nolit; sed tanta sit inter utrosque in bonis malisque consensio, ut non spiritus, non census, non honor, nec quidquam, quod alterius sit, alteri denegetur, ad fruendum pro voto, et abutendum. GALTERUS. Longe aliud in priori dialogo memini me didicisse, ubi ipsa diffinitio amicitiæ posita et exposita, merito ad ejus fructum altius inspiciendum me vehementius animavit. De qua sufficienter instructi, certam nobis metam, quatenus debeat amicitia progredi, cum diversorum diversa sententia sit, petimus præfigi. Sunt namque quidam, qui contra fidem, contra honestatem, contra commune bonum vel privatum, favendum putant amico. Quidam solam fidem detrahendam judicant, cætera non cavenda. Alii pro amico contemnendam pecuniam, expuendos honores, majorum inimicitias subeundas, exsilium etiam censent non fugiendum; se ipsum, in quibus non obsit patriæ, nec contra fas alium lædat, etiam in inhonestis et turpibus exponendum. Sunt et qui hanc metam in amicitia constituunt, ut unusquisque, sicut erga seipsum, sic et efficiatur erga amicum. Quidam amico in omni beneficio vel obsequio vicem rependere, satis dare amicitiæ credunt. Mihi sane nulli horum esse credendum, hac nostra collatione satis persuasum est; unde aliquam certam mihi in amicitia metam a te opto constitui, maxime propter hunc Gratianum, ne forte secundum nomen suum, ita velit esse gratiosus, ut incaute fiat vitiosus. GRATIANUS. Haud ingrate hanc tuam pro me accipio sollicitudinem : nisi tamen silis audiendi præpediret, forte jam nunc tibi redderem talionem. Sed quid potius ad tuas inquisitiones respondere velit, pariter audiamus.

AELREDUS. Certam in amicitia metam Christus ipse præfixit : *Majorem*, inquiens, *hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV). Ecce quousque tendi debet amor inter amicos, ut scilicet velint pro invicem mori. Satisne vobis istud?

GRATIANUS. Cum major esse non possit amicitia, cur non satis sit? GALTERUS. Quid si pessimi quique vel ethnici, in consensu facinorum et flagitiorum sic se diligant, ut velint pro invicem mori, eosne ad summam amicitiæ conscendisse fatebimur?

AELREDUS. Absit, cum inter pessimos amicitia esse non possit! GRATIANUS. Describe nobis, quæso, inter quos vel oriri potest, vel servari.

AELREDUS. Breviter dico : inter bonos oriri potest, inter meliores proficere, consummari autem inter perfectos. Quandiu enim quemquam ex studio malum delectat, quandiu ei voluptas gratior est puritate, temeritas moderatione, adulatio correptione, quomodo ad amicitiam vel aspirare eum fas est, cum ortus ejus ex virtutis opinione procedit? Difficile igitur, imo impossibile tibi est, vel initia ejus degustare, si fontem, de quo oriri potest, nescieris. Fœdus est enim amor, nec amicitiæ nomine dignus, quo turpe aliquid exigitur ab amico; quod necesse est eum facere, qui necdum vitiis aut sopitis aut depressis, ad quælibet illicita vel illicitur, vel impellitur. Unde illorum detestanda sententia

Digitized by Google

est, qui, contra fidem et honestatem, pro amico æstimant faciendum. Nulla enim excusatio peccati est, si amici causa peccaveris. Protoplastus Adam salubrius præsumptionis arguisset uxorem, quam, gerendo ei morem, vetitum usurpasset (*Gen.* III). Multo etiam melius servi regis Saul fidem domino servaverunt, contra ejus imperium manum sanguini subtrahentes, quam Doeg Idumæus, qui regiæ crudelitatis minister, Domini sacerdotes sacrilegis manibus interfecit (*I Reg.* XXII). Jonadab quoque amicus Ammon (*II Reg.* XIII) laudabilius amici prohibuisset incestum, quam quo potiretur optato, consilium præbuisset. Sed nec amicos Absalon amicitiæ virtus excusat (*II Reg.* XVI), qui perduellioni præbentes assensum, contra patriam arma tulerunt. Et ut ad hæc nostra tempora veniamus, multo certe felicius Otto Romanæ cardinalis Ecclesiæ, ab amicissimo suo recessit Guidone, quam Joannes suo adhæsit in tali schismate Octaviano. Cernitis igitur, nisi inter bonos amicitiam stare non posse. GRATIANUS. Quid igitur nobis cum amicitia, qui boni non sumus?

AELREDUS. Ego bonum non ita ad vivum reseco, ut quidam, qui neminem volunt esse bonum, nisi eum cui ad perfectionem nihil desit. Nos hominem bonum dicimus, qui secundum modum nostræ mortalitatis, sobrie, et juste, et pie vivens in hoc sæculo (*Tit.* II), nihil a quolibet inhonestum petere, nec rogatus velit præstare. Inter tales profecto amicitiam oriri, a talibus perfici posse, non ambigimus. Nam qui vel fidem, vel patriæ periculum, vel alterius contra jus et fas læsionem excipientes, semetipsos amicorum exponunt libidini, eos non tam stultos dixerim, quam insanos: qui parcentes aliis, sibimet non æstimant esse parcendum; et aliorum providentes honestati, suam infeliciter produnt. GALTERUS. Fere in illorum cado sententiam, qui amicitiam dicunt esse cavendam, rem videlicet plenam sollicitudinis, atque curarum, nec timoris vacuam, multis etiam obnoxiam doloribus. Nam cum unicuique satis superque sit, sui curam gerere, incautum dicunt, se sic aliis obligare, ut necesse sit cum multis implicari curis, et affligi molestiis. Nihil præterea difficilius æstimant, quam amicitiam usque ad diem vitæ extremum permanere, turpeque nimis sit, post initam amicitiam, rem in contrarium verti. Unde tutius judicant, sic quemquam amare, ut possit odire cum velit, sic amicitiæ laxandas habenas, quas vel astringat, cum velit, vel remittat. GRATIANUS. Frustra igitur tu in loquendo, nos in audiendo laboravimus, si tam facile ab amicitiæ tenuerimus appetitu; cujus nobis fructum tam sanctum, tam utilem, tam acceptum Deo, perfectioni tam vicinum, tam multipliciter commendasti. Sit illi ista sententia, cui placet sic amare hodie, ut cras oderit; sic amicus omnibus esse, ut nulli sit fidus; hodie laudans, cras vituperans; hodie blandiens, cras mordens; hodie paratus ad oscula, cras ad opprobria promptus; cujus amor vili pretio comparatur, levissima recedit offensa. GALTERUS. Felle putabam carere columbos; verumtamen hæc istorum sententia, quæ sic displicet Gratiano, qualiter refelli possit, edicito.

AELREDUS. Pulchre de his Tullius: Solem, inquit, e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt, qua nihil a Deo melius habemus, nil jucundius. Qualis sapientia amicitiam detestari, ut sollicitudinem caveas, curis careas, exuaris timore! quasi virtus ulla sine sollicitudine vel acquiri possit, vel servari. Itane in te, sine tua magna sollicitudine, aut prudentia contra errores, aut temperantia contra libidines, aut justitia contra malitiam, aut fortitudo contra ignaviam pugnat? Quis, rogo, hominum, maxime adolescentium sine dolore maximo vel timore, tueri pudicitiam, vel lascivientem valet refrenare affectum? Stultus Paulus, qui noluit sine aliorum cura et sollicitudine vivere; sed intuitu charitatis, quam virtutem maximam credidit, infirmabatur cum infirmis, urebatur cum scandalizatis. Sed et tristitia illi magna erat, et continuus dolor cordi ejus, pro fratribus suis secundum carnem. Deserenda igitur illi charitas erat, ne sub tot timoribus ac doloribus, nunc quos genuerat, iterum parturiens (*Gal.* IV); nunc fovens ut nutrix (*II Thess.* I), nunc ut magister corripiens (*Col.* I); nunc timens, ne sensus illorum a fide corrumperentur (*II Cor.* II); nunc cum multo dolore multisque lacrymis ad pœnitentiam provocans (*II Cor.* II); nunc eos, qui non egerunt pœnitentiam, lugens. Videtis quomodo virtutes nituntur auferre e mundo, qui comitem illarum sollicitudinem e medio tollere non formidant. Stulte Chusai Arachites amicitiam, quæ erat ei cum David (*II Reg.* XVI), tanta fide servavit, ut sollicitudinem securitati præferret; malletque amici participare doloribus, quam parricidæ gaudiis honoribusque dissolvi? Ego eos non tam homines, quam bestias dixerim, qui sic dicunt esse vivendum, ut nulli consolationi sint, nulli etiam oneri vel dolori, qui nihil delectationis ex alterius bono concipiant, nihil amaritudinis sua aliis perversitate inferant, amare nullum, amari a nullo curantes. Absit enim, ut eorum quemquam amare concesserim, qui amicitiam quæstum putant! tunc se solis labiis profitentes amicos, cum spes alicujus commodi temporalis arriserit, vel cum amicum cujuslibet turpitudinis ministrum facere tentaverint. GALTERUS. Cum igitur certum sit multos amicitiæ similitudine falli, expone, quæso, cujusmodi amicitias cavere, quas appetere, colere et servare debeamus.

AELREDUS. Cum dictum sit eam nisi inter bonos non posse subsistere, facile tibi est percipere nullam amicitiam quæ bonos dedeceat recipiendam. GRATIANUS. Sed nos fortasse in hac discretione quid deceat, vel non deceat, caligamus.

AELREDUS. Geram vobis morem, et quæ nobis occurrerint fugiendæ, breviter adnotabo. Est amicitia puerilis, quam vagus et lasciviens creat affe-

Digitized by Google

etus, divaricans pedes suos omni transeunti : sine ratione, sine pondere, sine mensura, sine alicujus commodi vel incommodi consideratione. Hæc ad tempus vehementer afficit, et stringit, blandius allicit. Sed affectus sine ratione motus bestialis est, ad quæque illicita pronus, imo inter licita et illicita discernere non valens. Licet autem amicitiam plerumque affectus præveniat, nunquam tamen sequendus, nisi eum et ratio ducat, et honestas temperet, et regat justitia. Igitur hæc amicitia, quam diximus puerilem, eo quod in pueris magis regnet affectus, ut infida, et instabilis, et impuris mista semper amoribus, ab his quos spiritualis amicitiæ dulcedo delectat, omnimodis caveatur ; quam non tam amicitiam, quam amicitiæ dicimus esse venenum, cum in ea amoris nunquam modus possit servari legitimus, qui est ab animo ad animum; sed honestam ejus venam, ex carnis concupiscentia fumus quidam emergens, obnubilet et corrumpat ; et neglecto spiritu, ad carnis desideria trahat. Eapropter primordia amicitiæ spiritualis, primum intentionis habeant puritatem, rationis magisterium, temperantiæ frenum ; et sic suavissimus accedens affectus ita profecto sentietur dulcis, ut esse nunquam desinat ordinatus. Est et amicitia, quam pessimorum similitudo morum conciliat ; de qua dicere supersedeo, cum nec amicitiæ nomine digna, ut superius diximus, habeatur. Est præterea amicitia, quam consideratio alicujus utilitatis accendit, quam multi ob hanc causam et appetendam, et colendam, et conservandam existimant. Quod si admittimus, quam multos omni amore dignissimos excludemus : qui cum nihil habeant, nihil possideant, profecto nihil commodi temporalis ab eis vel adipisci poterit quis, vel sperare. Si vero inter commoda duxeris consilium in dubiis, consolationem in adversis, et cætera hujusmodi : hæc utique ab amico exspectanda sunt, sed sequi debent ista amicitiam, non præcedere. Necdum enim quid sit amicitia didicit, qui aliam ejus vult esse mercedem, quam ipsam ; quæ tunc plane merces erit colentibus eam, cum tota translata in Deum, in ejus contemplatione sepelit quos univit. Nam cum multas et magnas utilitates pariat amicitia fida bonorum, non illam tamen ab istis, sed ab illa istas procedere non ambigimus. Neque enim a beneficiis, quibus Berzellai Galaadites David (*II Reg.* xx) parricidam filium fugientem et suscepit, et fovit, et muneravit amicum, inter tantos viros partam credimus amicitiam, sed ab ipsa potius tantam gratiam processisse non dubitamus. Nam quod rex viri illius prius eguerit, nemo qui cogitet. Verum quod ipse viri magnarum opum, nihil pro his mercedis a rege speraverit, hinc advertere perspicuum est, quod omnes delicias divitiasque civitatis pronius offerenti, nihil suscipere acquievit, suis volens esse contentus. Sic et fœdus illud venerabile, quod inter David et Jonathan non spes futuræ utilitatis, sed virtutis contemplatio consecravit, multum utrisque novimus contulisse ; cum istius industria vita sit alterius conservata ; illius beneficio, hujus non sit posteritas deleta. Cum igitur in bonis semper præcedat amicitia, sequatur utilitas ; profecto non tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat. Utrum igitur de fructu amicitiæ satis dixerimus, utrum etiam certas personas, inter quas oriri et servari possit, et perfici, lucide dixerimus; utrum præterea assentationes, quæ falso amicitiæ nomine palliantur, manifeste prodiderimus ; utrum quoque certas metas, quousque tendi debeat amor inter amicos, ostenderimus ; vos judicate. Gratianus. Hoc ultimum non satis recordor enodatum.

Aelredus. Recolitis, ut credo, eorum me refellisse sententiam, qui metas amicitiæ in flagitiorum et facinorum consensu constituunt ; illorum quoque, qui usque ad exsilium progrediendum putant, et sine alterius læsione, quamlibet turpitudinem. Nihilominus et illorum, qui secundum speratæ utilitatis modum, quantitatem amicitiæ metiuntur. Nam duas earum, quas proposuit Galterus, nec mentione dignas existimavi. Quid enim ineptius esse potest, quam amicitiam hactenus extendi, ut in officiis vel obsequiis vicem rependat amico : cum omnia illis debeant esse communia, quibus nimirum esse debet et cor unum, et anima una? Quam turpe et illud, ut non aliter afficiatur quis erga amicum, quam erga se ipsum! cum unusquisque de se humilia, sublimia sentire debeat de amico. His igitur falsis amicitiæ finibus explosis, finem amicitiæ ex verbis Domini proferendum putavimus ; qui mortem ipsam pro amicis sanxit non esse fugiendam. Verum ne forte, si quilibet turpes sic affecti vellent pro invicem mori, ad amicitiæ summam crederentur evecti, diximus inter quas personas oriri possit, et perfici amicitia ; deinde illos, qui ob multas sollicitudines et curas, quas generat, cavendam eam existimant, ineptiæ credidimus arguendos. Postremo, quæ amicitiæ bonis omnibus sunt cavendæ, quam breviter potuimus enodavimus. Patet proinde ex his omnibus certa, et vera spiritualis amicitiæ meta ; nihil scilicet negandum amico, nihil pro amico non sustinendum, quod minus sit quam ipsa pretiosa corporis vita, quam ponendam pro amico divina sanxit auctoritas. Quocirca cum vita animæ corporis sit multo præstantior, hoc omnino negandum censemus amico, quod mortem inferat animæ, quod nihil aliud est quam peccatum, quod Deum separat ab anima, animam a vita. Verum in his, quæ vel exhibenda sunt amico, vel pro amico toleranda, quis servandus sit modus, quæ cautio adhibenda, non est temporis hujus evolvere. Gratianus. Non parum mihi Galterum nostrum fateor contulisse, cujus interrogatione provocatus, summam omnium, quæ disputata sunt, brevi comprehendens epilogo, quasi præ oculis in ipsa memoria depinxisti. Age jam precor, et in ipsis officiis amicorum quis servandus sit modus, vel quæ cautio adhibenda, nobis expone.

Digitized by Google

est, qui, contra fidem et honestatem, pro amico æstimant faciendum. Nulla enim excusatio peccati est, si amici causa peccaveris. Protoplastus Adam salubrius præsumptionis arguisset uxorem, quam, gerendo ei morem, vetitum usurpasset (*Gen.* III). Multo etiam melius servi regis Saul fidem domino servaverunt, contra ejus imperium manum sanguini subtrahentes, quam Doeg Idumæus, qui regiæ crudelitatis minister, Domini sacerdotes sacrilegis manibus interfecit (*I Reg.* XXII). Jonadab quoque amicus Ammon (*II Reg.* XIII) laudabilius amici prohibuisset incestum, quam quo potiretur optato, consilium præbuisset. Sed nec amicos Absalon amicitiæ virtus excusat (*II Reg.* XVI), qui perduellioni præbentes assensum, contra patriam arma tulerunt. Et ut ad hæc nostra tempora veniamus, multo certe felicius Otto Romanæ cardinalis Ecclesiæ, ab amicissimo suo recessit Guidone, quam Joannes suo adhæsit in tali schismate Octaviano. Cernitis igitur, nisi inter bonos amicitiam stare non posse. GRATIANUS. Quid igitur nobis cum amicitia, qui boni non sumus?

AELREDUS. Ego bonum non ita ad vivum reseco, ut quidam, qui neminem volunt esse bonum, nisi eum cui ad perfectionem nihil desit. Nos hominem bonum dicimus, qui secundum modum nostræ mortalitatis, sobrie, et juste, et pie vivens in hoc sæculo (*Tit.* II), nihil a quolibet inhonestum petere, nec rogatus velit præstare. Inter tales profecto amicitiam oriri, a talibus perfici posse, non ambigimus. Nam qui vel fidem, vel patriæ periculum, vel alterius contra jus et fas læsionem excipientes, semetipsos amicorum exponunt libidini, eos non tam stultos dixerim, quam insanos : qui parcentes aliis, sibimet non æstimant esse parcendum; et aliorum providentes honestati, suam infeliciter produnt. GALTERUS. Fere in illorum cado sententiam, qui amicitiam dicunt esse cavendam, rem videlicet plenam sollicitudinis, atque curarum, nec timoris vacuam, multis etiam obnoxiam doloribus. Nam cum unicuique satis superque sit, sui curam gerere, incautum dicunt, se sic aliis obligare, ut necesse sit cum multis implicari curis, et affligi molestiis. Nihil præterea difficilius æstimant, quam amicitiam usque ad diem vitæ extremum permanere, turpeque nimis sit, post initam amicitiam, rem in contrarium verti. Unde tutius judicant, sic quemquam amare, ut possit odire cum velit, sic amicitiæ laxandas habenas, quas vel astringat, cum velit, vel remittat. GRATIANUS. Frustra igitur tu in loquendo, nos in audiendo laboravimus, si tam facile ab amicitiæ tenuerimus appetitu; cujus nobis fructum tam sanctum, tam utilem, tam acceptum Deo, perfectioni tam vicinum, tam multipliciter commendasti. Sit illi ista sententia, cui placet sic amare hodie, ut cras oderit; sic amicus omnibus esse, ut nulli sit fidus; hodie laudans, cras vituperans; hodie blandiens, cras mordens; hodie paratus ad oscula, cras ad opprobria promptus; cujus amor vili pretio comparatur, levissima recedit offensa. GALTERUS. Felle putabam carere columbos; verumtamen hæc istorum sententia, quæ sic displicet Gratiano, qualiter refelli possit, edicito.

AELREDUS. Pulchre de his Tullius : Solem, inquit, e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt, qua nihil a Deo melius habemus, nil jucundius. Qualis sapientia amicitiam detestari, ut sollicitudinem caveas, curis careas, exuaris timore! quasi virtus ulla sine sollicitudine vel acquiri possit, vel servari. Itane in te, sine tua magna sollicitudine, aut prudentia contra errores, aut temperantia contra libidines, aut justitia contra malitiam, aut fortitudo contra ignaviam pugnat? Quis, rogo, hominum, maxime adolescentium sine dolore maximo vel timore, tueri pudicitiam, vel lascivientem valet refrenare affectum? Stultus Paulus, qui noluit sine aliorum cura et sollicitudine vivere; sed intuitu charitatis, quam virtutem maximam credidit, infirmabatur cum infirmis, urebatur cum scandalizatis. Sed et tristitia illi magna erat, et continuus dolor cordi ejus, pro fratribus suis secundum carnem. Deserenda igitur illi charitas erat, ne sub tot timoribus ac doloribus, nunc quos genuerat, iterum parturiens (*Gal.* IV); nunc fovens ut nutrix (*II Thess.* I), nunc ut magister corripiens (*Col.* I); nunc timens, ne sensus illorum a fide corrumperentur (*II Cor.* II); nunc cum multo dolore multisque lacrymis ad pœnitentiam provocans (*II Cor.* II); nunc eos, qui non egerunt pœnitentiam, lugens. Videtis quomodo virtutes nituntur auferre e mundo, qui comitem illarum sollicitudinem e medio tollere non formidant. Stulte Chusai Arachites amicitiam, quæ erat ei cum David (*II Reg.* XVI), tanta fide servavit, ut sollicitudinem securitati præferret; malletque amici participare doloribus, quam parricidæ gaudiis honoribusque dissolvi? Ego eos non tam homines, quam bestias dixerim, qui sic dicunt esse vivendum, ut nulli consolationi sint, nulli etiam oneri vel dolori, qui nihil delectationis ex alterius bono concipiant, nihil amaritudinis sua aliis perversitate inferant, amare nullum, amari a nullo curantes. Absit enim, ut eorum quemquam amare concesserim, qui amicitiam quæstum putant! tunc se solis labiis profitentes amicos, cum spes alicujus commodi temporalis arriserit, vel cum amicum cujuslibet turpitudinis ministrum facere tentaverint. GALTERUS. Cum igitur certum sit multos amicitiæ similitudine falli, expone, quæso, cujusmodi amicitias cavere, quas appetere, colere et servare debeamus.

AELREDUS. Cum dictum sit eam nisi inter bonos non posse subsistere, facile tibi est percipere nullam amicitiam quæ bonos dedeceat recipiendam. GRATIANUS. Sed nos fortasse in hac discretione quid deceat, vel non deceat, caligamus.

AELREDUS. Geram vobis morem, si quæ nobis occurrerint fugiendæ, [illegible] amicitia puerilis, quæ

Digitized by Google

etus, divaricans pedes suos omni transeunti : sine ratione, sine pondere, sine mensura, sine alicujus commodi vel incommodi consideratione. Hæc ad tempus vehementer afficit, et stringit, blandius allicit. Sed affectus sine ratione motus bestialis est, ad quæque illicita pronus, imo inter licita et illicita discernere non valens. Licet autem amicitiam plerumque affectus præveniat, nunquam tamen sequendus, nisi eum et ratio ducat, et honestas temperet, et regat justitia. Igitur hæc amicitia, quam diximus puerilem, eo quod in pueris magis regnet affectus, ut infida, et instabilis, et impuris mista semper amoribus, ab his quos spiritualis amicitiæ dulcedo delectat, omnimodis caveatur ; quam non tam amicitiam, quam amicitiæ dicimus esse venenum, cum in ea amoris nunquam modus possit servari legitimus, qui est ab animo ad animum; sed honestam ejus venam, ex carnis concupiscentia fumus quidam emergens, obnubilet et corrumpat ; et neglecto spiritu, ad carnis desideria trahat. Eapropter primordia amicitiæ spiritualis, primum intentionis habeant puritatem, rationis magisterium, temperantiæ frenum; et sic suavissimus accedens affectus ita profecto sentietur dulcis, ut esse nunquam desinat ordinatus. Est et amicitia, quam pessimorum similitudo morum conciliat ; de qua dicere supersedeo, cum nec amicitiæ nomine digna, ut superius diximus, habeatur. Est præterea amicitia, quam consideratio alicujus utilitatis accendit, quam multi ob hanc causam et appetendam, et colendam, et conservandam existimant. Quod si admittimus, quam multos omni amore dignissimos excludemus : qui cum nihil habeant, nihil possideant, profecto nihil commodi temporalis ab eis vel adipisci poterit quis, vel sperare. Si vero inter commoda duxeris consilium in dubiis, consolationem in adversis, et cætera hujusmodi : hæc utique ab amico exspectanda sunt, sed sequi debent ista amicitiam, non præcedere. Necdum enim quid sit amicitia didicit, qui aliam ejus vult esse mercedem, quam ipsam ; quæ tunc plane merces erit colentibus eam, cum tota translata in Deum, in ejus contemplatione sepelit quos univit. Nam cum multas et magnas utilitates pariat amicitia fida bonorum, non illam tamen ab istis, sed ab illa istas procedere non ambigimus. Neque enim a beneficiis, quibus Berzellai Galaaditis David (*II Reg.* xx) parricidam filium fugientem et suscepit, et fovit, et muneravit amicum, inter tantos viros partam credimus amicitiam, sed ab ipsa potius tantam gratiam processisse non dubitamus. Nam quod res illius prius egerit, nemo qui cogitet. Verum ipse viri magnarum opum, nihil pro his a rege speraverit, hinc advertere perspicuum est, quod omnes delicias divitiasque civitatis offerendi, nihil susceperit acquirendi, sed contentus. Sic et fœdus illud David et Jo

novimus contulisse; cum istius industria vita alterius conservata; illius beneficio, hujus non sit posteritas deleta. Cum igitur in bonis semper præcedat amicitia, sequatur utilitas; profecto non tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat. Utrum igitur de fructu amicitiæ satis dixerimus, utrum etiam certas personas, inter quas oriri et servari possit, et perfici, lucide dixerimus; utrum præterea assentationes, quæ falso amicitiæ nomine palliantur, manifeste prodiderimus ; utrum quoque certas metas, quousque tendi debeat amor inter amicos, ostenderimus; vos judicate. GRATIANUS. Hoc ultimum non satis recordor enodatum.

AELREDUS. Recolitis, ut credo, eorum me refellisse sententiam, qui metas amicitiæ in flagitiorum et facinorum consensu constituunt; illorum quoque, qui usque ad exsilium progrediendum putant, et sine alterius læsione, quamlibet turpitudinem. Nihilominus et illorum, qui secundum speratæ utilitatis modum, quantitatem amicitiæ metiuntur. Nam duas earum, quas proposuit Galterus, nec mentione dignas existimavi. Quid enim ineptius esse potest, quam amicitiam hactenus extendi, ut in officiis vel obsequiis vicem rependat amico : cum omnia illis debeant esse communia, quibus nimirum esse debet et cor unum, et anima una? Quam turpe et illud, ut non aliter afficiatur quis erga amicum, quam erga se ipsum! cum unusquisque de se humilia, sublimia sentire debeat de amico. His igitur falsis amicitiæ finibus explosis, finem amicitiæ ex verbis Domini proferendum putavimus, qui mortem ipsam pro amicis sanxit [illegible] fugiendam. Verum ne forte, si quilibet [illegible] affecti vellent pro invicem mori, ad amicitiæ [illegible] crederentur evecti, diximus inter quos [illegible] oriri possit, et perfici amicitia ; [illegible] multas sollicitudines et curas, quas [illegible] vendam eam existimant, negotia [illegible] quendos. Postremo, quæ amicitiæ [illegible] sunt cavenda, quam [illegible] Patet proinde ex his [illegible] tualis amicitiæ [illegible] eo, nihil pro amico [illegible] sit quam ipse [illegible] nendam pro [illegible] cirea [illegible] lior, [illegible] illud, quæ non certe dolo- portifera : *Si* mon, *nihil eo* Eccle. x). Quem- inveneris, ca- sanctur, ad amici- convicia, quorum ultor a facie Absalon san- peciens (*III Reg.* II), inter quæ pater filio moriens dele- tionis Spiritus sancti decernitur occi- properium nihilominus caveamus. In-

Digitized by Google

AELRED. Et hæc, et alia quædam de amicitia restant dicenda; sed hora jam præteriit, et ad aliud negotium isti, qui modo venerunt, sua, ut cernitis, importunitate compellunt. GALTERUS. Invitus certe recedo, eras profecto cum se tempus obtulerit, rediturus. Videat autem Gratianus, ut præsto sit mane, ne ipse nos incuriæ, aut nos cum tarditatis arguamus.

LIBER TERTIUS.

Quomodo et inter quos possit amicitia indirupta servari.

AELREDUS. Unde, et quo? GRATIANUS. Non te latet adventus mei causa.

AELREDUS. Num adest Galterus? GRATIANUS. Videat ipse, certe tarditatis non potest arguere nos hodie.

AELREDUS. Vis, ea quæ proposita sunt prosequamur? GRATIANUS. Habeo ei fidem : nam et præsentiam ejus mihi reor necessariam, cui et sensus est acutior ad intelligendum, et lingua eruditior ad interrogandum, et memoria tenacior ad retinendum.

AELREDUS. Audisti, Galtere? Amicitior tibi est Gratianus, quam putabas. GALTERUS. Quomodo mihi amicus non esset, qui nullius non est? Sed quia utrique adsumus, promissi tui non immemores, otio huic non simus ingrati.

AELREDUS. Fons et origo amicitiæ amor est: nam amor sine amicitia esse potest, amicitia sine amore nunquam. Amor vero ex natura, aut ex officio, vel ratione sola, vel ex solo affectu, nonnunquam ex utroque simul procedit. Ex natura, sicut mater diligit filium. Ex officio, quando ex ratione dati et accepti, quidam speciali affectu conjunguntur; ex sola ratione, sicut inimicos, non ex spontanea mentis inclinatione, sed ex præcepti necessitate diligimus. Ex solo affectu, quando aliquis ob ea sola, quæ corporis sunt, verbi gratia, pulchritudinem, fortitudinem, facundiam, sibi quorumdam inclinat affectum. Ex ratione simul et affectu, quando is, quem ob virtutis meritum ratio suadet amandum, morum suavitate, et vitæ laudandæ dulcedine in alterius influit animum : et sic ratio jungitur affectui, ut amor ex ratione castus sit, dulcis ex affectu. Quis horum vobis amicitiæ videtur commodatior? GALTERUS. Hic ultimus sane, quem et virtutis comtemplatio format, et morum suavitas ornat. Sed utrum omnes, quos sic diligimus, ad illud amicitiæ admittendi sint dulce secretum, scire desidero.

AELREDUS. Primo ponendum est solidum quoddam ipsius spiritalis amoris fundamentum, in quo ejus sunt collocanda principia; ut sic recta quis linea ad ejus altiora conscendens, ne fundamentum negligat vel excedat, maximam cautelam adhibeat. Fundamentum illud Dei amor est, ad quem omnia, quæ vel amor suggerit vel affectus; omnia, quæ vel occulte aliquis spiritus, vel palam quilibet suadet amicus, referenda sunt : diligenterque inspiciendum, ut quidquid astruitur, fundamento conveniat, et quidquid illud excedere deprehenditur, ad ejus formam revocandum, et secundum ejus qualitatem omnimodis corrigendum, non dubites. Nec omnes tamen, quos diligimus, in amicitiam sunt recipiendi, quia nec omnes ad hoc reperiuntur idonei. Nam cum amicus tui consors sit animi, cujus spiritui tuum conjungas et applices, et ita misceas, ut unum fieri velis e duobus, cui te tanquam tibi alteri committas, cui nihil occultes, a quo nihil timeas : primum certe eligendus est, qui ad hæc aptus putetur; deinde probandus, et sic demum admittendus. Stabilis enim debet esse amicitia, et quamdam æternitatis speciem præferre, semper perseverans in affectu. Et ideo non puerili modo, amicos mutare vaga quadam debemus sententia. Quoniam enim nemo detestabilior, quam qui amicitiam læserit, nihilque magis animum torqueat quam vel deseri ab amico vel impugnari; cum summo studio eligendus est, et cum maxima cautela probandus : admissus autem sic tolerandus, sic tractandus, sic sequendus, ut quandiu a præmisso fundamento irrevocabiliter non recesserit, ille ita tuus, et tu illius sis, tam in corporalibus quam in spiritualibus; ut nulla sit animorum, affectionum, voluntatum, sententiarumve divisio. Cernitis ergo quatuor gradus, quibus ad amicitiæ perfectionem conscenditur : quorum primus est electio, secundus probatio, tertius admissio, quartus rerum divinarum et humanarum cum quadam charitate et benevolentia summa consensio. GALTERUS. Recordor te in prima illa tua disputatione, quam cum tuo habuisti Ivone, diffinitionem hanc satis probasse; sed quia de multis amicitiarum generibus disputasti, utrum omnes comprehendat, scire desidero.

AELREDUS. Cum vera amicitia nisi inter bonos esse non possit, qui nihil contra fidem vel bonos mores, velle possint, aut facere : profecto non quamlibet, sed ipsam quæ vera est, amicitiam diffinitio ista complectitur. GRATIANUS. Quare non et illa, quæ ante hesternam collationem me plurimum delectabat, æque probanda est idem scilicet velle, et idem nolle.

AELREDUS. Certe inter eos, quorum fuerint emendati mores, vita composita, ordinati affectus; nec istam arbitror repudiandam. GALTERUS. Videat

Digitized by Google

Gratianus, ut tam in se ipso quam in eo, quem diligit, ista præcedant ; et sic idem velit et nolit cum ipso ; nihil sibi volens concedit nihil ipse præstare rogatus, quod injustum vel inhonestum, vel indecens sit. Sed de quatuor his quæ præmisisti, quid sentiendum sit, a te exspectamus doceri.

AELREDUS. Primum igitur de ipsa electione tractemus. Sunt vitia quædam, quibus si quis fuerit involutus, non diu amicitiæ leges vel jura servabit. Hujusmodi ad amicitiam non facile eligendi sunt ; sed si alias eorum vita moresque placuerint, agendum cum eis summopere est, ut sanati ad amicitiam habeantur idonei : videlicet iracundi, instabiles, suspiciosi, verbosi. Difficile quippe est, cum, quem sæpe iracundiæ furor exagitat, non aliquando insurgere in amicum ; sicut in Ecclesiastico scribitur. *Est amicus, qui odium, et rixam, et convicia denudabit* (*Eccli.* XVI). Unde ait Scriptura : *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso ; ne sumas scandalum animæ tuæ* (*Prov.* XXII). Et Salomon : *Ira* inquit, *in sinu stulti requiescit* (*Eccle.* VII). At cum stulto diu servare amicitiam, quis non credit impossibile ? GALTERUS. At nos te vidimus, si non fallimur, cum iracundissimo homine summa religione colere amicitiam : quem usque ad vitæ ejus finem nunquam a te læsum, quanquam ipse te sæpe læsisset, audivimus.

AELREDUS. Sunt quidam ex naturali conspersione iracundi, qui tamen hanc ita comprimere et temperare solliciti sunt passionem, ut in quinque quibus, teste Scriptura, amicitia dissolvitur atque corrumpitur, nunquam prosiliant ; quamvis nonnunquam amicum inconsiderato sermone vel actu, vel zelo minus discreto offendant. Tales si forte in amicitiam receperimus, patienter tolerandi sunt, et cum nobis constet de affectu certitudo, si quis fuerit vel sermonis vel actionis excessus, amico id indulgendum est ; vel certe sine aliquo dolore jucunde insuper, in quo excesserit, commonendum. GRATIANUS Ille tuus, quem præ omnibus nobis, ut multis videtur, tibi probas amicum, aliquid, quod tibi displicere nullatenus potuit ignorare, ante paucos dies, ut nos putabamus, ira præventus et dixit et fecit ; cui tamen nihil prioris gratiæ imminutum nec credimus, nec videmus. Unde non parum obstupuimus, quod cum tu, ubi nos mutuo loquimur, nihil velis vel modicum præterire, quod velit ipse ; ipse modicum quid, tui causa, non potuerit sustinere. GALTERUS. Audacior me multo est iste. Nam et ego ista novi, sed tuum erga eum animum non ignorans, nihil tibi de his loqui præsumpsi.

AELREDUS. Homo certe ille mihi charissimus est, semel a me receptus in amicitiam, a me nunquam poterit non amari. Unde si forte in hac parte fortior illo fui, et ubi utriusque voluntas non concurrebat in unum, meam mihi facilius fuit, quam illi suam frangere voluntatem ; ubi nulla interveniebat inhonestas, nec fides lædebatur, nec minuebatur virtus, cedendum amico fuit, ut et tolerarem in quo videbatur excessisse, et ubi pax ejus periclitabatur, voluntatem ejus meæ præferrem. GALTERUS. Sed cum prior ille jam in fata concesserit, alter tibi, licet nos non viderimus satisfecerit : illa nobisquinque, quibus amicitia sic læditur ut dissolvatur, velim nobis enuclees, ut eos, qui nullo modo eligendi sunt in amicos, cavere possimus.

AELREDUS. Audite, non me, sed Scripturam loquentem : *Qui conviciatur amico dissolvit amicitiam. Ad amicum, etiamsi produxerit gladium, non desperes : est enim regressus ad amicum. Si aperuerit os triste, non timeas* (*Eccli.* XXII). Vide quid dicat. Si forte ira præventus amicus eduxerit gladium vel si verbum protulerit triste ; si quasi non amans ad tempus tibi sese subtraxerit, si tuo suum aliquando prætulerit consilium, si a te in aliqua sententia vel disputatione dissenserit, non his amicitiam æstimes dissolvendam. Est enim, ait, concordia ad amicum, excepto convicio, et improperio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa. In his omnibus effugiet amicus. Diligentius proinde hæc quinque consideremus, ne nos eis amicitiæ vinculis constringamus, quos ad hæc vitia vel iracundiæ furor, vel alia quælibet passio compellere consuevit. Convicium quippe lædit famam, charitatem exstinguit. Tanta est enim hominum malitia, ut quidquid ira instigante ab amico jaculatum fuerit in amicum, quasi secretorum suorum prolatum conscio, si non credatur, verum esse clametur. multi enim sicut propriis laudibus, ita in aliorum vituperationibus delectantur. Quid scelestius improperio, quod etiam falsa objectione innocentis faciem miserando rubore perfundit ? At superbia quid minus ferendum ? quæ solum id quo fractæ amicitiæ subveniendum fuerat, humilitatis et confessionis excludit remedium, reddens hominem audacem ad injuriam, tumidum ad correptionem ? Secretorum revelatio, qua nihil est turpius, nihil exsecrabilius, nihil amoris, nihil suavitatis relinquens inter amicos, sed omnia replens amaritudine indignationis, et odii atque doloris felle cuncta conspergens. Hinc scriptum est. *Qui denudat arcana amici perdit fidem* (*Eccli.* XXIV). Et paulo post. *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis* (*ibid.*) Quid enim infelicius illo, qui perdit fidem, et desperatione languescit ? Ultimum illud, quo dissolvitur amicitia, plaga dolosa est, quæ non est aliud quam occulta detractio. Plaga certe dolosa ; plaga serpentis est et aspidis mortifera : *Si mordeat serpens in silentio*, ait Salomon, *nihil eo minus habet, qui occulte detrahit* (*Eccle.* X). Quemcunque igitur in his vitiis assiduum inveneris, cavendus tibi est ille ; nec, donec sanetur, ad amicitiam eligendus. Abjuremus convicia, quorum ultor est Deus. Semei, fugientem a facie Absalon santum David conviciis impetens (*III Reg.* II), inter hæreditaria verba, quæ pater filio moriens delegavit, auctoritate Spiritus sancti decernitur occidendus. Improperium nihilominus caveamus. In-

Digitized by Google

AELRÆDUS. Et hæc, et alia quædam de amicitia restant dicenda; sed hora jam præteriit, et ad aliud negotium isti, qui modo venerunt, sua, ut cernitis, importunitate compellunt. GALTERUS. Invitus certe recedo, eras profecto cum se tempus obtulerit, rediturus. Videat autem Gratianus, ut præsto sit mane, ne ipse nos incuriæ, aut nos cum tarditatis arguamus.

LIBER TERTIUS.

Quomodo et inter quos possit amicitia indirupta servari.

AELREDUS. Unde, et quo? GRATIANUS. Non te latet adventus mei causa.

AELREDUS. Num adest Galterus? GRATIANUS. Videat ipse, certe tarditatis non potest arguere nos hodie.

AELREDUS. Vis, ea quæ proposita sunt prosequamur? GRATIANUS. Habeo ei fidem : nam et præsentiam ejus mihi reor necessariam, cui et sensus est acutior ad intelligendum, et lingua eruditior ad interrogandum, et memoria tenacior ad retinendum.

AELREDUS. Audisti, Galtere? Amicitior tibi est Gratianus, quam putabas. GALTERUS. Quomodo mihi amicus non esset, qui nullius non est? Sed quia utrique adsumus, promissi tui non immemores, otio huic non simus ingrati.

AELREDUS. Fons et origo amicitiæ amor est : nam amor sine amicitia esse potest, amicitia sine amore nunquam. Amor vero ex natura, aut ex officio, vel ratione sola, vel ex solo affectu, nonnunquam ex utroque simul procedit. Ex natura, sicut mater diligit filium. Ex officio, quando ex ratione dati et accepti, quidam speciali affectu conjunguntur; ex sola ratione, sicut inimicos, non ex spontanea mentis inclinatione, sed ex præcepti necessitate diligimus. Ex solo affectu, quando aliquis ob ea sola, quæ corporis sunt, verbi gratia, pulchritudinem, fortitudinem, facundiam, sibi quorumdam inclinat affectum. Ex ratione simul et affectu, quando is, quem ob virtutis meritum ratio suadet amandum, morum suavitate, et vitæ laudandæ dulcedine in alterius influit animum : et sic ratio jungitur affectui, ut amor ex ratione castus sit, dulcis ex affectu. Quis horum vobis amicitiæ videtur commodatior? GALTERUS. Hic ultimus sane, quem et virtutis contemplatio format, et morum suavitas ornat. Sed utrum omnes, quos sic diligimus, ad illud amicitiæ admittendi sint dulce secretum, scire desidero.

AELREDUS. Primo ponendum est solidum quoddam ipsius spiritalis amoris fundamentum, in quo ejus sunt collocanda principia; ut sic recta quis linea ad ejus altiora conscendens, ne fundamentum negligat vel excedat, maximam cautelam adhibeat. Fundamentum illud Dei amor est, ad quem omnia, quæ vel amor suggerit vel affectus; omnia, quæ vel occulte aliquis spiritus, vel palam quilibet suadet amicus, referenda sunt : diligenterque inspiciendum, ut quidquid astruitur, fundamento conveniat, et quidquid illud excedere deprehenditur, ad ejus formam revocandum, et secundum ejus qualitatem omnimodis corrigendum, non dubites. Nec omnes tamen, quos diligimus, in amicitiam sunt recipiendi, quia nec omnes ad hoc reperiuntur idonei. Nam cum amicus tui consors sit animi, cujus spiritui tuum conjungas et applices, et ita misceas, ut unum fieri velis e duobus, cui te tanquam tibi alteri committas, cui nihil occultes, a quo nihil timeas : primum certe eligendus est, qui ad hæc aptus putetur; deinde probandus, et sic demum admittendus. Stabilis enim debet esse amicitia, et quamdam æternitatis speciem præferre, semper perseverans in affectu. Et ideo non puerili modo, amicos mutare vaga quadam debemus sententia. Quoniam enim nemo detestabilior, quam qui amicitiam læserit, nihilque magis animum torqueat quam vel deseri ab amico vel impugnari; cum summo studio eligendus est, et cum maxima cautela probandus : admissus autem sic tolerandus, sic tractandus, sic sequendus, ut quandiu a præmisso fundamento irrevocabiliter non recesserit, ille ita tuus, et tu illius sis, tam in corporalibus quam in spiritualibus; ut nulla sit animorum, affectionum, voluntatum, sententiarumve divisio. Cernitis ergo quatuor gradus, quibus ad amicitiæ perfectionem conscenditur : quorum primus est electio, secundus probatio, tertius admissio, quartus rerum divinarum et humanarum cum quadam charitate et benevolentia summa consensio. GALTERUS. Recordor te in prima illa tua disputatione, quam cum tuo habuisti Ivone, diffinitionem hanc satis probasse; sed quia de multis amicitiarum generibus disputasti, utrum omnes comprehendat, scire desidero.

AELREDUS. Cum vera amicitia nisi inter bonos esse non possit, qui nihil contra fidem vel bonos mores, velle possint, aut facere : profecto non quamlibet, sed ipsam quæ vera est, amicitiam diffinitio ista complectitur. GRATIANUS. Quare non et illa, quæ ante hesternam collationem me plurimum delectabat, æque probanda est idem scilicet velle, et idem nolle.

AELREDUS. Certe inter eos, quorum fuerint emendati mores, vita composita, ordinati affectus; nec istam arbitror repudiandam. GALTERUS. Videas

Digitized by Google

Gratianus, ut tam in se ipso quam in eo, quem diligit, ista præcedant; et sic idem velit et nolit cum ipso; nihil sibi volens concedit nihil ipse præstare rogatus, quod injustum vel inhonestum, vel indecens sit. Sed de quatuor his quæ præmisisti, quid sentiendum sit, a te exspectamus doceri.

AELREDUS. Primum igitur de ipsa electione tractemus. Sunt vitia quædam, quibus si quis fuerit involutus, non diu amicitiæ leges vel jura servabit. Hujusmodi ad amicitiam non facile eligendi sunt; sed si alias eorum vita moresque placuerint, agendum cum eis summopere est, ut sanati ad amicitiam habeantur idonei: videlicet iracundi, instabiles, suspiciosi, verbosi. Difficile quippe est, cum, quem sæpe iracundiæ furor exagitat, non aliquando insurgere in amicum; sicut in Ecclesiastico scribitur. *Est amicus, qui odium, et rixam, et convicia denudabit* (*Eccli.* XVI). Unde ait Scriptura: *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso; ne sumas scandalum animæ tuæ* (*Prov.* XXII). Et Salomon: *Ira* inquit, *in sinu stulti requiescit* (*Eccle.* VII). At cum stulto diu servare amicitiam, quis non credit impossibile? GALTERUS. At nos te vidimus, si non fallimur, cum iracundissimo homine summa religione colere amicitiam: quem usque ad vitæ ejus finem nunquam a te læsum, quanquam ipse te sæpe læsisset, audivimus.

AELREDUS. Sunt quidam ex naturali conspersione iracundi, qui tamen hanc ita comprimere et temperare solliciti sunt passionem, ut in quinque quibus, teste Scriptura, amicitia dissolvitur atque corrumpitur, nunquam prosiliant; quamvis nonnunquam amicum inconsiderato sermone vel actu, vel zelo minus discreto offendant. Tales si forte in amicitiam receperimus, patienter tolerandi sunt, et cum nobis constet de affectu certitudo, si quis fuerit vel sermonis vel actionis excessus, amico id indulgendum est; vel certe sine aliquo dolore jucunde insuper, in quo excesserit, commonendum. GRATIANUS. Ille tuus, quem præ omnibus nobis, ut multis videtur, tibi probas amicum, aliquid, quod tibi displicere nullatenus potuit ignorare, ante paucos dies, ut nos putabamus, ira præventus et dixit et fecit; cui tamen nihil prioris gratiæ imminutum nec credimus, nec videmus. Unde non parum obstupuimus, quod cum tu, ubi nos mutuo loquimur, nihil velis vel modicum præterire, quod velit ipse; ipse modicum quid, tui causa, non potuerit sustinere. GALTERUS. Audacior me multo est iste. Nam et ego ista novi, sed tuum erga eum animum non ignorans, nihil tibi de his loqui præsumpsi.

AELREDUS. Homo certe ille mihi charissimus est, semel a me receptus in amicitiam, a me nunquam poterit non amari. Unde si forte in hac parte fortior illo fui, et ubi utriusque voluntas non concurrebat in unum, meam mihi facilius fuit, quam illi suam frangere voluntatem; ubi nulla interveniebat in- [redacted] ledebatur, nec minuebatur vir- [redacted] ; ut et tolerarem in quo videbatur excessisse, et ubi pax ejus periclitabatur, voluntatem ejus meæ præferrem. GALTERUS. Sed cum prior ille jam in fata concesserit, alter tibi, licet nos non viderimus satisfecerit: illa nobisquinque, quibus amicitia sic læditur ut dissolvatur, velim nobis enuclees, ut eos, qui nullo modo eligendi sunt in amicos, cavere possimus.

AELREDUS. Audite, non me, sed Scripturam loquentem: *Qui conviciatur amico dissolvit amicitiam. Ad amicum, etiamsi produxerit gladium, non desperes: est enim regressus ad amicum. Si aperuerit os triste, non timeas* (*Eccli.* XXII). Vide quid dicat. Si forte ira præventus amicus eduxerit gladium vel si verbum protulerit triste; si quasi non amans ad tempus tibi sese subtraxerit, si tuo suum aliquando prætulerit consilium, si a te in aliqua sententia vel disputatione dissenserit, non his amicitiam æstimes dissolvendam. Est enim, ait, concordia ad amicum, excepto convicio, et improperio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa. In his omnibus effugiet amicus. Diligentius proinde hæc quinque consideremus, ne nos eis amicitiæ vinculis constringamus, quos ad hæc vitia vel iracundiæ furor, vel alia quælibet passio compellere consuevit. Convicium quippe lædit famam, charitatem exstinguit. Tanta est enim hominum malitia, ut quidquid ira instigante ab amico jaculatum fuerit in amicum, quasi secretorum suorum prolatum conscio, si non credatur, verum esse clametur. multi enim sicut propriis laudibus, ita in aliorum vituperationibus delectantur. Quid scelestius improperio, quod etiam falsa objectione innocentis faciem miserando rubore perfundit? At superbia quid minus ferendum? quæ solum id quo fractæ amicitiæ subveniendum fuerat, humilitatis et confessionis excludit remedium, reddens hominem audacem ad injuriam, tumidum ad correptionem? Secretorum revelatio, qua nihil est turpius, nihil exsecrabilius, nihil amoris, nihil suavitatis relinquens inter amicos, sed omnia replens amaritudine indignationis, et odii atque doloris felle cuncta conspergens. Hinc scriptum est. *Qui denudat arcana amici perdit fidem* (*Eccli.* XXIV). Et paulo post. *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis* (*ibid.*) Quid enim infelicius illo, qui perdit fidem, et desperatione languescit? Ultimum illud, quo dissolvitur amicitia, plaga dolosa est, quæ non est aliud quam occulta detractio. Plaga certe dolosa; plaga serpentis est et aspidis mortifera: *Si mordeat serpens in silentio*, ait Salomon, *nihil eo minus habet, qui occulte detrahit* (*Eccle.* X). Quemcunque igitur in his vitiis assiduum inveneris, cavendus tibi est ille; nec, donec sanetur, ad amicitiam eligendus. Abjuremus convicia, quorum ultor est Deus. Semei, fugientem a facie Absalon [redacted] tum David conviciis impetens (*III Reg.* II), inter hæreditaria verba, quæ pater filio mortens delegavit, auctoritate Spiritus sancti decernitur evitandus. Improperium nihilominus [redacted]

CV.

Digitized by Google

felix Nabal Carmelus, David servitutem et fugam improperans, a Domino percuti meruit, et occidi (*I Reg.* xxv). Quod si forte contigerit, in aliquo nos legem amicitiæ præterire, vitemus superbiam et amici gratiam humilitatis beneficio repetamus. Rex David amicitiam, quam Naas regi filiorum Ammon exhibuerat (*II Reg.* x), cum filio ejus Hanon misericorditer obtulisset, ille superbus et ingratus amico, contumeliam adjecit contemptui; ob quam causam tam ipsum, quam populum ejus et urbes, gladius simul et ignis absumpsit. Super omnia autem; amicorum revelare secreta sacrilegium arbitremur, quo, fides amittitur, et animæ captivatæ desperatio importatur. Hinc est quod impiissimus Achitophel (*II Reg.* xvii), parricidæ consentiens, cum ei patris consilium prodidisset, cernens suum, quod contra illud dederat non mancipatum effectui, dignum proditore finem, laqueo suspensus promeruit. Postremo detrahere amico venenum amicitiæ reputemus, quod Mariæ frontem lepra perfudit (*Num.* xii), et ejectam extra castra sex diebus, populi communione privavit. Nec solum nimium iracundi, sed etiam instabiles, et suspiciosi in hac electione cavendi sunt. Cum enim amicitiæ magnus fructus sit securitas, qua te credis et committis amico: quomodo in ejus amore aliqua potest esse securitas, qui omni circumfertur vento, omni acquiescit consilio? Cujus affectus molli luto comparatus, diversas et contrarias tota die, pro arbitrio imprimentis, suscipit et format imagines. Quid præterea magis competit amicitiæ, quam pax quædam ad invicem et tranquillitas cordis, cujus semper expers est suspiciosus? Nunquam enim requiescit. Suspiciosum quippe semper curiositas comitatur, quæ continuos ei stimulos acuens, inquietudinis et perturbationis ei materias subministrat. Si enim viderit amicum secretius loquentem cum aliquo proditionem putabit. Si se benevolum alteri præbuerit, vel jucundum, ille se minus diligi proclamabit. Si eum corripuerit, odium interpretabitur. Si laudandum crediderit, irrisum se calumniabitur. Sed nec verbosum arbitror eligendum, quia vir linguosus non justificabitur. *Vides*, inquit sapiens, *hominem promptulum ad loquendum, magis illo spem habet stultus* (*Prov.* xxix). Is igitur tibi eligendus est in amicum, quem non iracundiæ furor inquietet, non instabilitas dividat, non conterat suspicio, non verbositas a debita gravitate dissolvat. Præcipue utile est, ut eum eligas, qui tuis conveniat moribus, tuæ consonet qualitati. Inter dispares quippe mores, ut beatus ait Ambrosius, amicitia esse non potest: et ideo convenire debet sibi utriusque gratia. Galterus. Ubi ergo talis invenietur, qui nec iracundus sit, nec instabilis, nec suspiciosus? Nam verbosus quisquis est, latere non potest.

Aelredus. Licet non facile queat reperiri, qui non his passionibus moveatur; multi certe sunt, qui his omnibus superiores inveniuntur: qui iracundiam patientia comprimant, levitatem servata gravitate cohibeant, suspiciones dilectionis contemplatione propellant. Quos maxime in amicitiam quasi exercitatiores assumendos dixerim, qui vitia virtute vincentes, tanto securius possidentur, quanto fortius, etiam tentantibus vitiis resistere consuerunt. Gratianus. Ne quæso, irascaris, si loquar. Ille tuus, de quo paulo ante fecimus mentionem, quem a te receptum in amicitiam non dubitamus: utrum tibi iracundus videatur, scire desidero.

Aelredus. Est quidem; at in amicitia minime. Gratianus. Quid est, rogo te, in amicitia non esse iracundum.

Aelredus. Inter nos contractam amicitiam non dubitatis. Gratianus. Prorsus.

Aelredus. Quando inter nos iras, rixas, dissensiones, æmulationes vel contentiones ortas audistis? Gratianus. Nunquam; sed hoc non illius, sed tuæ patientiæ imputamus

Aelredus. Fallimini. Nullo modo enim iram, quam non refrenat affectus, cujusquam patientia refrenabit, cum patientia magis iracundum excitet in furorem, in hoc aliquid sibi vel modicum solatium præstari cupiens, si in jurgiis se illi aliquis parem exhibeat. Ille sane de quo nunc nobis sermo est, ita mihi amicitiæ jura conservat, ut commotum aliquando, etiam jam prorumpentem in verba solo nutu cohibeam, et ea quæ displicent nunquam producat in publicum; sed ad evaporandum suæ mentis conceptum, semper exspectet secretum. Quod si non ei amicitia, sed natura præscriberet, nec ita virtuosum, nec ita laude dignum judicarem. Si vero, ut assolet, ab ejus aliquando meus sensus dissentiat; ita alterutro nobis deferimus, ut aliquando ille meam suæ, plerumque ego suam meæ præferam voluntatem. Galterus. Satis datum est Gratiano. Sed mihi velim enucleres, si forte quis incautius in eorum inciderit amicitias, quos cavendos paulo ante dixisti, vel si qui eorum quos eligendos dixisti, aut in ea ipsa vitia, aut in alia forte deteriora corruerint, qualis eis servanda sit fides, qualis exhibenda gratia.

Aelredus. Hæc, si fieri potest, in ipsa electione, vel etiam probatione cavenda sunt; ne videlicet nimis cito diligamus, maxime indignos. Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis causa est, cur diligantur. Attamen in his, qui probati dignique putantur, erumpunt sæpe vitia, tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundat infamia. Talibus amicis omnis diligentia adhibenda est, ut sanentur. Quod si impossibile fuerit, non amicitiam rumpendam, vel dissolvendam arbitror, sed ut quidam eleganter ait, potius paulatim dissuendam; nisi forte quædam intolerabilis injuria exarserit, ut neque rectum, neque honestum sit, ut non statim alienatio vel disjunctio fiat. Si enim aliquid molitur amicus, aut in patrem, aut in patriam, quod subita et festinata egeat correctione; non amicitia lædetur, si perduellis et inimicus prodatur. Sunt alia vitia, pro quibus amicitiam non rumpendam, ut diximus, sed paulatim dissolvendam judicamus; ita tamen

Digitized by Google

ut non usque ad inimicitias, ex quibus jurgia, maledicta, contumeliæque gignuntur, erumpant. Turpe enim nimis est, cum eo hujusmodi gerere bellum, cum quo familiariter vixeris. Nam etsi his omnibus ab eo, quem in amicitiam receperas, impetaris, quibusdam quippe moris est, ut cum ipsi sic vixerint, ut jam non mereantur amari, si forte eis aliquid evenerit adversi, culpam retorqueant in amicum; læsam dicant amicitiam, et omne consilium, quod amicus dederit, suspectum habeant: et proditi, cum eorum in palam culpa processerit, non habentes ultra quid faciant, in amicum odia et maledicta congeminent, detrahentes in angulis, in tenebris susurrantes, se mendaciter exaltantes, et alios similiter accusantes. Si igitur his omnibus, post dimissam amicitiam, impetaris, quandiu tolerabilia fuerint, ferenda sunt: et hic honos veteri amicitiæ tribuendus, ut in culpa sit, qui faciat, non is qui patiatur injuriam. Amicitia quippe æterna est, unde: *Omni tempore diligit qui amicus est* (*Prov.* XVII). Si te læserit ille, quem diligis, tu tamen dilige. Si talis fuerit, ut illi amicitia subtrahatur, nunquam tamen subtrahatur dilectio. Consule quantum potes saluti ejus, prospice famæ, nec unquam amicitiæ ejus prodas secreta, quamvis tua ipse prodiderit. GALTERUS. Quæ sunt, rogo, illa vitia, pro quibus amicitiam paulatim dicis esse solvendam?

AELREDUS. Quinque illa, quæ paulo ante descripsimus; maxime autem revelatio secretorum, et occulti morsus detractionum. His sextum addimus. Si eos, qui tibi æque diligendi sunt, læserit, eisque, quorum tua interest providere saluti, ruinæ et scandali materiam, etiam correptus præbere non desierit, maxime ubi vitiorum te tangit infamia. Non enim amor præponderare debet religioni, non fidei, non charitati civium, non plebis saluti. Rex Assuerus superbissimum Aman, quem præ cæteris amicum habuerat, suspendit in cruce (*Ezech.* VII), amicitiæ, quam ille fraudulentis consiliis læserat, salutem multitudinis et charitatem præponens uxoris. Jahel uxor Aber Cinei, licet pax fuerit inter Sisaram et domum Aber, plebis tamen salutem huic amicitiæ præferens, ipsum Sisaram clavo sopivit et malleo (*Judic.* IV). Sanctus propheta David, cum de jure amicitiæ cognationi Jonathæ debuerat pepercisse (*II Reg.* XXI), audiens tamen a Domino, propter Saul et domum ejus sanguinum, quia occiderat Gabaonitas, populum fame tribus annis jugiter laborasse, septem viros de cognatione ejus, Gabaonitis dedit puniendos. Hoc autem nolo vos ignorare, inter perfectos, quos sapienter electos et caute probatos, vera et spiritualis amicitia copulavit, non posse intervenire dissidium. Cum enim amicitia de duobus unum fecerit, sicut id quod unum est, non potest dividi, sic et amicitia a se non poterit separari. Patet igitur, hanc amicitiam, quæ patitur sectionem, ex ea parte qua læditur, nunquam fuisse veram. In hoc tamen amicitia probabilior, et magis virtus probatur, quod nec in eo qui læditur, desinit esse quod fuit; diligens eum, a quo non diligitur; honorans eum, a quo spernitur, benedicens eum, a quo maledicitur; benefaciens ei, qui sibi quod perniciosum est, machinatur. GALTERUS. Quomodo ergo amicitia solvitur, si excluso talia sunt exhibenda ab eo, a quo solvitur?

AELREDUS. Ad amicitiam quatuor pertinere specialiter videntur: scilicet dilectio et affectio, securitas et jucunditas. Ad dilectionem spectat, cum benevolentia beneficiorum exhibitio. Ad affectionem, interior quædam procedens delectatio. Ad securitatem, sine timore et suspicione omnium consiliorum et secretorum revelatio. Ad jucunditatem, de omnibus quæ contingunt, sive læta sint, sive tristia; de omnibus quæ cogitantur, sive nociva sint, sive utilia; de omnibus quæ docentur vel discuntur, quædam dulcis et amica collatio. Videsne, in quibus ab his qui merentur, solvenda est amicitia? Subtrahitur certe illa interior delectatio, quam ex amici pectore jugiter hauriebat; perit securitas, qua sua illi arcana revelabat; seponitur jucunditas, quam amica confabulatio pariebat. Familiaritas proinde illa, in qua talia continentur, ei neganda est, non subtrahenda dilectio: et hoc cum quadam moderatione et reverentia, ut si non nimius fuerit horror, semper antiquæ amicitiæ quædam videantur remansisse vestigia. GRATIANUS. Mihi certe placent ista, quæ dicis.

AELREDUS. Jam, de electione si sufficiunt ista quæ diximus, insinuate. GALTERUS. Vellem, ut eorum, quæ dicta sunt, summa sub brevi nobis epilogo traderetur.

AELREDUS. Geram vobis morem. Amorem amicitiæ diximus esse principium, nec qualemcunque, sed qui de ratione simul et affectu procedit. Qui quidem et castus est ex ratione, et ex affectu dulcis. Deinde amicitiæ ponendum diximus fundamentum, Dei scilicet dilectionem, ad quam omnia, quæ suggeruntur, referenda sunt, et utrum ei conveniant, vel ab ea dissideant, explorandum. Quatuor subinde gradus in amicitia, quibus ad ejus summam pervenitur, custodiendos putavimus, cum amicus primum sit eligendus, deinde probandus, tunc demum admittendus, et sic postea ut decet, tractandus. Et de electione tractantes, iracundos, instabiles, suspiciosos atque verbosos exclusimus: non omnes tamen, sed eos duntaxat, qui has passiones nec ordinare, nec moderari possunt aut nolunt. Nam multi his perturbationibus sic tanguntur, ut non solum eorum in nullo lædatur perfectio, sed etiam virtus eorum moderatione laudabilius augeatur. Nam qui velut infrenes, his passionibus aci semper feruntur in præceps, in ea vitia inevitabiliter dilabuntur et corruunt, quibus amicitia, teste Scriptura, et læditur et dissolvitur; convicia scilicet, et improperium, et secretorum revelatio, superbia, et plaga dolosa. Si tamen hæc omnia patiaris ab illo, quem semel in amicitiam suscepisti, non statim eam rumpendam dicimus, sed paulatim solvendam, talisque

Digitized by Google

felix Nabal Carmelus, David servitutem et fugam improperans, a Domino percuti meruit, et occidi (*I Reg.* xxv). Quod si forte contigerit, in aliquo nos legem amicitiæ præterire, vitemus superbiam et amici gratiam humilitatis beneficio repetamus. Rex David amicitiam, quam Naas regi filiorum Ammon exhibuerat (*II Reg.* x), cum filio ejus Hanon misericorditer obtulisset, ille superbus et ingratus amico, contumeliam adjecit contemptui; ob quam causam tam ipsum, quam populum ejus et urbes, gladius simul et ignis absumpsit. Super omnia autem; amicorum revelare secreta sacrilegium arbitremur, quo, fides amittitur, et animæ captivatæ desperatio importatur. Hinc est quod impiissimus Achitophel (*II Reg.* xvii), parricidæ consentiens, cum ei patris consilium prodidisset, cernens suum, quod contra illud dederat non mancipatum effectui, dignum proditore finem, laqueo suspensus promeruit. Postremo detrahere amico venenum amicitiæ reputemus, quod Mariæ frontem lepra perfudit (*Num.* xii), et ejectam extra castra sex diebus, populi communione privavit. Nec solum nimium iracundi, sed etiam instabiles, et suspiciosi in hac electione cavendi sunt. Cum enim amicitiæ magnus fructus sit securitas, qua te credis et committis amico: quomodo in ejus amore aliqua potest esse securitas, qui omni circumfertur vento, omni acquiescit consilio? Cujus affectus molli luto comparatus, diversas et contrarias tota die, pro arbitrio imprimentis, suscipit et format imagines. Quid præterea magis competit amicitiæ, quam pax quædam ad invicem et tranquillitas cordis, cujus semper expers est suspiciosus? Nunquam enim requiescit. Suspiciosum quippe semper curiositas comitatur, quæ continuos ei stimulos acuens, inquietudinis et perturbationis ei materias subministrat. Si enim viderit amicum secretius loquentem cum aliquo proditionem putabit. Si se benevolum alteri præbuerit, vel jucundum, ille se minus diligi proclamabit. Si eum corripuerit, odium interpretabitur. Si laudandum crediderit, irrisum se calumniabitur. Sed nec verbosum arbitror eligendum, quia vir linguosus non justificabitur. *Vides*, inquit sapiens, *hominem promptulum ad loquendum, magis illo spem habet stultus* (*Prov.* xxix). Is igitur tibi eligendus est in amicum, quem non iracundiæ furor inquietet, non instabilitas dividat, non conterat suspicio, non verbositas a debita gravitate dissolvat. Præcipue utile est, ut enim eligas, qui tuis conveniat moribus, tuæ consonet qualitati. Inter dispares quippe mores, ut beatus ait Ambrosius, amicitia esse non potest: et ideo convenire debet sibi utriusque gratia. GALTERUS. Ubi ergo talis invenietur, qui nec iracundus sit, nec instabilis, nec suspiciosus? Nam verbosus quisquis est, latere non potest.

AELREDUS. Licet non facile queat reperiri, qui non his passionibus moveatur; multi certe sunt, qui his omnibus superiores inveniuntur: qui iracundiam patientia comprimant, levitatem servata gravitate cohibeant, suspiciones dilectionis contemplatione propellant. Quos maxime in amicitiam quasi exercitatiores assumendos dixerim, qui vitia virtute vincentes, tanto securius possidentur, quanto fortius, etiam tentantibus vitiis resistere consuerunt. GRATIANUS. Ne quæso, irascaris, si loquar. Ille tuus, de quo paulo ante fecimus mentionem, quem a te receptum in amicitiam non dubitamus: utrum tibi iracundus videatur, scire desidero.

AELREDUS. Est quidem; at in amicitia minime. GRATIANUS. Quid est, rogo te, in amicitia non esse iracundum.

AELREDUS. Inter nos contractam amicitiam non dubitatis. GRATIANUS. Prorsus.

AELREDUS. Quando inter nos iras, rixas, dissensiones, æmulationes vel contentiones ortas audistis? GRATIANUS. Nunquam; sed hoc non illius, sed tuæ patientiæ imputamus

AELREDUS. Fallimini. Nullo modo enim iram, quam non refrenat affectus, cujusquam patientia refrenabit, cum patientia magis iracundum excitet in furorem, in hoc aliquid sibi vel modicum solatium præstari cupiens, si in jurgiis se illi aliquis parem exhibeat. Ille sane de quo nunc nobis sermo est, ita mihi amicitiæ jura conservat, ut commotum aliquando, etiam jam prorumpentem in verba solo nutu cohibeam, et ea quæ displicent nunquam producat in publicum; sed ad evaporandum suæ mentis conceptum, semper exspectet secretum. Quod si non ei amicitia, sed natura præscriberet, nec ita virtuosum, nec ita laude dignum judicarem. Si vero, ut assolet, ab ejus aliquando meus sensus dissentiat; ita alterutro nobis deferimus, ut aliquando ille meam suæ, plerumque ego suam meæ præferam voluntatem. GALTERUS. Satis datum est Gratiano. Sed mihi velim enuclees, si forte quis incautius in eorum inciderit amicitias, quos cavendos paulo ante dixisti, vel si qui eorum quos eligendos dixisti, aut in ea ipsa vitia, aut in alia forte deteriora corruerint, qualis eis servanda sit fides, qualis exhibenda gratia.

AELREDUS. Hæc, si fieri potest, in ipsa electione, vel etiam probatione cavenda sunt; ne videlicet nimis cito diligamus, maxime indignos. Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis causa est, cur diligantur. Attamen in his, qui probati dignique putantur, erumpunt sæpe vitia, tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundat infamia. Talibus amicis omnis diligentia adhibenda est, ut sanentur. Quod si impossibile fuerit, non amicitiam rumpendam, vel dissolvendam arbitror, sed ut quidam eleganter ait, potius paulatim dissuendam; nisi forte quædam intolerabilis injuria exarserit, ut neque rectum, neque honestum sit, ut non statim alienatio vel disjunctio fiat. Si enim aliquid molitur amicus, aut in patrem, aut in patriam, quod subita et festinata egeat correctione; non amicitia lædetur, si perduellis et inimicus prodatur. Sunt alia vitia, pro quibus amicitiam non rumpendam, ut dixim[illegible] sed paulatim dissolvendam judica[illegible]

Digitized by Google

ut non usque ad inimicitias, ex quibus jurgia, maledicta, contumeliæque gignuntur, erumpant. Turpe enim nimis est, cum eo hujusmodi gerere bellum, cum quo familiariter vixeris. Nam etsi his omnibus ab eo, quem in amicitiam receperas, impetaris, quibusdam quippe moris est, ut cum ipsi sic vixerint, ut jam non mereantur amari, si forte eis aliquid evenerit adversi, culpam retorqueant in amicum; læsam dicant amicitiam, et omne consilium, quod amicus dederit, suspectum habeant: et proditi, cum eorum in palam culpa processerit, non habentes ultra quid faciant, in amicum odia et maledicta congeminent, detrahentes in angulis, in tenebris susurrantes, se mendaciter exaltantes, et alios similiter accusantes. Si igitur his omnibus, post dimissam amicitiam, impetaris, quandiu tolerabilia fuerint, ferenda sunt: et hic bonos veteri amicitiæ tribuendus, ut in culpa sit, qui faciat, non is qui patiatur injuriam. Amicitia quippe æterna est, unde: *Omni tempore diligit qui amicus est* (*Prov.* XVII). Si te læserit ille, quem diligis, tu tamen dilige. Si talis fuerit, ut illi amicitia subtrahatur, nunquam tamen subtrahatur dilectio. Consule quantum potes saluti ejus, prospice famæ, nec unquam amicitiæ ejus prodas secreta, quamvis tua ipse prodiderit. GALTERUS. Quæ sunt, rogo, illa vitia, pro quibus amicitiam paulatim dicis esse solvendam?

AELREDUS. Quinque illa, quæ paulo ante descripsimus; maxime autem revelatio secretorum, et occulti morsus detractionum. His sextum addimus. Si eos, qui tibi æque diligendi sunt, læserit, eisque, quorum tua interest providere saluti, ruinæ et scandali materiam, etiam correptus præbere non desierit, maxime ubi vitiorum te tangit infamia. Non enim amor præponderare debet religioni, non fidei, non charitati civium, non plebis saluti. Rex Assuerus superbissimum Aman, quem præ cæteris amicum habuerat, suspendit in cruce (*Ezech.* VII), amicitiæ, quam ille fraudulentis consiliis læserat, salutem multitudinis et charitatem præponens uxoris. Jahel uxor Aber Cinei, licet pax fuerit inter Sisaram et domum Aber, plebis tamen salutem huic amicitiæ præferens, ipsum Sisaram clavo sopivit et malleo (*Judic.* IV). Sanctus propheta David, cum de jure amicitiæ cognationi Jonathæ debuerat pepercisse (*II Reg.* XXI), audiens tamen a Domino, propter Saul et domum ejus sanguinum, quia occiderat Gabaonitas, populum fame tribus annis jugiter laborasse, septem viros de cognatione ejus, Gabaonitis dedit puniendos. Hoc autem nolo vos ignorare, inter perfectos, quos sapienter electos et caute probatos, vera et spiritualis amicitia copulavit, non posse intervenire dissidium. Cum enim amicitia de duobus unum fecerit, sicut id quod unum est, non potest dividi, sic et amicitia a se non poterit separari. Patet igitur, hanc amicitiam, quæ patitur se- [illegible] veram. In hoc tamen amicitia [illegible] virtus proba[illegible]

esse quod fuit; diligens eum, a quo non diligitur; honorans eum, a quo spernitur, benedicens eum, a quo maledicitur; benefaciens ei, qui sibi quod perniciosum est, machinatur. GALTERUS. Quomodo ergo amicitia solvitur, si excluso talia sunt exhibenda ab eo, a quo solvitur?

AELREDUS. Ad amicitiam quatuor pertinere specialiter videntur: scilicet dilectio et affectio, securitas et jucunditas. Ad dilectionem spectat, cum benevolentia beneficiorum exhibitio. Ad affectionem, interior quædam procedens delectatio. Ad securitatem, sine timore et suspicione omnium consiliorum et secretorum revelatio. Ad jucunditatem, de omnibus quæ contingunt, sive læta sint, sive tristia; de omnibus quæ cogitantur, sive nociva sint, sive utilia; de omnibus quæ docentur vel discuntur, quædam dulcis et amica collatio. Videsne, in quibus ab his qui merentur, solvenda est amicitia? Subtrahitur certe illa interior delectatio, quam ex amici pectore jugiter hauriebat; perit securitas, qua sua illi arcana revelabat; seponitur jucunditas, quam amica confabulatio pariebat. Familiaritas proinde illa, in qua talia continentur, ei neganda est, non subtrahenda dilectio: et hoc cum quadam moderatione et reverentia, ut si non nimius fuerit horror, semper antiquæ amicitiæ quædam videantur remansisse vestigia. GRATIANUS. Mihi certe placent ista, quæ dicis.

AELREDUS. Jam, de electione si sufficiunt ista quæ diximus, insinuate. GALTERUS. Vellem, ut eorum, quæ dicta sunt, summa sub brevi nobis epilogo traderetur.

AELREDUS. Geram vobis morem. Amorem amicitiæ diximus esse principium, nec qualemcunque, sed qui de ratione simul et affectu procedit. Qui quidem et castus est ex ratione, et ex affectu dulcis. Deinde amicitiæ ponendum diximus fundamentum, Dei scilicet dilectionem, ad quam omnia, quæ suggeruntur, referenda sunt, et utrum ei conveniant, vel ab ea dissideant, explorandum. Quatuor subinde gradus in amicitia, quibus ad ejus summam pervenitur, custodiendos putavimus, cum amicus primum sit eligendus, deinde probandus, tunc demum admittendus, et sic postea ut decet, tractandus. Et de electione tractantes, iracundos, instabiles, suspiciosos atque verbosos exclusimus: non omnes tamen, sed eos duntaxat, qui has passiones nec ordinare, nec moderari possunt aut volunt. Nam multi his perturbationibus sic tanguntur, ut non solum eorum in nullo lædatur perfectio, sed etiam virtus eorum moderatione laudabiles angeatur. Nam qui velut infrenes, his passionibus ac i semper feruntur in præceps, in ea vitia inevitabiliter dilabuntur et corruunt, quibus amicitia, teste Scriptura, et læditur et dissolvitur; convicia scilicet, et [illegible] perium, et secretorum revelatio, superbia, et [illegible] dolosa. Si tamen hæc omnia patiaris ab [illegible] emel in amicitiam susceperis, non statim [illegible] dam dicimus, sed paulatim solvendam [illegible]

Digitized by Google

servetur antiquæ amicitiæ reverentia, ut licet ipsum a secretis tuis amoveas, nunquam tamen ei dilectionem subtrahas, auxilium tollas, neges consilium. Quod si etiam ad blasphemias et maledicta ejus prorumpat insania, tu tamen defer fœderi, defer charitati, ut in culpa sit qui intulit, non ille qui pertulit injuriam. Porro si patri, si patriæ, si civibus, si subditis, si amicis inventus fuerit perniciosus, statim familiaritatis rumpendum est vinculum, nec unius amor perditioni multitudinis præferatur. Hæc ne proveniant, in ipsa electione cavendum, ut videlicet is eligatur, quem non ad ista furor impellat, aut levitas trahat, aut verbositas præcipitet, aut abducat suspicio : maxime, qui non nimium a tuis dissentiat moribus, nec a qualitate discordet. Quia vero de vera amicitia loquimur, quæ non potest esse nisi inter bonos, de illis, de quibus, quod non sint eligendi, nulla potest esse cunctatio, ut turpes, avari, ambitiosi, criminosi, nullam facimus mentionem. Si vobis de electione satis datum est, ad probationem deinceps transeamus. GALTERUS. Opportunum hoc; nam mihi semper ad ostium oculus est, ne forte quis irrumpat, qui vel nostris deliciis finem ponat, vel quid amaritudinis misceat, vel aliquid superducat inane. GRATIANUS. Cellerarius adest, cui si concedatur ingressus, non erit tibi facultas ulterius procedendi. Sed ecce ego observo januam, tu Pater, perge quo cœperas.

AELREDUS. Quatuor probanda sunt in amico : fides, intentio, discretio, patientia. Fides, ut ei te secure committas. Intentio, ut nihil ex amicitia, nisi Deum et naturale ejus bonum exspectes. Discretio, ut quid præstandum amico, quid ab eo petendum, in quibus contristandum pro eo, in quibus amico congratulàndum, pro quibus eum corripiendum, modum, tempus et locum non ignores. Patientia vero, ne correptus doleat, ne corripientem contemnat vel odiat, ut eum pro amico quælibet adversa sustinere non pigeat. Nihil in amicitia fide præstantius, quæ ipsius nutrix videtur et custos. Ipsa se in omnibus adversis et prosperis, lætis et tristibus, jucundis et amaris, præbet æqualem : eodem intuens oculo humilem et sublimem, pauperem et divitem, fortem et debilem, sanum et ægrotum. Fidelis proprie amicus nihil in amico, quod extra ejus animum, intuetur : virtutem in propria sede complectens, cætera omnia quasi extra eum posita, nihil multum probat si adsint, nec cum absint requirens. Ipsa tamen fides in prosperis latet, sed eminet in adversis. In necessitate probatur amicus. Amici divitis multi; sed utrum veri amici sint, interveniens adversitas probat. Salomon : *Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur* (*Prov.* XVII). Et arguens infidelem dicit : *Dens putridus, et pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ* (*Prov.* XXV). GRATIANUS.§ Si prospera nostra nulla unquam adversitas interpolet, quomodo amici probabitur fides ?

AELREDUS. Multa sunt alia, quibus fides probatur amici, quamvis in sinistris maxime. Nam, ut superius diximus, nihil est quod amicitiam magis lædit, quam consiliorum proditio. Evangelica vero sententia est : *Qui in modico fidelis est, et in multo fidelis erit* (*Luc.* XVI). Amicis itaque, quibus adhuc probationem credimus necessariam, non omnia, nec profunda nostra sunt committenda secreta, sed primo exteriora vel modica, de quibus non magnopere curandum est, an celentur an nudentur ; cum tanta tamen cautione, ac si plurimum obessent prodita, prodessent autem celata. In quibus si fidelis fuerit inventus, in majoribus experiendum non dubites. Quod si forte sinistrum aliquid de te fama vulgaverit, si quisquam malitia famam tuam fuerit persecutus, et ille nullius ad credendum adducatur suggestione, nulla moveatur suspicione, nulla dubitatione turbetur ; de ejus fide ulterius nulla tibi debet esse cunctatio, sed quasi de certa et stabili, non parva exsultatio. GRATIANUS. Recordor nunc tui illius amici transmarini, de quo nobis fecisti sæpe mentionem, quem ob hoc verissimum tibi ac fidelissimum probasti amicum, quod falsa de te referentibus, non solum non adhibuerit fidem, sed nec ulla sit hæsitatione pulsatus : quod nec de tuo amicissimo, antiquo scilicet Claræ-Vallis sacrista, præsumendum putasti. Sed quoniam de probatione fidei satis actum est, ad cætera enucleanda procede.

AELREDUS. Diximus etiam intentionem esse probandam. Pernecessarium hoc : sunt enim plerique, qui in rebus humanis nihil norunt bonum, nisi quod temporaliter fructuosum sit. Hi amicos sicut boves suos diligunt, ex quibus aliquid boni sperant capturos : qui profecto germana et spiritali carent amicitia, propter Deum et se appetenda, nec in se ipsis naturale contuentur exemplar : ubi facile deprehenditur vis ejus qualis sit, et quanta sit. Ipse Dominus ac Salvator noster veræ nobis amicitiæ formam præscripsit : *Diliges*, inquiens, *proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII). En speculum. Diligis te ipsum. Ita plane, si Deum diligis ; si nempe talis es, qualem in amicitiam eligendum descripsimus. Aliquam, rogo, a te ipso, hujus tuæ dilectionis mercedem judicas exigendam ? Minime profecto, sed quod per se sibi quisque charus est. Nisi igitur et tu hunc ipsum in alium transferas affectum, charus ille tibi, æque ut tu, esse non poterit. Tunc, enim erit ipse, quem diligis, alter tu, si tuam in ipsum transfuderis charitatem. Non enim, ut ait sanctus Ambrosius, vectigalis est amicitia, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus est, non quæstus, quia pecunia non potitur, sed gratia ; nec licitatione pretiorum, sed concertatione benevolentiæ. Ejus igitur, quem elegisti, subtiliter est probanda intentio, ne secundum spem commodi cujuslibet tibi velit in amicitia copulari, mercenariam eam æstimans non gratuitam. Certiores autem plerumque sunt amicitiæ inopum quam divitum, cum spem lucri sic tollat paupertas, ut amicitiæ non minuat, sed potius augeat charitatem. Divitibus itaque assentatorie gra-

Digitized by Google

tificatur; erga pauperem nemo simulator est. Verum est quidquid defertur pauperi, cujus amicitia invidia vacat. Hæc diximus, ut in amicis mores probemus, non æstimemus censum. Sic ergo probatur intentio. Si eum videris tuorum magis cupidum, quam tui; aucupari semper aliquid, quod tua sibi conferri possit industria, honorem, gloriam, divitias, libertatem; in quibus omnibus si dignior ille præferatur, vel certe in tua non sit potestate quod appetitur, qua tibi intentione adhæserit, facile pervidebis. Jam nunc de discretione videamus. Qui lam perverse satis, ne dicam impudenter, talem amicum habere volunt, quales ipsi esse non possunt. Ili sunt, qui leves quoque amicorum transgressiones impatienter ferunt, austere corripiunt, et carentes discretione magna negligunt, contra minima quæque se erigunt, confundunt omnia, non locum servantes, ubi; non tempus, quando; non personas, quibus quælibet vel publicare conveniat, vel celare. Quocirca illius, quem eligis, est probanda discretio; ne si improvidum quemquam vel imprudentem tibi in amicitia sociaveris, lites quotidianas et jurgia tibi ipse perquiras. Sane hanc in amicitia necessariam esse virtutem satis facile est pervidere, qua si quis caruerit, instar navis absque gubernaculo, pro impetu spiritus, instabili et irrationabili semper motu feretur. Sic et multæ causæ deesse non poterunt, quibus illius, quem cupis esse amicum, probetur patientia: cum necesse sit arguere eum quem diligis: quod aliquando quasi ex industria durius fieri oportet, ut sic ejus vel probetur, vel exerceatur tolerantia. Id sane attendendum est, ut licet talia reperiantur in eo quem probas, quæ offendant animum, vel alicujus secreti incauta revelatione, vel alicujus temporalis commodi cupiditate, vel minus discreta correptione, vel aliqua debitæ lenitatis transgressione, non statim a proposita dilectione vel electione resilias, quandiu correctionis ejus spes ulla relucet. Nec quemquam in amicis eligendis, vel probandis tædeat esse sollicitum; cum hujus laboris fructus vitæ sit medicamentum, et immortalitatis solidissimum fundamentum. Cum enim plurimi in thesauris multiplicandis, in bobus et asinis, in ovibus et capris nutriendis, eligendis, comparandis, satis periti sint, indiciaque certa in his omnibus cognoscendis non desint, dementiæ res est, eamdem in amicis acquirendis, vel probandis non dare operam, et quasdam addiscere notas, quibus hi, quos eligimus in amicos, ad amicitiam probentur idonei. Cavendus sane est quidam impetus amoris, qui præcurrit judicium, et probandi adimit potestatem. Est proinde viri prudentis sustinere, hunc refrenare impetum, ponere modum benevolentiæ, paulatim procedere in affectum, donec jam probato se totum dedat, et committat amico. Galterus. Fateor, adhuc me movet illorum sententia, qui sine hujusmodi amicis vivere tutius arbitrantur.

Aelredus. Mirum hoc, cum sine amicis nulla prorsus vita jucunda sit. Galterus. Cur rogo te?

Aelredus. Ponamus totum genus humanum exemptum mundo, te solum superstitem reliquisse. Et ecce coram te omnes mundi deliciæ et divitiæ, aurum, argentum, lapides pretiosi, urbes muratæ, castra turrita, ampla ædificia, sculpturæ, picturæ. Sed et reformatum te in antiquum cogita statum, omnia habere subjecta, *oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris, qui perambulant semitas maris* (*Psal.* VIII). Dic rogo nunc, utrum sine socio omnia tibi hæc possent esse jucunda? Galterus. Minime.

Aelredus. Quod si unum haberes cujus nescires linguam, ignorares mores, cujus te lateret et amor et animus? Galterus. Si non aliquibus signis efficere possem, ut esset amicus, mallem nullum, quam talem habere.

Aelredus. Si autem unus adesset, quem æque ut te ipsum diligeres, a quo te similiter diligi non dubitares, nonne omnia, quæ prius videbantur amara, dulcia redderentur et sapida? Galterus. Prorsus ita est.

Aelredus. Nonne quanto plures haberes de talibus, tanto feliciorem te judicares? Galterus. Verissime.

Aelredus. Hæc est illa mira et magna felicitas, quam exspectamus, Deo ipso operante et diffundente inter se et creaturam suam, quam sustulerit, inter ipsos gradus et ordines, quos distinxerit, inter singulos quosque, quos elegerit, tantam amicitiam et charitatem, ut sic quisque diligat alium sicut se ipsum; ac per hoc sicut unusquisque de propria, sic et de alterius felicitate lætetur: et ita singulorum beatitudo omnium sit, et omnium beatitudinum universitas singulorum. Ibi nulla cogitationum occultatio, nulla affectionum dissimulatio. Hæc est vera et æterna amicitia, quæ hic inchoatur, ibi perficitur; quæ hic paucorum est, ubi pauci boni; ibi omnium, ubi omnes boni. Hic necessaria probatio, ubi est sapientium et stultorum permistio; ibi probatione non egent, quos beatificat angelica illa et quodammodo divina perfectio. Ad hanc proinde similitudinem comparemus amicos, quos non secus ac nos ipsos diligamus; quorum nobis nuda sint omnia, quibus omnia nostra pandamus secreta; qui firmi sint, et stabiles, et constantes in omnibus. Putasne quemquam mortalium esse, qui non velit amari? Galterus. Non æstimo.

Aelredus. Si quem videres inter multos vivere, et omnes habere suspectos, quasi insidiatores capitis sui timere omnes, nullum diligere, nec se diligi a quoquam putare, non eum miserrimum judicares? Galterus. Miserrimum plane.

Aelredus. Ergo ipsum felicissimum non negabis, qui in eorum, inter quos vivit, visceribus requiescit, amans omnes et amatus ab omnibus, quem ab hac suavissima tranquillitate nec suspicio dividat nec timor excutiat. Galterus. Optime ac verissime.

Aelredus. Quid si forte de omnibus difficile inventu sit in præsenti, cum id nobis in futurum ser-

Digitized by Google

vetur, quanto plures nobis abundant hujusmodi, tanto nobis feliciores æstimabimus? Nudiustertius cum claustra monasterii circuirem, consedente fratrum amantissima corona, et quasi inter paradisiacas amœnitates singularum arborum folia, flores fructusque mirarer; nullum inveniens in illa multitudine, quem non diligerem et a quo me diligi non confiderem, tanto gaudio perfusus sum, ut omnes mundi hujus delicias superaret. Sentiebam quippe meum spiritum transfusum in omnibus, et in me omnium transmigrasse affectum, ut dicerem cum Propheta: *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum!* (*Psal.* CXXXII.) GRATIANUS. Non omnes illos, quos sic diligis et a quibus sic diligeris, te in amicitiam assumpsisse putabimus?

AELREDUS. Plerosque omni affectu complectimur, quos tamen ad amicitiæ secreta non admittimus; quæ maxime in omnium secretorum, et consiliorum nostrorum revelatione consistit: unde Dominus in Evangelio: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos;* causamque subjungens, qua amici nomine digni haberentur: *Quia omnia*, inquit, *quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV). Et alias: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis* (*ibid.*). De his verbis, ut sanctus ait Ambrosius (lib. 3, *De offic.* c. 21), dedit formam amicitiæ quam sequamur, ut faciamus amici voluntatem, ut aperiamus secreta nostra amico, quæcunque in pectore habemus, et illius arcana non ignoremus. Ostendamus illi nos pectus nostrum, et ille nobis aperiat suum. Nihil enim occultat amicus. Si verus est, effundit animum suum, sicut effundebat mysteria Patris Dominus Jesus. » Hæc Ambrosius. Quam multos ergo diligimus, quibus minus cautum est, sic nostrum propalare animum, et effundere viscera! quorum vel ætas, vel sensus, sive discretio, ad talia sustinenda non sufficit. GALTERUS. Hæc amicitia sublimis et perfecta est, ut ad eam aspirare non audeam. Mihi et huic Gratiano illa sufficit, quam tuus Augustinus describit (lib. IV, *Meditat.* c. 8), colloqui scilicet et corridere, et vicissim benevole obsequi, simul legere, simul conferre, simul nugari et simul honestari: dissentire interdum sine odio, tanquam homo sibi, atque ipsa rarissima dissensione condire consensiones plurimas; docere aliquid invicem, aut discere ab invicem, desiderare absentes cum molestia, suscipere advenientes cum lætitia. His atque hujusmodi, a corde amantium et redamantium procedentibus signis per os, per linguam, per oculos, et mille motus gratissimos, quasi fomitibus conflare animos, et ex pluribus unum facere. Hoc est quod nos diligendum credimus in amicis; ita ut rea sibi nostra videatur conscientia, si non amaverimus redamantem, aut si amantem non redamaverimus.

AELREDUS. Amicitia hæc carnalium est, et maxime adolescentium, quales aliquando fuerant ipse et suus, de quo tunc loquebatur, amicus: quæ tamen, exceptis nugis et mendaciis; si nulla interserit inhonestas, spe uberioris gratiæ toleranda est, quasi quædam amicitiæ sanctioris principia; quibus, crescente religione et spiritualium studiorum parilitate, accedente etiam maturioris ætatis gravitate et spiritualium sensuum illuminatione, purgatiori affectu ad altiora, quasi e vicino conscendant: sicut heterna die ab hominis ad Dei ipsius amicitiam, ob quamdam similitudinem diximus facilius transeundum. Sed jam tempus est, ut, quemadmodum amicitia sit colenda, deinceps videamus. Firmamentum igitur stabilitatis et constantiæ in amicitia fides est; nihil est enim stabile quod infidum est. Simplices quippe, et communes, et consentientes, et qui iisdem rebus moveantur, esse debent amici ad invicem: quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Non enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum; neque qui non eisdem rebus moventur, nec eisdem consentiunt, nec stabilis esse possunt amicitiæ aut fidei. Præ omnibus autem cavenda est suspicio, quæ est amicitiæ venenum. Non unquam de amico mala sentiamus, nec mala dicenti credamus vel consentiamus. Accedat hinc in sermone jucunditas, hilaritas in vultu, suavitas in moribus, in oculorum etiam nutu serenitas, in quibus haudquaquam mediocre in amicitia condimentum. Tristitia namque et severior facies habet quamdam honestam gravitatem, sed amicitia quasi remissior aliquando debet esse, et liberior et dulcior, ad comitatem facilitatemque sine levitate et dissolutione proclivior. Est præterea illius amicitiæ, parem esse inferiori superiorem. Sæpe enim quidem inferioris gradus vel ordinis, vel dignitatis, vel scientiæ, ab excellentioribus assumuntur in amicitiam: quos oportet omnia, quæ extra naturam sunt, contemnere et æstimare quasi nihilum et inane; et in pulchritudinem amicitiæ, quæ non sericis vel gemmis ornatur, non possessionibus dilatatur, non pinguescit deliciis, nec abundat divitiis, non honoribus extollitur, non dignitatibus inflatur, semper attendere; et sic ad originis recurrentes principium, æqualitatem, quam natura dedit, non autem circumpendentia, quæ mortalibus cupiditas præstitit, subtili examinatione considerare. Itaque in amicitia, quæ naturæ simul et gratiæ optimum donum est, sublimis descendat, humilis ascendat; dives egeat, pauper ditescat: et ita unusquisque alteri suam conditionem communicet, ut fiat æqualitas. Unde scriptum est. *Qui multum habuit, non abundavit: et qui modicum, non minoravit* (*II Cor.* VIII). Nunquam ergo tuo te præferas amico, sed si forte in iis quæ diximus superior inveniris, tunc te magis amico submittere non cuncteris, præstare confidentiam, extollere verecundum, et tanto plus ei conferre honoris, quanto minus conferendum conditio vel paupertas præscribit. Præstantissimus juvenum Jonathas, non regium stemma, nec regni exspectationem attendens, fœdus iniit cum David, et servum in amicitiam adæquans Domino, sic fugatum a patre, sic latitantem in ere-

Digitized by Google

mo, sic adjudicatum morti, neci destinatum, sibi prætulit; se humilians, et illum exaltans. *Tu*, inquit, *eris rex, et ego ero secundus post te* (*I Reg.* xx). O præclarissimum veræ amicitiæ speculum! Mira res! Rex furebat in servum, et quasi in æmulum regni totam patriam excitabat, sacerdotes arguens proditionis, pro sola suspicione trucidat; lustrat nemora, valles exquirit, montes et rupes armata obsidet manu, omnes se regiæ indignationis spondent ultores: solus Jonathas, qui solus justius poterat invidere, patri resistendum putavit, deferendum amico, præbendum in tanta adversitate consilium, et amicitiam regno præferens: *Tu eris*, ait, *rex, et ego ero secundus post te.* Et vide, quomodo pater adolescentis contra amicum excitabat invidiam, conviciis urgens, terrens minis, spoliandum regno, honore privandum commemorans. Cum enim in David mortis sententiam protulisset, Jonathas amico non defuit. *Quare morietur David? Quid peccavit? Quid fecit? Ipse posuit animam suam in manu sua, et percussit Philistæum, lætatus es. Quare ergo morietur?* (*ibid.*). Ad hanc vocem versus in insaniam rex, lancea nisus est confodere Jonatham cum pariete, addensque convicia minis: *Fili*, inquit, *mulieris ultro virum rapientis; scio quia diligis eum in confusionem tuam, et in confusionem ignominiosæ matris tuæ.* Deinde totum virus, quo pectus juvenis aspergeretur, evomuit, adjiciens verbum ambitionis incitamentum, fomentum invidiæ, zeli et amaritudinis incentivum. *Quandiu vixerit filius Isai, non stabilietur regnum tuum.* Quis non moveretur his verbis, non invideret? Cujus amorem, cujus gratiam, cujus amicitiam non corrumperent, non minuerent, non obliterarent? Ille amantissimus adolescens amicitiæ jura conservans, fortis ad minas, patiens ad convicia, propter amicitiam regni contemptor, immemor gloriæ, sed memor gratiæ. *Tu eris*, inquit, *rex, et ego ero secundus post te.* Repertos quosdam dicit Tullius, qui pecuniam præferre amicitiæ sordidum æstimarent; illos autem impossibile reperiri, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes non amicitiæ anteponant; ut cum ex altera parte proposita hæc sint, ex altera jus amicitiæ, non multa illa malint. Imbecillis est enim natura, ad contemnendam potentiam. « Ubi enim, ait, invenies, qui honorem amici anteponat suo? » Ecce inventus est Jonathas victor naturæ, gloriæ ac potestatis contemptor, qui honorem amici suo præferret. *Tu eris*, inquiens, *rex, et ego ero secundus post te.* Hæc est vera, perfecta, stabilis et æterna amicitia: quam invidia non corrumpit, non suspicio minuit, non dissolvit ambitio; quæ sic tentata non cessit, sic arietata non corruit; quæ tot conviciis pulsata cernitur inflexibilis, tot lacessita injuriis permansit immobilis. *Vade* ergo, *et tu fac similiter* (*Luc.* x). Verum, si tibi præferre quem diligis, durum vel etiam impossibile judicas; vel parem cum tibi facere, si vis esse amicus, non negligas. Non enim amicitia recte colitur, a quibus æqualitas non servatur. Defer amico ut æquali, ait Ambrosius (lib. III *De offic.* cap. 21), ne te pudeat ut prævenias amicum officio. Amicitia enim nescit superbiam. Fidelis quippe amicus medicamentum est vitæ, immortalitatis gratia. Jam in beneficiis, quomodo colenda sit, attendamus, et hinc aliquid de alienis manibus extorqueamus. Hæc lex, ait quidam, in amicitia sanciatur, ut ab amicis honesta petamus, et pro amicis honesta faciamus, nec exspectemus ut rogemur; cunctatio semper absit! Si perdenda est pecunia propter amicum, multo magis amici utilitatibus vel necessitatibus conferenda. Sed non omnes omnia possunt. Abundat iste pecunia, ille agris et possessionibus; alter in consiliis plus potest, alter magis excellit in honoribus. In his qualem te debeas exhibere amico, prudenter adverte. Et de pecunia satis dedit Scriptura: *Perde*, inquit, *pecuniam propter amicum* (*Eccli.* xxvi). Sed quia oculi sapientis in capite ejus, si nos simus membra et Christus caput, faciamus quod ait Propheta: *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* xxiv), ut ab eo accipiamus vivendi formam, de quo scriptum est: *Si quis indiget sapientia, postulet a Domino, qui dat omnibus affluenter, et non improperat* (*Jac.* i). Sic igitur des amico, ut non improperes, non mercedem exspectes, non frontem obducas, non vultum avertas, non deponas oculos: sed serena facie, hilari vultu, sermone jucundo intercide verba petentis: occurre benevolentia, ut non rogatus videaris præstare quod petitur. Ingenuus animus nihil magis erubescendum æstimat, quam rogare. Cum igitur tibi cum amico tuo esse debeat cor unum et anima una, injuriosum est, si non sit et pecunia una. Hæc igitur lex in hac parte inter amicos teneatur; ut sic se sibi suaque impendant, ut qui dat, servet hilaritatem; qui accipit, non perdat securitatem. Booz cum Ruth Moabitidis advertisset inopiam (*Ruth.* II), post messores suos legentem spicas alloquitur, consolatur, invitat ad convivium puerorum, et verecundiæ ejus ingenue parcens, jubet messoribus etiam de industria spicas relinquere, quas illa colligeret absque pudore. Sic et nos debemus amicorum necessitates subtilius explorare, petiturum beneficiis prævenire, talem in dando modum servare, ut ille gratiam videatur præstare, qui accepit, magis quam ille, qui dedit. Galterus. Nobis igitur, quibus nihil accipere, nihil dare permittitur, qualis orit in hac parte spiritalis amicitiæ gratia?

Aelredus. Felicissimam vitam, ait sapiens (24), ducerent homines, si duo hæc verba de medio tollerentur, Meum et Tuum. Magnam certe præstat spiritali amicitiæ firmitatem sancta paupertas, quæ ideo sancta est, quia voluntaria. Cum enim peremptorium sit amicitiæ cupiditas, tanto facilius ami-

(24) Plato.

Digitized by Google

vitia parta servatur, quanto animus ab illa peste purgatior invenitur. Sunt tamen alia in spiritali amore beneficia, quibus et adesse sibi, et prodesse possunt amici. Primum ut solliciti sint pro invicem, erubescant alter pro altero, alter gaudeat pro altero, alterius lapsum ut suum lugeat, alterius profectum suum existimet. Quibus modis potest erigat pusillanimem, suscipiat infirmum, consoletur tristem, iratum sustineat. Sic præterea oculos revereatur amici, ut nihil quod inhonestum sit agere, nihil quod dedeceat, loqui præsumat. Cum enim quidquid ipse deliquerit, ita redundet in amicum, ut non solum intra se erubescat et doleat; sed etiam is qui videt vel audit, sibi, ac si ipse peccasset, improperet; profecto licet non sibi, amico tamen credit esse parcendum. Optimus itaque comes amicitiæ verecundia est, et ideo maximum ornamentum tollit amicitiæ, qui ab ea tollit verecundiam. Quam sæpe conceptam ab intus iracundiæ flammam, et jam in publicum erumpentem, amici mei nutus compescuit vel exstinxit! quoties verbum indecens usque ad fauces progressum, austerior illius aspectus repressit! Quam sepe incautius resolutus in risum, vel in otiosa lapsus, in ejus adventu debitam gravitatem recepi! Præterea quidquid suadendum est, ab amico facilius recipitur, et securius retinetur, cujus magna in suadendo debet esse auctoritas, cum nec fides ejus dubia, nec adulatio sit suspecta. Amicus igitur amico, quod honestum est, suadeat secure, manifeste, libere. Nec solum monendi sunt amici, sed si opus fuerit, objurgandi. Nam cum quibusdam molesta sit veritas, siquidem ex ea nascitur odium, secundum illud : *Obsequium amicos, veritas odium parit;* obsequium tamen illud multo molestius est, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum fieri sinit. Maxime autem culpandus est amicus, et hinc præcipue objurgandus, si veritatem aspernatur, et obsequiis atque blanditiis in crimen impellitur. Non quod debeamus amicis dulciter obsequi et plerumque blandiri; sed in omnibus servanda moderatio est, ut monitio acerbitate, et objurgatio contumelia careat. In obsequiis vero vel blanditiis, suavis quædam et honesta affabilitas adsit; assentatio vero vitiorum adjutrix procul amoveatur; quæ non solum amico, sed nec libero quidem digna est. Cujus autem aures veritati clausæ sunt, ut ab amico verum audire non possit, hujus salus desperanda est. Quocirca, sicut ait Ambrosius, si quid vitii in amico deprehenderis, corripe occulte; si te non audierit, corripe palam. Sunt enim bonæ correctiones, et plerumque meliores, quam tacita amicitia. Etsi lædi se putet amicus, tu tamen corripe. Etsi amaritudo correptionis animum ejus vulneret, tu tamen corripe. Tolerabiliora enim sunt amici vulnera, quam adulantium oscula. Errantem igitur amicum corripe. Super omnia tamen cavenda est in correptione ira et amaritudo mentis : ne non tam videatur amicum velle corrigere, quam suo stomacho satisfacere. Vidi enim aliquos in amicis corrigendis, conceptam amaritudinem, ebullientemque furorem, nunc zeli, nunc libertatis nomine palliare : et secutos impetum, non rationem; sua tali correptione nunquam prodesse, imo et obesse plurimum. At inter amicos nulla vitii hujus excusatio est. Debet enim amicus amico compati, condescendere, vitium ejus suum putare, corripere humiliter, compatienter. Corripiat eum vultus tristior, sermo dejectior, intercipiant verba lacrymæ; ut non solum videat, sed etiam sentiat correptionem ex amore, et non ex rancore procedere. Si forte primam correptionem respuerit, recipiet vel secundam. Tu interim ora, tu plora; tristem præferens vultum, pium servans affectum. Exploranda est etiam animi illius qualitas. Nam sunt, quibus blanditiæ prosunt, et his libentius acquiescunt. Sunt, qui pro nihilo eas ducunt, et facilius verbo vel verbere corriguntur. Amicus proinde ita se conformet et aptet amico, ut ejus congruit qualitati : et cui in exteriori adversitate debet adesse, his quæ sunt adversa spiritui, multo magis festinet occurrere. Igitur sicut monere et moneri proprie amicitiæ est; et alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, non repugnanter : sic habendum est, in amicitiis nullam pestem esse majorem, quam adulationem et assentationem : quæ sunt levium hominum, atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Nulla proinde sit inter amicos cunctatio, simulatio nulla, quæ maxime repugnat amicitiæ. Debet quippe amico veritatem; sine qua nomen amicitiæ valere non potest. *Corripiet me,* ait sanctus David, *justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL). Simulator et callidus provocat iram Dei. Inde Dominus per prophetam : *Populе meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant* (*Isa.* III). *Simulator* enim *ore,* ut Salomon ait, *decipit amicum suum* (*Prov.* XI). Quocirca sic colenda est amicitia, ut si forte certis ex causis admittenda videatur dissimulatio, sed simulatio nunquam. GALTERUS. Quomodo, quæso, dissimulatio necessaria est, quæ ut mihi videtur, semper vitium est?

AELREDUS. Falleris, fili, nam et Deus dissimulare dicitur peccata delinquentium, nolens mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat. GALTERUS. Distingue, rogo, inter simulationem et dissimulationem.

AELREDUS. Simulatio, ut mihi videtur, deceptorius quidam consensus est, contra judicium rationis, quam Terentius in persona Gnatonis satis eleganter expressit. « Negat quis? Nego. Ait? Aio. Postremo imperavi egomet omnia mihi assentari. » Et forte hæc ethnicus ille de nostris mutuavit thesauris, sensum prophetæ nostri suis exprimens verbis. Nam et hoc ipsum ex persona plebis perversæ dixisse prophetam, manifestum est : *Videte nobis vana, loquimini nobis placentia* (*Isa.* XXX). Et

Digitized by Google

alias : *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manu, et populus meus dilexit talia* (*Jer.* v). Hoc vitium ubique detestandum est, semper et ubique cavendum. Porro dissimulatio dispensatoria quædam est, vel pœnæ vel correptionis dilatio, sine consensu interiori, pro loco, pro tempore, pro persona. Neque enim si quis amicus constitutus in plebe deliquerit, subito et palam objurgandus est ; sed dissimulandum pro loco, imo et quantum salva veritate fieri potest, excusandum quod fecit, et ad debitam correptionem exspectandum familiare secretum. Sic eo tempore, quo animus intentus pluribus, minus est ad ea quæ dicendà sunt idoneus, vel, aliis supervenientibus causis, paululum commotior sensus ei fuerit aliquantulum perturbatus, dissimulatione opus est, donec interiori tumultu sedato, corripientem aure patatiore sustineat. David rex, cum præventus concupiscentia homicidum adulterio copulasset, correpturus eum propheta Nathan (*II Reg.* XII), regiæ deferens majestati, non subito, nec mente turbata tantæ personæ crimen impegit, sed congrua dissimulatione præmissa, prudenter ipsius regis, contra se ipsum, sententiam extorsit. Galterus. Mihi perplacet ista distinctio. Sed scire velim, si amicus potentior fuerit, possitque ad honores vel quaslibet dignitates, quos voluerit promovere ; utrum debeat eos quos diligit, et a quibus diligitur, cæteris in tali promotione præferre, et inter ipsos, quos amplius diligit anteferre?

Aelredus. Et in hac parte quomodo colenda sit amicitia, operæ pretium est indagare. Sunt enim nonnulli, qui se putent non amari, quia non possunt promoveri ; seque contemni causentur, si non curis et officiis implicentur. Unde non parvas discordias inter eos, qui putantur amici, ortas novimus, ita ut indignationem divortium sequeretur, divortium maledicta. Itaque in dignitatibus vel officiis, maxime ecclesiasticis, magna cautio adhibenda est : nec attendendum quid possis præstare, sed quid ille, cui præstas, poterit sustinere. Plures quippe sunt diligendi, qui tamen non sunt promovendi ; et multos laudabiliter et dulciter amplectimur, quos non sine gravi nostro peccato, et illorum summo periculo, curis et negotiis implicaremus. Quocirca semper in his ratio sequenda est, non affectus ; nec his imponendus est honos vel onus istud, quos habemus amicitiores, sed quos ad ea sustinenda credimus aptiores. Ubi tamen virtutis invenitur æqualitas, non multum improbo, si aliquantisper affectus suas inserit partes. Nec quisquam se idcirco dicat contemptum, quia non promotus ; cum Dominus Jesus Petrum Joanni in hac parte prætulerit, nec ideo subtraxerit Joanni affectum, quia Petro dederat principatum. Petro commendavit Ecclesiam suam, Joanni dulcissimam matrem suam (*Joan.* XXI). Petro dedit claves regni sui, Joanni reseravit arcana pectoris sui. Petrus ergo sublimior, Joannes securior. Petrus licet in potestate constitutus, dicente Jesu : *Unus ex vobis tradet me* (*Joan.* XIII), cum cæteris timet et trepidat ; Joannes ex sinus sui participatione factus audacior, innuente Petro, quisnam ille esset, interrogat. Petrus ergo exponitur actioni, Joannes reservatur affectui ; quia *Sic*, inquit, *eum volo manere, donec veniam* (*Joan.* XXI). Exemplum enim dedit nobis, ut et nos ita faciamus. Præstemus amico quidquid amoris est, quidquid gratiæ, quidquid dulcedinis, quidquid charitatis : futiles honores et onera illis, quos præscripserit ratio, imponamus, scientes quia nunquam vere diligit amicum, cui amicus ipse non sufficit, nisi hæc vilia et contemptibilia adjecerit. Cavendum autem magnopere est, ne tenerior affectus majores utilitates impediat : dum eos, quos ampliori charitate complectimur, ubi magna spes fructus uberioris elucet, nec absentare volumus, nec onerare. Hæc est enim amicitia ordinata, ut ratio regat affectum, nec tam quid illorum suavitas, quam quid multorum petat utilitas, attendamus. Recordor nunc duorum amicorum, qui licet exempti præsentibus, mihi tamen vivunt, semperque vivent ; quorum primum in initiis meæ conversionis, quadam mihi morum similitudine, et studiorum parilitate comparaveram, cum adhuc essem adolescens ; alterum ab ipso fere pueritiæ suæ tempore a me electum, et multifarie multisque modis probatum, cum jam ætas mihi variaret capillos, in summam amicitiam assumpsi. Et illum quidem nullo adhuc curæ pastoralis onere pressus, nulla rerum temporalium sollicitudine distentus, claustralium deliciarum, et spiritualium dulcedinum, quibus tunc initiabar, socium consortemque delegeram : nihil exigens, nihil præstans, præter affectum, et ipsius affectus suave quoddam, prout charitas dictabat, judicium. Istum jam juvenem in meæ sollicitudinis partem ascitum, in his sudoribus meis habui coadjutorem. Inter utramque hanc amicitiam, memoria præeunte discernens, video priorem inniti magis affectui, alteram rationi ; quamvis nec illi affectus defuerit, nec illam ratio deseruerit. Denique prior in ipsis amicitiæ nostræ principiis ereptus mihi, eligi potuit, sicut præscripsimus, non probari : alter a puero usque ad mediam ætatem dimissus mihi, et a me dilectus, per omnes amicitiæ gradus, quousque talium potuit imperfectio, mecum ascendit. Et primum quidem virtutum ejus contemplatio illi meum inclinavit affectum ; quem ego olim ab Australibus partibus in Aquilonarem hanc solitudinem duxi, ego regularibus disciplinis primus institui. Extunc ipse victor corporis, laboris etiam et inediæ patiens, plurimis exemplo fuit, admirationi multis, mihi gloriæ et delectationi. Ex jam tunc eum in amicitiæ principiis nutriendum putavi : utpote quem onerosum nulli, sed omnibus gratum intuebar. Ingrediebatur et egrediebatur pergens ad imperium seniorum, humilis, mansuetus, gravis moribus, sermone rarus, indignationis nescius, mur-

Digitized by Google

muris, et rancoris, et detractionis ignarus : incedebat quasi surdus non audiens, et sicut mutus non aperiens os suum. *Ut jumentum factus est* (*Psal.* XXXVII), sequens obedientiæ frenum, et jugum disciplinæ regularis mente et corpore infatigabiliter portans. Ingressus aliquando adhuc puer cellam infirmorum, correptus est a sancto Patre et prædecessore meo, quod tam cito puer se quieti inertiæque dedisset ; sic erubuit, ut mox egressus tam ferventer corporalibus se subderet exercitiis, ut multis annis, nec cum gravi ægritudine urgeretur, aliquid sibi de consueto rigore laxaverit. Hæc eum mihi invisceraverant miris modis, et ita in animum induxerant meum, ut mihi eum de inferiori socium, de socio amicum, de amico amicissimum facerem. Videns enim eum in quosdam canos virtutis et gratiæ profecisse, fratrum usus consilio, onus ei subprioratus imposui. Quod quidem invitus, sed quia obedientiæ se devoverat, modeste suscepit. Egit tamen mecum secreto, ut dimitteretur, prætendens ætatem, prætendens inscitiam, prætendens amicitiam, qua jam initiabamur : ne forte hac occasione vel minus diligeret, vel diligeretur minus. Sed his nihil proficiens, cœpit libera voce quidquid timebat utrisque, quidquid sibi in me minus placebat, humiliter et modeste proferre in medium : sperans, ut postea confessus est, hac me quasi præsumptione offensum, ad id posse, quod petebat, facilius inclinari. Sed hæc ejus mentis vocisque libertas, amicitiæ nostræ cumulum addidit ; quia volebam eum amicum habere non minimum. Cernens tunc ille me gratum habere, quod dixerat, respondisse humiliter ad singula, satis dedisse de omnibus, se non modo nihil offensionis, sed insuper copiosiorem fructum percepisse ; cœpit me et ipse arctius solito diligere, habenas laxare affectui, et meo se pectori totum infundere. Ita et mihi ejus libertas, et mea sibi probata patientia est. Ego quoque vicem rependens amico, accepta occasione durius objurgandum putavi, nec quibusdam quasi conviciis parcens, eum libertati meæ nec impatientem reperi, nec ingratum. Cœpi deinde consiliorum meorum ei revelare secreta, et fidelis inventus est. Ita inter nos amor crevit, concaluit affectus, charitas roborabatur, donec ad id ventum est, ut esset nobis cor unum et anima una, idem velle et idem nolle, essetque hic amor timoris vacuus, offensionis nescius, suspicione carens, adulationem exhorrens. Nihil inter nos simulatum, fucatum nihil, nihil inhoneste blandum, nihil indecenter durum, circuitus nullus, nullus angulus, sed omnia nuda et aperta ; qui meum pectus quodammodo suum putarem, et ejus meum, ipseque similiter. Ita in amicitia recta linea gradientibus, nullius correptio indignationem, nullius consensio culpam pariebat. Unde se amicum in omnibus probans, meæ paci, meæ quantum poterat prospiciebat quieti. Ipse se periculis objiciebat, scandalis emergentibus obviabat.

A Volebam ei aliquando aliquid de his temporalibus, quia jam infirmabatur, præbere solatium ; sed ille prohibebat, cavendum dicens ne amor noster secundum hanc carnis consolationem metiretur ; ne id magis carnali affectui meo, quam ejus necessitati ascriberetur, et sic mea auctoritas minueretur. Erat igitur quasi manus mea, quasi oculus meus, baculus senectutis meæ. Ipse spiritus mei reclinatorium, dolorum meorum dulce solatium ; cujus amoris sinus excipiebat laboribus fatigatum, cujus consilium recreabat tristitia vel mœrore demersum. Ipse commotum pacificabat, ipse leniebat iratum. Quidquid minus lætum emergebat, referebam ad eum ; ut, quod solus non poteram, junctis humeris facilius sustinerem. Quid ergo ? Nonne quæ- B dam beatitudinis portio fuit sic amare, et sic amari ; sic juvare et sic juvari ; et sic ex fraternæ charitatis dulcedine in illum sublimiorem dilectionis divinæ splendorem altius evolare, et in scala charitatis nunc ad Christi ipsius complexum conscendere ; nunc ad amorem proximi ibi suaviter repausandum descendere ? In hac igitur amicitia nostra, quam exempli gratia inseruimus, si quid cernitis imitandum, ad vestrum id retorquete profectum. Sed ut tandem collationem hanc nostram vel sole ruente claudamus, ab amore profectam amicitiam non dubitatis. Qui vero semetipsum non amat, alium amare qui potest ? Et cum ex similitudine amoris, quo ipse sibi charus est, amorem proximi debeat ordinare ; se autem non diligit, qui turpe C aliquid vel inhonestum, vel a se exigit, vel sibi imperat. Primum igitur est, ut semetipsum quisque castificet, nihil sibimet indulgens, quod indecens sit ; nihil sibi subtrahens, quod utile sit. Sic vero se ipsum diligens, diligat et proximum, eamdem regulam sequens. Sed quia hic amor multos colligit, ex ipsis eligat, quem ad amicitiæ secreta lege familiari admittat, in quem suum copiose infundat affectum : denudans pectus suum usque ad inspectionem viscerum et medullarum, cogitationum et intentionum cordis. Eligatur autem non secundum affectionis lasciviam, sed secundum rationis perspicaciam ; similitudine morum, et contemplatione virtutum. Deinde sic se impendat amico, ut levitas D omnis absit, jucunditas adsit ; nec ordinata desint benevolentiæ et charitatis officia, vel obsequia. Jam exinde probetur fides ejus, probetur honestas, probetur patientia. Accedat paulatim consiliorum communio, assiduitas parilium studiorum, et quædam conformatio vultuum. Sic enim conformari sibi debent amici, ut statim cum alter alterum viderit, etiam similitudo vultus unius in alterum transfundatur ; sive fuerit dejectus tristitia, sive jucunditate serenus. Ita electus atque probatus, cum certum tibi fuerit, nihil eum velle, quod dedeceat vel petere ab amico, vel præstare rogatum : constiteritque tibi amicitiam eum putare virtutem, non quæstum ; adulationem fugere, detestari assentationem : inventusque fuerit liber cum discretione,

Digitized by Google

patiens in correptione, firmus et stabilis in dilectione : tunc illa spiritalis sentitur dulcedo ; *quam bonum* scilicet, *et quam jucundum, habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Quam utile tunc dolere pro invicem, laborare pro invicem, cum unusquisque pro altero semetipsum negligere dulce habet, alterius voluntatem suæ præferre, illius necessitati magis quam sui ipsius occurrere, adversis semet opponere et exponere. Interea quam dulce habent conferre invicem, sua studia mutuo patefacere, simul examinare omnia, et de omnibus in unam convenire sententiam ! Accedit et pro invicem oratio, quæ in amici memoria tanto efficacius, quanto affectuosius ad Deum emittitur, profluentibus lacrymis, quas vel timor excutit, vel affectus elicit, vel dolor educit. Ita pro amico orans Christum, et pro amico volens exaudiri a Christo, ipsum diligenter et desideranter intendit : cum subito et insensibiliter aliquando affectus transiens in affectum, et quasi e vicino ipsius Christi tangens dulcedinem, incipit gustare quam dulcis est, et sentire quam suavis est. Ita a sancto illo amore, quo amplectitur amicum, ad illum conscendens, quo amplectitur Christum, spiritualem amicitiæ fructum pleno lætus ore carpet, plenitudinem omnium exspectans in futurum : quando timore sublato quo nunc pro invicem metuimus et solliciti sumus, omni adversitate depulsa, quam oportet nunc ut pro invicem sustineamus, mortis insuper aculeo cum ipsa morte destructo, cujus nos punctionibus plerumque fatigati, necesse est, ut pro invicem doleamus, securitate concepta in summi illius boni æternitate gaudebimus ; cum hæc amicitia, ad quam his paucos admittimus, transfundetur in omnes, et ab omnibus refundetur in Deum, cum Deus fuerit omnia in omnibus (*I Cor.* XV).

BEATI AELREDI

ABBATIS RIEVALLIS

TRACTATUS DE JESU PUERO DUODENNI.

(Exstat inter Opera S. Bernardi editionis Mabillonianæ. Vide Patrologiæ tom. CLXXXIV, col. 849.)

BEATI AELREDI

ABBATIS RIEVALLIS

REGULA SIVE INSTITUTIO INCLUSARUM.

(Exstat in Appendice ad tomum I Operum S. Augustini, cum titulo : *De vita eremitica ad sororem liber*. Vide *Patrologiæ* tom. XXXII, col. 1451.)

BEATI AELREDI

RIEVALLIS ABBATIS

OPERUM PARS SECUNDA. — HISTORICA

DE BELLO STANDARDII

TEMPORE STEPHANI REGIS.

(Twisden et Selden *Rerum Anglic. Script.* X, Londini, 1652, fol., tom. I, p. 337.)

Incipit descriptio viri venerabilis Ethelredi abbatis Rievallensis, de bello inter regem Scotiæ et barones Angliæ apud Standardum, juxta Alvertonam.

Anno Dominicæ Incarnationis 1138 rege Stephano circa partes australes occupato, rex Scottorum innumerabilem coegit exercitum, non solum eos qui ejus subjacebant imperio, sed et de insulanis et

Digitized by Google

felix Nabal Carmelus, David servitutem et fugam improperans, a Domino percuti meruit, et occidi (*I Reg.* xxv). Quod si forte contigerit, in aliquo nos legem amicitiæ præterire, vitemus superbiam et amici gratiam humilitatis beneficio repetamus. Rex David amicitiam, quam Naas regi filiorum Ammon exhibuerat (*II Reg.* x), cum filio ejus Hanon misericorditer obtulisset, ille superbus et ingratus amico, contumeliam adjecit contemptui; ob quam causam tam ipsum, quam populum ejus et urbes, gladius simul et ignis absumpsit. Super omnia autem; amicorum revelare secreta sacrilegium arbitremur, quo, fides amittitur, et animæ captivatæ desperatio importatur. Hinc est quod impiissimus Achitophel (*II Reg.* xvii), paricidæ consentiens, cum ei patris consilium prodidisset, cernens suum, quod contra illud dederat non mancipatum effectui, dignum proditore finem, laqueo suspensus promeruit. Postremo detrahere amico venenum amicitiæ reputemus, quod Mariæ frontem lepra perfudit (*Num.* xii), et ejectam extra castra sex diebus, populi communione privavit. Nec solum nimium iracundi, sed etiam instabiles, et suspiciosi in hac electione cavendi sunt. Cum enim amicitiæ magnus fructus sit securitas, qua te credis et committis amico: quomodo in ejus amore aliqua potest esse securitas, qui omni circumfertur vento, omni acquiescit consilio? Cujus affectus molli luto comparatus, diversas et contrarias tota die, pro arbitrio imprimentis, suscipit et format imagines. Quid præterea magis competit amicitiæ, quam pax quædam ad invicem et tranquillitas cordis, cujus semper expers est suspiciosus? Nunquam enim requiescit. Suspiciosum quippe semper curiositas comitatur, quæ continuos ei stimulos acuens, inquietudinis et perturbationis ei materias subministrat. Si enim viderit amicum secretius loquentem cum aliquo proditionem putabit. Si se benevolum alteri præbuerit, vel jucundum, ille se minus diligi proclamabit. Si eum corripuerit, odium interpretabitur. Si laudandum crediderit, irrisum se calumniabitur. Sed nec verbosum arbitror eligendum, quia vir linguosus non justificabitur. *Vides*, inquit sapiens, *hominem promptulum ad loquendum, magis illo spem habet stultus* (*Prov.* xxix). Is igitur tibi eligendus est in amicum, quem non iracundiæ furor inquietet, non instabilitas dividat, non conterat suspicio, non verbositas a debita gravitate dissolvat. Præcipue utile est, ut eum eligas, qui tuis conveniat moribus, tuæ consonet qualitati. Inter dispares quippe mores, ut beatus ait Ambrosius, amicitia esse non potest: et ideo convenire debet sibi utrisque gratia. GALTERUS. Ubi ergo talis invenietur, qui nec iracundus sit, nec instabilis, nec suspiciosus? Nam verbosus quisquis est, latere non potest.

AELREDUS. Licet non facile queat reperiri, qui non his passionibus moveatur; multi certe sunt, qui his omnibus superiores inveniuntur: qui iracundiam patientia comprimant, levitatem servata gravitate cohibeant, suspiciones dilectionis contemplatione propellant. Quos maxime in amicitiam quasi exercitatiores assumendos dixerim, qui vitia virtute vincentes, tanto securius possidentur, quanto fortius, etiam tentantibus vitiis resistere consuerunt. GRATIANUS. Ne quæso, irascaris, si loquar. Ille tuus, de quo paulo ante fecimus mentionem, quem a te receptum in amicitiam non dubitamus: utrum tibi iracundus videatur, scire desidero.

AELREDUS. Est quidem; at in amicitia minime. GRATIANUS. Quid est, rogo te, in amicitia non esse iracundum.

AELREDUS. Inter nos contractam amicitiam non dubitatis. GRATIANUS. Prorsus.

AELREDUS. Quando inter nos iras, rixas, dissensiones, æmulationes vel contentiones ortas audistis? GRATIANUS. Nunquam; sed hoc non illius, sed tuæ patientiæ imputamus

AELREDUS. Fallimini. Nullo modo enim iram, quam non refrenat affectus, cujusquam patientia refrenabit, cum patientia magis iracundum excitet in furorem, in hoc aliquid sibi vel modicum solatium præstari cupiens, si in jurgiis se illi aliquis parem exhibeat. Ille sane de quo nunc nobis sermo est, ita mihi amicitiæ jura conservat, ut commotum aliquando, etiam jam prorumpentem in verba solo nutu cohibeam, et ea quæ displicent nunquam producat in publicum; sed ad evaporandum suæ mentis conceptum, semper exspectet secretum. Quod si non ei amicitia, sed natura præscriberet, nec ita virtuosum, nec ita laude dignum judicarem. Si vero, ut assolet, ab ejus aliquando meus sensus dissentiat; ita alterutro nobis deferimus, ut aliquando ille meam suæ, plerumque ego suam meæ præferam voluntatem. GALTERUS. Satis datum est Gratiano. Sed mihi velim enucleres, si forte quis incautius in eorum inciderit amicitias, quos cavendos paulo ante dixisti, vel si qui eorum quos eligendos dixisti, aut in ea ipsa vitia, aut in alia forte deteriora corruerint, qualis eis servanda sit fides, qualis exhibenda gratia.

AELREDUS. Hæc, si fieri potest, in ipsa electione, vel etiam probatione cavenda sunt; ne videlicet nimis cito diligamus, maxime indignos. Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis causa est, cur diligantur. Attamen in his, qui probati dignique putantur, erumpunt sæpe vitia, tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundat infamia. Talibus amicis omnis diligentia adhibenda est, ut sanentur. Quod si impossibile fuerit, non amicitiam rumpendam, vel dissolvendam arbitror, sed ut quidam eleganter ait, potius paulatim dissuendam; nisi forte quælam intolerabilis injuria exarserit, ut neque rectum, neque honestum sit, ut non statim alienatio vel disjunctio fiat. Si enim aliquid molitur amicus, aut in patrem, aut in patriam, quod subita et festinata egeat correctione; non amicitia lædetur, si perduellis et inimicus prodatur. Sunt alia vitia, pro quibus amicitiam non rumpendam, ut diximus, sed paulatim dissolvendam judicamus; ita tamen

Digitized by Google

ut non usque ad inimicitias, ex quibus jurgia, maledicta, contumeliæque gignuntur, erumpant. Turpe enim nimis est, cum eo hujusmodi gerere bellum, cum quo familiariter vixeris. Nam etsi his omnibus ab eo, quem in amicitiam receperas, impetaris, quibusdam quippe moris est, ut cum ipsi sic vixerint, ut jam non mereantur amari, si forte eis aliquid evenerit adversi, culpam retorqueant in amicum; læsam dicant amicitiam, et omne consilium, quod amicus dederit, suspectum habeant: et proditi, cum eorum in palam culpa processerit, non habentes ultra quid faciant, in amicum odia et maledicta congeminent, detrahentes in angulis, in tenebris susurrantes, se mendaciter exaltantes, et alios similiter accusantes. Si igitur his omnibus, post dimissam amicitiam, impetaris, quandiu tolerabilia fuerint, ferenda sunt: et hic honos veteri amicitiæ tribuendus, ut in culpa sit, qui faciat, non is qui patiatur injuriam. Amicitia quippe æterna est, unde: *Omni tempore diligit qui amicus est* (*Prov.* XVII). Si te læserit ille, quem diligis, tu tamen dilige. Si talis fuerit, ut illi amicitia subtrahatur, nunquam tamen subtrahatur dilectio. Consule quantum potes saluti ejus, prospice famæ, nec unquam amicitiæ ejus prodas secreta, quamvis tua ipse prodiderit. GALTERUS. Quæ sunt, rogo, illa vitia, pro quibus amicitiam paulatim dicis esse solvendam?

AELREDUS. Quinque illa, quæ paulo ante descripsimus; maxime autem revelatio secretorum, et occulti morsus detractionum. Illis sextum addimus. Si eos, qui tibi æque diligendi sunt, læserit, eisque, quorum tua interest providere saluti, ruinæ et scandali materiam, etiam correptus præbere non desierit, maxime ubi vitiorum te tangit infamia. Non enim amor præponderare debet religioni, non fidei, non charitati civium, non plebis saluti. Rex Assuerus superbissimum Aman, quem præ cæteris amicum habuerat, suspendit in cruce (*Ezech.* VII), amicitiæ, quam ille fraudulentis consiliis læserat, salutem multitudinis et charitatem præponens uxoris. Jahel uxor Aber Cinei, licet pax fuerit inter Sisaram et domum Aber, plebis tamen salutem huic amicitiæ præferens, ipsum Sisaram clavo sopivit et malleo (*Judic.* IV). Sanctus propheta David, cum de jure amicitiæ cognationi Jonathæ debuerat pepercisse (*II Reg.* XXI), audiens tamen a Domino, propter Saul et domum ejus sanguinum, quia occiderat Gabaonitas, populum fame tribus annis jugiter laborasse, septem viros de cognatione ejus, Gabaonitis dedit puniendos. Hoc autem nolo vos ignorare, inter perfectos, quos sapienter electos et caute probatos, vera et spiritualis amicitia copulavit, non posse intervenire dissidium. Cum enim amicitia de duobus unum fecerit, sicut id quod unum est, non potest dividi, sic et amicitia a se non poterit separari. Patet igitur, hanc amicitiam, quæ patitur sectionem, ex ea parte qua læditur, nunquam fuisse veram. In hoc tamen amicitia probabilior, et magis virtus probatur, quod nec in eo qui læditur, desinit esse quod fuit; diligens eum, a quo non diligitur; honorans eum, a quo spernitur, benedicens eum, a quo maledicitur; benefaciens ei, qui sibi quod perniciosum est, machinatur. GALTERUS. Quomodo ergo amicitia solvitur, si excluso talia sunt exhibenda ab eo, a quo solvitur?

AELREDUS. Ad amicitiam quatuor pertinere specialiter videntur: scilicet dilectio et affectio, securitas et jucunditas. Ad dilectionem spectat, cum benevolentia beneficiorum exhibitio. Ad affectionem, interior quædam procedens delectatio. Ad securitatem, sine timore et suspicione omnium consiliorum et secretorum revelatio. Ad jucunditatem, de omnibus quæ contingunt, sive læta sint, sive tristia; de omnibus quæ cogitantur, sive nociva sint, sive utilia; de omnibus quæ docentur vel discuntur, quædam dulcis et amica collatio. Videsne, in quibus ab his qui merentur, solvenda est amicitia? Subtrahitur certe illa interior delectatio, quam ex amici pectore jugiter hauriebat; perit securitas, qua sua illi arcana revelabat; seponitur jucunditas, quam amica confabulatio pariebat. Familiaritas proinde illa, in qua talia continentur, ei neganda est, non subtrahenda dilectio: et hoc cum quadam moderatione et reverentia, ut si non nimius fuerit horror, semper antiquæ amicitiæ quædam videantur remansisse vestigia. GRATIANUS. Mihi certe placent ista, quæ dicis.

AELREDUS. Jam, de electione si sufficiunt ista quæ diximus, insinuate. GALTERUS. Vellem, ut eorum, quæ dicta sunt, summa sub brevi nobis epilogo traderetur.

AELREDUS. Geram vobis morem. Amorem amicitiæ diximus esse principium, nec qualemcunque, sed qui de ratione simul et affectu procedit. Qui quidem et castus est ex ratione, et ex affectu dulcis. Deinde amicitiæ ponendum diximus fundamentum, Dei scilicet dilectionem, ad quam omnia, quæ suggeruntur, referenda sunt, et utrum ei conveniant, vel ab ea dissideant, explorandum. Quatuor subinde gradus in amicitia, quibus ad ejus summam pervenitur, custodiendos putavimus, cum amicus primum sit eligendus, deinde probandus, tunc demum admittendus, et sic postea ut decet, tractandus. Et de electione tractantes, iracundos, instabiles, suspiciosos atque verbosos exclusimus: non omnes tamen, sed eos duntaxat, qui has passiones nec ordinare, nec moderari possunt aut nolunt. Nam multi his perturbationibus sic tanguntur, ut non solum eorum in nullo lædatur perfectio, sed etiam virtus eorum moderatione laudabilius augeatur. Nam qui velut infrenes, his passionibus aci.i semper feruntur in præceps, in ea vitia inevitabiliter dilabuntur et corruunt, quibus amicitia, teste Scriptura, et læditur et dissolvitur; convicia scilicet, et improperium, et secretorum revelatio, superbia, et plaga dolosa. Si tamen hæc omnia patiaris ab illo, quem semel in amicitiam suscepisti, non statim eam rumpendam dicimus, sed paulatim solvendam, talisque

Digitized by Google

servetur antiquæ amicitiæ reverentia, ut licet ipsum a secretis tuis amoveas, nunquam tamen ei dilectionem subtrahas, auxilium tollas, neges consilium. Quod si etiam ad blasphemias et maledicta ejus prorumpat insania, tu tamen defer fœderi, defer charitati, ut in culpa sit qui intulit, non ille qui pertulit injuriam. Porro si patri, si patriæ, si civibus, si subditis, si amicis inventus fuerit perniciosus, statim familiaritatis rumpendum est vinculum, nec unius amor perditioni multitudinis præferatur. Hæc ne proveniant, in ipsa electione cavendum, ut videlicet is eligatur, quem non ad ista furor impellat, aut levitas trahat, aut verbositas præcipitet, aut abducat suspicio : maxime, qui non nimium a tuis dissentiat moribus, nec a qualitate discordet. Quia vero de vera amicitia loquimur, quæ non potest esse nisi inter bonos, de illis, de quibus, quod non sint eligendi, nulla potest esse cunctatio, ut turpes, avari, ambitiosi, criminosi, nullam facimus mentionem. Si vobis de electione satis datum est, ad probationem deinceps transeamus. GALTERUS. Opportunum hoc; nam mihi semper ad ostium oculus est, ne forte quis irrumpat, qui vel nostris deliciis finem ponat, vel quid amaritudinis misceat, vel aliquid superducat inane. GRATIANUS. Cellerarius adest, cui si concedatur ingressus, non erit tibi facultas ulterius procedendi. Sed ecce ego observo januam, tu Pater, perge quo cœperas.

AELREDUS. Quatuor probanda sunt in amico : fides, intentio, discretio, patientia. Fides, ut ei te secure committas. Intentio, ut nihil ex amicitia, nisi Deum et naturale ejus bonum exspectes. Discretio, ut quid præstandum amico, quid ab eo petendum, in quibus contristandum pro eo, in quibus amico congratulandum, pro quibus eum corripiendum, modum, tempus et locum non ignores. Patientia vero, ne correptus doleat, ne corripientem contemnat vel odiat, ut eum pro amico quælibet adversa sustinere non pigeat. Nihil in amicitia fide præstantius, quæ ipsius nutrix videtur et custos. Ipsa se in omnibus adversis et prosperis, lætis et tristibus, jucundis et amaris, præbet æqualem : eodem intuens oculo humilem et sublimem, pauperem et divitem, fortem et debilem, sanum et ægrotum. Fidelis proprie amicus nihil in amico, quod extra ejus animum, intuetur : virtutem in propria sede complectens, cætera omnia quasi extra eum posita, nihil multum probat si adsint, nec cum absint requirens. Ipsa tamen fides in prosperis latet, sed eminet in adversis. In necessitate probatur amicus. Amici divitis multi; sed utrum veri amici sint, interveniens adversitas probat. Salomon : *Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur* (*Prov.* XVII). Et arguens infidelem dicit : *Dens putridus, et pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ* (*Prov.* XXV). GRATIANUS. § Si prospera nostra nulla unquam adversitas interpolet, quomodo amici probabitur fides ?

AELREDUS. Multa sunt alia, quibus fides probatur amici, quamvis in sinistris maxime. Nam, ut superius diximus, nihil est quod amicitiam magis lædit, quam consiliorum proditio. Evangelica vero sententia est : *Qui in modico fidelis est, et in multo fidelis erit* (*Luc.* XVI). Amicis itaque, quibus adhuc probationem credimus necessariam, non omnia, nec profunda nostra sunt committenda secreta, sed primo exteriora vel modica, de quibus non magnopere curandum est, an celentur an nudentur ; cum tanta tamen cautione, ac si plurimum obessent prodita, prodessent autem celata. In quibus si fidelis fuerit inventus, in majoribus experiendum non dubites. Quod si forte sinistrum aliquid de te fama vulgaverit, si quisquam malitia famam tuam fuerit persecutus, et ille nullius ad credendum adducatur suggestione, nulla moveatur suspicione, nulla dubitatione turbetur ; de ejus fide ulterius nulla tibi debet esse cunctatio, sed quasi de certa et stabili, non parva exsultatio. GRATIANUS. Recordor nunc tui illius amici transmarini, de quo nobis fecisti sæpe mentionem, quem ob hoc verissimum tibi ac fidelissimum probasti amicum, quod falsa de te referentibus, non solum non adhibuerit fidem, sed nec ulla sit hæsitatione pulsatus : quod nec de tuo amicissimo, antiquo scilicet Claræ-Vallis sacrista, præsumendum putasti. Sed quoniam de probatione fidei satis actum est, ad cætera enucleanda procede.

AELREDUS. Diximus etiam intentionem esse probandam. Pernecessarium hoc : sunt enim plerique, qui in rebus humanis nihil norunt bonum, nisi quod temporaliter fructuosum sit. Hi amicos sicut boves suos diligunt, ex quibus aliquid boni sperant capturos : qui profecto germana et spiritali carent amicitia, propter Deum et se expetenda, nec in se ipsis naturale contuentur exemplar : ubi facile deprehenditur vis ejus qualis sit, et quanta sit. Ipse Dominus ac Salvator noster veræ nobis amicitiæ formam præscripsit : *Diliges*, inquiens, *proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII). En speculum. Diligis te ipsum. Ita plane, si Deum diligis ; si nempe talis es, qualem in amicitiam eligendum descripsimus. Aliquam, rogo, a te ipso, hujus tuæ dilectionis mercedem judicas exigendam ? Minime profecto, sed quod per se sibi quisque charus est. Nisi igitur et tu hunc ipsum in alium transferas affectum, charus ille tibi, æque ut tu, esse non poterit. Tunc, enim erit ipse, quem diligis, alter tu, si tuam in ipsum transfuderis charitatem. Non enim, ut ait sanctus Ambrosius, vectigalis est amicitia, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus est, non quæstus, quia pecunia non potitur, sed gratia ; nec licitatione pretiorum, sed concertatione benevolentiæ. Ejus igitur, quem elegisti, subtiliter est probanda intentio, ne secundum spem commodi cujuslibet tibi velit in amicitia copulari, mercenariam eam æstimans non gratuitam. Certiores autem plerumque sunt amicitiæ inopum quam divitum, cum spem lucri sic tollat paupertas, ut amicitiæ non minuat, sed potius augeat charitatem. Divitibus itaque assentatorie gra-

Digitized by Google

tificatur; erga pauperem nemo simulator est. Verum est quidquid defertur pauperi, cujus amicitia invidia vacat. Hæc diximus, ut in amicis mores probemus, non æstimemus censum. Sic ergo probatur intentio. Si eum videris tuorum magis cupidum, quam tui; aucupari semper aliquid, quod tua sibi conferri possit industria, honorem, gloriam, divitias, libertatem; in quibus omnibus si dignior illo præferatur, vel certe in tua non sit potestate quod appetitur, qua tibi intentione adhæserit, facile pervidebis. Jam nunc de discretione videamus. Qui lam perverse satis, ne dicam impudenter, talem amicum habere volunt, quales ipsi esse non possunt. Ili sunt, qui leves quoque amicorum transgressiones impatienter ferunt, austere corripiunt, et carentes discretione magna negligunt, contra minima quæque se erigunt, confundunt omnia, non locum servantes, ubi; non tempus, quando; non personas, quibus quælibet vel publicare conveniat, vel celare. Quocirca illius, quem eligis, est probanda discretio; ne si improvidum quemquam vel imprudentem tibi in amicitia sociaveris, lites quotidianas et jurgia tibi ipse perquiras. Sane hanc in amicitia necessariam esse virtutem satis facile est pervidere, qua si quis caruerit, instar navis absque gubernaculo, pro impetu spiritus, instabili et irrationabili semper motu feretur. Sic et multæ causæ deesse non poterunt, quibus illius, quem cupis esse amicum, probetur patientia: cum necesse sit arguere eum quem diligis: quod aliquando quasi ex industria durius fieri oportet, ut sic ejus vel probetur, vel exerceatur tolerantia. Id sane attendendum est, ut licet talia reperiantur in eo quem probas, quæ offendant animum, vel alicujus secreti incauta revelatione, vel alicujus temporalis commodi cupiditate, vel minus discreta correptione, vel aliqua debitæ lenitatis transgressione, non statim a proposita dilectione vel electione resilias, quandiu correctionis ejus spes ulla relucet. Nec quemquam in amicis eligendis, vel probandis tædeat esse sollicitum; cum hujus laboris fructus vitæ sit medicamentum, et immortalitatis solidissimum fundamentum. Cum enim plurimi in thesauris multiplicandis, in bobus et asinis, in ovibus et capris nutriendis, eligendis, comparandis, satis periti sint, indiciaque certa in his omnibus cognoscendis non desint, dementiæ res est, eamdem in amicis acquirendis, vel probandis non dare operam, et quasdam addiscere notas, quibus hi, quos eligimus in amicos, ad amicitiam probentur idonei. Cavendus sane est quidam impetus amoris, qui præcurrit judicium, et probandi adimit potestatem. Est proinde viri prudentis sustinere, hunc refrenare impetum, ponere modum benevolentiæ, paulatim procedere in affectum, donec jam probato se totum dedat, et committat amico. Galterus. Fateor, adhuc me movet illorum sententia, qui sine hujusmodi amicis vivere tutius arbitrantur.

Aelredus. Mirum hoc, cum sine amicis nulla prorsus vita jucunda sit. Galterus. Cur rogo te?

A Aelredus. Ponamus totum genus humanum exemptum mundo, te solum superstitem reliquisse. Et ecce coram te omnes mundi deliciæ et divitiæ, aurum, argentum, lapides pretiosi, urbes muratæ, castra turrita, ampla ædificia, sculpturæ, picturæ. Sed et reformatum te in antiquum cogita statum, omnia habere subjecta, *oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris, qui perambulant semitas maris* (*Psal.* VIII). Dic rogo nunc, utrum sine socio omnia tibi hæc possent esse jucunda? Galterus. Minime.

Aelredus. Quod si unum haberes cujus nescires linguam, ignorares mores, cujus te lateret et amor et animus? Galterus. Si non aliquibus signis effi-
B cere possem, ut esset amicus, mallem nullum, quam talem habere.

Aelredus. Si autem unus adesset, quem æque ut te ipsum diligeres, a quo te similiter diligi non dubitares, nonne omnia, quæ prius videbantur amara, dulcia redderentur et sapida? Galterus. Prorsus ita est.

Aelredus. Nonne quanto plures haberes de talibus, tanto feliciorem te judicares? Galterus. Verissime.

Aelredus. Hæc est illa mira et magna felicitas, quam exspectamus, Deo ipso operante et diffundente inter se et creaturam suam, quam sustulerit, inter ipsos gradus et ordines, quos distinxerit, inter singulos quosque, quos elegerit, tantam amicitiam et
C charitatem, ut sic quisque diligat alium sicut se ipsum; ac per hoc sicut unusquisque de propria, sic et de alterius felicitate lætetur: et ita singulorum beatitudo omnium sit, et omnium beatitudinum universitas singulorum. Ibi nulla cogitationum occultatio, nulla affectionum dissimulatio. Hæc est vera et æterna amicitia, quæ hic inchoatur, ibi perficitur; quæ hic paucorum est, ubi pauci boni; ibi omnium, ubi omnes boni. Hic necessaria probatio, ubi est sapientium et stultorum permistio; ibi probatione non egent, quos beatificat angelica illa et quodammodo divina perfectio. Ad hanc proinde similitudinem comparemus amicos, quos non secus ac nos ipsos diligamus; quorum nobis nuda sint omnia, quibus omnia nostra pandamus secreta; qui
D firmi sint, et stabiles, et constantes in omnibus. Putasne quemquam mortalium esse, qui non velit amari? Galterus. Non æstimo.

Aelredus. Si quem videres inter multos vivere, et omnes habere suspectos, quasi insidiatores capitis sui timere omnes, nullum diligere, nec se diligi a quoquam putare, non eum miserrimum judicares? Galterus. Miserrimum plane.

Aelredus. Ergo ipsum felicissimum non negabis, qui in eorum, inter quos vivit, visceribus requiescit, amans omnes et amatus ab omnibus, quem ab hac suavissima tranquillitate nec suspicio dividat nec timor excutiat. Galterus. Optime ac verissime.

Aelredus. Quid si forte de omnibus difficile inventu sit in præsenti, cum id nobis in futurum ser-

Digitized by Google

vetur, quanto plures nobis abundant hujusmodi, tanto nobis feliciores æstimabimus? Nudiustertius cum claustra monasterii circuirem, consedente fratrum amantissima corona, et quasi inter paradisiacas amœnitates singularum arborum folia, flores fructusque mirarer; nullum inveniens in illa multitudine, quem non diligerem et a quo me diligi non confiderem, tanto gaudio perfusus sum, ut omnes mundi hujus delicias superaret. Sentiebam quippe meum spiritum transfusum in omnibus, et in me omnium transmigrasse affectum, ut dicerem cum Propheta : *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum!* (*Psal.* CXXXII.) GRATIANUS. Non omnes illos, quos sic diligis et a quibus sic diligeris, te in amicitiam assumpsisse putabimus?

AELREDUS. Plerosque omni affectu complectimur, quos tamen ad amicitiæ secreta non admittimus; quæ maxime in omnium secretorum, et consiliorum nostrorum revelatione consistit : unde Dominus in Evangelio : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos;* causamque subjungens, qua amici nomine digni haberentur : *Quia omnia*, inquit, *quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV). Et alias : *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis* (*ibid.*). De c his verbis, ut sanctus ait Ambrosius (lib. 3, *De offic.* c. 21), dedit formam amicitiæ quam sequamur, ut faciamus amici voluntatem, ut aperiamus secreta nostra amico, quæcunque in pectore habemus, et illius arcana non ignoremus. Ostendamus illi nos pectus nostrum, et ille nobis aperiat suum. Nihil enim occultat amicus. Si verus est, effun.it animum suum, sicut effundebat mysteria Patris Dominus Jesus. » Hæc Ambrosius. Quam multos ergo diligimus, quibus minus cautum est, sic nostrum propalare animum, et effundere viscera! quorum vel ætas, vel sensus, sive discretio, ad talia sustinenda non sufficit. GALTERUS. Hæc amicitia sublimis et perfecta est, ut ad eam aspirare non audeam. Mihi et huic Gratiano illa sufficit, quam tuus Augustinus describit (lib. IV, *Meditat.* c. 8), colloqui scilicet et corridere, et vicissim benevole obs qui, simul legere, simul conferre, simul nugari et simul honestari : dissentire interdum sine odio, tanquam homo sibi, atque ipsa rarissima dissensione condire consensiones plurimas ; docere aliquid invicem, aut discere ab invicem, desiderare absentes cum molestia, suscipere advenientes cum lætitia. His atque hujusmodi, a corde amantium et redamantium procedentibus signis per os, per linguam, per oculos, et mille motus gratissimos, quasi fomitibus conflare animos, et ex pluribus unum facere. Hoc est quod nos diligendum credimus in amicis; ita ut rea sibi nostra videatur conscientia, si non amaverimus redamantem, aut si amantem non redamaverimus.

AELREDUS. Amicitia hæc carnalium est, et maxime adolescentium, quales aliquando fuerant ipse et suus, de quo tunc loquebatur, amicus : quæ tamen, exceptis nugis et mendaciis; si nulla interces- A serit inhonestas, spe uberioris gratiæ toleranda est, quasi quædam amicitiæ sanctioris principia; quibus, crescente religione et spiritualium studiorum parilitate, accedente etiam maturioris ætatis gravitate et spiritualium sensuum illuminatione, purgatiori affectu ad altiora, quasi e vicino conscendant : sicut heterna die ab hominis ad Dei ipsius amicitiam, ob quamdam similitudinem diximus facilius transeundum. Sed jam tempus est, ut, quemadmodum amicitia sit colenda, deinceps videamus. Firmamentum igitur stabilitatis et constantiæ in amicitia fides est; nihil est enim stabile quod infidum est. Simplices quippe, et communes, et consentientes, et qui iisdem rebus moveantur, esse debent amici ad invicem : quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Non enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum; neque qui non eisdem rebus moventur, nec eisdem consentiunt, nec stabilis esse possunt amicitiæ aut fidei. Præ omnibus autem cavenda est suspicio, quæ est amicitiæ venenum. Non unquam de amico mala sentiamus, nec mala dicenti credamus vel consentiamus. Accedat hinc in sermone jucunditas, hilaritas in vultu, suavitas in moribus, in oculorum etiam nutu serenitas, in quibus haudquaquam mediocre in amicitia condimentum. Tristitia namque et severior facies habet quamdam honestam gravitatem, sed amicitia quasi remissior aliquando debet esse, et liberior et dulcior, ad comitatem facilitatemque sine levitate et dissolutione proclivior. Est præterea illius amicitiæ, parem esse inferiori superiorem. Sæpe enim quidem inferioris gradus vel ordinis, vel dignitatis, vel scientiæ, ab excellentioribus assumuntur in amicitiam : quos oportet omnia, quæ extra naturam sunt, contemnere et æstimare quasi nihilum et inane; et in pulchritudinem amicitiæ, quæ non sericis vel gemmis ornatur, non possessionibus dilatatur, non pinguescit deliciis, nec abundat divitiis, non honoribus extollitur, non dignitatibus inflatur, semper attendere; et sic ad originis recurrentes principium, æqualitatem, quam natura dedit, non autem circumpendentia, quæ mortalibus cupiditas præstitit, subtili examinatione considerare. Itaque in amicitia, quæ naturæ simul et gratiæ optimum donum est, sublimis descendat, humilis ascendat; dives egeat, pauper ditescat : et ita unusquisque alteri suam conditionem communicet, ut fiat æqualitas. Unde scriptum est. *Qui multum habuit, non abundavit : et qui modicum, non minoravit* (*II Cor.* VIII). Nunquam ergo tuo te præferas amico, sed si forte in iis quæ diximus superior inveniris, tunc te magis amico submittere non cuncteris, præstare confidentiam, extollere verecundum, et tanto plus ei conferre honoris, quanto minus conferendum conditio vel paupertas præscribit. Præstantissimus juvenum Jonathas, non regium stemma, nec regni exspectationem attendens, fœdus iniit cum David, et servum in amicitiam adæquans Domino, sic fugatum a patre, sic latitantem in ere-

Digitized by Google

mo, sic adjudicatum morti, neci destinatum, sibi prætulit; se humilians, et illum exaltans. *Tu*, inquit, *eris rex, et ego ero secundus post te* (*I Reg.* xx). O præclarissimum veræ amicitiæ speculum! Mira res! Rex furebat in servum, et quasi in æmulum regni totam patriam excitabat, sacerdotes arguens proditionis, pro sola suspicione trucidat; lustrat nemora, valles exquirit, montes et rupes armata obsidet manu, omnes se regiæ indignationis spondent ultores: solus Jonathas, qui solus justius poterat invidere, patri resistendum putavit, deferendum amico, præbendum in tanta adversitate consilium, et amicitiam regno præferens: *Tu eris*, ait, *rex, et ego ero secundus post te*. Et vide, quomodo pater adolescentis contra amicum excitabat invidiam, conviciis urgens, terrens minis, spoliandum regno, honore privandum commemorans. Cum enim in David mortis sententiam protulisset, Jonathas amico non defuit. *Quare morietur David? Quid peccavit? Quid fecit? Ipse posuit animam suam in manu sua, et percussit Philistæum, lætatus es. Quare ergo morietur?* (*ibid.*). Ad hanc vocem versus in insaniam rex, lancea nisus est confodere Jonatham cum pariete, addensque convicia minis: *Fili*, inquit, *mulieris ultro virum rapientis; scio quia diligis eum in confusionem tuam, et in confusionem ignominiosæ matris tuæ*. Deinde totum virus, quo pectus juvenis aspergeretur, evomuit, adjiciens verbum ambitionis incitamentum, fomentum invidiæ, zeli et amaritudinis incentivum. *Quandiu vixerit filius Isai, non stabilietur regnum tuum*. Quis non moveretur his verbis, non invideret? Cujus amorem, cujus gratiam, cujus amicitiam non corrumperent, non minuerent, non obliterarent? Ille amantissimus adolescens amicitiæ jura conservans, fortis ad minas, patiens ad convicia, propter amicitiam regni contemptor, immemor gloriæ, sed memor gratiæ. *Tu eris*, inquit, *rex, et ego ero secundus post te*. Repertos quosdam dicit Tullius, qui pecuniam præferre amicitiæ sordidum æstimarent; illos autem impossibile reperiri, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes non amicitiæ anteponant; ut cum ex altera parte proposita hæc sint, ex altera jus amicitiæ, non multa illa malint. Imbecillis est enim natura, ad contemnendam potentiam. « Ubi enim, ait, invenies, qui honorem amici anteponat suo? » Ecce inventus est Jonathas victor naturæ, gloriæ ac potestatis contemptor, qui honorem amici suo præferret. *Tu eris*, inquiens, *rex, et ego ero secundus post te*. Hæc est vera, perfecta, stabilis et æterna amicitia: quam invidia non corrumpit, non suspicio minuit, non dissolvit ambitio; quæ sic tentata non cessit, sic arietata non corruit; quæ tot conviciis pulsata cernitur inflexibilis, tot lacessita injuriis permansit immobilis. *Vade* ergo, *et tu fac similiter* (*Luc.* x). Verum, si tibi præferre quem diligis, durum vel etiam impossibile judicas; vel parem cum tibi facere, si vis esse amicus, non negligas. Non enim amicitia recte colitur, a quibus æqualitas non servatur. Defer amico ut æquali, ait Ambrosius (lib. III *De offic.* cap. 21), ne te pudeat ut prævenias amicum officio. Amicitia enim nescit superbiam. Fidelis quippe amicus medicamentum est vitæ, immortalitatis gratia. Jam in beneficiis, quomodo colenda sit, attendamus, et hinc aliquid de alienis manibus extorqueamus. Hæc lex, ait quidam, in amicitia sanciatur, ut ab amicis honesta petamus, et pro amicis honesta faciamus, nec exspectemus ut rogemur; cunctatio semper absit! Si perdenda est pecunia propter amicum, multo magis amici utilitatibus vel necessitatibus conferenda. Sed non omnes omnia possunt. Abundat iste pecunia, ille agris et possessionibus; alter in consiliis plus potest, alter magis excellit in honoribus. In his qualem te debeas exhibere amico, prudenter adverte. Et de pecunia satis dedit Scriptura: *Perde*, inquit, *pecuniam propter amicum* (*Eccli.* xxvi). Sed quia oculi sapientis in capite ejus, si nos simus membra et Christus caput, faciamus quod ait Propheta: *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* xxiv), ut ab eo accipiamus vivendi formam, de quo scriptum est: *Si quis indiget sapientia, postulet a Domino, qui dat omnibus affluenter, et non improperat* (*Jac.* i). Sic igitur des amico, ut non improperes, non mercedem exspectes, non frontem obducas, non vultum avertas, non deponas oculos: sed serena facie, hilari vultu, sermone jucundo intercide verba petentis: occurre benevolentia, ut non rogatus videaris præstare quod petitur. Ingenuus animus nihil magis erubescendum æstimat, quam rogare. Cum igitur tibi cum amico tuo esse debeat cor unum et anima una, injuriosum est, si non sit et pecunia una. Hæc igitur lex in hac parte inter amicos teneatur; ut sic se sibi suaque impendant, ut qui dat, servet hilaritatem; qui accipit, non perdat securitatem. Booz cum Ruth Moabitidis advertisset inopiam (*Ruth.* II), post messores suos legentem spicas alloquitur, consolatur, invitat ad convivium puerorum, et verecundiæ ejus ingenue parcens, jubet messoribus etiam de industria spicas relinquere, quas illa colligeret absque pudore. Sic et nos debemus amicorum necessitates subtilius explorare, petiturum beneficiis prævenire, talem in dando modum servare, ut ille gratiam videatur præstare, qui accepit, magis quam ille, qui dedit. GALTERUS. Nobis igitur, quibus nihil accipere, nihil dare permittitur, qualis erit in hac parte spiritalis amicitiæ gratia?

AELREDUS. Felicissimam vitam, ait sapiens (24), ducerent homines, si duo hæc verba de medio tollerentur, Meum et Tuum. Magnam certe præstat spiritali amicitiæ firmitatem sancta paupertas, quæ ideo sancta est, quia voluntaria. Cum enim peremptorium sit amicitiæ cupiditas, tanto facilius ami-

(24) Plato.

Digitized by Google

ritia parta servatur, quanto animus ab illa peste purgatior invenitur. Sunt tamen alia inspiritali amore beneficia, quibus et adesse sibi, et prodesse possunt amici. Primum ut solliciti sint pro invicem, erubescant alter pro altero, alter gaudeat pro altero, alterius lapsum ut suum lugeat, alterius profectum suum existimet. Quibus modis potest erigat pusillanimem, suscipiat infirmum, consoletur tristem, iratum sustineat. Sic præterea oculos revereatur amici, ut nihil quod inhonestum sit agere, nihil quod dedeceat, loqui præsumat. Cum enim quidquid ipse deliquerit, ita redundet in amicum, ut non solum intra se erubescat et doleat; sed etiam is qui videt vel audit, sibi, ac si ipse peccasset, improperet; profecto licet non sibi, amico tamen credit esse parcendum. Optimus itaque comes amicitiæ verecundia est, et ideo maximum ornamentum tollit amicitiæ, qui ab ea tollit verecundiam. Quam sæpe conceptam ab intus iracundiæ flammam, et jam in publicum erumpentem, amici mei nutus compescuit vel exstinxit! quoties verbum indecens usque ad fauces progressum, austerior illius aspectus repressit! Quam sepe incautius resolutus in risum, vel in otiosa lapsus, in ejus adventu debitam gravitatem recepi! Præterea quidquid suadendum est, ab amico facilius recipitur, et securius retinetur, cujus magna in suadendo debet esse auctoritas, cum nec fides ejus dubia, nec adulatio sit suspecta. Amicus igitur amico, quod honestum est, suadeat secure, manifeste, libere. Nec solum monendi sunt amici, sed si opus fuerit, objurgandi. Nam cum quibusdam molesta sit veritas, siquidem ex ea nascitur odium, secundum illud : *Obsequium amicos, veritas odium parit;* obsequium tamen illud multo molestius est, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum fieri sinit. Maxime autem culpandus est amicus, et hinc præcipue objurgandus, si veritatem aspernatur, et obsequiis atque blanditiis in crimen impellitur. Non quod debeamus amicis dulciter obsequi et plerumque blandiri; sed in omnibus servanda moderatio est, ut monitio acerbitate, et objurgatio contumelia careat. In obsequiis vero vel blanditiis, suavis quædam et honesta affabilitas adsit; assentatio vero vitiorum adjutrix procul amoveatur; quæ non solum amico, sed nec libero quidem digna est. Cujus autem aures veritati clausæ sunt, ut ab amico verum audire non possit, hujus salus desperanda est. Quocirca, sicut ait Ambrosius, si quid vitii in amico deprehenderis, corripe occulte; si te non audierit, corripe palam. Sunt enim bonæ correctiones, et plerumque meliores, quam tacita amicitia. Etsi lædi se putet amicus, tu tamen corripe. Etsi amaritudo correptionis animum ejus vulneret, tu tamen corripe. Tolerabiliora enim sunt amici vulnera, quam adulantium oscula. Errantem igitur amicum corripe. Super omnia tamen cavenda est in correptione ira et amaritudo mentis : ne non tam videatur amicum velle corrigere, quam suo stomacho satisfacere. Vidi enim aliquos in amicis corrigendis, conceptam amaritudinem, ebullientemque furorem, nunc zeli, nunc libertatis nomine palliare : et secutos impetum, non rationem; sua tali correptione nunquam prodesse, imo et obesse plurimum. At inter amicos nulla vitii hujus excusatio est. Debet enim amicus amico compati, condescendere, vitium ejus suum putare, corripere humiliter, compatienter. Corripiat eum vultus tristior, sermo dejectior, intercipiant verba lacrymæ; ut non solum videat, sed etiam sentiat correptionem ex amore, et non ex rancore procedere. Si forte primam correptionem respuerit, recipiet vel secundam. Tu interim ora, tu plora; tristem præferens vultum, pium servans affectum. Exploranda est etiam animi illius qualitas. Nam sunt, quibus blanditiæ prosunt, et his libentius acquiescunt. Sunt, qui pro nihilo eas ducunt, et facilius verbo vel verbere corriguntur. Amicus proinde ita se conformet et aptet amico, ut ejus congruit qualitati : et cui in exteriori adversitate debet adesse, his quæ sunt adversa spiritui, multo magis festinet occurrere. Igitur sicut monere et moneri proprie amicitiæ est; et alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, non repugnanter : sic habendum est, in amicitiis nullam pestem esse majorem, quam adulationem et assentationem : quæ sunt levium hominum, atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Nulla proinde sit inter amicos cunctatio, simulatio nulla, quæ maxime repugnat amicitiæ. Debet quippe amico veritatem; sine qua nomen amicitiæ valere non potest. *Corripiet me,* ait sanctus David, *justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL). Simulator et callidus provocat iram Dei. Inde Dominus per prophetam : *Populus meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant* (*Isa.* III). *Simulator* enim *ore,* ut Salomon ait, *decipit amicum suum* (*Prov.* XI). Quocirca sic colenda est amicitia, ut si forte certis ex causis admittenda videatur dissimulatio, sed simulatio nunquam. GALTERUS. Quomodo, quæso, dissimulatio necessaria est, quæ ut mihi videtur, semper vitium est?

AELREDUS. Falleris, fili, nam et Deus dissimulare dicitur peccata delinquentium, nolens mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat. GALTERUS. Distingue, rogo, inter simulationem et dissimulationem.

AELREDUS. Simulatio, ut mihi videtur, deceptorius quidam consensus est, contra judicium rationis, quam Terentius in persona Gnatonis satis eleganter expressit. « Negat quis? Nego. Ait? Aio. Postremo imperavi egomet omnia mihi assentari. » Et forte hæc ethnicus ille de nostris mutuavit thesauris, sensum prophetæ nostri suis exprimens verbis. Nam et hoc ipsum ex persona plebis perversæ dixisse prophetam, manifestum est : *Videte nobis vana, loquimini nobis placentia* (*Isa.* XXX). Et

Digitized by Google

alias : *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manu, et populus meus dilexit talia* (*Jer.* v). Hoc vitium ubique detestandum est, semper et ubique cavendum. Porro dissimulatio dispensatoria quædam est, vel pœnæ vel correptionis dilatio, sine consensu interiori, pro loco, pro tempore, pro persona. Neque enim si quis amicus constitutus in plebe deliquerit, subito et palam objurgandus est; sed dissimulandum pro loco, imo et quantum salva veritate fieri potest, excusandum quod fecit, et ad debitam correptionem exspectandum familiare secretum. Sic eo tempore, quo animus intentus pluribus, minus est ad ea quæ dicendà sunt idoneus, vel, aliis supervenientibus causis, paululum commotior sensus ei fuerit aliquantulum perturbatus, dissimulatione opus est, donec interiori tumultu sedato, corripientem aure pacatiore sustineat. David rex, cum præventus concupiscentia homicidium adulterio copulasset, correpturus eum propheta Nathan (*II Reg.* XII), regiæ deferens majestati, non subito, nec mente turbata tantæ personæ crimen impegit, sed congrua dissimulatione præmissa, prudenter ipsius regis, contra se ipsum, sententiam extorsit. Galterus. Mihi perplacet ista distinctio. Sed scire velim, si amicus potentior fuerit, possitque ad honores vel quaslibet dignitates, quos voluerit promovere ; utrum debeat eos quos diligit, et a quibus diligitur, cæteris in tali promotione præferre, et inter ipsos, quos amplius diligit anteferre?

Aelredus. Et in hac parte quomodo colenda sit amicitia, operæ pretium est indagare. Sunt enim nonnulli, qui se putent non amari, quia non possunt promoveri; seque contemni causentur, si non curis et officiis implicentur. Unde non parvas discordias inter eos, qui putantur amici, ortas novimus, ita ut indignationem divortium sequeretur, divortium maledicta. Itaque in dignitatibus vel officiis, maxime ecclesiasticis, magna cautio adhibenda est : nec attendendum quid possis præstare, sed quid ille, cui præstas, poterit sustinere. Plures quippe sunt diligendi, qui tamen non sunt promovendi ; et multos laudabiliter et dulciter amplectimur, quos non sine gravi nostro peccato, et illorum summo periculo, curis et negotiis implicaremus. Quocirca semper in his ratio sequenda est, non affectus; nec his imponendus est honos vel onus istud, quos habemus amicitiores, sed quos ad ea sustinenda credimus aptiores. Ubi tamen virtutis invenitur æqualitas, non multum improbo, si aliquantisper affectus suas inserit partes. Nec quisquam se idcirco dicat contemptum, quia non promotum; cum Dominus Jesus Petrum Joanni in hac parte prætulerit, nec ideo subtraxerit Joanni affectum, quia Petro dederat principatum. Petro commendavit Ecclesiam suam, Joanni dulcissimam matrem suam (*Joan.* XXI). Petro dedit claves regni sui, Joanni reseravit arcana pectoris sui. Petrus ergo sublimior, Joannes securior. Petrus licet in potestate constitutus, dicente Jesu : *Unus ex vobis tradet me* (*Joan.* XIII), cum cæteris timet et trepidat; Joannes ex sinus sui participatione factus audacior, innuente Petro, quisnam ille esset, interrogat. Petrus ergo exponitur actioni, Joannes reservatur affectui; quia *Sic*, inquit, *eum volo manere, donec veniam* (*Joan.* XXI). Exemplum enim dedit nobis, ut et nos ita faciamus. Præstemus amico quidquid amoris est, quidquid gratiæ, quidquid dulcedinis, quidquid charitatis : futiles honores et onera illis, quos præscripserit ratio, imponamus, scientes quia nunquam vere diligit amicum, cui amicus ipse non sufficit, nisi hæc vilia et contemptibilia adjecerit. Cavendum autem magnopere est, ne tenerior affectus majores utilitates impediat : dum eos, quos ampliori charitate complectimur, ubi magna spes fructus uberioris elucet, nec absentare volumus, nec onerare. Hæc est enim amicitia ordinata, ut ratio regat affectum, nec tam quid illorum suavitas, quam quid multorum petat utilitas, attendamus. Recordor nunc duorum amicorum, qui licet exempti præsentibus, mihi tamen vivunt, semperque vivent ; quorum primum in initiis meæ conversionis, quadam mihi morum similitudine, et studiorum parilitate comparaveram, cum adhuc essem adolescens ; alterum ab ipso fere pueritiæ suæ tempore a me electum, et multifarie multisque modis probatum, cum jam ætas mihi variaret capillos, in summam amicitiam assumpsi. Et illum quidem nullo adhuc curæ pastoralis onere pressus, nulla rerum temporalium sollicitudine distentus, claustralium deliciarum, et spiritualium dulcedinum, quibus tunc initiabar, socium consortemque delegeram : nihil exigens, nihil præstans, præter affectum, et ipsius affectus suave quoddam, prout charitas dictabat, judicium. Istum jam juvenem in meæ sollicitudinis partem ascitum, in his sudoribus meis habui coadjutorem. Inter utramque hanc amicitiam, memoria præeunte discernens, video priorem inniti magis affectui, alteram rationi ; quamvis nec illi affectus defuerit, nec illam ratio deseruerit. Denique prior in ipsis amicitiæ nostræ principiis ereptus mihi, eligi potuit, sicut præscripsimus, non probari : alter a puero usque ad mediam ætatem dimissus mihi, et a me dilectus, per omnes amicitiæ gradus, quousque talium potuit imperfectio, mecum ascendit. Et primum quidem virtutum ejus contemplatio illi meum inclinavit affectum ; quem ego olim ab Australibus partibus in Aquilonarem hanc solitudinem duxi, ego regularibus disciplinis primus institui. Extunc ipse victor corporis, laboris etiam et inediæ patiens, plurimis exemplo fuit, admirationi multis, mihi gloriæ et delectationi. Ex jam tunc eum in amicitiæ principiis nutriendum putavi : utpote quem onerosum nulli, sed omnibus gratum intuebar. Ingrediebatur et egrediebatur pergens ad imperium seniorum, humilis, mansuetus, gravis moribus, sermone rarus, indignationis nescius, mur-

Digitized by Google

muris, et rancoris, et detractionis ignarus : incedebat quasi surdus non audiens, et sicut mutus non aperiens os suum. *Ut jumentum factus est (Psal. XXXVII)*, sequens obedientiæ frenum, et jugum disciplinæ regularis mente et corpore infatigabiliter portans. Ingressus aliquando adhuc puer cellam infirmorum, correptus est a sancto Patre et prædecessore meo, quod tam cito puer se quieti inertiæque dedisset ; sic erubuit, ut mox egressus tam ferventer corporalibus se subderet exercitiis, ut multis annis, nec cum gravi ægritudine urgeretur, aliquid sibi de consueto rigore laxaverit. Hæc eum mihi invisceraverant miris modis, et ita in animum induxerant meum, ut mihi eum de inferiori socium, de socio amicum, de amico amicissimum facerem. Videns enim eum in quosdam canos virtutis et gratiæ profecisse, fratrum usus consilio, onus ei subprioratus imposui. Quod quidem invitus, sed quia obedientiæ se devoverat, modeste suscepit. Egit tamen mecum secreto, ut dimitteretur, prætendens ætatem, prætendens inscitiam, prætendens amicitiam, qua jam initiabamur : ne forte hac occasione vel minus diligeret, vel diligeretur minus. Sed his nihil proficiens, cœpit libera voce quidquid timebat utrisque, quidquid sibi in me minus placebat, humiliter et modeste proferre in medium : sperans, ut postea confessus est, hac me quasi præsumptione offensum, ad id posse, quod petebat, facilius inclinari. Sed hæc ejus mentis vocisque libertas, amicitiæ nostræ cumulum addidit ; quia volebam eum amicum habere non minimum. Cernens tunc ille me gratum habere, quod dixerat, respondisse humiliter ad singula, satis dedisse de omnibus, se non modo nihil offensionis, sed insuper copiosiorem fructum percepisse ; cœpit me et ipse arctius solito diligere, habenas laxare affectui, et meo se pectori totum infundere. Ita et mihi ejus libertas, et mea sibi probata patientia est. Ego quoque vicem rependens amico, accepta occasione durius objurgandum putavi, nec quibusdam quasi conviciis parcens, eum libertati meæ nec impatientem reperi, nec ingratum. Cœpi deinde consiliorum meorum ei revelare secreta, et fidelis inventus est. Ita inter nos amor crevit, concaluit affectus, charitas roborabatur, donec ad id ventum est, ut esset nobis cor unum et anima una, idem velle et idem nolle, essetque hic amor timoris vacuus, offensionis nescius, suspicione carens, adulationem exhorrens. Nihil inter nos simulatum, fucatum nihil, nihil inhoneste blandum, nihil indecenter durum, circuitus nullus, nullus angulus, sed omnia nuda et aperta ; qui meum pectus quodammodo suum putarem, et ejus meum, ipseque similiter. Ita in amicitia recta linea gradientibus, nullius correptio indignationem, nullius consensio culpam pariebat. Unde se amicum in omnibus probans, meæ paci, meæ quantum poterat prospiciebat quieti. Ipse se periculis objiciebat, scandalis emergentibus obviabat.

A Volebam ei aliquando aliquid de his temporalibus, quia jam infirmabatur, præbere solatium ; sed ille prohibebat, cavendum dicens ne amor noster secundum hanc carnis consolationem metiretur ; ne id magis carnali affectui meo, quam ejus necessitati ascriberetur, et sic mea auctoritas minueretur. Erat igitur quasi manus mea, quasi oculus meus, baculus senectutis meæ. Ipse spiritus mei reclinatorium, dolorum meorum dulce solatium ; cujus amoris sinus excipiebat laboribus fatigatum, cujus consilium recreabat tristitia vel mœrore demersum. Ipse commotum pacificabat, ipse leniebat iratum. Quidquid minus lætum emergebat, referebam ad eum ; ut, quod solus non poteram, junctis humeris facilius sustinerem. Quid ergo ? Nonne quæ-

B dam beatitudinis portio fuit sic amare, et sic amari ; sic juvare et sic juvari ; et sic ex fraternæ charitatis dulcedine in illum sublimiorem dilectionis divinæ splendorem altius evolare, et in scala charitatis nunc ad Christi ipsius complexum conscendere ; nunc ad amorem proximi ibi suaviter repausandum descendere ? In hac igitur amicitia nostra, quam exempli gratia inseruimus, si quid cernitis imitandum, ad vestrum id retorquete profectum. Sed ut tandem collationem hanc nostram vel sole ruente claudamus, ab amore profectam amicitiam non dubitatis. Qui vero semetipsum non amat, alium amare qui potest ? Et cum ex similitudine amoris, quo ipse sibi charus est, amorem proximi

C debeat ordinare ; se autem non diligit, qui turpe aliquid vel inhonestum, vel a se exigit, vel sibi imperat. Primum igitur est, ut semetipsum quisque castificet, nihil sibimet indulgens, quod indecens sit ; nihil sibi subtrahens, quod utile sit. Sic vero se ipsum diligens, diligat et proximum, eamdem regulam sequens. Sed quia hic amor multos colligit, ex ipsis eligat, quem ad amicitiæ secreta lege familiari admittat, in quem suum copiose infundat affectum : denudans pectus suum usque ad inspectionem viscerum et medullarum, cogitationum et intentionum cordis. Eligatur autem non secundum affectionis lasciviam, sed secundum rationis perspicaciam ; similitudine morum, et contemplatione virtutum. Deinde sic se impendat amico, ut levitas

D omnis absit, jucunditas adsit ; nec ordinata desint benevolentiæ et charitatis officia, vel obsequia. Jam exinde probetur fides ejus, probetur honestas, probetur patientia. Accedat paulatim consiliorum communio, assiduitas parilium studiorum, et quædam conformatio vultuum. Sic enim conformari sibi debent amici, ut statim cum alter alterum viderit, etiam similitudo vultus unius in alterum transfundatur ; sive fuerit dejectus tristitia, sive jucunditate serenus. Ita electus atque probatus, cum certum tibi fuerit, nihil eum velle, quod dedeceat vel petere ab amico, vel præstare rogatum : constiteritque tibi amicitiam eum putare virtutem, non quæstum ; adulationem fugere, detestari assentationem : inventusque fuerit liber cum discretione,

Digitized by Google

patiens in correptione, firmus et stabilis in dilectione : tunc illa spiritalis sentitur dulcedo ; *quam bonum* scilicet, *et quam jucundum, habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Quam utile tunc dolere pro invicem, laborare pro invicem, cum unusquisque pro altero semetipsum negligere dulce habet, alterius voluntatem suæ præferre, illius necessitati magis quam sui ipsius occurrere, adversis semet opponere et exponere. Interea quam dulce habent conferre invicem, sua studia mutuo patefacere, simul examinare omnia, et de omnibus in unam convenire sententiam ! Accedit et pro invicem oratio, quæ in amici memoria tanto efficacius, quanto affectuosius ad Deum emittitur, profluentibus lacrymis, quas vel timor excutit, vel affectus elicit, vel dolor educit. Ita pro amico orans Christum, et pro amico volens exaudiri a Christo, ipsum diligenter et desideranter intendit : cum subito et A insensibiliter aliquando affectus transiens in affectum, et quasi e vicino ipsius Christi tangens dulcedinem, incipit gustare quam dulcis est, et sentire quam suavis est. Ita a sancto illo amore, quo amplectitur amicum, ad illum conscendens, quo amplectitur Christum, spiritualem amicitiæ fructum pleno lætus ore carpet, plenitudinem omnium exspectans in futurum : quando timore sublato quo nunc pro invicem metuimus et solliciti sumus, omni adversitate depulsa, quam oportet nunc ut pro invicem sustineamus, mortis insuper aculeo cum ipsa morte destructo, cujus nos punctionibus plerumque fatigati, necesse est, ut pro invicem doleamus, securitate concepta in summi illius boni æternitate gaudebimus ; cum hæc B amicitia, ad quam his paucos admittimus, transfundetur in omnes, et ab omnibus refundetur in Deum, cum Deus fuerit omnia in omnibus (*I Cor.* XV).

BEATI AELREDI

ABBATIS RIEVALLIS

TRACTATUS DE JESU PUERO DUODENNI.

(Exstat inter Opera S. Bernardi editionis Mabillonianæ. Vide Patrologiæ tom. CLXXXIV, col. 849.)

BEATI AELREDI

ABBATIS RIEVALLIS

REGULA SIVE INSTITUTIO INCLUSARUM.

(Exstat in Appendice ad tomum I Operum S. Augustini, cum titulo : *De vita eremitica ad sororem liber*. Vide *Patrologiæ* tom. XXXII, col. 1451.)

BEATI AELREDI

RIEVALLIS ABBATIS

OPERUM PARS SECUNDA. — HISTORICA

DE BELLO STANDARDII

TEMPORE STEPHANI REGIS.

(TWISDEN et SELDEN *Rerum Anglic. Script.* X, Londini, 1652, fol., tom. I, p. 337.)

Incipit descriptio viri venerabilis Ethelredi abbatis Rievallensis, de bello inter regem Scotiæ et barones Angliæ apud Standardum, juxta Alvertonam.

Anno Dominicæ Incarnationis 1138 rege Stephano circa partes australes occupato, rex Scottorum in- C numerabilem coegit exercitum, non solum eos qui ejus subjacebant imperio, sed et de insulanis et

Digitized by Google

Orcadensibus non parvam multitudinem accersiens. Qui cum maxima superbia et ferocitate progrediens, omnem borealis Angliæ partem aut subdere sibi, aut cæde incendioque depopulari proposuit. Non latuit proceres Transhumbranos ejus adventus, qui hortatu, et submonitione et T. archiepiscopi, et Walteri Espec, de quo postea dicemus, in unum convenientes, ejus conatui resistere decreverunt. Igitur parvum quidem numero, sed armis et viribus robustissimum exercitum adunarunt, regiumque signum quod vulgo Standard dicitur, in campo latissimo juxta Alvertonam constituentes, illic hostes excipere decreverunt. Sed et Turstinus archiepiscopus per totam diœcesim suam edictum episcopale proposuit, ut de singulis parochiis, presbyteris cum cruce et vexillis reliquiisque sanctorum præeuntibus, omnes qui possent ad bella procedere, ad proceres properassent, Ecclesiam Christi contra barbaros defensuri. Erant itaque in australi exercitu primi principes Willielmus comes Albemarum juvenis tunc strenuissimus et in armis multum exercitatus, habens secum tam de Ponciis quam de Morinis milites plurimos non minus astutia militari quam animi virtute præstantes. Waltherus quoque de Gant morti jam ultima senectute vicinus, vir mansuetus et pius, qui et ipse validissimam manum de Flandrensibus et Normannis adducens, tam sapientia quam pontere sermonum reliquam multitudinem plurimum animavit. Ilbertus sane de Laci non segnis, nec cum paucis advolavit, qui tempore regis Henrici exsulans, quanto fuerat laboribus ærumnisque assuefactus, tanto stabat in hac necessitate securus. Sed et Rodbertus de Brus, licet regem Scotiæ plurimum dilexisset, gentibus tamen suis in hac necessitate non defuit; qui cum optimo juvene filio suo Adam tam validam manum adduxit, ut non solum viribus, sed et decore simul, ac juventute omnem multitudinem plurimum decorarent Tantus autem fervor resistendi Scotis cunctos arripuit, ut etiam Rogerum de Molbrai adhuc puerulum exercitui interesse fecissent, tam decenter tamen ut tali ætati conveniebat, inter cæteros sapientissime collocatum. Cum quo universa terræ suæ militia, quæ profecto nec sapientia, nec virtute, nec numero cæteris videbatur inferior, cum tanta devotione convenit, ut minor ætas domini sui nullum exercitui videretur afferre dispendium.

Adfuit et Walterus Espec, vir senex et plenus dierum, acer ingenio, in consiliis prudens, in pace modestus, in bello providus, amicitiam sociis, fidem semper regibus servans. Erat ei statura ingens, membra omnia tantæ magnitudinis, ut nec modum excederent et tantæ proceritati congruerent. Capilli nigri, barba prolixa, frons patens et libera, oculi grandes et perspicaces, facies amplissima, tractitia tamen, vox tubæ similis; facundiam quæ ei facilis erat, quadam soni majestate componens. Erat præterea nobilis carne, sed Christiana pietate nobilior. Nempe cum liberis careret hæredibus, licet ei nepotes strenui non deessent, de optimis tamen quibusque possessionibus suis Christum fecit hæredem. Nam in loco amœnissimo Bircham nomine monasterium regularium condidit clericorum, multis illud donariis ornans et ditans possessionibus : insuper et palatia sua, thalamos suos, cellaria sua, in servorum Christi habitacula commutans. Cisterciensem quoque ordinem, cujus vix famam audierat Anglia, favente sibi glorioso rege Henrico, in has partes advexit, suscipiens fratres de monasterio nobilissimo Clarevallis per manum Deo dilecti abbatis Bernardi. Qui venientes in Angliam anno ab Incarnatione Domini 1132 nacti locum in valle profundissima super ripam Riæ fluminis, unde ipsum monasterium Rievallis nomen accepit, multos suæ religionis fama ad optimorum studiorum æmulationem incitaverunt, unde in brevi multiplicati super numerum, plurima in regno utroque, Angliæ scilicet et Scotiæ, cœnobia condiderunt. Nam prædictus Walterus nec dum tantis satiatus beneficiis, in territorio Wardunensi famosissimum per eosdem fratres fundavit monasterium. Porro eodem anno adventus eorum in Angliam quidam monachi de ecclesia beatæ Mariæ Eboracensi Cisterciensem puritatem et paupertatem zelantes, auxilio freti venerabilis Turstini archiepiscopi, relinquentes divitias et delicias monasticæ puritati contrarias, maxima paupertate, miro fervore vi Kalend. Januarii Fontanense cœnobium creaverunt. Deinde prædictorum se fratrum ordini plenius conjungentes plura et ipsi per insulam Britannicam nobilia monasteria fundaverunt. Waverlenses quoque fratres qui hactenus quasi in angulo latuerant, cognito quod ejusdem essent ordinis, Cisterciensium monasteriorum numerum auxerunt. Ita alii ab ipsis Rievallensibus procreati, alii eorum exemplo provocati, multis cœnobiis clariorem insulam reddiderunt. Unde non immerito cœnobium Rievallense, cæteris quæ in Anglia sunt ejusdem ordinis, fama et religione præcellit. Hæc autem omnia bona quis dubitet viro illi strenuissimo ascribenda, tantorum fructuum semen deprocul advexit, et locum in quo seminaretur invenit. Hic igitur cum ab universo exercitu, tum propter ætatem, tum propter sapientiam, patris more coleretur, ascendens machinam quam circa regium Signum fabricaverant, supereminens universo populo ab humero et sursum, hac oratione dejectos quadam formidine erexit animos, promptos acrius inflammavit.

Non inutile est, inquit, *viri fortissimi, si senem juvenes audiatis; me dico qui multorum temporum vicissitudine, mutatione regum, et diversis bellorum eventibus didici et præterita revolvere, et æstimare præsentia, et secundum præterita de præsentibus, secundum præsentia de futuris capere conjecturam. Et certe si omnes qui me audiunt, saperent et intelligerent, et ea quæ nobis hodie ventura sunt, præviderent, silerem libentius, et somno meo requiescerem,*

Digitized by Google

vel luderem aleis, aut confligerem scacis, vel si ea ætati meæ minus congruerent, legendis historiis operam darem, vel more meo veterum gesta narranti aurem attentius commodarem. Nunc autem video plerosque de prælio certos, incertos de victoria fluctuare animo, timere vehementer ne paucitatem nostram immensæ copiæ Scottorum absorbeant : cum non ex multitudine victoria pendeat, sed vel viribus acquiratur, vel justis votis, causaque honesta ab Omnipotente impetretur. Ego sane considerans qua ratione, qua causa, qua necessitate, qui, adversus quos hodie dimicamus, sto intrepidus, tam securus de victoria quam de prælio certus. Cur enim de victoria desperemus, cum victoria generi nostro quasi in feudum data sit ab Altissimo ? Nonne proavi nostri maximam Galliæ portionem cum paucis invasere militibus, et ab ea cum gente etiam ipsum Galliæ nomen eraserunt ? Quoties ab eis Francorum est fusus exercitus, quoties a Cenomanensibus, Andegavensibus, Aquitanensibus, pauci de multis victoriam reportarunt ? Certe patres nostri et nos hanc insulam quam quondam victoriosissimus Julius non sine multa suorum strage post multos annos vix tandem obtinuit, in brevi edomuimus, in brevi nostris subdidimus legibus, nostris obsequiis mancipavimus. Vidimus, vidimus oculis nostris, regem Franciæ cum universo suo exercitu nobis terga vertentem, optimos quosque regni ejus proceres a nobis cautos, alios redimi, alios mancipari vinculis, alios carcere condemnari. Quis Apuliam, Siciliam, Calabriam, nisi noster Normannus edomuit ? Nonne uterque imperator eadem die eadem fere hora terga vertit Normannis, cum alter adversus patrem, alter adversus filium dimicaret ? Quis igitur non rideat, potius quam timeat, quod adversus tales vilis Scottus seminudis natibus pugnaturus occurrit ? Isti sunt, isti sunt utique qui nobis quondam non resistendum, sed cedendum putarunt, cum Angliæ victor Willielmus Laodoniam, Calatrium, Scotiam, usque ad Abernith penetraret, ubi bellicosus ille Malcolmus deditione factus est noster, et nunc victores suos, dominos bello provocant ; lanceis nostris, gladiis nostris, telis nostris nudum objiciunt corium ; pelle vitulina pro scuto utentes : irrationabili mortis contemptu, magis quam viribus animati. Quid ergo hastarum illarum quas eminus intuemur nimia longitudo nos terret ? Sed lignum fragile est, ferrum obtusum, dum ferit, perit, dum impingitur, frangitur, vix ad unum ictum sufficiens. Excipe illud saltem baculo, et inermis Scottus astabit. An multitudinem expavescimus ? Sed quanto vincendorum major numerus, tanto vincentibus gloria major. Taceo quid de ipso numero sentiam, ne futuræ gloriæ nostræ detrahere aliquid videar. An pro causa diffidimus ? Sed non injustum bellum pro rege nostro suscipimus, qui regnum non ut hostes calumniantur invasit debitum, sed suscepit oblatum, quem populus petiit, quem clerus elegit, quem unxit pontifex, quem in regnum apostolica confirmavit auctoritas. Sed ut iterum de rege taceamus, nullus certe justum negabit quod pro patria arma suscipimus, quod pro uxoribus nostris, pro liberis nostris, pro ecclesiis nostris dimicantes imminens periculum propulsamus. Urget enim necessitas. Recolite quid in Transtinanis partibus egerint, nec mitiora sperate si vicerint Scotti. Taceo cædes, rapinas, incendia, quæ humano quodammodo more exercentur ab hostibus, talia dicam, qualia nec fabulæ ferunt, nec narrant historiæ a crudelissimis acta tyrannis. Dicam, inquam, si non præ nimio horrore sermo defecerit, aut auditor aufugerit. Nulli ætati, nulli ordini, nulli omnino sexui pepercerunt. Nobiles tam pueri quam puellæ ducti sunt in captivitatem. Pudica matrimonia incredibili libidine vexata sunt. Parvuli jactati in aera, et aculeis lancearum excepti delectabile spectaculum Galwensibus præbuerunt ; prægnans mulier per medium secabatur, tener fetus extractus ab utero, impia manu ad saxum allidebatur. Lassati innocentium cæde, illotis cultellis quibus miserorum effuderant viscera, carnes quas vorarent incidebant, humanumque sanguinem miscentes aqua, crudeli poculo sitim sedabant, dicentes se felicissimos quos in illud tempus fortuna servaverat quo Gallorum sanguinem bibere potuissent. Casu inventi sunt in eadem domo plures parvuli. Stabat Galwensis, et unum post unum utroque pede arripiens, caput allidebat ad postem. Quos cum in unum coegisset acervum, ridens versus socium : « Ecce, inquit, quot hodie Gallos solus occidi. » Horreo dicere quomodo ingressi sunt templum Dei, quomodo polluerunt sanctuarium ejus, quomodo salutis Christianæ sacramenta pedibus conculcaverunt. Quid agitis, o viri fortissimi ? Non adversus homines dimicatis, sed adversus bestias, quibus nihil humanitatis, nihil inest pietatis ; quod cælum horret, quos abominatur terra, quos exsecrantur maria, quos ipsa mundi lumina detestantur ; quos non ob aliud terra non absorbuit, nec fulminavit cælum, nec maria submerserunt, nisi ut vestris victoriis servarentur, vestris manibus interirent. Consecrate manus vestras in sanguine peccatorum : felices quorum hodie manus ad suas ulciscendas injurias Christus elegit. Festinate, et nefandum hoc sanguinum hominum genus terris obruite, inferis sepelite, ne si diutius vixerint, sol lumen abscondat, cælum neget pluvias, fruges quadam ariditate marcescant. Cogitate regem absentem, quantumque vestræ accedat gloriæ, cum reportaveritis de rege sine rege triumphum ; vestra erit curia, vestrum erit regnum, vestris consiliis omnia tractabuntur, per quos hodie regi regnum, regno pax, paci gloria perquiretur, fatebitur rex se hodie manibus vestris iterum coronatum. Secure igitur congrediamur, cum nobis sit causa justior, manus fortior, quos urget necessitas, quos gloria provocat, quibus divinum auxilium præsto est, cum quibus tota cælestis curia dimicabit. Aderit Michael cum angelis suam ulturus injuriam, cujus ecclesiam humano sanguine fœdaverunt, cujus altare superposito capite humano polluerunt. Petrus cum apostolis pugnabit pro vobis, quorum basilicas nunc in stabulum, nunc in prostibulum converterunt. Sancti martyres vestra

Digitized by Google

præcedent agmina, quorum incenderunt memorias, quorum alta cædibus impleverunt. Virgines sanctæ licet pugnæ dubitent interesse, pro nobis tamen oratione pugnabunt. Amplius dico, ipse Christus apprehendet arma et scutum, et exsurget in adjutorium nobis. Ipsi enim veniunt ad nos in superbia, nos cum humilitate procedimus. Illi carnes raptas quas voraverunt eructant, nos post sacra jejunia Christi carne et sanguine saginamur. Illos histriones, saltatores et saltatrices, nos crux Christi et reliquiæ sanctorum antecedunt. Sed quid moror? Certe aut vincendum nobis est, aut moriendum. Quis enim victoriæ Scottorum se velit esse superstitem, ut videat uxorem suam Scottorum subjacere libidini, parvulos suos lanceis perforari?

Hæc dicens, vertit se ad comitem Albemarum, B dataque dextera : *Do*, inquit, *fidem, quia hodie aut vincam Scottos, aut occidar a Scottis.* Quo similiter voto cuncti se proceres constrinxerunt. Et ut spes fugæ cunctis penitus tolleretur, equos omnes longius amoventes, pedestri more congredi decreverunt, aut mori aut vincere cupientes. Rex interim, coactis in unum comitibus, optimisque regni sui proceribus, cœpit cum eis de belli ratione tractare, placuitque plurimis, ut quotquot aderant armati milites et sagittarii cunctum præirent exercitum, quatenus armati armatos impeterent, milites congrederentur militibus, sagittæ sagittis obviarent. Restitere Galwenses, dicentes sui esse juris primam construere aciem, primum in hostes impetum dare, C sua probitate reliquum animare exercitum. Periculosum dicebant alii, si in primo aggressu inermes armatis occurrerent, quoniam si belli vim non sustinens, primus cuneus laberetur in fugam, etiam fortium corda facile solverentur. Galwenses nihilominus insistebant, jus suum concedi postulantes.

Quid enim, inquiunt, *o rex, formidas, et tunicas illas ferreas quas eminus cernis nimium expavescis? Nobis certe sunt latera ferrea, pectus æreum, mens timoris vacua, quorum nec pedes fugam, nec unquam vulnus terga sensere. Quid Gallis apud Cliderhou profuere loricæ? Nunquid non inermes isti ut dicunt, illos et loricas projicere, et negligere galeas et scuta relinquere coegerunt? Videat igitur prudentia vestra, o rex, quale sit in his habere fiduciam; quæ in necesD sitate magis sunt oneri quam consolutioni. Nos apud Cliderhou de loricatis victoriam reportavimus; nos hodie et istos animi virtute pro scuto utentes lanceis prosternemus.*

His dictis, cum rex militum magis consiliis acquiescere videretur, Malisse comes Stradarniæ plurimum indignatus : *Quid est*, inquit, *o rex, quod Gallorum te magis committis voluntati, cum nullus eorum cum armis suis me inermem sit hodie præcessurus in bello?* Quæ verba Alanus de Perci magni Alani filius nothus, miles strenuissimus et in militaribus negotiis probatissimus, ægre ferens, conversus ad comitem : *Grande*, inquit, *verbum locutus es, et quod hodie pro vita tua efficere non valeb-*

A Tunc rex utrosque compescens, ne tumultus hac altercatione subito nasceretur, Galwensium cessit voluntati. Alteram aciem filius regis et milites sagittariique cum eo, adjunctis sibi Cumbrensibus et Tevidalensibus cum magna sagacitate constituit. Erat autem adolescens pulchra facie et decorus aspectu, tantæ humilitatis ut omnibus inferior videretur, tantæ auctoritatis ut ab omnibus timeretur; tam dulcis, tam amabilis, tam affabilis, ut ab omnibus diligeretur. Tam castus corpore, in sermone tam sobrius, in cunctis moribus tam honestus, tam assiduus in ecclesia, orationi tam intentus, tam benevolus circa pauperes, contra malefactores tam erectus, sacerdotibus et monachis sic prostratus, ut et in rege monachum et in monacho regem B prætendere videretur. Erat præterea tantæ probitatis, ut in illo exercitu nullus fuerit similis ei sive hostes impetendo, sive impetentes magnanimiter sustinendo, cæteris ad insequendum fortior, ad repellendum acrior, ad fugam tardior. Conjunxerat se ei ejusque interfuit aciei Eustacius filius Joannis de magnis proceribus Angliæ, regi quondam Henrico familiarissimus, vir summæ prudentiæ et in sæcularibus negotiis magni consilii, qui a rege Anglorum ideo recesserat, quod ab eo in curia contra patrium morem captus, castra quæ ei rex Henricus commiserat, reddere compulsus est; ob quam causam offensus, ut illatam sibi ulciscerctur injuriam, ad hostes ejus sese contulerat. Tertium cuneum C Laodonenses cum Insulanis et Layernanis fecerunt. Rex in sua acie Scotos et Muranenses retinuit, non nullos etiam de militibus Anglis et Francis ad sui corporis custodiam deputavit. Et sic quidem aquilonalis ordinatur exercitus.

Et australes quoniam pauci erant in unum cuneum sapientissime glomerantur. Nam strenuissimi milites in prima fronte locati lancearios et sagittarios ita sibi inseruerunt, ut militaribus armis protecti tanto acrius quanto securius vel in hostes irruerent, vel exciperent irruentes. At proceres qui maturioris ætatis fuerunt, ut cæteris præsidio forent, circa signum regium constituuntur, quibusdam altius cæteris in ipsa machina collatis. Scutis scuta junguntur, lateribus latera conseruntur, laxatis vexillis D eriguntur lanceæ, ad solis splendorem loricæ candescunt, sacerdotes sacris vestibus candidati, cum crucibus reliquiisque sanctorum exercitum ambiebant, et sermone simul et oratione populum decentissime roborabant. Tunc Rodbertus de Brus, vir grandævus et magnarum opum, moribus gravis, sermone rarus, qui cum dignitate quadam et pondere loquebatur, qui cum esset de jure regis Anglorum, a juventute tamen regi Scotiæ adhærens, ad maximam ejus familiaritatem profecerat. Ipse igitur, ut vir veteranæ militiæ, et talium negotiorum satis gnarus, naturali sagacitate periculum quod regi imminebat prospiciens, antiquæ amicitiæ intuitu accepta a sociis licentia regem adiit, aut bellum dissuasurus, aut ab eo more patrio legitime recessu-

Digitized by Google

rus. Erat enim obligatus ei non solum amicitia, sed et fidei necessitate. Cum igitur regem cominus aspexisset :

Adsum, inquit, *o rex, fidelis tuus, daturus nunc consilium honorabile tibi, regno tuo utile, liberis tuis inposterum profuturum. Non enim sapientis est, o rex, rerum tantum initia, non etiam exitus finesque prospicere, et pro solis præsentibus præteritorum memoriam vel futurorum providentiam abolere. Adversum quos hodie levas arma, et hunc innumerum ducis exercitum ? Adversum Anglos certe et Normannos. O rex, nonne isti sunt quorum semper et consilium utile, et auxilium promptum, gratum insuper obsequium invenisti ? ex quo rogo te, domine mi, tantam fidem invenisti in Scottis, ut tam secure tibi tuisque Anglorum demas consilium, auxilium abroges Normannorum, quasi soli tibi sufficiant Scotti etiam contra Scottos. Nova tibi est in Walensibus ista securitas, qui eos hodie armis petis per quos hactenus amabilis Scottis, terribilis Galwensibus imperasti. Putasne igitur, o rex, quod æquis oculis aspiciet cœlestis illa majestas, quod illos insistis absumere per quos tibi tuisque regnum procuratur, et securitas in regno ? Quibus copiis quibusve auxiliis frater tuus Dunecanus Donenaldi prostravit exercitum, et regnum quod invaserat tyrannus, recepit ? Quis Eadgarum fratrem tuum, imo plus quam fratrem, nisi noster exercitus, regno restituit ? Tu ipse rex, cum portionem regni quam idem tibi frater moriens delegavit, a fratre Alexandro reposceres, nostro certe terrore, quidquid volueras sine sanguine impetrasti. Recole præterito anno cum adversus Malcolmum paterni odii et persecutionis hæredem Anglorum auxilium flagitares, quam læti, quam alacres, quam ad auxilium prompti, quam proni ad periculum Walterus Espec aliique quamplures Anglorum proceres tibi apud Carleolum occurrerint, quot paraverint naves, quæ arma intulerint, qua juventute munierint, quomodo omnes tuos terruerint hostes, donec ipsum Malcolmum proditum caperent, captum vincirent, vinctum traderent. Ita terror noster ipsius quidem membra sed magis Scottorum animos vinxit, omnique spe præficiendi frustrata audaciam abstulit rebellandi. Quidquid igitur odii, quidquid inimicitiarum adversum nos habent Scotti, tui tuorumque est causa, pro quibus contra eos toties dimicavimus, quibus ademimus spem rebellandi, tibi et tuæ per omnia subdidimus voluntati. Rideant proinde Scotti, quod tu eis de nobis ultionem procuras, cum nihil aliud habeant quod ulciscantur in nobis, nisi quod te tuosque dileximus, tibi tuisque fidem servavimus, quod armis nostris tua proteximus viscera, tibi regnum servavimus. Parce itaque, o rex, parce tibi, parce regno tuo, parce præ omnibus juvenum splendidissimo filio tuo, cui hodie nudatum consilio et cunctis auxiliis spoliatum proditioni Scottorum exponis et objicis furori. Cave præterea ne involvaris peccatis hominum impiorum, de quorum manibus cædes parvulorum, prægnantium luctus, sacerdotum injuria, ipsius etiam divinitatis contemptus exquiritur. Adversus quos non unius Abel, sed innumerabilium innocentium sanguis clamat de terra. Vidisti, o rex, abominationes pessimas quas fecerunt hi. Vidisti, inquam, vidisti, horruisti, flevisti, pectus tutudisti, clamasti contra tuum id fieri præceptum, contra tuam voluntatem, contra tuum decretum. Ostende nunc vera te dixisse ut eos a simili revoces iniquitate, ut reversi sine te puniantur si sine te talia commiserint. Et hæc satis essent, si conatui tuo nullus obsisteret, vel de victoria certitudo constaret. Nunc autem stat contra te non contemnendus exercitus, quanto tuo numero minor, tanto armis viribusque robustior. Nescis, o rex, quam sit periculosa desperatio, quando et mors certa est, sed stat adhuc de genere mortis electio. Certe si viceris moriemur. Moriemur, inquam, nos, morientur parvuli nostri ; sacerdotes nostri in altaribus jugulabuntur ; uxores nostræ turpi libidine fœdabuntur. Elegimus proinde vel vincere vel mori gloriose, quamvis nulla nobis sit de victoria dubitatio. Hinc dolor meus, hinc lacrymæ, quod dulcissimum dominum meum, amantissimum amicum meum, antiquum socium meum, in cujus amicitia senui, cujus munificentiam in munerum multimodorum largitione, in prædiorum quoque et multarum possessionum collatione expertus sum, post juveniles ludos quibus simul exercitati sumus, post armorum negotia quibus nobis in multis periculis semper adfuimus, post splendida convivia quæ utrique unius regnum ministravit, post delicias quas utrisque avium ferarumque venatio contulit, aut mori periculose aut indecenter fugere contemplabor.*

His dictis, lacrymis et singultibus interceptus est sermo loquentis. Et rex naturali pietate commotus in lacrymas solvebatur, jam jamque ibat in pactum. Sed Guillelmus regis nepos, vir magni animi, et belli præcipuus incentor superveniens, ipsum Rodbertum cum maximo furore arguit proditionis, regemque a sententia flexit. At ille nihil moratus, vinculum fidei quo eatenus regi astrictus fuerat, patrio more dissolvens, ad suos non sine dolore revertitur ; et statim soluta statione erectis lanceis aquilonalis procedit exercitus. Sequitur lituum stridor, tubarum crepitus, fragor lancearum percutientium alteram ad alteram ; tremit terra, fremit cœlum, echo vicini montes collesque resultant : interea Radulfus episcopus Orcadensis, quem illo miserat archiepiscopus Turstinus, stans in eminentiori loco, cum populo præliandi necessitatem in remissionem peccatorum indixisset, tundentes pectora, erectis manibus divinum auxilium precabantur. Factaque super eos absolutione, episcopus benedictionem solemni voce adjecit, cunctis alta voce respondentibus : Amen, amen. At Galwensium cuneus more suo ter ululatum diræ vocis emittens, tanto impetu irruunt in australes, ut primos lancearios stationem deserere compellerent, seu vi militum iterum repulsi, in hostes animum viresque recipiunt. Ubi vero ferri lignique soliditate

Digitized by Google

Scoticarum lancearum est delusa fragilitas, eductis A gladiis cominus decertare tentabant. Sed australes muscæ de cavernis pharetrarum ebullientes, et instar densissimæ pluviæ convolantes, et in obstantium pectora, vultum, oculos quoque importunius irruentes, conatum illorum plurimum retardabant. Videres ut hericium spinis ita Galwensem sagittis undique circumseptum, nihilominus vibrare gladium, et cæca quadam amentia proruentem nunc hostem cædere, nunc inanem aerem cassis ictibus verberare. Et jamjam percussi pavore extremi quique dissolvebantur in fugam, cum inclytus adolescens filius regis cum sua superveniens acie in adversum sibi cornu leonina se ferocitate proripuit, ipsaque globi australis parte instar cassis araneæ dissipata, obstantes quosque cædendo ultra regium B signum progressus est, ratusque reliquum exercitum secutum iri, ut hostibus fugæ præsidium tolleret, equorum stationem invasit, dispersit, ac retro usque ad duo stadia redire coegit. Hujus igitur admirabili impetu plebs inermis perterrita labebantur. Sed cujusdam prudentis viri figmento, qui caput unius occisi in altum erigens regem clamabat occisum, revocati, vehementius solito irruunt in obstantes. Tunc Galwenses imbrem sagittarum, gladios militum ulterius non sustinentes, fugam ineunt, occisis prius duobus eorum ducibus Wlgrico et Dunenaldo. Porro Laodensium cuneus primum vix impetum exspectans statim dissolutus est. Tunc rex dissiliens equo, et proceres qui cum eo C erant, adversus hostes processerunt. Sed Scotti ob cæterorum fugam pavidi ex omni lapsi parte regali aciei fugere cœperunt, ita ut in brevi lapsis cæteris pauci circa regem persisterent. Procedit contra eos Anglorum exercitus, ipsum certo regem cum omnibus suis vel occisurus vel capturus, nisi milites regem fugam omnimodis abjurantem, vi sublatum equo regredi compulissent. Tunc hi qui fugerant videntes regale vexillum, quod ad similitudinem draconis figuratum facile agnoscebatur, reverti, scientes regem non cecidisse sed redire, ad ipsum reversi terribilem insequentibus cuneum creaverunt. Interea ille adolescentum decus, militum gloria, senum deliciæ, filius regis respiciens retro, vidit se cum paucis in mediis relictum hostibus, vertensque se ad unum de sociis et subridens : *Fecimus*, inquit, *quod potuimus, et certe quantum in nobis est vicimus. Nunc consilio non minus opus est quam virtute. Nec est aliud majus animi constantis indicium quam in adversa fortuna non frangi, et quando non potes viribus, consilio superes inimicum. Projectis itaque signis quibus a cæteris dirimimur, ipsis nos hostibus inseramus quasi insequentes cum ipsis, donec prætergressi cunctos ad paternum cuneum quem eminus video in suo vigore manentem cedere necessitati, quantocius veniamus.* His dictis, calcaribus sonipedem urgens medios intersecat hostes, donec anteriores transgressus, mitiori incessu equum allevat. Et ut noveris quam securum in adversis et providum gessit animum, cæteris militibus armorum onera ubiubi projicientibus, optimus juvenis laboris patiens sustinuit, donec ad pauperis cujusdam tugurium veniens, evocato pauperculo, exuit se thorace, projiciensque ad pedes hominis : *Accipe*, inquit, *vir, quod mihi est oneri, tuæ consulat necessitati.* At rex jam longe processerat, jam ordinate terribiliter incedens ut quosdam de insequentibus capiens, cæteros qui instabant plurimum deterreret ; sicque ad Carleolum usque perveniens, ibi de se jam securus, sed de filio pavidus per biduum nil aliud agens exspectabat. Tertia tandem die diu desideratum sanum et incolumem filium recepit. Anglorum sane proceres diu insequentes, innumerabiles tam Scottos quam Galwenses interfecerunt, de militibus vero multos ceperunt. De singulis autem partibus singuli milites corruerunt. Sane Anglorum duces omnes sani incolumesque reversi, et circa Walterum Espec, quem ducis et patris loco venerabantur conglobati, immensas gratias Deo omnipotenti pro insperata victoria retulerunt.

GENEALOGIA REGUM ANGLORUM.

(TWISDEN ubi supra, pag. 347.)

INCIPIT EPISTOLA ABBATIS RIEVALLENSIS AELREDI AD D ILLUSTREM DUCEM H., POSTMODUM ANGLORUM REGEM.

Illustrissimo duci Normannorum et Aquitanorum et comiti Andegavensium HENRICO, frater A., servus servorum Christi qui in Rievalle sunt, salutem et orationes.

Adeo secundum naturam virtus est, vitium contra naturam, ut virtutem laudet et approbet etiam vitiosus, vitium vero, si humanæ rationis sequatur judicium, nec vitiosus excuset. Nam et vitium quasi semetipsum ob innatam sibi turpitudinem erubescens, semper latebras quærit et optat secretum : cum econtra virtus suæ sibi pulchritudinis et honestatis conscia ad omnem tripudiet et exsultet aspectum, ob solam humilitatem publicum fugiens et humanum testimonium horrens. Quoniam igitur animæ rationali naturaliter inest amor virtutum, odium vitiorum, quicunque bonis moribus virtutique studuerit, facile sibi omnium illicit et

Digitized by Google

inclinat affectum. Hinc est, vir illustrissime, quod te multorum qui te oculis non viderunt mentibus impressit fama virtutis, cum admirationi sis universis nec minus delectationi ; in tali ætate tanta sapientia, in tantis deliciis tanta continentia, in tantis negotiis tanta providentia, in tali sublimitate talis severitas, in tali severitate talis benignitas.

Quis enim non obstupeat juvenem pro regno certantem abstinere rapinis, cædibus parcere, cavere incendia, nullum gravamen inferre pauperibus, pacem et reverentiam ecclesiis et sacerdotibus conservare? Unde non immerito Andegavensium gloria, Normannorum tutela, spes Anglorum, Aquitânorum decus ab omnibus prædicaris. Hoc tantum superest, ut Jesum Christum horum munerum largitorem agnoscas et exoptes conservatorem. Ego vero considerans de quorum progenie originem duxeris, gratias [ago] Domino Deo meo quod pro talibus talis nobis filius, quasi novus quidam splendor, illuxit, in quo cum omnium antecessorum virtutes convenerint, maxime tamen in te spiritum Christianissimi regis David gaudeo quievisse ; unde divina providentia actum existimo, ut illius mundissimæ manus balteo te cinxerunt militari, per quas Christi gratia virtutem tibi castitatis illius, humilitatis et pietatis infunderet. Quoniam autem recenti morte illius contristatus, vitam ejus et mores sicut nunc amor, nunc timor, nunc spes, nunc dolor meum variant affectum, non historiando, sed lamentando, brevi stylo collegi, te quasi pietatis illius hæredem intimi cordis dilectione suscipiens, ipsam tibi lamentationem destinare curavi. In qua cum laudabilem ejus vitam et pretiosam legeris mortem, illam imiteris ut ista consequi mereris. Omnis enim laus in fine canitur, nec inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur. Omnipotens Deus conservet in te et augeat gratiam suam, excellentissime et illustrissime domine.

De sancto rege Scotorum David.

Religiosus et pius rex David migravit e mundo ; qui, licet dignum tali animæ locum invenerit, mors tamen ejus planctum nobis indicit. Quis enim non lugeat virum tam necessarium mundo, rebus humanis exemptum, nisi is qui rebus humanis pacem invidet et profectum? Rex enim iste mansuetus, rex justus, rex castus, rex humilis, quis facile dixerit, quid utilitatis humanæ vitæ contulerit ; quem mansuetudo amabilem, justitia terribilem, castitas compositum, humilitas communem fecerat? Quæ omnia si in privato quolibet laude dignissima judicantur, quanto magis in rege cui potestas dat licere quodlibet ; cujus vitiis facile favent inferiores, proni ad imitandum, prompti ad adulandum, cum et impunitas præstet audaciam, libido vero acuat et accendat luxuriam? Scimus enim eum regnum non appetivisse sed horruisse, magisque illud ob alienam necessitatem suscepisse quam dominandi libidine victum avide invasisse ; unde et obsequia illa quæ a gente Scotorum in novella regum promotione more patrio exhibentur ita exhorruit, ut ea vix ab episcopis suscipere cogeretur.

Sublimatus vero in regem, nihil superbum in moribus, nihil in verbis crudele, nihil inhonestum præferebat in factis, unde tota illa gentis illius barbaries mansuefacta tanta se mox regi benevolentia et humilitate substravit, ut naturalis oblita sævitiæ, legibus quas regia mansuetudo dictabat colla submitteret, et pacem quam eatenus nesciebat gratanter exciperet, unde non immerito dilectus a Deo et hominibus videbatur ; dilectus a Deo plane, qui statim in ipsis regni sui initiis ea quæ Dei sunt diligenter exercuit, in ecclesiis construendis, in monasteriis fundandis, quæ et ampliavit possessionibus et honoribus cumulavit. Cum enim ipse in toto Scottorum regno tres vel quatuor tantum inveniret episcopos, ecclesiis cæteris sine pastore tam morum quam rerum dispendio fluctuantibus, ipse tam de antiquis quas reparavit, quam de novis quas ipse erexit decedens novem reliquit. Monasteria autem ordinis Cluniacensis, Cisternicensis, Tyronicensis, Aroensis, Præmonstracensis, Belvacensis, non pauca, non parva, plena fratribus dimisit. Inter quos sic fuerat quasi unus ex ipsis et bona laudans, et si qua minus laudanda emergebant verecundiæ dissimulans, subtractus omnibus, sollicitus pro omnibus, multa largiens et nihil exigens. O dulcis anima quo abisti? quo recessisti? Ubi oculi illi pleni pietatis et gratiæ, quibus et congaudere cum gaudentibus et flere cum flentibus (*Rom.* XII) consuevisti?

Vidi ego oculis meis cum aliquando paratus ire venatum pede in scansili posito equum vellet ascendere, ad vocem pauperis audientiam sibi dari postulantis, quod pedem retraxerit, relictoque equo et regressus in aulam, eadem die ad propositum non reversurus, causam pro qua fuerat appellatus benigne et patienter audierit. Consueverat præterea ad ostium aulæ regiæ sedens pauperum et vetularum, quæ certis diebus de singulis quocunque veniebat regionibus vocabantur, causas diligenter audire, et singulis cum multo sæpe labore satisfacere. Nam sæpe litigabant cum illo, et ipse cum illis, cum ipse nollet contra justitiam personam pauperis accipere, et ipsi nollent rationi quod ostendebat acquiescere. Denique si contingeret ut sacerdos, vel miles, vel monachus, vel dives vel pauper, vel civis vel peregrinus, vel negotiator vel rusticus cum eo haberet sermonem, ita cum singulis de suis negotiis et officiis convenienter et humiliter disserebat, ut singulus quisque sua eum tantum curare putaret, et sic omnes jucundos et ædificatos dimitteret. Tactus quippe infirmitate qua fuerat carne solvendus, feria quarta, id est XIII Kalendas Junii, cum intellexisset dissolutionem sui corporis imminere, vocatis familiaribus suis quod de se ipse sen-

Digitized by Google

tiebat incunctanter exposuit. At illi more humano consolabantur ægrotum, vitam illi et sanitatem penitus promittentes. Sed cum feria sexta morbus ingravesceret, et ei standi simul et incedendi facultatem vis languoris adimeret, accersitis clericis virisque religiosis, Dominici corporis sacramentum sibi dari postulavit. Parantibus illis efferre quod jusserat, prohibuit ille, dicens se ante sacrosanctum altare sacrosancta mysteria percepturum. Igitur clericorum ac militum manibus in oratorium deportatus, post missarum solemnia venerandam sibi crucem, quam nigram vocant, produci sibi petiit adorandam.

Est autem crux illa longitudinem habens palmæ de auro purissimo mirabili opere fabricata, quæ in modum thecæ clauditur et aperitur. Cernitur in ea quædam Dominicæ crucis portio (sicut sæpe multorum miraculorum argumento probatum est), Salvatoris nostri imaginem habens de ebore densissime sculptam, et aureis distinctionibus mirabiliter decoratam. Hanc religiosa regina Margareta, hujus regis mater, quæ de semine regio Anglorum et Hungariorum exstitit oriunda, allatam in Scotia quasi munus hæreditarium transmisit ad filios. Hanc igitur crucem omni Scotorum genti non minus terribilem quam amabilem cum rex devotissime adorasset, cum multis lacrymis peccatorum confessione præmissa, exitum suum cœlestium mysteriorum perceptione munivit. Deinde relatus in thalamum, venientibus sacerdotibus ut sacræ unctionis sacramenta complerent, assurrexit ut potuit, ac de lectulo in terram se dejiciens, salutare illud officium cum tanta devotione suscepit, ut clericos paulo festinantius psallentes, manu simul ac sermone compesceret, singulis verbis ipse intenderet, ipse singulis orationibus responderet. Omnibus igitur rite peractis, cum maxima carnis ac mentis quiete diem exspectavit extremum, suos diligenter obtestans quatenus mox ut ipse decederet mortem suam omnibus propalarent. *Quanto citius enim*, inquit, *mors mea innotuerit, tanto citius amicorum meorum beneficiis aliquid mihi consolationis pietas divina præstabit.* In hac ei devotione dies clauditur, cui sequentem in magna tranquillitate continuavit et noctem.

Die autem Dominica quæ Cnristi ascensionem præcedebat, id est Kal. Junii illucescente, cum sol iste noctis tenebras emergens radiis suæ lucis abigeret, ipse a corporis tenebris ad veræ lucis gaudia commigravit, cum tanta tranquillitate ut videretur non obiisse sed obdormisse, cum tanta devotione ut inventus sit utrasque manus junctas simul supra pectus suum versus cœlum erexisse. Subvenite, sancti Dei; occurrite, angeli Domini, suscipite animam vestro dignam consortio, collocate eam in sinu Abrahæ cum Lazaro, quem non despexit sed fovit, cum sanctis apostolis et martyribus, quorum memorias diligenter exstruxit et coluit, cum Christi sacerdotibus et confessoribus quos in suis successoribus et basilicis veneratus est, cum sanctis virginibus quarum pudicitiam imitatus est, cum mundi contemptoribus quos sibi mammona iniquitatis constituit, quibus se Christi nomine cum omni humilitate substravit. Adsit ei illa misericordiæ mater, quæ quanto cæteris constat esse potentior, tanto ipsius pietas sit efficacior! Ego autem, licet peccator et indignus, memor tamen beneficiorum tuorum, dulcissime domine et amice, quæ mihi ab ineunte ætate mea impendisti, memor gratiæ in qua me nunc ultimo suscepisti, memor benevolentiæ qua me in omnibus petitionibus exaudisti, memor munificentiæ quam exhibuisti, memor amplexuum et osculorum in quibus me non sine lacrymis omnibus qui aderant admirantibus dimisisti, libo et pro te lacrymas meas resolvo, affectum meum et totum spiritum meum refundo. Hoc pro te Deo meo sacrificium offero. Hanc beneficiis tuis vicissitudinem rependo. Et quia hoc minimum est, ibi mens mea ex intimis medullis tui recordabitur, ubi pro salute omnium Patri quotidie Filius immolatur.

De genealogia regum Angliæ, et regis David Scotiæ.

Quoniam de optimis moribus religiosi regis David pauca descripsimus, dignum duxi genealogiam, quæ et tua est, dux illustrissime Henrice, breviter veraciterque subtexere, ut cum videris quanta fuerit antecessorum tuorum probitas, qualis in eis virtus innituerit, qualis splenduerit pietas, agnoscas etiam quam naturale tibi sit abundare divitiis, florere virtutibus, victoriis illustrari, et quod his omnibus præstat, Christiana religione et justitiæ prærogativa fulgere. Est enim ad optimos mores obtinendos maximum incentivum, scire se ab optimis quibusque nobilitatem sanguinis meruisse, cum ingenuum animum semper pudeat in gloriosa progenie degenerem inveniri, et contra rerum sit naturam de bona radice fructus malos pullulare. Sicut igitur in veracissimis et antiquissimis historiis vel chronicis potui reperire, a te ipso, virorum clarissime, exordium sumens, et per gloriosissimam matrem tuam aviamque clarissimam ascendens breviter usque ad ipsum Adam, patrem cunctorum mortalium lineam tibi tuæ cognationis ostendam, ut postmodum omissis antiquissimis quorum historias vetustas ipsa delevit, per excellentiores Angliæ reges, eorum sublimiora quæque gesta summatim tangendo redeamus, ut, cum videris tantam eorum gloriam morte ac vetustate perisse, eosque pro vitæ meritis cœleste præmium quod perire non potest meruisse, discas semper divitiis gloriæque mundiali præferre justitiam, ut post vitam temporalem pervenias ad æternam. Amen.

Tu igitur, vir optime, filius es gloriosissimæ imperatricis Mathildis, cujus fuit mater christianissima et excellentissima Anglorum regina, Mathildis filia sanctissimæ feminæ reginæ Scotorum Margaretæ, quæ nominis sui splendori morum sanctita-

Digitized by Google

tem prælerebat. Hujus pater Edwardus, qui fuit filius Edmundi regis invictissimi, cujus pater Edelred, cujus pater Aedgarus pacificus, cujus pater Eadmundus, cujus pater Edwardus senior, cujus pater nobilis Aluredus, qui fuit filius Adelwlfi regis, qui fuit regis Egbrichti, cujus pater Alchmundus, cujus pater Effa, cujus Eppa, cujus pater Ingles, cujus frater fuit famosissimus rex Ine nomine, quorum pater Ceonred, qui fuit filius Ceolwald, qui fuit Cutha, qui fuit Cuthwine, qui fuit Cheulin, qui Cheuric, qui fuit Creoda, qui fuit Ceordic, qui fuit Elesa, qui fuit Eda, qui fuit Gewis. Iste fuit caput gentis suæ, a quo et tota gens illa nomen accepit. Hujus pater fuit Wig, cujus pater fuit Frewine, cujus pater Freodgar, cujus pater Brand, cujus pater Bealdag, cujus pater Woden. Qui fuit filius Fredewald, qui fuit Freolof, qui fuit Frederewlf, qui fuit Fingondwlf, qui fuit Geta, qui fuit Gearwa, qui fuit Beu, qui fuit Celdwa, qui fuit Heremod, qui fuit Itermod, qui fuit Hathra, qui fuit Wala, qui fuit Beadwig, qui fuit Sem, cujus pater Noe, cujus pater Lamech, cujus pater Mathusale, cujus pater Enoch, qui fuit filius Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit filius Adam patris omnium.

Seth natus est pro Abel quem occidit Cain (*Gen.* IV). Sicut autem in Abel Christi passio, ita et in Seth Christi est resurrectio figurata. Seth enim Hebraicum nomen est, et lingua Latina dicitur *resurrectio*. Ab hoc igitur Seth ducitur generatio usque ad Enoch, qui vivus a Domino translatus cum sancto Elia, Antichristi præstolatur adventum. Inde venitur ad Noe, qui solus cum filiis et uxoribus meruit mundo pereunte salvari, cujus primogenitus Sem a patre meruit benedici. Dicunt Judæi hunc fuisse sacerdotem summi Dei, et postea Melchisedech fuisse vocatum, qui in figura sacerdotii nostri panem offerebat et vinum, unde in psalmis Christo dicitur : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). Ab isto igitur Sem genealogia ducitur usque ad Woden, qui tantæ auctoritatis fuit apud suos, ut feriam quartam quam Romani gentiles diem Mercurii appellabant, ejus nomini consecrarent ; quæ consuetudo ab Anglis hodie servatur, vocant enim eumdem diem Wodensdei, id est diem Woden.

Porro a Woden linea cognationis tuæ tenditur usque ad Getam, qui et ipse tantæ sapientiæ et virtutis habitus est, ut a paganis pro Deo coleretur. Unde proceditur ad christianissimos reges Angliæ, Ingles et Ine. Quorum Ine cum potentissimus regum Angliæ esset, relicto regno, peregrinus profectus est Romam, ibique feliciter peregrinans, tandem ad cœlestem mansionem felicius conscendit. Ab Ingles vero linea cognationis tuæ tenditur usque ad Ebrichtum, qui tantæ fuit probitatis, ut universam Angliam ex Australi parte Humbræ, quæ pluribus regibus eatenus divisa subjacuerat, suo subjugaret imperio, et ita primus omnium monarcha Angliæ diceretur.

De edelwilfo rege.

Cujus filius fuit Edelwlf, futuri certe generis sui splendissimum caput, et de qua sanctissimi fructus orirentur pretiosissima radix. Hic in regno terreno semper meditabatur cœleste, ut manifeste daretur intelligi eum non victum cupiditate, sed charitate provocatum, alienæ necessitati regnando consulere, non suæ voluntati dominando satisfacere. Erat enim pater orphanorum et judex viduarum, ecclesiarum defensor, propagator monasteriorum. Eleemosynis sane sic operam dabat ut totam terram suam pro Christo decimaret, et partem decimam per ecclesias monasteriaque divideret. Tandem cum multo apparatu Romam profectus, integro anno ibi perendinavit, loca sancta frequentans, vigiliis et orationibus vacans, eleemosynas multas pauperibus erogans. Sed et ecclesiis beatissimorum Petri et Pauli, ipsique summo pontifici pro regia munificentia plurima largitus est munera. Et sic cum multarum virtutum stipendiis reversus in Angliam, post biennium regnum inter filios sapienter divisit. Per singula territoria sua pauperes alendos ac vestiendos distribuit, thesauros suos misericorditer *dispersit* et *dedit pauperibus* (*Psal.* CXI) ; ex quibus non modicam portionem ecclesiis apostolorum Romæ et summæ sedis episcopo delegavit, et sic in senectute bona collectus est ad patres suos, regnum certe non amittens sed mutans, temporale deserens et æternum adipiscens.

De piissimo rege Alfredo.

Cujus filius fuit illud Anglorum decus, regum gemma, virtutum exemplar Aluredus, cæteris fratribus suis junior ætate, sed annosior virtute, unde et a patre plus cunctis fratribus amabatur, ob morum scilicet suorum similitudinem, et spiritalis cujusdam gratiæ privilegium quæ in eo adhuc puero mirabiliter refulgebat. Unde cum pater cum adhuc puerulus esset, cum multis militibus maximisque donariis Romam misit, ut sanctissimorum apostolorum precibus commendaretur, et a summo pontifice benediceretur ; venerabilis autem summus sacerdos Leo qui tunc Ecclesiæ Romanæ præfuit, vultum et statum pueri contemplatus, cum in eo divinæ præsentiam majestatis scintillantium virtutum indiciis persensisset, tempus et ætatem regnandi regiæ unctionis sacramento præveniens, sicut quondam Samuel puerum David, ita eum in regem sanctissimus præsul devotissime consecravit. Verum postmodum cum patre Romam repetens, paternorum bonorum in omnibus cooperator et adjutor esse promeruit. Hic ab ipsa pene infantia sua legere et discere dulce habuit, circa ecclesias assiduus, in orationibus frequentissimus, obediens parentibus, sociis humilis ac devotus. Ita meditabatur in ætate puerili quod senex devotus impleret. Denique portionem psalterii in qua maxime delectabatur parvo volumine scriptam in sinu semper circumferebat,

Google

ut quod pectus illud interius ruminabat, ab exterioris sui hominis pectore recederet.

Cum vero post mortem fratrum suorum, cum quibus aliquo tempore regnavit, ad eum totum regnum hæreditario jure transisset, sublimior omnibus factus est omnium servus, ut posset dicere cum Propheta : *Exaltatus autem humiliatus sum, et non sum confusus* (*Psal.* LXXXVII). Ita se bonis amabilem, impiis terribilem, ecclesiarum ministris pavidum, amicis et sociis jucundum, pauperibus mitem et largum exhibuit, ut videretur omnium hominum moribus ac naturæ congruere, omnibus utilis ac necessarius esse. Et quod nunc raro invenitur in terris, illam maximam regis credidit dignitatem, nullam in ecclesiis Christi habere potestatem. *Illa*, inquit, *regnantis dignitas si se in regno Christi quæ est ecclesia, non regem sed civem cognoscat, si non in sacerdotes legibus dominetur, sed Christi legibus quas promulgaverunt sacerdotes humiliter subjiciatur.* Porro Constantini imperatoris piissimi imitabatur exemplum, qui, cum urbi præfuisset et orbi, ad Christi fidem conversus tantam sacerdotibus reverentiam exhibebat, ut, cum ad eum aliquando episcopi scriptas chartulis querimonias adversus invicem detulissent, convolvens eas in sinu jusserit igne consumi · *Non est meum*, inquiens, *de sacerdotibus judicare*, vocansque episcopos, inquit : *Patres sanctissimi, nolite judicio contendere, præsertim apud nos, de quorum erratibus vestrum est judicare. Sed si quid inter vos ortum fuerit quæstionis, modeste tractetur in ecclesia, ne aliquid quod vestram sanctitatem dedeceat ad eorum qui foris sunt notitiam transferatur. Ego quem piam certe si de ordine vestro cernerem cum muliere peccantem, proprio eos pallio operirem ne qua religioni vestræ impiis detrahendi daretur occasio.* Hujus itaque aliorumque regum sanctorum beatus Aluredus secutus exemplum, ipsius mundi principis adversum se provocavit invidiam. Denique sicut quondam sanctum Job (*cap.* I), ita hunc Satan petiit ad tentandum : *Numquid*, inquiens, *Aluredus frustra colit Deum?* Et Dominus ad eum : *Ecce in manu tua sunt cuncta quæ possidet, tantum ne in eum extendas manum tuam.*

Egressus itaque Satan a facie Domini immisit ei inimicos pessimos, Dacos scilicet et Frisones, a fide Christi alienos ; qui cum multa classe venientes in Angliam, maximam regni portionem rapinis, incendiisque consumunt. Quos cum rex strenuissimus sæpius repulisset, permissi sunt tandem prævalere, totamque in tantum occupare provinciam, ut rex Christianissimus fuga sibi consulens, exutus regno cum paucissimis familiarium suorum in silvis ac paludibus delitesceret, ac suam suorumque vitam piscium captura transigeret. In omnibus his non peccavit Aluredus labiis suis, nec stultum quid contra Deum locutus est. Nec tantum tristabatur quod regnum amiserat, quantum gratulabatur quod vacandi Deo tempus congruum et locum opportunum invenerat. Sed hactenus Christi miles fuerat comprobandus. Quadam igitur die cum sociis in præda piscium occupatis, in tuguriunculo residens meditaretur in lege Dei, hymnisque Davidicis proscriptionis suæ solaretur injuriam, adfuit quidam in habitu peregrino vir venerandi vultus stipem humiliter petens. At rex ut erat vultu hilaris animoque jucundus, utrasque ad cœlum erigens manus : *Gratias*, inquit, *Deo, qui pauperem suum in paupere visitavit, qui, licet dat omnibus affluenter, et non improperat, dignatur tamen et quod dedit exigere, et quod exegerit restituere cum usura.* Sed quid ageret servus Dei? Nihil præter unum panem et in amphora vini modicum habebat; vocat itaque ministrum, et *Heus !* inquit, *o puer, quid faciemus? Christus adest, qui quondam thesauros regios in suis pauperibus visitabat, hujus paniculi nostri poculique parvissimi non dedignatur angustias. Frange itaque, cito frange esurienti panem istum et vinum divide ; totius victus nostri partem mediam Christus accipiat, mihi ac familiolæ meæ pars media reservetur.* Gratias egit regiæ munificentiæ pauper, nullumque paludibus impressum relinquens vestigium, vel discessit vel evanuit.

Inventus in conclavi panis integer, vinique in amphora pristina quantitas regem erigit in stuporem, cum ecce hi qui piscatum ierant redeuntes, tantam piscium multitudinem attulerunt, ut præcedens miraculum sequentis magnitudine augeretur. Sequenti nocte cum psalmis et orationibus ac salubri meditatione vigilias protelasset, in somnum tandem resolutus, videt virum prope assistere, facie splendidissima, nigro capillo, oculis lucentibus, quem pontificalia illustrabant insignia, librum auro gemmisque fulgentem in pectore præferentem. Qui cum ei de diligendo Deum, de servanda justitia, de misericordia in pauperes, de reverentia in sacerdotes monita sacra dedisset, ipse iterum adjecit : *Patientiam tuam, o mi Alurede, Christus ex alto prospiciens, laboribus tuis et ærumnis finem imposuit. Mane itaque facto cum ad proximum navigaveris littus, cornuque proprio ter insonueris, aderunt tibi fortes auxiliarii de amicis tuis optimis, quorum consilio cum reliquum exercitum congregaveris, aggredere hostes, victoria sine dubio illustrandus.* Sic Sanctus.

At rex, palpitantibus oculis, in eum respiciens : *Quisnam es tu*, inquit, *o beatissime, qui exsuli huic tam boni nuntii bajulus advenisti?* Et sanctus : *Cuthbertus*, ait, *vocor Lindisfarnensis quondam episcopus, tui tuæque gentis curam gerens : cui die hesterna in tuæ mentis propositum devotionemque probarem, tuum hospitiolum visitanti panem vinumque, totum scilicet victum tuum, misericorditer divisisti. Scias igitur te tuosque filios, me patrocinante, si tamen ambulaveritis in viis Domini, totius Angliæ monarchiam obtenturos. Memento autem mei cum bene tibi fuerit.* Et, his dictis, lux cum loquente disparuit. Mane autem cum amicorum occursu, reliqui quoque exercitus qui sequebatur adventu,

Digitized by Google

rex nocturnæ promissionis sensisset effectum, post amplexus et oscula et fusas super invicem lacrymas, rex in medio stans tali oratione suum animavit exercitum :

Gratias agò Deo meo, commilitones, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me. Ipse enim percutit et sanat, mortificat et vivificat, pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat, ipse Dominus faciens pacem et creans malum, ipse Dominus faciens omnia hæc; hactenus pro peccatis nostris flagellans flagellavit nos Deus, sed morti non tradidit nos. Respexit iterum in orationem humilium et non sprevit precem eorum. Ecce illo miserante reliquiæ Anglorum salvæ fient. Quis dubitet? Quis nos de tot latibulis evocavit, de tot regionibus congregavit, et inter paganorum frementes copias timore deposito ad hoc colloquium quosdam singillatim, quosdam cum sociis venire coegit? Agnoscite ergo quia hostes nostri conturbati sunt et commoti sunt, tremor apprehendit eos. Non enim in virtute sua aut fortitudine manuum suarum prævaluerunt super nos, sed dextera Dei et virga furoris ejus non tam in nos quam in nostra peccata desæviens, paganorum usus est crudelitate, in purgationem et non in destructionem. Ecce iterum oculi Domini super nos, et aures ejus ad preces nostras. Viriliter proinde agite et confortetur cor vestrum, quoniam secundum multitudinem dolorum nostrorum quos hactenus perpessi sumus, consolationes ejus lætificabunt animas nostras. Cogitate, qui adversum quos, qua ratione, qua insuper necessitate pugnamus. Christiani contra paganos, pii contra impios, contra superbos, contriti corde et humiles spiritu dimicamus. Et qua ratione. Ecclesias certe destruxerunt, altaria suffoderunt, non ætati, non ordini, non denique sexui pepercerunt. Præterea non aliena petimus, sed nostra repetimus. Nostra nobis eripuerunt, nostra possident, nostra luxuriose consumunt, nostra in idolorum suorum sacrificiis expendunt. Certe si necessitatem quæris pugnandi, audi breviter. Ne ulterius gentes Christiano nomini irreverenter insultent, ne Deo vero idola præferant, ne quod nostris peccatis exigentibus de nostris toties victoriam reportarunt, dæmonum quos colunt virtuti ascribant. Postremo ne diripiantur uxores nostræ, ne captiventur filii, ne virgines violentur, ne impii et perversi totam Anglorum nobilitatem ad degenerem transferant servitutem. Quoniam igitur suscepimus de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis nostris jam probati, jam examinati, jam purgati congrediamur secure, cum nobis sit et fides certior et causa justior, quos Christus invitat, quos pietas provocat, quos urget necessitas, quibus Christus adest, quibus favent angeli, quibus sancti præsto sunt, quibus de cœlo oracula divina resultant.

Hæc cum dixisset, nocturnæ visionis cunctis audientibus retexit oraculum. Quo audito, acclamavit populus : *Dominus dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.* Statimque corruptis armis in hostes ruunt. Et mox sicut fluit cera a facie ignis, sic perierunt pagani a facie Dei. Sternuntur, fugantur, dissipantur. Relictoque nominatissimo vexillo suo quod, quia dæmoniaco instinctu corvina effigie deformaverant, Raven vocabant : quotquot manus persequentium evadere potuerunt silvarum quæsiere latibula. Ab illa die deinceps erat Aluredus vir in cunctis prospere agens, quoniam Dominus erat cum illo, et omnia opera ejus dirigebat, donec fugatis hostibus vel subactis requiesceret terra post Dominum et post Aluredum servum ejus. In diebus autem pacis non otio torpuit, aut vanis spectaculis otiosisve discursibus tempus perdidit, sed legere, et scribere, et sacros apices in linguam Anglicam vertere laborabat. Exstant parabolæ ejus plurimum habentes ædificationis, sed et venustatis et jucunditatis. Leges Christianissimas et scripsit et promulgavit, in quibus fides ejus et devotio in Deum, sollicitudo in subditos, misericordia in pauperes, justitia circa omnes cunctis legentibus patet. In restaurandis ecclesiis quas impia manus everterat, in reparandis, ditandis, ornandis monasteriis desudabat. Inter quæ duo nobilissima monasteria, unum monachis in loco qui dicitur Edelingeheie, alterum feminis in civitate quæ Scettebprig dicitur, multis sumptibus condidit, multis possessionibus ditavit, multis donariis adornavit. Permaximam præterea curam gerebat, ne a vicecomitibus et ministris pauperes opprimerentur, et indebitis exactionibus gravarentur. Unde celebre factum est nomen ejus per universum orbem, etiam in magna urbe Roma; quippe qui donaria multa ac largissimas eleemosynas sæpe mittebat apostolorum ecclesiis et ipsi summo pontifici. Summus vero pontifex tantam devotionem gratanter amplectens, piis precibus ejus inclinatus scholam Saxonum ab omni tributo et telonio absolvit. Sed et donaria plurima, insuper et partem ligni Dominici regi transmisit. Audiens etiam famam ejus Jerosolymitanus patriarcha, et ipse regem pretiosis exeniis muneravit. Sane de annuo censu qui ei pendebatur justissima distributione ordinavit, ut pars tertia bellatorum deputaretur stipendiis, pars tertia in mercedem et victum operariis cederet, pars vero tertia regiis muneribus quæ munificentissime advenientibus tam divitibus quam pauperibus largiri consueverat, servaretur. Qualiter autem sui meminerit peregrini, Dunelmensis ecclesiæ libertas et possessio hodieque demonstrat. Rex igitur Aluredus cum regnasset novem et viginti annis et mensibus sex, de regno terreno ad regnum cœleste transcendit : Aedwardum filium suum, regni morumque suorum relinquens hæredem.

De rege Edwardo seniori.

Erat autem in scientia litterarum patre minor, sanctitate vero non multum inferior, sed superior potestate. Multo enim latius quam pater regni sui fines dilatavit, urbes et novas condidit, et diruias renovavit. Impiissimam Dacorum gentem quam

Digitized by Google

pater ejus non expulerat, rebellantem sibi multis contritam præliis vel fugavit penitus, vel misera servitute compressit, et insulæ faciem in antiquæ pulchritudinis speciem reformavit. Adjecit etiam decoris plurimun soror regis Aelfleda, sexu quidem femina, sed animo ac virtute plus viro, quæ exceptis his quas rex ædificaverat urbes construxit, Brunesburch, Bruge, Scorgate, Thamewrthe, Swaford, Edebirath, Werewicum, Ciresbirith, Warebirich, Runconere, Liecestre. Ipsa pugnavit contra Walenses et vicit, et Derebi expugnavit et cepit. Tantaque fortitudine emicuit, ut a pluribus rex diceretur. Igitur rex Edwardus, vir mansuetus et pius, omnibus amabilis et affabilis, adeo omnium in se provocabat affectum, ut Scoti, Cumbri, Walenses, Northumbri, et qui remanserant Daci, eum non tam in dominum et regem quam in patrem cum omni devotione eligerent. Tanta debine modestia regebat subditos, tanta justitia inter proximum et proximum judicabat, ut contra veritatem non dico nihil velle, sed nec posse videretur; unde fertur quibusdam iratus dixisse : *Dico vobis, si possem vicem vobis reddidissem.* Quid non posset rex in subditos, dominus in servos, potens in infirmos, dux in milites? Sed quidquid non dictabat æquitas, quidquid veritati repugnabat, quidquid non permittebat justitia, quidquid regiam mansuetudinem non decebat, sibi credebat impossibile. Ipse novum monasterium Wintoniæ fundavit, et mater ejus sanctissima femina Elswida monasterium virginum in eadem civitate construxit. Vixit autem rex Aedwardus in regno viginti quatuor annis : et genuit filios et filias. Ex nobilissima femina Egwina filium suum primogenitum Adelstanum. Ex regina Aedgiva, Aedwinum, Edmundum, Edredum, et quatuor filias; quarum prima Edburga in Dei sponsam eligitur et consecratur. Altera ab Ottone Romanorum imperatore in matrimonium sumitur. Tertia ad Carolum regem Francorum ab eo ducenda destinatur. Quartam rex Northanhymbrorum in matrimonium sortitur.

Ferunt quidam regem aliquando inter missarum solemnia factum in excessum mentis contra morem suum risisse. Mirantibus qui aderant, et tempore opportuno causam sciscitantibus, ait rex : « Convenit Dacis et Northgensibus prædatum venire in Angliam. Congregata in portu magna navium multitudine, illatis quoque armis comportatisque cibariis navigaturis necessaria parabantur. Et jam navigandi tempus advenerat, jam ventis vela, velis naves fuerant committendæ, cum ecce unusquispiam de domo vicina portui cum calice pleno meda egrediens, proceres invitat ad potum. Rident illi, instat ille. Tandem probrosum eis nomen si non vel semel biberent imprecatus, cunctos pellexit a navi. Dumque calix succederet calici, assiduitateque bibendi succenderetur aviditas, ebrietas in loquacitatem, loquacitas prorupit in litem, lis Dacos provocat et armat in pugnam. Fit tumultus inter convivas ; dum cæca quadam amentia quisque in socium irruit, nesciens cui parceret, et quem feriret ignorans. Inter mutuas igitur cædes dum alii sternerentur, alii vulnerarentur, quidam fuga vitam reservant, quidam ascensis navibus maria secant, sicque dispersi omnes, ab intentione propositoque deficiunt. Hæc risus mei causa, quoniam risum fecit mihi Dominus, et quicunque audiet corridebit mihi. Spero autem in Deo meo, quoniam temporibus meis Angliam alienigenæ non gravabunt. » Cerne, quæso, regiam mentem quanta lux divinitus illustraverit; longe posita sensit, præsentia neglexit, et futura prospexit.

De rege Edelstano.

Dormivit autem cum patribus suis rex Edwardus, et regnavit Edelstanus filius ejus pro eo; ambulavitque in viis patrum suorum, non declinavit ad dextram neque ad sinistram; eamdem in Deo fidem, in subditos gratiam, circa ecclesias devotionem, circa pauperes misericordiam, circa Dei sacerdotes retinens reverentiam. Contra hunc reliquiæ Dacorum more suo nefandum erigunt caput, sed contriti sunt sub pedibus ejus et redacti in pulverem. Rebellaverunt ei Northymbri et Scoti, et fœdus quod cum eo pepigerant prævaricati sunt. Rex vero cum maximum congregasset exercitum, terra marique impios expugnaturus progreditur. Cum autem venisset in provinciam Lindisse, obviam habuit pauperum et mediocrium turbam non modicam. Sciscitanti unde venissent, respondent de Beverlaco, ubi ad visitandas beati Joannis reliquias spe obtinendæ salutis advenerant. Quæsivit rex, si quem voti sui obtinuissent effectum : et unus illorum : *Ego*, inquit, *cæcus natus ad sanctissimi viri corpus lumen recepi.* Et alter : *Ego claudus ex utero matris sancti Joannis orationibus, ut ipse vides, sanus incedo.* Audiens autem hæc et his similia rex Christianissimus : *Magnus est*, inquit, *iste Joannes, et utile credo in hoc magno negotio tanti viri nobis conciliare gratiam et auxilium implorare. Quoniam igitur fas non est talem nos regni nostri invisitatum præterire patronum, præcedat exercitus noster via regia, ego cum paucis sepulcrum ejus de quo tanta audio, ejus misericordiam invocaturus adire curabo.* Veniens deinde ad sancti tumulum rex illustrissimus, post excubias more patrio celebratas, post orationes corde supplici fusas, cum pavimentum devotissimis lacrymis perfudisset, protractum e vagina cultellum sacris imposuit altaribus : *Ecce*, inquiens, *beatissime Joannes, sponsionis meæ vadimonium, ut, cum auxilio tuo subactis hostibus cum prosperitate rediero, digno illud pretio redimam, et quoad vixero, tibi gratus et devotus existam.* Revertitur deinde ad exercitum suum rex, et mox hostium fines potenter invadit. Et jam tempus advenerat præliandi, cum præcedenti nocte rex oppressus somno, sanctum Joannem sibi aspicit assistentem, et ut secure congrederetur hortantem : *Devotionem*, inquiens, *tuam*

Digitized by Google

quam circa sepulcrum meum exhibuisti, gratanter amplectens, oravi pro te Deum meum, et exaudivit vocem meam. Observa igitur, et audi vocem meam; ut ambules in viis patrum tuorum, et inimicus ero inimicis tuis, et affligentes te affligam, et custodiet te gratia Dei. Hæc dicens, disparuit. Mane autem facto, rex in hostes irruit, potitusque victoria regem Scotiæ ad deditionem coegit. Cumque situm terræ illius non parvo tempore explorasset, accepto obside regis filio, reversus est Eboracum. Inde tendens Beverlacum, cultellum suum multarum possessionum maximæque libertatis largitione redemit. Cum autem vixisset postea sexdecim annis regnando mortuus est; et regnavit Edmundus frater ejus pro eo.

De nobili rege Edmundo.

Erat autem patris Edwardi in omnibus imitator; homo *simplex et rectus, et timens Deum* (*Job* 1), et usque ad finem vitæ suæ permanens in innocentia sua. Promotus vero in regnum zelo zelatus est pro fide Christi, nimisque ægre ferens paganorum reliquias cultura idolorum regni sui fœdare decorem, quinque nobilissimas civitates, Lincolniam, Leicestriam, Stanfordiam, Snotingaham, Derebt, quas eatenus incoluerant, de manibus eorum extorsit, omnique infidelitate abrasa Christianæ fidei lumine illustravit. Purgato autem ab alienigenis regno, et sibi in omni parte subjecto, monasteriorum et ecclesiarum maxime curam habuit, consilio sanctissimi Dunstani, et statuenda statuit, et corrigenda correxit. Hic Clastingberi beato Dunstano ut in monachorum habitationem fundaretur commisit, et multa alia bona, sancto Dunstano cooperante, disposuit. Cum igitur Anglia sub tanto patre magis quam rege pace magna et gloria floreret, immatura ejus morte, quam exactis in regno quinque annis et septem mensibus nefanda proditione incurrit, subito dolore et timore emarcuit.

De Edredo rege.

Successit ei in regnum frater suus Edredus, et ambulavit in viis fratris sui; beati Dunstani consiliis in omnibus obediens, et justissimis legibus subditos regens. Erat enim tantæ probitatis, ut rebellantes sibi Northymbros et Scotos facile vicerit, et in pristinam subjectionem sine magno labore redegerit. Hujus laudabilem vitam mors pretiosa conclusit. Cum enim ad regem ægrotantem beatus Dunstanus vocaretur, in ipso itinere audivit vocem angelorum in cœlo dicentium: *Rex Edredus nunc obdormivit in Domino.*

De Edwino rege.

Post quem suscepit regnum Anglorum Edwinus filius Edmundi regis, nec ambulavit in viis patrum suorum, sed in sancta illa progenie novus quidam Herodes emersit, qui cujusdam Herodiadis mulieris, videlicet impiissimæ contra Deum, contra leges, contra ipsius jura naturæ adulterinis abutebatur amplexibus, et consilia nequissima sequebatur. Nec defuit spiritus Joannis qui in sancto viro Dunstano et regem argueret adulterantem, et adulteram dignis invectionibus verberaret. Quæ Jezabelitico spiritu incitata nostri Eliæ moliebatur interitum, fuissetque voti sui compos si non sanctus præmunitus a Spiritu exsilium patriæ prætulisset. Rex vero cum hujus nequissimæ deceptus consiliis, nec juste, nec prudenter regnasset, maxima regni sui parte exuitur, quæ mox ad fratrem ejus Edgarum transfertur. Tandem compunctus renuntiavit adulteræ, et consiliis sanioribus utebatur. Recordatus enim est Dominus patrum suorum regum, scilicet Christianissimorum, et ne quis de sacra illa stirpe periret, occasionem qua salvaretur invenit. Cum enim defunctus ab immundis spiritibus traheretur ad pœnam, quidam dæmonum mortem ejus quasi de infelicitate persecutoris sui gavisuro sancto nuntiat Dunestano. Qui mox resolutus in lacrymas tam diu ante misericordem Jesum pro eo supplicans, et plorans procubuit, donec a dæmonibus liberatus veniam quam sanctus petiit obtineret.

De Edgaro rege pacifico.

Defuncto igitur rege Edwino, frater ejus Edgarus successit. Erat enim filius Edmundi nobilissimi regis, qui fuit Edwardi senioris Christianissimi principis, qui fuit Elfredi victoriosissimi ducis. Iste Edgarus cunctis prædecessoribus suis felicior, nulli sanctitate inferior, omnibus morum suavitate præstantior, quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis luxit. Iste Anglis non minus memorabilis quam Cyrus Persis, Carolus Francis, Romulusve Romanis. Hic enim regnum Anglorum cœlesti quadam pace composuit, et multarum linguarum gentes, unius fœdere legis conjunxit, unde ei cum Salomone commune vocabulum fuit, ut *Pacificus* quod Salomon interpretatur communi omnium voce diceretur. Nec mirum. Ipso enim nativitatis suæ tempore angelos concinentes beatus Dunestanus audivit: *Pax Anglorum ecclesiæ hujus pueri qui nunc natus est tempore.* Sicut igitur aurora transactæ noctis tenebras radiis suæ claritatis depellit, ita hujus sanctissimi regis promotione per omnem Angliam nox infidelitatis expellitur, irarum et discordiarum tenebræ propelluntur. Tanta enim in verbis, in vultu, in moribus, interioris suavitatis indicia præferebat, ut, Deo cooperante, tota ei insula sine sanguine manus daret, et ad subdendum se ei Scotia, Cumbria, Wallia libens accurreret. Eo namque regnante sol videbatur esse serenior, maris unda pacatior, terra fecundior, et totius regni facies abundantiori decore venustior. In diebus illius non tormenta, non cruces, non exsilium, nec proscriptio, quantum boni principis vel levis timebatur offensa. Omnibus igitur per Angliam in eumdem dilectionis spiritum concurrentibus, rex in ecclesiis construendis et ornandis, in monasteriis fundandis et ditandis, curam et operam impendebat. Denique per regnum Anglorum quadraginta con-

Digitized by Google

strui fecit monasteria, et alia monachis, et alia virginibus deputavit. Clastingebiri quod pater ejus fundaverat ipse perfecit. Abbendune, Burch, Lornei, Rameseie, et Wiltune monasterium virginum magno studio condidit, multa diligentia illustravit. Hieme et vere infra regnum suum usquequaque per singulas provincias transire solebat, judicia, mores, actus ministrorum et principum diligentius explorare, quomodo legum jura et suorum statuta decretorum servarentur subtilius investigare, ne pauperes a potentibus præjudicium passi opprimerentur, sollicite præcavere. Præparaverat naves robustissimas, numero tria millia sexcentas; quibus redeunte æstate omnem insulam ad terrorem extraneorum, et ad suorum exercitationem cum maximo apparatu circumnavigare provincias consueverat. Inter hæc semper cum episcopis virisque doctissimis, de lege Dei et sacris litteris conferebat, et quod ipse discere poterat, subditos docere non solum verbo sed etiam exemplo satagebat. Cumque diligenter episcoporum, clericorum, monachorum, vitam et mores investigatione prudentissima didicisset, vocatis ad se ecclesiarum et monasteriorum patribus, cum eis hujusmodi sermonem habuit.

Sermo regis Edgari ad clerum.

*Quoniam magnificavit Dominus facere misericordiam suam nobiscum, dignum est, Patres reverentissimi, ut innumeris beneficiis illius dignis respondeamus operibus. Neque enim in gladio nostro possidemus terram, et brachium nostrum non salvavit nos, sed dextra ejus et brachium sanctum ejus, quoniam complacuit illi in nobis. Justum proinde est ut, quia omnia subjecit sub pedibus nostris, subjiciamus illi et nos animas nostras; et ut hi quos nobis subdidit, ejus subdantur legibus non segniter elaboremus. Et mea quidem interest laicos cum æquitatis jure tractare, inter virum et proximum suum justum judicium facere; punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus eum. Sed et meæ sollicitudinis est, ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, choris virginum, et necessaria procurare, et paci eorum et quieti consulere. De quorum omnium moribus ad vos spectat examen; si vivunt continenter, si honeste se habent ad eos qui foris sunt, si in divinis officiis solliciti, si ad docendos populos assidui, si victu sobrii, si habitu moderati, si in judiciis sunt discreti. Pace vestra loquor, reverendi Patres, si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda et abominanda ad aures nostras de clericis pervenissent. Taceo quod nec illis est corona patens, nec tonsura conveniens, quod in veste lascivia, in gestu insolentia, in verbis turpitudo, interioris hominis loquuntur insaniam. Præterea in divinis officiis quanta sit negligentia, cum sacris vigiliis vix interesse dignentur, cum ad sacra missarum solemnia ad ludendum magis quam psallendum congregari videantur. Dicam, dicam, quod boni lugent, mali rident; dicam dolens, si tamen dici potest, quomodo diffluant in comessationibus et ebrietatibus, in cubilibus et impudicitiis, ut jam domus clericorum putentur prostibula meretricum, et conciliabulum histrionum. Ibi aleæ, ibi saltus et cantus, ibi usque ad medium noctis spatium protractæ cum clamore et horrore vigiliæ. Sic, sic patrimonia regum, eleemosynæ pauperum, imo quod magis est! illius pretiosi sanguinis pretium profligatur. Ad hoc igitur exhauserunt patres nostri thesauros suos; ad hoc fiscus regius detractis redditibus multis detumuit; ad hoc ecclesiis Christi agros et possessiones regalis munificentia contulit, ut deliciis clericorum meretrices ornentur, luxuriosa convivia præparentur, canes et aves ac talia ludicra comparentur? Hæc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant et saltant; et vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis? Ubi gladius Levi et zelus Simeonis qui ut scorto abutentes filia Jacob Sichimitas, eorum habentes figuram qui Christi Ecclesiam pollutis actibus fœdant, etiam circumcisos succiderunt? Ubi spiritus Moysi qui caput vituli adorantibus etiam domesticis sui sanguinis non pepercit? Ubi pugio Phinees sacerdotis qui fornicantem cum Madianita confodiens, sancta hac æmulatione Deum placavit iratum? Ubi spiritus Petri cujus virtute perimitur avaritia, hæresis Simoniaca condemnatur? Æmulamini, o sacerdotes, æmulamini vias Domini et justitias Dei nostri. Tempus faciendi contra eos qui dissipaverunt legem Dei. Ego Constantini, vos Petri gladium habetis in manibus. Jungamus dexteras, gladium gladio copulemus, ut ejiciantur extra castra leprosi, ut purgetur sanctuarium Domini, et ministrent in templo filii Levi, qui dixit patri et matri: « Nescio vos; et fratribus suis: Ignoro vos (Deut. XXXIII). » Agite, quæso, sollicite ne pæniteat nos fecisse quod fecimus, dedisse quod dedimus, si viderimus illud non in Dei obsequium, sed in pessimorum luxuriam impunita libertate consumi. Moveant vos sanctorum reliquiæ, quibus insultant: veneranda altaria, ante quæ insaniunt. Moveat vos antecessorum nostrorum mira devotio, quorum eleemosynis vesania clericorum abutitur. Proavus meus, ut scitis, totam terram suam ecclesiis et monasteriis decimavit. Sanctæ memoriæ atavus meus Aluredus ut ecclesiam ditaret, non thesauris suis, non patrimonio, non sumptibus, non redditibus parcendum putavit. Avus meus Edwardus senior quanta contulerit ecclesiis vestram paternitatem non latet. Pater meus et frater ejus quibus donariis Christi altaria cumulaverunt meminisse vos decet. O Pater patrum Dunestane! contemplare, quæso, patris mei oculos ab illa lucida cœli plaga in te radiantes; audi querulas ejus voces cum quadam pietate in tuis auribus resonantes. Tu mihi, pater Dunestane, tu mihi de construendis monasteriis, de ecclesiis ædificandis consilium salubre dedisti, tu mihi adjutor in omnibus et cooperator exstitisti: te quasi pastorem et episcopum animæ meæ, morumque meorum custodem elegi. Quando tibi non parui? Quos unquam thesauros tuis

Digitized by Google

consiliis prætuli ? Quas possessiones te præcipiente non sprevi ? Si quid pauperibus dandum existimabas, præsto fuit. Si quid conferendum ecclesiis judicabas, non distuli. Si quid monachis clericisve deesse quærebaris, supplevi. Æternam dicebas esse eleemosynam, nec aliam fructuosiorem quam quæ monasteriis ecclesiisve confertur, qua et Dei servi sustentantur, et quod superest pauperibus erogatur. O præclara eleemosyna ! o dignum pretium animæ ! O peccatis nostris salubre remedium, quod a sinu Sibillæ in peregrini muris pellicula fetet, quod aures ejus ornat, quod componit digitulos, quod corpus dedicatum in bysso stringit et purpura. Hiccine est eleemosynarum mearum fructus ? Hiccine est desiderii mei tuæque promissionis effectus ? Quid huic patris mei querimoniæ respondebis ? Scio, scio. Cum videbas furem, non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguisti, obsecrasti, increpasti. Contempta sunt verba : veniendum est ad verbera. Habes hic tecum venerabilem patrem Edelwaldum Wintoniensem episcopum, habes reverentissimum præsidem Vigorniensem Oswaldum : vobis istud committo negotium, ut episcopali censura et auctoritate regia turpiter viventes de ecclesiis ejiciantur, et ordinate viventes introducantur.

Scientes igitur beati præsides manum regis bonam secum, ab ecclesia Wintoniensi, Wigorniensi pluribusque aliis inhoneste viventes expulerunt, introducentes viros religiosos, qui novo quodam splendore universam insulam illustrarunt. O vere tunc beata Anglorum ecclesia, quam innumerabilium monachorum et virginum adornabat integritas, quam devotio plebium, moderatio militum, æquitas judicum, terræ fecunditas lætificabat ! Exsultabat rex beatissimus suis temporibus ordinem suum rerum omnium invenisse naturam, cum homines Deo, terra homini, cœlum terræ, justitia, fructu, aerum temperie debitum præstaret officium. Et ut noverimus quanta eum Deus, etiam in hac vita, bonorum operum mercede donaverit, cum aliquando ad maximam ejus festivitatem reges, comites multarumque provinciarum proceres convenissent, quadam die naves jussit parari, gratum habens ecclesiam Beati Joannis Baptistæ orationis obtentu navigio petere. Cum igitur comitibus et satrapis naves plurimas delegasset, ipse cum octo regibus sibi subditis navem unam intravit ; ad octo autem remos regibus totidem collatis, ipse in puppe sedens gubernatoris officio fungebatur. Dici sane non potest cum quanta gloria, cum quibus divitiis celebrata est illa festivitas, cum viderentur ipsa elementa ejus nutui deservire, quem creatoris sui cernebant cum maxima devotione imperiis obedire ; sed heu ! nihil in terrenis æternum, nihil in caducis stabile, nihil in mortalibus immortale. Translato enim ad cœlestia regna rege Aedgaro, in regno terreno filius ejus Edwardus successit, qui injuste ab impiis interfectus, tum ob vitæ sanctitatem, tum ob mortis acerbitatem sancti nomen et meritum Deo donante promeruit.

De rege Ethelredo.

Cui frater ejus Edelredus, filius scilicet Edgari et reginæ, in regnum successit, et a sancto Dunestano aliisque Anglorum episcopis inungitur et consecratur. Qui a beato Dunestano tale fertur accepisse oraculum : *Quoniam Angli in sanguinem fratris sui regis sanctissimi conspiraverunt, non deficiet ab eis sanguis et gladius, donec superveniens populus ignotæ linguæ eos in exterminium et in ultimam redigat servitutem. Novissime tamen visitabit eos Dominus.* Regnante igitur rege prædicto, Daci supervenientes magnam terræ partem igne ferroque vastaverunt. Tunc rex missis in Normanniam nuntiis Emmam filiam Richardi ducis sibi in uxorem dari et petiit, et accepit, cum jam de filia Torethi nobilissimi comitis filium suscepisset Edmundum. Ex Emma deinde duos habuit filios, Edwardum et Alfredum, de quibus postea dicemus. Tunc rex fortior solito, omnes per Angliam Dacos una die eademque hora missis epistolis jussit interfici. Quod Daci transmarini audientes in furorem versi, duce Suano cum innumerabili exercitu Angliam intrantes, diffusi sunt per provincias et dispersi, non ordini, non sexui, non ætati parcentes, nec ab ecclesiarum vel monasteriorum sacris et sanctuariis manus sacrilegas continentes. Quibus cum rex strenuissimus sæpius restitisset, proditione tandem suorum factus inferior, reginam cum pueruli suis Normanniam misit, quos ipse postmodum exutus regno secutus est. Sed Suanus Dacus vel subita morte præventus, vel a sancto Edmundo invisibili pœna percussus, cum apud inferos crudelitatis suæ stipendia recepisset, revocatus ab Anglis Edelredus regni infulis sublimatur, et iterum contra Dacos virtute potens erigitur. Contra quem Cuuth filius Suani rex Dacorum paternum odium exercere non desiit. Edelredus autem eum laboriosissime sed strenuissime regnasset triginta et septem annis, Lundoniis obiit, Edmundum filium suum laboris et regni relinquens hæredem.

De rege Edmundo, cognomento Ferreo latere.

De cujus mirabili fortitudine quidquid dicerem minus esset ; unde ob invincibile robur corporis Prensyde, id est Ferrei lateris, nomen accepit. Sagitta ejus nunquam abiit retrorsum, et gladius ejus non est reversus inanis. Contra hostes leoninæ feritatis, erga suos columbinæ simplicitatis ; quo nemo fortior, sed quo nemo suavior ; quo nullus audacior, sed quo nemo cautior ; quo in adversis nemo securior, sed quo in prosperis nemo temperantior. Porro Dani, et qui a rege defecerant Angli, Cnuthum sibi in regem elegerunt, sed strenuissimus rex Edmundus cum exercitu suo sicut leo rugiens terram circuiens, regiones plurimas quas occupaverat Cnuth in deditionem nullo obsistente recepit ; verum quoties cum eo pugnaverit, quoties

Digitized by Google

ejus fugaverit exercitum, quoties vocatam a partibus transmarinis validam manum cum paucis, imo pene solus prostravesit, quoties denique nefandam gentem exterminasset, et in nihil redegisset, nisi quidam patriæ proditores obstitissent, nimium est huic operi inserere; cum non dico meus, sed et Virgilianus, vel etiam Homericus sub tanta materia sensus deficeret. Sæpissime enim convenientibus cum magno exercitu utrisque regibus in pugnam, vel Edmundus semper vicit vel nullus. Nonnunquam quippe a mane usque ad vesperam Marcio campo certantes, cum Cnuth multitudine, viribus præstaret Edmundus, irruentibus tenebris cæcis utrinque innumerabilibus sine victoria recedebant, ad similem ludum eumdemque exitum die crastina reversuri. Pertæsus tandem uterque exercitus, cum viderentur quotidie vires Edmundo, numerus ex partibus transmarinis accrescere Cnutho, quiet hoc ipsum sibi timens astute machinabatur, utriusque proceres ad colloquium cogunt. Inter quos cum quidam cæteris major natu surrexisset, dari sibi silentium postulavit.

Cupio, inquiens, *o viri cordati, his periculis nostris præbere consultum; qui quidem vobis sapientia minor sum, sed ut hæ rugæ et hi cani testantur, ætate superior; et forte quod ingenium non habuit, usus docuit; et quod negavit scientia, contulit experientia. Multa certe vidimus et cognovimus, multa insuper patres nostri narraverunt nobis, et non immerito exigimus audientiam, ut de certis et apertis non dubiam proferamus sententiam. Periculosa res agitur; mala patimur, pejora cernimus, pessima formidamus. Quotidie pugnamus nec vincimus, sed nec vincimur, imo vincimur et nemo vincit. Quomodo enim non vincimur, qui vulnerati, qui oppressi, qui fatigati, qui viribus destituti, qui armis spoliati; nec fugimus cum non sit qui impetat, nec impetimus cum utrinque virtus deficiat? Usquequo finis horum mirabilium? quando ab hoc labore requies, ab hac tempestate tranquillitas, ab hoc timore securitas? Invincibilis est certe Edmundus ob mirabilem ejus fortitudinem. Invincibilis et Cnuth propter fortunæ favorem. Nos conterimur, nos jugulamur, nos dissipamur, nos amittimus pignora dulcia, nos suaves necessitudines morti exponimus. At hujus laboris quis fructus, quis finis, quod pretium, quod emolumentum; quod, quæso, nisi ut cæsis utrinque militibus duces compulsi necessitate componant, vel certe soli sine milite pugnent? Quare non modo? Certe dum vivimus, dum spiramus, dum superest exercitus, id ageretur utilius, honestius, securius. Rogo quæ est ista insolentia, imo violentia, imo insania? Anglia quondam multis subjecta regibus, et gloria floruit, et divitiis abundavit. O ambitio! quam cæca semper, quæ totum cupiens totum amittit! Quare, rogo, non duobus sufficit quod quinque olim regibus satis fuit? Quod si eis tanta inest dominandi libido, ut Edmundus parem, Cnuth dedigneter superiorem; pugnent, quæso, soli qui soli cupiunt dominari, certent pro corona soli qui soli cupiunt insigniri. Ineant ipsi duces duelli discrimen, ut vel sic alter vincatur, ne si sæpius pugnent exercitus, omnibus interfectis non sint quibus imperent milites, non sint qui adversum extraneos regnum defendant.*

Parante illo adhuc plura proferre, in mediis, ut ita dicam, faucibus totus ei populus verbum obcludit, vociferans et dicens: *Aut pugnent ipsi aut componant.* Delatam ad ipsos sententiam procerum reges probant. Convenientibus itaque utrisque cum exercitu suo super ripam Sabrinæ fluminis, Edmundus cum suis in occidentali, Cnuth cum suis in orientali ripa consedit. Est autem insula in ipsius fluminis medio sita quæ Holenghege appellatur, ad quam reges transvecti splendidissimis protecti armis utroque spectante populo ineunt singulare certamen. At ubi hastarum robur tam virtute impingentium quam fortissimorum objectu clypeorum deperiit, extractis gladiis, sese cominus impetunt. Pugnatum est acriter dum Edmundum virtus, Cnuth fortuna juvaret; circa galeata capita gladii tinniunt, collisione metallorum scintillæ prorumpunt; ubi vero robustissimum illud pectus Edmundi ex ipso ut assolet bellandi motu ira incanduit, sanguine incalescente fit robustior, dexteram elevat, vibrat ensem, ac tanta vehementia in caput obstantis ictus iterat, ut spectantibus non tam percutere quam fulminare videretur. Ad singulos enim ictus inter ensem et galeam ignis erumpens, non modo apparere sed insuper accendere videbatur. Sentiens autem Cnuth breviori halitu sibi vires deficere, cogitat de pace juvenem convenire; sed ut erat astutus, timens ne si defectus suus innotesceret juveni, pacis verbum nec audiret quidem; totum intra se colligens spiritum, et quidquid habuit virium omni conatu intendens, virtute mirabili uno impetu irruit in Edmundum, et mox se paululum retrahens rogat juvenem subsistere modicum, et sibi dicere volenti præstare auditum.

Ille ut erat suavis animi, demissa ad terram scuti parte inferiori, leniter in superiori procubuit, ac supinato in dextera gladio ad verba loquentis attendit. Tunc Cnuth: *Hactenus*, inquit, *regni tui cupidus, nunc, virorum fortissime, tui certe ipsius cupidior sum, quem non dico regno Anglorum, sed universo utique orbi video præferendum. Mihi Dacia cessit, mihi succubuit Norwegia, mihi rex Suavorum manus dedit, et mei conatus impetum quem nullum mortalium sustinere posse credebam, tua mirabilis virtus jam plus semel elusit. Quocirca, licet me ubique victorem futurum fortuna promiserit, ita tamen me tua mirabilis probitas illexit ad gratiam, ut supra modum te et amicum cupiam et regni consortem exoptem; utinam et tu mei cupidus sis, ut ego tecum in Anglia, tu mecum in Dacia regnes! Certe si fortunæ meæ tua virtus accesserit, pavebit Norwegia, tremebit Suavia, ipsa assueta bellis Gallia trepidabit.* Quid plura? Annuit Edmundus et Cnuth de regni divisione consentit. Cessit enim verbis qui non cesse-

Digitized by Google

rat gladiis, et oratione flectitur qui armis flecti non poterat. Depositis itaque armis, in oscula ruunt, utroque exercitu exsultante, clero etiam *Te Deum laudamus* clara voce personante. Deinde in signum fœderis vestem mutant et arma, reversique ad suos modum amicitiæ pacisque præscribunt, et sic cum gaudio ad sua quisque revertitur. His ita gestis, quidam proditor partis Danicæ volens se gratum Cnutho præstare, regi Edmundo molitur insidias. Nec opportunum quo regem occideret locum inveniens, nefandissimum ac turpissimum insidiarum excogitat genus. Sub purgatoria namque domo sese occultans, regem ad requisita naturæ nudatum inter celanda percussit, relictoque ferro scelestissimus ac turpissimus homicida confugit. Stansque ante regem Cnuthum : *Salve*, inquit, *rex solus.* Sciscitanti cur eum tali salutatione salutasset, rem intulit. Cui rex : *Quoniam*, inquit, *me tali obsequio gratificandum putasti, sustollam caput tuum super omnes proceres Angliæ.* Jussitque abscidi caput ejus et in sublimiori porta Lundoniæ suspendi. Mortuus est itaque strenuissimus rex Edmundus et in Clastingebiri cum avo suo Edgaro sepelitur. Volens deinde Cnuth tam fratres Edmundi qui in Normannia exsulabant quam filios ejus pueruios Edmundum et Edwardum spe regni penitus privare, jubet adesse summos regni proceres quæritque ab eis quæ fuerit inter ipsum et Edmundum in regni divisione conventio, quem scilicet sibi designaverit rex Edmundus hæredem, quem filiis adhuc infantibus custodem deputaverit, quid de fratribus suis Aluredo et Edwardo præceperit. At illi ut regi placerent mendacium præferunt veritati, oblitique justitiæ oblitique naturæ insurrexerunt in innocentes testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi. Itaque proprii sanguinis proditores dicunt regem Edmundum sibi potius curam regni filiorumque suorum delegasse, cum ipse fratres suos hæredes designaverit et eis puerulorum custodiam deputaverit. Quoniam igitur adulantes regi mentiti sunt in caput suum, gladius eorum intravit in corda eorum, et a Cnutho quem alienigenam naturalibus dominis prætulerunt, confractus est arcus eorum. Cum enim monarchiam insulæ faventibus illis obtinuisset, omnes qui primi in illo fuere consilio exterminavit, et quotquot de regio semine superstites reperit, vel regno pepulit vel occidit. At puerulos filios Edmundi ferire metuens præ pudore, ad regem Suavorum eos interficiendos transmisit. Rex vero Suavorum nobilium puerorum miseratus ærumnam, ad Hungariorum regem eos destinat nutriendos. Quos ipse benigne accepit, benignius fovit, benignissime sibi in filios adoptavit. Porro Edmundo filiam suam dedit uxorem ; Edwardo filiam germani sui Henrici imperatoris in matrimonium junxit. Sed paulo post Edmundus de temporalibus ad æterna transfertur : Edwardus sospitate et prosperitate fruitur.

De sancto Edwardo rege confessore ac virgine.

Interea mortuo Cnuth et filiis ejus qui regnaverunt post eum, accersitur ad regnum Anglorum Edwardus frater Edmundi, filius Edelredi qui, sicut diximus, in Normannia exsulabat. Nam frater ejus Alfredus proditione, ut putatur, Godwini in Anglia crudeli morte perierat. Veniens igitur in Angliam Edwardus ab universo clero et populo cum maxima exsultatione suscipitur, et Wintoniæ die sancto Paschæ ab archiepiscopis Cantuariensi et Eboracensi cunctisque fere regni episcopis in regem ungitur et consecratur, et ambulavit viis patri sui Edgari, homo mansuetus et pius, magis pace quam armis regnum protegens, habebat animum iræ victorem, avaritiæ contemptorem, superbiæ expertem. Qui cum pacem tam a suis quam ab extraneis obtinuisset, et vicinis regibus et principibus gratus et amabilis exstitisset, dirigit nuntios ad Romanum imperatorem, rogans, ut nepotem suum scilicet, filium fratris sui Edmundi ferrei lateris, debiti sibi regni futurum hæredem mittere dignaretur. Imperator autem regis nuntios gratanter excipiens, non parvo tempore summo cum honore detinuit. Tandem paratis navibus et omnibus quæ navigaturis necessaria videbantur allatis, Edwardum eum uxore sua Agatha germani sui filia liberisque ejus, Edgaro Edeling, Margareta atque Christina, cum magna gloria ac divitiis sicut rex petierat ad Angliam mittit. Qui prospero cursu in Angliam veniens, tam regem quam populum suo lætificabat adventu. Sed post paucos dies vita discedens, gaudium in luctum, risum mutavit in lacrymas. Nec multo post ipse rex cum nobile monasterium quod in occidentali parte Lundoniæ in honore beati Petri fundaverat cum maxima gloria dedicari fecisset, exactis in regno viginti tribus annis et mensibus sex et viginti septem diebus, in vigilia Epiphaniæ felici morte vitam laudabilem terminavit, totamque insulam lacrymis ac dolore replevit. Quo in prædicto monasterio ut tantum virum decebat tumulato, quidam Edgarum Edeling cui regnum jure hæreditario debebatur, regem constituere moliuntur. Sed quia puer tanto honore minus idoneus videbatur, Haraldus comes de genere proditorum, cujus erat et mens astutior et crumena fecundior et miles copiosior, sinistro omine regnum obtinuit.

Quomodo rex Willielmus successit Haraldo.

Audiens namque Willielmus dux Normannorum nullum de regio semine, sed Haraldum consobrini sui regis Edwardi regnum invasisse, quod ei et jure consanguinitatis et antiquæ inter ipsum et Edwardum conventionis, sed et ipsius Haraldi cum sacramento sponsionis justius debebatur, contracto a partibus transmarinis innumerabili exercitu in Angliam venit, et Dei judicio ipsum Haraldum regno simul et vita privavit. Cernens autem Edgarus Edeling res Anglorum undique perturbari, ascensa navi cum matre et sororibus reverti in patriam qua natus fuerat conabatur, sed orta in mari tempestate

Digitized by Google

in Scotia applicare compellitur. Hac occasione actum est ut Margareta regis Malcolmi nuptiis traderetur, cujus laudabilem vitam et mortem pretiosam liber inde editus satis insinuat; soror ejus Christiana in Christi sponsam benedicitur. Cujus sane cordis fuerit rex iste Malcolmus, unum ejus opus quod nobili rege David referente cognovi, legentibus declarabit. Delatum est ei aliquando quemdam de suis proceribus summis de eo occidendo cum suis hostibus convenisse : imperat rex delatori silentium, siluit et ipse, proditoris qui foris hinc abierat exspectans adventum. Qui cum [illegible] cum magno apparatu regi insidiaturus [illegible], jubet summo mane rex omnes venatores adesse cum canibus. Et jam aurora noctem abegerat, cum rex vocatis ad se cunctis proceribus et militibus, venatum ire festinat, venitque ad latam quamdam planitiem quam in modum coronæ densissima silva cingebat. In cujus medio colliculus quidam quasi turgescere videbatur, qui diversorum colorum floribus pulchra quadam varietate depictus, fatigatis venatu militibus gratum singulis diebus præbebat accubitum. In quo rex cum cæteris superior constitisset, secundum legem venandi quam vulgus tristam vocat, singulis proceribus cum suis canibus singula loca delegat, ut obsessa undique bestia ubicunque eligeret exitum, inveniret exitium. Ipse vero suum secum retinens proditorem secessum ab aliis solus cum solo abcessit. Ab omnium vero remotus aspectu, substitit rex, et aspiciens in eum : *Ecce*, inquit, *ego et tu mecum solus cum solo, similibus protecti armis, equis vecti similibus. Non est qui videat, non est qui audiat, non est qui alteri nostrum suffragium ferat; si igitur vales, si audes, si cor habes, imple quod proposuisti, redde hostibus meis quod promisisti; si me occidendum putas, quando melius, quando securius, quando liberius, quando tandem virilius? An venenum parasti? sed muliercularum hoc est, quis nesciat? An insidiaris lectulo? hoc possunt et adulteræ. An ferrum ut occulte ferias occultasti? hoc sicariorum, non militis est, nemo est qui dubitet. Age potius quod militis, age quod viri, et solus cum solo congredere, ut saltem proditio tua turpitudine careat quæ infidelitate carere non poterat.* Hactenus vix ille sustinuit, et mox verbis ejus quasi gravi percussus fulmine de equo corruit, projectisque armis ad pedes regios cum lacrymis ac tremore cucurrit. Cui rex : *Noli*, inquit, *timere, nihil a me patieris mali.* Qui cum ei de cætero fidelem se et amicum præstito sacramento nominatisque obsidibus promisisset, tempore opportuno revertuntur ad socios, quæ fecerant vel dixerant nulli loquentes. Sed ad propositum revertamur. Nati sunt reginæ Margaretæ sex filii et duæ filiæ. Quorum tres, Edgarus scilicet, Alexander, et generis sui splendor David, reges fuerunt. Edgarus homo erat dulcis et amabilis, cognato suo regi Edwardo per omnia similis, nihil tyrannicum, nihil durum, nihil avarum in suos exercens, sed cum maxima charitate et benevolentia subditos regens. Porro Alexander clericis et monachis satis humilis et amabilis erat, cæteris subditorum supra modum terribilis, homo magni cordis, ultra vires suas se in omnibus extendens. Erat autem litteratus, et in ordinandis ecclesiis, in reliquiis sanctorum perquirendis, in vestibus sacerdotalibus librisque sacris conficiendis et ordinandis studiosissimus, omnibus advenientibus supra vires liberalissimus; circa pauperes vero ita devotus ut in nulla re magis delectari, quam in eis suscipiendis, lavandis, alendis vestiendisque videretur.

Quid vero de rege David sentiamus in descriptione præmissa utcunque digessimus. Horum soror Mathildis gloriosissimo regi Anglorum nupsit Henrico. De cujus admirabili gloria animique virtute, quamque fuerit in officiis divinis sacrisque vigiliis assidua ac devota, in tanta insuper potestate quam humilis, qui scribere voluerit, alteram nobis Esther nostris temporibus declarabit. Quod nos facere omisimus et propter materiæ magnitudinem, et propter harum rerum minorem adhuc cognitionem; unum tamen illius referam opus quod ex ore sæpe nominandi et nunquam obliviscendi David regis audivi, per quod qualis fuerit circa pauperes Christi, satis, ut arbitror, elucescet. *Cum*, inquit, *adolescens in curia regia servirem, nocte quadam in hospitio meo cum sociis meis nescio quid agens, ad thalamum reginæ ab ipsa vocatus accessi. Et ecce domus plena leprosis et regina in medio stans, depositoque pallio cum se linteo præcinxisset, posita in pelvi aqua cœpit lavare pedes eorum et extergere, extersosque utrisque constringere manibus et devotissime osculari. Cui ego : « Quid agis, inquam, o domina mea? Certe si rex sciret ista, nunquam os tuum leprosorum pedum tabe pollutum suis dignaretur labiis osculari. » Tunc ipsa subridens : « Pedes*, ait, *Regis æterni quis nesciat labiis regis morituri esse præferendos? Ego certe idcirco vocavi te, frater charissime, ut meo exemplo talia discas operari; sumpta proinde pelvi fac quod me facere intueris. » Ad hanc vocem vehementer expavi, et nullo modo id me posse respondi. Necdum enim sciebam Dominum, nec revelatus fuerat mihi spiritus ejus. Illa igitur cœptis insistente, ego mea culpa ridens ad socios remeavi.* Soror hujus beatissimæ, Maria nomine, Eustacio Bolonicnsi comiti traditur in uxorem. De hac igitur excellentissima et Christianissima regina nata est Mathildis, quæ primum imperatori Romano, deinde nobilissimo Andegavensium comiti nupsit Gaufrido. De Maria vero orta est Mathildis quæ nuptui traditur tunc comiti Mauritaniæ, nunc vero regi Anglorum Stephano. Porro rex David, tradente rege Henrico, uxorem duxit Mathildam filiam Wallevi comitis et Judithæ quæ fuit neptis primi regis Willielmi, de qua suscepit filium Henricum virum mansuetum et pium, hominem suavis spiritus et lactei cordis, et dignum per omnia qui de tali patre nasceretur. Cum quo ab ipsis cunabulis vixi et puer cum puero crevi, cujus etiam adolescentiam

Digitized by Google

adolescens agnovi, quem juventutis flores pulsantem sicut patrem suum quem præ cunctis mortalibus dilexi, jam senili flore fulgentem, ut Christo servirem, corpore quidem, sed nunquam mente vel affectu reliqui. Hæ sunt autem quæ adhuc supersunt de hac sancta generatione reliquiæ. De imperatrice Mathildi tu, vir splendissime, quem nunc Normannorum et Aquitanorum ducem Andegavensium comitem, Angliæ vero gaudemus hæredem. Fratres etiam tui Gaufridus et Willielmus, de quibus bona speramus, quibus etiam bona optamus. De regina Mathildi et pio rege Stephano Willelmus, Guarenniæ et Boloniæ comes. De Henrico Malcolmus, Willelmus et aviti nominis hæres David. Quorum infantiæ misereatur Deus, miserearis et tu, quem totius generis tui caput nobilissimum pietas divina constituit. Sit tuus super eos pius aspectus, dulcis affectus, et in quibuscunque tui indiguerint operis effectus. Tibi enim ab avo suo, qui te præ cunctis dilexit hominibus, derelicti sunt orphani, pupillis tu eris adjutor cui est et ætas robustior, et manus validior, et sensus exercitatior. Ego autem in calce libri obsecro Deum meum, ut ex munere misericordiæ ejus tales tibi sint mores, actus tam sancti, vita tam casta, mens tam libera cupiditatis, tam expers superbiæ, tam crudelitatis ignara, erga pauperes tam humilis et jucunda, circa Dei cultum tam devota, ut habeamus aliquid æterna memoria dignum quod ministerio litterarum de te ad posteros transmittamus. Omnipotens Deus conservet in te et augeat gratiam suam, excellentissime et illustrissime domine.

Explicit liber bonæ memoriæ A. abbatis de Rievalle de prosapia regis Henrici editus.

VITA S. EDWARDI REGIS

ET CONFESSORIS

AUCTORE BEATO AELREDO.

(Twisden ubi supra, pag. 369.)

PROLOGUS.

Multis veterum studio fuisse didicimus, illustrium virorum qui suis floruere temporibus actus vitamque describere, styloque illorum perpetuare memoriam, quorum beatitudo perpetua putabatur. Sed et plurimum posteris profuturum arbitrabantur, si nec eos laterent, qui essent imitandi. Nihil enim magis ad æmulationem perfectionis animum humanum provocat et accendit, quam quorumlibet perfectorum legere vel audire virtutes, mores addiscere, gloriam æstimare; cum impossibile sibi nullus debeat arbitrari, quod alium fecisse cognoverit; nec possit hæsitare de præmio si bene vixerit, legerit assecutum. Hinc est quod Dominus ac Salvator noster ex quo mundus salutarem suscepit fidem, inter multos infirmos quosdam voluit esse perfectos, quorum industria alii traherentur ad fidem, vel ad mores optimos incitarentur. Ita usque ad hæc infelicia tempora in quibus crebrescunt vitia, et rarescunt virtutes, semper pro patribus tales nati sunt filii, doctrina quorum indocti quique instruerentur, auctoritate fulcirentur, informarentur exemplo. Verum præ cunctis civitatibus regnisve terrarum, de sanctitate regum suorum Anglia gloriatur, quorum alii coronati martyrio, de terreno ad cœleste regnum migraverunt; alii exsilium patriæ præferentes, mori pro Christo peregre delegerunt; nonnulli posito diademate, disciplinis se monasticis subdiderunt; quidam in justitia et sanctitate regnantes, prodesse subditis quam præesse maluerunt. Inter quos velut sidus eximium gloriosus rex Edwardus emicuit, qui quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis luxit. Hujus vitam miraculis insignem, a mea parvitate, jubente venerabili patre Laurencio Westmonasterii abbate, utcunque litteris traditam, tibi, gloriosissime rex Henrice, credidi destinandam, ut scias quanti sit apud Deum meriti, cum quo regnat in cœlis, quem tuis temporibus te regiam auctoritatem præbente, sancta mater Ecclesia sublimius extollendum judicavit in terris. Imitanda enim est tanti regis tanta justitia; mirari dulce est in tot divitiis et deliciis tanta continentia : de sancta ejus progenie traxisse carnis originem, Henrici nostri specialis est gloria. Ipsum te nobis in totius Angliæ consolationem credimus promisisse, ipsum te prophetica parabola jam in extremis agentem didicimus designasse, in quem velut lapidem angularem Anglici generis et Normannici gaudemus duos pa-

Digitized by Google

rietes convenisse. Sed hæc alias. Nunc autem, rex illustrissime, qui tanti patris regnum duplici jure sumpsisti, de cujus patre simul ac matre regnum ac generosum sanguinem meruisti, ejus te precibus crebro commendes, ejus te sedulo protectioni committas, imitari quoque satagas ejus sanctitatem, ut æternam cum eo obtineas felicitatem. Amen.

PRÆFATIO

AD LAURENTIUM ABBATEM WESTMONASTERII.

Dilecto ac diligendo et intimis visceribus amplectendo venerabili Patri et domino domno LAURENTIO *Westmonasterii abbati, frater* ELREDUS, *fratrum qui sunt in Rievalle inutilis servus, debitam in Christo dilectionem.*

Factus sum insipiens, tu me coegisti. Quis enim ego, aut qualis ego, vel quæ scientia mea, vel qualis facundia mea, ut sanctum regem Edwardum virum cunctis sæculis admirandum, meis litteris proditum, meis commendatum sermonibus, mea oratiuncula declamatum, efferre velles in publicum, et materiam cui succumberet eloquentia Tulliana, meo committere sensui, non tam illustrandam quam offuscandam? Cui hoc æstimem ascribendum? fidei, an affectui? Cur non et utrique? Et ego neutrum judicans contemnendum, conjunxi meam tuæ fidem fidei, affectum affectui, et hinc desiderio, illinc præsumptione concepta, inspexi codicem quem mihi tua dignatio tradidit transferendum. Et ecce reperio hominem supra hominem, hominem qui in diebus suis placuit Deo et inventus est justus, qui concepto semine salutari, nec tricesimo sexagesimove contentus, ad virginitatis centesimum fructum perfectionis æmulator ascendit. Ejus igitur fidei me totum committens, ejus obsequiis me totum dedens, de cujus auxilio precibusque confidens, non solum quod tuæ sanctæ paternitatis urgeret præceptum, sed quod ex humilitatis simul et simplicitatis ejus inspectione, illiceret concepta devotio, feci quod potui. Et vinum illud propheticum germinans virgines de vase veteri utcunque in vas novum, et si non adeo subtile, simplicibus tamen non minus utile transfudi. A sensu sane illius codicis non recedens, pauca quæ vel ex chronicis veracissimis transtuli, vel ex veterum certa et vera relatione didici, non inutiliter ut mihi videtur apposui; epistolas etiam privilegio regis et Romani pontificis, expositionem quoque extremi problematis, sic inferenda putavi, ut et competenter in suo ordine legi, et sine aliqua possint sententiæ interruptione taceri. In laboris mei præmium tuæ sanctæque congregationis quæ in obsequiis tanti regis sub tuo militant tribunatu, pro peccatis meis preces et hostias flagitans, ut quod meis meritis non debetur, æterna mihi vita tam pretiosi confessoris opitulatione donetur.

INCIPIT VITA.

De sua generositate et sanctitate.

Gloriosi ac Deo dilecti regis Edwardi vitam litteris tradituri, ex verbis beatissimi Petri apostolorum principis sumamus exordium. Qui centurionis vocationem admirans : *In veritate*, inquit, *comperi, quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi* (*Act.* x). In omni itaque gente, in omni dignitate novit Dominus qui sunt ejus, et miseretur cui voluerit, et misericordiam præstat in quem sibi placuerit. Attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (*Sap.* VIII). Neque enim ex sui ipsius natura vel paupertas præstat, vel adimunt divitiæ sanctitatem ; neque perfectum obscuritas, nec claritas reprobum facit ; nec claudit libertas, nec reserat servitus paradisum. Primus patriarcharum Abraham et dives scribitur et perfectus, cujus fides admirabilis, obedientia imitabilis, in rerum omnium copia prædicatur. Joseph dominus Ægypti constitutus a rege, universo orbi præbuit castitatis exemplum. Sanctus Job qualis in divitiis fuerit, earum probavit ademptio ; quem morbus corporis, tentatio uxoris, amicorum exprobratio spectabili reddidit patientia clariorem. Rex David, quo nemo ditior sed nemo sanctior, quo nemo sublimior sed nullus humilior, et inter thesauros innumeros sepelitur, et inter amicos Dei cæteris gratior computatur. Nemo proinde miretur si Edwardus noster et rex dicatur et sanctus, quem cernimus et in divitiis egenum, et in deliciis sobrium, in purpura humilem, et sub corona aurea sæculi contemptorem. In quibus omnibus non tam altus videtur esse natus, in sanctissimis et excellentissimis regibus ex quibus traxit materiam carnis, totius habuerunt exemplum sanctitatis. A famosissimo quippe et Christianissimo rege Aluredo, quem om-

Digitized by Google

nium regum Angliæ sanctus Leo papa in ipsa urbe Roma consecravit et unxit in regem, generatione sextus; inter eos vero qui ex ejus stirpe regnaverunt successione decimus, utriusque numeri sortitus est fructum, qui robustissime portans pondus diei et æstus, habuit in operis perfectione senarium, et ad vesperam meruit cœlesti patrefamilias largiente denarium. Post Aluredum igitur nunc filiis patribus succedentibus, nunc fratribus post fratres regnantibus, in regem tandem Edgarum omnium felicitas simul et sanctitas videtur esse transfusa, qui omnes sicut sanctitate ita et honore vicit et gloria. In hujus ortu referuntur angeli cecinisse, et Angliæ pacem ejus temporibus promisisse. Quocirca tum pro cœlesti oraculo, tum pro ipsius effectu oraculi, commune cum Salomone sortitus est nomen, pacificum regni illius statum re simul et nomine. Hujus filius rex strenuissimus Ethelredus Emmam Richardi nobilissimi ducis Normannici filiam duxit uxorem, ut ex duplicata utriusque generis sanctitate soboles sanctior crearetur. Quales namque fuerunt inclyti Normanniæ duces gloriosissimæ hujus reginæ frater et nepos, Richardus scilicet et Robertus, laudabilis eorum vita et mors nihilominus pretiosa declarat. His Edwardus noster natalibus ortus, generosum sanguinem et sapientia nobilitavit et vita. Sed jam qualia fuerint sanctitatis ejus primordia, qualis progressus, quis finis diligenter inspiciendum, et ad multorum ædificationem stylo ducimus illustrandum.

Quomodo necdum natus, in regem fuerat electus.

Cum igitur gloriosus rex Ethelredus ex filia præclarissimi comitis Thoreti filium suscepisset Eadmundum, cognomento Ferreum latus, ex regina autem Emma Aluredum, beatus Edwardus inter viscera materna conclusus utrique præfertur, agente eo qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, qui dominatur in regno hominum, et cui voluerit dat illud. Fit magnus coram rege episcoporum procerumque conventus, magnus plebis vulgique concursus, et quia jam futuræ cladis indicia sæva præcesserant, agitur inter eos de regni statu tractatus. Deinde rex successorem sibi designare desiderans, quid singulis quidve omnibus videretur explorat. Pro diversorum diversa sententia res pendebat in dubio. Alii enim Eadmundum, ob invictissimum robur corporis, cæteris æstimant præferendum; alii ob virtutem Normannici generis Aluredum promovendum tutius arbitrantur. Sed futurorum omnium præscius, prioris brevissimam vitam, alterius mortem immaturam prospiciens, in puerum necdum natum universorum vota convertit. Utero adhuc clauditur et in regem eligitur, non natus natis præfertur, et quem necdum terra susceperat, terræ dominus designatur. Præbet electioni rex consensum, læti præbent proceres sacramentum, et inusitato miraculo in ejus fidelitate jurarunt qui utrum nascerentur ignorarunt. Tua sunt hæc opera, Christe Jesu, qui omnia operaris in omnibus, qui electum et dilectum tibi ante mundi constitutionem plebis tuæ rectorem his indiciis declarasti, quem licet per illos non tamen illi, sed tu potius elegisti. Quis enim non videat nec aptum usui, nec conveniens tempori, nec consonum rationi, nec humano ferendum fuisse sensui, ut omissis filiis legitimis et adultis, hostili gladio imminente, parvulus necdum natus eligeretur in regem, quem in tali necessitate nec hostes metuerent nec cives revererentur? Sed omnipotens Deus spiritum prophetiæ voci simul et affectui plebis infudit, præsentia mala spe futuræ consolationis temperans, ut scirent omnes in totius regni consolationem regem futurum, quem ab ipso Deo plebe nesciente quid fecerit, nullus dubitaret electum.

Quomodo cum matre in Normanniam exsulabat.

Natus itaque beatus puer sacri baptismatis unda perfunditur, et sacro perunctus chrismate Christo plenius incorporatur, effectusque sancti Spiritus domicilium, in ejus disciplina nutritur. Irruentibus paulo post in Angliam barbaris, et maximam insulæ portionem cæde incendioque vastantibus, regina cum filiis in Normanniam transponitur; ut rex gravi sarcina sollicitudinis liberatus, tanto audacius hostes vel propelleret vel exciperet, quanto de uxore simul filiisque securus, nihil eis adversi ex cujusquam proditione timeret. Crevit autem puer Edwardus et confortatus est, fuitque Dominus cum eo et omnia ejus opera dirigebat. Vivebat in avita domo inter pueros puer, immunis tamen ab his vitiis quibus vel ætas illa vel hominum genus illud implicari solet. Agebat parvulus quemdam honestis ac maturis moribus senem, corpore castus, sermone rarus, simplex actu, purus affectu, quo mira benevolentia officiisque gratiosis omnium sibi coætaneorum conciliaret affectum. Jam in illa ætate frequentare ecclesiam dulce habuit, crebrius orationi incumbere, sacris missarum interesse solemniis, visitandis monasteriis operam dare, quos sanctiores sciebat sibi monachos in amicitiam copulare; quorum duo quos familiariori amplectebatur affectu, ipsi in extremis agenti apparuisse dicuntur, ut in sequentibus edocebimus

Quid de eo et regno ejus cuidam episcopo revelabatur Glastoniæ.

Sæviebat interim gladius hostilis in Anglia, cædibus et rapinis omnia replebantur, ubique luctus, ubique clamor, ubique desolatio. Incenduntur ecclesiæ, monasteria devastantur, et ut verbis Propheticis utar : *Effuderunt sanguinem sanctorum in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret* (*Psal.* LXXVIII). Sacerdotes suis fugati sedibus, sicubi pax et quies aliqua in monasteriis vel locis desertis inveniebatur communem miseriam deplorantes delitescebant. Inter quos vir venerabilis Brychtwaldus Wintoniensis episcopus cœnobium Glastoniense

Digitized by Google

mœrens ac tristis ingressus, orationibus vacabat et psalmis. Qui cum aliquando pro regni plebisque [liberatione] preces lacrymasque profunderet, quasi in hæc verba prorumpens : « Et tu, inquit, Domine, usquequo ? usquequo avertis faciem tuam, oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ ? Sanctos tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et non est qui redimat neque qui salvum faciat (*Rom.* xi). Scio, Domine, scio, quia omnia quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti ; sed nunquid in æternum projiciet Deus et non apponet ut complacitior sit adhuc ? Eritne, Domine Deus meus, eritne finis horum mirabilium ? aut in æternum tuus in nos mucro desæviet et percuties usque ad internecionem ? » Inter preces tandem et lacrymas fatigatum sopor suavis excepit ; viditque per somnium cœlestem chorum cum lumine beatissimumque Petrum in eminentiori loco constitutum, dignum tantæ majestati habitum præferentem. Visebatur ante eum vir præclari vultus in forma decenti regalibus amictus insigniis ; quem cum propriis manibus apostolus consecrasset et unxisset in regem, monita salutis adjecit, præcipueque cælibem vitam commendans, quot esset annis regnaturus aperuit. Obstupefactus præsul tanti novitate miraculi, petit sibi a sancto visionis hujus mysterium revelari, de statu insuper regni et instantis fine periculi apostolicum exegit oraculum. Tunc sanctus vultu placido intuens intuentem : « Domini, inquit, o præsul, Domini est regnum, et ipse dominabitur in filiis hominum. Ipse transfert regna et mutat imperia, et propter peccata populi regnare facit hypocritam. Peccatum peccavit populus tuus Domino, et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos. Sed non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas. Erit enim, cum dormieris cum patribus tuis sepultus in senectute bona, visitabit Dominus populum suum et faciet redemptionem plebis suæ (*Luc.* i). Eliget enim sibi virum secundum cor suum qui faciet omnes voluntates suas, qui, me opitulante, regnum adeptus Anglorum Danico furori finem imponet. Erit enim acceptus Deo et gratus hominibus, amabilis civibus, terribilis hostibus, utilis Ecclesiæ. Qui cum præscriptum terminum regnandi in justitia et pace compleverit, laudabilem vitam sancto fine concludet. » Quæ omnia in beato Edwardo completa rei exitus comprobavit. Expergefactus pontifex rursus ad preces lacrymasque convertitur ; et licet felicitatem suæ gentis non esset ipse visurus, de malorum tamen fine certus effectus, gratias agens Deo plurimum gratulabatur. Factus igitur animæquior, populis pœnitentiam prædicabat, quibus Dei misericordiam non defuturam constantissime pollicebatur.

De initiis regni ejus, et de fratre, et nepotibus ejus.

Stabat adhuc spiritus procellæ et exaltati sunt fluctus ejus externisque malis accessit civilis discordia, adeo ut quis cui crederet, quis cui mentis suæ secreta committeret nesciretur. Plena erat proditoribus insula : nusquam tuta fides, nusquam sine suspicione amor, sermo sine simulatione. Tandem eo usque proditio civilis et astutia processit hostilis, ut defuncto rege magna pars insulæ legitimis abdicatis hæredibus Cnutoni qui regnum invaserat manus darent, peremptoque invictissimo rege Eadmundo paterni honoris simul et laboris hærede, etiam filios ejus adhuc in cunis agentes barbaris mitterent occidendos. Exhinc cum Cnutoni omnia pro voto cessissent, timens ne hæres legitimus regnum quod sibi jure debebatur, aliquando Normannica fultus virtute reposceret, ut ducis sibi arctius colligaret affectum, Emmam defuncti regis relictam duxit uxorem. Emenso autem tempore Alfredus, Edwardi frater, ob maternum colloquium in Angliam transvectus, inaudita crudelitate ab hostibus civibusque perimitur. Tunc Edwardus omni humano destitutus auxilio, vivebat exsul patriæ sed non justitiæ, regni non fidei, honoris non virtutis. Timebat impiorum, quas sæpe fuerat expertus, insidias, et ne a suis proderetur, vel ab hostibus emeretur ad mortem plurimum formidabat. Invento autem consilio salutari, more suo Deo prosternitur, et hujusmodi verbis suam deplorans solitudinem : « Ecce, inquit, domine, non est mihi auxilium in me, et necessarii mei recesserunt a me. Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt. Pater meus post multos labores rebus humanis excessit, fratres meos crudelitas persecutorum absorbuit, nepotes in exsilium acti sunt, mater æmuli nostri nuptiis tradita ex hoste mihi vitricum fecit. Ita relictus sum ego solus, et quærunt animam meam. Sed tibi, Domine, derelictus sum pauper, pupillo tu eris adjutor. Tu quondam Eadwinum nobilissimum gentis nostræ virum expositum morti mirabili modo et vitæ reservasti et regno. Tu illud decus Angliæ sanctum Oswaldum regem factum ex exsule, per signum crucis reddidisti cunctis hostibus fortiorem. Si igitur fueris mecum et custodieris me, et reduxeris me in regnum patris mei, eris tu mihi semper in Deum, et beatus Petrus apostolus in patronum ; cujus sanctissimas reliquias in urbe qua cum suo coapostolo requiescit, te annuente, te regente, te comitante, me visitaturum promitto. » Dixerat, et exhinc vir beatus fide robustior, spe alacrior, exspectans exspectavit Dominum et non est confusus ab exspectatione sua. Cnutone enim rebus humanis exempto, filiisque ejus immatura morte præreptis, Angli Danico jugo quasi ab Ægyptia servitute liberati, beatum Edwardum cui necdum nato tota insula fidem fecerat, in regem elegerunt, quem cum summo honore maximoque omnium tripudio receptum in Angliam, archiepiscopi Cantuariensis scilicet et Eboracensis cum universis fere Angliæ episcopis unxerunt et consecraverunt in regem. Quæ tunc Anglis gloria, quæ tunc in commune lætitia, cum

Digitized by Google

redisse cerneretur antiqua felicitas, et quæ fere desperabiliter plorabatur, amissam reciperet in Edwardo populus pacem, proceres gloriam, ecclesia libertatem. Tunc elevatus est sol et luna stetit in ordine suo, quando Edwardo gloria et honore coronato, sacerdotes sapientia et sanctitate fulgebant, monasteria omni religione pollebant, clerus in officio suo, populus stabat in gradu suo ; videbatur etiam terra fecundior, aer salubrior, sol serenior, maris unda pacatior, quoniam diu rege pacifico regnante, in uno vinculo pacis omnia convenirent, ut nihil pestilentiosum esset in aere, nihil in mari tempestuosum, in terra nihil infecundum, nihil inordinatum in clero, nihil in plebe tumultuosum. Fama tantæ felicitatis ipso sumente imperium, ad vicina quæque regna defertur. Reges et principes pro tanta rerum mutatione admiratione procelluntur, et cum tanto rege fœdus inire, amicitias jungere, pacem componere gratulantur. Imperator Romanus cujus cognatam regis nepos filius Eadmundi ferrei lateris, unus e duobus quos exsilio Cnuto damnaverat, uxorem duxit, tantæ regis felicitati congaudens, missis nuntiis arctiori eum sibi amicitia fœdereque conjunxit. Rex Francorum ei sanguinis propinquitate vicinus, pacis factus est interventione vicinior. Sic beato Edwardo noscitur convenire, quod de Salomone sacra Scriptura commemorat : *Cuncti reges terræ desiderabant videre faciem ejus, et audire sapientiam illius* (*II Par.* IX). Sola tamen Dacia adhuc spirans et anhelans cædes, Anglorum interitum minabatur ; verum quis fuerit tanti conatus finis sequentia declarabunt.

De ejus veneranda conversatione et moribus.

In his omnibus vir beatus in gloriam non est elatus humanam, sed Dei in se bonitatem altius recognoscens, illud Sapientis sedulo meditabatur : *Principem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII). Hanc sibi vivendi formam proponens, suis se domesticis præbebat æqualem, sacerdotibus humilem, plebi gratum, compatientem miseris, largum egenis. Mira illi circa Dei cultum devotio, mira in ecclesiis et monasteriis construendis et reparandis sollicitudo. Nulla apud eum personarum acceptio, sed judicabat in justitia pauperes, et arguebat in æquitate pro mansuetis terræ, et cum esset rex sublimis solio, auro decoratus et ostro, erat tamen pater orphanorum et judex viduarum. Thesaurus ejus totius orbis res publica videbatur, pauperum commune ærarium, quoniam rex totum quod habebat non suum æstimans esse, sed omnium, si petebatur præbebat, si accipiebatur tacebat ; verecundus acceptor, dator hilaris, qui nunquam obliviscebatur accepti, sed dati protinus. Lucebat in ipso etiam corpore interioris spiritus sanctitatis, cum singularis quædam suavitas appareret in vultu, gravitas in incessu, simplicitas in affectu. Sermo ejus ex quadam dignitate et hilaritate compositus, et Christi semper et beatæ matris ejus nominis suavitate condītus, nunc terrens, nunc blandiens, nunc erudiens, nunc consolans proferebatur. Nullus unquam cum vidit aut inflatum superbia, aut ira effrenatum, aut dehonestatum gula ; qui quidem ob innatam sibi simplicitatem et circa omnes sinceritatem falli forte aliquando potuit ut ignorans excederet ; sed nec impelli ira nec concupiscentia illici ut scienter delinqueret. Nam pudicitiam in eo laudare non est necesse, quæ ei in exsilio grata, in adversitate socia, in prosperis comes individua perseverabat. Præterea supra humanum modum pecuniæ contemptor, nec in earum amissione tristior, nec in adeptione videbatur hilarior. Sane hujus tantæ virtutis unum ponamus exemplum, per quod mira ejus simplicitas et cordis tranquillitas, inexpugnabilis insuper lenitas apparebit. Quod celebri sermone vulgatum Anglorum universo orbi innotuit ; aliis regis simplicitatem admirantibus, aliis laudantibus ejusdem sanctitatem.

Quomodo fur, eo inspiciente, thesauros ejus furatus sit.

Recumbebat aliquando lectulo rex gratia quiescendi ; sed aliqua, ut fieri solet, cogitatio somnum suspenderat. Accessit ad thecam ædituus in qua æs regium servabatur, et aliquid pro tempore sicut ei videbatur aut sustulit aut reposuit. Deinde arcam oblitus claudere, quidpiam operis alias facturus egreditur. Animadvertit hoc puer pauperculus qui, ut dicitur, ad mensas scutellis recolligendis operam daret, et ad thecam accedens, haustum non parvum numismatum numerum in sinu recondit, et exiens, quo tutum interim arbitrabatur reposuit. Reversus denuo, rege inspectante facinus, iteravit. Quod cum tertio attentasset, cernens, ut credo, rex in spiritu jamjamque thesaurorum adesse custodem, et furis volens cavere periculum : « Importune, inquit, agis, o puer. Si mihi credis, tolle quod habes et fuge, quoniam, per Matrem Domini, si venerit Hugelinus (hoc enim erat regii cubicularii nomen), nec unum tibi nummum relinquet. » Fugit puer, nec a rege proditus nec fugatus. Jam pedem fur extulerat, et ecce minister rediens et thesauros regios reperiens compilatos obstupuit ; pallor vultum, tremor corpus invasit. Angustiam cordis et furorem mentis clamor et suspiria prodiderunt. Surgit rex, et quasi nesciens quid acciderit, causam perturbationis hujus inquirit. Quam cum a camerario didicisset : « Tace, inquit ; forte ille qui cepit plus his nobis indiguit ; habeat sibi, nobis sufficit quod remansit. » Rogo, quid hoc rege perfectius, quid hoc simplicius oculo ? quid tali mente lenius, qui sua furari vidit et tacuit, insuper furi consuluit ad salutem ? Ut volet quisque accipiat, ego quod cæcos illuminavit, quod curavit claudos, quod ab adversa valitudine multos eripuit, huic ejus simplicitati et patientiæ æstimo postponendum. His, ut æstimo, non inutiliter insertis, ad narrationis ordinem redeamus.

Digitized by Google

De castis nuptiis, et virginitate ejus et reginæ.

Confirmato Edwardi regis imperio, omnibusque summa pace ac prosperitate compositis, proceres de successione solliciti, regem de uxore ducenda conveniunt. Stupet rex thesauro metuens suo, qui in vase fictili reconditus, facile poterat calore dissolvi. Sed quid ageret? si obstinatius obniteretur, timebat ne propositi sui proderetur dulce secretum: si suadentibus præberet assensum, naufragium pudicitiæ formidabat. Tandem opportune et importune insistentibus tutius cedere ratus, hujusmodi verbis suam Domino pudicitiam commendabat: « Jesu bone, tua quondam misericordia tres pueros in flammas Chaldaicas illæsos servavit (*Dan.* III). Per te Joseph, relicto pallio nefariæ meretrici, cum titulo castitatis evasit (*Gen.* XXXIX). Admirabilis Suzannæ constantia tua virtute de impudicis presbyteris triumphavit (*Dan.* XIII). Sanctæ Judith castitas singularis, quæ inter regias dapes et infecundos calices Holofernis nec lædi potuit nec tentari, femineam manum in perniciem nefandi capitis ferro muniens, urbem exemit obsidioni (*Judith.* XIII). Et quod excellit his omnibus, tu unicam illam spem mundi dulcissimam dominam meam, matrem tuam, et conjugem esse voluisti et virginem, nec conjugii sacramentum castitatis solvit signaculum. Ecce ego servus tuus et filius ancillæ tuæ, qualitercunque dilector tuus et unicæ matris tuæ, non quidem ad tantæ majestatis tuæ æqualitatem præsumptuosus aspiro, sed ad aliquam hujus tantæ rei similitudinem timens suspiro. Tu ergo, Domine meus, fili virginis Dominæ meæ, tu, Domina mea, Virgo et Mater Domini mei, succurrite, quatenus sic maritale suscipiam sacramentum ut pudicitiæ periculum non incurram. » Rege igitur procerum voluntati consensum præbente, quærebatur virgo quæ et sanguinis nobilitate et morum honestate tanti regis esset apta complexibus. Erat inter potentes Angliæ omnium potentissimus comes Godwinus, vir magnarum opum sed astutiæ singularis, regum regnique proditor, qui doctus fallere et quælibet dissimulare consuetus, facile populum ad cujuslibet factionis inclinabat assensum. Sed sicut spina rosam, genuit Godwinus Edivam, quæ quidem ex ipso habuit materiam carnis, sed a Dei spiritu magisterium sanctitatis. Hanc dilecto suo Christus præparaverat Edwardo, inspirans ei ab ipsa infantia castitatis amorem, odium vitiorum, virtutis affectum. In annis puellaribus gravitatem prætendens anilem, publicum fugiens secreta thalami frequentabat. Ubi non dissoluta otio, nec onerosa fastidio, legere aut operari manibus consuevit, ornare miro artificio vestes, sericis aurum intexere, quæque rerum imitari pictura; tali opere ac meditatione vitare lasciviam, colloquia juvenum devitare. Erat præterea pulchra facie, sed morum probitate pulchrior multo. Itaque Godwinus volens sibi regis animum quem ob necem fratris proditionesque non paucas non parum metuebat, vincire arctius, egit per amicos suos regisque secretarios, ut filiam suam regiis nuptiis dignaretur. Sed et illi qui Domino suo arctiori inhærebant affectu, proditionem comitis quam sæpe fuerant experti plurimum formidantes, hoc ipsum pernecessarium regi arbitrabantur. Ita non eadem licet intentione, omnes in eadem sententiam convenere. Ex utriusque divitiis paratur nuptiale convivium, complent pontifices sacramentum, benedicitur puella in uxorem et in reginam coronatur. Conventionibus igitur in unum, rex et regina de castitate servanda paciscuntur, nec huic fidei alium quam Deum testem æstimant adhibendum. Fit illa conjux mente, non carne; ille nomine maritus, non opere. Perseverat inter eos sine actu conjugali conjugalis affectus, et sine defloratione virginitatis castæ dilectionis amplexus. Diligit ille sed non corrumpitur, diligitur illa nec tangitur, et quasi nova quædam Abisac regem calefacit amore, nec dissolvit libidine, mulcet obsequiis, sed desideriis non emollit. Et ne aliquis huic regis virtuti fidem deroget, sciat hoc temporibus illis per totam Angliam sic divulgatum et creditum, ut de facto certi plerique de intentione certarent. Quidam namque nihil nisi carnem et sanguinem sapientes, simplicitati regiæ hoc imponebant, quod compulsus generi se miscuerit proditorum, et ne proditores procrearet, operi supersederet conjugali. Sed si consideretur amor quo se complectebantur, facile contemnitur talis opinio. Hoc idcirco inserendum putavi, ut sciatur neminem tunc de regis continentia dubitasse, cum de causa taliter disputaverint. Præbet certe regiæ castitati testimonium puritas mentis, quæ ab omni fæce vitii pulsantis eliquata, et longe posita quasi præsentia contemplari et futura potuit quasi præ oculis sita cognoscere, sicut sequens capitulum declarat.

Quomodo in spiritu regem Daciæ divino judicio vidit submersum.

Aderat dies pro diei illius recordatione festivus, quo ad renovandam faciem terræ spiritus Domini replevit orbem terrarum (*Psal.* CIII), et purgatis mentibus discipulorum, divinus ignis illapsus (*Act.* II) eos et illuminavit ad scientiam, et liquefecit ad gratiam, et induravit ad pœnam. Ea die rex beatus divinis laudibus devotus assistebat, exterius quidem sceptro insignis, veste splendidus, regio diademate coronatus, interius vero quod in his honoris erat arbitrabatur ut stercora; quod sacramenti, sustinebat pro conscientia. Adfuit Angliæ tota nobilitas in vestitu deaurato circumdata varietate, sacram diei solemnitatem et regiam majestatem simul honore quo poterant venerantes. Igitur inter sacra missarum solemnia quæ in Ecclesia beati Petri celebrabantur, totum se in se colligens et spiritualibus temporalia cuncta postponens, in sacrificium illud quod pro salute omnium offerebatur intendit animum, et sibi gratiam, pacem populo, omnibus veniam suppliciter precabatur. Et ecce hora illa qua spiritalis alimonia assistentibus tradebatur,

Digitized by Google

subito rex vultu hilarior et erectior oculis, in risum modicum, servata tamen regia gravitate, dissolvitur. Mirari qui aderant, nec sine causa; præter consuetudinem id ei accidisse sciebant. Peractis autem omnibus quæ ad tanti cultum diei pertinere videbantur, risus sui causam hi qui animadverterant sibi petunt exponi. Ille ut erat miræ simplicitatis, simpliciter quærentibus simpliciter omnia confitetur : « Convenit, inquiens, Dacis cum rege suo antiquum facinus iterare, et quam nobis propitia divinitas largita est infestare quietem. In percussione quippe nostra qua castigans castigavit nos Dominus, ignorantes Dei justitiam et suam extollentes virtutem dixerunt : *Manus nostra excelsa et non Dominus fecit hæc omnia* (*Deut.* XXXII). Quia vero Deus patribus nostris iratus Dacorum nos tradidit potestati, suis id viribus tribuentes, facile hoc ipsum et nunc fieri posse arbitrabantur, nescientes quia qui percutit ipse et sanat, et qui mortificat ipse vivificat, et qui deducit ad inferos ipse et reducit (*I Reg.* II). Igitur rex Dacus, coacto in unum exercitu, hodierna die ventis pro voto flantibus naves parari præcepit. Comportantur cibaria, arma navibus inferuntur, nautæ armamenta expediunt, certis sedibus milites collocantur. Jam naves velis et vela ventis fuerant committenda, cum ea hora qua mihi facies serenabatur, rex iniquus ob nimiam superbiam quasi semetipsum non sustinens, et pedes et crura sinuose divaricans, cum incautius unum pedem extendisset, e prora labitur, et statim abyssus vallavit eum, et pelagus cooperait caput ejus. Ita ille nobis lacum aperuit et effodit eum, et cecidit in foveam quam fecit (*Eccli.* XXVII). Percussit Dominus caput de domo impii, maledixit sceptris ejus (*Habac.* III) et universo exercitui ejus venientibus ut turbo ad dispergendum nos. Sicut abscisо capite membra omnia contabescunt, ita submerso principe nequam exercitus dispergitur. Spero autem in Domino Deo meo et in dulcissima matre ejus, quod temporibus meis nullum habebit conatus eorum effectum. Hæc sunt quæ Christo revelante cognovi, et vidi et risi et gavisus sum. Risum enim mihi fecit Dominus, et quicunque audierit corridebit mihi. » Notatur tempus et hora. Mittuntur in Daciam nuntii, de omnibus diligenter inquirunt, inveniuntque sic omnia hora eadem accidisse qua beatissimo regi fuerant cœlitus revelata. Fama autem tanti crebrescente miraculi, cecidit timor super omnes qui audierunt verbum. Et scientes quia Deus ipse pro Edwardo pugnaret, tam Daci quam cæteræ nationes intercurrentibus nuntiis et muneribus fœdus cum eo pepigerunt.

Proceres regni de voto suo solvendo alloquitur, et nuntii Romam diriguntur.

Succedentibus prosperis rex beatus nequaquam suæ sponsionis est oblitus, nec in die bonorum immemor fuit malorum. Sed cogitans et recogitans quanta sibi fecerit Dominus, qui ditavit egenum, sublimavit humilem, inglorium coronavit, parat reddere vota quæ distinxerunt labia ejus. Parat sumptus, separat donaria, vocatisque totius regni primatibus, habuit cum eis hujusmodi vel de statu regni, vel de sua peregrinatione sermonem :

« Benedictus Deus qui magnificavit misericordiam suam facere nobiscum, qui visitavit in virga iniquitates nostras (*Psal.* LXXXVIII), et in verberibus peccata nostra, pietatem suam non amovit a nobis. Ecce quomodo *deposuit potentes, et exaltavit humiles*, quomodo *esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes* (*Luc.* I). *Per me reges regnant*, ait ipse (*Prov.* VIII), *et principes justa decernunt*. Non excidit a nobis quomodo irruentibus in hæreditatem nostram barbaris, *facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt* (*Psal.* LXXVIII). Aliis namque interfectis, aliis fugatis, aliis jugo ignominiosæ servitutis oppressis, nihil fere honoris, nihil gloriæ nostro generi reliquerunt. Tandem, defuncto patre meo, fratribus peremptis, actis in exsilium nepotibus, cum hostibus nostris in omnibus fortuna faveret, mihi profecto nihil spei superesse videbatur. Ego vero contra spem in spem credens, et Domini misericordiæ me totum dedens, peregrinationem meam ad sanctorum apostolorum limina vovi, et deinceps divinæ me protectioni dispositionique commisi. Ille autem respexit in orationem meam et non sprevit precem meam (*Psal.* CI), et abstulit opprobrium meum (*Eccli.* XLVII.), et restituit me in regnum patris mei ; insuper cumulavit divitiis, auxit gloria, donis cœlestibus illustravit. Ipse sine sanguine rebelles subegit, hostes subvertit, et omnia nostra amabili quadam composuit pace. Absit, absit ut tot et tantis ejus beneficiis inveniamur ingrati, quin potius de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in justitia et veritate. Faciamusque quod ait Propheta : *Vovete et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* LXXV). Decernite ergo mecum, quomodo me peregrinante regnum subsistat Anglorum, qua lege, qua pace, quo judice omnia disponantur; quis, cui præferatur regioni, quis castra, quis urbes, quis privata, quis publica negotia procuret. Erit autem unus omnium custos et protector Deus, et pacem quam dodit ipse servabit, nobiscum proficiscens, et vobiscum remanens, qui et vos custodiat et me reducat. »

Ad hanc vocem tota illa multitudo contremuit, et interiorem produnt lacrymis suspiriisque dolorem. Jam jamque manus Danica timebatur quam ejus meritis evaserant, jam jamque deletum iri totam patriam formidabant. Erupit sermo in populum, et ecce clamor, ecce tumultus, et quasi jam sævirent incendia, plena lacrymis insula videbatur. Videres pauperes nunc manus extendere ad cœlum, nunc rursus in terram ruere, et quasi morituros fame si rex discederet, de sepultura tantum et tumulo cogitare. Tunc omnes in commune vociferantes in regem, se non deserendos, se non exponendos gladiis, patriam

Digitized by Google

hostibus non prodendam, nec dimittendum pacis obsidem quem Deo dante receperant, nec pro uno, ut putabatur, bono tot admittenda pericula allegabant. Imperant pontifices, rogant proceres, plebs extorquet, ut si non omittendum iter istud censuerit, censeat vel differendum. Tunc ille tot lacrymis, tot vocibus, tot precibus se urgeri sentiens, diu inter pietatem et desiderium fluctuabat, quia et voto supersedere periculosum, et tantorum precibus fletibusque non cedere inhumanum arbitrabatur. Tandem quid aptius esset Deo scire desiderans, peregrinationem non quidem dimittendam sed differendam interim consultius æstimabat, donec apostolicæ auctoritatis consilio et voluntate consulta, ex ejus sententia aut votum redimeret aut impleret. His auditis, tanta fuit omnibus divitibus pauperibusque lætitia, ut Edwardum suum rursus sibi redditum, rursus revocatum exsilio æstimarent. Agit unusquisque pro gradu suo, prò officio suo, pro facultate sua, ut regem dilationis non tædeat, aliis orationes, eleemosynas aliis, suam etiam pro eo peregrinationem nonnullis promittentibus. Dirigendi mox ad sedem apostolicam eliguntur legati archiepiscopus Eboracensis Aelredus, episcopus Wintoniensis Hermannus, abbates præterea duo spectatæ religionis, cum pluribus aliis tam clericis quam laicis. Parantur interim necessaria, susceptoque a rege mandato ad urbem proficiscuntur. Credendum Dei actum providentia ut regii responsales congregatam ibi synodum maximam reperirent, in qua præsidente beatæ recordationis papa Leone de negotiis ecclesiasticis tractabatur. Gaudet in eorum adventu illa sanctorum præclara societas, et quasi sibi missum de cœlo solatium, tantorum patrum præsentiam susceperunt; magnum Dei munus judicantes quod a finibus terræ tales viri tali tempore tali conventui occurrissent. Igitur, patre beatissimo præcipiente, nuntii causam pro qua venerant dicturi procedunt in medium, patribus qui assidebant præbentibus cum summa devotione silentium. Exponunt desiderium regis et regni periculum, dispendium pacis, clamorem pauperum, lacrymas orphanorum, obductam etiam necdum recenti plagæ cicatricem asserebant, quæ Danica rabie Anglis inflicta, si rex discederet, acrior timebatur. Silentibus nuntiis, sonuit in ore omnium gratiarum actio et vox laudis. Prædicatur circa Deum regis, circa regem plebis devotio. Mirantur mansuetudinem David, prudentiam Joseph cum divitiis Salomonis in tali principe convenisse. Tandem summo pontifice dictante sententiam, omnes in commune decernunt pro pace regni, pro utilitate Ecclesiæ, pro necessitate pauperum et quiete monasteriorum, regem auctoritate Dei et beati Petri, præsentis etiam sacratissimæ synodi, a voti hujus vinculo solemniter absolvendum, expensas paratas itineri pauperibus erogandas. In voti recompensatione construendum in honore beati Petri regiis copiis monasterium, vel aliquod destructum a barbaris reparandum. Exhinc legatarii oblatis muneribus quæ sanctorum ecclesiis rex sanctus direxerat, accepta benedictione pontificis cum litteris apostolicis læti repatriant : transvectique in insulam in conspectu concilii quod propter hoc ipsum regia potestas coegerat, epistolam tradiderunt.

RESCRIPTUM PAPÆ.

LEO *episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio* EDWARDO *Anglorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.*

Quoniam voluntatem tuam laudabilem et Deo gratam agnovimus, gratias agimus ei per quem reges regnant et principes justa decernunt (Prov. VIII). *Sed quia prope est Dominus in omni loco omnibus invocantibus eum in veritate, et sancti apostoli cum suo capite conjuncti unus spiritus sunt et pias preces æqualiter audiunt; et quia constat periclitari regionem Anglicam ex tua discessione qui freno justitiæ tuæ seditiosos ejus motus cohibes, ex auctoritate Dei et sanctorum apostolorum et sanctæ synodi absolvimus te a peccato illius voti pro quo Dei offensam times, et ab omnibus negligentiis et iniquitatibus tuis, ea nimirum potestate usi quam Dominus in beato Petro concessit nobis, dicens : « Quæcunque solveritis super terram soluta erunt et in cœlis* (*Matth.* XVI). » *Deinde præcipimus tibi sub nomine sanctæ obedientiæ et pœnitentiæ, ut expensas quas ad iter istud paraveras pauperibus eroges, et cœnobium monachorum in honore sancti Petri apostolorum principis aut novum construas, aut vetustum augeas et emendes, et sufficientia victualium fratribus de tuis redditibus constituas, quatenus dum illi assidue inibi Deum laudaverint, et sanctis augeatur gloria et tibi indulgentia. Cui loco quidquid contuleris vel collatum est vel conferetur, ut ratum sit apostolica auctoritate præcipimus, et ut semper habitatio monachorum sit, et nulli laicæ personæ nisi regi subdatur. Et quæcunque privilegia ibi constituere volueris ad honorem Dei pertinentia, concedimus et robustissima auctoritate confirmamus, et infractores eorum æterna maledictione damnamus.*

De visione quæ apparuit cuidam incluso de ipso rege.

De sponsalibus regis litterisque pontificis oraculum cœleste concurrit, quod non longe agentibus nuntiis viro cuidam sancto quid Romæ egissent nescienti, apostolorum principe sibi apparente, personuit. Erat vir iste dilectus Deo et hominibus, qui specu subterraneo multis annis inclusus, suorum erat meritorum stipendiis jam vicinus. Hujc Petrus beatissimus in visione noctis assistens, cum metum vocis ac vultus lenitate depulisset : « Rex, inquit, Edwardus pro voto quo se cum adhuc exsularet astrinxerat, pro regni etiam pace plebisque consilio, pro pauperum quoque necessitate precequesollicitus, Romanam Ecclesiam de omnibus credidit consulendam. Noverit ergo se mea auctoritate ab hac alligatione solutum, et de cœnobio

Digitized by Google

ad mei honorem nominis construendo a summo pontifice suscepisse salutare mandatum. Incunctanter itaque litteris apostolicis fidem habeat, præceptis obediat, consiliis acquiescat. A me enim egressus est sermo, quem sibi quondam patronum elegit, me comitem, gratiæ largitorem. Est autem mihi locus in occidentali parte Londoniarum, a me electus, mihi dilectus, quem quondam mihi propriis manibus consecravi, mea nobilitavi præsentia, divinis insuper miraculis illustravi. Thorneia nomen est loci, qui quondam ob peccata populi barbarorum traditus potestati, pauperrimus ex divite, humilis ex sublimi, ex nobili factus est contemptibilis. Hunc rex me præcipiente in habitaculum monachorum suscipiat reparandum, sublimandum ædificiis, possessionibus ampliandum. Non erit ibi illud, nisi domus Dei et porta cœli (*Gen.* xxviii). Ibi erigenda est scala, per quam descendentes et ascendentes angeli (*ibid.*), preces et vota hominum Deo perferant, et referant gratiam. Inde ascendentibus reserabo januam paradisi, ut ex officio quod meus mihi injunxit Dominus ac Salvator, et ligatos absolvam, et absolutos suscipiam et quam eis delictum obcluserat, justificatis patriæ portam cœlestis aperiam. Tu autem omnia quæ a me audisti et didicisti litteris tradens, mitte qui perferat regi, ut Dei munere duplicato, et de absolutione securior, et in præcepti executione devotior, in mei autem dilectione et obsequio reperiatur propensior. » His dictis, lux cum loquente disparuit. Ille nihil moratus, ac cito notario, quæ viderat vel quæ audierat, schedulæ litterisque commisit, et tradens epistolam bajulo, ad curiam quæ multis tunc millibus aberat, ut ei fuerat imperatum direxit. Ea igitur die, loco eodem, in eodem concilio quo legati redeuntes ab urbe apostolicum retulere mandatum, epistola etiam viri Dei regi præsentata profertur in medium, lectoque sancti papæ Leonis rescripto, loco sequenti beati senis apices recitantur. Voce exteriori ac jubilo interiori benedicitur Deus in donis suis et laudatur in omnibus operibus suis. Mirantur omnes regis sanctitatem, amplectuntur apostoli gloriam, confirmantur in fide, spe a terrenis ad cœlestia attolluntur, in Dei amore sincerius accenduntur. De oraculi veritate nulla potuit esse cunctatio, cum in Wigornensi provincia vir ille ab hominum conversatione seclusus, quid Romæ egerint, quid in mandatis acceperint, quandove redierint, scire non nisi Deo revelante potuit. Tunc rex lætus et alacer, ut ei fuerat constitutum, pecuniam quam in peregrinationis suæ solatium procuraverat *dispersit et dedit pauperibus* (*Psal.* cxi), operique injuncto intendens animum thesauros effudit. Insuper et tributum illud gravissimum quod tempore patris sui primo classi Danicæ pendebatur, postmodum vero fisco regio annis singulis inferebatur, regia liberalitate remisit, et ab onere hoc importabili in perpetuum Angliam absolvit. Unde sancto huic regi non inconvenienter aptatur quod scriptum est : *Beatus vir qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris* (*Eccli.* xxxi). *Inventus sane sine macula* ob privilegium castitatis. *Post aurum non abiit*, quod potius dispersit ; *nec speravit in thesauris*, quos in Dei opere non tam minuit quam consumpsit. Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua, reddens cæcis visum, et claudis gressum, fugans febres, et paralyticos sanans et diversas hominum valitudines curans. Ex quibus aliqua huic operi dignum ducimus inserenda.

De contracto quem rex sanctus portando curavit.

Cum in civitate regia in palatio juxta beati Petri basilicam rex pacificus aliquando moraretur, supervenit vir quidam miserabilis Hybernicus genere, secundum proprietatem linguæ illius vocabulo Gillemichel, pedis utriusque privatus officio. Nervi enim in poplite contracti, ad posteriores corporis partes crura retorserant, tali natibus inhæserant, immersi carnibus pedum articuli a lumbis ejus et deorsum corpus omne perverterant. Porrectis terra tenus manibus scamnis suppositis repebat, et factus sibimet ipsi gravis, trahebat se post se, miserabile spectaculum intuentibus præbens et multorum in se provocans pietatem. Accessit ad cumulum infelicitatis rei inopia familiaris, ob quam famis injuria et inclementia aeris tabe simul ac macie semesum corpus illud affecerant. Hic igitur cum curiæ irrepsisset, et se regis cubiculario obtulisset : « Itane, inquit, Hugoline, non me respicies? non misereberis? non te movebit unius hominis tanta calamitas? » Et ille : « Quid me vis facere? » Cui pauper : « Sexies, inquit, sanctorum apostolorum limina in urbe qua requiescunt, ita miserabiliter repens ut tu ipse nunc aspicis, visitavi, sanitatem vero necdum promerui, quam tamen mihi Petrus beatissimus non negavit sed distulit, socium in hoc miraculo habere volens Edwardum, quem sibi novit in omnibus esse devotum. Jam enim nunc septimo profecturus ad urbem, ab ipso sancto apostolo in mandatis accepi, regem adire, apostolicum perferre præceptum, ut me suo sacro subvectum dorso ad ecclesiam ejus quæ palatio vicina est perferat, recepturum si id fecerit meritis ejus membrorum meorum integram sanitatem. » Hæc ubi nuntiata sunt regi, agit Deo gratias, seque pariturum apostolo, nec inopi defuturum sed præbiturum obsequium, ut in mandatis acceperat, pollicebatur. Scitatus mox æger accessit. Rex ut spiritalis ille asinus fortis ac cubans in terminis supposuit humeros suos ad portandum. *Audite hæc, omnes gentes, auribus percipite qui habitatis terram* (*Psal.* xlviii). Congregamini ad spectaculum, quale circus nullus unquam præbuit, nec theatrum finxit. Pendet ab humero tanti principis plenus sordibus pauper, squalidis manibus brachiisque squamosis regium illud pectus collumque complectitur. O monile omni gemma splendidius, o torquem omni pretio-

Digitized by Google

siorem auro, omni electro fulgentiorem. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli, alii a paupere illusum regem jocabantur, alii justi simplicitatem et mansuetudinem fatuitatem interpretabantur. Ecce novus David saltus et plausus, ecce novus Michol contemptus et risus. Quibus tamen erat mens sanior, feliciorem eum sub tali sarcina quam sub corona aurea judicabant. Tu enim, Christe Jesu, tu in paupere portabaris, qui quondam in paupere quem Martinus texerat tegebaris. Sed hoc tunc oraculo, hoc nunc miraculo prodidisti. Cum itaque oneratus nobili illo onere rex paululum processisset, subito nervi quos inveteratus ille morbus contraxerat extenduntur, meatus sanguinis quos venarum rigor obcluserat, reserantur, rigantur ossa, carnes marcidæ recalescunt. Emergunt a carne articuli, pedes solvuntur a natibus. Distendit homo crura poplite jam flexibili, sanieque cum sanguine profluente, vestis regia ornatur potius quam fœdatur. Jam tunc satis esse clamant omnes sanatum languidum, onus ob sordes ulcerum jam deponendum. Ille memor præcepti quod susceperat, sirenarum cantus obturata aure petransiit, ingressusque ecclesiam, ante sanctum altare holocaustum quod detulerat Deo ac beato Petro resignat. Suscepit ab humeris sancti pauperem magnæ religionis vir ipsius sacrista ecclesiæ nomine Godricus, lotisque membris ulceribusque curatis, paulo post sanum et incolumem dimisit. Stetit supra pedes suos homo, ac solidatis basibus ejus et plantis, regi præsentatur. A quo itineris suscepto viatico, benedicens Deum profectus est Romam, acturus beato Petro apostolo gratias, et sancti regis merita prædicaturus ubique. Ad tanti testimonium miraculi, scamna quibus miser ille repens inniti consueverat, in ecclesia suspenduntur, gratum spectantibus præbentia spectaculum, et regis sanctitatem advenientibus ostendentia. Hoc profecto miraculum ad diligenda simul et veneranda beati Petri merita maximum sancto regi præbuit incentivum, et ad opus quod in ejus nomine inchoaverat consummandum et desiderium ignivit et illexit affectum. Verum præ cæteris quæ beato Petro per Angliam consecrata sunt loca, hunc potissimum restaurandum elegit, quia non solum, ut supra diximus, cœlestis visionis oraculo, sed etiam antiquissimi attestatione miraculi istum ei didicit præ omnibus chariorem. Quod licet præter materiam esse videatur, ad ostendendam tamen regis in hac electione industriam, huic operi nostro credimus inserendum.

De ecclesia Westmonasterii quam sanctus Petrus dedicavit.

Tempore quo rex Aedelbertus qui regnavit in Cantia, prædicante beato Augustino, fidei sacramenta susceperat, nepos quoque ejus Sebertus qui orientalibus Anglis præfuit, fidem eodem episcopo evangelizante suscepit. Hic Londoniis, quæ regni sui metropolis habebatur, intra muros ecclesiam in honore Pauli beatissimi construens, episcopali eam sede voluit esse sublimem. Cui sanctus Mellitus quem beatus papa Gregorius cum pluribus aliis miserat in adjutorium Augustino, merito simul et honore pontificali primus omnium præfuit. Volens autem rex utrique apostolo se gratum præstare, in occidentali parte ejusdem civitatis extra muros, in honore beati Petri monasterium insigne fundavit, multis illud donariis ornans et ditans possessionibus. Venerat autem tempus quo ecclesia in eo fuerat dedicanda, paratisque omnibus pro loco, pro tempore, pro monasterii dignitate, agente etiam ea nocte in tentoriis episcopo, dies crastina præstolabatur. Magna plebis exspectatio, quæ adhuc rudis in fide, his solemniis interesse non solum pro devotione, sed etiam pro admiratione gaudebat. Eadem nocte piscatori cuidam in Thamensis fluvii, qui eidem monasterio subterfluit, ulteriori ripa, in habitu peregrino beatus apostolus Petrus apparens, promissa mercede transponi se ab eodem et petiit et promeruit. Egressus autem e navicula piscatore cernente ecclesiam ingreditur; et ecce subito lux cœlestis emicuit, miroque splendore collustrans omnia, noctem convertit in diem. Adfuit cum apostolo multitudo supernorum civium egredientium et ingredientium, et choris hymnidicis præeuntibus melodia cœlestis insonuit. Omnia plena lumine, omnia referta dulcedine. Aures angelicæ vocis mulcebat jucunditas, nares indicibilis odoris fragrantia perfundebat, oculos lux cœlestis illustrabat. Videbantur quasi mista terrena cœlestibus, humana conjuncta divinis, et quasi in scala Jacob angeli descendentes et ascendentes (*Gen.* XXVIII) in illis sacris solemniis visebantur. Quid plura? Peractis omnibus quæ ad ecclesiæ dedicationem pertinent solemniis, redit ad piscatorem piscium piscator egregius hominum. Quem cum divini luminis fulgore perterritum alienatum pene sensibus reperisset, blanda consolatione hominem sibi, animum reddidit rationi. Ingredientes cymbam, simul uterque piscator, inter loquendum apostolus hominem hisdem quibus se quondam magister suus conveniens verbis: « Nunquid, ait, pulmentarium non habes? — Tum, inquit, inconsuetæ lucis perfusione stupidus, tum exspectatione tui detentus, nihil cepi, sed promissam a te mercedem securus exspectavi. » Ad hæc apostolus: « Lava nunc, inquit, retia ad capturam (*Luc.* v). » Paruit imperanti piscator, et mox implevit rete piscium maxima multitudo. Quibus ad ripam extractis: « Hunc, inquit, apostolus qui cæteris magnitudine pretioque præcellit, Mellito ex mea parte piscem defer episcopo. Pro naulica vero mercede cætera tibi tolle. Ego sum Petrus qui loquor tecum, qui cum meis concivibus constructam in meo nomine basilicam dedicavi, episcopalem benedictionem meæ sanctificationis auctoritate præveni. Dic ergo pontifici quæ vidisti et audisti, tuoque sermoni signa parietibus impressa testimonium perhibebunt. Supersedeat igitur dedicationi, suppleat quod omisimus, Dominici videlicet

Digitized by Google

corporis et sanguinis sacrosancta mysteria, populumque erudiens sermone et confirmans benedictione, notificet omnibus hunc locum me crebro visitaturum, hic me fidelium vocibus et precibus adfuturum. Sobrie vero, juste et pie in hoc loco viventibus (*Tit.* II) cœli januam reseraturum. » His dictis, clavicularius cœlestis disparuit. Et jam nocturnis tenebris finem dedit aurora, cum beato Mellito ad futuræ dedicationis celebranda mysteria processuro, cum pisce piscator occurrit. Quem cum episcopo resignasset, omnia quæ ei ab apostolo fuerant mandata prosequitur. Stupet pontifex, reseratisque sacræ basilicæ valvis, videt pavimentum utriusque alphabeti inscriptione signatum, parietem bissenis in locis sanctificationis oleo litum, tot cereorum reliquias duodenis crucibus inhærere, et quasi recenti respersione adhuc cuncta madescere. Nihil ulterius ambiguitatis de his quæ piscator astruxerat in cujusquam animo potuit residere, cujus assertioni signa cœlestia testabantur. Refert hæc episcopus populo et mox una vox omnium pulsat cœlos laudantium Deum et benedicentium, qui ad fidem omnium confirmandam, in hujus templi sanctissimi dedicatione cœli terræque patriam unam fecit rempublicam. Dant fidem miraculo piscatoris illius tota successio, quæ sicut a patre acceperant, totius emolumenti quod eis ars illa deinceps contulit, beato Petro eique servientibus offerre decimas non desunt. Unus tamen semel fraudem ausus inferre, mox tam diu artis caruit beneficio, donec confessus reatum, et ablatum restitueret, et promitteret correctionem.

De responsalibus iterum ad dominum papam directis per ipsum regem sanctum.

Hæc cum beatus Edwardus relatione ac scriptis veterum didicisset, concaluit cor ejus intra eum; et ad præfatum monasterium ædificiis et ornamentis, dignitatibus etiam ac possessionibus altius extollendum in meditatione ejus exarsit ignis. Quæ ut futuris temporibus firma et integra illibataque durarent, apostolica auctoritate omnia credidit confirmanda. Præterea inter crebra miracula quibus quotidie illustrabatur, inter pacis gaudia quibus fruebatur, in humilitatis solidissima petra consistens, semper pavidus, semper suam erat fragilitatem suspectus. *Beatus* profecto *vir qui* semper metuit *Dominum*, et *in mandatis ejus voluit nimis* (*Psal.* CXI). Ideo *gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in æternum* (*ibid.*). Jam a voto apostolica auctoritate absolutus, et adhuc tamen de ipso sollicitus, iterato ad apostolorum limina legatos parat dirigere, iterato apostolicam majestatem consulere, iterato id ipsum vel aliud quid in voti recompensatione sibi poscit injungi. Emerserant et aliæ causæ in *Anglorum* ecclesia, de quibus ea sedes præcipue fuerat consulenda, de qua specialiter dictum est: *Quia portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Itaque rex sanctus de omnibus curam gerens, omnia secundum catholicæ veritatis regulam fieri volens omnibus etiam prodesse desiderans, ut ipse de suis securior efficeretur, et aliis ad salutem doctrina apostolica præberetur, cum Aeldredo Eboracensi archiepiscopo duo mittuntur in pontificatum electi, Guiso scilicet ad ecclesiam Wellensem Walderus vero ad Herefordensem. Qui præsente eo cum quo venerant archiepiscopo, a domino papa munere consecrationis suscepto, in concilio quod in Lateranensi palatio, Dei, ut credimus, tunc nutu, forte convenerat, cum cæteris patribus honorifice consederunt. Deinde tempore opportuno cum litteras regis in medium protulissent, cætera quæ eis fuerant imperata adjiciunt. Favet votis regiæ sanctitatis summi pontificis totiusque sacri conventus unanimis rationabilisque sententia. Acceptaque sancti patris epistola, nihil omhino adversi toto illo itinere passi cum summo tripudio regi patriæque redduntur.

LITTERÆ REGIS AD NICOLAUM PAPAM DIRECTÆ

Summo universalis Ecclesiæ Patri NICOLAO, EDWARDUS, *gratia Dei Anglorum rex, debitam subjectionem et obedientiam.*

Glorificamus Deum quia curam habet electæ suæ Ecclesiæ, quando in loco boni prædecessoris vos optimum successorem constituit. Quapropter justum judicamus apud vos velut ad solidam petram acuere, et probare omnes bonas actiones nostras, et vestram notitiam atque societatem in bono habere, quatenus eas donationes et privilegia quæ obtinuimus apud prædecessorem vestrum, renovetis et augeatis nobis; videlicet, ut quod ille injunxerat nobis sub nomine obedientiæ et pœnitentiæ propter votum quod voveram ire Romam, et in remissionem omnium peccatorum meorum, construere cœnobium monachorum in honore apostoli Petri, ratum faciatis, et privilegia possessionum, et dignitatem ejusdem loci confirmetis, renovetis, atque augeatis, et in perpetuum immutabilia stare decernatis. Ego quoque pro modulo meo, augeo et confirmo donationes et consuetudines pecuniarum quas sanctus Petrus habet in Anglia, et ipsas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, ut oretis pro me et pro pace regni mei, et continuam ac solemnem memoriam instituatis totius gentis Anglicæ coram corporibus sanctorum apostolorum.

PRIVILEGIUM DOMINI NICOLAI PAPÆ.

NICOLAUS *episcopus, servus servorum Dei, gloriosissimo ac piissimo, omnique honore dignissimo, speciali quoque filio nostro* EDWARDO *Anglorum regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluum et benedictionem apostolicam.*

Omnipotenti Deo referimus grates, qui vestrum prudentissimam excellentiam in omnibus ornavit ac decoravit erga beatum Petrum apostolorum principem, et nobiscum habere dilectionem et in omnibus apostolicis consentire censuris. Litteras igitur vestræ nobilitati transmittimus, et per eas societatem sanctorum apostolorum et nostram vobis damus, orantes misericordiam illius qui est Dominus omnium et rex

Digitized by Google

super omnia solus, ut ipse participem vos faciat ex omnibus si qua sunt coram Deo bonis operibus nostris, et fratres nos, et socios in dilectione constituat in omni tempore amplius, ac non minorem partem nostri obsequii reconsignet in suo regno quam nobismetipsis provenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assidue, ut ipse Deus vobis subjiciat hostes et inimicos qui contra vos voluerint insurgere, et confirmet vos in paterno solio ac propria hæreditate, et beatus Petrus sit vobis custos et adjutor in omni tribulatione. Claret enim Anglorum reges pro reverentia et devotione quam exhibuerunt beato Petro apostolo, gloria et honore floruisse, ac ipsius patrocinio famosos triumphos obtinuisse. Cujus beati apostoli meritis, vestro desiderio et voluntati omnipotens Deus præstet effectum, et confirmet vobis paterni regni imperium, et tribuat incrementum, et post præsentis vitæ decursum, perducat ad æternum permanentis gloriæ imperium. Renovamus ergo, et confirmamus, et augemus vobis privilegia vestra; scilicet, ut absolutus sitis ab illo voto quod timebatis et ab omnibus aliis peccatis et iniquitatibus vestris, auctoritate illius qui me licet indignum sanctæ suæ præesse voluit Ecclesiæ. Præterea, illi loco quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ construendum et meliorandum suscepistis, quoniam, ut fertur, primam antiquitus consecrationem a beato Petro apostolo accepit, cujus licet indigni vicarii sumus, et quia regia antiquitus sedes est, ex auctoritate Dei et sanctorum apostolorum, atque hujus sanctæ Romanæ sedis, et nostra concedimus, permittimus, et solidissime confirmamus, ut amplius in perpetuum regiæ constitutionis et consecrationis locus sit, atque repositorium regalium insignium, et habitatio perpetua monachorum, qui nulli omnino personæ nisi regi subdantur, habeantque potestatem secundum Regulam sancti Benedicti per successores eligere idoneos abbates, neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors congregatio præesse elegerit. Absolvimus etiam eum locum ab omni servitio, dominatione episcopali, ut nullus episcopus illuc introeat ordinaturus vel præcepturus aliquid, nisi ex consensu et petitione abbatis et monachorum. Et habeat idem locus liberum præcinctum, id est ambitum et cœmeterium mortuorum circa se absque episcopali, vel cujuslibet respectu, vel exactione. Et omnia quæ ad libertatem et exaltationem loci illius, ad honorem Dei pertinentia, per nostram auctoritatem accedere possunt, promptissima et hilari voluntate concedimus. Possessiones autem quas antiqui reges, seu quicunque alii homines, vos quoque et vestri barones ad eumdem locum contulistis, et chartas quæ ex eis factæ sunt, divina et nostra auctoritate roboramus, et ratas ac stabiles esse decernimus. Et infractores, vel earum invasores, vel diminutores aut dispersores, venditores etiam æterna maledictione cum Juda proditore damnamus, ut in beata partem non habeant resurrectione; sed a beato Petro apostolo se judicandos sciant, quando sedebit cum suis coapostolis judicans duodecim tribus Israel. Vobis vero et posteris vestris regibus committimus advocationem et tuitionem ejusdem loci, et omnium totius Angliæ ecclesiarum, ut vice nostra cum consilio episcoporum et abbatum constituas ubique quæ justa sunt. Scientes per hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cujus regnum et imperium non desinet nec minuetur in sæculum.

Lectis igitur apostolicæ majestatis apicibus, exsultavit in gaudio rex beatissimus, omnique sollicitudine quam ex voti obligatione contraxerat exuitur, cuncta regni negotia ducibus proceribusque committens, totum se divinis mancipabat obsequiis. Quanto autem se corporalibus subtrahebat, tanto luminosius se spiritualibus indidit theoriis. Unde crebro cœlestium secretorum revelatione et spiritualium visionum suavitate meruit refoveri, sicut sequentia declarabunt.

Quomodo super altare Jesum Christum in sacramento cum quodam comite vidit.

In monasterio namque beati Petri apostoli quod construendum ampliandumque susceperat, ante altare in honore Trinitatis deificæ consecratum, sacrosanctis redemptionis nostræ mysteriis rex Christianissimus assistebat. Adfuit cum omni reverentia spiritusque dulcedine nominandus comes Lefricus, cujus memoria in benedictione est, cum uxore Godgiva interpretationem sui nominis magnifice rerum exsecutione complente, interpretatur enim *bonum donum*, vel quod ipsam quasi bonum donum ecclesiæ suæ profuturam Christus attulerat, vel quod ipsa fidei ac devotionis Deo munus acceptissimum continue offerebat. Cum tali ergo sui lateris socia comes sanctissimus in Dei opere semper intentus, multorum cœnobiorum fundator exstitit, et sobrie et juste et pie in omnibus vivens (*Tit.* II), possessionum suarum et thesaurorum Christum fecit hæredem. Hic ergo a latere regis paululum tamen semotus astabat, dignus per omnia qui tanti talisque miraculi conscius et testis existeret. Agitur in altari cœleste mysterium, manibus sacerdotis divina sacramenta tractantur. Et ecce *speciosus* ille *forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV). Christus Jesus in ara consistens, oculis utriusque visibiliter corporalibus apparuit, sacraque dextera super regem extensa, signum sanctæ crucis eum benedicendo depinxit. At rex, demisso capite, divinæ adorabat præsentiam majestatis, humiliatoque corpore tantæ benedictioni reverentiam exhibebat. Comes vero quid in animo regis ageretur ignorans, volensque regem tantæ visionis esse participem, cœpit velle ad illum usque procedere. Verum rex quid in mente comitis volvebatur intelligens : « Sta, inquit, Lefrice, sta, quod tu vides video et ego. » Inde ad preces lacrymasque conversi, inebriebantur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potabantur (*Psal.* XXXV). Post finem officii conferunt de cœlesti visione sermonem, et cœlesti pabulo saginati, dies diei eructat

Digitized by Google

verbum, suspiriisque crebro sermonem interrumpentibus : « Te nunc, ait rex, mi Lefrice, per ejus quem vidimus majestatem obtestor, ne quoadusque vixerimus sermo iste proferatur in publicum, ne vel nos in perniciem nostram ob favorem vulgi pulset elatio, vel fidem deroget dictis infidelium æmulatio ; » Domini sui in his secutus exemplum, qui coram discipulis transfiguratus, descendentibus illis de monte : *Nemini*, ait, *dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat* (*Matth.* XVII). At comes discedens a curia, divina, ut creditur, inspiratione edoctus, ita domini sui servavit imperium, ut tantæ virtutis sublimitas posteros non lateret. Veniens itaque monasterium Wigornense, viro cuidam religioso eadem qua se rex obligaverat adjuratione constricto reserat in confessione sermonem, rogans ut litteris tradat tantæ visionis arcanum, talique recondat in loco, ut et præsentes lateat, et futurorum notitiæ non depereat. Annuit vir ille sanctus petentis affectui, schedulæque mandatum ordinem visionis cum sanctorum reliquiis in theca recondidit. Et jam a sancti regis obitu multum temporis fluxerat, cum divino ut credimus nutu, nullo hominis actu theca reperitur aperta. Cumque fratres de sanctorum reliquiis diligenter disquirerent, reperiunt schedulam et evolvunt ; nolentesque tantum latere thesaurum, in auribus populi cuncta legerunt. Ita, quod rex voluit esse celatum, Dei est providentia propalatum, ut et regis humilitas probaretur, et nihilominus prodito miraculo fides credentium confirmaretur.

De glandibus et vermibus regio tactu a quadam femina expulsis.

Exhinc crebrescunt miracula, signa multiplicantur, et ad regis merita sublimius declaranda manus omnipotentis extenditur. Adolescentula quædam tradita nuptiis duplici laborabat incommodo. Nam faciem ejus morbus deformaverat, amorem viri sterilitas prolis ademerat ; sub faucibus quippe quasi glandes ei succreverant, quæ totam faciem deformi tumore fœdantes, putrefactis sub cute humoribus, sanguinem in saniem verterant, inde nati vermes odorem teterrimum exhalabant. Ita viro incutiebat morbus horrorem, sterilitas minuebat affectum. Vivebat infelix mulier odiosa marito, parentibus onerosa. Rarus ad eam vel amicorum accessus propter fetorem, vel aspectus viri propter horrorem. Hinc dolor, hinc lacrymæ, hinc die noctuque suspiria, cum ei vel sterilitas opprobrium, vel contemptum infirmitas generaret. Industriam medicorum avertebat inopia. Quid ageret misera ? Quod solum supererat, ubi humanum deerat divinum precabatur auxilium, quasi in illam illius æque miseræ mulieris vocem erumpens : *Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe super terram eripias me* (*Tob.* III). Jubetur tandem in somnis adire palatium, ex regiis manibus sperare remedium, quibus si lota, si tacta, si signata foret, reciperet ejus meritis sanitatem. Expergefacta mulier, sexus simul et condi- A tionis oblita, prorumpit in curiam, regis se repræsentat obtutibus, exponit oraculum, auxilium deprecatur. Ille more suo victus pietate, nec sordes cavit, nec fetorem exhorruit. Allata denique aqua, partes corporis quas morbus fœdaverat propriis manibus lavit, locaque tumentia contrectans digitis, signum sanctæ crucis impressit. Quid plura ? Subito rupta cute, cum sanie vermes ebulliunt, resedit tumor, dolor omnis abcessit : admirantibus qui aderant tantam sub purpura sanctitatem, tantam sceptrigeris manibus inesse virtutem. Paucis vero diebus substitit in Curia mulier regiis ministris necessaria ministrantibus, donec obducta vulneribus cicatrice incolumis rediret ad propria. Verum ut nihil deesset regi ad gloriam, pauperculæ nihil ad B gratiam, donatur sterili inopina fecunditas, ventrisque sui desiderato fructu ditata, facile sibi mariti gratiam conciliavit.

De cæco per manuum ejus lavaturam sanato.

Diversa esse munera gratiarum, nec omnes omnia consecutos, beatissimo Paulo docente didicimus. *Alii*, inquit, *per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ per eumdem Spiritum, alii fides, alii gratia sanitatum* (*I Cor.* XII). Hoc præcipue munus curationum licet plenius per Dei Spiritum rex Christianissimus habuisset, in illuminandis tamen cæcis speciali gratia præfulgebat, ob interioris, ut creditur, hominis puritatem, ut cui munditia singularis defæcaverat cordis obtutus, ipse in aliis C exteriorum propelleret tenebras oculorum. Cæcus quidam satis notus in populo, cum multo jam tempore ademptæ sibi lucis flevisset incommodum, placuit Salvatori uno eodemque miraculo, et regis propalare virtutem, et calamitatem pauperis temperare. Docetur itaque miser oraculo lumen amissum se ejus meritis adepturum, si lympha, qua rex ipse, faciem perfudisset. Ad manum igitur tractus cum ad palatium pervenisset, cubiculariis retulit visionem. Quam cum illi piissimo principi suggessissent, obstupuit ille, plurimumque indignatus, illusum phantasmatibus hominem, nihil tale a peccatore sperandum, apostolicæ hoc esse virtutis, nec fidem somniis adhibendam asseruit. Referunt illi non usquequaque fidem somniis derogandam, cum Jo- D seph et Daniel nocturna visione futura didicerunt, et nutritius Christi fugiendum cum puero vel redeundum, angelo in somnis apparente, cognoverit. Adjiciunt Deum cui subest cum voluerit posse, quando voluerit, quibus voluerit, per quos voluerit, opem ferre miseris ; nec hominis esse præceptis resultare divinis, nec cuiquam quod ipse providerit negare remedium. Itaque cum inter humilitatem et pietatem regis animus in parvo tempore fluctuasset, nisi importunitati petentium cessisset humilitas, nec partes suas pietas deservisset : instabat hora qua ob solemnem omnium sanctorum vigiliam processurus ad ecclesiam rex, ut fieri solet, manus ablueret. Recepta in pelvi aqua, cum rex sacris interesset missarum solemniis, citatur a ministris

Digitized by Google

cæcus, infunduut aquam orbiculis oculorum, lavant faciem, et per merita sancti regis divinam precantur adesse virtutem. Mira res : quasi nova nobis Siloes de regiis manibus profluxisset, reseratis palpebris haurit lucem, et ad insuetum solis splendorem stupefactus circumspicit omnia, et mundum sibi quasi denuo redditum gratulatur. Magnitudo lætitiæ lacrymas excussit, in ore astantium gratiarum actio et vox laudis insonuit. Ingreditur oratorium homo acturus Deo gratias, et cum aliis, divinis astabat obsequiis. Videbatur nec agnoscebatur, et aliis dicentibus quia ipse est, aliis non, sed similis ejus est, ipse affirmabat se esse quod erat. Intuetur alter alterum, alter alterum convenit, cum illis inter se mussitantibus missa clauditur, egressusque oratorium rex ab obviis ministris excipitur. Audito miraculo, retorquet ad ecclesiam gressum, vocatoque ad se viro : « Verene, inquit, vides, o homo? » Respondit : « Vere, domine mi rex. — Et quid, inquit, me vides facere? » Respondit ille : « Dilectam mihi manum tuam extendis, domine mi. » Cui ille : « Et modo quid? » Et pauper ad eum : « A medio, inquit, digito indicem dividens quasi oculis minitaris. — Jam nunc tertio responde, inquit, et quid agam edicito. » Cui ille : « Barbam, inquit, complecteris, rex. » Tunc sanctus prorumpens in lacrymas ante sanctum altare decubuit, gratias agens, dansque Deo totum, nihil sibi, illud proclamabat Davidicum : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII).

De alio cæco simtiliter per beatum virum illuminato.

Non potuit latere quod tali loco, tali tempore, a tali persona actum fuerat, et vir ille cui lux fuerat restituta, stipe regia sustentatus in curia, multo tempore supervixerit. Narratur ubique, per aquam qua rex manus abluerat, hominem oculorum amisisse caliginem. Gaudet Anglia prophetam sibi præesse, non regem, qui et morbos curaret et ventura prædiceret, qui et judicaret terram in justitia et populos in æquitate (*Psal.* LXVI). Erat autem vir quidam Lincolniæ civitatis municeps cui casus vel morbus lumen ademerat, vitæque suavitatem absorbuerat. Hinc nata tristitia. Et jam agenti in tenebris tertius effluxerat annus, cum tantæ virtutis fama in spe recuperandæ sanitatis erigitur, et quasi in semetipsum reversus : « Quid est hoc, inquit? quid moror? propheta in Anglia est, et ego cæcus sum. Ego in tenebris sedeo, et in tenebris ambulo, cum hic juxta me lux novæ sanctitatis resplendeat, et in rege nostro apostolica virtus emineat. » Accidit inter hæc hominem somno sopiri, et ecce in visione nocturna citum ei remedium promittitur, si eadem qua cæcum curatum didicerat medicina, et ipse potiretur. Nihil ulterius hæsitans vir accessit ad curiam, et a cubiculariis desideratum sibi munus et dari petiit et promeruit. Abluitur facies lavacro salutari, et mox tenebris diuturnis lux optata succedit. Agit gratias homo, et ipse deinceps regiæ sanctitatis assertor ad patriam revertitur, summam suis reportans cum sanitate lætitiam.

De quodam cæco regio tactu similiter curato.

Accidit aliquando regale palatium construi in loco cui Bruheham nomen est. Missa est a magistris operum ad ligna cædenda rusticorum non parva manus. Qui post laborem cibo satiati, cum sol meridiano fervore inclementius æstuaret, huc illucque dispersi per umbras, dederunt membra quieti. Post modicum vero cæteris ad opus injunctum alacriter redeuntibus, adolescens quidam Wulfwinus nomine surrexit a somno, apertisque oculis nihil videbat. Contorquet miserum caput hac atque illac, fricat frontem manu, digitis oculos tergit, sed non extergit caliginem. Intellexit tandem se privatum lumine, et mox in clamorem lacrymasque prorumpens, socios advocat, casum exponit. Præbent illi quale possunt ejus infeliçitati solatium, et manuducatum præstantes reducunt ad propria : sedit in tenebris, et umbra mortis annis uno de viginti, et ecce tempus miserendi ejus. Die quadam infelicitatem suam miserabiliter deploranti, matrona quædam honestæ vitæ gravis moribus miserum consolatura advenit. Quæ dum de statu ejus ut multis moris est, percunctata fuisset, et ille prout tunc animo habebat, respondisset : « Ego, inquit illa, missa sum ad te boni nuntii bajula, quod si fueris absque ulla dubitatione secutus, tibi mox excussis tenebris lux amissa reparabitur. » Cœpit homo gestire præ gaudio, et virtute majora promittens, tale meruit a muliere responsum accipere. « Oportet te, inquit, mi amice, ecclesias numero octoginta nudis pedibus et absque lineis circumire, sanctorum cum summa humilitate postulare suffragia, et sic fide non ficta, spe certa, hilari spiritu ad palatium properare recepturum ex regiis manibus pristinam sanitatem. » Ille nil moratus, ductore petito, sicut ei fuerat imperatum ecclesias visitavit, et sic fide plenus curiam ingressus quærebat qui eum principi nuntiaret. Pertæsi omnes multitudine adventantium pauperis neglexere clamorem, insuper increpabant eum ut taceret. Et ille cæci illius evangelici imitator egregius multo magis clamabat. Victi tandem pulsantis importunitate ministri, ejus causam referunt regi. Ille jam his assuetus operibus : « Veniat, inquit, quis enim ego sum qui contrister et non potius exsultem, si meis manibus licet indignis promissum beneficium pauperi pietas divina contulerit? » Vocatus adfuit vir captus oculis, et rex tinctis aqua digitis linit faciem, et orbiculis tenebrosis signum crucis impressit. Adfuit mox gratia Salvatoris, et inter manus regis ab oculis utriusque ubertim sanguis effluxit, serenavit pupillas, tumorem deposuit palpebrarum. Sic homo redditus luci et astantem sibi intuens regem : « Video te, inquit, domine mi rex, et facies tua tanquam facies angeli stantis ante me. » Egit rex gratias Deo, ipsumque regii palatii juxta ecclesiam Beati Petri apostoli quoad viveret, jussit esse custodem. Vixit

Digitized by Google

autem usque ad Willielmi magni tempora, virtutis Edwardi testis expertus.

De tribus cæcis et uno monoculo per beatum virum illuminatis.

Miranda quidem hæc, sed plus miranda sequuntur. Inventi sunt ante fores palatii viri quatuor unius oculi fruentes solatio. Nam tribus omni privatis unus præibat monoculus, in modico plane fidelis, ut multa recipere mereretur. Compatitur tantis eadem calamitate laborantibus quidam de palatinis, qui ex regiis manibus tantam videns exisse virtutem, portionem aquæ qua fuerat lux cæco restituta, fide plenus pio furto subrepsit, credens illam etiam in plurimis operatum iri, quod in uno tam evidenter eam viderat et efficaciter operatam. Egreditur ad miseros vir fidelis, rogat eos confidere in Domino et per merita sancti regis reparandam sibi credere sanitatem. Deinde adhibito lavacro tenebrosas pauperum facies lavit, signavit pollice, et non ut sua Deus, sed beati Edwardi merita respicere dignaretur, oravit. Adfuit statim manus Domini, et reseratis palpebris lumen desideratum infudit. Nox eis in diem vertitur, et facies tenebrosa solis splendore perfunditur. Ita septem lucernæ ex virorum quatuor fronte lucentes, Edwardum nostrum clariorem cunctis sæculis reddiderunt. Hæc de cæcis quibus visum restituit, interim scripsisse sufficiat, ut in hoc ultimo miraculo quo de lucernis septem, fecimus mentionem, regem sanctum septiformi Spiritus sancti gratia doceamus esse repletum; cui spiritus timoris Domini, depulsis superbiæ tenebris, humilitatis oculum reseravit; cui infidelitatis cæcitate detersa, fidei lumen spiritus pietatis infudit; quem spiritus scientiæ, fugata caligine falsitatis, lumine veritatis illustravit; quem spiritus fortitudinis cunctis tam corporalibus quam spiritualibus reddidit hostibus fortiorem; qui tenebris ignorantiæ pulsis, per spiritum consilii lumen discretionis obtinuit; quem de terrenis ad cœlestia, de corporalibus ad spiritualia, de nocte mundi hujus ad contemplationem cœlestium luminum spiritus transtulit intellectus; quem propheticæ lucis gratia, et divinorum cognitione consiliorum spiritus sapientiæ muneravit. Merito proinde luce septemplici exteriores hominum oculos depulsa cæcitate perfudit, qui septem oculorum lumine qui in agro cœlesti visi sunt interius illustrari promeruit.

Quid de duobus filiis Godwini comitis rex prophetaverat.

Sed jam aliqua de his quæ ei sunt de futuris vel secretis cœlestibus revelata, Deo nobis facultatem tribuente ponamus. Sedebat ad mensam aliquando rex beatus, et a latere ejus comes Godwinus pater reginæ, de quo superius fecimus mentionem. Hujus duo filii pueri adhuc Haroldus et Tostinus ludentes coram eis, cum unus ex illis amarius quam expetebat ludi suavitas insurrexisset in alterum, ludum verterunt in pugnam. Et ecce Haroldus vehementius in fratrem iruens, utramque manum capillis ejus inseruit, prostratumque nisi citius eriperetur virtute superior suffocasset. Tunc rex versus ad ducem: « Nihilne, inquit, aliud, o Godwine, nisi simplicem in his vel ludum puerorum, vel pugnam contemplaris? » Et ille: « Nihil aliud, domine mi rex. — Longe, ait, aliud mea mihi mens loquitur, et quid his futurum sit pueris per hoc mihi bellum revelatur. Emensis quippe puerilibus annis cum in virum uterque profecerit, utriusque pectus adversus invicem livor aduret, et primum circumventione insidiisque privatis quasi ludere videbuntur, ad ultimum fortior infirmiorem proscribet, rebellantem prosternet, et prioris mortem post modicum sequens alterius calamitas expiabit. » Quæ omnia sic completa tota Anglia teste probantur. Nam Tostinus ab Haroldo fugatus, cum paulo post ipse in regnum successisset Edwardo, comitante se rege Norwagiæ Haroldo cognomento Harfager, multa classe cum exercitu multo contra fratrem pugnaturus applicuit in Angliam. Contra quos aciem producens Haroldus, victor exstitit; Tostinus in bello prosternitur, rex Norwagiæ lapsus fuga in unam navim cum paucis sese recepit. Eodem anno Haroldus ipse regno spoliatus Anglorum aut misere occubuit, aut ut quidam putant pœnitentiæ tantum reservatus evasit.

De miserabili morte Godwini comitis.

Sed quia iterato sermonem incidimus de Godwino, inserendum arbitror quemadmodum eum proditionum suarum donatum stipendiis divini judicii ultrix ira consumpserit, detestandique facinoris quod in regem fratremque ejus commiserat, populo spectante ipsam quam meruerat pœnam exsolverat. Ille enim simplicitate regis abutens, multa in regno contra jus et fas pro potestate faciebat, et ad suæ iniquitatis consensum sæpe regis animum inclinare tentabat. Tandem eousque ejus processit astutia, ut omnes fere regis cognatos et amicos quos de Normannia vel adduxerat vel vocaverat, tam episcopos quam aliarum dignitatum clericos et laicos, fraude, dolo, circumventione de patria perturbaret, credens sibi cuncta pro votis [successura] si necessariis nudatus amicis suis tantum uteretur rex consiliis. At Edwardus pro loco, pro tempore, pro religione cuncta dissimulans divinis vacabat obsequiis, Dei justitiam tantam ducis ultum iri malitiam prædicens, aliquando etiam illud ipsum ipsi Godwino non tacens. Die itaque quadam quæ populo celebris habebatur, cum rex, præsente Godwino, mensis regalibus assideret, inter prandendum unus ministrorum in obicem aliquem immoderatius uno pede impingens pene lapsum incurrit, quem tamen pes alius recto gressu procedens iterum in statum suum nihil injuriæ passum erexit. De hoc eventu pluribus inter se loquentibus, et quod pes pedi subvenerit gratulantibus, comes quasi ludendo intulit: « Sic est frater fratrem adjuvans et alter alteri in necessi

Digitized by Google

tate subveniens. » Et rex ad ducem : « Hoc, inquit, meus mihi fecisset si Godwinus hoc permisisset. » Ad hanc vocem Godwinus expavit, et tristem admodum præferens vultum : « Scio, ait, o rex, scio, adhuc de morte fratris tui tuus me accusat animus, nec adhuc eis æstimas discredendum, qui me vel ejus, vel tuum vocant proditorem ; sed secretorum omnium conscius Deus judicet, et sic buccellam hanc quam manu teneo guttur meum faciat pertransire et me servet illæsum, sicut nec tuæ proditionis reus, nec de fratris tui nece mihi conscius existo. » Dixerat, et buccellam inferens ori, usque in gutturis medium protraxit. Tentat interius trahere, nec valuit ; tentat emittere, sed hæsit firmius. Mox meatus quibus ducebatur spiritus occluduntur, evertuntur oculi, brachia rigescunt. Intuetur rex infeliciter morientem, et ultionem sentiens in eum processisse divinam, astantes alloquitur : « Extrahite, inquiens, canem istum. » Occurrunt filii, protractumque de sub mensa thalamis inferunt, ubi post modicum debitum proditori sortitus est finem.

Quid ei Dominus de septem dormientibus spiritualiter revelaverit.

Non satis admirari possum quænam fuerit causa quod eo tempore quo cultu regio clarior, quo procerum circumfusus comitatu severior, quo lautioribus epulis intuentium æstimatione videbatur effusior, abundantiorem spiritualium revelationum gratiam meruerit ; sed nimirum homo in facie, Deus autem videt in corde. Portabat certe gladium, sed pro officio ; utebatur regalibus, sed pro sacramento ; multo stipatus milite incedebat, sed pro necessitate ; sublimis in convivio residebat, sed pro consuetudine. Felix qui his omnibus sic usus est ut non sit abusus, corpus tradens terrenis et cœlestibus spiritum miscens. Hinc quod in die Dominicæ resurrectionis imperiali stola circumdatus, cum dextram sceptrum, caput ornaret corona, jam cœlestis Agni carnibus saginatus regiam accessit ad mensam, spiritualibus magis quam carnalibus epulis reficiendus. Timens enim, ut arbitror, ne forte mensa fertilior, cultus festivior, pompa splendidior, animum cœlo intentum sibi vel modicum inclinaret, arctius solito se collegit ad se, et ponens præ oculis Deum, omnia hæc terrena arbitrabatur ut stercora, cum subito vultus ei plus solito serenabatur, interiorque lætitia labia solvebat in risum, rursumque solita gravitate resumpta, obscuriorem faciem præferebat. Mirabantur qui astabant et qui residebant, et licet ex his quæ acciderant secretum aliquid regi divinitus revelatum nequaquam ambigerent, nemo tamen audebat eum interrogare quid accidisset. Finito tandem convivio, mensisque sublatis, rex beatissimus thalamum ingreditur, regium depositurus ornatum. Secutus eum comes Haroldus, accitoque uno episcoporum et abbatum uno, simul regem super hoc sermone conveniunt. Tunc ille : *Beatus*, inquit, *cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas* (*Psal.* xxxix). Quantum enim se quisque vanis subtraxerit, tantum veris arctius inhærebit. Ecce quidem ego inter fecundos calices et pinguia fercula ac radiantis metalli splendorem *recordatus sum* Domini Dei mei, *et effudi in me animam meam* (*Psal.* xli), dilatoque sinu mentis oculus interior speciali perfusus lumine radios usque Ephesiorum civitatem mira celeritate porrexit, et usque in montem Celion progressus, sanctorum septem dormientium quiescientium in spelunca proprietatem vultuum, membrorum quantitatem, qualitatem vestium expressione manifestissima contemplatus est. Hæc dum interiorem risu significante lætitiam luminoso corde conspicerem, subito me cernente a latere dextro super quod multis quieverant annis in sinistrum se latus virtute vertentes divina, dirum mortalibus omen hac laterum mutatione suorum signarunt. Exhinc enim, ut in Evangelio scriptum est : *Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et erunt pestilentiæ, et fames, et terræ motus magni erunt per loca* (*Matth.* xxiv). His quippe septuaginta annis, tantum enim temporis in sinistro latere repausabunt, visitabit Dominus iniquitatem plebis suæ, tradens eos in manus gentium, ut dominentur eorum qui oderunt eos (*Psal.* cv). Inimici namque nominis Christi in Christianos insurgent, servi dominis rebellabunt, reges insidiabuntur regibus, et principibus principes, et in omnibus terris ultor injuriæ Christi mucro desæviet. Obstupuerunt omnes qui audiebant verbum, et quia extra orbem positi de septem dormientibus nihil audierant, inquirentibus qui essent et unde, rex vitam illorum, et nomina, et passionem, et dormitionis modum exposuit. » Quibus auditis, inito consilio ut fidem posteris facerent, ad explorandam sermonis veritatem, dux militem, episcopus clericum, abbas monachum, cum regis epistola ad imperatorem Constantinopolitanum dirigendos putant. Qui ubi ad urbem regiam pervenerunt, ab imperatore honorabiliter suscepti sunt. Lectis autem litteris exsultavit in gaudio spiritus ejus, et thesauros Græciæ Anglis divinitus revelatos plurimum gratulabatur. Mittuntur Ephesum, et ex imperatoris mandato, episcopus cum clero et populo præcedunt legatos, introductisque cum aromatibus in speluncam, sanctorum corpora facies et vestes, et ipsos in latere sinistro repausantes ostendit. Et ecce timor magnus irruit super eos videntes omnia signa in martyribus in Græcia, quæ rex sanctus in Anglia, Dei Spiritu docente, didicerat. Facta itaque oratione oblatisque muneribus, cum summa prosperitate repatriant, Græcis exsultantibus in his quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos, nuntiis tam Anglorum regi quam plebi inauditum miraculum, et fidei certum reportantibus argumentum. Regem non fefellit oraculum, quoniam ipso ad regnum cœleste translato, cuncta

Digitized by Google

terrarum regna commota sunt. Syria paganis subjecta, destructa monasteria, dirutæ a fundamentis ecclesiæ, plena funeribus omnia, morte principum Græcorum, Romanorum, Francorum, Anglorum, et regna cætera perturbata. Liquet igitur regem sanctissimum, spiritu prophetiæ gratia ampliore ditatum, cui uno eodemque tempore et patuere præterita, nec latuere præsentia, futura quoque nihilominus revelantur.

De annulo quam sanctus rex beato Joanni evangelistæ dedit, et quomodo eumdem receperit.

Interea rex sanctus ævo jam gravis militiæ suæ stipendiis parabatur, augebatur ei in dies circa Deum et Dei matrem affectio, circa sanctos Dei devotio, inter quos beatissimum Petrum ut specialem patronum suum venerabatur, discipulum illum quem diligebat Jesus, ob singulare privilegium castitatis mira mentis dulcedine amplectebatur. Apud Deum pares arbitrabatur utrosque, cum alteri totius Ecclesiæ primatum Christus contulerit, alteri suavitatem sui amoris copiosius indulserit. Quod isti defuit de primatu, supplebat affectus, et quod ille minus habuit ex affectu, collata dignitas recompensabat. Unde congrue simul vocantur a Christo, simul in monte fuere cum Christo, simul missi sunt cœnaculum grande stratum ut Pascha pararetur Christo, simul ad monumentum currebant ut Christi resurrectio probaretur, simul ascendebant in templum ad horam orationis nonam ut claudus curaretur. Et quid hoc apostolo dulcius, qui a pectore Jesu et ab uberibus ejus inebriabatur sapientia, et dilectionis ejus lacte potabatur? Hæc et his similia beatus Edwardus admiratione diligenti perpendens, post apostolorum principem hunc amicum Jesu arctius diligebat, ejus libens insistebat obsequiis, frequens ei sermo de ejus excellentia, frequens de illius virginitate meditatio. Accidit autem ut ecclesia in honore ipsius apostoli constructa Deo sub nominis ipsius titulo consecraretur. Præfuit dedicationi rex beatus, et ob honorem evangelistæ lætus divinis officiis assistebat. Cum igitur processionem sequens multo milite stiparetur, subito quidam in habitu peregrino clamabat ad regem, aliquid eleemosynæ pro sancti Joannis amore sibi postulans impartiri. Injecit mox rex manum crumenæ, sed ille jam in opus simile omnia quæ fuerant illata consumpserat. Instat peregrinus, multiplicat preces. Vocat thesaurarium rex, sed, obsistente turba, non adfuit. Angebatur animo sanctus, et quid faceret ignorabat. Tandem annuli reminiscens qui digitum ambiebat, festinanter abstractum peregrino porrexit. Ille tantæ munificentiæ gratias agens, vel recessit, vel disparuit. Accidit postea viros duos ad adorandum Salvatoris sepulcrum Jerosolymam proficisci; qui die quadam a publica strata declinantes devia quæque secuti sunt. Et ecce sole ruente dies clauditur, aer suffunditur tenebris: viri quid agerent, quo diverterent, non occurrit. Illis itaque subsistentibus, et de his quæ acciderat conferentibus, grex juvenum albis ornatus præteriit intuentes, duobus præcedentibus cereis intersecantibus mira luce noctis obscurum. Sequebatur præeuntes, adlaterantibus eum viris duobus, senex quidam nivea cæsarie venerandus cui et mira vultus suavitas et innata gravitas conferret gratiam, venustatem augeret. Hic juvenes respiciens modicum substitit: « Et heus! inquit, o viri, quinam estis vos, et unde estis? Quæ vobis patria, quis rex, quæ lex? quæ peregrinationis vestræ causa? » Ad quem illi: « Natale solum nobis Anglia est, rex Edwarde; Christianis legibus subditi, sacratissima Dominicæ passionis et resurrectionis loca visitare disponimus. Sed hodie casu divertentes a sociis, ut verum fateamur venerabilitati tuæ, ubinam loci simus, quis suscipiat hospitio, quis debitam humanitatem exhibeat ignoramus. » Tunc senex ut erat hilaris vultu, facieque jucunda, intuens intuentes: « Sequimini me, inquit, et Dominus tribuens omnia vobis necessaria procurabit. » Gratias agentes illi, et senem comitati, nobilissimam ingressi sunt civitatem. Susceptis hospitio mensa paratur, lautissimeque refecti dant membra quieti. Mane facto, egredientes senex comitatur, et extra urbem jam positos, hujusmodi verbis alloquitur: « Viri fratres, cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitetis, quoniam prosperum iter faciet vobis Deus salutarium nostrorum, et ego ob amorem regis vestri in omni via hac qua gradiemini, firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Joannes apostolus et evangelista, discipulus ille quem diligebat Jesus, qui ipsum regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector, quem rogo vice mea salutetis; et ne deroget fidem oraculo, hunc ei annulum quem mihi in dedicatione ecclesiæ meæ in habitu peregrino apparenti tribuit resignate, denuntiantes ei obitus sui instare diem, quem infra sex menses visitans visitabo ut mecum sequatur Agnum quocunque ierit (*Apoc.* XIV); in quo cum mentis integritate carnis munditia et morum pulchritudo convenit. » Dixit; et statim viri in loco se quem ipsi delegerant invenerunt. Cum summa autem alacritate ad patriam revertentes, repræsentant annulum regi, exponunt oraculum, et seorsum ab aliis conferunt de regis fine sermonem: statim ad nomen Joannis rex prorupit in lacrymas, et cum de omnibus quæ viderant vel audierant diligentius inquisisset, cum gratiarum actione nuntios remisit ad propria.

De infirmitate regis, et monasterii sui dedicatione Westmonasterii.

Tali igitur edoctus oraculo beatus Edwardus obitum suum longe ante præscivit, unde et postmodum ad patriam profecturus, idoneos nuntios, preces videlicet et lacrymas, sedulo præmittebat. Sed et larga manu thesauros distribuit, faciens sibi amicos de mammona iniquitatis, qui eum reciperent in æterna tabernacula. Verum constructam

Digitized by Google

jam Beati Petri basilicam ante obitum suum voluit dedicari, pulchram operum suorum consummationem æstimans, si ecclesiam quam in peccatorum suorum remissionem et voti recompensationem renovandam susceperat, pontificali benedictione in vita sua cerneret consummatam. Appropinquabat dies festus cæteris lætior, quo Salvator noster Jesus trabea mortalitatis indutus, de utero virginali tanquam de thalamo sponsus processit; in quo Anglorum tota nobilitas ad regis curiam debuit convenire, et regi more suo sceptris simul et corona decorando assistere. Cogitans ergo quemadmodum posset ipsa consecratio solemnius exhiberi, decrevit festivitate peracta regali, die sanctorum Innocentium celebritatem istam compleri. Cum in ipsa nocte Dominicæ nativitatis febre corripitur, et mox instans jucunditas vertitur in dolorem, festivitas in fletum mutatur. Dissimulavit tamen, duplici, ut arbitror, consolatione præventus. Nam et transitum suum ad superna imminere sentiebat, et dulcissimæ nativitatis dulcissimi Jesu sacra solemnitas mentem ejus plurimum jucundabat. Igitur tribus diebus victor naturæ, et de ipso morbo triumphans regalia instrumenta sustinuit, et solemni convivio inter episcopos, et proceres cum qua potuit alacritate resedit. Tertio autem die, sentiens vocationis suæ tempus adesse, jubet, ut paratis omnibus, die crastina consecraretur ecclesia. Paravit et ipse donaria, varia protulit ornamenta, diversa vasorum genera separavit, descripsit possessiones, quibus omnibus sanctissimum illud oratorium et dotaretur et ornaretur et ditaretur. Illucescebat igitur sanctorum Innocentium jucunda festivitas, et convenientibus in unum episcopis, cunctisque regni proceribus sacra dedicationis solemnitas inchoatur. Rex quantum valitudo permittebat favebat officio, sed regina omnia disponens, omnia procurans, sollicita de omnibus, intenta omnibus, utriusque vicem implevit. Peractis itaque omnibus pro tanta solemnitate, quasi diceret rex : *Consummatum est* (*Joan.* XIX), inclinat in lectulo caput, et exhinc cœpit gravi dolore fatigari. Tunc mœror et luctus omnium, una vox plangentium. Præsentiebant plures ejus in morte desolationem patriæ, plebis exterminium, totius Anglicæ nobilitatis excidium, finem libertatis, honoris ruinam.

De visione quam vidit in extremis.

Circumstant palatini, ante lectum regina prosternitur, artus frigescentes proprio gremio fovet. Cum ecce vel resolutus in somnum, vel ægritudinis more depressus, vel quod credibile est, in mentis raptus excessum, biduo fere jacebat exanimis. Tandem quasi de gravi somno evigilans aperuit oculos et resedit, erectisque in cœlum manibus : « Deus, inquit, omnipotens, in cujus ditione sunt cuncta posita, qui nosti omnia antequam fiant, regna transferens et mutans imperia, et reddens iniquitates patrum in filios (*Exod.* XXXIV), si ea quæ mihi revelata sunt ex veritatis luce processerunt, præsta voci meæ vocem virtutis, et da sermonem rectum et bene sonantem in os meum, ut enarrem mirabilia tua, et discant qui me audiunt timere te, et in spiritu humilitatis et in animo contrito placare faciem tuam, ut pœniteat te super malo quod proposuisti facere populo huic. » Mira res! vix orationi finem dederat, et ecce robur corpori, voci virtus accessit, resolvit linguam gratia quam vinxerat ægritudo. Mirantur qui aderant, quomodo is qui pressus paulo ante morbo vix poterat ab ipsis audiri, subito vocem extulit, ac vires pristinas, sonumque clariorem sermo recepit. Assumpta igitur parabola vir beatus refert verbis luculentissimis hujusmodi visionem : « Cum adolescens in Normannia exsularem, grata mihi semper exstitit bonorum amicitia, et quicunque in sacris monasticæ religionis ovilibus videbantur meliores, hi mihi erant cæteris familiariores. Inter quos viros duos speciali quadam mihi devinxerant charitate conversationis honestas, vitæ sanctitas, suavitas morum, verborum affabilitas. Hos frequentius visitabam, quam dulcia faucibus meis eloquia eorum, super mel et favum ori meo. Sic quidem vivebam, et in talibus vita spiritus mei. Hos ante plurimos annos translatos ad cœlos vidi mihi paulo ante in somnis assistere, quid genti meæ post obitum meum sit futurum ex Dei mihi mandato referentes. Impletam dicunt Anglorum nequitiam, et iniquitas consummata iram provocat, accelerat vindictam. Sacerdotes prævaricati sunt pactum Domini, polluto pectore et manibus inquinatis sancta contrectant, et non pastores sed mercenarii exponunt lupis oves, non protegunt, lac et lanam quærunt non oves, ut detrusos ad inferos mors et pastores depascat et oves. Sed et principes terræ infidèles, socii furum, prædones patriæ, quibus nec Deus timori est, nec lex honori, quibus veritas oneri, jus contemptui, crudelitas delectationi. Itaque nec servant prælati justitiam, nec subditi disciplinam. Et ecce Dominus gladium suum vibravit, arcum suum tetendit et paravit illum. Ostendet deinceps populo huic iram et indignationem, immissiones insuper per angelos malos, quibus traditi sunt anno uno et die uno, igne simul et gladio puniendi. Hæc illi. Ego vero ob intentatam meæ genti calamitatem dolens atque suspirans : « Et, inquam, cœlestium secretorum conscii, si conversi egerint pœnitentiam nunquid non ignoscet Deus et relinquet post se benedictionem? Pœnitentia certe prolatam ore Dei in Ninivitas suspendit sententiam, quin etiam imminentem impiissimo Achab debitam ultionem. Suadebo igitur genti meæ ut pœniteant de præteritis et caveant de futuris, et sic forte miserebitur Deus, ut non inducat super eos malum hoc grande, sed qui punire præparavit adversos, recipiat in gratiam solita bonitate conversos. — Nequaquam, inquiunt, quoniam induratum est cor populi hujus, et oculi obcæcati et aures aggravatæ, ut nec audiant corripientem, nec intelligant admonentem,

Digitized by Google

nec terreantur minis, nec beneficiis provocentur. » His eorum verbis dum mihi major accrescerit sollicitudo : « Itane, inquam, in perpetuum irascetur Deus, et non apponet ut complacitior sit adhuc? Quando tot tristibus læta succedent? aut tot adversa qualis consolatio temperabit? Quale sperandum est in his malis remedium, ut sicut illinc terret et contristat afflictio, ita hinc aliquantulum mulceat divinæ miserationis promissio? « Ad hæc sancti tale mihi problema proponunt. « Arbor quælibet viridis a suo trunco decisa ad trium jugerum spatium a radice propria separetur, quæ cum nulla manu hominis cogente, nulla urgente necessitate, ad suum truncum reversa in antiquam radicem sese receperit, resumptoque succo rursum floruerit et fructum fecerit, tunc sperandum est aliquod in hac tribulatione solatium, et de ea quam prædiximus adversitate remedium. « Hæc cum dixissent, ipsi cœlo, ego vobis redditus sum. » Assidebat narranti visionem regina, Robertus etiam sacri custos palatii, dux Haraldus frater reginæ, Stigandus etiam qui ascendit cubile patris sui, et maculavit stratum ejus, vivente adhuc archiepiscopo Roberto cathedram Cantuariensem invadens; ob quod a summo pontifice suspensus paulo post crepuit et effusa sunt omnia viscera ejus. Is ad vocem narrantis obduruit, nec terretur oraculo, nec fidem habuit prophetanti, sed potius regem confectum senio delirare submurmurans, ridere maluit quam lugere. At cæteri quibus erat mens sanior flebant ubertim et suspirabant, qui nihil secus quam ipse dixerat, aut a sacerdotibus aut a principibus fieri non ignorabant. Recordantur hæc ipsa summo sæpius narrata pontifici, ipsumque persæpe tum per legatos, tum per epistolas eorum vesaniam increpasse, regemque ac reginam his malis curandis diligentiam adhibuisse, sed profecisse nihil. Experti sunt tandem regem sanctum hæc non de suo spiritu prophetasse, quando rex Haraldus qui contra jusjurandum quod Willielmo duci fecerat regnum invaserat, ab ipso victus in prælio Anglicæ libertati finem dedit, initium servituti. Unde quidam præmissam similitudinem dicunt, pro impossibili regem statuisse, illi maxime qui totam Anglorum nobilitatem sic deperisse lugebant ut ex ea gente nec rex, nec episcopus, nec abbas, nec princeps quilibet vix in Anglia cerneretur.

Expositio problematis a rege propositi.

Mihi sane alia mens est consideranti sanctissimum virum Dunstanum et ipsam calamitatem prædixisse, et consolationem nihilominus promisisse. Potest proinde sic non inconvenienter exponi. Arbor hæc regnum Anglorum significat, decorum gloria, divitiis deliciisque fecundum, excellentia regiæ dignitatis sublime. Radix ex qua totus honor iste processit regium semen fuit, quod ab Alfredo, qui primus Anglorum a summo pontifice unctus et consecratus in regem fertur, recta successionis linea usque ad sanctum Edwardum descendit. *Abscisa est arbor a trunco*, quando regnum a genere regali divisum, ad aliud semen translatum est : *Ad spatium trium jugerum hæc facta est separatio ;* quia in trium regum temporibus nulla fuit novis cum antiquo semine regali communio. Haraldus enim successit Edwardo, et Willielmus Haraldo, et Willielmus junior patri Willielmo. *Accessit ad radicem arbor*, quando gloriosus rex Henricus in quem totum regni decus transfusum est, nulla necessitate cogente, nulla spe lucri urgente, sed ex infuso ei amoris affectu abneptem Edwardi Mathildem duxit uxorem, semen regum Normannorum et Anglorum conjungens, et interveniente opere conjugali de duobus unum faciens. *Floruit sine arbor*, quando de utroque semine imperatrix Mathildis processit. *At tunc fructum fecit*, quando de ipsa noster Henricus velut lucifer matutinus exoriens, quasi lapis angularis utrumque populum copulavit. Habet nunc certe de genere Anglorum Anglia regem, habet de eadem gente episcopos et abbates, habet et principes, milites etiam optimos, qui ex utriusque seminis conjunctione procreati aliis sunt honori, aliis consolationi. Si cui hæc displicuerit expositio, aut aliter ipse exponat, aut aliud tempus quo hæc expleantur exspectet, ne propheta prophetæ inveniatur contrarius ; nec credatur sanctum Edwardum negasse quod novimus sanctum Dunstanum promisisse. His forte non inconvenienter insertis, ad narrationis ordinem redeamus.

De morte sancti regis et exsequiis.

Sciens itaque rex quia appropinquavit hora ejus ut transiret ex hoc mundo ad Christum, jubet suos a fletibus temperare, nec lætitiam quam spes parturiebat inutili quadam interpolare tristitia. Et quasi his verbis astantes conveniens : « Si diligeretis, inquit, me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, promissa fidelibus gaudia percepturus, non meis meritis, sed gratia Domini Salvatoris qui miseretur cui voluerit, et misericordiam præstat in quem sibi placuerit ; vos autem amicum persequimini precibus, et obsidentibus iter meum ad supe a psalmis eleemosynisque resistite, quoniam licet ab his superari fides crucifixi non posset, vix tamen quispiam ita perfectus est, ut vel impedire eum vel terrere non tentent. » Reginam deinde fratri proceribusque commendans, ejus plurimum laudabat obsequium, et pudicitiam prædicabat, quæ se quidem uxorem gerebat in publico, sed sororem vel filiam in occulto. Imperat etiam quatenus omnia quæ ei dotis nomine munificentia regali contulerat, firma ei semper et illibata permaneant. Sed et eos qui eum de Normannia secuti fuerant, indigenis sedulo commendabat, sive præcligerent repatriare cum gratia, sive cum honore subsistere. In ecclesia sane Beati Petri apostoli quam a fundamentis ipse construxerat, sepulturam sibi fieri postulavit, suumque transitum mox omnibus propalari, ne mortis suæ cognitione dilata, orationum quoque

Digitized by Google

suffragia differrentur. Omnibus igitur sicut oportebat dispositis, jubet sanctus sacerdotes cum ecclesiæ ministris adesse, et mox exitum suum Dominici corporis et sanguinis perceptione munivit. Cernensque reginam inter cæteros flentem uberius et crebrius suspirantem : « Noli, inquit, flere, filia mea, non enim moriar sed vivam, recedensque de terra morientium, credo videre bona Domini in terra viventium. » Totum se demum commendans Deo, in fide Christi, sub sacramentis Christi, in spe promissorum Christi, senex et plenus dierum migravit a sæculo, et puram relinquens purus spiritus carnem auctori spirituum in æternum victurus conjungitur ; cui cœli cives obviant, cui claviger æthereus cœlum reserat, cui verax sui exsecutor promissi discipulus ille quem amavit Jesus Joannes occurrit, cum quo virgine virgo sequetur Agnum quocunque ierit (*Apoc.* XIV). Obiit autem anno Incarnationis Domini 1066, cum regnasset viginti tribus annis, mensibus sex, et viginti septem diebus, indictione IV, pridie Nonas Januarii : cum quo tota pariter Anglorum felicitas ruit, periit libertas, vigor omnis interiit. Dici non potest quantus mox omnes timor invaserit, occupaverit mœror, quomodo totam quoque insulam tenebrosus quidam horror impleverit ; stabant [ad] exuvias A sacras regis cognati ejus et amici, cum subito cadaver exanime quoddam futuræ beatitudinis præferret insigne, cujus vultus cœlesti rubore perfusus omnium assistentium in se convertebat aspectus. Mirantur omnes, sed nudati corporis gloria auxit admirationem quod niveo candore coruscans ita resplenduit, ut virginitatis illius decus etiam incredulos latere non posset. Parantur interim regales exsequiæ, pretiosis linteis et optimis palliis corpus involvitur, pauperes Christi copiosis eleemosynis sublevantur. Adsunt pontifices, sacerdotum et clericorum frequens turba occurrit, duces regni cum comitibus proceribusque conveniunt, agmina concurrunt monachorum, innumerabilis multitudo utriusque sexus de vicis et civitatibus ad regis B exsequias convolarunt. Hinc psalmi resonant, illinc lacrymæ gemitusque prorumpunt ; ubique gaudia mista dolori ; cum omnes et in rege cernerent unde gauderent, et in se sentirent unde dolerent. Deferunt ad ecclesiam illud pudicitiæ templum, virtutis domicilium, offertur pro eo sacrificium salutare. Et sic in loco quo ipse decreverat honorifice sepelitur, in die novissimo beata resurrectione donandus per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SECUNDUS.

De contracto ad ejus tumulum sanato.

Rebus humanis exemptus quam potens fuerit in divinis beatus Edwardus mundum latere non potuit, cum nec virginei corporis virtus vel terra obrui, vel lapide claudi, vel cum ipso potuerit corpore sepeliri ; vis enim quæ latebat in membris erupit in miraculis, quoniam dum cæcis visum, claudis gressum, infirmis sanitatem restituit, pretiosam in conspectu Domini mortem Ed. certis indiciis declaravit. Inter pauperes quos in vita sua sanctus aluerat fuit quidam Normannici generis Radulphus nomine, qui nervis in poplite contractis, pedibus etiam ad celanda retortis, non solum naturali privabatur incessu, sed et genibus repere, ut ejusmodi debilibus moris est, dolore obsistente non valuit. Novum solatii genus adinvenit magistra necessitas, vas cavatum in formam pelvis acquirit, cui nates cum cohærentibus membris injiciens et sibi arctius colligans anteriora manibus sustentabat, posteriora quasi per terram navigando trahebat. Rege igitur ad superiora translato, cum alimenta solita misero defecissent, molestius cœpit etiam debilitatem membrorum sustinere. Recolens autem viri Dei qui eum vivens aluerat, cujus sanctitas admiranda nec ipsum latere potuit, fide plenus suæ insidens naviculæ, infra octavum suæ depositionis diem ad sancti regis sepulcrum applicuit. C Ibi regem quasi viventem conveniens : « Tu non es, inquit ille, qui corruptibili adhuc carne circumdatus debiles et ægrotos cœlesti virtute curabas ? Et ego quidem, domine mi, membrorum dispendium lenius te vivente ferebam, cum hac mihi causa cibi, potus, deliciæ, vestesque necessariæ copiosissimæ præstarentur. At nunc infirmitatis inopia cumulante miseriam, aut tu quid mihi faciendum sit, quo divertendum, cujus supplicanda majestas, cujus pietas expetenda non taceas ; aut ipse solito medicam manum adhibeas, ut quia ad spiritales quibus nunc frueris mihi fas non est aspirare delicias, membra mihi quibus corporales acquiram potenti virtute restituas. » Dixerat, et ecce mox sanctitas regis emicuit, efloruit gratia, pietas invocata re- D splenduit ; vis enim quædam occulta subito nervos extendens in naturalem statum crura pedesque retorquet, evulsisque a carne articulis sanguis profluit, paulatimque succo resumpto, arida prius ossa pristinum robur recipiunt. Gaudent astantes eamdem in mortuo quam in vivente viderant effulsisse virtutem, et exhinc sacras Edwardi regis reliquias et visitare frequentius et propensius honorare satagebant, scientes eis ad sanandos infirmos morbosque pellendos apostolicam gratiam non deesse. Porro vir ille receptis viribus stetit super pedes suos, gratias agens Deo et sancto Edwardo,

Digitized by Google

qui post primam gratiam qua debile corpus alucrat, etiam nunc secundam adjiciens, ipsam debilitatem amoverat.

De sex cæcis et septimo monoculo ad ejus sepulcrum illuminatis.

Diximus beatum Edwardum specialem in illuminandis cæcis dum adviveret habuisse virtutem, hanc ei gratiam morte interveniente non esse subtractam sequens capitulum declarabit. Adhuc de morte tritennarium pro rege celebrabatur officium, cum sex cæci unum secuti monoculum ad sepulcrum regium properarunt. Mirabile spectaculum, cum alter ab altero traheretur, et unus præcedens oculis viris septem ducatum præstaret. Ab illo ergo quo gressus omnium regebatur, ante sacri corporis repositorium collocati, suam cum lacrymis exponunt miseriam, opem flagitant, contra diuturnæ caliginis tædium beatissimi regis poscunt auxilium. Nec difficile putant in regione lucis quam nulla nox interpolat constituto, a domino lucis mortalibus corporibus lucem impetrare terrenam ; nec minoris cum meriti choris immistum angelicis arbitrantur, quam fuerat cum membris esset corruptibilibus involutus. Illis itaque in oratione persistentibus clementia divina non defuit, quæ et sancti sui merita latius propalaret, et desideratum miseris solatium non negavit. Subito enim is qui dux fuerat cæterorum, charitatis suæ stipendium lumine duplicato recepit, sociosque respiciens, videt et ipsos novi luminis infusione splendere. Intuentur se mutuo, et unus ab alio sciscitatur an videat, stupent omnes et quasi extra se positi, nesciebant quia verum est quod fiebat, existimabant enim se visum videre. Tandem in semetipsos reversi, et magnam multitudinem divinæ bonitatis experti, erumpunt in vocem exsultationis et confessionis, multis accurrentibus et admirantibus præ gaudio, et laudantibus Deum in sancto suo Edwardo. Illi autem qui munus salutare acceperant gratias agentes Deo ad propria remearunt, beatissimi regis merita prædicantes et virtutem ejus argumento visibili comprobantes.

De victoria regis Haraldi per beati regis merita.

Interea Haraldus, Godwini filius, regnum quod secundum fidem sacramenti debuerat servasse Willielmo regis Edwardi consobrino, sibi nec jure debitum nec natura, irreverenter usurpans, malum quod Anglis secundum sancti regis oraculum Dominus præparaverat, transgressione pacti et fidei acceleravit læsione. Ut autem attenuatis viribus facilius ab his quos injuste provocaverat hostibus vinceretur, suscitavit ei a parte aquilonis inimicos, Haraldum, cognomento Harfau, Norwagenorum regem, et Tostinum fratrem suum quem de Anglia ipse expulerat, et tempore regis Edwardi exsulabat in Flandria. Hi cum magna classe per Humbrom ad Eboracum properantes, cum exercitum Northanhimbrorum prælio excepissent, potiti victoria magnam de obsistentibus stragem dederunt. Hæc ubi Haraldo nuntiata sunt, exercitum copiosum ex omnibus finibus Angliæ collegit, cum nocte quadam abbati cuidam religioso qui Ramesiensi præerat monasterio, Alxi nomine, beatus Edwardus in somnis apparuit. Cujus cum majestatem vir sapiens expavisset, ille blande consolatus hominem : « Vade, inquit, et dic Haraldo ut homines qui contra jus et fas regni hujus fines invadunt aggrediatur secure, ego enim ero dux et protector exercitus, quoniam justitiæ hujus gentis deesse non possum, per quem reportabit vice hac de hoste triumphum. Et ne verbis tuis fidem deroget secretum ei sui cordis ostende ut cum ei [quod] nullo conscio mente volvebat edixeris, non hæc tuæ adinventioni sed meæ promissioni ascribat. Nocte quidem præterita cum dolore torqueretur, licet eum non parum urgeret molestia imminens, siluit tamen, reputans apud se si publicaret languorem, quod et suis futurus esset contemptui et hostibus irrisioni. Hæc secum, verum quia nunc sanitate succedente languori ab illa peste convaluit, de meo præsumens auxilio, contra barbaros justum belium suscipiat, et ab imminenti periculo suos compatriotas eripiat. » Exsurgens a somnis vir venerandus adiit Haraldum, exponit oraculum, et ne subriperet hæsitatio, secretum illud quod sanctus jusserat operiri ipso multum admirante reseravit. Tunc ille cœlesti promissione factus audacior, in manu valida usque ad provinciam Eboracensem progrediens, in loco qui tunc Steinfordebrigge, nunc autem ex rei eventu etiam Pons belli dicitur, hostes offendit : consertoque prælio dux uterque prosternitur, rex videlicet Norwagenorum et frater proprius Anglici regis Tostinus, peneque totus eorum deletus est exercitus. Itaque quod de duobus fratribus adhuc pueris longe ante prædixerat, et quod recenti visione vir sanctus promiserat, una Haraldi victoria completum esse nemo qui ambigat.

Quomodo cæcus beatum Edwardum vidit de sepulcro exire, et ita visum recepit.

Fuit præterea in monasterio beati Petri apostoli juvenis haud ignobilis, decorus quidem forma sed utriusque sideris privatus officio. Hujus compatientes miseriæ qui tunc præerant cœnobio, campanas cum quibus fratres ad quælibet agenda sciscitabantur pulsare jusserunt, et cæteras horas certis quibuscunque solemniis deputatas cymbalorum sonitu designare. Agebat igitur vir ille creditum sibi prudenter officium, frequentabat ecclesiam, orationibus crebro insistebat, et beati regis merita adesse sibi sedulo precabatur. Accidit autem die quadam æstivo tempore, dum fratres hora meridiana quiescerent, et ut ipse decumbens in oratorio daret membra quieti, et ecce videt in somnis beatum Edwardum egredi de sepulcro seque respicientem ; deinde somnolentiæ arguens hominem, jubet ei pulsando finem somno facere, et fratres ad horam orationis nonam, quæ jam pene transierat, excitare. Hæc cum ei monita sanctus delisset, videt ipsum

Digitized by Google

regem coronatum ad altare procedere. Quem cum diligenter intuens in splendorem illius corusci luminis oculos infixisset, visio beata disparuit. Expergefactus juvenis subito aperuit oculos, et hausto lumine redditam sibi pristinam sensit sanitatem. Detexit visionem fratribus, et attestatione miraculi fidem verbis fecit, omnibus admirantibus et benedicentibus Deum in operibus suis, qui beato Edwardo post mortem dedit melius vivere, et ossa ejus mortua de loco suo miris operibus pullulare.

De injusta beati Wulstani depositione, et de justa ejusdem per beatum regem restitutione.

Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus. Hoc et beati præsulis Wulstani simplex justitia, et sancti regis Edwardi potens magnificentia sequenti miraculo declararunt. Cum enim rex Willielmus totam insulam subdidisset, ac rebelles quosque vel expulisset ab insula, vel mancipasset vinculis, vel servitute oppressisset, cœpit etiam cum suis de ecclesiasticis tractare negotiis. Fecit igitur synodum congregari præsentibus apostolicæ sedis legatis Hermenfrido Sedunensi episcopo, et presbyteris cardinalibus Joanne et Petro. A quibus Stigandus, qui ut superius diximus pollutis pedibus sanctuarium Dei conculcaverat, omni gloria et honore spoliatus, et a rege perpetuo carcere condemnatus est. Successit huic in cathedra Cantuariensi abbas Lanfrancus vir undecunque doctissimus, omnium etiam liberalium artium divinarumque simul ac sæcularium litterarum peritissimus. Hic igitur quasi constitutus a Deo ut evelleret et dissiparet et disperderet, et ædificaret et plantaret, ecclesiam Anglorum ad novam quamdam speciem revocare legationis suæ fultus auctoritate conatur. Cœpit autem mox corrigenda corrigere et statuenda statuere, clericis etiam et monachis honestiorem vivendi formam præscribere. Apud hunc vir Domini Wulstanus simplicitatis et imperitiæ accusatur, et quasi homo idiota et sine litteris deponendus, rege consentiente vel etiam hoc ipsum præscribente, decernitur. Igitur in synodo quam apud Westmonasterium rege præsente celebravit Lanfrancus, inter cætera quæ tractavit negotia, jubet venerabilem virum baculum resignare cum annulo. At vir Domini nec vultu mutatus nec animo, erexit se, et virgam pastoralem manu tenens : « Vere, inquit, domine archiepiscope, vere scio quia nec hoc honore dignus sum nec huic idoneus oneri nec sufficiens labori : sciebam hoc cum me clerus eligeret, cum episcopi cogerent, cum me dominus rex meus Edwardus ad hoc officium invitaret. Ipse auctoritate sedis apostolicæ in meos humeros hoc unus refudit, et per hunc baculum me episcopali gradu investiri præcepit. Et nunc pastoralem tu virgam exigis quam non tradidisti, officium adimis quod non contulisti. Et ego quidem insufficientiam non ignorans, et tuæ sanctæque synodi sententiæ cedens resignabo baculum, sed non tibi, sed ei potius cujus eam auctoritate suscepi. » Hæc cum dixisset, cum suis accessit ad lapidem quo gloriosissimi regis exuviæ claudebantur, et stans ante sepulcrum : « Tu scis, inquit, domine mi Edwarde, quam invitus hoc onus susceperim, quoties subterfugerim, quoties me cum quærerer absentaverim. Fateor insipiens factus sum, sed tu me coegisti. Nam, licet non deesset fratrum electio, plebis petitio, voluntas episcoporum, gratia procerum, his tamen omnibus tua præponderavit auctoritas, tua magis urgebat voluntas. Et ecce novus rex, nova lex, novus pontifex, nova jura condunt, novas promulgant sententias. Te erroris arguunt qui jussisti, me præsumptionis qui consensi. Et tunc quidem falli potuisti ut homo, sed nunquid modo conjunctus Deo? Non igitur illis qui exigunt quod non dederunt, qui cum sunt homines fallere possunt et falli, sed tibi qui dedisti, qui jam inductus in ipsam veritatem erroris vel ignorantiæ tenebras evasisti, tibi, inquam, resigno baculum, tibi curam eorum quos mihi commendasti dimitto, tibi secure eos committo cujus merita non ignoro. » Hæc cum dixisset, elevata paululum manu, in lapidem quo sanctum corpus tegebatur infixit baculum : « Accipe, inquiens, domine mi rex, et cui libuerit trade illum. » Et sic descendens ab altari exutus pontificalibus inter monachos ipse monachus simplex resedit. Admirabantur omnes cernentes virgam immersam silici, et quasi radicibus niteretur, neque ad dextram neque ad sinistram declinare. Tentant eam quidam evellere, sed illa stabat immobilis. Fit in turba murmur et mussitatio, accurrunt undique videntesque magnalia Dei stupent, hærent, nunc procedunt paululum, nunc gressu sistunt, nunc extendunt manum, nunc retrahunt, nunc quomodo ferrum inhæreat lapidi terræ decumbentes explorant, nunc erecti se invicem coarctantur ut videant. Res defertur in synodum. Sed Lanfrancus dictis fidem non adhibens, accersito ad se Gumulfo Roffensi episcopo viro venerabili et religioso, jubet ut accedens ad sepulcrum, baculum quem sanctus deposuerat proferat in medium. Paret superiori præsul inferior, sed inventa est fortior virginei licet exstincti corporis virtus, quam viventis episcopi manus. Ista baculum tentat evellere, quem illa licet inferior loco sed potestate superior, quasi a parte inferiori vi quadam mirabili teneretur, silici facit immobiliter inhærere. Tunc præsul Lanfrancus novitate miraculi stupefactus, et regem volens tantæ admirationis esse participem, mittit qui eum in synodum evocarent. Advenienti cum proceribus assurgit Lanfrancus, simulque ad regis tumulum properantes, facta oratione manum apponit pontifex, baculum tentat eruere, sed obsistente sancti regis virtute conatus ejus desiderato caret effectu. Exclamat rex, plorat pontifex, uterque resonat gloriam Deo, laudes Edwardo, cujus in beati Wulstani promotione non errasse judicium certis indiciis declarabatur. Tunc Lanfrancus ad sanctum accedens :

Digitized by Google

« Verè, inquit, justus Dominus et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus, vere cum simplicibus graditur, et cum simplicibus sermocinatio ejus. Derisa est a nobis tua, frater, justa simplicitas, sed eduxit quasi lumen justitiam tuam et judicium tuum tanquam meridiem. Plangendæ tenebræ quibus involuti dicimus malum bonum et bonum malum. Erravit, erravit in te, frater, judicium nostrum, et suscitavit Deus in rege suo spiritum suum, qui nostram evacuaret sententiam, et simplicitatem tuam Deo gratam omnibus propalaret. Auctoritate proinde qua fungimur, imo divino judicio quo convincimur, curam qua te inconsultius exuimus iterum tibi committimus et imponimus, scientes experti quoniam melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. Melius plane modicum litteraturæ cum fide quæ in simplicitate cum dilectione operatur, super divitias sapientiæ et scientiæ sæcularis, quibus multi vel ad vanitatem humanæ laudis vel in avaritiam turpis quæstus abutuntur. Accede igitur, frater mi, accede ad dominum tuum, imo et nostrum : credimus enim quod sancta ejus dextera quæ nobis baculum negavit, tibi laxata manu facile resignabit. »

His auditis, sanctus pontifex sua usus simplicitate paruit imperanti, et accedens ad altare : « Ecce, inquit, ego, domine mi Edwarde, ecce ego qui me tuo commisi judicio, qui me tuæ sententiæ subdidi, cui baculum quem concesseras resignavi. Quid nunc tibi placet, quid vis, quid discernis? servasti certe dignitatem tuam, meam purgasti innocentiam, tuam magnificentiam prodidisti. Si igitur adhuc de me tua stat antiqua sententia redde baculum, aut si mutata est, cui tradatur edissere. » Hæc dicens, levi tactu virgam tentat evellere; quæ manum ejus secuta, ac in molli luto fuisset impressa desiliit. Accurrunt rex simul et archiepiscopus prostrati veniam postulant, et se sancti viri orationibus commendant. At ille qui didicerat a Domino Jesu Christo mitis esse et humilis corde, ipsis æque prosternitur, et a tanto se pontifice benedici precatur. Quæ tunc inter sanctos episcopos lacrymæ, quæ suspiria, quam humilis de ipsa benedictione fuerit contentio, quis facile dixerit? Tandem mutuo benedicentes et manibus se tenentes in synodum redeunt cunctis exsultantibus, multis autem et flentibus præ gaudio, omnibus autem in commune Deum in suis sanctis mirabilem prædicantibus. Rex vero in amorem cognati sui et prædecessoris accensus, sanctissimum ejus sepulcrum theca de argento simul et auro fabrefacta, sicut impræsentiarum cernitur, miro studio decoravit.

De prima ejus translatione et corporis incorruptione.

Cum igitur his atque hujusmodi miraculis sanctus floreret Edwardus, erat inter fratres frequens de ejus sanctitate confabulatio. De die in diem circa tantum patronum cunctorum augebatur affectus, quo ad revisendas sanctas ejus reliquias magis ac magis incitabantur. Erat et inter eos amica quædam plerumque contentio, aliis affirmantibus virgineam carnem regis corruptionis expertem, integram et illibatam in sacro sui corporis hospitio detineri; aliis præ timore indicentibus illis de tanta præsumptione silentium, ne forte hac spe frustrata, facile tanti confessoris gloria posset imminui. Cum enim, inquiunt, apostolorum, martyrum, innumerabiliumque sanctorum corpora sint resoluta in cineres, si hoc ipsum natura operetur in Edwardo, nec a nobis minus amandus, nec Deo minus videri debet acceptus. Hæc cum ante virum venerabilem ipsius monasterii abbatem Gillebertum, cognomento Crispyn disputatio verteretur, discernit tanti patroni corpus omnimodis visitandum, et quid de his sentiendum sit, certis indiciis explorandum. Statuit igitur diem quo sancti viri reliquiæ proferentur in medium, ut istorum fidei, illorum consuleretur affectui. Vocat autem ad hoc cœleste spectaculum personas honestas et religiosas, inter quas Roffensis episcopus Gumulfus, de quo superius fecimus mentionem, speciali gratia simul et gloria præeminebat. Itaque tricesimo sexto anno ex quo rebus humanis excesserat, accedunt ad tumulum sancti viri qui ad hoc fuerant invitati, sublatoque lapide quo sarcophagum claudebatur, tanta odoris fragrantia omnium naribus, ut et ecclesia repleretur, et in sepulcro aromata scaturire putarentur. Primum deinde pallium quo sacratissima membra fuerant involuta, pristinam venustatem et integritatem reservasse conspiciunt. Spe deinde gloriæ potioris animati, extracto pallio cætera ornamenta vestesque considerant, et omnia solida invenerunt et integra. Producunt brachia, plicant digitos, articulos explorant, et omnia sana, omnia flexibilia et antiquo reperiuntur vigore firmissima. Investigant postremo carnis integritatem pariter et colorem, quæ vitro purior, nive candidior, futuræ resurrectionis gloriam præferebat. At cum desideratam faciem ejus attingere omnes pariter timuissent, præfatus episcopus Roffensis testimonio conscientiæ vel amoris factus audacior, sudario quo caput sanctissimum tegebatur manum injecit, et a parte inferiori discindens, barbam beata canitie niveam fide plenus extraxit, eam ac si viveret mento firmius inhærere persentiens. Delectatus miraculo et desiderio ignitus pilum unum extrahere sibique servare conatur; sed hæsit firmius, nec sequitur voluntatem effectus. Animadvertit hoc Gillebertus, et episcopum blande corripiens : « Sine, inquit, pater, nec tanti regis velis infestare quietem, nec integritati ejus quam Christus huc usque servavit aliquid minuere. » Ad hæc episcopus : « Optime, inquit, loqueris abba. Non tamen conatum hunc meum præsumptioni deputes sed devotioni, cum reliquiarum ejus vel modicam portionem, si mihi copia præstaretur, Crœsi opibus prætulissem. Sed quia regius animus aliquid sibi detrahi dedignatur,

Digitized by Google

habeat sibi omnia, et cum integritate sua diem beatæ resurrectionis exspectet. » Itaque retento pallio quo sanctissima ejus membra fuerant involuta, aliud æque pretiosum apponunt, diligenterque curatam glebam illam dulcissimam suo recondunt in thalamo. Ubi per ejus merita plurima præstantur beneficia; ex quibus ad laudem Domini nostri Jesu Christi pauca de pluribus credimus subnectenda.

De puella ad ejus tumulum sanata.

Sanctissimus Eliseus propheta a pueris plus quadraginta derisus, sua maledictione ultus injuriam, universos bestiis tradidit puniendos. Magum impiissimum Helymam apostolos blasphemantem beatus Paulus subita cæcitate damnavit. Injuriam igitur sanctis suis illatam in se redundare Christus declarat: *Qui vos*, inquiens, *audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* x). Hoc in suo Dominus Jesus ostendit Edwardo, ejus detrahentes sanctitati cum magna severitate puniens, obsequentes ei beneficiorum collatione remunerans. Erat in civitate matrona nobilis, Mathildis nomine, artis purpurariæ peritissima, quæ regum divitumque vestes ornare auro, illustrare gemmis, picturis et floribus opere polymito variare consueverat. Commiserat ei opus non mediocris pretii nobilissima quædam ac ditissima femina, quæ comiti Gloverniæ nuptum tradita paulo minor a regina habebatur, cæterisque per Angliam comitissis sicut divitiis, ita cultu vestium nitebatur excedere. Instabat quotidie non solum ut artificiose, sed etiam ut celeriter, omnia complerentur. Aderat interea beati regis et martyris Ed. hujus nostri principis patrui, præclara solemnitas, qui ab impiis sine culpa peremptus, creditur innocentiæ martyrio coronatus. Fluctuabat animo sapiens illa mulier, et cum operis dilationem superbissimæ feminæ indignationem sibi crederet parituram, et sanctissimam festivitatem labore prohibito violare divinæ ultionis timeret esse materiam. Respiciens igitur sociam operis adolescentulam: « Quid tu, inquit, inter laboris hujus necessitatem et sancti regis Edwardi festivitatem decernis? Nam vacare dispendiosum, operari autem in tanta festivitate arbitror periculosum. » Subridens juvencula: « Istene est Edwardus quem apud Westmonasterium hæc rustica multitudo veneratur ut regem? Rogo quid mihi et illi? vacent alii et suis cantibus vel plangant mortuum vel honorent, ego non magis pro eo quam pro rustico quolibet inceptum opus si jusseris prætermittam. » Expavit domina et incaluit cor ejus et in meditatione ejus ignis exæstuans erupit in vocem increpationis et indignationis, et quasi diabolico præventam spiritu blasphemam durissimis sermonibus verberaret. Ridebat pedisequa, et dominæ suæ simplicitatem irridens, blasphemiam blasphemiis cumulabat; cum subito multis astantibus paralysi morbo corripitur, et os blasphemum usque ad dexteram aurem retortum eam officio linguæ quo fuerat abusa privavit: spumant labia, stridet dentibus et arescit, miserabilique membrorum sinuamine corpus omne torquetur. Hæc cum materfamilias juvenculæ cerneret justo Dei judicio contigisse, dolor indignationi, luctus iræ successit. Flebat illa et domus ejus tota, et quæ objurgaverat blasphemantem, miseratur tot tormenta et tam intolerabilia patientem. Res innotuit civitati. Accurrunt multi, aut dominam consolaturi, aut pedisequam admiraturi. Quærenti autem quid facto opus sit, astat persona quædam satis ut videbatur veneranda, hortabatur ut impositam navi miseram ad ipsius quem blasphemaverat corpus sanctissimum deportarent, ejus meritis recepturam remedium, ob cujus injuriam illatum sibi senserat tam immane supplicium. Dixit, et factum est ita. Delata est ad sancti regis sepulcrum mulier infelix, accensoque ad ejus mensuram cereo, domina ejus vigiliis et orationibus insistebat. Luctus et ejulatus multus circa illam, quoniam insanabilis videbatur dolor ejus, pessima plaga illius. Una et sola spes omnium pietas Edwardi, qui didicerat a Domino Jesu retribuere bona pro malis, dilectionem pro odio. Torquebatur ergo tota nocte illa, cæteris flentibus et orantibus. Orabant et pro ea fratres monasterii, quorum præpositus solemnes super eam litanias cum magna devotione edidit. Pugnabant in conspectu piissimi regis oratio et ægritudo, iniquitas famulæ peccatricis et fides dominæ miserantis, magnitudo criminis et multitudo doloris. Vicit tandem Jesum meritis beati regis illa a qua vinci solet misericordia, quæ mox in languida obvians veritati sententiam quam illa dictaverat sua lenitate temperavit. Itaque cum in dolore nocti continuasset et diem, hora qua laudibus vespertinis sacra illius festivitas diei claudebatur, inter psallentium voces et gemitus orantium subito reddita sibi sanitate intuebatur astantes, flentes admirabatur, ubi esset, quid passa, quo delata, quæ tanti doloris causa sermone recepto requirit. Os quippe quod morbus contraxerat, ad naturalia loca reversum, formæ pristinæ simul et sanitati donatur. Audiens autem cuncta quæ acciderant erupit in lacrymas; os, lingua, mens, sensus confessionem personant, et interiorem contritionem crebra suspiria prodiderunt. Tunc misericordiam et judicium cantabant qui aderant Domino, qui percutit et sanat, *mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit* (*1 Reg.* II). Illa vero gratias agens Deo et ejus beatissimo servo Edwardo, cum domina sua incolumis remeavit ad propria. Quandocunque deinceps nomen gloriosi regis audiebat, tanto corripiebatur timore, ut pallor vultum offenderet et cætera membra tremor occuparet.

De quodam fratre a febre quartana per sanctum regem liberato.

Erat præterea in monasterio quo sanctæ ejus reliquiæ servantur frater quidam Osbertus nomine, cujus sincerissimam vitam decorabat scientia, il-

Digitized by Google

lustrabat facundia, philosophia tam sæcularis quam ecclesiastica sublimius extollebat. Hic aliquando circa medium mensis Julii quartana febre correptus, per menses sex adeo vexabatur, ut natura morbo jamjamque cessura videretur. Exesæ carnes, sanguis exhaustus, ossa suis vacuata medullis simulacrum magis quam hominem præferebant. Aderat Dominicæ nativitatis cunctis mortalibus amplectenda solemnitas, et vir ille duplici molestia fatigatur, cum et vi febrium torqueretur, et his gaudiis non interesse festivis ipsis ei febribus amarius videretur. Intulit itaque fides vim naturæ, et devotio de morbo triumphat, virumque Dei sacratissimis interesse vigiliis contra spem omnium compulerunt. Et jam circa galli cantum, ut ea die consuevit Ecclesia, missa celebratur, et evangelium, quo virginalem partum, pastorum vigilias, excubias angelorum sanctus Lucas evangelista describit, recitatur, cum ille parvuli qui natus est nobis humilitatem, matris et virginis pietatem summa cum devotione considerans, totumque in lacrymas resolutus, et interiori lætitia miro modo perfunditur, et exteriori quadam suavitate membra marcida refoventur. Psallit, spiritu psallit et mente; orat, spiritu orat et mente; et inter matrem et filium, inter sinum et præsepium, pia cogitatio cum locutione discurrit. Exstinctam credit quam diu pertulerat passionem; quam tamen pius Jesus ut Edwardi sui merita propalaret, suspenderat quidem sed non exstinxerat. Biduo namque ob devotionem viri febres quadam virtute conclusæ divina, die tertio severius solito miserum corpus invadunt, et se artubus, nervis, juncturis quoque, imis etiam visceribus infundentes, doloribus, ac tortionibus tam interiora quam exteriora illius omnia dissecabant. In his tormentis cum dies posterior præcedenti videretur esse crudelior, advenit dies desiderata, qua gloriosissimus princeps Edwardus post gloriam temporalem Christo remunerante meruit æternam. Hora igitur illa qua pro tanti regis memoria immolabatur sacrificium salutare, accessit ad sancti tumulum languidus, et prostratus solo, quasi jam extremum spiritum emissurus indoluit. Deus meus, quæ tunc suspiria, qui gemitus, qui singultus miserum illud corpus concutiebant? Qualia ei verba dolor dictabat, suggerebat fides, spes componebat. Nunc quasi ratiocinando provocat, nunc supplicando compellat. « Et tu, inquit, Domine, usquequo? usquequo oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam a me? ubi sunt, rogo, magnalia tua quæ narraverunt nobis patres nostri, opera quæ operatus es in diebus eorum? Itane qui alienis didicisti misereri semper et parcere, tibi servientibus, tuis deputatis laudibus, tuis obsequiis mancipatis claudes viscera pietatis? Itane corpus quod regia munificentia hactenus aluisti, nunc febribus consumendum exposuisti? Et utinam consumendum cito; sed heu! heu! depascor et non consumor, torqueor et non morior; vita dolori est, nec finitur; mors desiderio, nec conceditur. Sed quid facio, quasi judicio contendens tecum cum misericordiam petam, nec præsumam de judicio? Obsecro proinde, bone rex, amantissime princeps, dulcis patrone, moveat illa viscera tua piissima servuli tui tantus dolor, et oculo quo longe posita cernere consuesti, quid in his miserendis visceribus meis agatur diligentius contemplare, et quam intolerabiliter a frigore nimio ad calorem nimium transeam. O! o tremor horribilis, ardor indicibilis! Attende, Domine dulcissime, attende et vide, *si est dolor sicut meus* (*Thren.* i). Si indignum judicas sanitate, vel dolorem termina morte. » Inter hæc verba, singultus lacrymæque prorumpunt, nec ulterius res verbis agitur sed affectibus. Deinde expletis missarum solemniis surgit ab oratione; et ecce dolor omnis abcesserat, et quasi novo perfusa refrigerio vigorem pristinum membra cuncta resumpserant. Cœpit etiam cogitare de cibo, et statim pulso fastidio, vis appetitiva ad cibi desiderium excitatur. Quid plura? Perfectæ redditus sanitati tanto dehinc devotius sancti confessoris obsequiis et laudibus insistebat, quanto fuerat in se ipso virtutem ejus expertus.

De quodam milite ab eodem morbo sanato.

Erat vir iste scriba doctus in regno cœlorum, et sæpe sermonem jussus facere in populo, proferebat de thesauro suo nova et vetera. Accidit autem post recuperatam tali miraculo sanitatem, ut anni orbita natalis anniversariam denuo sanctissimi regis memoriam revocaret. Confluxerat de civitate non minima multitudo, ut et singulis annis consueverat, tam vigiliis quam missarum solemniis ob ipsius gloriam interesse gaudebat. Frater igitur iste ab abbate secundus sacris indutus vestibus ad altare missam celebraturus accessit. Post lectionem autem sancti Evangelii, conversus ad populum, habuit ad eos de regis sanctitate simul et virtute sermonem. Prædicabat vir Dei ejus humilitatem, laudabat patientiam, pudicitiam extollebat. Quanti vero meriti fuerit apud Deum, certis miraculorum astruit argumentis. Postremo virtutem ejus quam anno præterito senserat in se ipso producens in medium, omnes ad pietatem, multos etiam ad suspiria lacrymasque commovit. Adfuit miles quidam regalis custos palatii Gerinus nomine, qui typo quartano per dies et menses supra modum fatigatus, frustra in medicos multa consumpserat. Nam morbus nec sibi nec suis parcens, sacculum pecunia, sanguine corpus ejus exhauserat: spiritus ejus attenuatus est, et solum sibi videbatur superesse sepulcrum. Audiens autem hunc virum per merita beati Edwardi simili exemptum passioni, conceptæ fidei spes successit, et cor pavidum charitas ignivit. His omnibus factus alacrior, ad sepulcrum regis nocte sequenti accensis cereis excubias celebravit. Erat autem vigilia Dominicæ apparitionis, et nox triplici jucunditate

Digitized by Google

solemnis in qua et fides gentium, et baptismatis sacramentum, et miraculorum Christi commendatur initium. In conventu fratrum hymni resonant et concrepant lectiones, Gerinus Edwardo totus intentus lacrymas offert, et multiplicat preces : Edwardus Gerinum, Christus exaudivit Edwardum, et opere uno, regem gloria et honore sublimem, Gerinum reddidit febribus exstinctis incolumem.

De femina quam absentem sanavit.

Regulus ille cujus filius infirmabatur Capharnaum ad sanandum eum necessariam corporis Domini præsentiam ratus, minus fidelis ipsius Salvatoris sententia judicatur. Porro fidem centurionis ob id maxime Israeleticæ religioni novimus ab ipso Christo prælatam, quod cum ad pueri illius paralysim depellendam suum spopondisset adventum, divinam ejus majestatem fide plenus attendens : *Nequaquam*, inquit, *Domine, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus* (*Luc.* VII). Hujus fidei similitudinem sanctimonialis quædam femina in monasterio Berchigensi zelata, beati regis Edwardi merita sua reddidit fide clariora. Laborabat enim et ipsa quartanæ febris incommodo, et jam ei secundus in ipso languore transiens annus spem recuperandæ sanitatis ademerat. Die vero quadam cum matutini soporis quiete membra marcida refocillaret, videbat in somnis se cum suorum comitatu ad patriam propriam parentesque revisendos iter arripuisse. Et cum paululum processissent, rogat unus aliquis ut divertat ad Westmonasterium, quatenus ibi cibo potuque refecti laborem itineris facilius sustinerent, Et : « Quomodo, inquit illa, ad eos divertam quorum nec faciem unquam vidi nec nomina novi, nec in ratione dati et accepti cuiquam illorum aliquando communicavi ? » Et ille : « Est ibi, inquit, nobilis rex Edwardus, cujus si cum devotione ac fide sepulcrum inviseris, facile tibi a Domino Deo suo refectionem qua corpus tuum pristinum vigorem recipiat impetrabit. » Evigilans igitur mulier somnumque retractans surrexit de stratu, baculoque imbecilla membra sustentans, ingreditur oratorium et coram altari prosternitur. Septem quoque Psalmos qui pœnitentiales dicuntur, cum summa cordis contritione decantans solemnes addit Litanias ; devotis quoque precibus sanctum regem conveniens : « Credo, inquit, Domine, paratam mihi apud sanctum sepulcrum tuum, secundum quod mihi promissum est, si illud adiero, sanitatem ; sed quid opus est hoc labore meo, imo periculo meo? Erit enim non parvum meæ quietis dispendium vecturam quærere, viaticum procurare, socios itineris providere, præcipue in eundo et redeundo audire multa, multa videre quæ mentem extollant et adimant gravitatem, et vel ipsa nugari, vel otiari, vel talia facientes attendere. Quid igitur necesse est ut sacri corporis tui præsentiam quæram, cum spiritu præsens sis, et cernenti creatorem angusta sit omnis creatura? Scio certe, scio quod in ea luce quæ penetrat omnia, mea tibi patet miseria, et cum sis particeps summæ illius potestatis, si voluntas adfuerit, non deerit facultas. Dic proinde verbo et sanabitur ancilla tua. » Hæc et hujusmodi cum in magna cordis angustia declamasset, ad lectum doloris sui timens et tremens revertitur ; erat enim dies qua tremebundæ illius accessionis exspectabatur hora. Sed illa, ut ita dicam, lento pede progrediens parum vel nihil molestiæ intulit patienti. Animæquior exhinc facta mulier ad rogandum regem beatissimum se totam convertit, et post biduanæ quietis solatium quartanæ passionis timebatur accessus. Incumbente autem hora illa terribili oratorium rursus ingreditur, et præmissis psalmis lacrymas iterat et multiplicat preces. Quid plura ? Et illum diem transigit sine molestia. Cum autem tertiæ tribulationi eodem quo prius occurrisset antidoto, perfectæ reddita sanitati, sancto regi Edwardo quoad vixerit gratiarum retulit actiones.

De monacho a triplici morbo curato.

Nec silentio tegendum arbitror quod uni servorum Westmonasterii, viro religioso et honesto, per merita beati regis pietas divina contulerit. Miro quidem vir iste circa beatum Edwardum tenebatur affectu, et nominis illius recordatio super mel ei dulcis erat et memoria sanctitatis ejus super mel et favum, unde cum gratiarum actione quinque pro ejus anima quotidie psalmos decantabat. Accidit autem ut triplici fatigaretur molestia, nec alia quam cœlestis speraretur medicina. Post minutionem namque circa vulnusculum collectus sanguis et coagulatus in pessimum apostema duruerat, et vicina quoque loca dolor invadens, suo brachium vigore privaverat, anhelo præterea cor cruciabatur spiritu, et pectus angustum cum magna difficultate halitum emittebat. Sed et pedem tumor intolerabilis occupans officium ejus pene totum ademerat. Appropinquabat dies annua revolutione solemnis, qua rex sanctus ad cœlestia regna migravit, cum ille tanto laborans incommodo desideratam cunctis lætitiam solito mœstior exspectabat. Eadem vero nocte tempore opportuno cum ad signa pulsanda ob honorem regis alacriter fratrum turba concurreret, ipse valitudine pressus tristis sedebat, quod nihil poterat hilaritatis exhibere, nec fratribus in tanto labore præstare solatium. Illis igitur cordas summa cum devotione trahentibus, æstuabat vir sanctus et semetipsum jam ferre non sustinens : « Itane, inquit, mi Edwarde, non subvenies, et huic desiderio meo vires negabis ? Adesto, quæso, surgo enim, et me fratrum choris intersero. » Arrepta vero una cordarum morbumque contemnens, toto nisu manibus traxit utrisque. Statim apostemate rupto, concretus ille putridus sanguis erupit, sedatoque tumore dolor omnis abcessit. Sublata igitur una trium molestia, de pectoris anxietate sollicitus, expertam jam regis sancti virtutem, fide certior et spe cœpit alacrior contemplari. Moris autem erat illi, fratribus post vigilias ad strata redeuntibus in ec-

Digitized by Google

clesia remorari, et ante quoddam altare secretius psalmis orationibusque vacare. Eadem vero nocte qua sibi divinam in brachii sui curatione senserat adfuisse præsentiam, ad dulces quas solitus fuerat frequentare latebras devotus accessit. Prostratusque Deo et sancto confessori suo Edwardo, pro accepto beneficio agit gratias, supplicat pro non accepto. Nec præsumptioni sed fidei ascribendum, quod triplicari sibi cœlestia munera precabatur. Instat igitur, plorat et orat, lætus pro brachio, sed pro pectore tristis. Inter orandum autem, e corpore sudor copiosus egrediens spiritum reddidit solito fortiorem. Pectus deinde cœlesti quodam rore perfusum solitam recepit sanitatem. Superat adhuc pedis angustia, quæ eum fratrum suorum interesse conventui non sinebat. Itaque cum in cella infirmorum cum alio quodam seniore decumbens, die quadam circa solis occasum mutua se collatione reficiunt, et inter colloquendum beati regis virtutem suavi sermone commemorant. Tunc ille qui jam fuerat duplici morbo curatus : « Quam magna, inquit, multitudo potentiæ ejus, frater charissime, quam ego peccator in memetipso expertus audeo dicere, quia quidquid voluerit, a Domino Deo suo facile impetrabit. » Sic ei miraculum quod in se fuerat operatus exponens, pedem extendit intolerabili quodam tumore deformem ; et : « Si hunc, ait, pedem mihi sublato dolore sanasset, nihil est quod ulterius petendum ab eo æstimassem. » His sermonibus se consolantes, sole ruente lectulis sese recipiunt. Mane autem facto, surgens is cui pes doluerat, solito manum apponit dolori, sed nihil in pede quod vel tumeret vel doleret inveniens, sensit se per beatum Edwardum perfectæ sanitati donatum. Exclamat cum gaudio, et pandens sociis tam cœleste miraculum, ad amandum dulcius, et laudandum devotius, et expressius extollendum tanti meriti patronum omnium corda commovit, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, cui est honor in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Vita sancti Edwardi regis et confessoris, cum miraculis ejusdem.

DE SANCTIMONIALI DE WATTUN.

(Twisden, ibid., p. 415.)

De quodam miraculo mirabili, auctore Aluredo abbate Rievallensi.

Miracula Domini et manifesta divinæ pietatis indicia scire et tegere, portio sacrilegii est. Quod enim esse potest præsentibus ad consolationem, ad ædificationem posteris, omnibus ad devotionem, indignum est cunctorum notitiæ deperire. Sed plerumque multorum nos terret ineptia, qui vel invidia tabescentes, vel infidelitate languentes, de his quæ bona sunt, vix de quoquam suis credunt oculis, ad credendum vero de quolibet ea quæ mala sunt, levi tactu aurium inducuntur. Hinc est quod rem mirabilem et nostris sæculis inauditam tibi potissimum, pater amantissime, credidi revelandam, cujus sancta simplicitas bene sentire de omnibus, de nullo absque certis indiciis sinistrum aliquid suspicari consuevit. Nulla sit de verborum veritate cunctatio, cum ea quæ dicenda sunt, ex parte propriis oculis viderim, omnia autem mihi tales personæ retulerint, quas nec ætatis maturitas, nec spectata sanctitas, ulla sinerent ratione mentiri.

Inter monasteria virginum quæ vir venerabilis ac Deo dilectus, pater et presbyter Gillebertus per diversas Angliæ provincias miro fervore construxit, unum in provincia Eboracensi situm est in loco qui aquis et paludibus septus ex re nomen accepit. Dicitur enim Wattun, id est *humida villa*. Qui quondam, ut refert in *Historia Anglorum* venerabilis presbyter Beda, magno sanctarum mulierum pollebat examine : ubi et beatus pontifex Joannes, puellam ob incautam sanguinis diminutionem fere desperatam, salubri tactu et oratione sanavit. Quoniam igitur in eodem loco prædicti patris industria renovatur antiqua religio, antiqua nihilominus miracula renovantur. Ita quippe ibi Christi ancillæ, inter quotidiana manuum opera consuetudinemque psallendi, spiritualibus mancipantur officiis ac cœlestibus intersunt theoriis, ut pleræque quasi valedicentes mundo et omnibus quæ mundi sunt, sæpe in quosdam indicibiles rapiantur excessus, et angelicis videantur interesse choris. Crebra eis cum bonis spiritibus confabulatio, a quibus nunc corripiuntur, nunc erudiuntur, nunc de certis necessariisque præmuniuntur. Tanta inter eas videtur dilectio, tanta pro invicem sollicitudo, ut cum una obierit, cæteræ nunquam cessent a precibus, donec vel de pœna ejus, vel de gloria certum eis aliquid eluxerit. Inde est quod non solum ut fieri solet in somniis, sed et visibiliter carneis oculis mortuæ vivis appareant, et nunc pœnam, nunc gloriam quam singulæ meruerunt exponant. Contigit aliquando unam optimæ apud omnes opinionis, relicto corpore ad cœlestia commigrasse. Diligebatur ab omnibus, sed ab una specialius colebatur. Instat precibus illa, ut ei vir-

Digitized by Google

ginis meritum divina pietas non celaret. Revoluto anni circulo, dies depositionis ejus anniversarius vertebatur. Solitas orationes puella multiplicat. Accenditur desiderio, ubertim lacrymis irroratur. Interim pro defunctæ excessibus immolanda salutaris hostia parabatur. Sacerdotes debitum officium prosequuntur. Conversa ad altare Christi virgo desiderii sui præstolabatur effectum : cum ecce radius solis de superioribus ad inferiora demissus ante gradum altaris sese locavit. Intuetur diligentius illa, et mox virginem quam dilexerat, nimio splendore coruscam ipsi radio conspicit insidere. Obstupuit et obriguit, et loquente spiritu, carnea lingua tacebat. Quia vero sopitis quodammodo sensibus corpus stabat immobile, accessum virginis, ut evidentius cerneretur, solo desiderio flagitabat. Mox radius solis a loco quo substiterat elevatus, accessit propius, et ante faciem virginis stans vultum quem concupierat amanti præbuit cominus contemplandum. Ita ineffabili perfusa gaudio finem cœlestis præstolabatur officii. Cum vero missa voce diaconi clauderetur, illa ad se, radius ad superiora revertitur. His extra propositum præmissis, ad ea quæ proposuimus enarranda transeamus.

Pontificante in ecclesia Eboracensi sanctæ ac piæ recordationis Henrico, puella quædam quatuor ut putabatur annorum, ejusdem sancti patris precibus in eodem monasterio suscipitur nutrienda. Quæ mox ut infantilem excessit ætatem, cum puellaribus annis puellarem induit lasciviam. Nullus ei circa religionem amor, nulla circa ordinem sollicitudo, circa Dei timorem nullus affectus. Petulans illi oculus, sermo indecens, lascivus incessus. Incedebat sacro tecta velamine, sed nihil tali dignum habitu prætendebat in opere. Corripitur verbis, sed non corrigitur ; urgetur verberibus, sed non emendatur. Furabatur magistrarum oculis horas, ut vel indulgeret otio, vel signis inordinatis diffluerent, aut vacaret fabulis, aut inutile aliquid aliis suaderet. Disciplina ordinis premebatur, et ad exterioris hominis honestatem utcunque servandam cogebatur invita. Omnia ei ex timore constabant, ex amore nihil. Et jam nubilis facta, interioribus exteriora, otiosa quietis, seriis ludicra præponebat. Accidit autem ut fratres monasterii quibus exteriorum commissa est cura, quidpiam operis facturi ingrederentur monasterium feminarum. Quod illa perpendens accessit propius, et curiosius ipsorum opera contemplabatur et vultus. Erat inter eos adolescens cæteris formosior facie et ætate nitidior. Injecit in illum oculos misera, ipse vero intendebat in eam. Aspiciunt se oculo blandiori ; et mox serpens tortuosus, utriusque pectus ingrediens, lætiferum insibilat per cuncta vitalia virus. Res primum nutibus agitur, sed nutus signa sequuntur. Tandem rupto silentio conserunt de amoris suavitate sermonem. Accendunt se mutuo, spargunt utrinque seminaria voluptatis, libidinis incentiva. Et ille stuprum meditabatur, illa vero postea dicebat, de solo cogitabat amore. Interim coalescunt affectus. Sed ut sibi liberius colloquerentur vel se fruerentur uberius, de loco vel tempore in unam coiere sententiam. Abjicientibus itaque arma lucis, nox placebat obscurior. Publicum fugitantibus locus secretior gratus habetur. Dat signum prædæ impiissimus prædo, ut ad sonitum lapidis quem vel in parietem vel tectum ædis in qua pausare consuevit, infelix se jactaturum promisit, de ejus adventu certissima egrederetur ad eum. Ubi tunc, pater G., tuus in custodia disciplinæ vigilantissimus sensus ? Ubi tot tam exquisita ad excludendam vitiorum materiam machinamenta ? Ubi tunc illa tam prudens, tam cauta, tam perspicax cura, et circa singula ostia, fenestras, angulos tam fida custodia ut sinistris etiam spiritibus negari videretur accessus ? Elusit totam industriam tuam, pater, una puella, quia *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (*Psal.* cxxvi). Fecisti, vir beate, fecisti quidquid potuit homo, quoniam sic expediebat. Sed sicut nemo potest corrigere quem Deus despexerit, ita nemo potest servare quem non ille servaverit. Et tu, infelix, quid agis ? quid cogitas ? quid tam attente aures ad tegulas erigis ? Ubi timor, ubi amor, ubi illius sanctæ congregationis reverentia ? ubi beati pontificis qui te huic monasterio tradidit suavis memoria ? Nihil horum a tanto te revocat scelere. Deletis his omnibus, solus in corde turpis vivebat affectus. Surgis misera, pergis ad ostium. Conantem egredi vis divina repellit ; tentans iterum, sed nihil profecisti. Regressa modicum beatæ virgini solitas vigilias cum duodecim lectionibus celebrasti. Quid ultra tibi facere debuit Christus et non fecit ? O mira cordis excæcatio ! Quid denuo moliris egressum ? Ecce dimitteris instar Balaam secundum desideria cordis tui, ut eas in adinventionibus tuis. Oportet te duci in Babylonem, ibi forte curaberis. Quid plura ? Heu ! egreditur. Claudite aures, virgines Christi, oculos operite. Egreditur Christi virgo, adultera post modicum reditura. Egreditur, et quasi columba seducta non habens cor, mox accipitris excipitur unguibus. Prosternitur, os ne clamaret obstruitur, et prius mente corrupta carne corrumpitur. Experta voluptas nefas compulit iterare. Cum hæc sæpius agerentur, sorores sonitum quem crebro audiebant admirantes fraudem suspicabantur. Illa maxime patuit suspicioni, cujus mores omnibus solebant esse suspecti. Fuga etiam juvenis suspicionem adauxit. Cum enim concepisse se adultero prodidisset, timens ne et ipse proderetur, relicto monasterio ad sæculum ire perrexit. Tunc matronæ sapientiores puellam conveniunt. Illa ulterius celare non valens confitetur excessum. Stupor autem apprehendit omnes quæ audiebant verbum. Exarsit mox zelus in ossibus earum, et aspicientes se mutuo, complosis manibus irruunt super eam : extractoque ab ejus capite velo, aliæ tradendam flammis, aliæ vivam excoriandam, aliæ impositam stipiti suppositis carbonibus assandam putarunt. Fervorem adolescentium

Digitized by Google

compescebant matronæ. Attamen spoliatur, extenditur, etiam absque ulla miseratione flagellis atteteritur. Præparato ergastulo vinciur, intruditur ; singulis pedibus duo annuli cum suis catenulis inducuntur; quibus duæ non parvi ponderis catenæ insertæ, quarum una immani trunco clavis infigitur, altera per foramen extracta foris sera concluditur. Sustentatur pane et aqua ; quotidianis opprobriis saturatur. Interea tumens uterus evolvit conceptum. O quantus tunc erat luctus omnium ! quanta præcipue virginum lamenta sanctarum, quæ suo timentes pudori unius crimen in omnibus metuunt impingendum, etiam quasi jam expositas se omnium oculis illudendas, quasi omnium traditas dentibus corrodendas sentirent ! Flebant omnes, flebant singulæ ; nimioque dolore succensæ iterum irruunt in captivam. Et nisi maturiores conceptui pepercissent, vix aliquando ab ejus pœna quiescerent. Illa universa hæc mala patienter sustinet, majoribus se dignam clamat tormentis, credere se tamen cæteras pro ejus infidelitate nihil mali passuras. Deliberant quid de his agendum. Si expelleretur, in omnium hoc redundare infamiam, imminerequo non parvum omnium animabus periculum, si destituta solatio mater cum sobole mortis discrimen incurreret; si servarentur, partum non posse celari clamabant. Tunc una : « Optimum, inquit, est, ut nequissimo juveni sua meretrix adulterino fetu gravida commendetur, ejusque dimittatur curæ cujus consensit nequitiæ. » Ad hæc infelix : « Si hoc vobis poterit esse remedio, licet sciam hoc mihi futurum exitio, ecce adolescens nocte illa, hora illa, in loco nostræ iniquitatis conscio, mihi sicut promisit occurret; vestri tunc erit arbitrii me tradere illi. Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. » Continuo rapiunt verbum de ore ejus. Jam jamque spirantes ultionem in juvenem, quærunt ab ea de omnibus veritatem. Confitetur illa, affirmans vera esse quæ dixerat. Tunc magister congregationis, ascitis quibusdam e fratribus, rem aperit. Jubetque ut nocte illa unus tectus velamine caput, designato loco sederet, alios occulte præsentes adesse ut venientem exciperent, attrectatumque fustibus vinctum tenerent. Dixit et factum est ita. Adolescens quid cum sua ageretur ignorans, non solum mente, sed etiam habitu sæcularis, advenit. Et ardens libidine, mox ut velamen aspexit, sicut equus et mulus quibus non est intellectus, irruit in virum quem feminam esse putabat. At hi qui aderant, amarum ei cum baculis conficientes antidotum, conceptam febrem exstinguunt. Res defertur ad virgines. Mox quædam zelum Dei habentes etsi non secundum scientiam, ulcisci cupientes virginitatis injuriam, petunt a fratribus juvenem sibi per modicum tempus dimitti, quasi secretum aliquid ab eo cognituræ. Susceptus ab eis, prosternitur ac tenetur. Adducitur quasi ad spectaculum, illa malorum omnium causa : datur ei in manibus instrumentum, ac propriis manibus virum abscidere invita compellitur. Tunc una de astantibus, arreptis quibus ille fuerat relevatus, sicut erant fœda sanguine in ora peccatricis projecit. Vides quo zelo urebantur æmulatrices pudicitiæ, insectatrices immunditiæ, Christi præ omnibus amatrices. Vides quo modo istum mutilando, illam opprobriis et contumeliis insectando Christi ulciscuntur injuriam. Ecce gladius Levi, æmulatio Simeonis, qui violatæ castitatis ultores, nec circumcisis putant esse parcendum. Ecce zelus Phines sacerdotis, qui æternum sacerdotium fornicantium nece promerucrit. Hic etiam sapientia Salomonis elucet, qui virginem Abisac ad concubitum postulantem in proprium fratrem mortis sententiam promulgavit. Non laudo factum sed zelum; nec probo sanguinis effusionem, sed tantam contra turpitudinem sanctarum virginum æmulationem extollo. Quid non paterentur, quid non facerent pro castitate servanda, quæ tanta potuerunt pro ulciscenda? Sed ut ad propositum redeamus. Abscisus fratribus redditur, mulier in carcerem confusa retruditur. Hactenus misera mulier, infelicitatis tuæ historiam scripsimus, deinceps quemadmodum super te Christi stillaverit misericordissima pietas stylo prosequamur; ubi enim abundavit peccatum superabundavit et gratia (*Rom.* v). Jam exacta ultione, tepescente zelo, ad Christi vestigia sacræ virgines provolvuntur. Plorant et orant, ut loco parceret, verecundiæ virginali consuleret, infamiæ occurreret, periculum propulsaret. Et illæ quidem quotidie precibus et lacrymis divinam clementiam provocabant. Peccatrix vero pia illa viscera Jesu doloribus et opprobriis, contumeliis quoque quas patiebatur commovebat. O bone Jesu, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas : si te præsente quondam in carne, una misera mulier tanta afficeretur miseria, quid ageret illud pium pectus, in quo sicut omnis sapientiæ et scientiæ, ita omnes thesauri misericordiæ quieverunt? Audiant justi, et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia. Audiant peccatores, ut nunquam de illius bonitate desperent, qui sic exercet judicium ut non deserat misericordiam. Respexisti, bone Jesu, respexisti, et tot ancillarum tuarum æmulationem et timorem, et unius peccatricis tuæ afflictionem. Jam infans in ventre vivebat, lac ex uberibus ubertim fluebat ; adeo etiam uterus intumescere videbatur ut putaret geminos parituram. Plumbeus color oculos circumfundit, faciem pallor invadit, et nunc vacuatis humore mamillis, post modicum solito liquore replebantur. Jam eam vix capiebat ergastulum, jam partui necessaria præparantur. Cavent quantum possunt ne fletus infantis partum prodat. Et ecce intempestæ noctis silentio cum se misera sopori dedisset, videt in somniis assistere sibi pontificem, per quem, ut prædiximus, in eodem monasterio divinis est officiis mancipata, amictum pallio, et monachico habitu subinduto. Cumque severiori oculo aspiceret in eam : « Quid est, inquit, quod me quotidie maledicis? » Negavit illa nimio timore

Digitized by Google

perterrita. Tunc sanctus : « Verum est, ait, cur negas? » Videns se deprehensam mulier, respondit : « Vere domine, quia tu me huic monasterio tradidisti, in quo invenerunt me tanta mala. » Ad hæc antistes : « Tibi hoc potius imputato quæ peccata tua necdum ut oportet patri spirituali propalasti. Sed vide ut quam citius poteris confitearis, et hoc a me suscipiens in mandatis, ut hos psalmos quotidie Christo decantes. » Et mox ei numerum et nomen psalmorum describens disparuit. Evigilans illa, et animæquior facta, visionem et psalmos commendat memoriæ.

Sequenti vero nocte cum jam putaretur paritura, et amara videretur horæ illius exspectatio, plus tamen timeretur ipsa partus editio, iterum venerabilis pontifex in somniis apparuit, desperanti duas B secum adducens venusta facie mulieres. Accessit ad miseram præsul, et super genua sua capite ejus supinato, pallio quo amiciebatur vultum operuit, increpans eam et dicens : « Si fuisses vera confessione purgata, cerneres manifeste ea quæ aguntur. Nunc quidem senties beneficium, sed modum et qualitatem facti scire non poteris. » Erecta post modicum videt mulieres infantem, ut sibi videbatur, candido coopertum linteo in ulnis ferentes discedentem sequi pontificem, expergefacta nihil ponderis sensit in ventre. Attrectat manu corpus, et totum vacuum reperitur. Mane autem facto, adsunt custodes, respicientes in illam, vident detumuisse uterum, vultum puellarem, ne dicam virginalem, induisse decorem, oculos perspicaces, plumbeum deposuisse colorem. Et mox quasi propriis non credentes oculis : « Quid est hoc, inquiunt? An tot sceleribus tuis et hoc addidisti, ut tuum interficeres infantem? » Statimque angustum ergastulum illud in quo catenata sedebat evertunt. Nihil ibi latere pateretur angustia carceris, supellectilis vilitas, tenuitas stramentorum. « Et quid, inquiunt, misera, num peperisti? » Ipsa se nescire respondit. « Et ubi est, aiunt, infans tuus? » Respondit : « Nescio. » Referensque visionem, nihil amplius se scire professa est. Non credunt rei novitate perterritæ. Palpant uterum, et ecce tumori successerat tanta gracilitas, ut dorso ventrem adhærere putares. Tentant ubera, sed nihil humoris eliciunt ex eis. Nec tamen D parcentes, fortius premunt, sed exprimunt nihil. Per singulos artus currunt digiti, explorant omnia; sed nullum signum partus, nullum conceptus indicium repererunt. Vocantur aliæ, et post illas aliæ, et unum inveniunt omnes. Sana omnia, munda omnia, pulchra omnia ; nihil tamen decernere, nihil sine patris auctoritate judicare præsumunt. Adhuc tenetur in vinculis, adhuc circa pedes ferrum durat, stridunt catenæ. Duos divinæ ministros clementiæ sibi advenisse conspexit : et unus catenam qua arctius stringebatur arrepta, socio comitante discessit. Sorores vero advertentes mane deesse catenam mirantur, causam inquirunt, audiunt, sed parum credentes scrutatæ sunt omnem supellectilem ejus, sed nihil inveniunt. Paulo post inveniunt de ejus pedibus unum de vinculis cecidisse. Quod invenientes integrum, et in ea firmitate qua fuerat fabrilibus instrumentis, pedibus ejus innexum, admiratæ sunt valde. Sed quid multis morer? Eodem ordine a cæteris absoluta, pes tantum unus uno compede tenebatur. Interea sanctus pater adveniens, cum evidentibus signis ac veracissimis testibus omnia didicisset, sicut est miræ humilitatis homo, meam parvitatem de his omnibus credidit consulendam. Veniens igitur ad nostrum monasterium servus Christi, cum mihi aperuisset secreto miraculum, rogat ut ancillis Christi meam non negarem præsentiam. Libens annui. Cum vero tam me quam itineris mei socios humanissime ac jucundissime suscepisset, imus ad cubiculum illud intra cubiculum ubi illa in suo antro sedebat inclusa. Adsunt plures tam virgines quam viduæ ævo jam graves, sapientia et discretione pollentes, spectabiles sanctitate et in regularibus disciplinis multum exercitatæ. Quæ cum nobis omnia retulissent, cœpi compedem propriis manibus attrectare, intellexique quod nec ab aliis nec ab ista sine Dei virtute posset absolvi. Quædam autem nec dum timore depo- C sito quæsierunt a nobis, si alia ei vincula deberent imponi. Prohibui, importunum hoc asserens, et quoddam infidelitatis indicium. Exspectandum potius, et sperandum quod is qui eam liberavit ab aliis, ab hoc quoque quo adhuc tenetur eripiet. Patre præterea præcipiente, relata sunt nobis multa æterna memoria digna, quibus manifeste datur intelligi, quia beneplacitum est Domino super timentes eum, etiam in eis qui sperant super misericordia ejus. Igitur commendantes nos sanctis orationibus earum, et eas prout potuimus verbo Domini consolantes, ad nostrum monasterium regressi sumus, laudantes et glorificantes Dominum in omnibus quæ audivimus et vidimus, et sanctæ virgines narraverunt nobis. Post paucos dies allatæ sunt nobis viri illius venerabilis litteræ, quibus significavit nobis, illum quo eam invenimus vinctam compedem cecidisse, et quid facto deinceps opus esset meam indignitatem consuluit. Ego vero inter alia hæc pauca verba rescripsi : *Quod Deus mundavit tu ne commune dixeris ; et quam ipse absolvit, tu ne ligaveris.* Hæc ideo tibi charissimo meo longe ab his partibus remoto maxime scribendum putavi, ut et invidis occasionem tollerem, et tamen Christi gloriam non tacerem. Vale.

Ex, licit quoddam miraculum mirabile, descriptum a viro venerabili Ethelredo abbate Rievallensi, de quadam sanctimoniali femina de Wattun.

Digitized by Google

LECTORI.

Vitam S. Margaritæ, reginæ Scotiæ, recenset Fabricius inter Opera B. Aelredi, « quam, inquit, sed decurtatam, habet Surius ad diem 10 Junii, integriorem *Acta Sanctorum* ad illam diem. » Quæ tamen in *Actis Sanctorum* legitur S. Margaritæ Vita non Aelredum, sed Theodoricum monachum Dunelmensem auctorem agnoscit. Fragmenta tantum non nulla affert D. Papebrochius ex libro Aelredi supra recuso *De genealogia regum Anglorum*. En ipsius Papebrochii verba : « Laurentius Surius, qui in priori anni 1571 editione Margaritam ignoraverat ; in secundæ anni 1579 inseruit nescio per quem acceptam Vitam, sub nomine incerti auctoris, præfatus quod eam S. Aelredus abbas primo conscripsit. Opera S. Aelredi Joannes Baleus cent. 2, cap. 99, ex eoque Joannes Pitseus recensentes, Ealredum nominant. In his notatur *Vita Margaritæ reginæ, lib.* 1 ; sed eam sibi non esse visam ambo testantur, cum omittunt, quæ alibi addunt, prima illius verba. Inter Scriptores vero decem postea editos ad nosque perlatos, quartus est *Ethelredus*, atque inter alia ejus ibi scripta Epistola ad illustrem ducem II., id est Henricum, postea Anglorum regem, sanctæ ex filia Mathilde nepotem ; cui epistolæ, anno 1144 scriptæ, in volumine prædicto ponitur titulus : *Genealogia regum Anglorum*. Hic, cum verbotenus eadem reperiam, quæ ad Theodorici contextum adduntur apud Capgravium de regina Mathilde, veluti accepta ex ore Davidis, regis ac fratrum natu minimi et testis oculati, vehementer suspicor, nihil de sancta scripsisse illum, nisi quæ in prædicta Genealogia leguntur. Si tamen aliquid amplius scripsit, etiam hoc vehementer optatur. »

POST MEDIUM SÆCULUM

HENRICUS
ARCHIDIACONUS HUNTINGDONENSIS

NOTITIA

(FABRIC., *Bibliotheca mediæ et inf. Latin.*, tom. III, pag. 222)

Henricus, ex Lincolniensi canonico archidiaconus Huntindonensis, Huntenduniensis, sive Huntingtonensis. Vide Baleum II, 82, et Pitseum, p. 211. Scripsit, petitione Alexandri Lincolniensis episcopi, *Historiam Anglorum* libris VIII ab originibus gentis, et maxime ab Anglorum Saxonumque transitu in Britanniam usque ad obitum Stephani regis, A. C. 1153. Prodiit in H. Savilii Scriptoribus rerum Anglicarum. Lond. 1596, et Francof. typis Wechelianis 1601, fol., pag. 296. His octo libris, *nonum*, *decimum*, *undecimum* et *duodecimum*. Henricus addidit, quos maximam partem adhuc ineditos servari in duobus, biblioth. Lambethanæ perpulchris mss. codicibus notavit H. Warthonus præf. ad tom. II *Angliæ sacræ*, pag. XXIX. In his liber nonus agit *de sanctis Angliæ et de miraculis eorum*. Liber decimus, *de summitatibus rerum* titulum habet. In præfatione, quam anno 1135 scripsit, *de fine mundi* disserit. Præfationi succedit epistola ad Henricum regem, ms. etiam in bibliotheca Cottoniana, p. 76, *de serie regum* et imperatorum Judæorum, Assyriorum, Persarum, Macedonum et Romanorum usque ad imp. Conradum III, sive ad sua tempora. Dein alia ad Warinum Britonem epistola *De origine regum Britannorum* a Bruto ad Cadwalladrum, quos in Historia sua prætermiserat, postea autem in Galfridi Arthuri libro apud Beccum invenerat et hanc edidit Dacherius ad calcem Guiberti de Novigento, p. 736. Huic succedit tertia ad Walterum episcopum Wintoniensem, epistola an. 1145, *De mundi contemptu per ea quæ ipsi vidimus* : seu (ut alius habet codex) *De imagine mundi*, alius *De mundi appetitu*, sive *De episcopis et viris illustribus sui temporis*. Hanc ex utroque codice Lambethano exhibuit, laudatus Warthonus tom. II *Angliæ sacræ*, pag. 692-702, variantibus alterius lectionibus ad marginem appositis. Eam antea evulgaverat Dacherius in Spicilegio suo, Tom. VIII, pag. 178 (editionis novæ tom. III, pag. 503). Liber undecimus Satyras et epigrammata complectitur ; duodecimus, hymnos sacros, lusus amatorios et carmina diversi generis habet. Ex unico hoc Historiarum opere Baleus II, 82, et Pitseus, cap. 204, pag. 212, plus quam viginti libros procuderunt, singulas fere epistolas et carmina pluribus subinde titulis pro arbitrio effictis insignita sæpius recensentes. Videndum an diversum aliquod sit opusculum *De provincia Britanniæ*, quod in bibliotheca Cantabrigiensi publica servari notavit Caveus. Henricus ipse ad Walterum (1) carmina sua memorans, ad ea quæ libro undecimo leguntur, respicit :

(1) Tom. II *Angliæ sacræ*, pag. 702.

Digitized by Google

Henricus tibi serta gerens, epigrammata primum,
Prælia mox Veneris, Germina (2) deinde tuli.
Nunc Waltere tibi fero carmen funebre, totus
Alter ab Henrico qui tria serta tulit.

Versus autem in laudem Elfledæ Merciorum dominæ atque (3) Alfredi, petiti sunt ex libro Historiæ Henrici hujus quinto, p. 354 et 352, edit. Wechelianæ.

(2) Al., *Gramina.*
(3) Tom. I *Angliæ sacræ*, pag. 207, 208.

HENRICI
ARCHIDIACONI HUNTINGDONENSIS
HISTORIARUM
LIBRI OCTO.

(Henricus Savilius, Rerum Anglicarum Scriptores post Bedam præcipui, Londini 1596, fol., 167.)

—

PROLOGUS.

AD ALEXANDRUM LINCOLNIENSEM EPISCOPUM.

—

Cum in omni fere litterarum studio dulce laboris lenimen et summum doloris solamen, dum vivitur, insitum considerem, tum delectabilius et majoris prærogativa claritatis historiarum splendorem amplectendum credideram. Nihil namque magis in vita egregium quam vitæ calles egregie indagare et frequentare. Ubi autem floridius nitescit virorum fortium magnificentia, prudentium sapientia, justorum judicia, temperatorum modestia, quam in rerum contextu gestarum? audivimus quidem quid Homericam laudans historiam Flaccus intimaverit dicens:

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius et melius Chrysippo et Crantore dicit.

(Hor. *Epist.* lib. I, ep. 2, vers. 3, 4.)

Crantor siquidem et Chrysippus, circa doctrinam morum philosophantes, multis codicibus desudaverunt. Homerus autem velut spectaculo eliquans prudentiam Ulyssis, fortitudinem Agamemnonis, temperantiam Nestoris, justitiam Menelai; et e contra imprudentiam Ajacis, debilitatem Priami, intemperantiam Achillis, injustitiam Paridis, honestum et utile et his contraria lucidius et delectabilius philosophis historiando disseruit. Sed quid in alienis moramur? Vide quo modo sancta doceat historia morum instituta, dum Abrahæ justitiam assignat, Moysi fortitudinem, Jacob temperantiam, Joseph prudentiam, et contra dum Achab injustitiam, Oziæ invalitudinem, Manasse intemperantiam, Roboam imprudentiam demonstrat. Præsertim, o Deus bone, quantæ humilitatis fax est, quod sanctus Moyses, Deum se protegentem et ulciscentem ut ab hostibus suis averteret, thuris odorationem cum fratre admovens, in medium periculi terribilis se injecit, et pro Maria se blasphemante lacrymas effudit, et pro malevolis semper orando sudavit! Quantæ benignitatis lux est, quod David maledictis, injuriis Simei [al. *Cusi*] *et blasphemiis læsus, et irritatus ab eo vehementer, unum et persequentem et debilem armatus et comitatus et fortissimus contra feriri prohibuit; et postea victor et regno restitutus ultionem fieri in eum non permisit? Sic etiam in rebus gestis omnium gentium et nationum, quæ utique Dei judicia sunt, benignitas, munificentia, probitas, cautela, et his similia et contraria non solum spirituales ad bonum accendunt et a malo repellunt, sed et sæculares ad bona sollicitant et in malis muniunt. Historia præterita quasi præsentia visui repræsentat, futura ex præteritis imaginando dijudicat. Habet quidem et præter hæc illustres transactorum notitia dotes, quod ipsa maxime distinguat a*

Digitized by Google

brutis rationabiles; bruti namque homines et animalia unde sint nesciunt, genus suum nesciunt, patriæ suæ casus et gesta nesciunt, imo nec scire volunt. Quorum homines quidem illos infeliciores judicio, quia quod bestiis ex creatione, hoc illis ex propria contingit inanitione; et quod bestiæ si vellent non possent, hoc illi nolunt cum possint, sed de his jam transeundum est, quorum mors et vita sempiterno dotanda est silentio.

Hæc ergo considerans, hujus regni gesta et nostra gentis origines jussu tuo, præsul Alexander, qui flos et cacumen regni et gentis esse videris, decurrenda suscepi : tuo quidem consilio Bedæ Venerabilis ecclesiasticam, qua potui, secutus Historiam, nonnulla etiam ex aliis excerpens auctoribus, inde chronica in antiquis reservata librariis compiluns, usque nostrum ad auditum et visum præterita repræsentavi. In quo scilicet opere sequenda et fugienda lector diligens dum invenerit, ex eorum imitatione et evitatione, Deo cooperante, melioratus, mihi fructum afferet exoptabilem. Plerumque etenim ad ipsam morum puritatem juxta callem directum historiæ resilivimus, nihil autem sine divina invocatione incipientes, Deo invocato, incipiamus.

Adonai, opifex, pastor, susceptio nostra.
Principium rerum, vegetatio, finis earum,
Hoc opus aspira, deduc finique precamur.
Hoc opus, in patribus, quod es ipse parens operatus,
Judicio grandis, et regna levansque premensque,
Judicio nunc occulto, nunc vero patenti :
His pœnas dum complerent sua crimina tardans,
His pœnas cum complessent sua crimina librans,
Quidquid enim reges, quidquid populi meditantur,
Ut faciant, si perficiunt, fieri facis illud,
Pacificansque malumque citans testante propheta,
Ens solus, tantusque manens, quantus voluisti :
Ex quo, per quem sunt, in quo sunt omnia solo.
Tuque pater patriæ, princeps a rege secundus,
Præsul Alexander, si quæ perscripsimus apta,
Laude tua niteant, minus apta precamur ut aptes.
Hic reges populosque vides, quos alea fati
Extulit et pressit, sed ab his metire futura.
Aspice, magne Pater, quo devenere potentes :
Aspice quam nihili sit honor, lux, gloria mundi.

LIBER PRIMUS.

Britannia igitur beatissima est insularum, fecunda frugibus et arboribus, copiosa rivis et nemoribus, jucunda volucrum et ferarum venatibus, ferax avium multi et diversi generis terra, mari, et fluviis; alendis autem mira pecoribus et jumentis. Unde Solinus : *Ita pabulosa in quibusdam locis est Britannia, ut pecua, nisi interdum a pastibus arceantur, ad periculum agat satietas.* Fluviis vero abundat valde piscosis, fontibus præclara copiosis : et quidem præcipue isicio redundat et anguilla; abundat et vitulis marinis, nec non et halecia et ostrea mire in ea redundant et varia conchyliorum genera : inter quæ sunt et musculæ, quibus sæpe inclusam margaritam omnis quidem coloris optimam inveniunt, rubicundam scilicet et hyacinthinam, purpuream et prassinam, sed maxime candidam; nec desunt cochleæ, quibus tinctura coccinei coloris conficitur, cujus rubor pulcherrimus nullo unquam solis ardore, nulla valet injuria pluviarum pallescere; sed quo vetustior, eo solet esse venustior : capiuntur et sæpe delphines et balenæ. Unde Juvenalis x, 14 :

Quantum delphinis balæna Britannica major.

Venis etiam metallorum æris redundat, ferri scilicet, stanni et plumbi, nec non et argenti, sed rarius. Advehitur autem argentum a proxima parte Germaniæ per Rhenum pro mira fertilitate piscium et carnium, lanæ pretiosissimæ et lactis armentorumque absque numero, ut major ibi videatur copia argenti quam in Germania : unde omnis moneta ejus argento puro conficitur. Gignit etiam lapidem gagatem plurimum optimumque. Est autem nigrogemmeus et ardens; igne accensus serpentes fugat, attritu calefactus applicita detinet, æque ut succinum. Fontes etiam salinarum habet; adsunt et fontes calidi, et ex eis fluvii balneorum calidorum omni ætati et sexui per distincta loca juxta suum cuique modum accommodi. *Aqua enim*, ut sanctus Basilius dicit, *fervidam qualitatem recipit, cum per certa quædam metalla transcurrit, et fit non solum calida sed et ardens.* Hæc autem insularum nobilissima, cui quondam nomen Albion fuit, postea vero Britannia, nunc autem Anglia, inter septentrionem et occidentem sita est, DCCC millibus longa, et CC millibus lata, exceptis duntaxat prolixioribus diversorum promontoriorum tractibus, quibus efficitur ut circuitus ejus quadragies octies septuaginta quinque millia compleat; habet autem ab

Digitized by Google

oriente Germaniam et Daciam, ab occidente Hiberniam, a meridie Galliam Belgicam; cujus proximum littus transmeantibus aperit civitas, quæ dicitur Rucupi [*al.* Rutubi] portus, a gente Anglorum nunc corrupte Reptacester vocata, interposito mari a Gessoriaco Morinorum gentis littore proximo trajectu millium L, sive ut quidam scripserunt, stadiorum CDL. Gallia autem Belgica a Belvaci nobilissima quondam urbe Galliæ dicta est: quæ provincia nunc in duas divisa videtur: in eam scilicet quæ vocatur Pontica, et in eam quæ vocatur Northmannia, ubi modo Northmanni gens nova sed validissima degunt. Habet autem a septentrione, unde Oceano infinito patet, Orcadas insulas novem, de quarum ultima Thule dictum est:

Tibi serviat ultima Thule.

(VIRGIL., *Geor.* I, 30.)

Cum autem plurimas insulas habeat Britannia, tres majores habet, unam Orcadas, de quibus dictum est; aliam Dan, vel Euboniam, quæ in umbilico maris inter Hiberniam et Britanniam sita est; tertiam Dicht [*al.* Guith], quæ australis est, et vergit contra Northmannos et Armoricos, qui nunc Britanni dicuntur, sicut in proverbio dicebatur antiquo, quando de judicibus et regibus sermo fiebat: *Judicabit Britanniam cum tribus insulis.* Erat autem et civitatibus quondam viginti et octo nobilissimis insignita, præter castella innumera, quæ et ipsa muris, turribus, portis ac seris erant instructa firmissimis. Civitatum autem nomina hæc erant Britannice; Kair-Ebranc, id est Eboracum; Kair-chent, id est Cantuaria; Kair-Gorangon, id est Wigornia; Kair-Lundene, id est Lundonia; Kair-Legion [*al.* Lirion], id est Leiceastria; Kair-Collon, id est Colleccastria; Kair-Glou, id est Gloveccastria; Kair-Cei, id est Ciceastria; Kair-Bristou; Kair-Ceri, id est Cireceastria; Kair-Guent, id est Winceastria; Kair-Grant, id est Granteceastria, quæ modo dicitur Cantebrigia [*al.* Grantebrigia]; Kair-Lion, quam vocamus Carleuil; Kair-Dauri, id est Doreceastria; Kair-Dorm, id est Dormeceastre, quæ sita in Huntedonensi provincia super flumen, quod vocatur Nen, penitus destructa est; Kair-Loitchoit, id est Lincolnia; Kair-Merdin, quæ nunc quoque sic vocatur; Kair-Guorcon; Kair-Cucerat; Kair-Guortigern; Kair-Urnac; Kair-Celemion; Kair-Meguaid; Kair-Licelid; Kair-Peris, id est Porcestre; Kair-Legion [*al.* Lerion], in qua fuit archiepiscopatus tempore Britonum; nunc autem vix mœnia ejus comparent, ubi Usca [*al.* Osca] cadit in Sabrinam; Kair-Draiton; Kair-Mercipit; Kair-Segent, quæ fuit super Tamesin non longe a Reding, et vocatur Silcestre. Hæc erant nomina civitatum tempore Romanorum et Britannorum. Quinque autem plagas ab exordio usque ad præsens immisit ultio divina Britanniæ, quæ non solum visitat fideles, sed etiam dijudicat infideles: primam per Romanos, qui Britanniam expugnaverunt, sed postea recesserunt; secundam per Pictos et Scottos, qui gravissime eam bellis vexaverunt, nec tamen obtinuerunt; tertiam per Anglicos, qui eam debellaverunt et obtinent; quartam per Dacos, qui eam bellis obtinuerunt, sed postea deperierunt; quintam per Northmanos, qui eam devicerunt, et Anglis in præsentiarum dominantur. Quando autem Saxones hanc terram sibi subjugaverunt, reges septem statuerunt, regnisque nomina pro libitu imposuerunt. Primum regnum vocatum est Kent [*al.* Cent]; secundum Sudsear, in quo sita est Ciceastria; tertium Nestsear, cujus caput erat Wiltonia, quæ nunc data est sanctimonialibus, in quo sunt urbes Vinceastria, Salesburia, et plures aliæ; quartum regnum Estlear, quod non duravit, sed cæteris regnis subjugatum est; quintum Lastangle, in quo sunt provinciæ; quæ vocantur Nordfolc et Sudfolc; sextum Merce in quo est Lincolnia, et aliæ complures; septimum Nordhumbre, in quo est Eboracum. Postquam autem reges Westsear cæteris prævaluerunt et monarchiam obtinuerunt, terras per quinque et triginta provincias sibi diviserunt: quarum situs et nomina, quamvis inhabitantibus notissima sint, non tamen pigeat subscribere. Deveniet enim forsitan ut, quemadmodum nomina civitatum prædicta, quæ olim grata et excelsa erant, modo in barbariem et risum vertuntur, ita et decursu temporum quæ modo notissima sunt, incognita et incredibilia fiant. Unde patet quam misere et frustra nominis nostri famam incolæ provinciarum appetamus, cum nec ipsarum urbium vel provinciarum nomina durare possint. Prima igitur provincia est Kent [*al.* Cent], in qua est archiepiscopatus Cantuariæ, et episcopatus Roveceastriæ; secunda est Sudsear, in qua est episcopatus Ciceastriæ; tertia Suthrie; quarta Hamtesire, in qua est episcopatus Vinceastriæ; quinta Beresire; sexta Miltesire, in qua est episcopatus Salesberiæ; septima est Dorset; octava Sumerset, in qua est episcopatus Badhe, vel Acemanecestriæ; nona Devenesire, in qua est episcopatus Exceastriæ; decima Cornuallie [*al.* Cornugalliæ]; undecima Castsear; duodecima Midlesear, in qua est episcopatus Lundoniæ; tertiadecima Sudfolc; quartadecima Northfolc, in qua est episcopatus Norwiciæ; quinta decima Cantebrigesire, in qua est episcopatus Clu; sextadecima Lincolesire, cujus caput est Lincolnia, cui subjacent septem aliæ provinciæ, scilicet provincia Leiceastriæ, et Hamtoniæ et Huntuudoniæ, et Hereford [*al.* Herteford], Bedeford Bukingeham, Oreneford. Extenditur enim episcopatus Lincolniæ a magno flumine Humbræ usque ad flumen Tamesis. Vigesima quarta est Glouceastresire; vigesima quinta est Mireceastresire, in qua est episcopatus Vigorniæ; vigesima sexta Herefordsire, in qua est episcopatus Herefordiæ; vigesima septima Salopsire; vigesima octava Ceastresire, in qua est episcopatus Ceastriæ; vigesima nona Marewic; trigesima Stafford. Post trigesimam prima est Dereby; secunda Notingham; tertia Guerwicesire, in qua est archiepiscopatus Eboraci;

Digitized by Google

quarta est Northumberland, cui præest episcopus Dunolmiæ [*al.* Dunhelmiæ]; quinta illa regio, in qua est novus episcopatus Caruil. Syra vero Anglice Latine dicitur provincia. Igitur septemdecim episcopatibus insignita nostro tempore florescit Anglia. Urbes vero multo plures sunt quam episcopatus, ut Gloweceastria, Leiceastria, Oxenefordia, et aliæ plures episcopis carentes, sed in occidentali parte Britanniæ, quæ vocatur Wallia, tres supersunt episcopatus. Unus apud Sanctum David; alius apud Bangor [*al.* Paingor]; tertius apud Clamorgan. Sunt tamen hi tres nullarum urbium episcopi propter desolationem Walliæ, quæ sola devictis remansit Britannis. Tempore autem nostro recepit episcopus Sancti David pallium a papa, quod scilicet fuerat olim apud Kairlegion, sed statim tamen amisit. Urbes autem prædictæ amœnis insitæ locis super flumina coruscant fertilia et pulcherrima. Sunt autem duo flumina cæteris clariora, Tamesis et Sabrina quasi duo brachia Britanniæ, per quæ sibi suas et alienas effert et infert divitias. Proprie vero proprium Britanniæ est, ut incolæ ejus in peregrinationem tendentes omnibus gentibus cultu et sumptu clariores, ex hoc unde sint, dignosci possunt. Cum autem tot rebus abundet Britannia, vineæ quoque fertilis est; sed raro, ut habeant, qui divitias ejus emendas appetunt, secum quod inferant. De cujus laude quidam ita scripsit:

Illa quidem longe celebri splendore beata
Glebis, lacte, favis supereminet insula cunctis.
Quas regit ille Deus, spumanti cujus ab ore
Profluit Oceanus.

Et Paulo post:

Testes Londoniæ ratibus, Wintonia Baccho,
Herforda grege, Virecestria fruge redundans.
Batha lacu, Salebira feris, Cantuaria pisce,
Eboracum silvis, Excestria clara metallis.
Norvicium Dacis, Hibernis Cestria, Gallis
Cicestrum, Norwageniis Dunelma propinquans.
Testis Lincoliæ gens infinita decore,
Testis Ely formosa situ, Rovecestria visu.

Nec tacendum arbitror quod temperie gratissima, et ideo inhabitantibus saluberrima sit Britannia. Cum enim inter septentrionem et occidentem sita sit, frigus, quod recipit a septentrione, temperat calor, quem recipit a sole occidente. Nunquam autem in ea aliquos arripuit ignis sacer, sed a Galliis allati ibi solent sanari. Et quia prope septentrionalem mundi verticem jacet, lucidas æstate noctes habet, ita ut in medio sæpe tempore noctis in inquisitionem veniat intuentibus, utrum crepusculum adhuc maneat vespertinum, an jam advenerit matutinum, utpote nocturno sole non longe sub terris ad orientem Boreales per plagas redeunte. Unde etiam plurimæ longitudinis habet dies æstate sicut et noctes contra in bruma, sole nimirum tunc Lybicas in partes redeunte, id est horarum decem et octo. Plurimæ item brevitatis noctes æstate, et dies habet in bruma, hoc est sex solummodo æquinoctialium horarum, cum in Armenia, Macedonia, Italia, cæterisque ejusdem lineæ regionibus longissima dies sive nox 15, brevissima 9 complea horas. Quatuor autem sunt, quæ mira videntur in Anglia. Primum quidem est, quod ventus egreditur de cavernis terræ in monte qui vocatur Pec, tanto vigore, ut vestes injectas repellat, et in altum elevatas procul ejiciat. Secundum est apud Stanenges, ubi lapides miræ magnitudinis in modum portarum elevati sunt, ita ut portæ portis superpositæ videantur; nec potest aliquis excogitare qua arte tanti lapides adeo in altum elevati sunt, vel quare ibi constructi sunt. Tertium est apud Chederole [*al* Chederhole, *vel* Chedrenhole], ubi cavitas est sub terra, quam cum multi sæpe ingressi sint, et ibi magna spatia terræ et flumina pertransierint, nunquam tamen ad finem evenire potuerunt. Quartum est quod in quibusdam partibus pluvia videtur elevari de montibus, et sine mora per campos diffundi. Tantæ autem gratiæ inhabitantibus fuit Britannia, quod quatuor in ea calles a fine in finem construerent regia sublimatos auctoritate, ne aliquis in eis inimicum invadere auderet. Primus est ab oriente in occidentem et vocatur Ichenild; secundus est ab austro in aquilonem, et vocatur Erningestrate; tertius est ex transverso a Dorobernia in Cestriam, scilicet ab euroaustro in zephyrum septentrionalem, et vocatur Matlingestrate; quartus major cæteris incipit in Catenes et desinit in Cotenes, scilicet a principio Cornugalliæ in finem Scotiæ: et hic callis vadit ex transverso a zephiro australi in eurum septentrionalem, et vocatur fossa, tenditque per Lincolniam. Ili sunt quatuor principales calles Angliæ, multum quidem spatiosi, sed nec minus speciose sanciti edictis regum, scriptisque verendis legum. Quinque autem linguis utitur Britannia, Britonum videlicet, Anglorum, Scotorum, Pictorum et Latinorum; quæ doctrina scripturarum cæteris omnibus est facta communis, quamvis Picti jam videantur deleti, et lingua eorum ita omnino destructa, ut jam fabula videatur, quod in veterum scriptis eorum mentio invenitur. Cui autem non comparet amorem cœlestium, et horrorem terrestrium, si cogitet non solum reges eorum, et principes, et populum deperiisse; verum etiam stirpem omnem et linguam, et mentionem simul defecisse? et, si de aliis mirum non esset, de lingua tamen, quam unam inter cæteras Deus ab exordio linguarum instituit, mirandum videtur.

Hucusque de situ et habitu Britanniæ, licet de multis pauca dixerimus, dicta sufficiant. Nunc a quibus, et quo tempore primum inhabitata fuerit dicendum est; quod in Beda non inventum in aliis auctoribus reperi. Scripserunt enim a Dardano principium emanasse Britonem. Dardanus autem pater fuit Troii; Troius autem pater Priami et Anchisæ; Anchises pater Æneæ; Æneas pater Ascanii; Ascanius pater Silvii, Silvius autem, cum uxorem duxisset, et prægnans esset, prædixit magus quidam filium, unde prægnans erat, interfectu-

Digitized by Google

rum patrem suum. Occiso igitur mago pro vaticinatione illa, natus est filius, et vocatus est Bruto. Post multum vero intervallum, dum ipse luderet cum pueris, ictu sagittæ occidit patrem, non industria, sed casu. Quamobrem expulsus ab Italia pervenit in Galliam, ibique condita civitate Turonorum, quæ vocatur Turonis, invasit tractum Armoricanum. De tractu autem Armoricano huc adveniens australes sibi partes insulæ ingentis vindicavit, et ex nomine suo Britanniam vocavit. Dicunt autem illi auctores quod, quando Bruto regnabat in Britannia, Heli sacerdos judicabat Israel, et Posthumus sive Silvius filius Æneæ regnabat apud Latinos, cujus nepos erat Bruto. Post intervallum vero octoginta annorum contigit gentem Pictorum de Scythia Oceanum ingressam, circumagente flatu ventorum, extra fines Britanniæ Hiberniam pervenisse, ejusque septentrionales oras intrasse, atque inventa ibi gente Scotorum sibi quoque in partibus illis sedes petisse, nec impetrare potuisse. Dixerunt itaque Scoti : « Nos ambos insula hæc non caperet, sed novimus insulam esse aliam non longe a nostra contra ortum solis, quam sæpe lucidioribus diebus de longe aspicere solemus : hanc adire si vultis, habitabilem vobis facere valetis; vel, si quis resistere voluerit, nobis auxiliaris utimini. » Itaque petentes Britanniam Picti, habitare per septentrionales insulæ partes cœperunt. Nam australes Britones occupaverunt. Cumque uxores Picti non habentes peterent eas a Scotis, ea solum conditione dare consenserunt, ut ubi res veniret in dubium, magis de feminea regum prosapia quam de masculina regem sibi eligerent : quod usque hodie apud Pictos constat esse servatum. Hæc sunt, quæ a scriptis veterum traduntur de adventu Britonum in partem illam terrarum, quæ Britannia vocatur, et de adventu Pictorum in insulam eamdem. Quæ, quamvis insula sit, cum maximi sit spatii, non minoris excellentiæ est quod insula est, cum totus mundus insula sit. Sed quia vulgo dicitur : *Vento pluvia, et risus dolori miscetur*, ob prærogativas ipsius Britanniæ divitias omnium circumadjacentium in se livorem et invidiam movit. Quamobrem sæpe expugnata, sæpissime vero impugnata est. Procedente namque tempore, venerunt et Scoti ab Hibernia in Britanniam duce Reuda, qui in Pictorum parte vel amicitia vel ferro sedes sibi, quas hactenus habent, vindicarunt, a quo videlicet duce Dalreudini vocantur. Nam lingua eorum Dal partem significat. Dicendum est igitur paucis de Hibernia. Quod quamvis de proposito non sit, prope tamen est, et ad laudem Dei omnipotentis hoc scribere apponam.

Hibernia enim post Britanniam omnium insularum optima est. Quæ, quamvis Britanniæ divitiis cedat, latitudine tamen sui status et salubritate ac serenitate aerum multum ei præstat. Quæ, sicut contra aquilonem brevior est, ita in meridiem se trans illius fines plurimum protendens usque contra Hispaniæ septentrionalia quamvis magno æquore interjacente pervenit. Nunquam aut raro ibi nix plusquam triduana remanet. Nemo propter hiemem aut fena secat æstate, aut stabula fabricat jumentis. Nullum ibi reptile videri solet, nullus serpens vivere valet : nam sæpe illuc de Britannia allati serpentes, mox ut proximante terris navigio odore aeris illius attacti fuerint, intereunt. Cum [*al.* quin] potius omnia, quæ de eadem insula sunt, contra venenum valent. Denique quibusdam vidimus a serpente percussis rasa folia codicum, quæ de Hibernia fuerunt, et ipsam rasuram aquæ immersam, ac potui datam, talibus protinus totam vim veneni grassantis, totum inflati corporis absumpsisse ac sedasse tumorem.

Mirabili igitur dono Deus hanc ditavit insulam, multitudinemque sanctorum ad ejus tuitionem in ea constituit; præterea lacte et melle ditavit, vinearumque non expertem, venatu piscium, et volucrum, cervorum et caprearum insignivit : hæc autem proprie patria Scotorum est. Si quis autem scire voluerit quo tempore primum habitata fuerit, de hoc nihil apud venerabilem Bedam, sed apud quemdam auctorem reperi. Quod Ægyptiis in mari Rubro submersis, illi, qui superfuerant, expulerunt a se quemdam nobilem Scythicum, qui apud eos degebat, ne dominium super eos invaderet. At ille expulsus, diu circuiens per Africam, pervenit cum familia ad aras Philistinorum, et per lacum Salinarum venerunt inter Russicadam [*al.* Rusicadam] et montana Syriæ, et venerunt per flumen Malva, transieruntque per Mauritaniam, et ad columnas Herculis navigarunt Tyrrhenum mare, et pervenerunt usque ad Hispaniam, et ibi per annos habitarunt multos, et progenies eorum multiplicata est valde. Inde autem venerunt Hiberniam, post mille et duos annos a transitu Israel per mare Rubrum. Britones tamen occuparunt prius Britanniam. Britones namque in tertia mundi ætate Britanniam; Scoti in quarta venerunt Hiberniam. Hæc cum non certissima sint, hoc tamen certum est quod ab Hispania Hiberniam venerunt, et inde pars eorum egressa tertiam in Britannia Britonibus et Pictis gentem addiderunt : nam et pars, quæ illi remansit, adhuc eadem utitur lingua, et Navari vocantur. Est autem sinus maris permaximus, qui antiquitus gentem Britonum a Pictis secernebat, qui ab occidente in terras longo spatio erumpit, ubi est civitas Britonum munitissima usque hodie, quæ vocatur Aldclud [*al.* Aldclid] : ad cujus videlicet sinus partem septentrionalem Scoti, quos diximus, advenientes sibi locum patriæ fecerunt.

Julius vero Cæsar primus Romanorum Britanniam bello lacessivit, annos sexaginta ante Incarnationem Domini nostri, anno ab urbe condita sexcentesimo nonagesimo tertio, ipse ergo functus gradu consulatus cum Lucio Bibulo, cum Germanos et Gallos jure prælii superasset, qui tum Rheno tantum flumine dirimebantur; inde venit ad Mo.i-

Digitized by Google

nos, unde in Britanniam brevissimus est transitus. Fecit igitur naves parari octoginta onerarias et actuarias, et ipse cum legionibus in Britanniam transvolat; nec tamen secundum quod sperabat evenit : egrediens enim de navibus Britonum pugnam acerbam plusquam credere posset sensit. Videns ergo suos pauciores, aliosque quam putaverat præstantiores, vi compulsus est naves reintrare. Tunc vero tempestate correptus, magnam classis partem, magnum militum numerum, equites vero omnes pene amisit; confusus et reversus in Galliam acrius exarsit, legionibusque hiemantibus sexcentas naves utriusque commodi paravit; vere autem vir exspectato cum maximis copiis Britanniam revehitur; egrediens cum exercitu in hostem pergebat : naves interim anchoris fixæ tempestate corripiuntur, colliduntur, confringuntur. Ex quibus quadraginta perierunt; cæteræ post longum non sine difficultate sunt reparatæ. Dux igitur magnus, spe fugiendi amissa, acrius animos militum hortatur, et in ipso hortatu hostibus commiscetur; unanimiter utrinque viribus et animis extensis pugnatur, dum Romanis spes fugiendi nulla, Britannis spes vincendi ex solito certa. Labienus ergo tribunus militum, dum primam aciem in Dolobelli cuneum, qui proconsul erat Britannici regis, acrius immergit, cedentesque cædit, prosternit, et persequitur, regalis acies inter Cæsareas, et Labieni phalanges infigitur. Rex autem vocabatur Belinus frater Cassibellani regis : et erat filius Liud regis fortissimi, qui multas insulas maris bellis occupaverat. Circumventum igitur Labienum cum tota acie sua cædunt, subitoque morti transmittunt. Videns Julius diem infaustum, dicensque pugnandum cum Britannis magis artibus quam viribus, antequam majora detrimenta sustineret, fugæ indulsit. Persecuti sunt Britanni Romanos; multisque peremptis, nemorum vicinitate cohibiti sunt. Tertio Cæsar congressus est Britannos, taliterque suos exhortatus est :

Consortes fortissimi, quorum virtuti nec asperitas maris, nec labor terrarum refragari potuit, quorum vires nec audacia Gallorum, nec fortitudo Germanorum perferre sustinuit, non me exhortari vos arbitremini ut vestrum verbis augeam probitatem. Quæ enim summa, et perfectissima est, et tot in periculis toties probata crescere nequit, decrescere nescit; illa, inquam, virtus, quæ semper in asperrimis clarius refulsit, et ubi alii desperarent, spe certa progrediens, et secura hilaritate confligens. Quid nota vobis, imo cunctis gentibus memorem? Quoties victi victores nostros vicerimus, et ira compulsi fortioribus fortiores devenerimus? Debet læsa probitas irasci. Nunc igitur, si aliqua laus Romani nominis, nunc disciplinam militarem, quam perfecte didicistis, perfectius exercuistis, perfectissime supremo in periculo demonstretis. Ego certe ex duobus alterum inevitabiliter elegi, aut hodie vincere, quod beatum est; aut mori pro patria, quod securius est; sola fuga miserorum est. Unde si alicui vestrum idem animus est, erigat dextram inexpugnabilem, stupeantque hostes nos detrimentis refocillari, et diminutione roborari. Sic locutus erexit dextram, cunctusque tollens ad sidera clamorem exercitus, dextris erectis, infremuit, et in ipso clamore miscentur hostibus; apparuitque virtus Romana, dum sagacius ordinati cautius pugnant, obstinatius perseverant. Fatigatis ergo Britannis percutiendo, Romanisque studentibus in se protegendo, cum diu prælium durasset, fessis insulanis Cæsarei recentes videntur. Tunc igitur non sine magno suorum discrimine victores flunt Romani. Inde ad flumen Tamesim [*al.* Tamensem] provectus in hujus ulteriore ripa, Cassibellauno duce, immensa hostium multitudo consederat; ripamque fluminis ac pene totum sub aqua vadum acutissimis sudibus præstruxerat : quarum vestigia sudium ibidem usque hodie visuntur : et videtur inspectantibus, quod singulæ earum ad modum humani femoris grossæ et circumfusæ plumbo immobiliter fundo fluminis infixæ perseverant; sed hoc Romani deprehenderunt, vitantesque barbaris irruerunt. Illi impetum legionum non ferentes silvis se occuluerunt; unde crebris irruptionibus Romanos graviter ac sæpe vexabant. At Trinovantum firmissima civitas cum Androgeo duce datis septuaginta obsidibus Cæsari sese dedit : similiter et aliæ urbes complures in fœdus Romanorum venerunt. Iisdem demonstrantibus, Cæsar oppidum Cassibellauni inter duas paludes situm, obtentu insuper silvarum munitum, omnibus rebus confertissimum tandem gravi pugna cepit. Postquam vero Cæsar a Britannis reversus in Galliam, legiones in Hiberniam [*al.* Hiberna] misit, repentinis bellorum curis circumventus pro legionibus, quæ remanserant in Britannia, et in Hiberniam [*al.* Hibernia, *vel* Hibernis] misit, ut secum Romam irent. De qua re Lucanus :

Solvuntur flavi longa statione Britanni.

Romam vero invitam recipiens, in honorem suum Quintilem mensem Julium jussit vocari; siquidem Idibus Martiis in curia dolo perimitur. Sed, quia de Cæsare et successoribus ejus, qui rexerunt Britanniam usque ad tempus Martiani, qui fuit quadragesimus quartus a Cæsare, tractandum est, non pigeat laudes eorum perstringere, ut Christianos principes nostros, si moribus non pudeat illis æquiparari, saltem pudeat illos deteriores eis inveniri. Authentica laus Cæsaris ex Solino : *Quantum fortissimi militum Sergius et Sisinnius cæteris militibus præfulserunt, tantum omnibus ducibus, imo omnis temporis hominibus Cæsar præniituit : ejus siquidem ductu undecies centena nonaginta et duo millia hostium cæsa sunt. Nam quantum bellis civilibus fuderit, noluit adnotare. Signis collatis quinquagies et bis dimicavit, Marcum Marcellum solus supergressus, qui triginta et novem vicibus pari modo fuerat prœliatus. Ad hoc nullus celerius scripsit, nemo velocius legit, quaternas etiam epistolas simul dictavit. Tanta fuit*

bonitatis, ut quos armis subegerat, clementia magis vicerit.

Augustus Julio Cæsari succedens monarchiam totius mundi tenuit. Descripsit autem universum orbem, et a Britannia sicut ab aliis regnis censum accepit, ut Virgilius ait (*Georg.* III, 25) :

Purpurea intexti tollunt aulæa Britanni.

Hoc autem fecit anno imperii ejus quadragesimo secundo, quando lux vera mundo nata innotuit, per quem omnia regna mundi et insulæ caligine oppressæ cognoverunt Deum unum esse, et viderunt eum qui creavit eos. Cum autem regnasset Augustus LV annis et dimidio legem mortis secutus est. Laus Augusti ex Eutropio : *Augustus, exceptis civilibus bellis, in quibus invictus fuit, subegit Armeniam, Ægyptum, Gallatiam, Cantabriam, Dalmatiam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhetiam, Vindelicos, Talassos, Pontum et Cappadociam. Dacos et Germanos ita vicit, quod* CCCCM *captivorum ex eis super ripam Rheni in Gallia collocaret. Persæ obsides ei, quod nulli antea, dederunt, et signa Crasso direpta reddiderunt. Fuit mitis, gratus, civilis animi, corpore toto pulcher, sed oculis præcipue ; in cives clemens, in amicos tantus, ut pene eos sibi coæquaret. Nulli genti nisi justis de causis bellum indixit, pessimum ducens causa triumphandi dubios eventus adire. Sic a barbaris dilectus, ut quidam reges ad ei obsequendum Romam sponte venerint ; quidam in honore ejus civitates conderent, ut Juba et Herodes. Omni die legebat, scribebat, declamabat, cibi ac vini multum abstinens, probra sibi dicta non ulciscens, proditionis suæ reis dans veniam, Romam lateritiam invenit, reliquit marmoream.*

Tiberius privignus Augusti post eum regnavit annis XXIII tam super Britanniam quam super alia regna totius mundi. Laus Tiberii : *Tiberius prudens in armis fortunatusque fuit. Unde sub Augusto meruit, ut ei succederet. Erat litterarum scientissimus, sed magis eloquio clarissimus, repentinis responsionibus aut consiliis melior quam præmeditatis. Arguebatur autem simultatis, quasi infensus his, quos diligebat ; his vero quos oderat quasi benevolus apparens.*

Caius cognomento Caligula regnavit super orbem terrarum annis fere quinque.

Claudius post sexaginta duos annos ab Incarnatione Domini, anno ab urbe condita septingentesimo nonagesimo octavo imperium suscepit. Quarto anno regni sui Britanniam adiit, quosdamque rebelles sine ullo prælio vel sanguine citissime in deditionem recepit. Orcadas etiam insulas ultra Britanniam in Oceano positas, de quibus prædiximus, Romano adjecit imperio, et sexto, quo profectus erat, mense Romam rediit, sibique et filio suo Britannici nomen indidit. De quo Juvenalis :

Ostendensque tuum, generose Britannice, ventrem.

Quo etiam anno fames gravissima per Syriam facta est ; quæ a Luca in Actibus apostolorum per prophetam Agabum prædicta esse memoratur. Temporibus Claudii Petrus fidei nostræ princeps cathedram Romæ suscepit, quam XXV annis tenuit, id est usque ad ultimum Neronis annum. Ab eodem Claudio Vespasianus missus in Germanniam, ac deinde in Britanniam, trigesies et bis cum hoste conflixit ; duas validissimas gentes afflixit ; viginti oppida armis cepit ; insulam quoque Vectam Britanniæ adjacentem Romano subjecit imperio. Cum autem regnasset tredecim annis et plusquam dimidio viam patrum obtinuit. Laus Claudii : *Claudius multa gessit tranquille et moderate, quædam minus caute. Romanum imperium auxit, vir bellicosus fuit : adeo civilis circa quosdam amicos exstitit, ut etiam Paulinum, nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregie fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, et conscendenti Capitolium lævus iter faceret.*

Nero regnavit annis tredecim et plusquam dimidio. Hic, quamvis juvenis strenuus fuisset, tamen cum imperaret, in re militari segnis factus est : unde inter alia Romani imperii detrimenta Britanniam pene amisit. Nam duo sub eo nobilissima oppida illic subversa et destructa fuerunt. Hic eo anno quo Petrum et Paulum occidit, ignominiose deperiit.

Vespasianus, qui Jerusalem destruxit, regnavit annis fere decem : ipse scilicet qui Britanniam sat Claudio adierat, et insulam Vectam Romanæ ditioni subjecerat : quæ habet ab oriente in occasum viginta millia circiter passuum ; ab austro in boream duodecim ; in orientalibus suis partibus mari sex millium ; in occidentali trium a meridiano Britanniæ littore distans. Hic etiam vir nobilissimus colossum erexit, habentem altitudinis CVII pedes. Laus authentica Vespasiani : *Romæ se imperio moderatissime gessit, pecuniæ tantum avidior fuit, ita tamen ut eam nullis injuste auferret : quam cum omni diligentiæ provisione colligeret, tamen studiosissime largiebatur, præcipue indigentibus : nec facile ante eum cujusquam principis vel major est liberalitas comperta, vel justior. Placidissimæ lenitatis erat : ut qui majestatis contra se reos non facile punierit ultra exilii pœnam. Hic vicit Judæam, Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Thraciam, Ciliciam, Comagenem : offensarum et inimicitiarum immemor fuit ; convitia a causidicis et philosophis leviter tulit ; senatui, populo, cunctis amabilis et jucundus.*

Titus filius ejus regnavit annis duobus et mensibus duobus, vir omnium virtutum genere mirabilis, adeo ut amor et deliciæ humani generis diceretur. Hic amphitheatrum Romæ ædificavit, et in dedicatione ejus, quinque millia ferarum occidit. Laus Titi summa : *Titus facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus, causas Latine egit, poemata et tragœdias Græce composuit ; in oppugnatione Jerosolymorum sub patre militans propugnatores duodecim sagittarum ictibus confixit. Romæ tantæ civilitatis imperio fuit, ut nullum omnino puniret. Convi-*

Digitized by Google

ctos adversum se conjurationis dimisit, et in eadem familiaritate qua ante habuit. Facilitatis et liberalitatis tantæ fuit, ut cum nulli quidquam negaret, et ab amicis reprehenderetur, responderit, nullum tristem debere ab imperatore discedere. Pro hoc inusitato favore dilectus est, et tantus luctus eo mortuo publicus fuit, ut omnes tanquam in propria dolerent orbitate. Cum procul a Roma mortuus esset, senatus obitu ipsius circa vesperum nuntiato, nocte irrupit in curiam, et tantas mortuo laudes gratiasque concessit, quantas nec vivo unquam egerat, nec præsenti.

Domitianus frater Titi annos regnavit quindecim, mensibus quinque. Hic secundus post Neronem Christianos persequitur, quem divina providentia omnibus invisum senatus coegit, ut se ipsum perimeret.

Nerva anno uno et paulo plus imperium terrarum tenuit.

Trajanus annos regnavit novemdecim et dimidium. Hic tam Britanniam quam cætera regna mirabili vigore rexit. Romanum enim imperium, quod post Augustum defensum magis fuerat quam ampliatum, longe lateque diffudit. Hic est ille, qui causa justitiæ oculum sibi et oculum filio eruit: quem Gregorius ab inferis revocavit. Intelligite igitur legentes quanti sit justitia, quæ nec infidelem tam perfectum amatorem sui relinquere potuit desolatum. Laus Trajani ex Suetonio: *Trajanus insitatæ civilitatis et fortitudinis Daciam subegit, et ea, quæ sunt circa Danubium, et Armeniam, quam occupaverant Parthi. Albanis regem dedit, Hiberorum regem, et Sauromatarum, et Bosphoranorum, et Arabum, et Osdroenorum, et Colchorum in fidem accepit; Corduenos, Marchamedos occupavit, et Anemusium magnam Persidis regionem, Seleuciam et Ctesiphontem, Babylonem et Messenios vicit, ac tenuit usque ad Indiæ fines et mare Rubrum accessit, atque ibi tres provincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam, cum his gentibus, quæ Madenam attingunt. Arabiam postea in provinciæ formam redegit, in mari Rubro classem instituit, ut per eam Indiæ fines vastaret, gloriam tamen militarem civilitate et moderatione superavit, Romæ et per provincias æqualem se omnibus exhibens, amicos salutandi causa frequentans, vel ægrotantes; cum festos dies habuissent, convivia cum eisdem indiscreta vicissim habens, sæpe in vehiculis eorum sedens, nullum senatorem lædens, nil injustum ad augendum fiscum agens, liberalis in cunctis; publice privatimque ditans omnes, et honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognovisset, orbem terrarum ædificans, multas immunitates civitatibus tribuens, nihil non tranquillum et placidum agens; adeo ut omni ejus ætate unus senator damnatus sit, atque is tamen per senatum, ignorante Trajano. Ob hoc per orbem terrarum Deo proximus, nihil non venerationis meruit et vivus et mortuus. Inter alia dicta hoc ipsius fertur egregium: Amicis enim culpantibus quod nimium circa omnes comis esset, respondit, se talem imperatorem esse privatis, quales sibi imperatores esse privatus optasset. Solus omnium intra urbem sepultus est; ossa collata in urnam auream in foro, quod ædificavit, sub columna posita sunt, cujus altitudo* CXL *pedes habet. Hujus tantum memoriæ delatum est, ut usque ad nostram ætatem non aliter in senatu principibus acclametur, nisi felicior Augusto, melior Trajano.*

Adrianus rexit orbem terræ annis XXI: Hic Judæos secundo rebelles perdomuit, Jerusalemque reædificavit, Judæisque eam videndi licentiam abstulit. Laus Adriani: *Adrianus princeps medius fuit; pacem omni tempore imperii sui habuit: semel tantum per præsidem dimicavit; orbem Romanum circuit; multa ædificavit; facundissimus Latino sermone, Græco eruditissimus fuit.*

Antoninus Pius monarchiam mundi tenuit annis XXIII et dimidio. Laus Antonini Pii: *Vir honestus et insignis merito Numæ Pompilio confertur, ut Romulo Trajanus æquatur. Nulli acerbus, cunctis benignus; in re militari moderatus, defendere magis provincias quam amplificare studens; viros æquissimos ad administrandum rempublicam quærens, bonos in honore habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans. Regibus amicis tam venerabilis, ut ad eum controversias deferrent, sententiæque pareret; in amicos liberalissimus; ærarium tamen opulentum reliquit, Pius propter clementiam dictus est.*

Marcus Antoninus Verus cum fratre Aurelio Lucio Commodo annis XIX, mensibus II. Hi primum æque jure imperium administraverunt, cum usque ad hoc tempus singuli Augusti fuissent; bellum deinde contra Parthos admirabili virtute et felicitate gesserunt. Quorum temporibus, cum Eleutherius pontificatui Romanæ Ecclesiæ præesset, misit ad eum Lucius Britanniarum rex epistolam, obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur. Et mox effectum piæ postulationis consecutus est, susceptamque fidem Britanni usque in tempora Diocletiani principis inviolatam integramque quieta pace servabant. Laus Antonini Veri ex historia Romana: *Hic Antonio consorte suo per apoplexiam defuncto supra laudabilis in imperio remansit: quippe qui nunquam vultum vel e gaudio vel mœrore immutaverit. Philosophiæ deditus stoicæ, summus moribus et eruditione philosophus, litteris Latinis et Græcis eruditissimus, omnibus æquus, nunquam elatus, liberalitate promptissimus, provinciis benignus ac moderatus. Contra Germanos feliciter conflixit; bellum Marcomanicum gessit contra Squados, Wandalos, Sarmatas, Suetos et omnem barbariem, quantum nulla memoria tradit, adeo ut Punicis conferatur. Vir igitur divinus tanti prælii victor cum Commodo filio triumphavit. Cum igitur ærario exhausto regios cultus vendidisset, eis, qui reddere voluerunt, postea pretia restituit; eis, qui noluerunt, immolestus fuit. Hic permisit viris clarioribus, ut convivia eodem cultu, quo ipse, et ministris similibus exhibe-*

Digitized by Google

rent. In editione munerum post victoriam adeo magnificus extitit, ut centum simul leones exhibuisse tradatur.

Commodus prædicti Commodi filius imperavit annis XIII. Hic adversum Germanos bellum feliciter gessit colossique capite sublato, suæ imaginis caput jussit ei imponi.

Ælius [*al.* Celius] Pertinax menses sex : qui Juliani jurisperiti scelere occiditur in palatio.

Severus Pertinax interfecto Juliano jurisperito regnavit XVII annis. Hic genere Afer Tripolitanus ab oppido Lepti, natura sævus, multis semper bellis lacessitus, fortissime quidem rempublicam, sed laboriosissime, rexit. Victor ergo civilium bellorum, quæ ei gravissima occurrerant, et Didio Albino, qui se in Gallia Cæsarem fecerat apud Lugdunum interfecto in Britannias transit, ubi magnis gravibusque prœliis sæpe gestis, receptam partem insulæ a cæteris indomitis gentibus non, ut quidam æstimant, muro, sed vallo distinguendam putavit. Murus etenim de lapidibus; vallum vero, quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus; quibus circumcisis e terra velut murus exstruitur altus super terram, ita ut in ante sit fossa, de qua levati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortissimis præfiguntur. Itaque Severus magnam fossam firmissimumque vallum crebris insuper turribus communitum a mari usque ad mare duxit, ibique apud Eboracum oppidum morbo obiit. Reliquit duos filios *Bassianum et Getam* : quorum Geta hostis publicus judicatus interiit. Bassianus Antonini cognomine assumpto regno potitus est. Laus Severi ex Eutropio : *Severus bella multa et feliciter gessit, vicit Parthos, et Arabas, et Azabenos : unde Parthicus, Arabicus, Azabenicus dictus est : multa toto orbe ad Romanum decus reparavit. Severus tamen præter bellicam gloriam etiam civilibus studiis clarus fuit, et litteris doctus philosophiæ scientiam ad plenum adeptus Divus appellatus est.*

Antoninus Caracalla, filius Severi, VII annis regnum mundi tenuit.

Macrinus, cum uno anno regnasset apud Archelaidem, cum filio suo militari tumultu occiditur.

Marcus Aurelius Antoninus IV annis dominium terrarum habuit. Aurelius Alexander annis XIII. Hic in Mammeam matrem suam unice pius fuit, et ob id omnibus amabilis. Laus Alexandri : *Hic, suscepto adversus Persas bello, Xerxen regem gloriosissime vicit; militarem disciplinam severissime rexit; quasdam tumultuantes legiones integras exauctoravit. Romæ admodum favorabilis fuit, militari tumultu periit in Gallia.*

Maximianus prior annis tribus terras et insulas rexit. Hic Germanos bello vicit.

Gordianus annis VI. Origenes floruit : qui quinque millia librorum scripsit, ut narrat Hieronymus. Hic Persas vicit.

Philippus cum Philippo filio annis VII. Hic primus imperatorum omnium Christianus fuit : ac post tertium imperii ejus annum millesimus a conditione Romæ annus expletus est : magnificisque ludis hic augustissimus omnium præteritorum annus a Christiano imperatore celebratus est. Laus Philippi junioris : *Hic adeo severi animi fuit, ut nullo commento ad ridendum solvi potuerit, patremque cachinnantem vultu averso notaverit; semper vitiis restans, et ad ardua virtutis anhelans.*

Decius anno uno mensibus III. Hic, cum Philippos patrem et filium interfecisset, ob odium eorum Christianos persequitur.

Gallus cum Volusiano filio annis II et mensibus IV.

Valerianus cum filio Gallieno annis XV. Hic in Christianos persecutione commota, statim a Persarum rege capitur; ibique luminibus orbatus servitute miserabili consenescit.

Claudius secundus anno I, mensibus IX. Iste Gothos jam per annos XV Illyricum Macedoniamque vastantes superat : ob quod in curia clypeus aureus, ei et in Capitolio statua aurea collata est.

Aurelianus annis V, mensibus VI. Hic, cum Christianos persequeretur, fulmen ante eum magno horrore circumstantium ruit, et paulo post a militibus occiditur. Laus Aureliani ex gestis mirabilium virorum : *Cum Alexander annis XIII, Cæsar XIV orbem subjugassent, iste triennio tribusque prœliis orbem pacificavit. Iste primus Romanorum diadema sumpsit, gemmisque et aurata omni veste usus est. Disciplinæ militaris et morum dissolutorum corrector; sed ferus nimis, et superbus, et sævus omni tempore.*

Tacitus VI mensibus, quo apud Pontum occiso, regnavit; Florianus III mensibus, et sic apud Tarsum occiditur.

Probus annis VI mensibus IV. Hic Gallias jamdudum a barbaris occupatas deletis tandem hostibus ad perfectum liberavit. Laus Probi ex authenticis : *Probus vir illustris, acer, strenuus, justus. Aurelianum pene gloria æquavit, sed morum civilitate superavit. Hic, cum bella innumera gessisset, pace parata, dixit, brevi milites necessarios non futuros.*

Carus annis II. Hic, cum Persas superasset, super Tigride flumine periit.

Diocletianus cum Herculio Maximiano XX annis : quorum tempore Carausius quidam genere quidem infimus, sed consilio et manu promptus, cum ad observanda Oceani littora, quæ tunc Franci et Saxones infestabant, positus plus in perniciem, quam in proficuum rempublicam [*al.* profectum reipublicæ] ageret, et ereptam prædonibus prædam nulla ex parte restituendo dominis, sed sibi soli vindicando, accendens suspicionem, quia ipsos quoque hostes ad incursandos fines artifici negligentia permitteret. Quamobrem a Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, ac Britanniam [*al.* Britannias] occupavit. Quibus sibi per septem annos fortissime vindicatis ac retentis, tandem fraude Allecti socii sui interemptus est. Allectus postea erepta Carausio insula per triennium tenuit, quem Asclepiodotus præfectus prætorio oppressit, Britanniamque post X annos

Digitized by Google

recepit; bellis vero coacti prædicti imperatores Constantium in Occidente, Galerium Maximinum in Oriente assumunt in regnum. Eo tempore persecutio crudelissima ubique terrarum exarsit in Christianos. S. Albanus se Deo sacrificium ea tempestate obtulit, de quo *Fortunatus* in laude virginum scribit:

Albanum egregium fecunda Britannia profert.

Qui cum civis apud Verolamium esset, et clericum quemdam paganos fugientem hospitio recepisset, et per eum latentem conversus interim fuisset, pro eo quærentibus se pœnis obtulit: cumque tormentis affectus excapitandus duceretur, *Flumen siccatum est per orationem sancti, quia populus tantus per pontem transire nequibat. Quod cum inter alios ipse etiam carnifex eum percussurus vidisset, genibus ejus advolutus, fidelis et cum eo martyr factus est: fons etiam martyrio ejus adfuit, qui post martyrium ejus reversus est in naturam; oculi autem percutientis eum cum capite sancti in terram deciderunt.* Passus est autem juxta Verolamium, id est Wirlamecester, sive Wadlingeceaster, ubi post ecclesia mirandi operis constructa est, et abbatia nobilissima; ubi etiam usque hodie fit curatio infirmorum et operatio virtutum. Passi sunt quoque eo tempore Aaron et Julius legionum urbis cives; alii quoque plures utriusque sexus inaudita membrorum discerptione et diversis cruciatibus in testimonium Dei excelsi. Hæc persecutio tam crebra erat, ut intra unum mensem xvii millia martyrum pro Christo passa inveniantur. Cum autem vigesimo regni sui anno Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt, cœpit persecutio mitigari usque ad tempus Arii. Laus Diocletiani: *Diocletianus moratus callide fuit, sagax præterea et admodum subtilis ingenio, et qui severitatem suam aliena invidia vellet explere. Diligentissimus tamen et solertissimus princeps, quamvis contra Romanam libertatem adorari se jusserit, cum ante eum cæteri salutarentur. Gemmas vestibus calceamentisque indidit, inusitata virtute usus, ut solus omnium ex tanto fastigio sponte privatus fieret. Contigit igitur ei, quod nulli post natos homines, ut cum privatus obiisset, inter divos tamen referretur. Maximianus vero vir crudelissimus et vultu fuit horrendus.*

Constantius, qui sub prædictis imperatoribus regnaverat super Galliam, et Britanniam, et Hispaniam xv annis, uno anno post depositionem eorum imperavit in occidentalibus partibus, Maximino imperante in orientalibus; condidit autem Constantiam [*al.* civitatem Constantiam] in ea parte Galliæ, quæ nunc vocatur Northmannia, accepitque filiam regis Britannici de Colecestre, cui nomen erat Coel, scilicet Helenam, quam sanctam dicimus, et genuit ex ea Constantinum magnum. Obiit autem Constantius vir summæ magnitudinis et civilitatis in Britannia Eboraci. Laus Constantii: *Constantius vir præstantissimus divitiis provincialium ac privatorum studens, fisci commoda non admodum affectavit, dicens, melius publicas opes a privatis haberi quam intra unum claustrum reservari; cultus modici, mitis animi. Hic non modo amabilis sed venerabilis etiam Gallis fuit.*

Constantinus, flos Britanniæ, regnavit xxx annis et x mensibus. Hic igitur Britannicus genere et patria; ante quem nec post similis est egressus de Britannia: duxit exercitum a Britannia et Gallia in Italiam. Maximianus enim Maxentium filium suum Romæ Augustum constituerat. Contra quem Constantinus adhuc infidelis tendens, vidit angelum Dei ostendentem sibi signum crucis, et hortantem se ut crederet: credidit ille statim, Maxentiumque Deus flumine submersit. Constantinus igitur potitus imperio, Maximinum bis lege belli superavit, solusque regnum mundi tenuit; et a vulnere lepræ, ut scripta tradunt, per S. Silvestrum in baptismate mundatus, fecit Romæ, ubi baptizatus est, basilicam Joannis Baptistæ, quæ vocatur Constantiniana; item basilicam Petro et Paulo in templo Apollinis, corpus utriusque ære cipreo circumdans v pedes in grosso; item basilicam in palatio Sosoriano, quæ cognominatur Hierusalem, ubi de ligno crucis Domini posuit; item basilicam Sanctæ matris Agnetis ex rogatu filiæ suæ; item basilicam Beato Laurentio via Tiburtina in agro Verano; item basilicam via Lavicana Petro et Marcellino martyribus, et mausoleum ubi matrem suam posuit in sartophago [al. sarcophago] purpureo; item basilicam in civitate Ostia juxta portum urbis Romæ; item basilicam in civitate Albanensi S. Joannis Baptistæ; item basilicam in urbe Neapoli. Constantinus urbem sui nominis statuens in Thracia sedem Romani imperii et totius Orientis caput esse voluit; item Depranam civitatem Bithyniæ in honorem martyris Luciani ibi conditi instaurans ex vocabulo matris suæ Helenopolim vocavit. Idem statuit citra ullam hominum cædem paganorum templa claudi. Helena vero Britanniæ nobilis alumna Londoniam muro, quod adhuc superest, cinxisse fertur, et Colecestriam mœnibus adornasse; sed et inter alia multa Hierusalem instauravit, mundatamque idolis basilicis pluribus adornavit. Laus Constantini ex sacris scriniis: *Vir primo imperii tempore optimis principibus, ultimo mediis comparandus. Innumeræ in eo animi corporisque virtutes claruerunt, militari gloria summus, fortuna par et industria, civilibus artibus et studiis liberalibus deditus, affectator justi amoris, in amicos egregius, verum insolentia rerum secundarum aliquantum ex illa favorabilis animi docilitate tandem immutatus est.*

Constantius cum Constantino et Constante fratribus annis xxiv, mensibus v. Hæresis Ariana Constantii regis fulta præsidio varie et valde Catholicos afflixit.

Julianus Apostata ii annis, mensibus viii. Hic digne a barbaris Dei hostis bellando perimitur. Laus Juliani ex Paulo: *Fuit Marco Antonino non absimilis, quem etiam æmulari studebat. Liberalibus disciplinis apprime eruditus, memoriæ tenacis et*

Digitized by Google

amplæ, facundiæ ingentis et promptæ, philosopho propior. Civilis in cunctos, avidus gloriæ, et per hoc animi plerumque immodici.

Jovinianus, bonus et pius, VIII mensibus, cujus læta principia mors immatura corrupit.

Valentinianus cum fratre suo Valente XI annis regnorum jura custodivit. Laus Valentiniani ex historia Pauli : *Fuit Aureliano similis, vultu decens, solers ingenio, gravis animo, severus, vehemens, infestus vitiis, maximeque avaritiæ, doctus pingere venustissime, nova arma meditari, fingere simulacra cera seu limo; sermone cultissimus, prudens et astutus.*

Valens cum Gratiano et Valentiniano fratris sui prædicti filiis, regnavit annis IV. Valens ab Arianis baptizatus Catholicos persequitur, legeque data ut monachi militarent, nolentes fustibus jussit interfici. Gens Hunorum diu in inaccessis seclusa montibus repentina rabie percita exarsit in Gothos, eosque sparsim conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Gothi, transito Danubio, fugientes, a Valente sine armorum depositione suscepti, mox per avaritiam Maximi ducis fame ad rebellandum coacti sunt; victoque Valentis exercitu per Thraciam sese miscentes, simul omnia cædibus, incendiis rapinisque fuderunt.

Gratianus cum fratre Valentiniano anno ab Incarnatione Domini trecentesimo septuagesimo septimo regnavit annis VI, quamvis jamdudum cum patruo suo Valente regnaret. Qui cum afflictum et pene collapsum reipublicæ statum videret, Theodosium Hispanum virum restituendæ reipublicæ necessitate apud Sirmiam purpura induit, Orientisque et Thraciæ semel præfecit imperio. Theodosius igitur maximas illas Scythicas gentes, hoc est Alanos, Hunos et Gothos magnis et multis præliis vicit. Interea Maximus a Britannia oriundus, vir quidem strenuus et laude dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset in Britanniam, ibidem imperator creatus in Galliam transiit; ubi Gratianum, Augustum subita incursione perterritum interfecit, fratremque ejus Valentinianum Augustum Italia expulit, qui ad Theodosium in Oriente refugit. Laus Gratiani : *Fuit Gratianus litteris haud mediocriter institutus, carmen facere, ornate loqui, explicare controversias rhetorum more, nihil aliud die noctuque agere quam spiculis meditari, summæque voluptatis divinæque artis credere, destinata ferire; parcus cibi, somnique ac libidinis victor.*

Theodosius post mortem Gratiani annis XI regnavit cum Valentiniano, quem regno restituit, clauso videlicet intra muros Aquileiæ et occiso Maximo tyranno. Britones vero quos Maximus secum adduxerat in Gallia Armorica usque hodie remanserunt : unde et Britones Armorici vocantur; a quibus spoliata emarcuit Britannia. Laus Theodosii : *Theodosius propagator reipublicæ fuit atque defensor eximius, moribus et corpore Trajano similis quantum scriptura veterum et pictura docent, a quo et originem traxit : sic eminens status, membra eadem, par cæsaries; sed illi non tam ingentes oculi erant. Nescio an et tanta gratia tantusque flos in facie seu tanta dignitas in incessu fuit; mens vero prorsus similis, adeo ut nihil dici queat, quod non ex libris in istum videatur transferri. Misericors, communis, solo habitu differre se veteris putans, in omnes homines honorificus, verum effusus in bonos, simplicia ingenia diligere, erudita mirari, sed innoxia; largiri magno animo magna. Illa tamen, quibus Trajanus aspersus est, vinolentiam scilicet et cupidinem triumphandi usque eo detestatus, ut bella non moverit sed invenerit; ministeria lasciva, psaltriasque comessationibus adhiberi lege prohibuit. Litteris mediocriter doctus, sagax plane, multumque diligens ad noscenda gesta majorum. Exsecrabatur, cum legisset superbiam dominantium, præcipue perfidos et ingratos : irasci sane rebus indignis, sed subito flecti; et quod est raræ virtutis, post auctam armis potentiam imperialem auri argentique pondera sublata a tyrannis, multis ex suo restituit. Patruum pro genitore habuit, nepotes et cognatos pro filiis; elegans lætumque convivium dare, nec tamen sumptuosum; miscere colloquia pro personis et dignitatibus sermone cum gravitate jucundo, blandus pater, concors maritus. Regebat valetudinem continentia vescendi, ambulatione moderata. Hujus et apud homines mansuetudo, et apud Deum exstitit summa devotio.*

Arcadius filius Theodosii cum fratre Honorio annis XIII. Gothi Italiam, Wandali atque Alani Gallias aggrediuntur. Pelagius Britto et Julianus Campanensis hæresin suam longe lateque seminaverunt, quibus sanctus Augustinus, sicut et cæteri Patres orthodoxi multis sententiarum catholicarum millibus responderunt; nec eorum tamen dementiam corrigere valebant : sed, quod gravius est, correpta eorum vesania magis augescere contradicendo, quam favendo veritati voluit emendari. Unde Prosper rhetor versificans, ait :

Contra Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum livor adurit edax.
Aut hunc fruge sua æquorei pavere Britanni,
Aut hic campano gramine corda tumet.

Honorius cum Theodosio minore fratris sui Arcadii filio annis XV, cujus temporibus cum Alani, Suevi, Wandali totas sævirent per Gallias, apud Britanniam Gratianus municeps tyrannus creatur et occiditur. Hujus loco Constantinus ex infima militia propter solam spem nominis sine merito virtutis eligitur, qui continuo ut invasit imperium in Gallias transiit : ibi sæpe a barbaris incertis fœderibus illusus detrimento magno reipublicæ fuit. Inde mox, jubente Honorio, Constantinus comes in Galliam cum exercitu profectus apud Arelatem civitatem eum clausit, cepit et occidit; Constantemque filium ejus, quem ex monacho Cæsarem fecerat. Gerontius comes suus apud Vienuam interfecit. Contigit autem quod Alaricus rex Gothorum

Digitized by Google

Romam invasit et cepit anno conditionis ejus mil lesimo centesimo sexagesimo quarto : cumque partem ejus cremasset incendio, deprædata urbe, sexto die egressus est, post annos ferme quadringentos septuaginta, ex quo Julius Cæsar sibi Britanniam subjecit. Habitabant autem Romani intra vallum (quod Severum trans insulam fecisse commemoravimus) ad plagam meridianam, quod civitates, pontes, fari et stratæ ibidem factæ usque hodie testantur. Cæterum ulteriores Britanniæ partes, vel eas etiam, quæ ultra Britanniam sunt, insulas jure dominandi possidebant.

Britannia igitur militaribus copiis floridaque juventute spoliata (quæ maxime per Maximum tyrannum fuerant abductæ, post etiam reliquiæ per proxime dictum Constantinum) prædæ siquidem tantum patuit Scotis et Pictis gentibus sævissimis. Hæ quidem remotæ sunt a Britonibus duobus similibus maris interjacentibus, quorum unus ab orientali mari, alter ab occidentali longe irrumpunt, quamvis ad se invicem pertinere [*al.* pertingere] non possint; orientalis autem habet in medio sui urbem Guidi; occidentalis supra se, hoc est ad dextram sui habet urbem Aldclyhit, quod lingua eorum significat Petrum clyhit : est autem juxta fluvium nominis illius. Ob harum ergo infestationem gentium Britones legatos Romam cum epistolis mittunt auxilia flagitantes. Quibus mox legio destinatur, quæ hostium magnam multitudinem sternens cæteros a finibus expulit; sicque domum cum magno triumpho reversa est, indicentes Britannis ut super vallum Severi murum constituerent, quatenus ubi munitio aquæ deerat præsidium valli adesset. At Britanni murum non tam lapidibus quam cespitibus construentes ad nihil utilem statuunt; vestigia vero valli illius latissimi et altissimi usque hodie cernuntur. Incipit autem ferme duorum millium spatio a loco, qui vocatur Peneltune, et terminatur in occidentem juxta urbem Adclyhit. Verum priores inimici ut Romanum militem abiisse conspexerunt, mox advecti navibus irrumpunt acrius : unde prece Britannorum rursum Romani redeunt, et cæsum hostem trans maria fugant, conjunctisque sibi Britannis murum non ut ante ex cespitibus, sed ex saxo a mari usque ad mare collocant. Sic et in littore meridiano, quia et inde hostis timebatur, turres per intervalla ad prospectum maris statuunt, sic valedicunt sociis tanquam ultra non reversuri, dicentes ultra se tam laboriosis expeditionibus non posse fatigari. Romanis igitur domum reversis, hostes acrius insultant, insulæque partem usque murum capessunt. Deinde murum urbesque appositas sternunt; postea eis murum longe patriam vastant, ut et ipsi Britanni latrocinio ac rapacitate famem temperarent, donec omnis regio totius cibi sustentaculo, excepto venandi solatio, vacuaretur. Laus Honorii : *Fuit Honorius moribus et religione patri Theodosio non valde absimilis. Cujus temporibus, quamvis externa multa et civi-*

lia bella surrexerunt, vel nullo vel minimo sanguine quievere.

Theodosius secundus, qui vocatur Junior, Britanniæ potestatem amisit; imperavit autem Romanis XXVIII annis, cujus regni anno XXIII Aetius vir illustris cum Symmacho gessit consulatum : ad hunc Britonum reliquiæ mittunt epistolam, in processu epistolæ cujus hoc principium est (Aetio ter consuli) ita suas calamitates explicant : *Repellunt barbari ad mare, repellit mare ad barbaros. Inter hæc oriuntur duo genera funerum : aut jugulamur aut mergimur.* Neque hoc tamen agentes quidquam ab illo auxilii impetrare quiverunt, utpote qui gravissimis eo tempore bellis cum Bleddâ et Attila regibus Hunorum erat occupatus; et quamvis anno ante hunc proximo Bledda Attilæ fratris sui interemptus sit insidiis, Attila tamen ipse adeo intolerabilis reipublicæ remansit hostis, ut totam pene Europam excisis invasisque civitatibus atque castellis corroderet; quinetiam et eisdem temporibus fames Constantinopolim invasit, nec mora pestis secuta est; sed et plurimi ejusdem urbis muri cum LVI turribus corruerunt; multis quoque civitatibus collapsis, fames et aerum pestifer odor plurima hominum millia jumentorumque delevit. Britanniam quoque sicut et cæteras provincias præfata fames affecit : tunc igitur Britanni videntes humanum deesse auxilium, invocant divinum; misertusque est eorum Dominus omnipotens et tentavit eos, immisitque eorum robur brachiis et aciem gladiis. Exsiluerunt igitur de montibus et latebris et silvis, irruentesque in Scotos et Pictos undique cœperunt indeficienter cædere et sternere; hostes vero nec se in ictibus suis cognoscebant, nec in protectione armorum jam confidebant : quæ scilicet jam Britannorum armis erant quasi vestis. Contabuit ergo cor hostium, dissolutisque viribus horrescentes aufugiunt : fit itaque in eis strages innumera. Scoti cum dedecore Hiberniam redeunt. Picti in extrema insulæ parte tunc primum et deinceps quieverunt; deditque Dominus victoriam populo suo, et confusi sunt qui eos confundebant. His temporibus, scilicet anno Theodosii octavo mittitur Palladius a papa Cœlestino ad Scotos primus eorum futurus episcopus. Theodosius etiam potestatem Galliæ et Hispaniæ et Africæ amisit : gens quippe Vandalorum et Alanorum et Gothorum omnia ferro, flammis arripuerant et destruxerant; sed beatus Augustinus Hipponensis episcopus, ne civitatis suæ ruinam videret, tertio obsidionis ejus mense migravit ad Dominum, Geiserico crudelissimo eam obsidente.

Britannis ergo victoribus et quieti datis misit Dominus ineffabilem frugum abundantiam, quantam nulla ætas retro meminit : ut, sicut confusiones ante habitas triumpho relevaverant, ita famem præfatam opulentia relevarent; probavitque Deus utrum omnimoda prosperitas redderet gratiosos, quos nulla adversa reddiderant correctos. Illi tunc vero omnia scelera transacta superantes in luxuria

Digitized by Google

furere, et in omnium lue scelerum sine respectu Dei cœperunt; ita vero demum crudelitas et odium amorque mendacii in eis exarsit, ut si quis eorum mitior et veritati aliquatenus propior videretur, in hunc quasi Britanniæ subversorem omnium odia telaque sine respectu contorquerentur, et non solum hoc sæculares viri, sed et ipse grex Domini ejusque pastores egerunt, ebriositate, animositate, litigio, contentione, invidia, cæteris hujusmodi facinoribus sua colla abjecto levi jugo Christi subdentes. Respexit ergo Dominus, et in iram concitatus corruptæ mentis homines acerba peste contrivit; quæ in brevi tantum ejus multitudinem stravit, ut ne sepeliendis quidem mortuis vivi sufficerent, sed nec morte quidem suorum, nec timore mortis, hi, qui supererant, a morte animæ, qua peccando sternebantur, revocari poterant. Justo itaque et patenti A judicio constituit Deus exterminare gentem illam, mandavitque statim stimulos iræ suæ Scotos scilicet et Pictos, qui cædes suas vindicaturi iracundius solito adveniunt, irruuntque Britannis, quasi lupi in agnos, cognoveruntque se in ictibus suis, et Britannos in fuga sua. Rursumque igitur ex more Britanni latebras et silvas et saltus repetunt; postea vero inierunt consilium quid agendum, ubi quærendum esset præsidium ad evitandas vel repellendas tam feras tamque creberrimas gentium aquilonalium irruptiones; placuitque omnibus cum rege suo Vortigerno, ut Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent: quod Domini nutu dispositum esse constat, ut veniret contra improbos malum, sicut evidentius rerum exitus B probavit.

LIBER SECUNDUS.

Tractatum est in superioribus de XLV imperatoribus, qui tam Britanniam quam cæteras mundi partes rexerunt: quorum si aliqui gloria potiuntur in cœlis, illam tantum habent, quia jam hic nullam habent. Viluit enim sermocinatio de eis, et prolixior confabulatio de actibus eorum videtur amara, tædii scilicet et odii genetrix. Quapropter excogitemus ex eorum comparatione, quorum potentiæ et majestati vix sufficiebat universus mundus, quam nihil sit gloria nostra, potentia nostra, tumor noster, quorum de causa laboramus, sudamus, insanimus; si autem gloriam cupimus, ut humane loquar, concedo, cupiamus, sed veram; si famam, illam, quæ non evanescit; si honorem, illum, qui non defloresci; non qualem prædicti imperatores, quorum omnis gloria jam non est nisi viles reliquiæ fabularum, veram autem gloriam, et famam, et honorem habebimus, si ei, qui solus verus est, cum jucunditate et lætitia inhitamur; si spem nostram et fiduciam omnem in Deo ponamus, non in filiis hominum, sicut Britanni qui, Deo abjecto et magnificentia timoris ejus, auxilium petierunt a paganis, habueruntque sed quale decebat. *Gens namque Saxonum vel Anglorum invitata a rege præfato Britanniam tribus longis navibus advehitur, anno gratiæ quadringentesimo quadragesimo nono, cum Martianus et Valentinus, quorum imperium VII annis duravit, imperarent, vigesimo quarto anno postquam regnum Francorum inchoaverat: quorum primus rex fuit Pharamundus. Saxones igitur in orientali parte insulæ, jubente eodem rege locum manendi quasi pro patria pugnaturi, re autem vera hanc expugnaturi susceperunt.* Inierunt autem certamen contra Pictos et Scotos, qui jam venerunt usque ad Stanfordiam, quæ sita est in australi parte Lincolniæ, distans ab ea XL milliariis. Cum igitur illi pilis et lanceis pugnarent, isti vero securibus gladiisque longis rigidissime decertarent, nequiverunt Picti pondus tantum perferre, sed fuga saluti suæ consuluerunt. Saxones victoriosi triumpho, et præda potiti sunt. *Quod ubi Saxoniæ nuntiatum est, simul et insulæ fertilitas ac segnities Britonum, mittitur confestim illo classis prolixior armatorum ferens manum fortiorem: quæ præmissæ adjuncta cohorti invincibilem fecit exercitum. Susceperunt ergo qui advenerant dohantibus Britonibus locum habitationis inter eos, ea tamen conditione, ut hi pro patriæ pace et salute contra adversarios militarent, illi militantibus debita stipendia conferrent. Advenerunt autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est Saxonibus, Anglis, Jutis. De Jutarum origine sunt Cantuarii, et Victuarii: hæc est ea gens, quæ Vectam tenet insulam; et ea, quæ usque hodie in provincia occidentalium Saxonum Jutarum natio nominatur, posita contra ipsam insulam Vectam de Saxonibus, id est ea generatione* [*al.* regione], *quæ nunc antiquorum Saxonum coguominatur, venere orientales Saxones, meridiani Saxones, occidui Saxones. Porro de Anglis (hoc est illa patria, quæ angulus dicitur, et ab eo tempore usque hodie manet deserta, et inter provincias Jutarum et Saxonum esse perhibetur) orientales Angli, mediterranei Angli, Mercii, tota Northanhumbrorum progenies, id est illarum gentium, quæ ad boream Humbri fluminis inhabitant, cæterique Anglorum populi sunt orti.* Duces eorum primi fuisse perhibentur duo fratres Hengist et Horsa: erant autem filii Widgils, filii Wicta, filii Vecta, filii Woden, filii Frealof, filii Fredulf, filii Fin, filii Flocwald, filii Jeta: quem dixerunt filium Dei, scilicet alicujus idoli; de quorum patrum progenie multarum

Digitized by Google

provinciarum regium genus originem duxit. Non mora ergo confluentibus certatim in insulam gentium memoratarum catervis grandescere populus cœpit advenarum, ita ut ipsis quoque, qui advocaverant, indigenis essent terrori : dicitur autem a quibusdam, quod rex Vortigernus formidans robur eorum filiam Hengisti paganam duxerit, dicitur etiam quod ad cumulum damnationis suæ propriam filiam suam duxerit, et ex ea filium genuerit : unde a S. Germano et ab omni conventu episcopali excommunicatus est.

Rex Vortigernus a genero suo et ab exercitu belli occasionem, Deo volente, quærentibus, annonas eis affluentius ministrare reposcitur, minantes nisi profusior eis copia alimentorum detur, se cuncta insulæ loca rupto fœdere vastaturos; nec segniter minas persequuntur effectibus. Inito namque fœdere cum Pictis, et congregato innumerabili exercitu, neminem, qui eis restare auderet, usquam invenerunt. Accensus igitur manibus paganorum ignis justas de sceleribus populi Dei ultiones expetiit, non illius impar, qui quondam a Chaldæis succensus Hierosolymorum mœnia imo ædificia cuncta consumpsit. Sic enim et hic agente impio victore, imo disponente justo judice, proximas quasque civitates agrosque depopulans ab orientali mari usque ad occidentale nullo prohibente suum continuavit incendium, totamque prope insulæ pereuntis superficiem obtexit. Ruebant ædificia publica simul et privata, passim sacerdotes inter altaria trucidabantur, præsules cum populis sine ullo respectu honoris ferro pariter et flammis absumebantur, nec erat qui crudeliter eos interemptos sepulturæ traderet. Itaque nonnulli in montibus comprehensi jugulabantur ; alii fame confecti procedentes manus hostibus dabant, pro accipiendis alimentorum subsidiis æternum subituri servitium, si tamen non continuo trucidarentur ; alii transmarinas regiones dolentes petebant ; alii perstantes in patria trepidi pauperem vitam in montibus, silvis, vel rupibus arduis suspecta semper mente agebant. Rex autem Vortigernus in occidentali parte Britanniæ inter prærupta montium et silvarum omnibus exosus degebat. Dicitur autem quod, cum rex prædicationem sancti Germani audire nollet, fugeretque sanctum se sequentem, quadam nocte ignis de cœlo cecidit super arcem, in qua rex erat : rex autem tam ruina quam igne destructus nusquam comparuit. At ubi Saxones, dispersis indigenis, copiam exercituum domum remiserunt, cœperunt Britanni emergentes de latibulis vires resumere animosque, congregatoque permaximo exercitu in Cantiam contra Hengist et Horsa vexilla direxerunt. Utebantur eo tempore duce Ambrosio Aureliano viro modesto, qui solus forte Romanæ gentis præfatæ tempestati superfuerat, occisis in eadem parentibus nomen regum et insigne ferentibus. Duoque filii Vortigerni duces erant cum eo, Gortimer et Catiger. Ambrosius igitur primam aciem bello induxit, Gortimer secundam, Catiger tertiam ; Horsa vero et Hengist, licet multo minores numero essent, audacissime tamen eis obviaverunt, duoque fratres duas acies in hostem direxerunt.

Anno VII adventus Saxonum in Angliam commissum est bellum apud Aelestren. Principio ergo percussit Horsa aciem Catigerni tanto vigore, ut admodum pulveris dispersa prosterneretur, et filium regis prostratum cecidit. Gortimer autem frater ejus vir vere strenuissimus ex obliquo aciem Horsi disrupit, et ipso Horso interfecto virorum fortissimo, reliquiæ cohortis ad Hengistum fugiunt, qui cum Ambrosii cuneo invicte confligebat. Totum ergo pondus prælii versum est super Hengistum, et prolitate Gortimeri coarctatus, cum diu perseverasset, non sine magno detrimento Britannorum victus, qui nunquam fugerat, fugit. Scripserunt quidam Hengistum postea in eodem anno ter contra eos pugnasse, nec potuisse resistere prohibiti Gortimeri et numero Britonum ; sed semel in insulam Tenet, semel ad naves fugisse, et pro his qui abierant in patriam misisse.

Anno vero sequenti, regnante Leone imperatore, qui regnavit XVII annis, morbo periit flos juvenum Gortimerus, cum quo simul spes et victoria Britonum exstincta est. Hengist igitur et Esc filius suus, receptis auxiliis a patria sua, et morte juvenis freti, bello se præparant apud Creganford. Britanni vero IV phalanges maximas IV ducibus munitas fortissimis bello prostituunt. Sed cum ludum belli Britones inissent, numerum Saxonum majorem solito male ferebant : recentes quippe, qui supervenerant, et viri electi erant, securibus et gladiis horribiliter corpora Britonum findebant ; nec tamen cesserunt donec quatuor duces eorum prostratos et cæsos viderunt. Tunc vero, ultra quam credi potest, perterriti a Cent usque in Londoniam fugerunt, et nunquam in Cantia [*al.* Cantiam] postea gratia pugnandi venire ausi sunt. Exinde regnavit Hengist et Esc filius suus in Cantuaria. Regnum igitur Cantiæ incœpit octavo anno adventus Anglorum.

Circa ea tempora venerat Germanus Antisiodorensis episcopus, vir sanctitate miraculisque conspicuus, et Lupus Trecasinæ civitatis episcopus in Britanniam ad Pelagianam hæresim destruendam. *Quibus ratione eorum omni populo devictis, ad confirmationem suæ rationis filiam tribuni* X *annis cæcam curavit : præterea casulam, in qua infirmus jacebat, ab igne circumquaque furente, et adjuncta ipsi casulæ consumente salvavit ;* petensque sepulcrum sancti Albani reliquias in ipso diversorum martyrum imposuit, massamque pulveris adhuc rubentis sanguine martyris secum portaturus abstulit : quo in loco innumeram hominum turbam eadem die convertit ad Dominum.

Interea Saxones et Picti bellum contra Britannos junctis viribus inierunt. Britones trepidi sancti Germani petierunt auxilium. Sanctus adveniens ducem se prælii profitetur. In valle igitur circumdata mediis montibus e regione, qua sperabatur adventus

Digitized by Google

hostium, componit exercitum ipse dux agminis. Et jam aderat ferox hostium multitudo, quam appropinquare speculatores intuebantur. Tunc subito sanctus signifer universos admonet, ut voci suæ uno clamore respondeant; securisque hostibus qui se insperatos adesse confiderent, Alleluia jam tertio repetitum, sacerdotes exclamabant: sequitur una vox omnium, et elatum clamorem repercussò aere montium conclusa multiplicant. Hostile agmen terrore prosternitur; et super se non solum rupes circumdatas, sed et ipsam cœli machinam contremiscunt. Dum igitur fugientibus vix sufficere pedum pernicitas creditur, passim ruunt, arma projiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini; plures etiam timore cæcatos flumen, quod transierant, devoravit; ultionem suam innocens exercitus intuetur, et spolia cœlestis palmæ cum gaudio colligunt; triumphant pontifices, hostibus fusis, sine sanguine victoria fide obtenta non viribus. Superatis igitur hostibus mentis et corporis beati pontifices ad sua remearunt. *Sed non multo post Pelagiana hæresi iterum pullulante precibus omnium sacerdotum Britanniæ rediit Germanus cum Severo episcopo Treveris, fidemque rectam restituens filium Elafii* [*al.* Elavi] *principis contractum nervis et poplite in conspectu omnium sanavit;* omnibusque prospere gestis, inde ad Ravennam pro pace Armoricanæ gentis supplicaturus advenit, ibique a Valentiniano [*al.* Valentiano] summa reverentia susceptus migravit ad Christum; nec multo post Valentinianus interimitur a satellitibus Aetii patricii, quem occiderat: cui Britanni quondam miserant, ut prædiximus, epistolam; cum quo simul Hesperium concidit regnum.

Supervenientibus vero auxiliariis, post aliquantum temporis Hengist rex et Esc filius suus invictissimum congregaverunt exercitum anno XVII adventus eorum in Angliam: contra quos omnis Britannia, viribus congregatis, XII phalanges nobiliter ordinatas opposuit apud Wippedesflede. Pugnatum est diu et acriter, donec Hengistus XII principes cuneorum prostravit, et vexillis eorum dejectis, et manipulis eorum proturbatis in fugam coegit. Ipse autem multos principum suorum et gentis amisit, et quemdam magnum principem qui vocabatur Wipped, ex cujus nomine locum belli illius prædicto nomine vocavit. Victoria igitur illis lacrymabilis fuit et odiosa, ita ut postea non parvo tempore nec ipse intra Britannorum fines, nec Britanni in Cantiam venire præsumerent. Britanniæ igitur, dum cessarent externa bella, non cessabant civilia; sed inter exterminia civitatum ab hoste dirutarum pugnabant invicem, qui hostem evaserant cives, dum tamen recens esset memoria calamitatis inflictæ, servabant utcunque reges, sacerdotes, privati et optimates, suum quique ordinem. Cum autem junior ætas crevisset, præsentis solum serenitatis statum experta, ita cuncta veritatis et justitiæ moderamina concussa sunt ac subversa, ut earum non dicam vestigium, sed nec in memoria quidem præter in paucis et valde paucis ulla appareret. Immisit ergo Deus ex partibus Germaniæ duces plures ferocissimos per successiones temporum, qui gentem Deo invisam delerent: et in primis dux Aelle venit et tres filii sui Cymen, et Pleting, et Cissa.

Igitur dux Aelle cum filiis suis et classe militaribus copiis instructissima in Britannia ad Cymenesore appulerunt. Egredientibus autem Saxonibus de mari, Britanni clamorem excitarunt, et a circumadjacentibus locis innumeri convolarunt, et statim bellum initum est. Saxones vero statura et vigore maximi, imprudenter eos recipiebant; illi vero imprudenter veniebant. Nam sparsim et per intervalla venientes a conglomeratis interficiebantur, et ut quique attoniti veniebant, rumores sinistros ex improviso sentiebant. Fugati sunt igitur Britanni usque ad proximum nemus quod vocatur Andredesleige. Saxones autem occuparunt littora maris in Sudsexe, magis magisque sibi regionis spatia capessentes usque ad nonum annum adventus eorum. Tunc vero cum audacius regionem in longinquum capesserent, convenerunt reges et tyranni Britonum apud Mercredesburne, et pugnaverunt contra Aelle et filios suos, et fere dubia fuit victoria: uterque enim exercitus valde læsus et minoratus alterius congressum devovens ad propria remearunt. Misit igitur Elle ad compatriotas suos auxilium flagitans; annus autem, quo Elle venit in Angliam fere XXX fuit, ab adventu Anglorum XLII.

Mortuus est Hengist rex Cantiæ XL anno post adventum suum in Britanniam, et regnavit Esc filius ejus pro eo XXXIV annis, tempore Zenonis imperatoris, cujus imperium fuit XVII annis. Esc autem patria virtute patriam contra Britannos potenter tenuit regnumque suum regnis eorum ampliavit.

Regnum Sudsexe incipit, quod Ella diu et potentissime tenuit: venerant enim ei auxiliares a patria sua anno tertio post mortem Hengisti, tempore Anastasii imperatoris Romani, qui regnavit XXVII annis. Fretus igitur copiis ingentibus, obsedit Andredecester urbem munitissimam. Congregati sunt igitur Britanni quasi apes, et die expugnabant obsidentes insidiis, et nocte incursibus: nullus dies erat, nulla nox erat, quibus sinistri et recentes nuntii Saxonum animos non acerbarent. Inde tamen ardentiores effecti continuis insultibus urbem infestabant; semper vero, dum assilirent, instabant eis Britones a tergo cum viris sagittariis et amentatis telorum missilibus. Dimissis igitur mœnibus gressus et arma dirigebant in eos pagani; tunc Britones eis celeritate præstantiores silvas cursu petebant, tendentibusque ad mœnia rursum a tergo aderant. Hac arte Saxones diu fatigati sunt, et innumera strages eorum fiebat, donec in duas partes exercitum divisérunt, ut dum una pars urbem expugnaret, esset eis a tergo contra Britonum excursus bellatorum acies ordinata.

Digitized by Google

Tunc vero cives diuturna fame contriti, cum jam pondus infestantium perferre nequirent, omnes ore gladii devorati sunt cum mulieribus et parvulis, ita quod nec unus solus evasit : et quia tot ibi damna toleraverant exteranei, ita urbem destruxerunt, quod nunquam postea reædificata est ; locus tantum quasi nobilissimæ urbis transeuntibus ostenditur desolatus.

Anno XLVII adventus Anglorum, Certic et Cinric filius suus cum quinque puppibus venerunt ad Certicefore; eodem die convenit multitudo regionis, et pugnatum est contra eos. Saxones, acie conferta, coram navibus immobiliter stabant, insulani audacter in eos irruebant, et sine persecutione revertebantur, advenis quippe nunquam locum deserentibus · sic irruendo et redeundo bellatum est, donec noctis tenebræ litem diremerunt. Inventis igitur Saxonibus asperis Britanni se retraxerunt, et neutra ex parte habita est victoria; hospitati tamen Certic et filius suus in terra hostili magis magisque circa littora maris cœperunt occupare non sine frequentibus bellis regiones.

Septimo autem anno post adventum Certici venit Port et duo filii ejus, Beda et Megla cum duabus navibus maximis apud Portesmuham, statimque clamor maximus implevit omnem provinciam. Dux igitur provinciæ et omnis multitudo pugnam aggressi, absque ordine ut quisque adveniebat in ictu oculi deperière : audacia namque agebat Britones in hostem; fortitudo vero hostis agebat imprudentiam eorum in confusionem. Duce igitur et populo peremptо vel fugato, victoria potiti sunt Port (de quo dicta est Postermuham), et duo filii ejus.

Bellum scripturus sum quod Nazaleod rex maximus Britannorum egit contra Certic et Cinric filium ejus, sexagesimo anno adventus Anglorum. Nazaleod vero magni nominis erat et magnæ superbiæ, a quo regio illa dicta est Nazaleoi, quæ modo dicitur Certichestorde. Congregata igitur omni multitudine Britanniæ, auxilium petierat in supremis negotiis Certic et filius ejus ab Esc rege Cantuariorum, et ab Ella magno rege Sudsexorum, et a Port et filiis ejus, qui nuper venerant, et duas acies bello statuerunt : unam regebat Certic, aliam vero Cinric (al. Cenric), filius ejus. Certic regebat cornu dextrum ; Cinric vero sinistrum. Inito ergo prælio, rex Nazaleod dextrum cornu videns præstantius, irruit ipse et omnes vires ejus, ut illud, quod fortissimum erat, prius prosterneretur. Prostratis ergo vexillis et acie perforata, Certic in fugam versus est, et facta est strages maxima aciei ejus in momento. Videns autem sinistrum cornu ductum a filio, quod dextrum cornu patris sui destructum esset, irruit in terga persequentium, et aggravata est pugna vehementer et cecidit rex Nazaleod, et versi sunt sui in fugam, et interfecti sunt ex eis quinque millia; cæteris vero celeritas fuit subsidium. Saxones igitur prærogativa victoriæ potiti sunt, et quies data est eis annis non multis, advenerunt que eis adjutores fortes et multi.

Sexto namque anno post bellum prædictum venerunt nepotes Certic, Stuf et Witgar cum tribus navibus apud Certicefore. Primo autem mane duces Britannorum acies in eos secundum belli leges pulcherrime construxerunt. Cumque pars eorum in montibus, pars eorum in valle progrederetur caute et excogitate, apparuit sol oriens, offenderuntque radii clypeis deauratis, et resplenduerunt colles ab eis, aerque finitimus clarius refulsit, timueruntque Saxones timore magno et appropinquaverunt ad prælium. Dum autem colliderentur exercitus fortissimi, fortitudo Britannorum dissipata est, quia Deus spreverat illos, et facta est victoria patens, et acquisierunt duces prædicti regiones non paucas, et per eos fortitudo Certici terribilis facta est, pertransitque terram in fortitudine gravi.

Circa hoc tempus obiit Ella rex australium Saxonum, qui omnia jura regni Anglorum, reges scilicet et proceres et tribunos in ditione sua tenebat; regnavitque post eum Cissa filius ejus, progeniesque eorum post eos. At in processu temporum valde minorati sunt, donec in aliorum jura regum transierunt.

Regnum Westsexe incipit anno adventu Anglorum LXXI anno ab Incarnatione Domini 519 tempore Justini, qui vocatur Senior, qui imperavit VII annis : quod scilicet regnum cætera omnia sibi processu temporum subjugavit, et monarchiam totius Britanniæ obtinuit : quam ob causam omnium aliorum tempora regnorum ad hos reges applicare libet, ut sicut horum potentia crevit, ita tempora regnorum per eos dignoscantur.

Certic regnavit XVII annis in Westsexe : inierant namque bellum fortissimi Britannorum contra eum apud Certicesford in eodem anno, perstiteruntque duces eorum magnanimiter et proterve ex utraque parte, donec declinante jam die ad vesperum Saxones victoriam obtinuerunt, et facta est plaga magna in die illa super incolas Albion; atrocior vero multo fuisset, nisi sol occidens prohiberet. Ampliatum est autem nomen Certici, et divulgata est fama bellorum ejus et Kinrici filij sui per universam terram : ab illa quippe die incœpit regnum Westsexorum, quod usque ad nostra tempora, cæteris regnis omnibus sibi vindicatis, durat. Certic et Kinric filius ejus anno nono regni ejus pugnaverunt iterum contra Britannos apud Certicesford, et facta est strages magna ex utraque parte. Ea tempestate venerunt multi et sæpe de Germania, et occupaverunt Castangle et Merce; sed necdum sub uno rege redacta erant. Plures autem proceres certatim regiones occupabant, unde innumerabilia bella fiebant; proceres vero, quia multi erant, nomine carent.

Arthurus belliger illis temporibus dux militum et regum Britanniæ contra illos invictissime pugnabat. Duodecies dux belli fuit, duodecies victor

Digitized by Google

bellatorum [*al.* belJorum]. Primum bellum contra eos iniit juxta ostium fluminis, quod dicitur Glenus [*al.* Glemu]: at secundum, tertium, quartumque ac quintum bellum super alium amnem, qui nominatur Britannice Dulgas [*al.* Duglas], qui est in regione Iniis; sextum bellum super flumen, quod vocatur Bassas; septimum vero contra illos iniit bellum in silva Chelidonis, quæ Britannice Cattoit Celidon nominatur; octavum contra barbaros egit bellum juxta castellum Guinnion: in quo idem Arthurus imaginem sanctæ Mariæ Dei genitricis semperque virginis super humeros suos portavit, et tota illa die Saxones per virtutem Domini nostri Jesu Christi et sanctæ Mariæ matris ejus in fugam versi sunt, et multi ex illis magna cæde perierunt; nonum egit bellum in urbe Leogis, quæ Britannice Kaerlion dicitur; decimum vero gessit bellum in littore fluminis, quod nos vocamus Tracteheuroit; undecimum in monte, qui nominatur Brevoin, ubi illos in fugam vertit, quem nos Cathbregion [*al.* Catheregio] appellamus; duodecimum contra Saxones durissime Arthur bellum in monte Badonis perpetravit, in quo corruerunt impetu illius una die CDXL viri, nullo sibi Britonum in adjutorium adhærente, ipsum solum Domino confortante. Hæc autem bella et loca bellorum narrat Gildas historiographus; quæ tamen omnia loca nostræ ætati incognita sunt: quod providentia Dei factum esse putamus ad despectum popularis auræ, laudis adulatoriæ, famæ transitoriæ. Interim tamen ubique multa bella fiebant, in quibus quandoque Saxones, quandoque Britones victores erant; quanto magis autem plures Saxonum prosternebantur, tanto plures in auxilium eorum veniebant, ab omnibus circumjacentibus terris invitati. Regnum Estsexe, id est orientalium Saxonum incipit, quod primus, ut putatur, tenuit Erchenwin, secundum quod ex veterum scriptis conjicere possumus: qui fuit filius Ossæ filii Biedcan, filii Sigewlf, filii Spoewe, filii Gesac, filii Andesc, filii Saxnat. Post Erchenwin vero regnavit Slede filius ejus, qui ducens filiam Ermerici regis Cantuariorum, sororem scilicet Ethelberti genuit ex ea Sibrictum [*al.* Siberctum], qui primus regum Estsexe conversus est ad fidem.

Certic namque et Kinric filius ejus, congregatis ingentibus copiis, apud Witland præliati sunt, belloque devicto insulam ceperunt, et innumerabilem stragem hostium fecerunt apud Witgaresburcg XIII ANNO regni sui; eamdem autem insulam, quæ scilicet Latine dicitur Vecta, dederunt quarto post hunc anno duobus nepotibus suis Stuf et Witgar.

Certic primus rex Westsexe, cum regnasset XVIII annis, mortuus est, et Kinric filius ejus regnavit post eum XXVI annis, Justiniano Romæ imperante: qui imperavit XXXVIII annis, tempore Vigilii papæ.

Kinrici anno V obscuratus est sol a mane usque ad tertiam, mense Martio, septimo vero anno regni ejus obscuratus est sol a tertia pene usque ad nonam, ita ut stellæ apparerent. XII Kalendis Julii, decimo autem anno regni ejus obiit Witgar, et sepultus est apud Witgaresbrig, quæ sic ab eo vocatur.

Regnum Nordhumbrorum incipit XIII anno regni Kinrici. Cum enim proceres Anglorum multis et magnis præliis patriam illam sibi subjugassent, Idam juvenem nobilissimum sibi regem constituerunt: qui fuit filius Eope [*al.* Coppe], filii Esc [*al.* Ese], filii Inguim, filii Argenwit, filii Aloc, filii Beonoc, filii Brond, filii Beldet, filii Woden, filii Fredelaf, filii Fredeulf, filii Fin, filii Godwlf, filii Heatuc. Hic igitur regnavit XII annis fortissime, semper armatus et laboriosus, construxit autem Bebanburgh et circumdedit eam prius sepe, postea muro: regnum hoc incœpit anno gratiæ 547.

Kinric rex anno XVIII regni sui pugnavit contra Britannos, qui venerant cum maximo exercitu usque ad Salesbirig; ille autem, undique congregatis auxiliis, occurrit eis invictissime, ingentibusque copiis fusis, utrinque dispersit eos, et in fugam convertit.

Kinric XXII anno regni sui et Ceaulin [*al.* Cheuling] filius ejus pugnarunt iterum contra Britannos: sic autem pugnatum est: Britanni quasi vindicaturi confusionem belli, quam circa quinquennium pertulerant, congregatis viris bellicosis armis et numero munitis acies ordinaverunt apud Beranburi Cumque statuissent novem acies, qui numerus bello est aptissimus, tribus scilicet in fronte locatis, et tribus in medio, et tribus in fine, ducibusque in ipsis aciebus convenienter institutis, virisque sagittariis et telorum jaculatoribus equitibusque jure Romanorum dispositis, Saxones in eos omnes in una acie conglomerati audacissime irruerunt, vexillisque collisis et dejectis, fractisve lanceis gladiis rem egerunt, donec, advesperascente die, victoria in dubio remansit. Nec hoc mirum videri debet, cum illi maximæ staturæ et vigoris et audaciæ fuerint, quamvis nostri temporis exercitus in ipsa prima collisione statim alteruter in fugam convertatur, viris scilicet modo parvæ staturæ et vigoris et audaciæ existentibus.

Kinric, cum regnasset XXVI annis, mortuus est, et Ceaulin filius ejus regnavit pro eo XXX annis. Similiter eodem anno obiit Ida rex Nordhumbræ, et Ella post eum regnavit XXX annis, quamvis iste non fuisset filius Idæ, sed filius Iffæ, filii Usefrea, filii Witgils, filii Westrefalena, filii Sefugil, filii Seabald, filii Sigegeat, filii Wepdeg, filii Woden, filii Fredealaf.

Ceaulino [*al.* Cheulingo] VI anno regnante super Westsexe cœpit Ædelbert rex magnus regnare super Kent tempore Justini imperatoris: qui tertius quidem in regibus gentis Anglorum cunctis australibus eorum provinciis, quæ Humbræ fluvio et contiguis ei terminis sequestrantur a borealibus imperavit. Nam primus imperium hujusmodi tenuit

Digitized by Google

Aelfa rex australium Saxonum, secundus Ceaulin rex occidentalium Saxonum; tertius, ut diximus, Æthelbert rex Cantuariorum; quartus Redunald rex orientalium Anglorum, qui etiam vivente Æthelberto eidem suæ genti ducatum præbebat; quintus Edwine rex Northumbrorum gentis majore potentia cunctis, qui Britanniam incolunt, Anglorum pariter et Britonum populis præfuit, præter Cantuariis tantum, nec non et Mevanias Britonum insulas, quæ inter Hiberniam et Britanniam sitæ sunt, Anglorum subjecit imperio: sextus Oswald rex Northumbræ sanctissimus eisdem finibus regnum tenuit; septimus Oswius frater ejus æqualibus pene terminis regnum non nullo tempore coercens. Pictorum quoque atque Scotorum gentes, quæ septentrionales Britaniæ fines tenent, maxima ex parte perdomuit, ac tributarias fecit; octavus Egbert [*al.* Egbriht] rex Westsexe, qui usque ad Humbram imperavit; nonus nepos ejus Alfredus, qui omnes parles regni in ditione sua suscepit; decimus Edgar nepos nepotis Alfredi, rex fortis et pacificus, qui et Anglos et Scotos vel in dominio vel prorsus ad libitum suum habuit, et hæredes ejus post eum usque ad hanc diem; regis autem Æthelberti tempore conversi sunt Anglici ad fidem: unde diligenter in sequentibus tractabitur.

Ceaulin [*al.* Cheuling] nono anno regni ejus, et Chuta [*al.* Cutha] frater ejus, viri audacissimi, causis variis compellentibus, pugnaverunt contra Ædelbert, qui in regnum eorum viribus superbis introierat; ingressi vero prælium apud Wipandune duos consules ejus, scilicet Oslaf et Cneban, et innumeram multitudinem cum eis bello fulminantes ceciderunt, regemque Ædelbert usque ad Kent fugaverunt: istud est primum bellum, quod inter se reges Anglorum gesserunt.

Ceaulini anno XII pugnavit Cutha frater ejus cum Britannis apud Bedeanfordam, quæ modo dicitur Bedeforda: et est modo caput proxinciæ circumjacentis. Pugnavit igitur et vicit, cepitque armorum effectu IV castra munita, scilicet Lienberig [*al.* Lienbirig], et Ælesbury, et Benesintune, et Ægnesham; sed Cutha vir magnus frater regis eodem anno obiit.

Regnum Estangle incipit, quod continet Nordfolck et Sudbfolck. Hoc autem regnum primus tenuit Uffa, a quo reges orientalium Anglorum Uffingas appellant, quod postea Titulus [*al* Titilus] filius ejus tenuit pater Reduvaldi fortissimi regis Eastangle.

Ceaulin et Cutwine filius ejus XVIII anno regni ejus pugnaverunt contra Britannos; tres autem reges eorum Commagil, et Candidan, et Farinmagil acies in eos confertas et splendidas prælii legibus distinxerunt apud Dehoram [*al* Deorham]. Bellatum est igitur robustissime, victoriam vero dedit hostibus suis Dominus omnipotens, abjecitque suos, qui vane offenderant eum, et ceciderunt die illa tres reges Christianorum prædicti, reliqui autem in fugam versi sunt. Saxones vero horribiles eis facti inter sequendum eos tres urbes excellentissimas sibi cœperunt: Gloucestere, et Cirecestre, et Badecestre.

Ceaulin vigesimo quinto anno regni sui et Cuthwine pugnaverunt cum Britannis apud Fedhalnea [*al.* Fedhanlea]; pugnatum est autem perniciose et horribiliter utrinque: Cutwine gravi multitudine oppressus, prostratus et occisus est. Victi sunt igitur Angli et fugæ dati; rex tamen Ceaulin, rursus reparato exercitu, cum fugam sui abjurassent, tandem prælio victores vicit, persequensque Britannos regiones multas et innumerabilia spolia cepit.

Regnum Werce incipit, quod Crida, ut ex scriptis conjicere possumus, primus obtinuit. Nunc igitur inchoata sunt omnia regna Anglorum: quorum ætates et variationes secundum quod in libris veterum invenimus, ut distinctius poterimus, designabimus; conferentes tamen ea ætati regum Westser.

Ceaulin XXX regni sui anno mortuus est, et Ceolrick regnavit post eum V annis. Simili modo Ella rex Nordhumbrorum eodem anno obiit, et Edelric post eum regnavit V annis; tertio autem post hunc anno Britanni et Saxones bellum constituerunt apud Wodnesbirue. Cum autem Britones, more Romanorum, acies distincte admoverent, Saxones vero audacter et confuse irruerent, maximum prælium factum est; concessitque Deus victoriam Britannis. Saxones vero quanto in bellis præstantiores esse solebant, tanto in fuga segniores effecti, valde contriti sunt. Post hæc tempora Crida rex Werce periit, cui successit filius ejus Wipha: circa hæc etiam tempora post Edelric regnavit Edelfert, qui vocatur Ferus, super Nordhumbre. His etiam temporibus occuparunt Longobardi Italiam; nec multo post Gregorius urbem Dei signavit in Angliam.

Celrico regnante super Westsexe, Edelfert super Nordhumbre, et Wippa super Werce conversi sunt rex Æthelbertus Cantiæ, et populus Kentensis ad fidem, ut in sequenti libro ostendemus. Post Wippam vero regnavit Cherlus [*al.* Keorlus], qui non filius ejus, sed consanguineus fuit.

Celric, cum V annis regnasset, vivendi finem fecit; post quem regnavit Ceolwlf super Westsex XIV annis, et cunctis diebus regni sui pugnabat vel contra Anglos, vel contra Scotos, vel contra Pictos. Ceolwlf fuit filius Chuta, Chuta filius Kinric filii Certic.

Ceolwlfi regis igitur anno VII, Phocatis imperatoris anno primo, qui VIII annis imperavit Romæ, Edelfert rex ferus Nordhumbrorum, fortis et gloriæ cupidus plus omnibus Anglorum regibus gentem vastabat Britonum: nemo in tribunis, nemo in regibus plures eorum terras exterminatis vel subjugatis indigenis, aut tributarias genti Anglorum, aut habitabiles fecit. Cui merito poterat illud aptari: *Benjamin, lupus rapax, mane comedet prædam,*

Digitized by Google

et vespere dividet spolia (*Gen.* XLIX). Unde motus ejus profectibus Æden [*al.* Ædan] rex Scotorum, qui Britanniam inhabitant, venit contra eum cum immenso ac forti exercitu, sed cum paucis victus aufugit; siquidem in loco celeberrimo, qui dicitur Degsastan, omnis pene ejus est cæsus exercitus : in qua etiam pugna Tedbald frater Edelfridi cum omni illo, quem ipse ducebat, exercitu peremptus est; neque ex eo tempore quisquam regum Scotorum adversus gentem Anglorum in prælium venire ausus est (BED., lib. I, c. ultimo).

Ceolwlfi vero regis anno nono pugnavit prædictus rex Edelfert contra Britannos, victor apud Kaerlegion; de quo bello bellorum maximo in libro conversionis Anglorum, qui hunc sequitur, dicendum est.

Ceolwlfus vero inter multa bella contra multos facta, quæ causa brevitatis prætermissa sunt, pugnam maximam habuit contra Sudsexas : in qua uterque exercitus ineffabiliter contritus est. Clades tamen detestabilior contigit Sudsexis.

Ceolwlf, cum regnasset XIV annis, homo esse desiit. Kenegils vero regnavit post eum XXXI annis super Westsexe tempore Heraclii imperatoris; qui imperavit XXVI annis.

Kinegils fuit filius Ceola [*al.* Ceolric], filii Chuta, filii Kiuric, filii Certic. Quarto autem regni sui anno assumpsit secum fratrem [*al.* filium] suum Kichelmum in regnum, et inierunt bellum contra Britannos apud Beandune. Ordinatis igitur manipulis et cuneis et aciebus cum eis lege rata centuriones et consules et duces utrinque præessent, bellum incœptum est. Cum igitur obviarent sibi acies terribiliter et pulcherrime, vexillis inclinatis, in ipsa prima collisione invasit horror Britannos, timentesque aciem securium maximarum splendentium et framearum magnæ longitudinis, fuga in principio, sero tamen potiti sunt. Saxones igitur sine detrimento sui victores numeravere mortuos Britannorum, et inventi sunt mortui duo millia et sexaginta duo.

Kinegils vero, cum sex annis regnasset, mortuus est Ethelbert rex Kentensis : cui successit Ædbold filius ejus. Sequenti quoque anno Edelfridus rex Nordhumbrorum, et Redwaldus rex Estangle obviaverunt sibi provocati utrinque cum exercitibus copiosis. Pugnatum est igitur in finibus Merciorum ad orientalem plagam amnis, qui vocatur Idle : unde dicitur : *Amnis Idle, Anglorum sanguine sorduit.* Edelfridus rex ferus dedignans et mirans quod aliquis ei auderet resistere, cum militibus electis et bello assuetis audacissime quidem, sed inordinate irruit in hostem, quamvis acies Redwaldi eleganter ordinatæ terribiles essent aspectu. Nam hirsutæ galeis et hastis et innumeris decoræ vexillis terno procedebant ordine, multoque majores erant numero quam hostes. Rex tamen Nordhumbrorum quasi præda inventa subito proruens in cuneos conglomeratos Rainerum filium regis cum tota acie sua gladiis prostravit, et ad inferos ante se misit. Redwaldus autem tanta clade non perterritus, sed iracundior, invincibiliter cum duabus aciebus perstitit. Cumque impenetrabiles essent Nordhumbris, Edelfridus findens cuneos ultra posse suum longe a suis super magnam stragem hostium prostratus est. Fugit igitur rege adempto totus ejus exercitus. Huic ergo in regnum successit Edwinus qui postea factus est Christianus. Tanta autem pax erat in Britannia tempore regis Edwini, ubicunque imperium ejus attingebat, ut mulier cum nato parvulo a mari ad mare secura gradi posset. Rex autem ad lucidos fontes juxta vias ob refrigerium viantium erectis stipitibus æreos caucos suspenderat, quos nullus vel magnitudine timoris auderet, vel amoris vellet attingere. Ubique autem ante regem vexilla gestabantur, nec non per plateas illud genus vexilli, quod Romani Tuffam vocant, Angli Tuf appellant, ante eum ubilibet ferri colebat.

Kinigils cum regnasset sexdecim annis, et Kichelmus pugnantes contra Edwinum, regem prædictum, quem prius morti proditione paraverant tradere, jure necati [*al.* victi] sunt, ut post dicetur. Eodem anno Penda Strenuus cœpit regnare super Merce; regnavit autem triginta annis. Penda autem fuit filius Wibba, filii Crida, filii Cinewald, filii Cnibba [*al.* Cnidda], filii Icil, filii Comer, filii Angeltean [*al.* Angeltheau], filii Offa, filii Weremund, filii Witlac, filii Woden. Eodem anno obiit Sebertus rex Estsexe, cui duo filii ejus successerunt in regnum, nec longe post pugnaverunt contra Kinigels et Kichelm, audacter quidem cum paucioribus contra plures, sed infeliciter : uterque enim juvenis acie gladii corruit, et ex toto eorum exercitu vix aliquis fugam capessere potuit obstantibus cadaverum suorum montibus, et sanguinis torrentibus. Quibus successit Sigebertus cognomine Parvus; cui postea Sigebertus vir sanctus, et virtutibus plenus, quem sui proditione occiderunt.

Kinigils et Kichelm tertio anno post hunc pugnaverunt contra Pendam apud Cirancestre congregata utrinque multitudine gravi. Cumque uterque exercitus fuga abjurata invincibiliter persisterent, solis occidentis gratia dirempti sunt; mane autem cum se utrosque in perniciem redigendos, si applicarentur, viderent, moderatis utrinque impetitionibus, concordati sunt.

Kinigils, cum regnasset viginti tribus annis, occisus est rex Edwine per Pendam Strenuum; quæ res in libro sequenti digne et prolixe tractabitur. Anno vero sequente Oswald rex sanctus adeptus est regnum Nordhumbrorum et regnavit novem annis. Anno hunc sequente conversus est Kinegils ad fidem. Anno etiam proximo baptizatus est Kichelm regnans cum Kinegils fratre suo, qui obiit eodem anno. Diebus in iisdem conversus est Carpwald [*al.* Eorpwald] rex Estanglorum filius Redwaldi regis ad fidem rectam, et eo mox occiso per Pendam Strenuum, conversus est Sigbert frater et

Digitized by Google

successor suus per Felicem episcopum, et tota gens orientalium Anglorum cum eo. Quarto post hunc anno obiit Eadbald rex Kent, qui regnavit viginti tribus annis. Post quem regnavit filius suus Erchenbriht [*al.* Ercombert] XXVI annis, tempore Eradonas [*al.* Eraclonas] imperatoris, qui imperavit duobus annis.

Kinigils, cum regnasset XXXI annis, vita caruit tempore Constantini imperatoris, qui imperaverat triginta tribus [*al.* XXVIII] annis, filius scilicet Constantini prioris, qui regnaverat dimidio anno. Successit autem Kinigilso filius ejus Cenwald [*al.* Kenwalkius], et regnavit uno et triginta annis super Westsexe, sicut et pater ejus fecerat. Eodem anno occisus est rex sanctus Oswald, sicut in consequenti libro dicetur, et post eum regnavit Oswi frater ejus viginti octo annis.

Cenwald quinto anno regni sui invasus est a rege Penda, quia sororem ejus dimiserat; sed non potuit ei resistere ut pater ejus fecerat; sed prælio victus fugit ante faciem ejus, et fugatus est a regno suo. Post triennium vero regno recuperato dedit Cenwald Ædredo cognato suo, et adjutori ter mille villas juxta *Esesdune* [*al.* Æscendune]. His temporibus successit Carpwaldo regi Estanglorum Sigebert frater ejus Dei servus. Qui nimirum Deo tantum adhæsit, ut cognato suo Ecgnice [*al.* Egrico] regno commendato monasterium intraret, et tonsuram acciperet. Post multos annos autem coegerunt eum exire contra regem Pendam; ille tamen nonnisi virgam in manu habebat in prælio. Occisus est igitur cum rege Ecgnice et totus eorum exercitus. Successit autem eis Anna filius Eni de regio genere vir optimus, et optimæ pater sobolis.

Cenwald, cum regnasset tredecim annis, invasit Annam prædictum regem Estanglorum Penda Strenuus. Cui bene poterat aptari illud Lucani :

Totus in arma furens nullas nisi sanguine fuso
Gaudet habere vias.

Insurrexit igitur exercitui perituro regis Annæ, insurrexit et infrenduit,

Ut lupus ad caulas injustæ prodigus iræ,
Molle pecus nec pro meritis mactatque vorat que;
Ora fluunt sanie, latus undique sanguine manat,
Perstat atrox, nec abit donec simul omnia fundat;
Sic super attonitos fertur rex Penda propinquos.

Devorati sunt igitur Anna rex et exercitus ejus ore gladii in momento, ita quod vix aliquis superfuit ex iis. Successit autem Annæ frater ejus Edelhere. Quo mox occiso a rege Penda successit Adelwold [*al.* Ethelwald] in regno. Prædato igitur regno acies et vexilla in Nordhumbre direxit Penda Strenuus.

Cenwald cum regnasset quatuordecim annis, Penda, qui cæteros gladio perimebat, gladio peremptus est, secundum illud : *Qui gladio percusserit, gladio peribit* (*Matth.* XXVI). Percussus vero est per Oswium regem apud amnem Winwed. Unde dicitur :

In Winwed amne vindicata est cædes Annæ.

Cædes regum Sigbert et Ecgnice
Cædes regum Oswald et Edwine.

Successit ei filius ejus Peda, qui primus regum Merce baptizatus est, et gens regni Merce (quæ etiam vocatur Midelengle, id est mediterranea Anglia) cum eo, et per eum ad fidem conversi sunt. Sed ipso post breve intervallum occiso, regnavit Wlfere frater ejus pro eo viginti annis, vir patriæ virtutis hæres. Eo etiam tempore baptizatus est rex Estsexe, id est orientalium Saxonum, nomine Sigbert, qui post Sigbertum cognomento Parvum provinciæ illius regnum tenuit.

Cenwald [*al.* Cenworth aut Cenwalh] rex occidentalium Saxonum XVII anno regni ejus pugnavit contra Britannos apud Pennum. Scientes enim eum victum fuisse a Penda Strenuo, et a regno fugatum minus aptum existimantes ad onus prælii sustinendum, congregata multitudine gravi cum superbia bellum inierunt. Prima quidem collisione Britones Anglos aliquantulum repulerunt. Cum autem Angli magis horrerent fugam quam mortem, et in repercutiendo persisterent, defatigati sunt Britanni et more nivis liquefacta est vis eorum. Dederunt ergo terga percutientibus, et fugati sunt a Pennum usque ad Pedredan, et facta est super progeniem Bruti plaga insanabilis in die illa.

Cenwald vero XX anno regni ejus aliter pugnavit contra Vulfere regem Merce filium Pendæ. Rex namque Merce patria virtute et fortuna usus, hosti Martis eventibus præstitit. Cumque rex Westsexe campo Martio expulsus fugam elegisset, pertransiit Vulfere terram hostilem in multitudine grandi, et insulam Wiht ultra positam debellavit, et obtinuit. Ejus autem industria conversus est rex Adelwold [*al.* Edelwalkius] rex Sudsexe primus ad fidem : cui de lavacro suscepto dedit in signum adoptionis insulam Wiht; et ut eamdem insulam ad fidem Christi converteret, misit illo Epam presbyterum ad prædicandum; illa tamen necdum converti potuit. Anno post hunc tertio sol obscuratus est, tertio die Maii : quod signum pestilentia gravissima tam in Britannia quam in Hibernia persecuta est. Eo igitur anno Ercembert rex Kentensis, et Deusdedit archiepiscopus Kentensis uno et eodem die obierunt. Postea filius ejusdem prædicti regis Egbriht regnavit IX annis super Cantuariam. Ipse igitur rex Egbriht et rex Oswi miserunt Wihard [*Beda*, Wigardum] presbyterum Romam, ut fieret archiepiscopus. Sed eo ibidem defuncto misit Vitallianus papa pro eo Theodorum archiepiscopum magnum, de cujus strenuitate in suo loco dicetur.

Cenwald regis anno XXIX obiit rex Oswi maximus Nordhumbre morbo confectus. Post quem Egferd filius ejus regnavit XV annis.

Cenwald, cum regnasset XXXI annis, mortuus est. Post quem Sexburgh uxor ejus regnavit uno anno; præcedenti autem anno fuit maxima pugna volucrum in Anglia. Quod ut credibilius videatur, hoc etiam tempore nostro contigit in Northmannia,

Digitized by Google

rege Henrico, qui primus regum Angliæ sic vocatus est. (Hoc autem determinatum est, quia sic aliquis alius futuro tempore forsitan vocabitur.) *Palam vero apud Rothomagum volucres pugnaverunt, ita ut millia volucrum occisa inventirentur, et extranei volucres fugam iniisse viderentur. Quod signum scilicet fuit prælii, quod gestum est inter Henricum dominum Angliæ et Northmanniæ, et Ludovicum filium Philippi regem Franciæ. Quo in prælio rex fortis Henricus victor exstitit, et Ludovicus victus aufugit.*

Sexburgh regnante, mortuus est Egbricht rex Cantuariæ, cui successit, Lotharius in regnum. Tunc etiam tenuit Theodorus concilium apud Tedforde. Lotharius autem filius regis prædicti regnavit XII annis.

Escwine cœpit regnare super Westsexe; sed brevi regnum ejus, morte præripiente, duravit. Cujus regis anno secundo fuit pugna gravissima inter eum et Vulfere regem Mercensem. Rex vero Mercensis patria et avita virtute usus aliquantulum præstantior pugna fuit; uterque tamen exercitus terribiliter contritus est, et multa millia utrinque ad inferos demersa sunt. Operæ autem pretium est attendere quam viles sint actus hominum, quam vilia sint bella regum gloriosa et gesta nobilia. Cum enim reges prædicti tantam cladem genti suæ causa pompæ et tumoris et inanis gloriæ ingessissent, alter eorum scilicet Vulfere eodem anno morbo periit, alter vero sequenti. Post hunc Edelred regnavit super Merce.

Escwine cum duobus annis regnasset vitæ demptus est, et Kenwine regnavit super Westsexe novem annis. Eodem anno rex Edelred novus Merce insurrexit contra Lotharium regem Kertensem. Lotharius vero patriam et avitam virtutem formidans divertit se a conspectu ejus, nec obviam processit. Rex igitur Mercensis urbem Rovensem destruxit, provinciam Kentensem transmeavit, prædam innumerabilem reduxit.

Centwine regis anno tertio cometa per tres menses apparuit, et unoquoque mane velut sol resplenduit (Bed. l. IV c.). Anno vero sequente Egfred Rex Nordhumbre et Edelréd rex Merce pugnaverunt gravissime juxta Trent. Et ibi occisus est Alwine [*Bed.* Ælfwine] frater regis Egfredi juvenis utrique provinciæ multum amabilis. Nam et sororem ejus, quæ dicitur Ostrith, rex Edelred habebat uxorem. Cumque materies belli acrioris et inimicitiæ longioris inter reges populosque feroces videretur exorta, Theodorus, Deo dilectus antistes, divino functus auxilio, salutifera exhortatione cœptum tanti periculi funditus exstinguit incendium, adeo ut pacatis alterutrum regibus ac populis nullius anima hominis pro interfecto regis fratre, sed debita solummodo multa pecuniæ regi ultori daretur. Cujus fœdera pacis multo exinde tempore inter eosdem reges eorumque regna duraverunt. Eodem anno obiit Ædeldrida, quæ fuerat uxor regis Egfredi, virgo tamen perpetua.

Kentwine rex VII anno regni sui congressus est Britannos, eosque male resistentes victoriosus et vehemens cæde et incendiis usque ad mare fugavit. Circa hoc tempus tenuit Theodorus concilium apud Hatfeld.

Kentwino rege defuncto, venit Cedwalla ad regnum, qui mox insulam Vectam captam converti fecit ad fidem, ad quam ipse postea conversus est.

Omnes igitur reges Angliæ jam fideles effecti, et universæ regionum partes Christi lumine et gratia fruebantur.

Tractatum est, ut æstimamus, in confusione de gestis Anglorum adhuc infidelium, in libro hoc, quem vocamus *De adventu Anglorum*, perduximusque seriatim ab ipsa invasione Britanniæ, quæ per Saxones facta est, usque dum singula regna suis regibus illustrata, et reges singuli fulgore fidei sunt irradiati. Nunc igitur cum liber hic, licet verbis brevis sit, gesta tamen multa, eventus et bella contineat, termino donandus est. Scribendum namque attentius est in libro sequente, qui prædicatores, quorum hortatu, quibus miraculis, qua prædicatione, quos reges, quo ordine ad fidem Domini nostri converterint. Hæc autem bella gesta sunt tempore XIV imperatorum, annis circiter 218; tempore Marciani, qui regnavit VII annis; tempore Leonis, qui regnavit XVII annis; tempore Zenonis, qui etiam regnavit XVII annis; tempore Anastasii, qui regnavit XVIII annis; tempore Justini Senioris, qui regnavit VIII annis; tempore Justiniani Majoris, qui regnavit XXXVIII annis; tempore Justini Junioris, qui regnavit XI annis; tempore Tiberii, qui regnavit VII annis; tempore Mauricii, qui regnavit XXI annis; tempore Focatis, qui regnavit VIII annis; tempore Heraclii, qui regnavit XXVI annis; tempore Eraclonas, qui regnavit II annis; tempore Constantini, qui regnavit dimidio anni; tempore Constantini filii sui, qui regnavit XXXVIII annis.

Nomina ergo omnium regum Angliæ, qui usque ad hunc terminum fuerunt, quia confuse dispersa sunt, si secundum regna singula brevissime recapitulem, non tædiosus, ut æstimo, sed apertior et lectori gratior existam.

Reges autem Centenses [*al.* Kentenses] hi sunt ex ordine.

Primus rex Hengist VIII annis regnum sibi conquisivit, et postea XXXII annis regnavit.

Esc filius ejus regnavit XXXIV annis gloriose.

Otta circa XX annos obscure regnavit.

Irmiricus etiam circa XXV [*al.* X] annos similiter regnavit.

Aedelbertus, filius Irmirici, primus Christianus, L [*al.* LVI] annis splendidissime regnavit.

Eadbaldus, XXXIV.

Erchembrictus, XXXIV.

Egbrictus, IX.

Digitized by Google

Nonus Lotharius, XII.

Reges vero Westseriæ hi sunt ex ordine :

Primus Cerdic anno LXXI ab adventu Anglorum regnavit XVII annis.

Kinric, filius Cerdici, regnavit XXVI annis.

Ceuling [*al.* Cheuling] filius, Kinrici regnavit XXX annis.

Chelric, filius Cheulingi, regnavit V annis.

Chelwlf, filius Cutha, fratris Ceulingi, regnavit XIV annis.

Kinigils, filius Ceola, filii Cutha, regnavit XXXI annis, et fidem primus suscepit.

Cenwalh [*al.* Chenwalh], filius Kinigilsi, similiter regnavit XXXI annis.

Serburh [*al.* Sexburgh], uxor Cenwalh, regnavit uno anno.

Escwine, filius Cenwalh, regnavit II annis.

Cenwine, cognatus Escwini, regnavit IX annis.

Reges vero Estseriæ hi sunt ex ordine :

Primus Eschenwin [*al.* Erchewine.]

Slede.

Sebert [*al.* Seberth]. Primus suscepit fidem.

Sigebertus.

Sibertus.

Swithelmus.

Sebbi.

Sigardus.

Reges etiam Nordhumbriæ hi sunt ex ordine :

Primus Ida.

Ælla.

Edelfert.

Edwinus. Primus fidem suscepit.

Oswaldus.

Oswi.

Egferd.

Reges vero Estangliæ hi sunt ex ordine ;

Primus Uffa.

Titilus [*al.* Titulus].

Redwaldus.

Erwaldus. Fidem primus suscepit.

Sigebertus.

Egnicus

Anna.

Adelhere.

Adelwold.

Aldulfus.

Reges quoque Merciæ hi sunt ex ordine :

Primus Crida.

Wibba.

Ceorlus.

Penda.

Peda. Fidem primus suscepit.

Wlfhere.

Ædelred.

Reges Sudseriæ hi sunt ex ordine :

Primus Ælle.

Scisse.

Cæteros penuria scriptorum, vel fama obscura recondit, præter regem Adelwold, qui jure adhuc nomen habet, quia primus nomen Christi agnovit. Et hæc quidem expliciunt. Vide igitur, lector, et perpende quanta nomina quam cito ad nihilum devenerint. Attende, quæso, et stude, cum nihil hic duret, ut acquiras tibi regnum et substantiam illam, quæ non deficiet ; nomen illud et honorem, qui non pertransibit ; monimentum illud et claritatem, quæ nullis sæculis veterascet. Hoc præmeditari summæ prudentiæ est, acquirere summæ calliditatis, adipisci summæ felicitatis.

LIBER TERTIUS.

Anno gratiæ quingentesimo octogesimo secundo Mauricius, qui quinquagesimus quartus ab Augusto imperavit, imperium suscepit : cujus principis anno quartodecimo, misit servus Dei Gregorius Augustinum et alios plures cum eo monachos prædicaturos in Angliam, anno adventus Anglorum in Britanniam circiter centesimo quinquagesimo. Qui jussis pontificalibus obtemperantes, cum Angliam appropinquarent, horrore maximo nimirum perculsi, redire domum potius quam adeo feram gentem, cujus nec linguam nossent, adire cogitabant. Nec mora Augustinum quem iis episcopum ordinandum, si ab Anglis susciperentur, disposuerat, domum remittunt, qui a beato Gregorio humili supplicatu obtineret, ne tam periculosam, tam laboriosam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias litteras mittens in opus eos verbi divino confisos auxilio proficisci suadet ; quarum videlicet litterarum ista est forma :

GREGORIUS, *servus servorum Dei, servis Domini nostri.*

Quia melius fuerat bona non incipere quam ab iis, quæ cœpta sunt, cogitatione retrorsum redire, summo studio, dilectissimi filii, oportet, ut opus bonum, quod, auxiliante Domino, cœpistis, impleatis. Nec labor vos ergo itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant ; sed omni instantia omnique fervore, quæ inchoastis, Deo auctore, peragite, scientes quod laborem magnum major æternæ retributionis gloria sequitur. Remeanti autem Augustino præposito vestro, quem et abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite, scientes hoc vestris animabus per omnia profuturum, quidquid a vobis fuerit in ejus admonitione completum. Omnipotens Deus

Digitized by Google

sua gratia vos protegat, et vestri laboris fructum in æterna me patria videre concedat, quatenus si vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inveniar, quia laborare scilicet volo. Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi filii.

Data die decimo Kalendarum Augustarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio, piissimo Augusto, anno decimo quarto imperii ejusdem domini nostri, indictione IV.

Roborati ergo beati Patris confirmatione, Britanniam prædicatores perveniunt. Erat eodem tempore rex Ethelberth in Cantia potentissimus, qui ad confinium usque Humbræ fluminis maximi, quo meridiani et septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperii tetenderat. Est autem ad orientalem Cantiæ plagam Tenatos insula non modica, id est magnitudinis juxta consuetudinem æstimationis Anglorum, familiarum sexcentarum. Quam a continenti terra secernit fluvius Wantsumu, qui est latitudinis circiter trium stadiorum, et duobus tantum in locis transmeabilis: utrumque enim caput protendit in mare. In hac ergo applicuit servus Dei Augustinus et socii ejus, viri, ut ferunt, ferme XL, missisque interpretibus mandavit regi prædicto, sese venisse de Roma, ac nuntium ferre optimum, qui sibi obtemperantibus æterna in cœlis gaudia, et regnum sine fine cum Deo vivo et vero futurum sine ulla dubietate promitteret. Qui hoc audiens manere eos in ea, quam adierant insula, et iis necessaria ministrari, donec videret quid de illis faceret, jussit. Nam et antea fama Christianæ religionis ad eum pervenerat, utpote qui et uxorem habebat Christianam de gente Francorum reginam vocabulo Berte, quam ea conditione a parentibus acceperat, ut ritum fidei ac religionis suæ cum episcopo, quem adjutorem dederant, nomine Ludhardo inviolatum servare licentiam haberet. Post dies vero paucos venit ad insulam rex, et residens sub divo jussit Augustinum cum sociis suis ad suum ibidem advenire colloquium. Caverat enim ne in aliquam domum ad se introirent veteri usus augurio; ne superventu suo, si quid maleficæ artis habuissent, eum superando deciperent. At illi non dæmoniaca sed divina virtute prædíti veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, et imaginem Domini Salvatoris in tabulis depictam, litaniasque canentes pro sua simul et eorum, propter quos et ad quos venerant, salute æterna Domino supplicabant. Cumque ad jussionem regis residentes verbum ei vitæ una cum omnibus, qui aderant, ejus comitibus prædicarent, respondit ille, dicens: « Pulchra sunt quidem verba et promissa, quæ affertis, sed quia nova sunt et incerta, non iis possum assensum tribuere, relictis iis, quæ tanto tempore servavi cum omni gente Anglorum. Verum quia de longe huc peregrini venistis, et ut ego mihi videor perspexisse, ea, quæ vera vos et optima credebatis, nobis quoque communicare desideratis: nolumus molesti esse vobis; quin potius benigno vos hospitio recipere curamus, et quæ victui sunt necessaria vestro ministrare; nec prohibemus quin omnes, quos potestis fidei vestræ religioni prædicando societis. » Dedit ergo iis mansionem in civitate Doroverneusi, quæ imperii sui totius erat metropolis, iisque, ut promiserat, cum administratione victus temporalis licentiam quoque prædicandi non abstulit. Fertur autem quia appropinquantes civitati more suo cum cruce sua et imagine magni regis Domini nostri Jesu Christi hanc litaniam consona voce modularentur: *Deprecamur te, Domine, in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus et ira tua a civitate ista et de domo tua sancta, quoniam peccavimus. Alleluia.*

Ingressi ergo urbem, vitam apostolicam primitivæ Ecclesiæ imitantes, conversatione cœlesti et dulcedine doctrinæ multos ad fidem et baptismum compulerunt. Baptizabant autem, missasque celebrabant in ecclesia Sancti Martini ad orientem ipsius civitatis antiquitus a Britannis facta, in qua regina prædicta orare consueverat. At ubi rex inter alios delectatus vita mundissima sanctorum, et ostensione miraculorum ad fidem conversus est, cœpere innumeri Christi Ecclesiæ uniri. Quos quidem arctius rex diligebat; nullum tamen ad fidem cogebat. Didicerat enim a suæ salutis auctoribus servitium Christi voluntarium, non coactum esse debere Locum vero sedis congruum, possessionesque varias conferre non distulit. Pergens igitur vir domini Augustinus Arelas, et ab archiepiscopo ejusdem civitatis Ætherto juxta præceptum domini papæ ordinatus archiepiscopus, reversus est Britanniam; misitque Laurentium presbyterum Romam, per quem et res gestas summo pontifici mandavit, et gerenda novem quæstionibus consuluit. Contra quas rescripta papæ recepit, quæ quia prolixa sunt, in decretis vel canonibus lector quærat et inveniet.

Misit etiam papa Gregorius, Augustino episcopo tunc temporis ab urbe Roma cooperatores ac verbi ministros plures, in quibus primi et præcipui erant Mellitus, Justus, Paulinus, Ruffinianus: misit et per eos vasa et indumenta, codices et ornamenta ecclesiis necessaria. Misit et litteras, quarum iste est textus:

Reverendissimo et sanctissimo fratri AUGUSTINO *coepiscopo* GREGORIUS, *servus servorum Dei.*

Cum certum sit pro omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia [al. *inæstimabilia*] *æterni regni præmia reservari, nobis tamen iis necesse est honorum beneficia tribuere, ut in spiritualis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare. Et quia nova Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente et te laborante, perducta est, usum tibi pallii in ea ad sola missarum solemnia agenda concedimus; ita ut per loca singula duodecim episcopos ordines, qui tuæ subjaceant ditioni, quatenus Londoniensis civitatis episcopus semper in posterum a synodo propria debeat consecrari atque*

Digitized by Google

honoris pallium ab hac sancta et apostolica, cui, Deo auctore, deservio, sede percipiat. Ad Eboracam vero civitatem te volumus episcopum mittere, quem ipse judicaveris ordinare, ita duntaxat ut, si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim episcopos ordinet, et metropolitani perfruatur honore.

Quia ei quoque, si vita comes fuerit, pallium tribuere, Domino favente, disponimus : quem tamen tuæ fraternitatis volumus dispositioni subjacere. Post obitum vero tuum, ita episcopis, quos ordinaverit, præsit, ut Londoniensis episcopi nullo modo subjaceat ditioni. Sit vero inter Londoniæ et Eboracæ civitatis episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Communi autem consilio et concordi actione quæque sunt pro Christi zelo agenda, disponant unanimiter, recte sentiant, et ea, quæ senserunt, non sibimet discrepando perficiant. Tua vero fraternitas non solum episcopos quos ordinaverit, neque hos tantummodo qui per Eboraci episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat Domino nostro Jesu Christo subjectos ; quatenus ex lingua et tuæ vitæ sanctitate et recte credendi et bene vivendi formam percipiant, atque officium suum fide ac moribus exsequentes ad cœlestia, cum dominus voluerit, regna pertingant. Deus te incolumem custodiat, reverendissime frater.

Data die decimo Kalendarum Julliarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto, anno decimo septimo.

Cum autem legatarii prædicti Britanniam peterent, misit post eos apostolicus litteras, in quibus quam studiosus erga salutem gentis nostræ fuerit, aperte demonstrat, ita scribens :

Dilectissimo filio Mellito *abbati* Gregorius, *servus servorum Dei.*

Post discessionem congregationis nostræ, quæ tecum est, valde sumus suspensi redditi, quia nihil de prosperitate vestri itineris audisse nos contigit. Cum ergo Dominus omnipotens vos ad reverendissimum virum fratrem nostrum Augustinum episcopum perduxerit, dicite ei quid diu mecum de causa Anglorum cogitans tractavi, videlicet quia fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant ; sed ipsa, quæ in iis sunt, idola destruantur, aqua benedicta fiat, in iisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ componuntur. Quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est ut a cultu dæmonum in obsequium veri Dei debeant commutari, ut, dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, et Deum verum cognoscens et adorans ad loca, quæ consuevit, familiarius curret. Et quia boves solent in sacrificio dæmonum, multos occidere, debet iis etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, et die dedicationis vel natalitiis sanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt de ramis arborum faciant, et religiosis conviviis solemnitatem celebrent. Nec diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, et donatori omnium de satietate sua gratias referant. Et dum iis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia facilius consentire valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse non dubium est, quia et is, qui summum locum ascendere nititur, gradibus vel passibus, non autem saltibus elevatur. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus siquidem innotuit ; sed tamen iis sacrificiorum usus, quæ diabolo solebat exhibere, in cultu proprio reservavit, ut iis in suo sacrificio animalia immolare præciperet, quatenus eor mutantes aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent. Ut et si ipsa essent animalia, quæ consueverant immolare, vero tamen Deo hæc et non idolis immolantes jam sacrificia ipsa non essent. Hæc igitur dilectionem tuam prædicto fratri necesse est dicere, ut ipse in præsenti illic positus perpendat qualiter omnia debeat dispensare. Deus te incolumem custodiat, dilectissime fili.

Datum die quintodecimo Kalendarum Juliarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio, piissimo Augusto, anno nonodecimo : post consulatum ejusdem domini nostri anno octavo decimo, indictione quarta.

Augustino etiam super miraculis ejus misit epistolam, ne in iis extolleretur, his verbis : *Scio, frater charissime, quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente, quam elegi voluit, miracula ostendit. Unde necesse est ut de eodem dono cœlesti et timendo gaudeas et gaudendo pertimescas : gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur ; pertimescas vero ne inter signa quæ fiunt infirmus animus præsumptione se elevet, et unde foras in honorem tollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminisse etenim debemus quia discipuli cum gaudio a prædicatione redeuntes dum cœlesti Magistro dicerent :* « Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subjecta sunt (*Luc* x). » *Protinus audierint :* « Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis (*ibid.*). » *In privata enim et temporali lætitia mentem posuerant, qui de miraculis gaudebant, sed de privata ad communem, de temporali ad æternum lætitiam revocantur. Quibus dicitur :* « In hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis, » *Non enim omnes electi miracula faciunt, sed tamen eorum nomina in cœlo tenentur ascripta. Veritatis enim discipulis esse gaudium non debet, nisi de eo bono, quod commune cum omnibus habent, et in quo finem lætitiæ non habent. Restat itaque, frater charissime, ut inter ea quæ, operante Domino, exterius facis, semper* [al. *super*] *te interius subtiliter judices, ac subtiliter intelligas, et temetipsum quis sis, et quanta sit in eadem gente gratia, pro cujus conversione etiam faciendorum dona percepisti signorum : et si quando te Creatori nostro seu ver*

Digitized by Google

linguam, sive per opera reminisceris deliquisse, semper hæc ad memoriam revoces, ut surgentem cordis gloriam memoria reatus premat, et quidquid de faciendis signis acceperis vel accepisti, hæc non tibi, sed illis deputes donata, pro quorum tibi salute collata sunt.

Ædelberto quoque regi misit papa Gregorius epistolam simul et dona in diversis speciebus, ut temporalibus donis extolleret, quem gratiæ cœlestis muneribus consignaverat.

Domino gloriosissimo atque præcellentissimo filio ÆDELBERTO *regi Anglorum* GREGORIUS *episcopus.*

Propter hoc omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus, quibus prælati fuerint, dona pietatis suæ impendat: quod in Anglorum gente factum cognovimus. Cui vestra gloria idcirco est præposita, ut per bona quæ nobis concessa sunt, etiam subjectæ vobis genti superna beneficia præstarentur. Et ideo, gloriose fili, eam, quam accepisti divinitus gratiam, sollicita mente custodi, Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina. Zelum rectitudinis tuæ in eorum conversione multiplica, idolorum cultus insequere, fanorum ædificia everte, subditorum mores et magna vitæ munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, boni operis exemplo monstrando ædifica, ut illum retributorem invenias in cœlo, cujus nomen atque cognitionem dilataveris in terra. Ipse enim vestræ quoque gloriæ nomen etiam posteris gloriosum reddet, cujus vos honorem quæritis et servatis in gentibus. Sic etenim Constantinus quondam piissimus imperator Romanam rempublicam a perversis idolorum cultibus, revocans omnipotenti Deo et Domino nostro Jesu Christo secum subdidit, seque cum subjectis populis tota ad eum mente convertit. Unde factum est ut antiquorum principum nomen suis vir ille laudibus vinceret, et tanto in opinione, quanto et in bono opere, superaret præcessores suos. Et nunc itaque vestra gloria cognitionem unius Dei Patris et Filii et Spiritus sancti regibus ac populis sibimet subjectis festinet infundere; ut et antiquos gentis suæ reges laudibus ac meritis transeat, et quanto in subjectis suis etiam aliena peccata deterserit, et tanto etiam de peccatis propriis ante omnipotentis Dei terribile examen securior fiat. Reverendissimus frater noster Augustinus episcopus in monasterii regula edoctus, sacræ Scripturæ scientia repletus, bonis, auctore Deo, operibus præditus, quæque vos admonet, libenter audite, devote peragite, studiose in memoria reservate. Quia si vos eum in eo quod pro omnipotenti Deo loquitur audieritis, idem omnipotens Deus hunc pro vobis exorantem celerius exaudiet. Si enim, quod absit! verba ejus postponitis, quando eum omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mente cum eo vos in fervore fidei stringite atque nisum illius virtute, quam vobis divinitus tribuit, adjuvate, ut regni sui vos ipse faciat esse participes, cujus vos fidem in regno vestro recipi facias et custodiri. Præterea scire vestram gloriam rolumus, quia, sicut in Scriptura sacra ex verbis Domini omnipotentis agnoscimus, præsentis mundi terminus jam juxta est, et sanctorum regnum venturum est, quod nullo unquam fine poterit terminari. Appropinquante autem eodem mundi termino multa imminent, quæ ante non fuerunt, videlicet immutationes aeris, terroresque de cœlo, et contra ordinationem temporum tempestates, bella, fames, pestilentiæ, terræ motus per loca. Quæ tamen non omnia nostris diebus ventura sunt, sed post nostros dies omnia subsequentur. Vos itaque si quæ ex iis evenire in vestra terra cognoscetis, nullo modo vestrum animum perturbetis, quia idcirco hæc signa de fine sæculi præmittuntur, ut de animabus nostris debeamus esse solliciti, de mortis hora suspecti, ut venturo judicio in bonis actibus inveniamur esse præparati. Hæc nunc, gloriose fili, paucis locutus sum, ut cum Christiana fides in regno vestro excreverit, nostra quoque apud vos locutio latior excrescat, et tanto plus loqui libeat, quanto se in mente nostra gaudia de gentis vestræ perfecta conversione multiplicant. Parva xenia transmisi, quæ vobis parva non erunt, cum a vobis ex beati Petri apostoli benedictione fuerint suscepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam, quam cœpit, perficiat, atque vitam vestram et hic per multorum annorum curricula extendat, et post longa tempora in cœlestis vos patriæ congregatione suscipiat. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Data die decimo Kalendarum Julii, imperante domino nostro Mauricio Tiberio, piissimo Augusto, anno decimo nono, post consulatum ejusdem domini, anno decimo octavo, indictione quarta.

Augustinus autem in regia civitate ecclesiam, quam Romani fideles olim construxerant, in sedem sibi et successoribus suis sacravit in honorem Salvatoris. Rex vero ecclesiam Petri et Pauli ad orientem civitatis construxit et dicavit, in qua archiepiscoporum et regum Cantiæ poni corpora possent. Cujus primus abbas Petrus presbyter fuit, qui legatus Galliam missus demersus est in sinu maris, qui vocatur Ambleot, et ab incolis loci ignobili traditus sepulturæ. Sed omnipotens Deus, ut qualis meriti fuerit demonstraret, omni nocte supra sepulcrum ejus lux cœlestis apparuit, donec animadvertentes vicini, qui videbant sanctum fuisse virum, qui ibi fuisset sepultus, et investigantes unde vel quis esset, abstulerunt corpus, et in Bononia civitate juxta honorem tanto viro congruum in ecclesia posuerunt.

Sexcentesimo anno gratiæ transacto, magnus papa Gregorius ad veram vitam migravit, anno post hunc quinto, secundo Phocatis imperatoris anno. Qui genere Romanus, ortu nobilis, divitiis abjectis monachicam elegit vitam. Postea vero de monasterio abstractus, Constantinopolim apocrisiarius a Felici papa directus est, ubi *Moralia* Job inchoavit, quæ postea papa perfecit. Ubi etiam Eutychii [*al.* Euticii] hæresim, præsente imperatore, damnavit;

Digitized by Google

composuit etiam librum egregium, qui vocatur *Pastoralis*, librosque *Dialogorum* IV et *Homilias* XL, primamque et ultimam *Ezechielis* partem exposuit, quamvis omnis juventutis suæ tempore, viscerum doloribus et stomachi imbecillitate, et lentis quidem, sed tamen continuis febribus cruciaretur. Hæc quidem de immortali ejus sunt dicta ingenio, quod nec tanto corporis potuit dolore restringi. Nam alii quidem pontifices ecclesiis ornandis operam dabant; hic autem omnia pauperibus dispergebat, ut illud beati Job dicere posset : *Auris audiens beatificavit me, et oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberarem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum; justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate judicio meo. Oculus fui cæco, et pes claudo; pater eram pauperum, et causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus ejus auferebam prædam* (*Job* XIX). Et paulo post : *Si negavi*, inquit, *quod volebant pauperes, et oculos viduæ exspectare feci; si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea; quia ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum* (*Job* XXXI). Fecit autem inter alia beatus papa super corpora apostolorum Petri et Pauli missas celebrari; in ipsa vero missarum celebratione tria verba maximæ perfectionis adjecit : *Diesque nostros in tua pace disponas, ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari.* Dicitur autem, ut ait Beda, quod vir Dei prædictus, die quodam Romæ in mercaturam profectus juvenes Anglorum viderit corpore et vultu capillisque valde venustos. Quos cum de Britannia venisse et paganos esse cognovisset, suspirans, inquit : Heu proh dolor! quod tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor possidet! Interrogavit ergo quod esset vocabulum gentis illius, responsum est, quod Angli vocarentur. At ille : « Bene, inquit; nam et angelicam faciem habent, et tales angelorum in cœlis decet esse cohæredes. » Quod habet provincia nomen ipsa de qua isti sunt allati? responsum est, quod Deiri vocarentur iidem provinciales. At ille : « Bene, inquit, Deiri, de ira eruti, et ad misericordiam Christi vocati. » Rex provinciæ illius quo modo appellatur? responsum est, quod *Aelle* diceretur. At ille alludens ad nomen ait, « *Alleluia* ad laudem Creatoris in illis partibus oportet cantari. » Accedens igitur ad pontificem Romanum (nondum enim erat pontifex factus), legationem prædicandi iis petiit : quod cum impetrare non posset, mox ut ipse pontifex factus est, per alios opus diu desideratum perfecit. Sepultus est autem in ecclesia Beati Petri apostoli ante sacrarium ubi est epitaphium hujusmodi :

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum,
Reddere quod valeas, vivificante Deo.
Spiritus astra petit, lethi nil jura nocebunt,
Cui vitæ alterius mors magis ipsa via est.
Præsulis hoc summi et tumulantur membra sepulcro
Qui tamen innumeris vivit ubique bonis.
Anglos ad Christum vertit pietate magistra,
Multiplicans fidei semina gente nova.
Sic consul domini factus lætare, Gregori :
Namque triumphalis jam tibi laurus adest.

Ordinavit autem Augustinus Justum in ipsa Cantia episcopum in civitate Dorubrevi, quam Angli a quodam principe Rof Rofecestriam vocant; in qua rex Edelbert apostoli Andreæ ecclesiam fecit, factamque territoriis ac possessionibus ditavit; distat autem a Dorovernensi milliariis viginti quatuor. Pertractatum est igitur quo modo rex et populus Cantiæ ad fidem Christi sunt conversi.

Secunda pars incipit, qua aperitur quo modo rex et populus Estseræ, id est orientalium Saxonum, verbum Dei susceperint. Misit namque Augustinus ad eos virum perfectum et probatum evangelizare, Mellitum scilicet. Orientales autem Saxones Tamesi dirimuntur a Cantia : quorum metropolis Londonia multorum emporium populorum terra marique venientium est. Ibi tunc temporis Sebertus nepos Ædelberti sub eo tamen regnabat, qui omnibus, ut supra dictum est, usque ad Humbram imperabat. Re igitur bene prosperata et rege Seberto et populo ad fidem converso fecit rex Edelbertus in Londonia ecclesiam Pauli ad sedem episcopi, multisque prædiis dotavit, in qua videlicet Mellitus digne pontifex constitutus est.

At Augustinus adjutorio usus Ædelberti regis cum Mellito episcopo et Justo convocavit ad suum colloquium episcopos sive doctores maximæ et proximæ Britonum provinciæ, in loco, ubi usque hodie lingua Anglorum Augustines ac, id est robur Augustini, in confinio Wicciorum (*al.* Pictorum) et occidentalium Saxonum appellatur. *Cumque de celebratione Paschæ contra Scotos et Pictos certaret, et illi invictissimæ rationi assentire nollent, assertionem suam confirmavit cæco Anglico in commune adducto ad sanandum, ex conventione ad alterutræ partis confirmationem. Quem cum pontifices eorum curare non possent, flectens genua Augustinus coram omnibus ad illuminationem totius gentis cæcum illuminavit.* Tunc Britanni et Scoti petentes inducias a quodam, qui videbatur iis prudens et religiosus esse, consilium petiere quid agendum esset. Quibus ille dixit : « Si servus Dei est, assentite ei. » At illi : « Unde hoc poterimus dignoscere? » Tum ille : « Si mitis est et humilis corde, servus Dei videtur esse. » At illi contra : « Quomodo utrum humilis sit poterimus scire. » Quibus ille : « Si vobis assurrexerit humilis habeatur; si autem, cum plures numero sitis, assurgere spreverit et vos spernite illum. » Cum ergo convenissent, et Augustinus Romano more in sella residens iis non assurrexisset, objurgantes et discordantes abiere. Quibus Augustinus prædixit quia, si pacem cum fratribus accipere nollent, bellum cum hostibus forent accepturi, et si nationi Anglorum noluissent viam vitæ prædicare, per horum manus ultionem, essent mortis passuri. Quod ita per omnia, ut prædixerat, divino

Digitized by Google

judicio agente, patratum est. Siquidem post, ipse de quo diximus, rex Anglorum Edelfrid ferus, collecto grandi exercitu ad civitatem legionum, quæ a gente Anglorum Leeg-Cestre vocatur, a Britonibus autem rectius Kaerlegion appellatur, maximam gentis perfidæ stragem dedit. Cumque bello acturus videret sacerdotes eorum, qui ad exorandum Deum pro milite bello agente convenerant, seorsum in tutiori loco consistere, sciscitabatur qui essent hi, quidve acturi illuc convenissent. Erant autem plurimi eorum de monasterio Bangor [*al.* Brancor], in quo tantus fertur fuisse numerus monachorum, ut, cum in septem portiones esset cum præpositis sibi rectoribus monasterium divisum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet: qui omnes de labore manuum suarum vivere solebant. Horum ergo plurimi ad memoratam aciem peracto triduano jejunio cum aliis orandi causa convenerunt, habentes defensorem nomine Brocmailum, qui eos intentos precibus a barbarorum gladiis protegeret. Quorum causam adventus cum intellexisset rex Edelfridus, ait: « Ergo si adversum nos ad dominum suum clamant, profecto et ipsi quamvis arma non ferant, contra nos pugnant qui adversis nos imprecationibus persequuntur. Itaque in hos primum arma verti jubet, et sic cæteras nefandæ militiæ copias non sine magno exercitus sui damno delevit. Exstinctos in ea pugna fertur de iis qui ad orandum venerant, viros circiter mille ducentos, et solum quinquaginta fuga esse lapsos. Brocmail ad primum hostium adventum cum suis terga vertens, eos, quos defendere debuerat, inermes ac nudos ferientibus gladiis reliquit. Sicque completum est præsagium sancti pontificis Augustini, quamvis ipso jam multo ante tempore ad cœlestia regna sublato, ut etiam temporalis interitus ultionem sentirent perfidi, quod oblata sibi perpetuæ salutis consilia spreverunt.

Defunctus est autem Deo dilectus Augustinus, et sepultus est foras juxta ecclesiam Petri et Pauli, quia necdum perfecta erat nec dedicata. Ut vero dedicata est, a successore ejus Laurentio, in porticu illius aquilonali decenter translatus est, in qua archiepiscoporum omnium corpora usque ad Theodorum sepulta sunt: nam plura porticus capere nequivit. Scriptum vero est in tumba sancti epitaphium hujusmodi: *Hic requiescit dominus Augustinus Dorovernensis archiepiscopus primus, qui olim huc a beato Gregorio Romanæ urbis pontifice directus, et a Deo operatione miraculorum suffultus, Edelbertum regem ac gentem illius ab idolorum cultu ad Christi fidem perduxit, et, completis in pace diebus officii sui, defunctus est septimo Kalendas Junii, eodem rege regnante.*

Laurentium vero adhuc vivens ordinaverat Augustinus in archiepiscopum, exemplo beati Petri, qui Clementem similiter ordinaverat, ne se defuncto status Ecclesiæ tum rudis, vel ad horam pastore destitutus vacillaret. Qui strenuiter fidem fundatam auxit, non solum novæ Ecclesiæ Anglorum curam gerens, sed etiam veterum Britonum et Scotorum, qui in observatione paschæ errabant. Quibus et epistolam misit, cujus hoc principium est:

Dominis fratribus charissimis, episcopis vel abbatibus per universam Scotiam, LAURENTIUS, MELLITUS *et* JUSTUS *episcopi, servi servorum Dei.*

Dum nos sedes apostolica more suo sicut in universo orbe terrarum in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc insulam contigit introisse, antequam cognosceremus, credentes quod juxta morem universalis Ecclesiæ ingrederentur, in magna reverentia sanctitatis tam Britones quam Scotos venerati sumus. Sed cognoscentes Britones, Scotos meliores putavimus. Scotos vero per Daganum episcopum et Columbanum abbatem nihil discrepare a Britonibus in eorum conversatione didicimus. Nam Daganus episcopus ad nos veniens non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem hospitio, quo vescebamur, sumere voluit.

Mellitus, episcopus Londoniæ, Romam profectus concilio Bonifacii papæ interfuit, in quo de vita et quiete monachorum tractavit. Hic est Bonifacius quartus a Gregorio papa, qui templum Pantheon a Phocate imperatore impetravit, quod in honorem omnium sanctorum dedicavit.

Edelbertus rex obiit sexcentesimo sexto decimo anno gratiæ, qui regnaverat LVI annis, et sepultus est in ecclesia prædicta Petri et Pauli. Hic vir maximus et eximius inter cætera bona genti suæ decreta judiciorum scripsit. At vero post mortem Edelberti, Edbald filius ejus infidelis uxorem patris duxit: unde multi ad priorem vomitum redierunt; rex tamen crebra mentis vesania puniebatur. Rex autem orientalium Saxonum defunctus tres filios paganos hæredes regni reliquit. Qui cum essent idololatræ, derisorie dicebant episcopo in missarum solemniis: « Quare non et nobis panem nitidum porrigis, quem patri nostro dabas, et adhuc populo donas? » Quibus ille respondebat: « Si vultis ablui fonte illo salutari, quo pater vester ablutus est, potestis etiam panis sancti, cujus ille participabat, esse participes; sin autem lavacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. » At illi: « Nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia illo nec opus nos habere novimus, sed tamen pane illo refici volumus. » Cumque diligenter ac sæpe ab illo essent admoniti, nequaquam ita fieri posse, ut absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctæ communicet, ad ultimum furore commoti, aiebant: « Si non vis assentire nobis in tam facili causa, quam petimus, non poteris jam in nostra provincia demorari. » Et expulerunt eum, ac de suo regno cum suis abire jusserunt. Qui expulsus inde venit Cantiam tractaturus cum Laurentio et Justo coepiscopis, quid in his agendum esset. Decretumque est communi consilio quod satius esset ut omnes in patriam redeuntes libera mente ibi Domino deservirent, quam inter rebelles fidei bar-

Digitized by Google

baros sine fructu residerent. Discessere, itaque primi Mellitus et Justus atque ad partes Galliæ recessere, ibi finem rerum exspectare disponentes. Sed non post multo tempore reges, qui præconem a se veritatis expulerunt, dæmoniacis cultibus impune non serviebant. Nam egressi contra gentem Gevissorum in prælium omnes pariter cum sua militia corruerunt. Nec licet auctoribus perditis exercitatum ad scèlera vulgus potuit recorrigi, atque ad simplicitatem fidei et charitatis, quæ est in Christo, revocari. Cum vero et Laurentius Mellitum Justumque secuturus, ac Britanniam esset relicturus, jussit ipsa nocte sibi in ecclesia beatorum apostolorum Petri et Pauli, de qua frequenter jam diximus, stratum parari. In quo cum post multas preces ac lacrymas ad Dominum pro statu Ecclesiæ fusas ad quiescendum membra posuisset, atque obdormisset, apparuit ei beatissimus apostolorum princeps, et multo illum tempore secreto noctis flagellis arctioribus afficiens, sciscitabatur apostolica districtione : *Quare gregem, quem sibi ipse crediderat, relinqueret? vel cui pastorum oves Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro parvulis, quos mihi in judicium suæ dilectionis commendaverat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem, mortem autem crucis ab infidelibus et inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertuli?* Iis admonitus Laurentius, mox regi omnia relevavit. Rex autem nimio terrore perterritus, abdicato non legitimo connubio, baptizatus est; mittensque ad Gallias revocavit Mellitum et Justum. Justum Rovenses receperunt. Mellitum Londonienses abjecerunt, idololatris magis pontificibus servire gaudentes. Rex autem Edbald non erat tantæ potestatis, quantæ pater, ut iis iuvit's restituere posset episcopum.

Edbaldi regis tempore obiit Laurentius cui Mellitus Londoniensis episcopus successit. Ipse igitur et Justus Roffensis episcopus cum magno labore Ecclesiam Anglorum regebant. Erat autem Mellitus podagricus, sed mentis gressibus sanus, carne nobilis, sed mente nobilior. *Unum autem virtutis ejus opus est quod flammis urbem consumentibus ipse se ferri obviam jussit, et statim orando destruxit flammarum impetus.* Justus, Rovensis episcopus, Mellito quinque annis archiepiscopo successit. Cui Bonifacius papa successor Deusdedit misit et pallium cum his litteris:

Dilectissimo fratri Justo, Bonifacius.

Quam devote quamque vigilanter pro Christi Evangelio elaboraverit vestra fraternitas, non solum epistolæ directæ a vobis tenor, imo indulta desuper operi vestro perfectio indicavit. Nec enim omnipotens Deus aut sui nominis sacramentum, aut vestri laboris fructum deseruit, dum ipse prædicatoribus Evangelii fideliter repromisit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* xxviii). » *Susceptis namque apicibus filii nostri Edbaldi regis, reperimus quanta sacri eloquii eruditione ejus animum ad veræ conversationis et indubitatæ fidei credulitatem fraternitas vestra perduxerit. Pallium itaque per præsentium latorem fraternitati tuæ dixerimus; quo videlicet in sacrosanctis celebrandis mysteriis utendi licentiam imperavimus, concedentes etiam tibi ordinationes episcoporum, exigente opportunitate, domini præveniente misericordia, celebrare, ita ut Christi Evangelium plurimorum annuntiatione in omnibus gentibus, quæ necdum conversæ sunt, dilatetur. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater.*

Tertia pars incipit de conversione Nordhumbrorum, id est eorum qui ad aquilonem Humbræ fluminis plagam inhabitant. Rex vero eorum Edwinus tanta potestate terreni cre erat imperii, ut (quod nemo Anglorum ante eum) omnis Britanniæ fines acciperet, et omnes provinciæ, quas vel Angli vel Britones habitabant, sub ditione ejus essent. Quin et Mevanias insulas imperio subjugavit Anglorum : quarum prior, quæ ad austrum est, et situ amplior et frugum proventu atque ubertate felicior, nongentarum sexaginta familiarum mensuram; secunda trecentarum et ultra spatium tenet. Rex autem illefiliam Edelberti regis Edelburgam Christianam paganus duxerat : quæ alio nomine vocabatur Tate. Cum qua venit Paulinus ut ibi prædicaret, ad hoc ordinatus episcopus a Justo archiepiscopo. Anno autem sequente venit quidam sicarius nomine Eumer missus a rege Westsere Chilchelmo ut regem Edwinum interficeret. Qui simulans legationem domini sui, cucurrit in regem cum sica bicipiti toxicata, juxta amnem Dorvencionem. Quod videns Lilla regius minister interponens se ictui transfixus est, et eodem ictu rex parumper vulneratus est, interfectoque alio equite sicarius ille gladiis cæsus est. Eadem nocte peperit regina filiam nomine Einflat [*al.* Eanfled]. Cumque rex gratias inde diis ageret, dixit Paulinus quod precibus suis apud Deum obtinuerit, ut regina illam pareret absque dolore. Cujus verbis delectatus rex promisit se Christo serviturum si victoriam donaret ei adversus Chichelmum, et in pignus promissionis implendæ filiam suam baptizari jussit. Quæ cum undecim de familia ejus baptizata est. Rex autem, superato Chichelmo, et hostibus suis aut occisis aut in deditionem receptis, cum victor rediret in patriam, non statim Christianus effectus est; sed sæpe solus, sæpe cum aliis, ratione fidei audita, quid ageret discutiebat vir natura sagacissimus.

Bonifacius ergo papa exhortatorias ad fidem litteras ei misit. Misit et munera, de quibus in fine epistolæ meminit his verbis : *Præterea benedictionem protectoris vestri beati Petri apostolorum principis vobis direximus, id est camisiam cum ornatura in auro unam, et lænam ancirianam unam, quod petimus ut eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum.*

Edelburgæ quoque reginæ misit litteras et munera, de quibus in fine epistolæ sic ait : *Præterea benedictionem protectoris vestri beati Petri aposto-*

Digitized by Google

orum principis vobis direximus, id est, pectinem eburneum auratum, et speculum argenteum; quod petimus ut eo benignitatis animo vestra gloria suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum.

Paulinus autem Spiritus sanctus oraculum revelavit regi Edwino quondam ostensum hoc modo. Cum Edelfrido illum persequente, qui ante eum regnavit, profugus apud regem Redwaldum moraretur, cognovit per quemdam amicum suum Redwaldum corruptum muneribus regis Edelfridi eum interficere velle, promisitque se a provincia illa eum educturum, si vellet : cui Edwinus : « Quo nunc fugiam, qui per omnes Britanniæ provincias tot annis hostium insidias vitavi? Si autem mori oportet, malo ut hic me interficiat quam ignobilior. » His dictis, remansit solus, dumque mentis angoribus et cæco carpitur igne, vidit intempesto noctis silentio hominem incognitum dicentem sibi : « Ne formides, scio enim causam tristitiæ tuæ : quid autem dares ei qui hac te absolveret, et Redwaldo regi suaderet ut te amaret? » Qui cum responderet, « Omnia quæ possem, » adjecit ille, « quid si etiam et te regem futurum potentiorem prioribus exstinctis hostibus vere promittat? » respondente Edwino ut prius, adjecit iterum : « Quid si is meliorem viam vitæ tibi ostenderit quam aliquis parentum tuorum habuerit, obtemperabisne ei? » Promittente hoc Edwino firmissime, subdidit ille, imponens manus capiti ejus : « Cum ergo hoc tibi signum advenerit, memento hujus temporis et sermonis. » Quo dicto repente disparuit, ut intelligeret non hominem esse sed spiritum. Et cum regius juvenis solus adhuc ibidem sederet, præfatus ejus amicus venit et ait : « Surge hilaris, mutatum est cor regis, consilioque reginæ fidem suam tibi disposuit servare. » Quid plura? Redwaldus, congregato exercitu, Edelfridum sibi occurrentem occidit in finibus Merciorum ad orientalem plagam amnis qui vocatur Idle. Ibi tum filius Redwaldi nomine Rainer occisus est, ac sic Edwinus regno Nordhumbrorum potitus est. Cum autem Paulinus hoc oraculum regi dixisset, imponens manum capiti ejus, procidere volentem ad pedes ejus levavit.

Rex igitur ad fidem promptus, ut lucraretur suos, sciscitabatur quid eis videretur. Cui Coifi pontifex ait : « Nemo studiosius servivit diis quam ego ad lucrum terrenum. Multi autem sunt, qui majora beneficia receperunt, unde nil valere deos probavi. Tum alius optimatum regis subdidit, talis mihi videtur, rex, vita hominum præsens in terris ad comparationem ejus, quod nobis incertum est temporis, quale cum te residente ad cœnam cum ducibus ac ministris tuis tempore brumali, accenso quidem foco in medio et calido effecto cœnaculo, furentibus autem foris per omnia turbinibus hiemalium pluviarum vel nivium, adveniens unus passer domum citissime pervolaverit; qui, cum per unum ostium ingrediens mox per aliud exierit, ipso quidem tempore, quo intus est, hiemis tempestate non tangitur, sed tamen parvissimo spatio serenitatis ad momentum excurso, in hiemem mox de hieme regrediens oculis tuis elabitur. Ita hæc vita hominum ad modicum apparet; quid autem sequatur quidve præcesserit, prorsus ignoramus : unde si hæc nova doctrina certius aliquid attulit, merito sequenda esse videretur. » His similia cum etiam cæteri dicerent, adjecit Coifi, quod vellet ipsum Paulinum audire de Deo dicentem. Quo audito, exclamavit se et alios penitus errasse, fidemque Christi se suscepturos omnes pariter promiserunt. Coifi autem pontifex accepto equo emissario a rege, cum pontificem idolorum non liceret nisi super equam equitare, arreptoque gladio et lancea, quod etiam non licebat, videntibus cunctis succendit et destruxit, quas ipse sacraverat aras. Ostenditur autem locus ille quondam idolorum non longe ab Eboraco ad orientem ultra amnem Dorvencionem, id est Derewent, et vocatur hodie Godmundham [*al.* Godmundingeham.]

Igitur baptizatus est rex Edwinus die sancto Paschæ et multi cum eo in ecclesia Sancti Petri, quam ipse de ligno construxerat sedem episcopatus Paulino. Mox autem majorem incœpit lapideam, quam postea perfecit Oswald : baptizati sunt etiam Ofrid et Eadfrid filii regis Edwini, qui ambo ei exsuli nati sunt de Quenburga, filia regis Cearli Merciorum; baptizati sunt tempore sequenti et liberi ejus de Edilburga regina progeniti, quorum duo adhuc albati mortui sunt, et Eboraci in ecclesia sepulti. Tanta autem fertur tunc fuisse verborum fides ac desiderium lavacri salutaris gentis Nordhumbrorum, ut quodam tempore Paulinus veniens cum rege et regina in regiam villam, quæ vocabatur Adgebzin, triginta sex diebus ibidem cum iis catechizandi et baptizandi officio deditus moraretur. In provincia Berniciorum baptizabat in fluvio Gleni, juxta locum, qui vocatur Melmin; in provincia vero Deirorum in fluvio Swale [*al.* Swalna], qui vicum Cataractam præterfluit.

Paulinus etiam convertit provinciam Lindissæ, quæ est ad meridianam ripam Humbræ fluminis, priusquam præfectum Lindocolinæ civitatis cui nomen Blecca cum domo sua convertit, in qua civitate ecclesiam egregii operis fecit, et in ea Honorium consecravit archiepiscopum. Cujus tecto vel longa incuria vel hostili manu dejecto parietes hactenus stare videntur. Urbs autem Lincolniæ, quæ tunc Lindocolina vocabatur, et provincia Lindissæ ei adjacens, quæ circumquaque claudit vel fluviis, vel paludibus, vel mari, ad Merciæ regnum pertinet. Urbs autem illa et situ splendida est, et provincia rerum multarum locuples; unde quidam :

Urbs in colle sita est, et collis vergit ad austrum.

Narravit abbas de Peartaneu se vidisse seniorem a Paulino baptizatum cum cætera turba coram rege Edwino in fluvio Trenta juxta civitatem, quæ

Digitized by Google

tunc Fingecester [*al.* Tidwlfingacestre], vocabatur. De cujus effigie dicebat quod esset vir longæ staturæ, paululum incurvus, nigro capillo, facie macilenta, naso aduneo pertenui, venerabilis simul et terribilis aspectu.

Honorius autem papa misit accensorias regi Edwino litteras his auditis. Quarum postremam partem necessarium duxi apponere, quæ scilicet *De agendis archiepiscoporum Angliæ* tractat distincte per hæc verba : *Prædicatoris vestri domini mei apostolicæ memoriæ Gregorii frequenter lectione occupati præ oculis affectum doctrinæ ipsius, quem pro vestris animabus libenter exercuit habetote, quatenus ejus oratio et regnum vestrum populumque augeat, et vos omnipotenti Deo irreprehensibiles repræsentet. Ea vero, quæ a nobis pro vestris sacerdotibus ordinanda sperastis, hæc pro fidei vestræ sinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præsentium portatores laudabiliter insinuata est, gratuito animo retribuere ulla sine dilatione providemus ; et duo pallia utrorumque metropolitanorum, id est, Honorio et Paulino direximus. Ut dum quis eorum de hoc sæculo ad auctorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alterum episcopum ex hac nostra auctoritate debeat subrogare. Quod quidem tam pro vestræ charitatis affectu, quam pro tantarum provinciarum spatio, quæ inter nos et vos esse noscuntur, sumus invitati concedere, ut in omnibus devotioni vestræ nostrum concursum juxta desideria vestra præberemus. Incolumem excellentiam vestram superna gratia custodiat.*

Quarta pars incipit de conversione Anglorum orientalium. Quorum rex Erpwaldus, filius Redwaldi regis, hortatu Edwini regis sibi amicissimi fidem suscepit. Et quidem pater ejus Redwaldus jamdudum in Cantia fidem susceperat, sed frustra : nam rediens domum, ab uxore sua et a quibusdam perversis seductus habebat altare Christi et dæmonis in eodem fano. Quod rex ejusdem provinciæ Aldulf, qui venerabilis Bedæ ætate fuit, usque ad suum tempus perdurasse testatur. Verum Erpwaldus non multo postquam credidit tempore occisus est a viro gentili Rigberto : cui successit Sigbert frater ejus Christianissimus, et cæteros christianizans cum Felice episcopo, quem de Burgundia ortum miserat illuc Honorius episcopus ad prædicandum. Juxtaque nomen suum acceptam sedem episcopatus in civitate Domoc septemdecim annis tenuit, et in pace ibidem obiit.

Hæc inter, Justo archiepiscopo defuncto, Paulinus Honorium sibi occurrentem ordinavit in urbe Lindecolniæ, quæ modo vocatur Lincolina, in ecclesia, quam ipse fecerat ibidem, sicut prædictum est. Honorius autem papa misit Honorio archiepiscopo pallium, et litteras de ordinatione et dignitate utriusque archiepiscopatus, quarum hæc est forma :

Dilectissimo fratri Honorio Honorius.

Inter plurima, quæ Redemptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata suæ pietatis munificentia tribuit, quoties per fraternos affectus unanimem dilectionem quadam contemplatione alterius aspectibus repræsentat, pro quibus majestati ejus gratias indesinenter absolvimus, eumque votis supplicibus exoramus, ut vestram dilectionem in prædicatione Evangelii elaborantem et fructificantem, sequentemque magistri et capitis sui Gregorii sancti regulam, perpetua stabilitate confirmet, et ad augmentum Ecclesiæ potiora per vos suscitet incrementa, ut fide et opere, in timore Dei et charitate vestra acquisitio decessorumque vestrorum, quæ per domini Gregorii exordium pullulat, convalescendo amplius extendatur ; ut ipsa vos Dominici eloquii promissa in futuro respiciant, vosque vox illa ad æternam festivitatem evocet : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI); » *et iterum:* « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV.) » *Et nos quidem, fratres charissimi, hæc vobis pro æterna charitate exhortationis verba promittentes, quæ rursus pro ecclesiarum vestrarum privilegiis congruere posse conspicimus, non desistimus impertire, et tam juxta petitionem vestram quam filiorum nostrorum regum vobis præsenti nostra præceptione vice beati Petri apostolorum principis auctoritatem tribuimus, ut, quando unum e vobis divina ad se jusserit evocari, is, qui superstes fuerit, alterutrum in loco defuncti debeat episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula vestræ dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus, ut per nostræ præceptionis auctoritatem possitis Deo placitam ordinationem efficere. Quia ut hoc vobis concederemus longa terrarum marisque intervalla, quæ inter nos et vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coegerunt, ut nulla possit ecclesiarum vestrarum jactura per cujuslibet occasionis obtentum quoquomodo provenire ; sed potius commissi vobis populi devotionem plenius propagare. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater.*

Data die tertio Iduum Juniarum, imperantibus dominis nostris piissimis Augustis Heraclio, anno vigesimo quarto, post consulatum ejusdem anno vigesimo tertio, et consulatus ejus anno tertio, sed Heraclio felicissimo Cæsare, il est filio ejus anno tertio, indictione septima, id est anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimo quarto.

Misit et idem papa Honorius genti Scotorum litteras correctorias de observatione Paschæ, ne paucitatem suam cunctis per orbem Christi Ecclesiis sapientiorem æstimarent. Sed et Joannes, qui successori ejusdem Honorii Severino successit, misit litteras pro eodem errore corrigendo, et Pelagiana hæresi, quam apud eos reviviscere didicerat : quæ dicebat hominem sine peccato posse existere ex propria voluntate et non ex gratia Dei. *Nec enim homo potest sine peccato esse nisi Jesus Christus sine peccato conceptus et natus*

Digitized by Google

Nam cæteri homines etsi actuali peccato careant, contrahunt tamen originale secundum illud : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L).

At vero Edwinus post septemdecim annos regni sui conserto gravi prælio in campo, qui vocatur Hatfeld [*al.* Hethfeld], occisus est a Cedwalla rege Britonum adjuvante eum Penda Strenuo, qui ex eo tempore rex fuit Merciorum, ejusque totus vel peremptus est vel dispersus exercitus. Offrid quoque bellicosus filius ejus occisus est ante eum. Alter Edfrid, necessitate cogente, ad Pendam refugit, a quo postmodum, regnante Oswaldo, perfide peremptus est. Dicitur autem quod Hatfeld rubens undique nobilium fumabat cruore. Ibi namque miserabilis et inopinata fortissimorum facta est strages. Cedwalla siquidem rex potentissimus innumerabilem multitudinem secum adduxerat; Penda vero Strenuus strenuissimos, facta est igitur magna strages in ecclesia Nordhumbrorum. Penda enim paganus erat; Cedwalla vero pagano sævior, nec mulieribus nec parvulis parcens, se Anglos Britannia e asurum deliberans. Nec Britones magis communicant Anglis quam paganis, fidem eorum nihili pendentes. Allatum est autem caput Edwini regis Eboracum et illatum in ecclesia Petri, quam ipse cœpit, sed Oswaldus perfecit. Nordhumbris igitur nihil præsidii nisi fugam habentibus, Paulinus, assumpta secum regina Edelburga, quam pridem adduxerat, rediit Cantiam navigio, atque ab Honorio archiepiscopo et rege Eadbaldo honorifice susceptus est, habens etiam secum filium et filiam Edwini. Quos postea mater metu Eadbaldi et Oswaldi regum misit in Galliam nutriendos regi Dagoberto, qui erat amicus illius, ibique pueri defuncti sunt. Attulit quoque secum vasa pretiosa Edwini et crucem magnam auream et calicem aureum, qui in ecclesia Cantiæ adhuc sunt. Romano autem Rovensi præsule absorpto fluctibus Italici maris, dum legatarius Honorii tenderet Romam, Paulinus eumdem episcopatum tenuit usquedum vixit; ubique moriens pallium, quod a papa acceperat, reliquit. Reliquerat autem in ecclesia sua Eboraci Jacobum diaconum virum sanctum, qui ex hinc baptizabat, et docebat, usquedum recuperata pace in provincia et crescente numero fidelium, magister ecclesiasticæ cantationis juxta morem Romanorum cœpit existere, et ipse senex et plenus dierum juxta Scripturas, vias patrum secutus est.

Eadwino regi successit Osric, cognatus ejus in provincia Deirorum. Eanfrid, filius Edelfridi regis, suscepit regnum Berniciorum. Nam in has duas provincias gens Nordhumbrorum antiquitus divisa erat. Illi autem juvenes tempore regis Edwini apud Scotos et Pictos exsulantes baptizati sunt; ubi autem reges facti sunt ad idola conversi sunt. Quos rex Cedwalla impie, sed juste peremit, et primo quidem proxima æstate Osricum, dum se in oppido municipio temerario obsedisset, erumpens subito A cum suis omnibus imparatum destruxit. Post annum vero occidit Enfridum ad se postulandæ pacis gratia venientem cum duodecim militibus. Infaustus ille annus tam propter regum apostasiam, quam propter Cedwallæ tyrannidem, qua non terras ut victor acquirebat, sed ut pestis destruebat : unde ille annus sequentibus regis Oswaldi assignatur. Qui, post occisionem fratris Enfridi, superveniens cum parvo exercitu signum sanctæ crucis manibus suis erexit, ac foveæ impositam cespitibus firmavit, dixitque : *Flectamus genua, et Deum omnipotentem vivum ac verum in commune deprecemur ut nos ab hoste feroci ac superbo sua miseratione defendat. Scit enim quia justa pro salute gentis nostræ bella suscipimus.* Quo facto, incipiente diluculo B congressi Cedwallam et copias illas, quibus nihil resistere posse jactabat, ceciderunt apud Denisesburne, id est rivus Denisii. Unde dicitur : *Cædes Cedwallæ Denisii cursus coercuit.* Qui locus in magna veneratione habetur, ut in libro *Miraculorum* dicetur.

Oswaldus igitur rex ut fidem augeret, misit in Scotiam ubi exsulaverat, accepitque pontificem Aidanum summum virum, quamvis pascha non recte celebraret more septentrionalium Scotorum. Australes enim Hiberniæ insulæ partes jamdudum admonitione papæ rectum pascha susceperant. Venienti ergo episcopo rex sedem episcopalem in insula Lindesfarnensi tribuit. Igitur fides cœpit dilatari, pulchroque spectaculo sæpe contigit ut, evan- C gelizante Aidano, qui Anglorum linguam perfecte non noverat, ipse rex suis ducibus ac ministris interpres existeret. Longo enim exsilii sui tempore linguam Scotorum plene didicerat. Crescebat igitur fides, monachisque venientibus de Scotia, ferventer docebatur : monachus enim ipse episcopus erat de insula, quæ vocatur Hii, cujus monasterium septentrionalium Scotorum et omnium Pictorum arcem tenebat. Quæ insula ad jus quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto discreta; sed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, monachis Scotorum tradita, eo quod ab illis fidem perceperunt.

Namque anno gratiæ 565, regnante post Justi- D nianum Justino Minore, venerat de Hibernia abbas Columba ad prædicandum septentrionalibus Pictis, id est iis qui arduis et horrentibus montium jugis ab australibus Pictis separantur. Australes enim Picti prius conversi fuerant per Niniam episcopum Britonem Romæ edoctum. Cujus sedem episcopatus Sancti Martini nomine, ubi ipse Columba sepultus est, jam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad provinciam Berniciorum pertinens vulgo vocatur. Ad Candidam Casam, eo quod ibi ecclesiam de lapide insolito Britonibus more fecerit. Venit autem Columba, regnante Bridio, filio Meilocon rege Pictorum potentissimo, vigesimo anno regni ejus, gentemque illam convertit : unde et præfatam insulam ab iis accepit, quæ est quasi

Digitized by Google

familiarum quinque juxta æstimationem Anglorum, quam successores ejus usque hodie tenent, ubi et ipse sepultus est. Erat autem et aliud monasterium nobile in Hibernia de Armach, id est campus roborum. Ex quo utroque monasterio plurima in Hibernia et Anglia propagata sunt : in quibus omnibus monasterium Dū principatum tenet. Abbati autem illius insulæ omnis provincia et etiam episcopi ordine inusitato solent esse subjecti, quia Columba prædicator non episcopus fuit, sed presbyter et monachus. Cujus successores ejus imitatione valde claruerunt; tamen in observatione paschæ errabant, donec Egbertus Anglicus eos correxit. Aidanus igitur hinc missus episcopatum Nordhumbræ tenuit. Cujus institutione formatus rex Oswaldus, ut mente proficiebat, ita et regno plus quam omnes majores ejus. Omnes igitur gentes Britanniæ, scilicet Britones, Anglos, Pictos, Scotos in ditionem accepit; adeo tamen sublimis, humilis fuit et benignus peregrinis et pauperibus.

Quinta pars sequitur, de conversione occidentalium Saxonum, qui antiquitus Gevissæ vocabantur: quæ facta est per Birinum episcopum. Qui concilio papæ Honorii adveniens, ad quod etiam ordinatus est episcopus per Asterium Genuensem episcopum, gentem Gevissorum ingrediens paganissimam, baptizavit eos et regem eorum Kinigils. Contigit autem pulchre sanctum regem Oswaldum adfuisse, eumque de lavacro suscepisse, cujus filiam Oswaldus erat accepturus in conjugem. Donaverunt autem ambo reges Birino civitatem Dorcic ad sedem episcopii, ibique, constructis ecclesiis, sepultus est. Et post multos annos Hedde episcopatum agente, translatus inde in Wentam civitatem, quæ Wincestre vocatur, et in ecclesia Petri et Pauli positus est; defuncto autem rege Kinigilso, successit filius ejus Cenwalh, qui fidem renuit, nec impune. Repudiata enim sorore Pendæ regis Merciorum, quam duxerat, aliamque ducens bello victus est, et regno privatus ab illo, triennioque exsulans apud Annam regem orientalium Anglorum fidelem fidem recognovit. Cum vero Cenwalh restitutus esset in regno, constituit episcopum Ailbertum [*al.* Agilbertum] natione Gallum, sed tunc de Hibernia gratia legendi venientem. Postea vero rex Anglicum sciens tantum pertæsus barbaræ loquelæ subintroduxit in provinciam suæ linguæ episcopum Wine, et ipsum in Gallia ordinatum, dividensque in duas parochias provinciam, huic in Wenta sedem tribuit; unde offensus Ailbertus, quod hoc ipso inconsulto ageret, rediit Galliam, et acceptum episcopatum Parisiis usque ad obitum tenuit. Postea rex idem pepulit etiam Wine ab episcopatu, qui secedens ad Vulfere regem Merciorum emit pretio ab eo sedem Londoniæ civitatis, ejusque episcopus usque ad obitum mansit. Carente igitur pastore provincia, cum rex hostibus et damnis ideo sæpius affligeretur, misit pro Ailberto Parisios : qui nolens episcopatum illum dimittere, misit Leutherium nepotem suum. Hic igitur ordinatus episcopus a Theodoro archiepiscopo episcopatum Gevissorum longo tempore rexit solus.

Ea tempestate post Eadbaldum regem Centensem, Ercembert filius ejus XXIV annis nobiliter regnavit. Hic primus in toto regno idola destrui, et jejunium quadragesimale observari præcepit, pœnas transgressoribus posuit; duxitque Sexburh majorem filiam regis Annæ, minorem vero filiam suam Edelburh et filiam uxoris suæ Setrid miserat rex Anna ad monasterium Bruges ad serviendum Domino : quæ utraque cum esset peregrina merito virtutum Bregensis abbatissa effecta est. Tunc siquidem mittebant nobiles Angliæ filias suas eruditendas in Bruge et in Kala et in Andilegum monasterio. Misit et Ercembert Bruges filiam suam Erchengotam Christi virginem sanctam et præclaram. Cujus opera virtutum, cujus signa miraculorum ab incolis loci illius usque hodie narrantur; de cujus laude in libro *Miraculorum* dicemus.

Eo quoque tempore Oswaldus, cum regnasset novem annis internumerato illo anno aliorum prædicto, occisus est etiam a Penda Strenuo commisso gravi prælio apud Mesafeld [*al.* Maseuseld], anno ætatis suæ XXXVIII, die quinto Augusti. Unde dicitur : *Campus Mesafeld sanctorum canduit ossibus.* Occulto autem Dei judicio invisi Deo pagani dilectos ejus mactaverunt, et escas volatilibus cœli dederunt. In loco autem cædis illius miracula usque hodie fiunt. Successit vero regi sancto frater ejus Oswi, regnans XXVIII annis in provincia Berniciorum. Sed in provincia Deirorum Oswine filius Osrici regis, de quo prædictum est, VII annis regnavit. Ingravescentibus vero causis, cum reges simul conflicturi essent apud Wilfaresdune, id est montem Wilfari, et est a vico Cataractone decem ferme millibus contra solstitialem occasum, videns se Oswine imparem viribus, remittens exercitum, abscondit se in domo Hunwaldi comitis, quem sibi amicissimum putabat, cum uno tantum milite nomine Tondehere; sed ab eodem comite proditus est Oswio, et detestanda omnibus morte cum eodem milite per præfectum ejus Edelwinum [*al.* Eilwinum] interfectus est in Getlingum, ubi pro utriusque regis anima id est occisi et ejus qui occidere jussit, ecclesia constructa est. Erat autem rex Oswine aspectu venustus, statura sublimis, affatu jucundus, moribus civilis, manu largus, et ideo ab omnibus dilectus, et a nobilibus cujusque provinciæ frequentatus; de cujus humilitate digna relatu inter sancti Aidani sibi dilectissimi opera referemus. Secundo autem anno Oswi regis successit patri magno Paulino Ithamar episcopus in Rovensi ecclesia. Tunc temporis regno orientalium Anglorum, post Carpwaldum Redwaldi successorem, Sigbert frater ejus præerat homo religiosus : qui in G[illegible]lans pro inimicitia Redwaldi baptizatus f[illegible]que factus, ut in Gallia viderat, scholas

Digitized by Google

instituit, juvante se Felice episcopo : a l quem sanctus Furseus de Hibernia veniens, nobiliter susceptus est. Rex autem tantum Deo adhæsit ut, cognato suo Egnice [*al.* Egrico], regno commendato, monasterium intraret, et tonsuram acciperet. Post multos autem annos coegerunt eum exire contra regem Pendam. Ille tamen nonnisi virgam in manu habebat in prælio; occisus est igitur cum rege Egnice et exercitu; quibus successit Anna, filius Eni, de regio genere, vir bonus et bonæ pater sobolis : quem etiam Penda postea cecidit. Felici autem episcopo orientalium Anglorum successit Thomas, post quem Bonifacius. Hos omnes cum ordinasset Honorius archiepiscopus, mortuus est : cui Deusdedit sextus archiepiscopus Centensis successit, ordinatus ab Ithamar Rovensi episcopo. Ithamaro vero successit Damianus.

Sexta pars sequitur de conversione Midelengle, id est Mediterraneorum Anglorum sub principe Peda, quem pater illi genti præfecerat : dederat namque rex Oswi Pedæ filio Pendæ regis filiam eo pacto ut Christianus efficeretur. Hoc etiam maxime factum est persuasione Alfredi filii Oswi regis, qui sororem ejus duxerat Chineburgam filiam Pendæ. Baptizatus est igitur Peda cum suis a Finano episcopo in vico, qui dicitur Ad murum, acceptisque presbyteris secum Ceadda et Adda [*al.* Abda], et Betti, et Diuma, reversus est ad propria. Nec prohibuit Penda [*al.* Peda] quin de sua, hoc est Merciorum natione crederent, qui vellent, temnebatque credentes et male viventes. Post biennium vero conversi sunt Merci hoc modo. Oswi namque rex, cum irruptiones Pendæ regis intolerabiles ferre non posset, obtulit ei munera innumera. Penda vero, strenuus, quia gentem ejus exterminare decreverat, munera sprevit. Igitur Oswi supremis accensus doloribus, ait : « Si paganus nescit accipere nostra donaria, offeramus ei qui novit Deo. » Vovit ergo se filiam suam Deo sacraturum, et duodecim prædia monasteriis danda, et sic cum paucis multos aggressus est. Denique fertur quia, tricies majorem pagani habuerunt exercitum; siquidem ipsi triginta legiones ducibus nobilissimis instructas in bello habuere. Quibus Oswius rex cum Alfrido filio suo perparvum, ut dixi, habens exercitum; sed, Christo duce, confisus occurrit. Nam alius filius ejus Egfrid eo tempore in provincia Merciorum apud reginam Cinewissem obses tenebatur. Filius autem Oswaldi regis Edilwald, qui iis auxilio esse debuerat, in parte erat adversariorum, iisdemque contra patriam et patruum suum pugnaturus ductor exstiterat. Quamvis in ipso tempore pugnandi sese pugnæ subtraxerat, eventumque discriminis tuto in loco exspectabat. Inito ergo certamine, fugati sunt et cæsi pagani duces triginta : Deus enim omnipotens cum suis aderat, dissolvitque fortitudinem regis Pendæ, solitumque robur nervorum brachiis ejus dempsit, et cor magnanimum contabescere jussit; ideo nec se in ictibus suis cognovit, nec armis hostium impenetrabilis fuit; stupuitque hostes tales esse, qualis ipse hostibus esse solebat, se vero talem, quales illi esse solebant. Qui ergo semper alienum sanguinem fuderat, sensit quod egerat, dum jam cruore suo terram imbuit, et cerebro respersit : ergo qui ad auxilium ejus venerant pene sunt omnes interfecti. In quibus Adilhere frater Annæ regis orientalium Anglorum, qui post eum regnavit, auctor ipse belli perditis militibus sive auxiliis interemptus est. Et quia prope fluvium Minwed pugnatum, qui tunc per inundantiam pluviarum late alveum suum imo omnes ripas suas transierat, contigit ut multo plures aqua fugientes quam bellantes perderet ensis. Igitur Elfleda, filia Oswi regis monachata est in Hertei [*al.* Herten], id est insula Cervi; deinde constructo monasterio in Streneshalh, abbatissa ibidem obiit, ubi sepultus est pater ejus Oswi, et mater ejus Enflad, et pater matris ejus Edwine. Tribus igitur annis post mortem Pendæ rexit Oswi gentem Merciorum et cæteras australes provincias gentemque Pictorum ex parte magna : dedit etiam Pedæ filio Pendæ cognato suo regnum australium Merciorum, qui sunt familiarum v millium, discreti fluvio Trente ab aquilonaribus Mercis, qui sunt familiarum vii millium. Peda autem proditione conjugis suæ occisus est. Oswio igitur regi gentes Merciorum tribus annis subjectæ fuerunt, quæ, desecto capite perfido, ad fidei Christianæ gratiam per eum conversæ sunt. Igitur Diuma factus est episcopus Midelengle, et Merciorum, et Lindisfarorum : qui ibidem defunctus est; cui successit Coellet [*al.* Coellec], qui ad Scotos unde venerat rediit. Sed post tres annos duces Merciorum rebellantes Vulfere filium Pendæ in regem levaverunt. Quo regnante xvii annis, fuit primus episcopus Trumhere, secundus Iaruman, tertius Ceadda, quartus Wilfrid.

Tunc quoque orientales Saxones, qui olim Mellitum expulerant, iterum conversi sunt. Erat enim rex ejusdem gentis Sigbert, qui post Sigebertum cognomento Parvum regnavit, amicus regis Oswi. Ad quem cum sæpe veniret, et prædicaretur ab eo, baptizatus est a Finano episcopo in vico ad murum, qui est xii millibus a mari orientali. Vocatus autem Ceadda a Medelenglis, factus est episcopus super Estsere, baptizabatque maxime in civitate Itancestre, quæ est in ripa Pentæ amnis, et in Tilaburh, quæ est in ripa Tamesis. Consuli ergo cuidam pro illicito conjugio vetuit omnium communionem : quod contemnens rex, prandit cum eo, revertensque obviantis episcopi cecidit ad pedes; quem jacentem iratus virga tangens prædixit eum in ipsa domo moriturum, contigitque ut consul prædictus et frater ejus eum in ipsa domo interficerent; dixeruntque se id fecisse, quia nimis erat et parcens hostibus. Successit autem Sigberto Swithelm baptizatus ab ipso Ced, in Estanglia in Rendlesham, id est mansione Rendli, suscepitque eum de lavacro Adelwald rex ipsius gentis, frater Annæ

Digitized by Google

regis eorumdem. Ædelwaldus vero filius regis Oswaldi rex Deirorum eidem Ced episcopo tribuit locum ad Lestingi monasterii faciendi. Quo constructo, cum illuc ab Estsere sæpe rediret, tempore mortalitatis ibidem obiit: cui successit in episcopatu frater ejus Ceadda.

Interea Finan episcopus in insula Lindisfarnensi ecclesiam fecit totam de secto robore. Quam cum postea Theodorus archiepiscopus dedicasset, Edbert episcopus ibidem plumbo parietes et tectum operuit. Finano defuncto successit Coleman, qui male servabat Pascha, sicut Aidanus et Finan: igitur inde disputatum est coram Oswi rege et Alfrido rege, filio ejus. Hinc erat Colmannus et Ced episcopus prædictus: inde Ailbertus episcopus occidentalium Saxonum, qui ad Alfridum regem amicum ejus venerat, et Jacobus diaconus Paulini: quorum digne pars prævaluit. Ced igitur postea rectum Pascha servabat. Colmannus vero cum parte ossium patris Aidani nolens mutare sectam, in patriam reversus est. Cui successit Tudda in episcopatu Nordhumbræ. Eata vero prius custos postea episcopus factus est Lindesfarnensis. Hi autem tres episcopi Scotorum, Aidanus, Finan, Colmannus miræ sanctitatis fuerunt et parcimoniæ. Nec enim potentes sæculi suscipiebant, qui ad eos nisi orandi causa non veniebant. Rex ipse cum quinque vel sex ministris cum orasset vel discedebat, vel cibo fratrum utebatur. Adeo autem sacerdotes erant illius temporis ab avaritia immunes, ut nec territoria nisi coacti acciperent. Nec longe post facta est eclipsis solis die tertio Maii hora decima diei: quam gravis pestilentia secuta est, Britanniam et Hiberniam magna strage devastans. Qua plaga Tuda episcopus mortuus est, et sepultus in Wemalet.

Alfridus vero filius Oswi, jam regnans in parte regni patris misit Wilfridum presbyterum ad regem Galliarum, ut cum consecrari faceret episcopum. Quem Ailbertus prædictus jam tunc præsul Parisius cum plurimis episcopis honorifice consecravit in vico, qui vocatur Compendium. Rex autem Oswi, imitatus industriam filii misit Ceddam presbyterum, quia archiepiscopus jam obierat, ad Wine episcopum occidentalium Saxonum, qui ab eo ordinatus est episcopus Eboracensis Ecclesiæ. Cedda igitur episcopus Aidanum magistrum suum cœpit sequi, et exemplum Ced fratris sui, pergens non equo sed pedibus, instans lectioni, studens veritati, amicus castitatis, servus humilitatis, veniens quoque Britanniam, Wilfrid jam episcopus doctrina sua multa Ecclesiæ Anglorum contulit.

Post Switelm regem Estsere, cum Sighere et Sebbi regnarent, pro præfata mortalitate Sighere et gens sua ad idola reversi sunt. Rex autem Vulfere, mittens ad eos Jaruman episcopum, revocavit eos ad fidem per eum feliciter. Tunc quoque regibus Anglorum nobilissimis Oswi et Egbert misit Vitallianus papa litteras, requisitus de statu Ecclesiæ et paschæ. Nec longe post misit iis Theodorum archiepiscopum.

Theodorus post Damianum ordinavit Puttam Rofli episcopum; regis etiam Vulferi petitione Ceddam transtulit a monasterio, quod est in Lestingei ad episcopatum Lichefed, ubi miraculis claruit, quæ suo loco dicentur. Oswio autem rege infirmitate defuncto, regnante Egfrido filio ejus anno tertio, coegit Theodorus concilium cum cæteris episcopis, cujus decreta in ultimo librorum ponentur. Post hæc offensus per quamdam inobedientiam Theodorus Winfridum episcopum Merciorum deposuit, pro quo Sexwlfum ordinavit. Londoniæ etiam Ercenwaldum constituit episcopum tempore Sebbi et Sighere regum prædictorum, cujus miracula suo loco dicentur. Eo tempore Edelred rex Merciorum Cantiam vastavit, Rofli destruxit, Putta episcopus aufugit. Huic Chichelmus successit, sed paupertate secessit. Tunc vero Gemundus successit. Anno eodem cometa apparuit tribus mensibus mane.

Egfridus rex Nordhumbriæ fugavit Wilfridum ab episcopio. Loco cujus Bosa Deirorum provinciam, Eata Berniciorum suscepit, hic Eboraci, ille in Haugustaldensi vel Lindisfarnensi Ecclesia. Tunc etiam Eadhed in provincia Lindisfarorum, quam nuperrime rex Egfrid, superato Vulfere, obtinuerat, ordinatur episcopus. Et hunc primum eadem provincia proprium accepit præsidem, secundum Ailwinum [*al.* Ædilwinum], tertium Eadgarum, quartum Kinebertum, quem in præsenti habet, inquit Beda. Habebat enim ante Eadhedum antistitem Sexulfum, qui etiam Merciorum et Widelengle simul episcopus fuit: unde et expulsus de Lindesei in illarum provinciarum regimine permansit; ordinati sunt autem Eadhed et Bosa et Eata Eboraci a Theodoro, qui etiam post annos tres abscessionis Wilfridi horum numero duos addidit antistites, Trumbertum ad Ecclesiam Haugustaldensium, remanente Eata ad Lindisfarnensem, et Trumwine ad provinciam Pictorum, quæ tunc Anglis subjecta erat. Eadhedum de Lindessei reversum, eo quod rex Ædelred provinciam recepisset, Ripensi Ecclesiæ præfecit.

Septima pars sequitur de conversione Australium Saxonum per Wilfridum episcopum facta, qui ab episcopio pulsus, ut supra dixit, Roma petita Britanniam rediit, et australes Saxones, qui sunt familiarum septem millium, ad fidem convertit. Rex autem eorum Adilwald [*al.* Adilwalch] paulo ante baptizatus fuerat in provincia Merciorum suasione regis Vulfere, a quo etiam de lavacro susceptus est; in cujus signum adoptionis dederat illi Vectam insulam et Meanwarorum provinciam in gente occidentalium Saxonum. Concedente igitur, imo gaudente rege, Wilfridus prædicans, primo duces et milites, deinde plebem sacro fonte abluit. Ipsa igitur die populo imber affluxit, qui tribus cessaverat annis; unde fames acerbis-

Digitized by Google

sima plebem prostraverat. Denique ferunt, quia A sæpe XL simul aut L inedia homines macerati processerunt ad præcipitium aliquod sive ripam maris, et vinctis misere manibus pariter omnes aut ruina perituri aut fluctibus absorbendi decideren. Sed, baptismate simul et pluvia veniente, refloruit terra; rediit, viridantibus arvis, annus lætus et frugifer. Sic et cor omnium et caro omnium exsultavit in Deum vivum. Docuit etiam eos antistes piscari; nec enim prius nisi ad anguillas tantum piscari sciebant. Collectis ergo retibus, misit se in mare, et mox trecentis piscibus captis, centum pauperibus dedit, centum iis quorum erant retia, centum in suos usus reservavit. Quod videns populus libentius ejus verbis cœlestia bona sperare cœperunt, cujus ministerio temporalia bona sumpserunt. Dedit autem ei rex Adelwald insulam LXXXVII familiarum, nomine Selesei, id est insulam Vituli marini. Circumdatur undique mari præter fundæ jactum ab occidente: qualis locus a Latinis peninsula, a Græcis χερσόνησος vocatur. Ibi ergo Wilfrid fundato templo V annis fuit, id est usque ad mortem Egfridi regis, ubi servos suos et ancillas CCL Christianos fecit et liberos.

Interea Cedwalla, juvenis de regio genere Gevissorum exsulans, interfecit regem Adelwald. Sed mox expulsus est a ducibus regis Berctuno et Anduno, qui prius regnaverunt. Sed cum Cedwalla esset rex Gevissorum, priorem occidit et provinciam graviter vexavit tam ipse quam successor ejus. Unde toto illo tempore revocato, domum Wilfrido proprio caruit antistite, et episcopo Wentæ subjecti sunt.

Cedwalla rex debellavit insulam Vectam adhuc idololatram, et secundum votum quartam partem dedit Wilfrido episcopo, qui tunc forte de gente sua superveniens aderat. Est autem insula mille ducentarum familiarum: unde data est episcopo possessio trecentarum familiarum. Duos autem filios Arwaldi regis insulæ jam occisi, post patrem occidendos fecit abbas Redford, id est vadum arundinis, prius baptizari concessione Cedwallæ. Sic conversa est Vecta ultima regio Britanniæ. Hoc ergo ordine, postquam omnes Britanniarum B provinciæ fidem Christi susceperant, Theodorus archiepiscopus, ad confirmandam fidem tam recentium quam veterum, concilium constituit cum episcopis Britanniæ de fide catholica tractaturus; et tractatum synodalibus litteris æternæ memoriæ commendavit. Quas litteras in exordio sequentis libri, quem de gestis regum Anglorum fidelium usque ad adventum et bella Dacorum perducturi sumus, dignum duxi proponere. Hujus namque libri partes omnes secundum ordinem et propositum pertractatæ sunt.

LIBER QUARTUS.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Salvatoris C *nostri, imperantibus dominis nostris piissimis, Egfrido rege Himbronensium anno decimo regni ejus, et Centwino rege Westsere anno V regni ejus, et Edelredo rege Merciorum anno VI regni ejus, et Aldulfo rege Estanglorum anno septimo decimo regni ejus, et Lothario rege Cantuariorum anno VII regni ejus, sub die quintodecimo Kalendarum Octobrium, indictione septima, præsidente Theodoro, gratia Dei archiepiscopo Britanniæ insulæ et civitatis Dorvernensis, una cum eo sedentibus cæteris episcopis Britanniæ insulæ viris venerabilibus, præpositis sacrosanctis Evangeliis, in loco qui Saxonico vocabulo Watfeld nominatur. Pariter tractantes fidem rectam et orthodoxam exposuimus, sicut Dominus noster Jesus Christus incarnatus tradidit discipulis suis, qui præsentialiter* D *viderunt et audierunt sermones ejus, atque sanctorum Patrum tradidit Symbolum, et generaliter omnes sanctæ et universales synodi, et omnis probabilium catholicæ Ecclesiæ doctorum chorus. Nos itaque sequentes eos pie atque orthodoxe juxta divinitus inspiratam doctrinam eorum professi credimus constanter et confitemur secundum sanctos Patres proprie et veraciter, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Trinitatem in unitate consubstantialem, et unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentibus personis et consubstantialibus, æqualis gloriæ et honoris. Et post multa hujusmodi, quæ ad rectæ fidei confessionem pertinebant, hoc quoque sancta synodus suis litteris addidit: Suscipimus sanctas et universales quinque synodos beatorum et Deo acceptabilium Patrum, id est qui in Nicæa congregati fuerunt CCCXVIII contra Arium impiissimum et ejusdem dogmata, et in Constantinopoli CL contra vesaniam Macedoni et Eudoxi et eorum dogmata, et in Epheso primo CC contra Nestorium nequissimum et ejus dogmata, et in Chalcedone CDXXX contra Eutychen et Nestorium et eorum dogmata, et iterum in Constantinopoli quinto congregati sunt concilio in tempore Justiniani Minoris contra Theodorum et Theodoreti, et Ibæ epistolas, et eorum dogmata contra Cyrillium. Et paulo post: Et synodum quæ facta est in urbe Roma in tempore Martini papæ beatissimi, indictione prima, imperante Constantino piissimo anno nono suscepimus, et glorificamus Dominum nostrum Jesum Christum sicut isti glorificaverunt, nihil addentes vel subtrahentes; et anathematizamus corde et ore quos anathematizaverunt; et, quos susceperunt, suscipimus, glorificantes Deum Patrem sine initio, et Filium ejus unigenitum ex*

Digitized by Google

Patre generatum ante sæcula, et Spiritum sanctum procedentem ex Patre et Filio inenarrabiliter, sicut prædicaverunt hi, quos memoravimus supra, sancti apostoli, et prophetæ, et doctores; et nos omnes subscripsimus, qui cum Theodoro archiepiscopo fidem catholicam exposuimus. Intererat autem huic synodo Joannes archicantator ecclesiæ Sancti Petri Romæ, et abbas Sancti Martini, qui nuper inde venerat jussu papæ Agathonis cum Benedicto abbate venerabili. Benedictus autem construxerat monasterium Sancto Petro juxta ostium fluminis Wiri. Qui Romam profectus ad confirmandum privilegium templi illius ex concessione regis Egberti, rediens Joannem prædictum secum adduxit. Hujus Benedicti successor fuit Ceolfridus abbas sub quo Beda deguit. Ibi ergo Joannes cantare docuit Romano more, et decreta synodi Martini papæ, ubi ipse interfuerat, ibi scripta reliquit. Repetens vero Romam, relaturus qualitatem fidei Anglorum in via mortuus est, et Turonis sepultus. Nunc igitur his ita pertractatis, redeundum est ad contextum historiæ regum Anglorum, quem in fine libri secundi desecuimus, connectendusque est illi tractatui tractatus iste, ut in directum protendatur narratio.

Centwino [*al.* Kentwino] igitur occidentalium Saxonum rege defuncto, Cedwalla post eum regnans, auxilio Mul fratris sui insulam Vectam suam viribus suis fecit : namque frater ejus Mul laudabilis et gratiosus, terribilis erat viribus, et decorus aspectu; ideoque et omnibus amabilis erat, et famæ prærogativa clarissimus. Perrexerunt ergo fratres prædicti in Kentensem provinciam, causa virium suarum exercitandarum et famæ ampliandæ. Ipsi namque necdum baptizati erant, quamvis prædecessores eorum et populus omnis Christi essent. Igitur ingredientes Kent, nullo obsistente, prædati sunt totam provinciam.

Cedwalla namque, cum regnum suum invaderet, Lotharius rex Cantiæ regnum suum moriens deseruit : vulneratus namque est rex impiger Lotharius in pugna australium Saxonum, quos contra eum Eadric filius Egberti aggregaverat, et vulnerum immanitate inter medendum defunctus est. Ac post eum idem Eadric anno uno et dimidio sine amore et reverentia Centensium regnavit. Eo quoque tempore Egfridus rex Nordhumbre mortuus est : miserat namque anno præcedente, Hiberniam ducem Berctum cum exercitu, qui misere gentem innoxiam, et nationi Anglorum semper amicam vastavit. At Hiberni et pro posse suo repugnantes, et divinæ auxilium pietatis invocantes, cœlitus se vindicari continuis Deum imprecationibus postulabant. Et quamvis maledici regnum Dei possidere non possint, creditum est tamen, quod ii, qui merito impietatis suæ maledicebantur, ocius, Domino vindice, pœnas sui reatus luerent. Siquidem anno post hunc proximo idem rex, cum temere exercitum ad vastandam Pictorum provinciam duxisset, A multum prohibentibus amicis et maxime beatæ memoriæ Cutberto, qui nuper fuerat ordinatus episcopus (anno namque eodem fecerat Rixidem Lindisfarnensem episcopum) introductus est, simulantibus fugam hostibus, in angustias inaccessorum montium, et cum maxima parte copiarum, quam secum adduxerat, exstinctus; datumque est illi, ne audiret amicos revocantes se, quia nolluerat audire patrem Egbertum ne Scotiam nil se lædentem impugnaret. Exinde spes cœpit et virtus Anglorum fluere, et retro sublapsa referri : nam et Picti terram suam cujus partem tenebant Angli recuperaverunt; Britones quoque nonnullam libertatem receperunt, quam hactenus habent. Vir autem Domini Trumwine, abbas Ebercurni positi quidem B in regione Anglorum, sed juxta fretum, quod Anglorum terras Pictorumque disterminat, fugit inde et in monasterio Streneshal sæpe dicto obiit. Successit autem Egfrido in regnum Alfrid vir in Scripturis doctissimus, qui frater ejus et filius regis Oswi esse dicebatur; destructum regni statum, quamvis intra fines angustiores, nobiliter recuperavit.

Cedwalla secundo anno regni sui misit fratrem suum Mul fortissimum, et juvenes cum eo fortissimos prædatum Kent, petitione ejusdem fratris sui. Allexerat enim eum præteriti anni lucrum gloriosum, et famæ pretium non exosum. Pergens igitur in Kent, non invenit qui ei resisteret, et terram C prædando in solitudinem redigens, et Christi servos immeritos affligens, maledicta eorum merita sensit. Nam, cum hostes effeminatos duceret, et nihil sibi pro viribus prævideret, irruit in domum quamdam longe a suis cum duodecim tantum militibus prædaturus; ubi inopinata multitudine circumventus, cum hostes interficiendo non deficeret nec proficeret, qui armis cædi non poterat, in ipsa domo cum duodecim militibus suis igne combustus est. Periit ergo flos juvenum, et juvenilis evanuit exercitus. Unde comparet quam nihili sit confidentia fortitudinis ad Dei omnipotentiam. Hæc audiens Cedwalla rursus ingressus est Cantiam, ubi mirabili cæde et innumera satiatus rapina, cum non inveniret quid D cæderet vel raperet, ad sua magnus vindex et victor sævus rediit.

Cedwalla rex, cum duobus annis regnasset, se regnumque suum abdicans, propter Deum regnumque perpetuum Romam petiit, illud gloriæ singularis sibi æstimans, si ibi baptizaretur et moreretur. Sergius ergo papa baptizavit eum, et ex nomine apostoli Petrum vocavit; rex vero secundum votum infra septem dies in albis mortuus est duodecimo Kalen. Maii, et sepultus est in ecclesia Sancti Petri, super quem scriptum est hoc epitaphium :

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuvias, proceres, mœnia, castra, lares,
Quæque patrum virtus, et quæ congesserat ipse
Cedwal omnipotens liquit amore Dei :
Ut Petrum sedemque Petri rex cerneret hospes,

Digitized by Google

Cujus fonte meras sumeret almus aquas:
Splendificumque jubar radianti carperet haustu.
Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.
Percipiensque alacer redivivæ præmia vitæ,
Barbaricam rabiem nomen et inde suum
Conversus convertit ovans, Petrumque vocari
Sergius antistes jussit, ut ipse pater.
Fonte renascentis quem Christi gratia purgans,
Protinus albatum vexit in arce poli.
Mira fides regis, clementia maxima Christi,
Cujus consilium nullus adire potest.
Sospes enim [al. *juvenis*] *veniens supremo ex orbe* [*Britanni*
Per varias gentes, per freta, perque vias,
Urbem Romuleam vidit, templumque verendum
Apexit Petri, mystica dona gerens.
Candidus inter oves Christi sociabilis ibit,
Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
Quem regnum Christi promeruisse vides.

Ine regnavit post hunc super Westsere XXXVII annis. Ine fuit filius Cenred, filii Ceolwold. Ceolwold fuit frater Cinewold, fueruntque ambo filii Cudwine, filii Ceauling, filii Chenric, filii Certic. Hujus regis anno secundo Theodorus archiepiscopus XXII anno episcopatus sui transiit: cujus loco Britwold abbas Raculf lectus est et sacratus archiepiscopus: ad hoc usque tempus fuerunt Romani archiepiscopi; exinde fuerunt Angli. Ipse vero Briwoldus ordinavit Tobiam Rovensem episcopum, Latina, Græca et Saxonica lingua multipliciter instructum. Eo tempore erant duo reges in Kent, non tam secundum stirpem regiam quam secundum invasionem, scilicet Nithred et Webhard.

Ine VI anno regnante, legitimus rex Kentensis Withred confortatus in regno religione simul et industria suam gentem ab extranea invasione liberavit. Withred namque fuit filius Egbrith, filii Erchenbricth, filii Eadbald, filii Edelbrith. Tenuit autem regnum Kentense XXXII annis nobiliter et pacifice. Anno eodem Ine rex castrorum acies ordinatas et terribiles in Kantiam deduxit vindicaturus combustionem Mul cognati sui. Rex autem Withred obviam ei adfuit non cum feroci arrogantia sed pacifica supplicatione; non cum frendentibus minis, sed rhetorici mellis dulcedine, qua regi fero persuasit ut, armis depositis, multam pecuniæ a Kentensibus acciperet pro cæde juvenis: et sic lis finita ruit, pax confirmata revixit. Rex vero Kentensis abhinc semper in pace regnavit. Tertio post hunc anno Merci, qui dicuntur etiam Sudhumbri [*al.* Subhimbri], turpe scelus commiserunt: reginam namque Ostridam, uxorem Edelredi regis sui et Egfridi regis sororem, inhumane occiderunt.

Ine XI anno regnante, Bertus [*al.* Briht] prædictus consul Egfridi sensit maledicta Hibernensium, quorum ecclesias destruxerat, sicut et dominus suus senserat. Sicut enim Egfridus rex ingressus terram Pictorum cædem ibi pertulit, ita et iste ingressus terram eorumdem vindicaturus dominum suum ab iisdem occiditur. Circa hoc tempus ab Incarnatione Domini septingenti anni fuerunt. Ædelred, filius Pendæ, rex Mercæ Omnipotentis benignitate visitatus, fit monachus anno XXIX regni ejus, et sepultus est apud Bardenie feliciter: cui successit Cenred cognatus ejus similis virtute et felicitate. Cum enim quinque annis regnum nobiliter tenuisset, nobilius multo sceptra regni reliquit. Veniens namque Romam, et monachus ibi factus Constantino pontificante usque ad diem permansit ultimum: cum quo etiam Offa filius Sigheri regis orientalium Saxonum, rex si remansisset futurus, pari ductus devotione Romam ivit, et monachatum suscepit. Imitamini ergo reges horum duorum regum felicissimam strenuitatem, scilicet Edelredi et Cenredi, quorum nomen permanet in æternum, qui dlademata, uxores, urbes, cognatos, et omnia relinquentes multis millibus idem faciendi exemplum fuerunt. O Deus bone, quæ et qualia diademata ei reddes, et ipse manu tua cervicibus eorum summus pontifex impones in die exsultationis et lætitiæ, quando cunctis millibus legionum cœlestium et terrestrium tecum reges prædictos suscipientibus cum triumpho, et faciem eorum videre desiderantibus, afferent fructum non centenum tantum, sed potius millenum, fructum odoriferum, fructum exspectabilem, et tibi ipsi visu delectabilem! O Deus bone, quis nunc etiam igne sancti Spiritus accensus exempla regum illorum, et vere regum sequatur, ut adhuc etiam crescat eis exsultatio novi fructus, et uberiora tibi sequentium probitate munera offerant cum devotissima jucunditate? heu miseri! dimittendus est sermo de regibus cœli, qui o utinam perennis in cordibus nostris miserulis et inertissimis figatur! Sed redeundum est de cœlo ad terras. Successit namque regibus prædictis Merciæ Ceolred in regno, quod idem octo annis patriæ et avitæ virtutis hæres clarissime rexit.

Ine, vicesimo anno regni sui, divisit episcopatum Vestsexiæ in duo, qui unus esse solebat: partem orientalem a silvis tenuit Daniel, occidentalem Aldelmus. Aldelmo vero successit Forthere. Eodem anno Wilfridus episcopus, de quo inter miracula non silebitur, obiit apud Undalum XLV anno episcopatus sui, et sepultus est apud Ripun. Anno huic proximo pugnavit rex Ine et Nun cognatus ejus contra Gerentem [*al.* Gerente] regem Wales. Cujus pugnæ principio occisus est dux Hligebald, ad ultimum vero Gerente cum suis faciem ab Anglis avertit, et fugiens arma et spolia sequentibus reliquit. Tunc etiam Berfrid consul restitit superbiæ Pictorum, dimicans inter Heve et Cere; ubi multitudine magna Pictorum strata ultor exstitit regis Egfridi et consulis Berti. Acca presbyter successit Wilfrido episcopo. Alfridus vero rex Nordhumbre quarto ante hunc anno infirmatus perierat apud Drifeld, anno regni sui vicesimo nondum impleto. Cui succedens Osredus filius ejus puer octo annorum regnavit XI annis. Osred vero rex belli infortunio juxta Were pugnans interfectus est. Cui succedens Cenred regnavit duobus annis, et mortuus est. Post quos Osricus regnavit ibidem undecim annis. Hi

Digitized by Google

namque quatuor reges regnaverunt in Nordhumbre tempore Ine regis.

Ine XXVI anno regni sui pugnavit contra Ceolred regem Merce, filium Edelredi regis, apud Monebirih; adeo autem horribiliter pugnatum est utrinque, ut nesciatur, cui clades detestabilior contigerit. Anno vero sequente, idem rex Merce Ceolred mundo exiit, et sepultus est apud Lichfeld. Adelbold successit ei in regnum Merce, vir fortis et vehemens, regnavitque victoriose XLI annis. Eodem anno Egbertus vir venerabilis convertit monachos, qui erant in Dii ad catholicum pascha et canonicam tonsuram. Cumque cum iisdem conversis moratus fuisset XII annis, jam securus de correctione fratrum ipso die paschali cum missarum solemnia celebrasset, *exsultavit ut videret diem* Domini, *vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII). Eo tempore Naiton rex Pictorum conversus fuerat ad rectum pascha litteris instructoriis a Ceolfrido abbate directis, qui post Benedictum, de quo prædiximus, rexit monasterium, quod est ad ostium Viri amnis, et juxta amnem Tina in loco, qui vocatur Ingirvum : scripsit ergo regi litteras de Pascha et de Tonsura magna plenas auctoritate : quod autem ille litteris persuasit, rex in toto regno suo regia auctoritate perfecit. Circa hoc tempus Cudburh soror Cneburh constituit abbatiam apud Mineburn, quæ data fuerat Egferdo Dordhumbre sed, eo vivente, separata.

Ine XXXVI anno regni ejus exercitum suum in Sudsere promovit, pugnavitque contra Sudsexas potenter et victoriose, et interfecit in eodem prælio Ealdbrith, quem prius fugaverat a castro, quod vocatur Cantune, quod quidem rex Ine construxerat, sed quia juvenis prædictus Ealbriht castrum introierat, qui regius hostis erat, Edelburh regina, uxor Ine, castrum cepit armis, captumque destruxit, et eum fugere compulit in Sudrei. Eodem anno Withred, rex Centensis, cum per XXXIV annos pene regnasset, defunctus est, tres filios, Edilbertum, Edbertum, Aeilricum, relinquens hæredes. Circa hoc tempus Thobias Rovensis episcopus, Theodori archiepiscopi et abbatis Adriani discipulus, exspiravit, cui successit Aldulfus.

Ine, rex potens et felix, relinquens Adelardo cognato suo regnum, Romam petiit, et ibi peregrinans in terris stipendia promeruit in cœlis. Hujus autem regis tempore, ut mundi volubilitas quam velox sit ex hinc perpendatur, fuerunt imperatores Justinianus minor, qui regnavit decem annis; Leo, qui regnavit tribus annis; Tiberius, qui regnavit VII annis; Justinianus secundus, qui regnavit sex annis; Philippus, qui regnavit anno et dimidio; Anastasius, qui regnavit tribus annis; Theodosius, qui regnavit uno anno; Leo, qui regnavit novem annis; Constantinus etiam, cujus regni anno tertio Ine Romam profectus est. Apostolici autem in ejus tempore hi fuerunt : Sergius papa, Joannes, alius Joannes, Sisinnius, Constantinus, Gregorius, cujus tempore rex Ine sponte victor cupiditatis exsulavit. Reges autem Francorum hi fuerunt ex ordine tempore ejus : Rex Childericus, rex Theodoricus, rex Clodoveus, rex Childebertus, rex Dagobertus. Tempore etiam hujus regis cœli palatia conscenderunt sanctus Heddi, episcopus Wincestrensis; sanctus Gutlacus, eremita Croilandensis; sanctus Joannes, Eboracensis archiepiscopus. Reges vero contigui Cedwalla et Ine, magni viribus, quod commune fuit eis cum belluis; majores vero sanctitate, quod proprium est angelorum et hominum sed paucorum, egregie fecerunt. Unde beatos dicent eos omnes generationes, sicut et duo reges contigui Merce fecerunt, scilicet Edelred et Cenred : qui, relictis omnibus bonis falsis, verum et summum bonum, quod Deus est, adepti sunt. Reges ergo terræ præsentes imitamini reges prædictos sapientes et beatos, non furiosos et infelices, quorum distinctionem opera et finis operum in præsenti tractatu demonstrant. Quatuor ergo reges prædicti luminaria sunt omnibus regibus terræ, ut boni quos imitentur habeant, mali unde excusentur non habeant. Vos etiam, qui reges non estis, reges prædictos imitamini, ut cœli reges efficiamini. Si enim cum illi majora reliquerunt, vos minora relinquere nolueritis, sancti reges prædicti vestræ damnationis judices erunt.

Adelhard rex Westsere primo anno regni sui pugnavit contra Oswald juvenem de regia stirpe, regnum idem sibi acquirere conantem. Oswald namque filius fuit Adelbold [*al.* Ædelbold], filii Chenebold, filii Cudwine, filii Ceaulin, filii Chinric [*al.* Cinric]. Cum autem juvenis, impar numero regalibus turmis, pondus prælii diu pertulisset, et ultra non posset, fuga regi regnum reliquit. Rex igitur prædictus in regno confortatus est.

Adelhardi regis anno tertio, apparuerunt duæ cometæ circa solem terribiles; una quippe solem præcedebat orientem, alia sequebatur occidentem, quasi orienti simul et occidenti diræ cladis præsagæ; vel certe una diei, altera noctis præcurrebat exortum, ut utroque tempore mala mortalibus imminere signarent. Portabant autem faciem ignis contra aquilonem quasi ad accendendum acclivem; apparebantque mense Januario, et duabus fermo septimanis permanebant. Quo tempore gravissima Saracenorum lues Gallias et Hispanias late misera cæde vastabat. Et ipsi post non multo in eadem provincia dignas suæ perfidiæ pœnas luebant. Eodem quoque anno Osricus rex Dordhumbre vitæ discedens, regnum, quod XI annis gubernaverat, Ceolwolfo reliquit fratri illius, qui ante se regnaverat tempore Cenredi regis. Rex autem Ceolwolf VIII annis regnum tenuit. Hic est rex ille, cui Beda vir sanctus et venerabilis, vir ingenii florentis et Christi philosophus ecclesiasticam historiam Anglorum scripsit : qua regi missa, quantum profecerit finis beatus regis ostendit.

Adelardo regnante quinque annis, Britwoldus

Digitized by Google

orum principis vobis direximus, id est, pectinem eburneum auratum, et speculum argenteum; quod petimus ut eo benignitatis animo vestra gloria suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum.

Paulinus autem Spiritus sanctus oraculum revelavit regi Edwino quondam ostensum hoc modo. Cum Edelfrido illum persequente, qui ante eum regnavit, profugus apud regem Redwaldum moraretur, cognovit per quemdam amicum suum Redwaldum corruptum muneribus regis Edelfridi eum interficere velle, promisitque se a provincia illa eum educturum, si vellet : cui Edwinus : « Quo nunc fugiam, qui per omnes Britanniæ provincias tot annis hostium insidias vitavi? Si autem mori oportet, malo ut hic me interficiat quam ignobilior. » His dictis, remansit solus, dumque mentis angoribus et cæco carpitur igne, vidit intempesto noctis silentio hominem incognitum dicentem sibi : « Ne formides, scio enim causam tristitiæ tuæ : quid autem dares ei qui hac te absolveret, et Redwaldo regi suaderet ut te amaret? » Qui cum responderet, « Omnia quæ possem, » adjecit ille, « quid si etiam et te regem futurum potentiorem prioribus exstinctis hostibus vere promittat? » respondente Edwino ut prius, adjecit iterum : « Quid si is meliorem viam vitæ tibi ostenderit quam aliquis parentum tuorum habuerit, obtemperabisne ei? » Promittente hoc Edwino firmissime, subdidit ille, imponens manus capiti ejus : « Cum ergo hoc tibi signum advenerit, memento hujus temporis et sermonis. » Quo dicto repente disparuit, ut intelligeret non hominem esse sed spiritum. Et cum regius juvenis solus adhuc ibidem sederet, præfatus ejus amicus venit et ait : « Surge hilaris, mutatum est cor regis, consilioque reginæ fidem suam tibi disposuit servare. » Quid plura? Redwaldus, congregato exercitu, Edelfridum sibi occurrentem occidit in finibus Merciorum ad orientalem plagam amnis qui vocatur Idle. Ibi tum filius Redwaldi nomine Rainer occisus est, ac sic Edwinus regno Nordhumbrorum potitus est. Cum autem Paulinus hoc oraculum regi dixisset, imponens manum capiti ejus, procidere volentem ad pedes ejus levavit.

Rex igitur ad fidem promptus, ut lucraretur suos, sciscitabatur quid eis videretur. Cui Coifi pontifex ait : « Nemo studiosius servivit diis quam ego ad lucrum terrenum. Multi autem sunt, qui majora beneficia receperunt, unde nil valere deos probavi. Tum alius optimatum regis subdidit, talis mihi videtur, rex, vita hominum præsens in terris ad comparationem ejus, quod nobis incertum est temporis, quale cum te residente ad cœnam cum ducibus ac ministris tuis tempore brumali, accenso quidem foco in medio et calido effecto cœnaculo, furentibus autem foris per omnia turbinibus hiemalium pluviarum vel nivium, adveniens unus passer domum citissime pervolaverit; qui, cum per unum ostium ingrediens mox per aliud exierit, ipso quidem tempore, quo intus est, hiemis tempestate non tangitur, sed tamen parvissimo spatio serenitatis ad momentum excurso, in hiemem mox de hieme regrediens oculis tuis elabitur. Ita hæc vita hominum ad modicum apparet; quid autem sequatur quidve præcesserit, prorsus ignoramus : unde si hæc nova doctrina certius aliquid attulit, merito sequenda esse videretur. » His similia cum etiam cæteri dicerent, adjecit Coifi, quod vellet ipsum Paulinum audire de Deo dicentem. Quo audito, exclamavit se et alios penitus errasse, fidemque Christi se suscepturos omnes pariter promiserunt. Coifi autem pontifex accepto equo emissario a rege, cum pontificem idolorum non liceret nisi super equam equitare, arreptoque gladio et lancea, quod etiam non licebat, videntibus cunctis succendit et destruxit, quas ipse sacraverat aras. Ostenditur autem locus ille quondam idolorum non longe ab Eboraco ad orientem ultra amnem Dorvencionem, id est Derewent, et vocatur hodie Godmundham [*al.* Godmundingeham.]

Igitur baptizatus est rex Edwinus die sancto Paschæ et multi cum eo in ecclesia Sancti Petri, quam ipse de ligno construxerat sedem episcopatus Paulino. Mox autem majorem incœpit lapideam, quam postea perfecit Oswald : baptizati sunt etiam Ofrid et Eadfrid filii regis Edwini, qui ambo ei exsuli nati sunt de Quenburga, filia regis Cearli Merciorum; baptizati sunt tempore sequenti et liberi ejus de Edilburga regina progeniti, quorum duo adhuc albati mortui sunt, et Eboraci in ecclesia sepulti. Tanta autem fertur tunc fuisse verborum fides ac desiderium lavacri salutaris gentis Nordhumbrorum, ut quodam tempore Paulinus veniens cum rege et regina in regiam villam, quæ vocabatur Adgebzin, triginta sex diebus ibidem cum iis catechizandi et baptizandi officio deditus moraretur. In provincia Berniciorum baptizabat in fluvio Gleni, juxta locum, qui vocatur Melmin; in provincia vero Deirorum in fluvio Swale [*al.* Swalna], qui vicum Cataractam præterfluit.

Paulinus etiam convertit provinciam Lindissæ, quæ est ad meridianam ripam Humbræ fluminis, priusquam præfectum Lindocolinæ civitatis cui nomen Blecca cum domo sua convertit, in qua civitate ecclesiam egregii operis fecit, et in ea Honorium consecravit archiepiscopum. Cujus tecto vel longa incuria vel hostili manu dejecto parietes hactenus stare videntur. Urbs autem Lincolniæ, quæ tunc Lindocolina vocabatur, et provincia Lindissæ ei adjacens, quæ circumquaque claudit vel fluviis, vel paludibus, vel mari, ad Merciæ regnum pertinet. Urbs autem illa et situ splendida est, et provincia rerum multarum locuples; unde quidam :

Urbs in colle sita est, et collis vergit ad austrum.

Narravit abbas de Peartaneu se vidisse seniorem a Paulino baptizatum cum cætera turba coram rege Edwino in fluvio Trenta juxta civitatem, quæ

Digitized by Google

tunc Fingecester [*al.* Tiowlfingacestre], vocabatur. De cujus effigie dicebat quod esset vir longæ staturæ, paululum incurvus, nigro capillo, facie macilenta, naso aduneo pertenui, venerabilis simul et terribilis aspectu.

Honorius autem papa misit accensorias regi Edwino litteras his auditis. Quarum postremam partem necessarium duxi apponere, quæ scilicet *De agendis archiepiscoporum Angliæ* tractat distincte per hæc verba : *Prædicatoris vestri domini mei apostolicæ memoriæ Gregorii frequenter lectione occupati præ oculis affectum doctrinæ ipsius, quem pro vestris animabus libenter exercuit habetote, quatenus ejus oratio et regnum vestrum populumque augeat, et vos omnipotenti Deo irreprehensibiles repræsentet. Ea vero, quæ a nobis pro vestris sacerdotibus ordinanda sperastis, hæc pro fidei vestræ sinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præsentium portatores laudabiliter insinuata est, gratuito animo retribuere ulla sine dilatione providemus ; et duo pallia utrorumque metropolitanorum, id est, Honorio et Paulino direximus. Ut dum quis eorum de hoc sæculo ad auctorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alterum episcopum ex hac nostra auctoritate debeat subrogare. Quod quidem tam pro vestræ charitatis affectu, quam pro tantarum provinciarum spatio, quæ inter nos et vos esse noscuntur, sumus invitati concedere, ut in omnibus devotioni vestræ nostrum concursum juxta desideria vestra præberemus. Incolumem excellentiam vestram superna gratia custodiat.*

Quarta pars incipit de conversione Anglorum orientalium. Quorum rex Erpwaldus, filius Redwaldi regis, hortatu Edwini regis sibi amicissimi fidem suscepit. Et quidem pater ejus Redwaldus jamdudum in Cantia fidem susceperat, sed frustra : nam rediens domum, ab uxore sua et a quibusdam perversis seductus habebat altare Christi et dæmonis in eodem fano. Quod rex ejusdem provinciæ Aldulf, qui venerabilis Bedæ ætate fuit, usque ad suum tempus perdurasse testatur. Verum Erpwaldus non multo postquam credidit tempore occisus est a viro gentili Rigberto : cui successit Sigbert frater ejus Christianissimus, et cæteros christianizans cum Felice episcopo, quem de Burgundia ortum miserat illuc Honorius episcopus ad prædicandum. Juxtaque nomen suum acceptam sedem episcopatus in civitate Domoc septemdecim annis tenuit, et in pace ibidem obiit.

Hæc inter, Justo archiepiscopo defuncto, Paulinus Honorium sibi occurrentem ordinavit in urbe Lindecolniæ, quæ modo vocatur Lincolina, in ecclesia, quam ipse fecerat ibidem, sicut prædictum est. Honorius autem papa misit Honorio archiepiscopo pallium, et litteras de ordinatione et dignitate utriusque archiepiscopatus, quarum hæc est forma :

Dilectissimo fratri Honorio Honorius.

Inter plurima, quæ Redemptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata suæ pietatis munificentia tribuit, quoties per fraternos affectus unanimem dilectionem quadam contemplatione alterius aspectibus repræsentat, pro quibus majestati ejus gratias indesinenter absolvimus, eumque votis supplicibus exoramus, ut vestram dilectionem in prædicatione Evangelii elaborantem et fructificantem, sequentemque magistri et capitis sui Gregorii sancti regulam, perpetua stabilitate confirmet, et ad augmentum Ecclesiæ potiora per vos suscitet incrementa, ut fide et opere, in timore Dei et charitate vestra acquisitio decessorumque vestrorum, quæ per domini Gregorii exordium pullulat, convalescendo amplius extendatur ; ut ipsa vos Dominici eloquii promissa in futuro respiciant, vosque vox illa ad æternam festivitatem evocet : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI) ; » *et iterum :* « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV.) » *Et nos quidem, fratres charissimi, hæc vobis pro æterna charitate exhortationis verba promittentes, quæ rursus pro ecclesiarum vestrarum privilegiis congruere posse conspicimus, non desistimus impertire, et tam juxta petitionem vestram quam filiorum nostrorum regum vobis præsenti nostra præceptione vice beati Petri apostolorum principis auctoritatem tribuimus, ut, quando unum e vobis divina ad se jusserit evocari, is, qui superstes fuerit, alterutrum in loco defuncti debeat episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula vestræ dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus, ut per nostræ præceptionis auctoritatem possitis Deo placitam ordinationem efficere. Quia ut hoc vobis concederemus longa terrarum marisque intervalla, quæ inter nos et vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coegerunt, ut nulla possit ecclesiarum vestrarum jactura per cujuslibet occasionis obtentum quoquomodo provenire ; sed potius commissi vobis populi devotionem plenius propagare. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater.*

Data die tertio Iduum Juniarum, imperantibus dominis nostris piissimis Augustis Heraclio, anno vigesimo quarto, post consulatum ejusdem anno vigesimo tertio, et consulatus ejus anno tertio, sed Heraclio felicissimo Cæsare, il est filio ejus anno tertio, indictione septima, id est anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimo quarto.

Misit et idem papa Honorius genti Scotorum litteras correctorias de observatione Paschæ, ne paucitatem suam cunctis per orbem Christi Ecclesiis sapientiorem æstimarent. Sed et Joannes, qui successori ejusdem Honorii Severino successit, misit litteras pro eodem errore corrigendo, et Pelagiana hæresi, quam apud eos reviviscere didicerat : quæ dicebat hominem sine peccato posse existere ex propria voluntate et non ex gratia Dei. *Nec enim homo potest sine peccato esse nisi Jesus Christus sine peccato conceptus et natus.*

Digitized by Google

Nam cæteri homines etsi actuali peccato careant, contrahunt tamen originale secundum illud : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L).

At vero Edwinus post septemdecim annos regni sui conserto gravi prælio in campo, qui vocatur Hatfeld [*al.* Hethfeld], occisus est a Cedwalla rege Britonum adjuvante eum Penda Strenuo, qui ex eo tempore rex fuit Merciorum, ejusque totus vel peremptus est vel dispersus exercitus. Offrid quoque bellicosus filius ejus occisus est ante eum. Alter Edfrid, necessitate cogente, ad Pendam refugit, a quo postmodum, regnante Oswaldo, perfide peremptus est. Dicitur autem quod Hatfeld rubens undique nobilium fumabat cruore. Ibi namque miserabilis et inopinata fortissimorum facta est strages. Cedwalla siquidem rex potentissimus innumerabilem multitudinem secum adduxerat ; Penda vero Strenuus strenuissimos, facta est igitur magna strages in ecclesia Nordhumbrorum. Penda enim paganus erat ; Cedwalla vero pagano sævior, nec mulieribus nec parvulis parcens, se Anglos Britannia e asurum deliberans. Nec Britones magis communicant Anglis quam paganis, fidem eorum nihili pendentes. Allatum est autem caput Edwini regis Eboracum et illatum in ecclesia Petri, quam ipse cœpit, sed Oswaldus perfecit. Nordhumbris igitur nihil præsidii nisi fugam habentibus, Paulinus, assumpta secum regina Edelburga, quam pridem adduxerat, rediit Cantiam navigio, atque ab Honorio archiepiscopo et rege Eadbaldo honorifice susceptus est, habens etiam secum filium et filiam Edwini. Quos postea mater metu Eadbaldi et Oswaldi regum misit in Galliam nutriendos regi Dagoberto, qui erat amicus illius, ibique pueri defuncti sunt. Attulit quoque secum vasa pretiosa Edwini et crucem magnam auream et calicem aureum, qui in ecclesia Cantiæ adhuc sunt. Romano autem Rovensi præsule absorpto fluctibus Italici maris, dum legatarius Honorii tenderet Romam, Paulinus eumdem episcopatum tenuit usquedum vixit ; ubique moriens pallium, quod a papa acceperat, reliquit. Reliquerat autem in ecclesia sua Eboraci Jacobum diaconum virum sanctum, qui ex hinc baptizabat, et docebat, usquedum recuperata pace in provincia et crescente numero fidelium, magister ecclesiasticæ cantationis juxta morem Romanorum cœpit existere, et ipse senex et plenus dierum juxta Scripturas, vias patrum secutus est.

Eadwino regi successit Osric, cognatus ejus in provincia Deirorum. Eanfrid, filius Edelfridi regis, susceptit regnum Berniciorum. Nam in has duas provincias gens Nordhumbrorum antiquitus divisa erat. Hi autem juvenes tempore regis Edwini apud Scotos et Pictos exsulantes baptizati sunt ; ubi autem reges facti sunt ad idola conversi sunt. Quos rex Cedwalla impie, sed juste peremit, et primo quidem proxima æstate Osricum, dum se in oppido municipio temerario obsedisset, erumpens subito cum suis omnibus imparatum destruxit. Post annum vero occidit Enfridum ad se postulandæ pacis gratia venientem cum duodecim militibus. Infaustus ille annus tam propter regum apostasiam, quam propter Cedwallæ tyrannidem, qua non terras ut victor acquirebat, sed ut pestis destruebat : unde ille annus sequentibus regis Oswaldi assignatur. Qui, post occisionem fratris Enfridi, superveniens cum parvo exercitu signum sanctæ crucis manibus suis erexit, ac foveæ impositam cespitibus firmavit, dixitque : *Flectamus genua, et Deum omnipotentem vivum ac verum in commune deprecemur ut nos ab hoste feroci ac superbo sua miseratione defendat. Scit enim quia justa pro salute gentis nostræ bella suscipimus.* Quo facto, incipiente diluculo congressi Cedwallam et copias illas, quibus nihil resistere posse jactabat, ceciderunt apud Denisesburne, id est rivus Denisii. Unde dicitur : *Cædes Cedwallæ Denisii cursus coercuit.* Qui locus in magna veneratione habetur, ut in libro *Miraculorum* dicetur.

Oswaldus igitur rex ut fidem augeret, misit in Scotiam ubi exsulaverat, accepitque pontificem Aidanum summum virum, quamvis pascha non recte celebraret more septentrionalium Scotorum. Australes enim Hiberniæ insulæ partes jamdudum admonitione papæ rectum pascha susceperant. Venienti ergo episcopo rex sedem episcopalem in insula Lindesfarnensi tribuit. Igitur fides cœpit dilatari, pulchroque spectaculo sæpe contigit ut, evangelizante Aidano, qui Anglorum linguam perfecte non noverat, ipse rex suis ducibus ac ministris interpres existeret. Longo enim exsilii sui tempore linguam Scotorum plene didicerat. Crescebat igitur fides, monachisque venientibus de Scotia, ferventer docebatur : monachus enim ipse episcopus erat de insula, quæ vocatur Hii, cujus monasterium septentrionalium Scotorum et omnium Pictorum arcem tenebat. Quæ insula ad jus quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto discreta ; sed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, monachis Scotorum tradita, eo quod ab illis fidem perceperunt.

Namque anno gratiæ 565, regnante post Justinianum Justino Minore, venerat de Hibernia abbas Columba ad prædicandum septentrionalibus Pictis, id est iis qui arduis et horrentibus montium jugis ab australibus Pictis separantur. Australes enim Picti prius conversi fuerant per Niniam episcopum Britonem Romæ edoctum. Cujus sedem episcopatus Sancti Martini nomine, ubi ipse Columba sepultus est, jam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad provinciam Berniciorum pertinens vulgo vocatur. Ad Candidam Casam, eo quod ibi ecclesiam de lapide insolito Britonibus more fecerit. Venit autem Columba, regnante Bridio, filio Meilocon rege Pictorum potentissimo, vigesimo anno regni ejus, gentemque illam convertit : unde et præfatam insulam ab iis accepit, quæ est quasi

Digitized by Google

familiarum quinque juxta æstimationem Anglorum, quam successores ejus usque hodie tenent, ubi et ipse sepultus est. Erat autem et aliud monasterium nobile in Hibernia de Armach, id est campus roborum. Ex quo utroque monasterio plurima in Hibernia et Anglia propagata sunt : in quibus omnibus monasterium Dû principatum tenet. Abbati autem illius insulæ omnis provincia et etiam episcopi ordine inusitato solent esse subjecti, quia Columba prædicator non episcopus fuit, sed presbyter et monachus. Cujus successores ejus imitatione valde claruerunt; tamen in observatione paschæ errabant, donec Egbertus Anglicus eos correxit. Aidanus igitur hinc missus episcopatum Nordhumbræ tenuit. Cujus institutione formatus rex Oswaldus, ut mente proficiebat, ita et regno plus quam omnes majores ejus. Omnes igitur gentes Britanniæ, scilicet Britones, Anglos, Pictos, Scotos in ditionem accepit; adeo tamen sublimis, humilis fuit et benignus peregrinis et pauperibus.

Quinta pars sequitur, de conversione occidentalium Saxonum, qui antiquitus Gevissæ vocabantur: quæ facta est per Birinum episcopum. Qui concilio papæ Honorii adveniens, ad quod etiam ordinatus est episcopus per Asterium Genuensem episcopum, gentem Gevissorum ingrediens paganissimam, baptizavit eos et regem eorum Kinigils. Contigit autem pulchre sanctum regem Oswaldum adfuisse, eumque de lavacro suscepisse, cujus filiam Oswaldus erat accepturus in conjugem. Donaverunt autem ambo reges Birino civitatem Dorcic ad sedem episcopii, ibique, constructis ecclesiis, sepultus est. Et post multos annos Hedde episcopatum agente, translatus inde in Wentam civitatem, quæ Wincestre vocatur, et in ecclesia Petri et Pauli positus est; defuncto autem rege Kinigilso, successit filius ejus Cenwalh, qui fidem renuit, nec impune. Repudiata enim sorore Pendæ regis Merciorum, quam duxerat, aliamque ducens bello victus est, et regno privatus ab illo, triennioque exsulans apud Annam regem orientalium Anglorum fidelem fidem recognovit. Cum vero Cenwalh restitutus esset in regno, constituit episcopum Ailbertum [*al.* Agilbertum] natione Gallum, sed tunc de Hibernia gratia legendi venientem. Postea vero rex Anglicum sciens tantum pertæsus barbaræ loquelæ subintroduxit in provinciam suæ linguæ episcopum Wine, et ipsum in Gallia ordinatum, dividensque in duas parochias provinciam, huic in Wenta sedem tribuit; unde offensus Ailbertus, quod hoc ipso inconsulto ageret, rediit Galliam, et acceptum episcopatum Parisiis usque ad obitum tenuit. Postea rex idem pepulit etiam Wine ab episcopatu, qui secedens ad Vulfere regem Merciorum emit pretio ab eo sedem Londoniæ civitatis, ejusque episcopus usque ad obitum mansit. Carente igitur pastore provincia, cum rex hostibus et damnis ideo sæpius affligeretur, misit pro Ailberto Parisios : qui nolens episcopatum illum dimittere, misit Leutherium nepotem suum. Hic igitur ordinatus episcopus a Theodoro archiepiscopo episcopatum Gevissorum longo tempore rexit solus.

Ea tempestate post Eadbaldum regem Centensem, Ercembert filius ejus XXIV annis nobiliter regnavit. Hic primus in toto regno idola destrui, et jejunium quadragesimale observari præcepit, pœnas transgressoribus posuit; duxitque Sexburh majorem filiam regis Annæ, minorem vero filiam suam Edelburh et filiam uxoris suæ Setrid miserat rex Anna ad monasterium Bruges ad serviendum Domino : quæ utraque cum esset peregrina merito virtutum Bregensis abbatissa effecta est. Tunc siquidem mittebant nobiles Angliæ filias suas erudiendas in Bruge et in Kala et in Andilegum monasterio. Misit et Ercembert Bruges filiam suam Erchengotam Christi virginem sanctam et præclaram. Cujus opera virtutum, cujus signa miraculorum ab incolis loci illius usque hodie narrantur; de cujus laude in libro *Miraculorum* dicemus.

Eo quoque tempore Oswaldus, cum regnasset novem annis internumerato illo anno aliorum prædicto, occisus est etiam a Penda Strenuo commisso gravi prælio apud Mesafeld [*al.* Maseuseld], anno ætatis suæ XXXVIII, die quinto Augusti. Unde dicitur : *Campus Mesafeld sanctorum canduit ossibus.* Occulto autem Dei judicio invisi Deo pagani dilectos ejus mactaverunt, et escas volatilibus cœli dederunt. In loco autem cædis illius miracula usque hodie fiunt. Successit vero regi sancto frater ejus Oswi, regnans XXVIII annis in provincia Berniciorum. Sed in provincia Deirorum Oswine filius Osrici regis, de quo prædictum est, VII annis regnavit. Ingravescentibus vero causis, cum reges simul conflicturi essent apud Wilfaresdune, id est montem Wilfari, et est a vico Cataractone decem ferme millibus contra solstitialem occasum, videns se Oswine imparem viribus, remittens exercitum, abscondit se in domo Hunwaldi comitis, quem sibi amicissimum putabat, cum uno tantum milite nomine Tondehere; sed ab eodem comite proditus est Oswio, et detestanda omnibus morte cum eodem milite per præfectum ejus Edelwinum [*al.* Eilwinum] interfectus est in Getlingum, ubi pro utriusque regis anima id est occisi et ejus qui occidere jussit, ecclesia constructa est. Erat autem rex Oswine aspectu venustus, statura sublimis, affatu jucundus, moribus civilis, manu largus, et ideo ab omnibus dilectus, et a nobilibus cujusque provinciæ frequentatus; de cujus humilitate digna relatu inter sancti Aidani sibi dilectissimi opera referemus. Secundo autem anno Oswi regis successit patri magno Paulino Ithamar episcopus in Rovensi ecclesia. Tunc temporis regno orientalium Anglorum, post Carpwaldum Redwaldi successorem, Sigbert frater ejus præerat homo religiosus : qui in Gallia exsulans pro inimicitia Redwaldi baptizatus fuerat. Rexque factus, ut in Gallia viderat, scholas puerorum

Digitized by Google

Nam cæteri homines etsi actuali peccato careant, contrahunt tamen originale secundum illud : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L).

At vero Edwinus post septemdecim annos regni sui conserto gravi prælio in campo, qui vocatur Hatfeld [*al.* Hethfeld], occisus est a Cedwalla rege Britonum adjuvante eum Penda Strenuo, qui ex eo tempore rex fuit Merciorum, ejusque totus vel peremptus est vel dispersus exercitus. Offrid quoque bellicosus filius ejus occisus est ante eum. Alter Edfrid, necessitate cogente, ad Pendam refugit, a quo postmodum, regnante Oswaldo, perfide peremptus est. Dicitur autem quod Hatfeld rubens undique nobilium fumabat cruore. Ibi namque miserabilis et inopinata fortissimorum facta est strages. Cedwalla siquidem rex potentissimus innumerabilem multitudinem secum adduxerat; Penda vero Strenuus strenuissimos, facta est igitur magna strages in ecclesia Nordhumbrorum. Penda enim paganus erat; Cedwalla vero pagano sævior, nec mulieribus nec parvulis parcens, se Anglos Britannia e asurum deliberans. Nec Britones magis communicant Anglis quam paganis, fidem eorum nihili pendentes. Allatum est autem caput Edwini regis Eboracum et illatum in ecclesia Petri, quam ipse cœpit, sed Oswaldus perfecit. Nordhumbris igitur nihil præsidii nisi fugam habentibus, Paulinus, assumpta secum regina Edelburga, quam pridem adduxerat, rediit Cantiam navigio, atque ab Honorio archiepiscopo et rege Eadbaldo honorifice susceptus est, habens etiam secum filium et filiam Edwini. Quos postea mater metu Eadbaldi et Oswaldi regum misit in Galliam nutriendos regi Dagoberto, qui erat amicus illius, ibique pueri defuncti sunt. Attulit quoque secum vasa pretiosa Edwini et crucem magnam auream et calicem aureum, qui in ecclesia Cantiæ adhuc sunt. Romano autem Rovensi præsule absorpto fluctibus Italici maris, dum legatarius Honorii tenderet Romam, Paulinus eumdem episcopatum tenuit usquedum vixit; ubique morieus pallium, quod a papa acceperat, reliquit. Reliquerat autem in ecclesia sua Eboraci Jacobum diaconum virum sanctum, qui ex hinc baptizabat, et docebat, usquedum recuperata pace in provincia et crescente numero fidelium, magister ecclesiasticæ cantationis juxta morem Romanorum cœpit existere, et ipse senex et plenus dierum juxta Scripturas, vias patrum secutus est.

Eadwino regi successit Osric, cognatus ejus in provincia Deirorum. Eanfrid, filius Edelfridi regis, suscepit regnum Berniciorum. Nam in has duas provincias gens Nordhumbrorum antiquitus divisa erat. Hi autem juvenes tempore regis Edwini apud Scotos et Pictos exsulantes baptizati sunt; ubi autem reges facti sunt ad idola conversi sunt. Quos rex Cedwalla impie, sed juste peremit, et primo quidem proxima æstate Osricum, dum se in oppido municipio temerario obsedisset, erumpens subito cum suis omnibus imparatum destruxit. Post annum vero occidit Enfridum ad se postulandæ pacis gratia venientem cum duodecim militibus. Infaustus ille annus tam propter regum apostasiam, quam propter Cedwallæ tyrannidem, qua non terras ut victor acquirebat, sed ut pestis destruebat : unde ille annus sequentibus regis Oswaldi assignatur. Qui, post occisionem fratris Enfridi, superveniens cum parvo exercitu signum sanctæ crucis manibus suis erexit, ac foveæ impositam cespitibus firmavit, dixitque : *Flectamus genua, et Deum omnipotentem vivum ac verum in commune deprecemur ut nos ab hoste feroci ac superbo sua miseratione defendat. Scit enim quia justa pro salute gentis nostræ bella suscipimus.* Quo facto, incipiente diluculo congressi Cedwallam et copias illas, quibus nihil resistere posse jactabat, ceciderunt apud Denisesburne, id est rivus Denisii. Unde dicitur : *Cædes Cedwallæ Denisii cursus coercuit.* Qui locus in magna veneratione habetur, ut in libro *Miraculorum* dicetur.

Oswaldus igitur rex ut fidem augeret, misit in Scotiam ubi exsulaverat, accepitque pontificem Aidanum summum virum, quamvis pascha non recte celebraret more septentrionalium Scotorum. Australes enim Hiberniæ insulæ partes jamdudum admonitione papæ rectum pascha susceperant. Venienti ergo episcopo rex sedem episcopalem in insula Lindesfarnensi tribuit. Igitur fides cœpit dilatari, pulchroque spectaculo sæpe contigit ut, evangelizante Aidano, qui Anglorum linguam perfecte non noverat, ipse rex suis ducibus ac ministris interpres existeret. Longo enim exsilii sui tempore linguam Scotorum plene didicerat. Crescebat igitur fides, monachisque venientibus de Scotia, ferventer docebatur : monachus enim ipse episcopus erat de insula, quæ vocatur Ilii, cujus monasterium septentrionalium Scotorum et omnium Pictorum arcem tenebat. Quæ insula ad jus quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto discreta; sed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, monachis Scotorum tradita, eo quod ab illis fidem perceperunt.

Namque anno gratiæ 565, regnante post Justinianum Justino Minore, venerat de Hibernia abbas Columba ad prædicandum septentrionalibus Pictis, id est iis qui arduis et horrentibus montium jugis ab australibus Pictis separantur. Australes enim Picti prius conversi fuerant per Niniam episcopum Britonem Romæ edoctum. Cujus sedem episcopatus Sancti Martini nomine, ubi ipse Columba sepultus est, jam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad provinciam Berniciorum pertinens vulgo vocatur. Ad Candidam Casam, eo quod ibi ecclesiam de lapide insolito Britonibus more fecerit. Venit autem Columba, regnante Bridio, filio Meilocon rege Pictorum potentissimo, vigesimo anno regni ejus, gentemque illam convertit : unde et præfatam insulam ab iis accepit, quæ est quasi

Digitized by Google

familiarum quinque juxta æstimationem Anglorum, quam successores ejus usque hodie tenent, ubi et ipse sepultus est. Erat autem et aliud monasterium nobile in Hibernia de Armach, id est campus roborum. Ex quo utroque monasterio plurima in Hibernia et Anglia propagata sunt : in quibus omnibus monasterium Dū principatum tenet. Abbati autem illius insulæ omnis provincia et etiam episcopi ordine inusitato solent esse subjecti, quia Columba prædicator non episcopus fuit, sed presbyter et monachus. Cujus successores ejus imitatione valde claruerunt; tamen in observatione paschæ errabant, donec Egbertus Anglicus eos correxit. Aidanus igitur hinc missus episcopatum Nordhumbræ tenuit. Cujus institutione formatus rex Oswaldus, ut mente proficiebat, ita et regno plus quam omnes majores ejus. Omnes igitur gentes Britanniæ, scilicet Britones, Anglos, Pictos, Scotos in ditionem accepit; adeo tamen sublimis, humilis fuit et benignus peregrinis et pauperibus.

Quinta pars sequitur, de conversione occidentalium Saxonum, qui antiquitus Gevissæ vocabantur: quæ facta est per Birinum episcopum. Qui concilio papæ Honorii adveniens, ad quod etiam ordinatus est episcopus per Asterium Genuensem episcopum, gentem Gevissorum ingrediens paganissimam, baptizavit eos et regem eorum Kinigils. Contigit autem pulchre sanctum regem Oswaldum adfuisse, eumque de lavacro suscepisse, cujus filiam Oswaldus erat accepturus in conjugem. Donaverunt autem ambo reges Birino civitatem Dorcic ad sedem episcopii, ibique, constructis ecclesiis, sepultus est. Et post multos annos Hedde episcopatum agente, translatus inde in Wentam civitatem, quæ Wincestre vocatur, et in ecclesia Petri et Pauli positus est; defuncto autem rege Kinigilso, successit filius ejus Cenwalh, qui fidem renuit, nec impune. Repudiata enim sorore Pendæ regis Merciorum, quam duxerat, aliamque ducens bello victus est, et regno privatus ab illo, triennioque exsulans apud Annam regem orientalium Anglorum fidelem fidem recognovit. Cum vero Cenwalh restitutus esset in regno, constituit episcopum Ailbertum [*al.* Agilbertum] natione Gallum, sed tunc de Hibernia gratia legendi venientem. Postea vero rex Anglicum sciens tantum pertæsus barbaræ loquelæ subintroduxit in provinciam suæ linguæ episcopum Wine, et ipsum in Gallia ordinatum, dividensque in duas parochias provinciam, huic in Wenta sedem tribuit; unde offensus Ailbertus, quod hoc ipso inconsulto ageret, rediit Galliam, et acceptum episcopatum Parisiis usque ad obitum tenuit. Postea rex idem pepulit etiam Wine ab episcopatu, qui secedens ad Vulfere regem Merciorum emit pretio ab eo sedem Londoniæ civitatis, ejusque episcopus usque ad obitum mansit. Carente igitur pastore provincia, cum rex hostibus et damnis ideo sæpius affligeretur, misit pro Ailberto Parisios : qui nolens episcopatum illum dimittere, misit Leutherium nepotem suum. Hic igitur ordinatus episcopus a Theodoro archiepiscopo episcopatum Gevissorum longo tempore rexit solus.

Ea tempestate post Eadbaldum regem Centensem, Ercembert filius ejus XXIV annis nobiliter regnavit. Hic primus in toto regno idola destrui, et jejunium quadragesimale observari præcepit, pœnas transgressoribus posuit; duxitque Sexburh majorem filiam regis Annæ, minorem vero filiam suam Edelburh et filiam uxoris suæ Setrid miserat rex Anna ad monasterium Bruges ad serviendum Domino : quæ utraque cum esset peregrina merito virtutum Bregensis abbatissa effecta est. Tunc siquidem mittebant nobiles Angliæ filias suas erudiendas in Bruge et in Kala et in Andilegum monasterio. Misit et Ercembert Bruges filiam suam Erchengotam Christi virginem sanctam et præclaram. Cujus opera virtutum, cujus signa miraculorum ab incolis loci illius usque hodie narrantur; de cujus laude in libro *Miraculorum* dicemus.

Eo quoque tempore Oswaldus, cum regnasset novem annis internumerato illo anno aliorum prædicto, occisus est etiam a Penda Strenuo commisso gravi prælio apud Mesafeld [*al.* Maseuseld], anno ætatis suæ XXXVIII, die quinto Augusti. Unde dicitur : *Campus Mesafeld sanctorum canduit ossibus.* Occulto autem Dei judicio invisi Deo pagani dilectos ejus mactaverunt, et escas volatilibus cœli dederunt. In loco autem cædis illius miracula usque hodie fiunt. Successit vero regi sancto frater ejus Oswi, regnans XXVIII annis in provincia Berniciorum. Sed in provincia Deirorum Oswine filius Osrici regis, de quo prædictum est, VII annis regnavit. Ingravescentibus vero causis, cum reges simul conflicturi essent apud Wilfaresdune, id est montem Wilfari, et est a vico Cataractone decem ferme millibus contra solstitialem occasum, videns se Oswine imparem viribus, remittens exercitum, abscondit se in domo Hunwaldi comitis, quem sibi amicissimum putabat, cum uno tantum milite nomine Tondehere; sed ab eodem comite proditus est Oswio, et detestanda omnibus morte cum eodem milite per præfectum ejus Edelwinum [*al.* Eilwinum] interfectus est in Getlingum, ubi pro utriusque regis anima id est occisi et ejus qui occidere jussit, ecclesia constructa est. Erat autem rex Oswine aspectu venustus, statura sublimis, affatu jucundus, moribus civilis, manu largus, et ideo ab omnibus dilectus, et a nobilibus cujusque provinciæ frequentatus; de cujus humilitate digna relatu inter sancti Aidani sibi dilectissimi opera referemus. Secundo autem anno Oswi regis successit patri magno Paulino Ithamar episcopus in Rovensi ecclesia. Tunc temporis regno orientalium Anglorum, post Carpwaldum Redwaldi successorem, Sigbert frater ejus præerat homo religiosus : qui in Gallia exsulans pro inimicitia Redwaldi baptizatus fuerat. Rexque factus, ut in Gallia viderat, scholas puerorum

Digitized by Google

Nam cæteri homines etsi actuali peccato careant, contrahunt tamen originale secundum illud : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L).

At vero Edwinus post septemdecim annos regni sui conserto gravi prælio in campo, qui vocatur Hatfeld [*al.* Hethfeld], occisus est a Cedwalla rege Britonum adjuvante eum Penda Strenuo, qui ex eo tempore rex fuit Merciorum, ejusque totus vel peremptus est vel dispersus exercitus. Offrid quoque bellicosus filius ejus occisus est ante eum. Alter Edfrid, necessitate cogente, ad Pendam refugit, a quo postmodum, regnante Oswaldo, perfide peremptus est. Dicitur autem quod Hatfeld rubens undique nobilium fumabat cruore. Ibi namque miserabilis et inopinata fortissimorum facta est strages. Cedwalla siquidem rex potentissimus innumerabilem multitudinem secum adduxerat ; Penda vero Strenuus strenuissimos, facta est igitur magna strages in ecclesia Nordhumbrorum. Penda enim paganus erat ; Cedwalla vero pagano sævior, nec mulieribus nec parvulis parcens, se Anglos Britannia e asurum deliberans. Nec Britones magis communicant Anglis quam paganis, fidem eorum nihili pendentes. Allatum est autem caput Edwini regis Eboracum et illatum in ecclesia Petri, quam ipse cœpit, sed Oswaldus perfecit. Nordhumbris igitur nihil præsidii nisi fugam habentibus, Paulinus, assumpta secum regina Edelburga, quam pridem adduxerat, rediit Cantiam navigio, atque ab Honorio archiepiscopo et rege Eadbaldo honorifice susceptus est, habens etiam secum filium et filiam Edwini. Quos postea mater metu Eadbaldi et Oswaldi regum misit in Galliam nutriendos regi Dagoberto, qui erat amicus illius, ibique pueri defuncti sunt. Attulit quoque secum vasa pretiosa Edwini et crucem magnam auream et calicem aureum, qui in ecclesia Cantiæ adhuc sunt. Romano autem Rovensi præsule absorpto fluctibus Italici maris, dum legatarius Honorii tenderet Romam, Paulinus eumdem episcopatum tenuit usquedum vixit ; ubique moriens pallium, quod a papa acceperat, reliquit. Reliquerat autem in ecclesia sua Eboraci Jacobum diaconum virum sanctum, qui ex hinc baptizabat, et docebat, usquedum recuperata pace in provincia et crescente numero fidelium, magister ecclesiasticæ cantationis juxta morem Romanorum cœpit existere, et ipse senex et plenus dierum juxta Scripturas, vias patrum secutus est.

Eadwino regi successit Osric, cognatus ejus in provincia Deirorum. Eanfrid, filius Edelfridi regis, suscepit regnum Berniciorum. Nam in has duas provincias gens Nordhumbrorum antiquitus divisa erat. Ili autem juvenes tempore regis Edwini apud Scotos et Pictos exsulantes baptizati sunt ; ubi autem reges facti sunt ad idola conversi sunt. Quos rex Cedwalla impie, sed juste peremit, et primo quidem proxima æstate Osricum, dum se in oppido municipio temerario obsedisset, erumpens subito cum suis omnibus imparatum destruxit. Post annum vero occidit Enfridum ad se postulandæ pacis gratia venientem cum duodecim militibus. Infaustus ille annus tam propter regum apostasiam, quam propter Cedwallæ tyrannidem, qua non terras ut victor acquirebat, sed ut pestis destruebat : unde ille annus sequentibus regis Oswaldi assignatur. Qui, post occisionem fratris Enfridi, superveniens cum parvo exercitu signum sanctæ crucis manibus suis erexit, ac foveæ impositam cespitibus firmavit, dixitque : *Flectamus genua, et Deum omnipotentem vivum ac verum in commune deprecemur ut nos ab hoste feroci ac superbo sua miseratione defendat. Scit enim quia justa pro salute gentis nostræ bella suscipimus.* Quo facto, incipiente diluculo congressi Cedwallam et copias illas, quibus nihil resistere posse jactabat, ceciderunt apud Denisesburne, id est rivus Denisii. Unde dicitur : *Cædes Cedwallæ Denisii cursus coercuit.* Qui locus in magna veneratione habetur, ut in libro *Miraculorum* dicetur.

Oswaldus igitur rex ut fidem augeret, misit in Scotiam ubi exsulaverat, accepitque pontificem Aidanum summum virum, quamvis pascha non recte celebraret more septentrionalium Scotorum. Australes enim Hiberniæ insulæ partes jamdudum admonitione papæ rectum pascha susceperant. Venienti ergo episcopo rex sedem episcopalem in insula Lindesfarnensi tribuit. Igitur fides cœpit dilatari, pulchroque spectaculo sæpe contigit ut, evangelizante Aidano, qui Anglorum linguam perfecte non noverat, ipse rex suis ducibus ac ministris interpres existeret. Longo enim exsilii sui tempore linguam Scotorum plene didicerat. Crescebat igitur fides, monachisque venientibus de Scotia, ferventer docebatur : monachus enim ipse episcopus erat de insula, quæ vocatur Hii, cujus monasterium septentrionalium Scotorum et omnium Pictorum arcem tenebat. Quæ insula ad jus quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto discreta ; sed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, monachis Scotorum tradita, eo quod ab illis fidem perceperunt.

Namque anno gratiæ 565, regnante post Justinianum Justino Minore, venerat de Hibernia abbas Columba ad prædicandum septentrionalibus Pictis, id est iis qui arduis et horrentibus montium jugis ab australibus Pictis separantur. Australes enim Picti prius conversi fuerant per Niniam episcopum Britonem Romæ edoctum. Cujus sedem episcopatus Sancti Martini nomine, ubi ipse Columba sepultus est, jam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad provinciam Berniciorum pertinens vulgo vocatur. Ad Candidam Casam, eo quod ibi ecclesiam de lapide insolito Britonibus more fecerit. Venit autem Columba, regnante Bridio, filio Meilocon rege Pictorum potentissimo, vigesimo anno regni ejus, gentemque illam convertit : unde et præfatam insulam ab iis accepit, quæ est quasi

Digitized by Google

familiarum quinque juxta æstimationem Anglorum, quam successores ejus usque hodie tenent, ubi et ipse sepultus est. Erat autem et aliud monasterium nobile in Hibernia de Armach, id est campus roborum. Ex quo utroque monasterio plurima in Hibernia et Anglia propagata sunt : in quibus omnibus monasterium Dū principatum tenet. Abbati autem illius insulæ omnis provincia et etiam episcopi ordine inusitato solent esse subjecti, quia Columba prædicator non episcopus fuit, sed presbyter et monachus. Cujus successores ejus imitatione valde claruerunt; tamen in observatione paschæ errabant, donec Egbertus Anglicus eos correxit. Aidanus igitur hinc missus episcopatum Nordhumbræ tenuit. Cujus institutione formatus rex Oswaldus, ut mente proficiebat, ita et regno plus quam omnes majores ejus. Omnes igitur gentes Britanniæ, scilicet Britones, Anglos, Pictos, Scotos in ditionem accepit; adeo tamen sublimis, humilis fuit et benignus peregrinis et pauperibus.

Quinta pars sequitur, de conversione occidentalium Saxonum, qui antiquitus Gevissæ vocabantur: quæ facta est per Birinum episcopum. Qui concilio papæ Honorii adveniens, ad quod etiam ordinatus est episcopus per Asterium Genuensem episcopum, gentem Gevissorum ingrediens paganissimam, baptizavit eos et regem eorum Kinigils. Contigit autem pulchre sanctum regem Oswaldum adfuisse, eumque de lavacro suscepisse, cujus filiam Oswaldus erat accepturus in conjugem. Donaverunt autem ambo reges Birino civitatem Dorcic ad sedem episcopii, ibique, constructis ecclesiis, sepultus est. Et post multos annos Hedde episcopatum agente, translatus inde in Wentam civitatem, quæ Wincestre vocatur, et in ecclesia Petri et Pauli positus est; defuncto autem rege Kinigilso, successit filius ejus Cenwalh, qui fidem renuit, nec impune. Repudiata enim sorore Pendæ regis Merciorum, quam duxerat, aliamque ducens bello victus est, et regno privatus ab illo, triennioque exsulans apud Annam regem orientalium Anglorum fidelem fidem recognovit. Cum vero Cenwalh restitutus esset in regno, constituit episcopum Ailbertum [*al.* Agilbertum] natione Gallum, sed tunc de Hibernia gratia legendi venientem. Postea vero rex Anglicum sciens tantum pertæsus barbaræ loquelæ subintroduxit in provinciam suæ linguæ episcopum Wine, et ipsum in Gallia ordinatum, dividensque in duas parochias provinciam, huic in Wenta sedem tribuit; unde offensus Ailbertus, quod hoc ipso inconsulto ageret, rediit Galliam, et acceptum episcopatum Parisiis usque ad obitum tenuit. Postea rex idem pepulit etiam Wine ab episcopatu, qui secedens ad Vulfere regem Merciorum emit pretio ab eo sedem Londoniæ civitatis, ejusque episcopus usque ad obitum mansit. Carente igitur pastore provincia, cum rex hostibus et damnis ideo sæpius affligeretur, misit pro Ailberto Parisios : qui nolens episcopatum illum dimittere, misit Leutherium nepotem suum. Hic igitur ordinatus episcopus a Theodoro archiepiscopo episcopatum Gevissorum longo tempore rexit solus.

Ea tempestate post Eadbaldum regem Centensem, Ercembert filius ejus XXIV annis nobiliter regnavit. Hic primus in toto regno idola destrui, et jejunium quadragesimale observari præcepit, pœnas transgressoribus posuit; duxitque Sexburh majorem filiam regis Annæ, minorem vero filiam suam Edelburh et filiam uxoris suæ Setrid miserat rex Anna ad monasterium Bruges ad serviendum Domino : quæ utraque cum esset peregrina merito virtutum Bregensis abbatissa effecta est. Tunc siquidem mittebant nobiles Angliæ filias suas eruditendas in Bruge et in Kala et in Andilegum monasterio. Misit et Ercembert Bruges filiam suam Erchengotam Christi virginem sanctam et præclaram. Cujus opera virtutum, cujus signa miraculorum ab incolis loci illius usque hodie narrantur; de cujus laude in libro *Miraculorum* dicemus.

Eo quoque tempore Oswaldus, cum regnasset novem annis internumerato illo anno aliorum prædicto, occisus est etiam a Penda Strenuo commisso gravi prælio apud Mesafeld [*al.* Maseuseld], anno ætatis suæ XXXVIII, die quinto Augusti. Unde dicitur : *Campus Mesafeld sanctorum cinduit ossibus.* Occulto autem Dei judicio invisi Deo pagani dilectos ejus mactaverunt, et escas volatilibus cœli dederunt. In loco autem cædis illius miracula usque hodie fiunt. Successit vero regi sancto frater ejus Oswi, regnans XXVIII annis in provincia Berniciorum. Sed in provincia Deirorum Oswine filius Osrici regis, de quo prædictum est, VII annis regnavit. Ingravescentibus vero causis, cum reges simul conflicturi essent apud Wilfaresdune, id est montem Wilfari, et est a vico Cataractone decem ferme millibus contra solstitialem occasum, videns se Oswine imparem viribus, remittens exercitum, abscondit se in domo Hunwaldi comitis, quem sibi amicissimum putabat, cum uno tantum milite nomine Tondehere; sed ab eodem comite proditus est Oswio, et detestanda omnibus morte cum eodem milite per præfectum ejus Edelwinum [*al.* Eilwinum] interfectus est in Getlingum, ubi pro utriusque regis anima id est occisi et ejus qui occidere jussit, ecclesia constructa est. Erat autem rex Oswine aspectu venustus, statura sublimis, affatu jucundus, moribus civilis, manu largus, et ideo ab omnibus dilectus, et a nobilibus cujusque provinciæ frequentatus; de cujus humilitate digna relatu inter sancti Aidani sibi dilectissimi opera referemus. Secundo autem anno Oswi regis successit patri magno Paulino Ithamar episcopus in Rovensi ecclesia. Tunc temporis regno orientalium Anglorum, post Carpwaldum Redwaldi successorem, Sigbert frater ejus præerat homo religiosus : qui in Gallia exsulans pro inimicitia Redwaldi baptizatus fuerat. Rexque factus, ut in Gallia viderat, scholas puerorum

Digitized by Google

instituit, juvante se Felice episcopo : a l quem sanctus Furseus de Hibernia veniens, nobiliter susceptus est. Rex autem tantum Deo adhæsit ut, cognato suo Egnice [*al.* Egrico], regno commendato, monasterium intraret, et tonsuram acciperet. Post multos autem annos coegerunt eum exire contra regem Pendam. Ille tamen nonnisi virgam in manu habebat in prælio; occisus est igitur cum rege Egnice et exercitu; quibus successit Anna, filius Eni, de regio genere, vir bonus et bonæ pater sobolis : quem etiam Penda postea cecidit. Felici autem episcopo orientalium Anglorum successit Thomas, post quem Bonifacius. Hos omnes cum ordinasset Honorius archiepiscopus, mortuus est : cui Deusdedit sextus archiepiscopus Centensis successit, ordinatus ab Ithamar Rovensi episcopo. Ithamaro vero successit Damianus.

Sexta pars sequitur de conversione Midelengle, id est Mediterraneorum Anglorum sub principe Peda, quem pater illi genti præfecerat : dederat namque rex Oswi Pedæ filio Pendæ regis filiam eo pacto ut Christianus efficeretur. Hoc etiam maxime factum est persuasione Alfredi filii Oswi regis, qui sororem ejus duxerat Chineburgam filiam Pendæ. Baptizatus est igitur Peda cum suis a Finano episcopo in vico, qui dicitur Ad murum, acceptisque presbyteris secum Ceadda et Adda [*al.* Abda], et Betti, et Diuma, reversus est ad propria. Nec prohibuit Penda [*al.* Peda] quin de sua, hoc est Merciorum natione crederent, qui vellent, temnebatque credentes et male viventes. Post biennium vero conversi sunt Merci hoc modo. Oswi namque rex, cum irruptiones Pendæ regis intolerabiles ferre non posset, obtulit ei munera innumera. Penda vero, strenuus, quia gentem ejus exterminare decreverat, munera sprevit. Igitur Oswi supremis accensus doloribus, ait : « Si paganus nescit accipere nostra donaria, offeramus ei qui novit Deo. » Vovit ergo se filiam suam Deo sacraturum, et duodecim prædia monasteriis danda, et sic cum paucis multos aggressus est. Denique fertur quia, tricies majorem pagani habuerunt exercitum; siquidem ipsi triginta legiones ducibus nobilissimis instructas in bello habuere. Quibus Oswius rex cum Alfrido filio suo perparvum, ut dixi, habens exercitum; sed, Christo duce, confisus occurrit. Nam alius filius ejus Egfrid eo tempore in provincia Merciorum apud reginam Ginewissem obses tenebatur. Filius autem Oswaldi regis Edilwald, qui iis auxilio esse debuerat, in parte erat adversariorum, iisdemque contra patriam et patruum suum pugnaturus ductor exstiterat. Quamvis in ipso tempore pugnandi sese pugnæ subtraxerat, eventumque discriminis tuto in loco exspectabat. Inito ergo certamine, fugati sunt et cæsi pagani duces triginta; Deus enim omnipotens cum suis aderat, [illegible] fortitudinem regis Pendæ, solitumque robur nervorum brachiis ejus dempsit, et cor magnanimum contabescere jussit; ideo nec se in ictibus suis cognovit, nec armis hostium impenetrabilis fuit; stupuitque hostes tales esse, qualis ipse hostibus esse solebat, se vero talem, quales illi esse solebant. Qui ergo semper alienum sanguinem fuderat, sensit quod egerat, dum jam cruore suo terram imbuit, et cerebro respersit : ergo qui ad auxilium ejus venerant pene sunt omnes interfecti. In quibus Adilhere frater Annæ regis orientalium Anglorum, qui post eum regnavit, auctor ipse belli perditis militibus sive auxiliis interemptus est. Et quia prope fluvium Minwed pugnatum, qui tunc per inundantiam pluviarum late alveum suum imo omnes ripas suas transierat, contigit ut multo plures aqua fugientes quam bellantes perderet ensis. Igitur Elfleda, filia Oswi regis monachata est in Hertei [*al.* Herten], id est insula Cervi; deinde constructo monasterio in Streneshalh, abbatissa ibidem obiit, ubi sepultus est pater ejus Oswi, et mater ejus Enflad, et pater matris ejus Edwine. Tribus igitur annis post mortem Pendæ rexit Oswi gentem Merciorum et cæteras australes provincias gentemque Pictorum ex parte magna : dedit etiam Pedæ filio Pendæ cognato suo regnum australium Merciorum, qui sunt familiarum v millium, discreti fluvio Trente ab aquilonaribus Mercis, qui sunt familiarum vii millium. Peda autem proditione conjugis suæ occisus est. Oswio igitur regi gentes Merciorum tribus annis subjectæ fuerunt, quæ, desecto capite perfido, ad fidei Christianæ gratiam per eum conversæ sunt. Igitur Diuma factus est episcopus Midelengle, et Merciorum, et Lindisfarorum : qui ibidem defunctus est; cui successit Coellet [*al.* Coellec], qui ad Scotos unde venerat rediit. Sed post tres annos duces Merciorum rebellantes Vulfere filium Pendæ in regem levaverunt. Quo regnante xvii annis, fuit primus episcopus Trumhere, secundus Iaruman, tertius Ceadda, quartus Wilfrid.

Tunc quoque orientales Saxones, qui olim Mellitum expulerant, iterum conversi sunt. Erat enim rex ejusdem gentis Sigbert, qui post Sigebertum cognomento Parvum regnavit, amicus regis Oswi. Ad quem cum sæpe veniret, et prædicaretur ab eo, baptizatus est a Finano episcopo in vico ad murum, qui est xii millibus a mari orientali. Vocatus autem Ceadda a Medelenglis, factus est episcopus super Estsere, baptizabatque maxime in civitate Itancestre, quæ est in ripa Pentæ amnis, et in Tilaburh, quæ est in ripa Tamesis. Consuli ergo cuidam pro illicito conjugio vetuit omnium communionem : quod contemnens rex, prandit cum eo, revertensque obviantis episcopi cecidit ad pedes; quem jacentem iratus virga tangens prædixit eum in ipsa domo moriturum, contigitque ut consul prædictus et frater ejus eum in ipsa domo interficerent; dixeruntque se id fecisse, quia nimis erat et parcens hostibus. Successit autem Sigberto Switelm baptizatus ab ipso Ced, in Estanglia in Rendlesham, id est mansione Rendli, suscepitque eum de lavacro Adelwald rex ipsius gentis, frater Annæ

Digitized by Google

regis eorumdem. Ædelwaldus vero filius regis Oswaldi rex Deirorum eidem Ced episcopo tribuit locum ad Lestingi monasterii faciendi. Quo constructo, cum illuc ab Estsere sæpe rediret, tempore mortalitatis ibidem obiit: cui successit in episcopatu frater ejus Ceadda.

Interea Finan episcopus in insula Lindisfarnensi ecclesiam fecit totam de secto robore. Quam cum postea Theodorus archiepiscopus dedicasset, Edbert episcopus ibidem plumbo parietes et tectum operuit. Finano defuncto successit Coleman, qui male servabat Pascha, sicut Aidanus et Finan: igitur inde disputatum est coram Oswi rege et Alfrido rege, filio ejus. Hinc erat Colmannus et Ced episcopus prædictus: inde Ailbertus episcopus occidentalium Saxonum, qui ad Alfridum regem amicum ejus venerat, et Jacobus diaconus Paulini: quorum digne pars prævaluit. Ced igitur postea rectum Pascha servabat. Colmannus vero cum parte ossium patris Aidani nolens mutare sectam, in patriam reversus est. Cui successit Tudda in episcopatu Nordhumbræ. Eata vero prius custos postea episcopus factus est Lindesfarnensis. Hi autem tres episcopi Scotorum, Aidanus, Finan, Colmannus miræ sanctitatis fuerunt et parcimoniæ. Nec enim potentes sæculi suscipiebant, qui ad eos nisi orandi causa non veniebant. Rex ipse cum quinque vel sex ministris cum orasset vel discedebat, vel cibo fratrum utebatur. Adeo autem sacerdotes erant illius temporis ab avaritia immunes, ut nec territoria nisi coacti acciperent. Nec longe post facta est eclipsis solis die tertio Maii hora decima diei: quam gravis pestilentia secuta est, Britanniam et Hiberniam magna strage devástans. Qua plaga Tuda episcopus mortuus est, et sepultus in Wemalet.

Alfridus vero filius Oswi, jam regnans in parte regni patris misit Wilfridum presbyterum ad regem Galliarum, ut cum consecrari faceret episcopum. Quem Ailbertus prædictus jam tunc præsul Parisius cum plurimis episcopis honorifice consecravit in vico, qui vocatur Compendium. Rex autem Oswi, imitatus industriam filii misit Ceddam presbyterum, quia archiepiscopus jam obierat, ad Wine episcopum occidentalium Saxonum, qui ab eo ordinatus est episcopus Eboracensis Ecclesiæ. Cedda igitur episcopus Aidanum magistrum suum cœpit sequi, et exemplum Ced fratris sui, pergens non equo sed pedibus, instans lectioni, studens veritati, amicus castitatis, servus humilitatis, veniens quoque Britanniam, Wilfrid jam episcopus doctrina sua multa Ecclesiæ Anglorum contulit.

Post Switelm regem Estsere, cum Sighere et Sebbi regnarent, pro præfata mortalitate Sighere et gens sua ad idola reversi sunt. Rex autem Vulfere, mittens ad eos Jaruman episcopum, revocavit eos ad fidem per eum feliciter. Tunc quoque regibus Anglorum nobilissimis Oswi et Egbert misit Vitallianus papa litteras, requisitus de statu Ecclesiæ et paschæ. Nec longe post misit iis Theodorum archiepiscopum.

Theodorus post Damianum ordinavit Puttam Rofli episcopum; regis etiam Vulferi petitione Ceddam transtulit a monasterio, quod est in Lestingei ad episcopatum Lichefed, ubi miraculis claruit, quæ suo loco dicentur. Oswio autem rege infirmitate defuncto, regnante Egfrido filio ejus anno tertio, coegit Theodorus concilium cum cæteris episcopis, cujus decreta in ultimo librorum ponentur. Post hæc offensus per quamdam inoledientiam Theodorus Winfridum episcopum Merciorum deposuit, pro quo Sexwlfum ordinavit. Londoniæ etiam Ercenwaldum constituit episcopum tempore Sebbi et Sighere regum prædictorum, cujus miracula suo loco dicentur. Eo tempore Edelred rex Merciorum Cantiam vastavit, Rofli destruxit, Putta episcopus aufugit. Huic Chichelmus successit, sed paupertate secessit. Tunc vero Gemundus successit. Anno eodem cometa apparuit tribus mensibus mane.

Egfridus rex Nordhumbriæ fugavit Wilfridum ab episcopio. Loco cujus Bosa Deirorum provinciam, Eata Berniciorum suscepit, hic Eboraci, ille in Haugustaldensi vel Lindisfarnensi Ecclesia. Tunc etiam Eadhed in provincia Lindisfarorum, quam nuperrime rex Egfrid, superato Vulfere, obtinuerat, ordinatur episcopus. Et hunc primum eadem provincia proprium accepit præsidem, secundum Ailwinum [*al.* Ædilwinum], tertium Eadgarum, quartum Kinebertum, quem in præsenti habet, inquit Beda. Habebat enim ante Eadhedum antistitem Sexulfum, qui etiam Merciorum et Widelengle simul episcopus fuit: unde et expulsus de Lindesei in illarum provinciarum regimine permansit; ordinati sunt autem Eadhed et Bosa et Eata Eboraci a Theodoro, qui etiam post annos tres abscessionis Wilfridi horum numero duos addidit antistites, Trumbertum ad Ecclesiam Haugustaldensium, remanente Eata ad Lindisfarnensem, et Trumwine ad provinciam Pictorum, quæ tunc Anglis subjecta erat. Eadhedum de Lindessei reversum, eo quod rex Ædelred provinciam recepisset, Ripensi Ecclesiæ præfecit.

Septima pars sequitur de conversione Australium Saxonum per Wilfridum episcopum facta, qui ab episcopio pulsus, ut supra dixit, Roma petita Britanniam rediit, et australes Saxones, qui sunt familiarum septem millium, ad fidem convertit. Rex autem eorum Adilwald [*al.* Adilwalch] paulo ante baptizatus fuerat in provincia Merciorum suasione regis Vulfere, a quo etiam de lavacro susceptus est; in cujus signum adoptionis dederat illi Vectam insulam et Meanwarorum provinciam in gente occidentalium Saxonum. Concedente igitur, imo gaudente rege, Wilfridus prædicans, primo duces et milites, deinde plebem sacro fonte abluit. Ipsa igitur die populo imber affluxit, qui tribus cessaverat annis; unde fames acerbis-

Digitized by Google

sima plebem prostraverat. Denique ferunt, quia esset rex Gevissorum, priorem occidit et provinciam graviter vexavit tam ipse quam successor ejus. Unde toto illo tempore revocato, domum Wilfrido proprio caruit antistite, et episcopo Wentæ subjecti sunt.

sæpe XL simul aut L inedia homines macerati processerunt ad præcipitium aliquod sive ripam maris, et vinctis misere manibus pariter omnes aut ruina perituri aut fluctibus absorbendi deciderent. Sed, baptismate simul et pluvia veniente, refloruit terra; rediit, viridantibus arvis, annus lætus et frugifer. Sic et cor omnium et caro omnium exsultavit in Deum vivum. Docuit etiam eos antistes piscari; nec enim prius nisi ad anguillas tantum piscari sciebant. Collectis ergo retibus, misit se in mare, et mox trecentis piscibus captis, centum pauperibus dedit, centum iis quorum erant retia, centum in suos usus reservavit. Quod videns populus libentius ejus verbis cœlestia bona sperare cœperunt, cujus ministerio temporalia bona sumpserunt. Dedit autem ei rex Adelwald insulam LXXXVII familiarum, nomine Selesei, id est insulam Vituli marini. Circumdatur undique mari præter fundæ jactum ab occidente: qualis locus a Latinis peninsula, a Græcis χερσόνησος vocatur. Ibi ergo Wilfrid fundato templo V annis fuit, id est usque ad mortem Egfridi regis, ubi servos suos et ancillas CCL Christianos fecit et liberos.

Interea Cedwalla, juvenis de regio genere Gevissorum exsulans, interfecit regem Adelwald. Sed mox expulsus est a ducibus regis Berctuno et Anduno, qui prius regnaverunt. Sed cum Cedwalla

Cedwalla rex debellavit insulam Vectam adhuc idololatram, et secundum votum quartam partem dedit Wilfrido episcopo, qui tunc forte de gente sua superveniens aderat. Est autem insula mille ducentarum familiarum: unde data est episcopo possessio trecentarum familiarum. Duos autem filios Arwaldi regis insulæ jam occisi, post patrem occidendos fecit abbas Redford, id est vadum arundinis, prius baptizari concessione Cedwallæ. Sic conversa est Vecta ultima regio Britanniæ. Hoc ergo ordine, postquam omnes Britanniarum provinciæ fidem Christi susceperant, Theodorus archiepiscopus, ad confirmandam fidem tam recentium quam veterum, concilium constituit cum episcopis Britanniæ de fide catholica tractaturus; et tractatum synodalibus litteris æternæ memoriæ commendavit. Quas litteras in exordio sequentis libri, quem de gestis regum Anglorum fidelium usque ad adventum et bella Dacorum perducturi sumus, dignum duxi proponere. Hujus namque libri partes omnes secundum ordinem et propositum pertractatæ sunt.

LIBER QUARTUS.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Salvatoris nostri, imperantibus dominis nostris piissimis, Egfrido rege Himbroncusium anno decimo regni ejus, et Centwino rege Westsere anno V regni ejus, et Edelredo rege Merciorum anno VI regni ejus, et Aldulfo rege Estanglorum anno septimo decimo regni ejus, et Lothario rege Cantuariorum anno VII regni ejus, sub die quintodecimo Kalendarum Octobrium, indictione septima, præsidente Theodoro, gratia Dei archiepiscopo Britanniæ insulæ et civitatis Dorvernensis, una cum eo sedentibus cæteris episcopis Britanniæ insulæ viris venerabilibus, præpositis sacrosanctis Evangeliis, in loco qui Saxonico vocabulo Watfeld nominatur. Pariter tractantes fidem rectam et orthodoxam exposuimus, sicut Dominus noster Jesus Christus incarnatus tradidit discipulis suis, qui præsentialiter viderunt et audierunt sermones ejus, atque sanctorum Patrum tradidit Symbolum, et generaliter omnes sanctæ et universales synodi, et omnis probabilium catholicæ Ecclesiæ doctorum chorus. Nos itaque sequentes eos pie atque orthodoxe juxta divinitus inspiratam doctrinam eorum professi credimus constanter et confitemur secundum sanctos Patres proprie et veraciter, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Trinitatem in unitate consubstantialem, et unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentibus personis et consubstantialibus, æqualis gloriæ et honoris. Et post multa hujusmodi, quæ ad rectæ fidei confessionem pertinebant, hoc quoque sancta synodus suis litteris addidit: Suscipimus sanctas et universales quinque synodos beatorum et Deo acceptabilium Patrum, id est qui in Nicæa congregati fuerunt CCCXVIII contra Arium impiissimum et ejusdem dogmata, et in Constantinopoli CL contra vesaniam Macedoni et Eudoxi et eorum dogmata, et in Epheso primo CC contra Nestorium nequissimum et ejus dogmata, et in Chalcedone CDXXX contra Eutychen et Nestorium et eorum dogmata, et iterum in Constantinopoli quinto congregati sunt concilio in tempore Justiniani Minoris contra Theodorum et Theodoreti, et Ibæ epistolas, et eorum dogmata contra Cyrillium. Et paulo post: *Et synodum quæ facta est in urbe Roma in tempore Martini papæ beatissimi, indictione prima, imperante Constantino piissimo anno nono suscepimus, et glorificamus Dominum nostrum Jesum Christum sicut isti glorificaverunt, nihil addentes vel subtrahentes; et anathematizamus corde et ore quos anathematizaverunt; et, quos susceperunt, suscipimus, glorificantes Deum Patrem sine initio, et Filium ejus unigenitum ex*

Digitized by Google

Patre generatum ante sæcula, et Spiritum sanctum procedentem ex Patre et Filio inenarrabiliter, sicut prædicaverunt hi, quos memoravimus supra, sancti apostoli, et prophetæ, et doctores; et nos omnes subscripsimus, qui cum Theodoro archiepiscopo fidem catholicam exposuimus. Intererat autem huic synodo Joannes archicantator ecclesiæ Sancti Petri Romæ, et abbas Sancti Martini, qui nuper inde venerat jussu papæ Agathonis cum Benedicto abbate venerabili. Benedictus autem construxerat monasterium Sancto Petro juxta ostium fluminis Wiri. Qui Romam profectus ad confirmandum privilegium templi illius ex concessione regis Egberti, rediens Joannem prædictum secum adduxit. Hujus Benedicti successor fuit Ceolfridus abbas sub quo Beda deguit. Ibi ergo Joannes cantare docuit Romano more, et decreta synodi Martini papæ, ubi ipse interfuerat, ibi scripta reliquit. Repetens vero Romam, relaturus qualitatem fidei Anglorum in via mortuus est, et Turonis sepultus. Nunc igitur his ita pertractatis, redeundum est ad contextum historiæ regum Anglorum, quem in fine libri secundi desecuimus, connectendusque est illi tractatui tractatus iste, ut in directum protendatur narratio.

Centwino [*al.* Kentwino] igitur occidentalium Saxonum rege defuncto, Cedwalla post eum regnans, auxilio Mul fratris sui insulam Vectam suam viribus suis fecit : namque frater ejus Mul laudabilis et gratiosus, terribilis erat viribus, et decorus aspectu; ideoque et omnibus amabilis erat, et famæ prærogativa clarissimus. Perrexerunt ergo fratres prædicti in Kentensem provinciam, causa virium suarum exercitandarum et famæ ampliandæ. Ipsi namque necdum baptizati erant, quamvis prædecessores eorum et populus omnis Christi essent. Igitur ingredientes Kent, nullo obsistente, prædati sunt totam provinciam.

Cedwalla namque, cum regnum suum invaderet, Lotharius rex Cantiæ regnum suum moriens deseruit : vulneratus namque est rex impiger Lotharius in pugna australium Saxonum, quos contra eum Eadric filius Egberti aggregaverat, et vulnerum immanitate inter medendum defunctus est. Ac post eum idem Eadric anno uno et dimidio sine amore et reverentia Centensium regnavit. Eo quoque tempore Egfridus rex Nordhumbre mortuus est : miserat namque anno præcedente, Hiberniam ducem Berctum cum exercitu, qui misere gentem innoxiam, et nationi Anglorum semper amicam vastavit. At Hiberni et pro posse suo repugnantes, et divinæ auxilium pietatis invocantes, cœlitus se vindicari continuis Deum imprecationibus postulabant. Et quamvis maledici regnum Dei possidere non possint, creditum est tamen, quod ii, qui merito impietatis suæ maledicebantur, ocius, Domino vindice, pœnas sui reatus luerent. Siquidem anno post hunc proximo idem rex, cum temere exercitum ad vastandam Pictorum provinciam duxisset, multum prohibentibus amicis et maxime beatæ memoriæ Cutberto, qui nuper fuerat ordinatus episcopus (anno namque eodem fecerat Rixidem Lindisfarnensem episcopum) introductus est, simulantibus fugam hostibus, in angustias inaccessorum montium, et cum maxima parte copiarum, quam secum adduxerat, exstinctus; datumque est illi, ne audiret amicos revocantes se, quia nolluerat audire patrem Egbertum ne Scotiam nil se lædentem impugnaret. Exinde spes cœpit et virtus Anglorum fluere, et retro sublapsa referri : nam et Picti terram suam cujus partem tenebant Angli recuperaverunt; Britones quoque nonnullam libertatem receperunt, quam hactenus habent. Vir autem Domini Trumwine, abbas Ebercurni positi quidem in regione Anglorum, sed juxta fretum, quod Anglorum terras Pictorumque disterminat, fugit inde et in monasterio Streneshal sæpe dicto obiit. Successit autem Egfrido in regnum Alfrid vir in Scripturis doctissimus, qui frater ejus et filius regis Oswi esse dicebatur; destructum regni statum, quamvis intra fines angustiores, nobiliter recuperavit.

Cedwalla secundo anno regni sui misit fratrem suum Mul fortissimum, et juvenes cum eo fortissimos prædatum Kent, petitione ejusdem fratris sui. Allexerat enim eum præteriti anni lucrum gloriosum, et famæ pretium non exosum. Pergens igitur in Kent, non invenit qui ei resisteret, et terram prædando in solitudinem rediges, et Christi servos immeritos affligens, maledicta eorum merita sensit. Nam, cum hostes effeminatos duceret, et nihil sibi pro viribus prævideret, irruit in domum quamdam longe a suis cum duodecim tantum militibus prædaturus; ubi inopinata multitudine circumventus, cum hostes interficiendo non deficeret nec proficeret, qui armis cædi non poterat, in ipsa domo cum duodecim militibus suis igne combustus est. Periit ergo flos juvenum, et juvenilis evanuit exercitus. Unde comparet quam nihili sit confidentia fortitudinis ad Dei omnipotentiam. Hæc audiens Cedwalla rursus ingressus est Cantiam, ubi mirabili cæde et innumera satiatus rapina, cum non inveniret quid cæderet vel raperet, ad sua magnus vindex et victor sævus rediit.

Cedwalla rex, cum duobus annis regnasset, se regnumque suum abdicans, propter Deum regnumque perpetuum Romam petiit, illud gloriæ singularis sibi æstimans, si ibi baptizaretur et moreretur. Sergius ergo papa baptizavit eum, et ex nomine apostoli Petrum vocavit; rex vero secundum votum infra septem dies in albis mortuus est duodecimo Kalen. Mali, et sepultus est in ecclesia Sancti Petri, super quem scriptum est hoc epitaphium :

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuvias, proceres, mœnia, castra, lares,
Quæque patrum virtus, et quæ congesserat ipse
Cedwal omnipotens liquit amore Dei :
Ut Petrum sedemque Petri rex cerneret hospes,

Digitized by Google

Cujus fonte meras sumeret almus aquas:
Splendificumque jubar radianti carperet haustu.
Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.
Percipiensque alacer redivivæ præmia vitæ,
Barbaricam rabiem nomen et inde suum
Conversus convertit ovans, Petrumque vocari
Sergius antistes jussit, ut ipse pater.
Fonte renascentis quem Christi gratia purgans,
Protinus albatum vexit in arce poli.
Mira fides regis, clementia maxima Christi,
Cujus consilium nullus adire potest.
Suspes enim [al. *juvenis*] *veniens supremo ex orbe* [*Britanni*
Per varias gentes, per freta, perque vias,
Urbem Romuleam vidit, templumque verendum
Apexit Petri, mystica dona gerens.
Candidus inter oves Christi sociabilis ibit,
Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
Quem regnum Christi promeruisse vides.

Ine regnavit post hunc super Westsere XXXVII annis. Ine fuit filius Cenred, filii Ceolwold. Ceolwold fuit frater Cinewold, fueruntque ambo filii Cudwine, filii Ceauling, filii Chenric, filii Certic. Hujus regis anno secundo Theodorus archiepiscopus XXII anno episcopatus sui transiit : cujus loco Britwold abbas Raculf lectus est et sacratus archiepiscopus : ad hoc usque tempus fuerunt Romani archiepiscopi; exinde fuerunt Angli. Ipse vero Briwoldus ordinavit Tobiam Rovensem episcopum, Latina, Græca et Saxonica lingua multipliciter instructum. Eo tempore erant duo reges in Kent, non tam secundum stirpem regiam quam secundum invasionem, scilicet Nithred et Webhard.

Ine vi anno regnante, legitimus rex Kentensis Withred confortatus in regno religione simul et industria suam gentem ab extranea invasione liberavit. Withred namque fuit filius Egbrith, filii Erchenbricth, filii Eadbald, filii Edelbrith. Tenuit autem regnum Kentense XXXII annis nobiliter et pacifice. Anno eodem Ine rex castrorum acies ordinatas et terribiles in Kantiam deduxit vindicaturus combustionem Mul cognati sui. Rex autem Withred obviam ei adfuit non cum feroci arrogantia sed pacifica supplicatione; non cum frendentibus minis, sed rhetorici mellis dulcedine, qua regi fero persuasit ut, armis depositis, multam pecuniæ a Kentensibus acciperet pro cæde juvenis : et sic lis finita ruit, pax confirmata revixit. Rex vero Kentensis abhinc semper in pace regnavit. Tertio post hunc anno Merci, qui dicuntur etiam Sudhumbri [*al.* Subhimbri], turpe scelus commiserunt : reginam namque Ostridam, uxorem Edelredi regis sui et Egfridi regis sororem, inhumane occiderunt.

Ine XI anno regnante, Bertus [*al.* Briht] prædictus consul Egfridi sensit maledicta Hibernensium, quorum ecclesias destruxerat, sicut et dominus suus senserat. Sicut enim Egfridus rex ingressus terram Pictorum cædem ibi pertulit, ita et iste ingressus terram eorumdem vindicaturus dominum suum ab iisdem occiditur. Circa hoc tempus ab Incarnatione Domini septingenti anni fuerunt. Ædelred, filius Pendæ, rex Mercæ Omnipotentis benignitate visitatus, fit monachus anno XXIX regni ejus, et sepultus est apud Bardenie feliciter : cui successit Cenred cognatus ejus similis virtute et felicitate. Cum enim quinque annis regnum nobiliter tenuisset, nobilius multo sceptra regni reliquit. Veniens namque Romam, et monachus ibi factus Constantino pontificante usque ad diem permansit ultimum : cum quo etiam Offa filius Sigheri regis orientalium Saxonum, rex si remansisset futurus, pari ductus devotione Romam ivit, et monachatum suscepit. Imitamini ergo reges horum duorum regum felicissimam strenuitatem, scilicet Edelredi et Cenredi, quorum nomen permanet in æternum, qui dlademata, uxores, urbes, cognatos, et omnia relinquentes multis millibus idem faciendi exemplum fuerunt. O Deus bone, quæ et qualia diademata ei reddes, et ipse manu tua cervicibus eorum summus pontifex impones in die exsultationis et lætitiæ, quando cunctis millibus legionum cœlestium et terrestrium tecum reges prædictos suscipientibus cum triumpho, et faciem eorum videre desiderantibus, afferent fructum non centenum tantum, sed potius millenum, fructum odoriferum, fructum exspectabilem, et tibi ipsi visu delectabilem ! O Deus bone, quis nunc etiam igne sancti Spiritus accensus exempla regum illorum, et vere regum sequatur, ut adhuc etiam crescat eis exsultatio novi fructus, et uberiora tibi sequentium probitate munera offerant cum devotissima jucunditate ? heu miseri ! dimittendus est sermo de regibus cœli, qui o utinam perennis in cordibus nostris miserulis et inertissimis figatur !. Sed redeundum est de cœlo ad terras. Successit namque regibus prædictis Merciæ Ceolred in regno, quod idem octo annis patriæ et avitæ virtutis hæres clarissime rexit.

Ine, vicesimo anno regni sui, divisit episcopatum Vestsexiæ in duo, qui unus esse solebat : partem orientalem a silvis tenuit Daniel, occidentalem Aldelmus. Aldelmo vero successit Forthere. Eodem anno Wilfridus episcopus, de quo inter miracula non silebitur, obiit apud Undalum XLV anno episcopatus sui, et sepultus est apud Ripun. Anno huic proximo pugnavit rex Ine et Nun cognatus ejus contra Gerentem [*al.* Gerente] regem Wales. Cujus pugnæ principio occisus est dux Higebald, ad ultimum vero Gerente cum suis faciem ab Anglis avertit, et fugiens arma et spolia sequentibus reliquit. Tunc etiam Berfrid consul restitit superbiæ Pictorum, dimicans inter Heve et Cere; ubi multitudine magna Pictorum strata ultor exstitit regis Egfridi et consulis Berti. Acca presbyter successit Wilfrido episcopo. Alfridus vero rex Nordhumbre quarto ante hunc anno infirmatus perierat apud Driffeld, anno regni sui vicesimo nondum impleto. Cui succedens Osredus filius ejus puer octo annorum regnavit XI annis. Osred vero rex belli infortunio juxta Were pugnans interfectus est. Cui succedens Cenred regnavit duobus annis, et mortuus est. Post quos Osricus regnavit ibidem undecim annis. Hi

Digitized by Google

namque quatuor reges regnaverunt in Nordhumbre tempore Ine regis.

Ine XXVI anno regni sui pugnavit contra Ceolred regem Merce, filium Edelredi regis, apud Monebirih; adeo autem horribiliter pugnatum est utrinque, ut nesciatur, cui clades detestabilior contigerit. Anno vero sequente, idem rex Merce Ceolred mundo exiit, et sepultus est apud Lichfeld. Adelbold successit ei in regnum Merce, vir fortis et vehemens, regnavitque victoriose XLI annis. Eodem anno Egbertus vir venerabilis convertit monachos, qui erant in Dii ad catholicum pascha et canonicam tonsuram. Cumque cum iisdem conversis moratus fuisset XII annis, jam securus de correctione fratrum ipso die paschali cum missarum solemnia celebrasset, *exsultavit ut videret diem* Domini, *vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII). Eo tempore Naiton rex Pictorum conversus fuerat ad rectum pascha litteris instructoriis a Ceolfrido abbate directis, qui post Benedictum, de quo prædiximus, rexit monasterium, quod est ad ostium Viri amnis, et juxta amnem Tina in loco, qui vocatur Ingirvum : scripsit ergo regi litteras de Pascha et de Tonsura magna plenas auctoritate : quod autem ille litteris persuasit, rex in toto regno suo regia auctoritate perfecit. Circa hoc tempus Cudburh soror Cneburh constituit abbatiam apud Mineburn, quæ data fuerat Egferdo Dordhumbre sed, eo vivente, separata.

Ine XXXVI anno regni ejus exercitum suum in Sudsere promovit, pugnavitque contra Sudsexas potenter et victoriose, et interfecit in eodem prælio Ealdbrith, quem prius fugaverat a castro, quod vocatur Cantune, quod quidem rex Ine construxerat, sed quia juvenis prædictus Ealbriht castrum introierat, qui regius hostis erat, Edelburh regina, uxor Ine, castrum cepit armis, captumque destruxit, et eum fugere compulit in Sudrei. Eodem anno Withred, rex Centensis, cum per XXXIV annos pene regnasset, defunctus est, tres filios, Edilbertum, Edbertum, Aeilricum, relinquens hæredes. Circa hoc tempus Thobias Rovensis episcopus, Theodori archiepiscopi et abbatis Adriani discipulus, exspiravit, cui successit Aldulfus.

Ine, rex potens et felix, relinquens Adelardo cognato suo regnum, Romam petiit, et ibi peregrinans in terris stipendia promeruit in cœlis. Hujus autem regis tempore, ut mundi volubilitas quam velox sit ex hinc perpendatur, fuerunt imperatores Justinianus minor, qui regnavit decem annis; Leo, qui regnavit tribus annis; Tiberius, qui regnavit VII annis; Justinianus secundus, qui regnavit sex annis; Philippus, qui regnavit anno et dimidio; Anastasius, qui regnavit tribus annis; Theodosius, qui regnavit uno anno; Leo, qui regnavit novem annis; Constantinus etiam, cujus regni anno tertio Ine Romam profectus est. Apostolici autem in ejus tempore hi fuerunt : Sergius papa, Joannes, alius Joannes, Sisinnius, Constantinus, Gregorius, cujus tempore rex Ine sponte victor cupiditatis exsulavit. Reges autem Francorum hi fuerunt ex ordine tempore ejus : Rex Childericus, rex Theodoricus, rex Clodoveus, rex Childebertus, rex Dagobertus. Tempore etiam hujus regis cœli palatia conscenderunt sanctus Heddi, episcopus Wincestrensis; sanctus Gutlacus, eremita Croilandensis; sanctus Joannes, Eboracensis archiepiscopus. Reges vero contigui Cedwalla et Ine, magni viribus, quod commune fuit eis cum belluis; majores vero sanctitate, quod proprium est angelorum et hominum sed paucorum, egregie fecerunt. Unde beatos dicent eos omnes generationes, sicut et duo reges contigui Merce fecerunt, scilicet Edelred et Cenred : qui, relictis omnibus bonis falsis, verum et summum bonum, quod Deus est, adepti sunt. Reges ergo terræ præsentes imitamini reges prædictos sapientes et beatos, non furiosos et infelices, quorum distinctionem opera et finis operum in præsenti tractatu demonstrant. Quatuor ergo reges prædicti luminaria sunt omnibus regibus terræ, ut boni quos imitentur habeant, mali unde excusentur non habeant. Vos etiam, qui reges non estis, reges prædictos imitamini, ut cœli reges efficiamini. Si enim cum illi majora reliquerunt, vos minora relinquere nolueritis, sancti reges prædicti vestræ damnationis judices erunt.

Adelhard rex Westsere primo anno regni sui pugnavit contra Oswald juvenem de regia stirpe, regnum idem sibi acquirere conantem. Oswald namque filius fuit Adelbold [*al.* Ædelbold], filii Chenebold, filii Cudwine, filii Ceaulin, filii Chinric [*al.* Cinric]. Cum autem juvenis, impar numero regalibus turmis, pondus prælii diu pertulisset, et ultra non posset, fuga regi regnum reliquit. Rex igitur prædictus in regno confortatus est.

Adelhardi regis anno tertio, apparuerunt duæ cometæ circa solem terribiles; una quippe solem præcedebat orientem, alia sequebatur occidentem, quasi orienti simul et occidenti diræ cladis præsagæ; vel certe una diei, altera noctis præcurrebat exortum, ut utroque tempore mala mortalibus imminere signarent. Portabant autem faciem ignis contra aquilonem quasi ad accendendum acclivem; apparebantque mense Januario, et duabus ferme septimanis permanebant. Quo tempore gravissima Saracenorum lues Gallias et Hispanias late misera cæde vastabat. Et ipsi post non multo in eadem provincia dignas suæ perfidiæ pœnas luebant. Eodem quoque anno Osricus rex Dordhumbre vitæ discedens, regnum, quod XI annis gubernaverat, Ceolwolfo reliquit fratri illius, qui ante se regnaverat tempore Cenredi regis. Rex autem Ceolwolf VIII annis regnum tenuit. Hic est rex ille, cui Beda vir sanctus et venerabilis, vir ingenii florentis et Christi philosophus ecclesiasticam historiam Anglorum scripsit : qua regi missa, quantum profecerit finis beatus regis ostendit.

Adelardo regnante quinque annis, Britwoldus

Digitized by Google

archiepiscopus pene XXXVIII annis obiit, et Tadwinus, qui fuerat presbyter apud Bredune in Merce factus est archiepiscopus. Illum autem sacraverunt viri beatæ memoriæ Inguald Londoniensis episcopus, et Daniel Vintoniensis episcopus, et Aldulf Rovensis episcopus, et Aldwine Licesfeldensis episcopus. Post biennium vero Ædelbold rex Merce fortissimus, congregato terribili exercitu, obsedit Sumerton castris dispositis per gyrum; cumque non esset qui auxilium inclusis inferret, vel includentibus resistere posset, eam recepit in suam. Edelbald igitur rex Mercensis maxima virtute super reges coætaneos provectus, omnes provincias Angliæ usque ad Humbram flumen cum suis regibus sibi subjectas esse voluit, et fecit. Eodem anno sol obscuratus est.

Adelhardi regis anno VIII, Tadwinus archiepiscopus, vir religione et prudentia insignis sacris quoque litteris nobiliter instructus, hominibus ultra non apparuit. Ascendit autem in loco ejus Egbricht [*al.* Ecgbrith], recepto Romæ pallio. Anno eodem venerabilis Beda semper mente inhabitata cœli conscendit palatia. Qui regia virtute sua et aliorum vitia compescens, cum regibus ipsis inferior non sit, dignissime regum in ordine quasi rex ponatur.

Beda igitur presbyter monasterii, quod est ad Wiremudham et Ingirvum, a Benedicto abbate ejusdem loci, ac deinde Ceolfrido educatus et eruditus, semper Scripturis studuit; reliquit autem mundum anno LXII ætatis suæ, senex annis et sapientia, et plenus dierum non in vano consumptorum: quod apparet in operum suorum numero. Scripsit ergo, a principio Genesis usque ad nativitatem Isaac, libros tres; de tabernaculo et vasis ejus et vestibus, libros tres; in primam partem Samuelis usque ad mortem Saulis, lib. quatuor; de ædificatione templi allegorice, duos; de libris Regum libram 30 *Quæstionum;* in Proverbia Salomonis, tres; in Cantica canticorum, sex; in Esdram et Nehemiam, tres; in canticum Habacuc, unum; in librum Tobiæ, unum; capitula quoque lectionum Veteris Testamenti; in evangelium Marci, quatuor; in Lucæ, sex; in Apostolum quæcunque in opusculis Augustini invenit cuncta per ordinem transcripsit; in Actus apostolorum, duos; in septem Epistolas canonicas, libros septem; in Apocalypsim, tres. Item capitula lectionum in totum Novum Testamentum, excepto Evangelio; item librum Epistolarum ad diversos; item *De historiis sanctorum;* item *De vita sancti* Cutberti primum heroice, postea plano sermone; item *De vita abbatum* monasterii sui, duos; item *Martyrologium;* item librum *Hymnorum;* item librum *De temporibus;* item librum *De metrica arte;* et *Historiam ecclesiasticam Anglorum* in libris quinque, in qua pie perorat, ut apud omnes legentes, fructum intercessionis inveniat.

De statu autem ecclesiastico in suo tempore ita idem Beda ait: In præsenti Cantuariensis archiepiscopus est Tadwine; Rovensis episcopus Aldulfus; Londoniensis Ingualdus. Super orientales Anglos sunt Edbertus et Hedhelac episcopi; super Merce est Aldwinus episcopus; super gentem quæ ad occidentem Sabrinæ amnis habitat, est Walsted episcopus; in provincia Vicciorum est Wilfridus episcopus; in provincia Lindisfarorum Chinebertus. Vecta insula ad Danielem episcopum Ventæ pertinet; et provincia australium Saxonum, jam aliquot annis sine episcopo, eumdem colit. Sub rege vero Ceolwolfo sunt quatuor episcopi, Wilfrid Eboracensis, Edelwold Lindisfarnensis, Acca Haugustaldensis, Wettelmus in Candida Casa, quæ nuper pontificata ipsum primum habet antistitem. Rex vero Cent est Eadbriht; rex Westsere Ædelhard [*al.* Ædelred]; rex Estanglorum Selred; rex Dordhumbre Ceolwolfus; rex Merce Edelbaldus maximus omnium. Anno adventus Anglorum circiter ducentesimo octogesimo octavo, anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo tricesimo quarto, in cujus regno perpetuo exsultet terra, et congratulante in fide ejus Britannia lætentur multæ insulæ (*Psal.* XCVII), et confiteantur memoriæ sanctitatis ejus (*Psal.* XXIX). Huc usque auctoritatem venerabilis Bedæ presbyteri in hac nostra historia contexenda secuti sumus, et maxime in iis omnibus, quæ de rebus ecclesiasticis dicta sunt; in aliis etiam semper quantumcunque potuimus. Hinc igitur, quæ in scriptis veterum diligenti scrutinio collectis invenire potuimus, ad instructionem posteritatis litteris mandare studuimus. Namque sicut in prologo historiæ Anglorum doctissimus Beda testatur: *Vera lex historiæ est simpliciter id quod, fama vulgante, colligitur, scribendo posteris notificare.*

Adelardi regis anno decimo Nottelmus archiepiscopus accepit pallium a papa; nec longe post Forthere episcopus et Frigedida [*al.* Fridegia] regina, relictis possessionibus splendidis et deliciarum voluptatibus, Romam profecti sunt. Quod iis temporibus plures de gente Anglorum nobiles, ignobiles, clerici, laici, viri ac feminæ, certatim facere consueverunt. Eo etiam tempore Adilwaldus Lindisfarnensis episcopus vivendi finem fecit; post quem episcopatus honorem Chenewolf adeptus est. Nec segnius venerabilis Acca presbyter et Haugustaldensis postea præsul corporeis rebus exutus est.

Adelardi regis anno XI Ceolwolf rex nobilissimus Nordhumbre nobilissime fecit. Ceolwolf namque fuit filius Cudha, filii Cudwine, filii Ledwold, filii Egwold, filii Aldelin, filii Ocche, filii Idæ regis. Ceolwolf igitur, cum sæpe viventi Bedæ colloqueretur, et sæpe ante mortem ejus, et post mortem historiam ejus ad se scriptam oculis adhiberet, cœpit diligenter regum singulorum facta et finem secum discutere, viditque luce clarius *regna terrena et res humanas cum labore perquiri, cum timore possideri, cum dolore amitti.* Et quia quibusdam minus callidis, vel ætate teneris videntibus temporalia pulchra

Digitized by Google

et delectabilia, cum audierint prædicari ea deserenda et temnenda, videtur frivolum et contra rationem, quia nondum perceperunt quomodo mordeant mundi divitiæ, quomodo ad nihilum deveniant, et fructum tandem nullum nisi seram pœnitudinem generent. Horum nihil regem callentem et expertum impediebat. Senserat enim in scipso regnum sibi cum labore fuisse perquisitum, cum timore possessum; noluit vero cum dolore amittere. Sponte igitur divitiarum non servus, sed dominus, quasi magnus viles abjecit. Maxime autem accenderat eum quod, cum pueri vel mulieres vulgusque vel etiam ditiores prosilirent ad eum conspiciendum et ejus beatitudinem mirandam, ipse horribilibus curis necis et proditionis et multimodæ calamitatis intus cruciabatur, et animo et corpore decoquebatur. Cumque alii judicarent eum beatissimum, ipse qui solus animi sui secreta noverat judicabat se miserrimum; cum ergo parvo spatio, id est octo annis regnasset, permaximum visum est ei, et valde anxiatus est quod tanto tempore vitam suam amiserit curis vanis et disciplinis fragilibus deditam; reliquum autem saltem vitæ suæ non erroneæ stultitiæ sed sapientiæ et utilitati propriæ dicare certavit. Exemplumque assumens ex historia beati viri prædicta, sex reges fortissimos vir vere fortissimus prosecutus est, scilicet Edelredum regem Merce, et Cenredum successorem ejus, nec non Cedwallam regem Westsere, et Ine successorem ejus, sed et Sigebertum [*al.* Sibrectum] regem Estangle, qui monachus effectus est, quem postea Penda occidit, et Sebbi regem Estsere, qui monachus effectus diem jucundum mortis suæ prævidit, vidit et gavisus est. Isti non devorarunt substantias suas cum meretricibus, sed cuntes cum dolore semina sua seminaverunt, ut venientes veniant cum exsultatione suos Deo manipulos afferentes (*Psal.* cxxv). Complevit ergo Ceolwolfus hebdomadam regum perfectorum, et, habitu monachali suscepto, capiti ejus corona de lapide pretioso imposita est a Domino (*Psal.* xx). Egbricto [*al.* Ædbricto] vero cognato suo regni sceptra reliquit. Egbrictus namque fuit filius Eccæ [*al.* Etatæ], filii Ledwoldi [*al.* Lethwoldi], regnavitque II annis. In hoc regum commercio Edelbold rex superbus Mercensis, alterius vir animi, et ideo aliusmodi deditus fini, spreta sanctificatione, gladiisque jura postponens, introivit Nordhumbre, et cum non esset qui ei resistere posset, præda arrepta, quantam voluit secum ad suos transvexit.

Adelhardus rex decimo quarto anno regni sui mortuus est, et regnavit Cudred cognatus ejus pro eo super Westsere sexdecim annis. Edelbaldus vero rex superbus sæpe cum nunc seditionibus, nunc bellis affligebat. Fortuna autem varia vicibus variis modo hunc modo illum Martis eventibus extollebat. Aliquando vero pacem inter se statuebant, quam brevi tenentes spatio denuo debellabant. [*al.* rebellabant]. Eodem anno Egbert [*al.* Ædbert] sacratus est archiepiscopus tempore Zachariæ papæ, et Dun episcopus apud Rouecestre.

Cudredus anno regni sui quarto, et Edelbald rex Merce tunc simul pacificati pugnaverunt viribus conjunctis contra Britannorum undique congestorum innumerabilem multitudinem. Cumque reges fortissimi exercitusque eorum clarissimus inter se divisi, hinc et inde certatim et quasi ex invidia Britannorum phalanges percutientes sternerent, requiverunt tantum bellandi onus perferre Britanni. Fugam igitur eligentes dederunt terga percutientibus, et spolia sequentibus. Reges autem victoriosi remeantes ad sua, triumphalibus gaudiis suscepti sunt. Anno vero sequenti obiit Wilfrid, qui fuerat episcopus decem [*al.* triginta] annis apud Eboracum. Anno vero eodem visum est signum mirabile in cœlo: stellæ namque hac et illac discurrebant per aera, quod omnibus intuentibus magno fuit monstro. Anno vero hunc sequente decessit Daniel quadragesimo tertio anno, ex quo fuit episcopus. Anno etiam hos prædictos sequente rex Selred vitæ ademptus est: scripta namque veterum, quod hoc anno occisus fuerit, dicunt; quomodo autem, vel a quo occisus fuerit, non dicunt.

Cudredi anno nono occisus est Kinric filius ejus, armorumque decus, debellatorque ferarum; ætate tener, sed armis acer; annis parvus, sed vigore magnus. Qui cum successibus suis instaret, fortunamque Martis nimis sollicitaret, immoderationem animi cædes militari seditione illata punivit. Eodem anno obiit Edbrit rex Centensis, qui regni infula XXII annis potitus fuerat.

Cudredus anno undecimo regni sui pugnavit contra Edelhun audacissimum consulem. Qui seditionem movens in dominum, licet numero militum longe domino debilior esset, diu tamen et gravissime Martio perstitit in campo; probitasque consulis excelsa loco millium fuit. Cumque ei jam pene victoria lætis applauderet alis, infixum tandem corpori vulnus, et animo perjurium, justam regis causam triumphare compulerunt.

Cudredus decimo tertio anno, cum jam regis Edelboldi superbas exactiones et insolentiam ferre non posset, occurrit ei cum legionibus vexillatis apud Nereford [*al.* Bereford] omni spe vivendi postposita libertati. Adduxit autem secum Edelhun prædictum consulem jam sibi concordem; cujus viribus fretus, et consilio belli discrimen ingredi potuit. Edelboldus vero, rex regum, cum Mercensibus Centenses adduxerat, orientalesque Saxones et Anglos, copiasque multiplices. Aciebus igitur dispositis cum in directum tendentes appropinquarent, Edelhun præcedens Westsexenses regis insigne draconem scilicet aureum gerens transforavit vexilliferum hostilem. Unde, clamore orto, pars Cudredi valde confortata est, statimque acies sibi invicem offenderunt. Ergo tonitruum belli, scilicet offensionis armorum et sonitus ictuum clamorisque

Digitized by Google

cadentium terribiliter exarsit, bellum maximum et inæstimabile incipitur. Quod vel Mercenses, vel eos Westsexe usque in longam posteritatem vincenti supponeret. Videres igitur acies loricis crispantes, galeis acutas, lanceis hirsutas, vexillis depictas, auro resplendentes, parvo tempore sanguine perfusas, lanceis cassas, ruina dissipatas, cerebris aspersas, visu horrendas; congregantes autem se ad vexilla utrinque procaces et fortissimi, gladiis et securibus Amazonicis rem agentes, acies aciebus funeste irruebant. Memoria fugæ nulla, spes victoriæ utrinque certa, Mercenses superbiæ tumor invitabat, Westsexas servitutis horror accendebat. At ubicunque consul prædictus aciebus se infigebat, via ruinarum patebat, dum securis ejus timendissima modo fulminis corpora finderet et arma. Rex fortissimus autem Edelboldus quacunque ruebat strages hostilis fiebat, dum gladio ejus invictissimo essent arma pro veste, ossa pro carne. Cum igitur quasi duo ignes diversis in partibus impositi obstantia quæque consumerent, contigit ut sibi obviam rex et consul venirent. Uterque vero alteri terribilis corpore infrenduit, dextram excussit, se in armis collegit, et ictibus universis arma obstantissima pares lacessunt. Deus autem, qui superbis resistit, a quo robur, fortitudo, et magnanimitas procedit, gratiæ suæ regi Edelboldo terminum posuit, animoque regis confidentiam solitam dempsit. Cum igitur nec animum suum nec vires ipse recognosceret, pugnantibus adhuc suis, a Domino omnipotenti territus fugam primus incepit. Nec ab hac die usque ad mortis suæ tempora prosperum aliquid ei Deus permisit. Quarto siquidem post hunc anno rursum pugnans apud Secandune non sine mirabili exercituum ruina fugam dedignans occisus est. Occisus apud Secandune, sepultus est apud Repandune; sic itaque rex validissimus cum quadraginta et uno annis regnasset superbiæ immoderatæ pœnas exsolvit. Regnum vero Westsexe ex hoc tempore valde roboratum crescere usque in perfectum non destitit.

Cudredus quartodecimo anno regni sui pugnavit contra Britannos, qui victori regis Edelboldi, ut prædictum est, frustra resistentes cito fugam inceperunt, clademque maximam sine hostium detrimento digne pertulerunt. Anno sequente, Cudredus rex magnus et excelsus, tot prosperitatibus et victoriis potitus, mortis inclementia lætitiam finivit.

Sigebertus regis prædicti cognatus successit ei, sed brevi tempore regnum tenuit. Namque ex præcessoris sui eventibus tumefactus et insolens, etiam suis intolerabilis fuit. Cum autem omnibus modis male tractaret cos, legesque vel ad commodum suum depravaret, vel pro commodo suo devitaret, Cumbra consul ejus nobilissimus prece totius populi querimonias eorum regi fero intimavit. Quem, quia regem suaserat ut levius populum regeret, et inhumanitate deposita, Deo et hominibus amabilis appareret, mox impia nece jussit interfici, populoque sævior et intolerabilior tyrannidem augmentavit.

Sigebertus rex in principio secundi anni regni sui, cum incorrigibilis superbiæ et nequitiæ esset, congregati sunt proceres et populus totius regni, et provida deliberatione, et unanimi consensu omnium expulsus est a regno. Kinewlf vero, juvenis egregius de regia stirpe oriundus, electus est in regem. Sigebertus vero rex fugatus a suis non minora meritis metuens, in silvam magnam, quæ vocatur Andredeswald, fugiens se abscondit, ubi quidam porcarius Cumbræ consulis, nequiter, ut diximus, interfecti, regem absconsum invenit, inventum cognovit, cognitum domini sui vindex occidit. Ecce manifestum Domini judicium, ecce quomodo Domini justitia non solum in futuro sæculo, verum etiam in isto digna meritis recompensat. Eligens namque reges improbos ad contritionem promeritam subjectorum, alium diu insanire permittit, ut et populus pravus diu vexetur, et rex pravior in æternum acrius crucietur, veluti Edelboldum regem Merce præfatum; alium vero cita disterminatione præoccupat, ne populus suus nimia tyrannide oppressus non respiret, et immoderata principis nequitia, citissimas ultionis æternæ debito pœnas incurrat, veluti Sigebertum hunc, de quo tractamus. Qui quanto nequior exstitit, tanto vilius a subulco interfectus, a dolore in dolorem transiit. Unde domini justitiæ æternæ laus et gloria nunc et semper.

Kinewlfi regis, anno primo Edelboldo regi Merce successit Beornred in regnum, sed brevi. Offa enim eodem anno fugavit eum, regnavitque super Merce XXXIX annis. Offa, juvenis nobilissimus fuit; filius quidem Wingferd, filii Eanwlf, filii Osmod, filii Epa, filii Wippa, filii Creada, filii Kinewald, filii Cnibba, filii Icil, filii Eomer, filii Ageltheu, filii Offa, filii Weremund, filii Withlad, filii Woden. Offa strenuissimus rex fuit; vicit namque Centenses prælio, vicit quoque Westsexas prælio, vicit quoque Nordhumbros prælio. Offa fuit vir religiosus: transtulit namque ossa sancti Albani in monasterium quod construxerat, multisque modis ditaverat, deditque vicario beati Petri Romanæ urbis pontifici redditum statutum de singulis domibus regni sui in æternum.

Kinewlfi regis anno tertio Eadbert rex Nordhumbre videns regum prædictorum Edelboldi scilicet et Sigeberti vitam ærumnosam et finem infaustum, Ceolwlfi vero prædecessoris sui vitam laudabilem et finem gloriosum, meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab eo. Regno namque relicto, tonsuram capitis æternum diadema generaturam suscepit, furvasque vestes æthereum splendorem collaturas induit. Iste est octavus regum illorum, qui regna sua pro Christo sponte dimiserunt, imo, ut verius dicam, pro regno æterno commutarunt, quibus octo beatitudinum jucunditas perennis multi-

plici delectamento ineffabiliter jucundatur, quorum strenuitatem imitari beatorum est (*Matth.* v). Successit autem in regno Osulf filius suus ; sed cum uno anno regnasset a familia sua nefanda proditione occisus est. Post quem Mol Edelwold regnavit sex annis. Circa hoc tempus Cudbrictus archiepiscopus vitæ demptus est.

Kinewlf cum VI annis regnasset, Edelbricht rex Centensis metas vivendi attigit. Eodem anno Ceowlfus, tunc monachus, sed quondam rex non hic obiit, sed hinc abiit, stipendia mirabilia recepturus. Anno vero sequente, Mol, rex Nordhumbre, interfecit Oswine fortissimum ducum suorum, qui committens prælium erga dominum suum apud Eadwinescliue [*al.* Edwinescliue] jure gentium spreto, jure Dei occisus est. Anno vero sequente, Jambeth factus est archiepisc. Eborac. Tunc etiam Fridwald, episc. Ceastrensis, vivere destitit, qui factus fuerat episc. VI anno regni Ceolwolf. Eo tempore Witwine factus est episc. Witern. Mol vero, cum VI annis regnasset, regnum Nordhumbre dimisit : post quem Alred VIII annis regnavit. Cujus regni anno II animas emiserunt Egbert archiepisc. Eborac., cum archiepisc. fuisset XXXVI annis, et Friderbertus episcopus Haugustaldensis, cum episcopus fuisset XXXIV annis. Edberto archiepisc. successit Adelbert ; Frideberto episcopo successit Alcmund. Anno IV Alredi regis, obierunt Pippinus rex Francorum et Stephanus papa Romanorum, et Eadbert filius Eatæ [*al.* Eccæ], dux famosissimus Anglorum.

Anno gratiæ 769, Kinewlfi vero regis anno XV, incœpit fieri mutatio dextræ Excelsi (*Psal.* LXXVI) ; imperium namque Romanum, quod tot annis in se præcellentissimum fuerat, Carolo regi magno Francorum subjectum est post XXX annos regni ejus, quod in hoc anno incœperat et successoribus ejus usque ad hunc diem exinde contigit.

Kinewlfi regis anno XX pugnavit rex Offa cum Mercensibus contra Centenses apud Oxenford ; clade autem horrenda utrinque peracta, belli successibus Offa clarus effulsit. Eodem anno Nordhumbri fugaverunt regem eorum Alred ab Eouerwic in hebdomada paschali, et elegerunt sibi in regem Edelred filium Mol, qui regnavit annis IV. Hoc autem anno visa fuerant in cœlo rubea signa post occasum solis, et horrendi serpentes visi fuerunt in Sudsere cum magna admiratione. Secunda autem ab hoc anno Saxones antiqui, unde gens Anglorum descendit, ad fidem conversi sunt. Quo anno Witwine episcopus Witterne XXIV anno episcopatus sui morte affectus est.

Kinewlf XXIV anno regni sui pugnavit contra Offam circa Benetune ; Martis autem casu minoratus loco secessit, et Offa rex castrum idem in jura sua redegit. Eodem anno Edelbert sacratus est apud Eouerwic episc. in Witterne. *Anno sequente, Edelbald, et Herbert duces regis Nordhumbre rebellantes domino suo, occiderunt Aldulf filium Bose regalis exercitus primatem, Martis congressibus apud Kingscliue, et postea duces regis Kinewlf et Eggan prælio ingenti occiderunt duces prædictos apud Hilathirnum.* Rex autem prædictus Adelred, ducibus suis et spe amissis, fugit a facie eorum ; illi vero constituerunt Alfwld in regem, qui regnavit decem annis. Anno autem hunc sequente principes et præpositi Nordhumbre, quemdam consulem et justitiarium suum, quia rigidior æquo exstiterat, combusserunt. Eodem anno Edbert archiepisc. obiit in Cestre, cui successit Enbald. Eodem anno Kinebold factus est episcopus Lindisfarnensis. Eodem anno antiqui Saxones, et Franci pugnaverunt ; Franci vero vicerunt. Anno vero proximo rex Nordhumbre Alfwd misit Romam propter pallium, et dedit Embaldo archiepiscopo. Tunc Alcmundo episcopo Hangustoldensi defuncto Tilbeth successit. Carolus eo anno Romam ivit. Circa hoc tempus concilium fuit apud Acle.

Kinewlf, cum regnasset XXVI annis, et contra Britannos victoriosus multa gessisset prælia, et eos ex omni parte domasset, tandem exsulare statuit adolescentem Kineard, fratrem Sigeberti. Ipse autem impetiit regem apud Weretune, ubi private perrexerat ad quamdam mulierem. Rex autem id comperiens in ostio viriliter se defendebat, donec conspecto juvene foras exiliens vulneravit eum, et omnes socii ejus in regem pugnantes interfecorunt eum. Clamore autem audito, milites regis, qui in urbe erant, in juvenem cucurrerunt, renuentesque oblatas ab eo terras et pecuniam, pugnando omnes mortui sunt, præter unum Britannum obsidem graviter vulneratum. Manc autem milites regis, qui circa erant in atrio, ubi rex occisus erat, obsederunt juvenem et suos. Qui dixit eis : « Cognati vestri mecum sunt, vobisque dabo terram et pecuniam secundum cor vestrum, ne pugnetis contra nos ; idem autem sociis vestris obtuli renuentesque perierunt. » Illi autem responderunt nullam pecuniam chariorem domino suo esse iis, neque domini sociorumque sanguinem ulturos, irrumpentesque gravi prælio in portam juvenem et LXXXIV, qui cum eo erant, interfecerunt. Remansitque solus filiolus juvenis, vulneratus tamen. Kinwlf igitur XXXI anno regni sui sepultus est apud Wincestre, juvenis autem apud Acsemminster.

Brictrich, qui etiam de progenie Certici sæpe dicti regis erat, post Kinwlfum regnavit super Westsere sexdecim annis, cujus anno secundo Adrianus papa misit legatos in Britanniam ad renovandam fidem quam prædicaverat Augustinus. Ipsi vero honorifice a regibus et populis suscepti, super fundamentum stabile ædificaverunt, pulchre Christi misericordia cooperante. Tenuerunt autem concilium apud Cealtide, ubi Jambert dimisit partem episcopatus sui, ibi etiam Higebrit electus est ab Offa rege. Eodem anno, Egfert [*al.* Egferd], sacratus est in regem Kentensis provinciæ. Anno vero sequente qui est

Digitized by Google

annus gratiæ septingentesimus octogesimus sextus, apparuit signum crucis in vestibus, quod dictu et auditu sæculis omnibus videri potest mirabile. Factumne igitur fuit ad demonstrationem motionis Ierosolymitanæ cum crucibus assumptis, quæ facta est post trecentos et novem annos, tempore Junioris Willielmi, aut potius factum est ad correctionem gentium, ne plagam Dacorum, quæ proxime secuta est, correcti perferrent? Nos autem nihil temere definimus, sed Domini secreta Domino relinquimus.

Brictricus anno regni sui quarto duxit in uxorem Eadburh filiam regis Offæ Derce; unde confortatus est in regno, et provectus in superbiam. His autem diebus venerunt Daci cum tribus puppibus in Britanniam prædicationis causa. Quod præpositus regis illius provinciæ videns, occurrit eis debito securius, ut comprehensos ad regium duceret castrum. Nesciebat autem qui essent, qui appulerant, vel cur appulissent. Statim vero immistus eis occisus est. Hic primus fuit Anglorum cæsus a Dacis, post quem multa millia millium ab iisdem cæsa sunt, et hæ puppes primæ fuerunt, quas huc Daci adduxerunt. Anno sequenti convenit concilium apud Nordhumbre in Wincenhale.

Brictrici regis VI anno congregata est synodus apud Aclea [*al.* Adea], Sigan vero occidit nefanda proditione Alfwld regem Nordhumbre. In eo autem loco, ubi rex amicus Domini occisus est, lumen cœleste sæpe visum est, et ipse sepultus est in ecclesia apud Hangustaldam: post quem Ofredus regnare incœpit, sed anno sequenti proditus est, et a regno fugatus, et Edelred filius Mol item regno est restitutus. Ofredus vero IV anno postquam rex fuerat, cum congregatis viribus rediret, ut Edelred, per quem expulsus fuerat, regno expelleret, inter eumdem captus est et occisus, et sepultus est Tinemuthæ. Quam bene igitur dixit, qui dixit :

. . . . . O cæca futuri
Mens hominum!
(Lucan. XI, 14.)

Cum enim juvenis prædictus Osred tripudians et lætabundus rex fieret, quam parum æstimabat se, anno II regali sede, anno vero IV vitali luce privandum, unde semper inter prospera solliciti simus, ignari scilicet quam prope sint adversa. Ea tempestate Offa rex Merce præcepit amputari caput S. Edelbricti. His etiam Lambrih archiepiscopus ultra non vixit, et abbas Edelred electus est in archiepiscopum. Eubaldus vero archiepiscopus Eboracensis sacravit Baldulf episcopum apud Witerne.

Brictrici anno X visi sunt flammei dracones, volantes per aera, quod signum duæ pestes secutæ sunt : primo maxima fames, postea gens pagana a Norwegia et Dacia veniens, quæ prius gentem Nordumbrensem misere destruxerunt, et post in Lindisfarnensi provincia ecclesias Christi cum inhabitantibus horribiliter destruxerunt in Idibus Januarii. Qua etiam tempestate Sigga dux, qui Alfwold regem beatum indigne prodiderat [*al.* prodierat], digne deperiit.

Brictrici regis anno XI Nordhumbri regem suum Edelred occiderunt, qui anno eo, quo rex Ofredus occisus fuerat, in superbiam elatus, sua relicta novam duxerat uxorem, ignorans quod et ipse post biennium perimendus esset, brevisque regni gaudium mortis desolatione tam cito terminandum foret. Post quem Ardulf regnum Nordhumbre suscepit. Hunc igitur Eubaldus archiepiscopus, et Edelbertus episcopus, et Higebaldus episcopus, et Baldulfus episcopus sacraverunt in regem, et elevatus est in regia sede apud Eboracum. Nec multo post obiit Eubaldus archiepiscopus apud Eboracum, cui successit alter Eubaldus. His diebus Adrianus papa et rex magnus Offa vitæ metas attigerunt. Postea Egfert filius Offæ regnavit super Merce, et CXLI die mortuus est; cui successit rex Cenwelf. Eodem anno Eadbrict vocatus alio nomine Pren adeptus est regnum Centense; gens vero pagana prædaverunt Nordhumbre, et monasterium Egfert spoliaverunt apud Donemuth. Tunc vero, occurrentibus eis nobilissimis et bello assuetissimis Anglorum, ducibus eorum occisis, victi ad puppes fugerunt. Cum vero in puppibus fugiendo perseverarent, aliquæ earum per tempestatem fractæ sunt, et multi virorum naufragati sunt; quidam vero viventes capti sunt, et juxta littus capite privati sunt. Nec multo post Cenwolf, rex Merce, Centensem provinciam transverberans prædatus est, regemque eorum Pren viribus sibi imparem, et ideo per latibula et divortia delitescentem comprehendit, et victum victoriosus secum reduxit.

Brictrici regis anno XIV Romani amputaverunt linguam Leonis papæ, et oculos sibi eruerunt, eumque a sua sede fugaverunt. Sed ipse (ut scripta tradunt) per Domini misericordiam iterum videre et loqui potuit, rursusque papa effectus est. Post triennium vero Carolus rex factus imperator et a Leone papa sacratus damnavit morti illos, qui papam dehonestaverant; sed postea precibus papæ mortem indulsit, et in exsilium eos retrusit. Post triennium quoque defecit Brithric rex Westsere. Hoc in tempore fuit magnum prælium in Nordhumbre apud Wellehare, in quo periit Alric filius Heberti [*al.* Hereberti], et alii cum eo multi. Singulorum autem bellorum gesta, et fines, et modos ad plenum determinare nimietas prolixitatis necessario prohibet. Gens enim Anglorum naturaliter dura erat et superba, et ideo bellis intestinis incessanter attrita.

Egbricht, anno gratiæ 800, numero octavus, regum fortissimorum, quos in libro II prærogativa singularis excellentiæ notavimus, regnavit XXXVII annis et sex mensibus super Westsere, quem juvenili quidem ætate Brictrich præcessor ejus et Offa rex Merce ab hac terra fugaverant : exsulavit igitur III annis cum rege Francorum, nobiliter tamen et egregie. Defuncto autem rege prædicto, cum reversus regnum suscepisset, eodem die Edelmund [*al.* Adelmund] consul regressit a Wicum, et veniens Kinemeresford obviavit Wicstan consuli cum Wil-

Digitized by Google

atis, et illico simul pugnaverunt, et ambo consules occisi sunt, et Wilsates vicerunt. Quarto post hunc anno decessit Edelred archiepisc. Centensis, et Wolfred loco suo sacratus est. Inde vero post biennium Cudred rex Centensis vitali privatus aura; anno vero sequenti Hardulf rex Nordhumbre fugatus est a regno suo.

Egbricht XIV anno regni sui prædavit in regnis Britonum ab oriente usque ad occidentem, nec fuit qui ejus immanitati vel conaretur resistere. Anno autem huic proximo, Parolus rex Francorum et imperator Romanus vita exierat. Anno autem huic S. Leo papa venerabilis corpus deposuit, et Stephanus ei successit; Stephanovero Paschalis. Post parvum vero spatium temporis Cenwolf rex Merce morti datus est. Post quem regnavit Ceolwolf in loco ejus. Sed III ab hoc anno regnum amisit, et Beornwolf sibi illud occupavit.

Egbricht XXIV anno regni sui commisit prælium contra Beornwolf regem Merce apud Ellendune; unde dicitur: *Ellendune rivus cruore rubuit, ruina restitit, fetore tabuit.* Ibi autem maximo gentis exterminio utrinque peracto, Egbricht victor funestus exstitit. Inde vero successus urgens suos, et fortunæ instans, misit Adelwolf filium suum, qui postea rex devenit, Alcstan [*al.* Healestan] episcopum, et Walard consulem cum magno exercitu in Cent, qui fugaverunt regem Balred ultra Tamesin. Tunc ergo populos Cantiæ, et Sudriæ, et Sudsere, et Estsere, rex Egbricht in dominium suscepit, quos prius cognatus suus Pren injuste amiserat. Hoc etiam anno, rex Estangle cum gente sua recepit Egbricht regem in patronum: et postea hoc eodem anno Estangli occiderunt Beornwolf regem Merce, cui successit Ludecen. Eodem anno maximum prælium fuerat inter Britones et gentem Davenescire apud Gavelford, ubi multa millia utrinque corruerunt. Anno vero proximo, Ludecen rex Merce et quinque consules cum eo occisi sunt.

Egbricht XXVII anno regni sui fugavit Wilaf regem Merce, qui regi Ludecen successerat, regnumque sibi acquisivit. Cum ergo obtineret omne regnum ex australi parte Humbre duxit exercitum contra Nordhumbras apud Dore. Illi vero regi magno devote concordiam offerentes et subjectionem, pacifice separati sunt. Anno vero sequente, rex Egbricht misericordia motus concessit Wilaf, ut regnum Merce teneret sub eo. Et inde rex Egbricht duxit exercitum in Nordwales, et eam sibi patrocinio armorum subdidit. Anno vero sequente, Wilfrido archiepiscopo Centensi defuncto, Celnod [*al.* Ceolnod] successit.

Egbrichti regis anno XXXIII redierunt Daci in Angliam, XXXVIII anno postquam apud Donemutham victi et fugati sunt. Primum igitur prædaverunt Sepeige. Rex vero Egbricht pugnavit cum exercitu suo contra eos, qui triginta et quinque maximis puppibus advecti fuerant anno sequente apud Carrum, et ibi Dacenses alea belli prævaluerunt; et duo episcopi scilicet Herefert et Wigfert, et duo duces, scilicet Dudda et Osmod perierunt. Anno vero sequente venit exercitus Dacorum navalis in Westwales; et Walenses cum Dacis coadunati sunt, et contra regem Egbricht insurrexerunt. Rex vero secunda usus fortuna Dacos et Walenses contritione contrivit, et triumphose fortissimos fugavit apud Hengistendune [*al.* Hengistesdune.] Anno his proximo, Egbricht rex et monarcha Britanniæ fatis concessit. Regnorum, quæ in manu propria tenebat, filios fecit hæredes, Edelwolfum super Westsere, Edelstan vero super Cent et Sudsere et Estsere. Sed cum jam ad monarchiam Angliæ pervenimus, et ad plagam horribilem, quæ per Dacos illata est, liber proprius rebus novis donandus est.

Verum, ut in libro secundo factum est, ea, quæ in hoc libro dicta sunt, breviter repetenda sunt: et regnorum singulorum progressio ex ordine dirigetur, ut quod confusum est in tot regum commistionibus, hæc abbreviatio diligenter elucidet. Unde cum lectori gratior exstitero, fructum laboris desiderabilem, Domini gratia percipiam.

Hæc est abbreviatio de regibus Cantuariæ in hoc libro prætractatis.

Lotharius regnavit duodecim annis, et pugna australium Saxonum neci traditus est.

Eadricus regnavit anno et dimidio, extraneus a regali prosapia.

Nidred et Wibbehard similiter extranei regnaverunt VI annis et repulsi sunt.

Withred, de regia stirpe ortus, regnavit XXXIV annis in pace, et cum rege Ine concordiam fecit.

Edbriht, filius Witredi, cum duobus fratribus regnum tenuit XXII annis.

Edelbriht sceptro regni potitus est XII annis.

Egfert regnum idem XXXIV annis, ut conjicere possumus ex scriptis, tenuit.

Edbrit Pren regnavit III annis, et captus est, et abductus a Cenwolfo rege Merce.

Cudred regni insulas obtinuit IX annis.

Balred regnavit XVIII annis, et fugavit eum a regno rex Egbricht Westsere.

Egbrichtus, rex Westsere, regnum conquisitum, dum vixit, obtinens, Adelstano filio suo moriens reliquit: cessavit ergo regia stirps Cantuariæ, et in aliena jura regnum transiit.

Hæc est abbreviatio de regibus Westsere in hoc libro prætractatis.

Cedwalla, cum duobus annis regnasset, Vectam insulam acquisivit; Cent bis prædavit, pergensque Romam in albis mortuus est, et insignia regni commutavit.

Ine regnavit XXXVII annis; vicitque prælio Gerentem regem Walensem, domuitque bello australes Saxones, Romamque petens se feliciter regno deposuit.

Adelhardus, cognatus regis Ine, regnum sibi ab eodem traditum rexit in pace quatuordecim annis,

Digitized by Google

Cudredus regnavit sexdecim annis, vicitque Britannos bis lege prælii et regem Edelboldum.

Sigebertus [*al.* Sigebrictus] crudelis regnavit uno anno, et paulo plus, et a regno juste expulsus, et postea occisus est.

Kinewolf regnavit viginti tribus annis, quem Sigebert [*al.* Sigeberch] frater regis neci tradidit.

Brictricus regnavit XVI annis, cujus tempore primum Dacorum sævitia Britanniam lacessivit.

Egbrichtus regnavit XXXVII annis et prædavit in Britannia ab oriente usque ad occidentem, vicitque Marte Beornwolfum regem Merce, et Balred regem Cantiæ, et regem Wilaf, et Dacos.

Hæc est abbreviatio de regibus Hordhumbre in hoc libro præsignatis.

Alfridus, frater regis Egfridi, doctus in Scripturis, strenuus in bellis, regnavit viginti annis.

Osredus filius ejus regnavit XI annis, et pugnans interfectus est.

Cenred regnavit II annis, et infirmatus mortis celeritate præventus est.

Osricus regnavit XI annis, et vitali luce caruit.

Ceolwolfus, frater Cenredi prædicti regis, regnavit VIII annis, et monachus effectus est. Cujus tempore Beda presbyter venerabilis et Christi philosophus feliciter decessit.

Egbrictus [*al.* Adbrichtus], cognatus ejus, regnavit XXI annis, effectusque monachus fragilem vitam fine glorioso perlustravit.

Osulf, filius ejus, regnavit uno anno, et a familia sua proditus est et occisus.

Mol Edelwold regnavit VI annis, et coactus dimisit illud.

Alredus regnavit VIII annis, et fugatus, depositus est a gente sua.

Adelred [*al.* Aedelred], filius Mol, regnavit tribus annis, et fugit a facie ducum suorum rebellantium.

Alfwold regnavit X annis, quem Sigga dux proditione occidit.

Osred, nepos regis prædicti, regnavit uno anno et a regno fugatus est a suis, et post triennium occisus.

Adelred, filius Mol, iterum regnavit quatuor annis, et occisus est a populo suo semper nequissimo.

Ardulf regnavit XII annis, et a suis fugatus est a regno suo. Postea Nordhumbri, ut apparet, insania nequitiæ præoccupati aliquantisper sine rege fuerunt, et Egbrichto regi concordati sunt.

Hæc est abbreviatio regum Meroe in hoc libro prædictorum.

Edelred [*al.* Adelred], filius Pendæ, regnavit XXIX annis, et gloriose monachus effectus est.

Cenred, cognatus ejus, regnavit V annis, Romamque petiit, et victoriosus monachatum suscepit.

Ceolred, filius Edelredi regis, regnavit octo annis, pugnavitque valide contra regem Ine.

Edelbold [*al.* Adelbald] superbus regnavit XLI annis; hic prædavit Nordhumbre, vicitque gentem Walliæ, præfuitque regibus omnibus Angliæ. Sed tandem a Cudredo rege victus, et postea occisus est.

Beornred uno anno regnum tenuit, sed Offa validus eum aufugavit.

Offa XXXIX annis regnavit. Is regem Westsere Kinewolf bello minoravit, et Centenses, et Nordhumbras.

Egferd, filius Offæ regis, uno ad plenum anno vivere non suffecit.

Cenwolf regnavit XXVI annis pacifice, et mortuus est communi morte.

Ceolwolf tribus annis regnum tenuit, quod tunc ei Beornulf ferox diripuit.

Beornulf uno anno regnavit, et ab Egbricto rege bello victus demarcuit.

Ludicen rex primo anno regni sui cum consulibus quinque suis occisus est.

Wilaf, ab rege Egbricto victus bellando, tributarie sub eo regnum tenuit. Regnum vero Eastangle jam regnis aliis variis modis subjectum fuerat.

PROLOGUS LIBRI QUINTI.

In hujus historiæ principio quinque plagis percussam diximus Britanniam : quarum de quarta, quæ per Dacos facta est, præsenti libro tractabimus. Hæc siquidem longe immanior, longe crudeliar cæteris fuit. Romani namque sibi Britanniam brevi subjugaverunt, et lege dominantium splendide rexerunt. Picti vero et Scoti crebras irruptiones ex boreali parte Britanniæ faciebant, sed nec eam ex omni parte aggrediebantur, nec nunquam perniciose repulsi tempore non pauco ab invasione cessabant. Saxones autem pro viribus paulatim terram bello capessentes, captam obtinebant, obtentam ædificabant, ædificatam legibus regebant. Nec non et Northmanni cito et breviter terram subdentes sibi, victis vitam et libertatem legesque antiquas regni jure concesserunt, de quibus in antea dicendum est. Daci vero terram undique creberrime, diutissime insilientes et assilientes eam non obtinere sed prædari studebant, et omnia destruere, non dominari cupiebant. Qui si quandoque vincerentur, nihil proficiebant victores, cum alibi classis et exercitus major insurgeret; miroque modo, cum reges Anglorum in orientalem partem contra eos pugnaturi tenderent, antequam

Digitized by Google

hostilibus turmis appropinquarent, advolabat nuntius, dicens : Rex, quonam tendis ? Classis paganorum innumerabilis ex australi parte Angliæ littora occupavit, urbesque et villas depopulans, omnia cædi tradit et igni. Eadem die accurrebat alius, dicens : Rex, quo fugam capessis ? Terribilis exercitus in occidentali parte Angliæ appulit, contra quos nisi festinus revertaris, te fugisse existimantes, cæde et flamma a tergo persequentur. Adveniebat eadem die vel crastina nuntius alius, qui diceret : Quo tenditis, proceres ? Daci borealibus plagis appulsi, jam domos vestras combusserunt, jam res vestras asportarunt, jam pueros sursum jactatos lancearum acumine susceperunt, jam conjuges vestras quasdam vi oppresserunt, quasdam secum abduxerunt. Sic tot rumorum miserabili plaga percussi rex et populus manibus et corde dissolvebantur, et tabescebant. Igitur nec cum vincerent, lætitia, ut assolent [al. *assolet*], *erat eis ulla, nec spes salutis aliqua. Cur autem tanto furore Dei justitia in eos exarserit, causa hæc est. In primitiva Angliæ Ecclesia religio claruisse splenduit; ita ut reges et reginæ, duces et episcopi, vel monachatum vel exsilium, ut præmonstravimus, appeterent. Processu vero temporum adeo omnis virtus in eis emarcuit, ut gentem nullam proditione et nequitia sibi parem esse permitterent. Quod maxime apparet in historia regum Nordhumbre. Sicut autem in regalibus gestis impietas eorum descripta est, ita uniuscujusque ordinis et officii homines dolo et proditione insistebant. Nec erat dedecori nisi pietas, et causa dignissima cædis innocentia. Immisit ergo Dominus omnipotens velut examina apium gentes crudelissimas, quæ nec ætati, nec sexui parcerent, scilicet Dacos cum Gothis, Norwagenses cum Suathedis, Wandallos* [al. *Wandalos*] *cum Fresis, qui ab exordio regni Edelwolfi regis usque ad adventum Northmannorum Willielmi regis ductu ducentis triginta annis terram hanc desolaverunt. Qui etiamnon nunquam ex affinitate Britanniæ, Dei vindices et stimuli, Galliam pro meritis crudeliter invaserunt. Sed jam ad historiæ ordinem his explanatis redeundum est.*

LIBER QUINTUS.

Addewlf primo anno regni sui cum ipse adversus hostes prædictos in una parte regni sui persisteret, undique confluente paganorum multitudine, misit Wlfard consulem cum parte exercitus ad debellandum Dacos, qui cum XXXIII navibus apud Hamtonam appulerant, ubi, magna strage hostium patrata, clarissime triumphavit. Misit etiam rex Aedhulf Aedelhem consulem ut pugnaret contra alium exercitum apud Port cum exercitu Westsere. Cumque diu conflixissent, occiso prædicto consule, Daci victores exstiterunt. Anno vero sequente Herebertus consul pugnavit contra eos apud Mercsware, Dacisque vincentibus, suisque fugientibus, occisus est. Eodemque perrexit paganorum exercitus per orientales partes Angliæ, scilicet per Lindesie, et Estangle, et Cantiam, gentique innumeræ vitam ferro rapuerunt. Anno vero hos sequente, terram profundius introiens, exercitus circa Cantuariam et Rovecestriam et Londoniam multitudinem magnam stravit.

Adelwolf quinto anno regni sui cum parte exercitus (divisi namque erant exercitus) pugnavit contra gentem XXXV puppium apud Carrum, Dacique victores fuerunt ; licet enim parvus fuisset numerus puppium, magnus tamen erat puppes maximas numerus ingressorum. Anno vero ab hoc quinto, Alestan [*al.* Alcstan, *vel* Algstan], episcopus venerabilis et dux Ernulfus cum Sumersetis, et dux Ofredus cum Dorsetis pugnaverunt contra Dacos apud Pedredesmuth, et, Deo auxiliante, multos eorum prostraverunt, et victoriæ splendorem obtinuerunt. Adelwolf, decimo sexto anno regni sui et Edelbaldus filius suus, congregatis omnibus copiis, pugnaverunt cum maximo exercitu, qui cum CCL navibus appulerant ad Temesmuth, urbesque præclaras et multis inclytas annis Londoniam scilicet et Cantuariam fregerunt, et fugaverunt Bricwolf regem Merce victum cum exercitu suo, qui nunquam postea viguit. Cui successit Burred in regnum Merce. Ingredientesque Sudreiam regalibus cuneis obviaverunt apud Haclea. Commissum est igitur inter maximos exercitus tantum et tam grave prælium quantum nullus retro audierat in Angliam [*al.* Anglia] commissum. Videres igitur viros bellatores more segetis utrinque ruere, sanguinisque fluvios capita et membra cæsorum secum volvere. Scribere autem singula nonne nimiæ et fastidiosæ prolixitatis esset? Concessit ergo Deus fortunam belli in se credentibus, et inenarrabilem contritionem se contemnentibus. Rex igitur Edelwolfus victor exstitit clarissimus. Eodem anno Edelstan, rex Cantiæ, et dux Ealhere navali prælio contra Dacos pugnaverunt apud Sandwic ; et, magna strage hostium facta, novem puppes eorum ceperunt ; aliæ vero fugerunt. Consul quoque nomine Cheorl cum gente Davenescyre pugnavit contra paganos, multosque percussit, et victor exstitit apud Wienorne [*al.* Wienbeorne]. Hic igitur annus Anglorum genti fortunatus exstitit. Hoc anno primum quidem paganorum exercitus per totam hiemem in hac patria conversatus est [*al.* conversatus est *apud Tenet*].

Adelwlfus decimo octavo anno regni sui adjuvit Burred regem ad subjugandum, sibi Nordwalenses potentissime, sociavitque ei filiam suam in matri-

Digitized by Google

monio. Anno eodem misit rex Adelwolf Aluredum filium suum Leoni papæ Romam quem Leo postea in regem benedixit et loco filii suscepit. Hoc anno dux Ealhere cum Centensibus, et Huda cum Sudrigensibus pugnaverunt contra exercitum paganorum apud Tenet; et magna gens ex utraque parte occisa est, et naufragata, et ambo duces mortui sunt.

Adelwlfus decimo nono anno regni sui, qui totam terram suam ad opus ecclesiarum decimavit propter amorem Dei et redemptionem sui; postea vero cum magno honore Romam perrexit, et ibi uno anno conversatus est. Et inde rediens, filiam Caroli Calvi regis Franciæ assumpsit in uxorem, et eam secum in hanc patriam adduxit : et cum duobus annis eam tenuisset, hominibus ademptus est, et sepultus apud Wincestre. *Hic primum fuerat episcopus apud Wincestre* [al. *Winceastre*]; *sed, Egbricto patre suo defuncto, necessitate cogente, factus est rex; et uxore ducta quatuor filios genuit, qui omnes post eum reges fuerunt.* Circa hoc tempus pagani perendinaverunt tota hieme apud Sepeigei.

Ædelbaldo filio suo reliquit prædictus rex nobilissimus regnum hæreditarium Westsere; Adelbricto filio suo alii reliquit regnum Cantiæ, et Estsere, et Sudsere. Ambo igitur fratres optimæ indolis juvenes regnum suum, dum uterque vixit, felicissime tenuerunt. Adelbaldus rex Westsere, cum regnum suum quinque annis in pace tenuisset, morte immatura præreptus est : planxit autem omnis Anglia Adelhaldi regis juventutem, et factus est luctus vehemens super eum, et sepelierunt eum apud Siroburne. Sensitque posthac Anglia quantum amiserit in eo.

Adelbricht, frater regis prædicti, regnavit post eum super Westsere, qui prius erat rex Centensis. In diebus ejus venit navalis exercitus et egredientes destruxerunt Wincestre, et sic :

Urbs antiqua ruit multos dominata per annos.
(Virgil. *Æneid.* II, 363.)

Tunc vero dux Osric cum Hamtonesyre et dux Edelwolf cum Barrucscyre pugnaverunt contra eumdem exercitum. Quibus cum magna contritione fugatis nostri victores exstiterunt.

Adelbricti regis anno quinto venit exercitus paganorum apud Tenet : quibus cum Centenses causa inducierum pecuniam promisissent, infra inducias nocte quadam improvise proruperunt, et Cantiam ex orientali parte deprædati sunt. Eodem anno Adelbrictus, cum regnasset super Westsere quinque annis, super Cantiam vero decem annis mortem gustavit. Post quem Edelred frater ejus regni suscepit insignia. Hoc autem anno venit maximus exercitus paganorum in terram Anglorum, quorum duces fuerunt Hinguar et Ubba, viri strenuissimi, sed crudelissimi. Hinguar erat ingentis ingenii, Ubba vero fortitudinis admirandæ. Perendinantes igitur in hieme in Estangle inducias et equos ab iis acceperunt et quietis gratia fortitudini suæ ad tempus pepercerunt.

Adelredi regis anno secundo venit exercitus prædictus quem Hinguar et Ubba rexerunt in Nordhumbre apud Couirwic, eratque inter gentem patriæ illius solita proditione magna misericordia, quia regem suum Osbric abjecerant, et alium degenerem nomine Ellan acceperant; ideoque tarde concordati congregato exercitu venerunt ad Couirwic, in qua erat paganus exercitus; fractoque muro intus irruentes cum eis pugnaverunt, et ibi occisus est uterque rex Osbric et Ellan, et innumera multitudo gentis Nordhumbre intra urbem et extra. Et qui residui fuerunt, inducias cum paganis ceperunt. Hoc anno obiit Alfstan episcopus, sepultus apud Scyreburne, ubi fuit episcopus quinquaginta annis.

Adelredus rex anno tertio regni sui ivit Snotingham cum fratre suo Alfredo in auxilium Burredi regis Merce : exercitus namque prædictus venerat Snotingham, et ibi in hieme fuit. Congregatis igitur omnibus copiis Anglorum, cum suos obsessos et viribus impares Hinguarus videret, vulpeculari astutia verbisque delinitis inducias ab Anglis impetravit. Rediensque Eboracum, ibi crudeliter uno anno permansit. Sanctus Eadmundus anno Dominicæ Incarnationis 870, Adelredi regis anno quinto cœli palatia conscendit : exercitus namque prædictus Hinguari regis veniens per Merce ad Tedforde, ibi in hieme permansit, clademque maximam genti miserrimæ intulit. Rex vero Edmundus magis eligens mortem perferre quam desolationem suorum videre, captus est ab iis, corpusque sanctissimum sagittis impiorum ad stipitem undique transverberatus, Dei vero clementia multa super eo signavit miracula.

Edelredi regis anno sexto venit exercitus novus et maximus, quasi fluvius inundans et omnia secum volvens in Westsere usque ad Redingum; præ nimia vero multitudine cum simul non possent procedere, diversis turmis et locis gradiebantur. Duces eorum autem fuerunt duo reges Basreg et Aldene [*al.* Hamdene, *vel* Alfdene]. Itaque post tres dies dux Edelwolf duobus obvians consulibus, exercitus apud Englafeld pugnavit cum eis et vicit, et unum occidit, qui vocabatur Sidrac. Et post quatuor dies rex Edelred et frater suus cum magna gente venientes Redingum, pugnaverunt cum exercitu, et multi ceciderunt ex utraque parte, et Daci victores fuerunt. Et post quatuor dies iterum pugnaverunt rex Adelred et frater suus Alfred contra totum exercitum apud Escesdune, qui fuit divisus in duas partes : ex una parte fuerunt Basreg et Aldene reges pagani, contra quos pugnavit rex Adelred, et occidit regem Basrege; ex alia vero parte fuerunt pagani consules, contra quos pugnavit Alfred frater regis, et occcidit quinque consules, Sidroc senem et Sidroc juvenem, et Osbearn, et Frena, et Harolde; et exercitus fugatus est, et multa millia occisa sunt, duravitque prælium usque ad noctem. Iterum post XIV dies Adelred rex et

Digitized by Google

frater suus Alfred pugnaverunt cum exercitu apud Basingum, et Daci vicerunt. Iterum post duos menses rex Adelred et frater suus Alfred pugnaverunt cum exercitu apud Beredune, et multi ex utraque parte ceciderunt, et Daci diu fugati in fine vicerunt. Ibi occisus est Edmundus episcopus, et multi proceres Angliæ. Post hoc prælium venit in æstate magnus exercitus apud Redingum. Hoc anno obiit Adelred rex post Pascha sepultus apud Winburnham-minster, qui regnavit quinque annis. Tunc Alfred frater suus, filius Edelwolfi, regnavit super Westsere, et postea circa unum mensem pugnavit cum pauca gente apud Wintune contra exercitum et diu fugavit eum et postea Daci vicerunt. Hoc anno fuerunt novem prælia campestria contra exercitum in regno ex australi parte Temese : præter invasiones, quas Alfred frater ejus et duces regis sæpe fecerunt. Et hoc anno sunt occisi rex unus et novem comites, et proceres Westsere ceperunt inducias cum exercitu paganorum.

Alfredi [*al.* Alwredi, *vel* Alvredi] regis anno primo exercitus venit Londoniam a Reding et ibi per hiemem fuit, et Mercenses ceperunt inducias cum exercitu. Secundo vero anno rex Haldene duxit exercitum eumdem hiematum in Lindesei apud Torthseige [*al.* Torcheseige]. Tertio autem anno hiemaverunt apud Rependune. Tunc vero congregati sunt cum eo tres alii reges Godrum, et Oscetin, et Anwed, et facti sunt invincibiles, et Burred regem, qui regnaverat XXII annis super Merce trans mare fugaverunt. Rex autem Burred Romam perrexit, ibique moriens sepultus est in ecclesia S. Mariæ apud Anglecnescolam. Daci autem tradiderunt regnum Merce Ceolwolfo cuidam insipienti regi ad servandum ad opus eorum. Ipse autem juravit, et obsides iis dedit se redditurum illis regnum quandocunque vellent, et seipsum præsto esse cum omnibus quos adducere posset in auxilium eorum.

Alfredi regis anno quarto exercitus recessit a Rependune et divisus est. Aldene rex cum parte quadam exercitus perrexit in Nordhumbre et fuit in hieme juxta Tinam et saisivit terram et divisit eam suis, et coluerant eam duobus annis, et sæpe prædavit super Pictos. Tres vero reges Dacorum prædicti venerunt cum majori parte exercitus ad Brantebrige, et ibi uno permanserunt anno. Hoc anno pugnavit rex Alfred navali prælio contra VII puppes, quarum unam cepit, cæteras fugavit. Anno vero sequente, exercitus trium regum venit apud Werham in Westsere. Rex vero Alfredus cepit inducias cum exercitu, acceptis ab eo obsidibus ex nobilioribus eorum. Ipsi autem juraverunt ei quod nunquam alicui antea fecerant, se cito exituros a regno illius, et in proxima nocte furtim recedens exercitus, qui equos habebant, perrexerunt Granceastre. Hoc anno Rollo cum suis Northmanniam venit; anno vero sequente exercitus perjurus venit a Werham ad Granceastre, et navalis exercitus circum remigans tempestate obrutus est, perieruntque CXX puppes apud Swanawic. Rex autem Alfred cum magna gente secutus est exercitum, qui equos habebant, nec eos consequi potuit ante Granceastre. Tunc exercitus tradidit illi quotquot obsides ipse volebat, et pacem tenere juravit, et bene tenuit. Tunc exercitus ivit in Merce, et partem regni tenuit, partem dedit Ceolwolfo.

Alfredi regis anno septimo, cum jam Daci omne regnum a boreali parte Temesis [*al.* Tamisis, *vel* Tamasis] obtinerent, regnaretque rex Haldene in Nordhumbre, et frater Haldeni esset in Estangle, tres vero reges prædicti cum Ceolwolfo rege eorum essent in Merce, et Londonia, et Estsere; regi vero Alfredo non remansisset nisi terra ultra Tamesim, indignum visum est Dacis, ut vel hoc ei remaneret. Tres igitur reges venerunt Cipenham in Westsere cum mira multitudine, quæ nuper a Dacia venerat. Operientesque terram quasi locustæ, cum nullus eis posset resistere, occupaverunt eam sibi. Pars igitur populi trans mare fugit; pars Alfredum regem secuta est, qui cum paucis se in nemoribus abscondebat; pars vero subdita est hostibus. Cum autem rex Alfredus jam nec terram haberet, nec spem habendi, respexit in reliquias plebis suæ Dominus : venit namque frater regis Haldene cum XXIII navibus in Westsere in Davenscyre. Gens autem regis Alfredi occidit eum, et DCCCXL homines exercitus sui, captumque est ibi vexillum eorum, quod vocabatur Raven. Ergo rex Alfredus, hoc successu confortatus, paravit firmitatem quamdam apud Ethelingeie, et sic fretus pugnavit sæpe cum exercitu auxilio Sumersetensium, qui ibi propinqui erant. Et in septima hebdomada post Pascha perrexit ad Eghrichstam ex orientali parte Salundu [*al.* Sealwdic], et venerunt contra eum omnes Sumerseti, et Wilsati, et qui residui fuerant de Nantunescyre, læti pro adventu suo, et ipse in crastino inde perrexit ad Aeglea, et inde alia die ad Edendune, et ibi pugnavit contra exercitum, et eum fugavit, et eum persecutus est usque ad firmitatem suam, et ibi fuit XIV diebus. Tunc exercitus tradidit regi obsides, et juravit se recessurum a regno suo. Promisit etiam quod rex eorum baptizaretur, et factum est : venit enim Godrun princeps regum eorum ad Alfredum regem, et baptizatus est; Alfredus vero patrinus ejus factus, cum eum secum XII diebus tenuisset, abeunti multa dedit munera.

Alfredi anno octavo ivit exercitus prædictus a Chipenham ad Cyrencestre, et ibi hiemavit in pace. Eodem anno Wincigi [*al.* Wicingi] collegerunt novum exercitum, et manserunt apud Fulenham juxta Tamesim : hoc anno sol obscuratus est. Anno vero sequente exercitus prædictus regis Godrum recessit a Cyrenceastre et perrexit in Estangliam, et terram illam obtinuit, et divisit. Eodem anno exercitus, qui fuit apud Fulenham, mare transiit et ad

Digitized by Google

Gant uno anno permansit. Sequenti vero anno pugnaverunt cum Francis, et vicerunt eos; tertio autem anno venerunt per Mese in Franciam. Quo in tempore rex Alfredus navali prælio quatuor puppes Dacorum cepit, et eos, qui inerant, interfecit; quarto vero anno venit exercitus apud Scat in Cundoet, et ibi uno anno permansit: hoc anno Macrinus papa misit Alfredo regi lignum Domini. Alfredus autem misit elemosynam suam Romæ, et etiam in Indiam ad sanctum Thomam, secundum votum quod fecerat, quando hostilis exercitus hiemavit apud Londoniam.

Alfredi regis anno decimo quarto pars exercitus qui in Gallia erat, venerunt ad Rovecestriam: et civitatem obsidentes, cœperunt facere ibi aliam firmitatem. Adveniente vero rege, ad puppes fugerunt, et mare transierunt. Misit autem rex Alfred navalem exercitum ad Cent in Estanglia: qui cum venissent Sturemutham, obviantes xvi puppibus Wiccingorum vicerunt eas bello; sed redeuntes cum spoliis et victoria obviaverunt magno exercitui Wiccingorum, et cum iis pugnantes victi sunt. Eodem anno interfecit aper quidam Carolum regem Franciæ, filium Ludovei, filii Caroli Calvi, cujus filiam Juhetam [*al.* Juhetham] duxerat rex Edelwolf. Tunc quoque papa Marinus obdormivit. Anno sequente venit exercitus Dacorum per Secanam ad pontem Parisius, et illic hiemavit. Alfredus rex Londoniam obsedit, quia maxima vis Dacorum secuta fuerat Gallicanum exercitum: omnes autem Anglici statim ei subditi sunt, et receperunt eum. Daci namque aufugerunt. Rex vero tradidit Ædredo duci civitatem in custodiam. Anno vero hos sequente, exercitus recedens a ponte Parisius ivit per Secanam usque ad Marnam, et per Marnam usque ad Cadri, et in ea, et in Jorna [*al.* Jorata] duobus annis conversati sunt. Circa hoc tempus factione Ernulfi quinque reges facti sunt in Francia.

Alfredi regis anno xix, Godrun rex Dacus, qui fuit filiolus Alfredi regis, et regnavit in Estangle, luce demptus est. Hoc anno venit exercitus a Secana ad Scanlaudam quod est inter Britanniam et Franciam; Britones vero cum eis pugnantes, et in flumen quoddam fugantes, multos necaverunt: hic Pleumundus archiepiscopus a Deo et omni populo electus est. Anno vero sequente, exercitus ivit in orientem, et rex Arnulfus cum Francis et Saxonibus, et Baveriensibus pugnavit contra exercitum, et repulit eos. Postea rediit in Angliam ille magnus exercitus cum omnibus rebus suis ad portum Limene cum CCL navibus; qui portus est in orientali parte Cent juxta magnum nemus Andredestaige, quod CXX millia in longitudine, XXX in latitudine continet. Egressi vero construxerunt castrum apud Anoldre. Interim venit Hasting cum LXXX navibus in portum Tamesis, et paravit castrum apud Widdletune; postea vero regi Alfredo juramenta fecit, ne in aliquo ei noceret: rex ergo ipsi, et uxori suæ, et filiis multa dona dederat, quorum alterum rex ipse in baptismate tenuerat, alterum vero Edred is dux magnus. Hasteng autem semper infidus, castrum construxit apud Beamfled. Cumque esset prædatum super regem, fregit rex castrum prædictum, et cepit ibi uxorem ejus, et filios, et pecuniam, et spolia, et puppes. Uxorem vero et filios reddidit Hastengo, quia patrinus eorum erat. Regi autem Alfredo venit nuntius, dicens: « Centum puppes venerunt a Nordhumbre et Estangle, et obsident Granceastre. » Rex igitur, dum illuc tendit exercitus, qui erat apud Awldre, invasit Estsere, et castrum fecit apud Scobrih; indeque permeantes venerunt usque ad Budingtuune juxta Savernam, et ibi castrum fecerunt: unde tamen bello repulsi, fugerunt ad castrum suum in Estsere; illi autem, qui obsederant Granceastre, audito adventu regis, ad puppes fugerunt, et in mari prædantes manebant. Quartus exercitus venit eodem anno a Nordhumbre usque in Legecestriam; sed ibi obsessi sunt, et tanta fame afflicti sunt, quod etiam equos suos comederent.

Alfredi regis anno XXIII, Daci, qui erant in Legecestria, iverunt circum per Nordwales et Nordhumbre ad Wereleige insulam Estsere, et post in hieme traxerunt puppes suas per Tamesim in flumen Lupe; ille autem exercitus, qui obsederat Granceastre, deprehensus est prædans juxta Ciceastre, ubi multos ex suis amiserunt, et quasdam ex puppibus suis perdiderunt. Anno vero sequenti exercitus qui erat in Lupe, fecit juxta idem flumen castrum quoddam viginti millibus a Londonia. Venerunt igitur Londonienses ad castrum illud, et cum Dacis pugnantes, quatuor ex ducibus eorum occiderunt, et victoriam in tempore opportuno dedit suis Dominus omnipotens. Cum ergo fugissent Daci ad castrum, fecit rex aquam Lupe findi in tria brachia, ne puppes suas per eam reducere possent: quod Daci comperientes relictis puppibus perrexerunt usque ad Quadruge juxta Savernam, et ibi castrum fecerunt, et ibidem hiemaverunt, commendatis uxoribus suis in Estangle. Rex vero cum exercitu persecutus est eos. At Londonienses puppes Dacorum relictas quasdam ad Londoniam duxerunt, quasdam combusserunt. Hi igitur, his tribus annis prædictis, scilicet ex quo Daci ad portum Limene appulerunt, Anglis multa mala fecerunt, sed et ipsi multo plura toleraverunt. Anno vero quarto divisus est exercitus partim in Nordhumbre, et partim in Estangle; pars vero transfretans ivit in Secanam: postea tamen quædam puppes Dacorum venerunt juxta littora Westsere, quæ crebris irruptionibus sæpe prædantes et sæpe pugnantes cladem non modicam provincialibus Westsere contulerunt. De multis vero conflictibus unum pertractabo, quia insoliti fuit eventus. Rex Alfredus naves longas scilicet XL remorum vel plurium fecit parari contra puppes Dacorum prædictas; sex autem puppes Dacorum, cum in quodam littore Davenseyre starent, præoccupaverunt eas novem regiæ naves. Quod Daci videntes tres rates contra

Digitized by Google

eos commoverunt; aliæ namque tres stabant in littore immobiles nereo scilicet retracto : sex igitur puppes Anglorum pugnaverunt contra tres puppes Dacorum. Tres vero reliquæ progressæ sunt ad tres naves Dacorum in littore stantes. Tres igitur naves Dacorum contra sex desperate et omnino audacissime et diu pugnantes conflictum asperrimum peregerunt. Vicit tamen numerus major, duæque rates Dacorum captæ sunt; tertia vero aufugit, omnibus tamen occisis, qui inerant, præter quinque. Hoc autem perpetrato, cum ad naves sociorum, quæ juxta puppes Dacorum ex adverso littore erant, reverti vellent, exsiccatæ sunt : quod Daci videntes egressi de tribus puppibus pugnabant contra gentem Anglorum, quæ erat in tribus ratibus. Viderés autem gentem sex navium bellum aspicientem et auxilium ferre nequientem, pugnis cædere pectus, et unguibus rumpere crines. Angli tamen viriliter agebant, et Daci fortissime instabant : ceciderunt ex Anglis XLII, et ex Dacis CXX; Daci tamen Lucheman præpositum regalis exercitus acrius insistentem occiderunt : ob quam rem Angli, dum paulatim cederent, Daci pene victores visi sunt. Sed ecce, mari redeunte, ad puppes Daci maris alta invadunt, quos postea IX puppes Anglorum sero et frustra persecutæ sunt. Ventus vero adversus victores Dacos aggreditur, et duas ex puppibus eorum ad terram projecit : unde homines capti et adducti ad regem, omnes suspensi sunt apud Wincestriam; qui vero in tertia puppe erant valde sauciati appulerunt in Estangle. Eodem anno perierunt XX naves cum hominibus justa australia littora.

Alfredus rex, cum regnasset viginti octo annis et dimidio super totam Angliam, præter illas partes quæ subditæ erant Dacis mortis sensit aculeum. De cujus regimine laborioso et inextricabili vexatione versifice proloqui dignum duximus.

Nobilitas innata tibi probitatis honorem,
Armipotens Alfrede, dedit, probitasque laborem,
Perpetuumque labor nomen. Cui mista dolori
Gaudia semper erant, spes semper mista timori.
Si modo victor eras, ad crastina bella pavebas;
Si modo victus eras, ad crastina bella parabas.
Cui vestes sudore jugi, cui sicca cruore
Tincta jugi, quantum sit onus regnare, probarunt.
Non fuit immensi quisquam per climata mundi,
Cui tot in adversis vel respirare liceret.
Nec tamen aut ferro contritus ponere ferrum,
Aut gladio potuit vitæ finisse labores.
Jam post transactos vitæ regnique dolores,
Christus ei sit vera quies, sceptrumque perenne.

Edwardus filius regis Alfredi paternum regnum tenuit, XXIV annis; Edwoldus [*al.* Ædelwoldus] vero frater suus junior accepit uxorem, et saisivit Winburnam sine voluntate tam regis quam nobilium regni : quapropter ivit rex Edwardus cum exercitu usque ad Bathan juxta Winburnam. Edwoldus autem cum hominibus suis in Winburna permanens, januis clausis, dicebat, quia ibidem persisteret aut occumberet. Nocte tamen inde recedens ivit ad exercitum, qui erat in Nordh. Illi vero nobilitati juvenis congaudentes constituerunt eum regem et principem super reges et duces suos. Rex autem saisivit uxorem ejus, quam juvenis prædictus ultra vetitum episcopi duxerat, quia sacrata fuerat in sanctimonialem. Eodem anno obierat Edred dux Davene [*al.* Davenescyre] uno mense ante obitum Alfredi regis, qui cum eo multa fidelis et fortis gesserat bella.

Edwardi regis anno tertio, Edelwoldus frater regis, coactis viribus, duxit navigium immensum in Estsexe, et Estsexenses sine mora subditi sunt. Anno vero sequente duxit exercitum gravissimum in Merce, et prædavit eam undique usque ad Cricalade. Ibique transiens Tamesim cepit Inbrithenden [*al.* Inbrithenden], et circumquaque quidquid aderat. Sicque patrato facinore suo, domum reversi sunt cum gaudio. At rex Edwardus congregatus exercitum quam citius potuit, ivit post eos et terram eorum totam prædatus est inter Dicum [*al.* Ducum] et Usam usque ad paludes in Nordhumbre [*al.* Nord]; postea, cum inde recedere vellet, præcepit per totum exercitum suum ut omnes simul recederent : et recesserunt omnes præter Centenses, qui remanserunt ultra præceptum regis, et rex misit propter eos VII nuntios. Tunc exercitus Dacorum ibi eos intercepit, et pugnavit cum eis, ibique occisus est Siulf dux, et Sigbelm [*al.* Sighelm] dux, et Adelwald baro regis, et Cenwelf abbas, et Sigebricht filius Siulfi, et Eadwold filius Accæ, et plures alii, licet ditiores nominentur. Et ex parte Dacorum occisus est rex Eoric et Edelvoldus juvenis, quem elegerant in regem, et Beorthsigt filius Brithnodi Adeling, et Hispobold, et Occelhold [*al.* Oscetelhold], et plures alii, quos omnes nominare nequivimus, et multus populus cecidit ex utraque parte, et ex parte Dacorum plures occisi sunt, licet ipsi victoriam obtinuissent. Hoc eodem anno obiit Ealcswid uxor regis Edwardi.

Edwardus rex anno quinto constituit inducias cum Estanglis et Nordhumbris apud Itingforde. Anno vero sequenti misit exercitum rex fortissimum ex Westsere et Merce, qui prædam maximam ceperunt ab exercitu, qui erat in Nordhumbre, tam hominum quam animalium. Multisque Dacorum occisis, manserunt in terra eorum quinque hebdomadis prædantes. Anno sequenti exercitus Dacorum venit in Merce prædatum. Rex autem congregaverat centum puppes, et misit eas contra exercitum : quas postquam comperuit exercitus, putavit ab eis habere auxilium, et quod securius possent ire quoquo vellent. Porro rex misit exercitum post eos ex Westsere et Merce, qui consecuti sunt eos a tergo, cum domum reverterentur, et cum eis pugnaverunt. Bellum ingens est commissum. Contrivit autem Dominus infideles contritione magna, et ex eis multa millia mors cruenta devoravit; corruerunt que principes eorum in confusione, et devorati in pulvere sorduerunt. Occidit namque

Digitized by Google

rex Haldene, et rex Eolwolf, et Uthere consul, et Scursa consul, et Owlfhold, et Benesinghold, et Hanlafinger, et Wtserhold, et Offerhold, et Offerdhlyte, et Habmundhold, et Gudferdhold, et alius Gudferd. Servi autem Domini victoria tanta potiti, exsultantes in Deum vivum, in hymnis et concentibus Dominum exercituum benedicebant. Anno sequente, defuncto Edredo duce Merce, rex Edwardus saisivit Londoniam, et Oxineſordiam, omnemque terram Mercensi provinciæ pertinentem.

Edwardus rex anno IX regni sui construxit Herefordiam castrum non immensum sed pulcherrimum inter Beneficiam, et Mimeram, et Lupe, flumina non profunda sed clarissima. Eodem anno construxit burgum quemdam Witham in Estsere, et interea manebat apud Dealdune; et ei subdita est magna pars gentis illius, quæ prius erat in subditione Dacorum. Sequenti vero anno exiit Dacorum exercitus ab Hamtonia et Legecestria, et fregerunt inducias, quas rex iis dederat, et fecerunt cædem magnam Anglorum apud Hocheneretune, et ibi circum in Drinefordscyre. Et postquam domum redierunt, statim exiit alia caterva, et ivit ad Ligetune. Gens autem patriæ illius eos comperiens pugnavit cum eis, et eos fugavit, et totam prædam, quam ceperant, eis abstulit, et etiam equos eorum.

Edwardis regis anno undecimo venit magnus navalis exercitus ab austro ex Lidwicum et duo consules Uther [*al.* Uhter] et Rahald, et circumierunt in West, quousque venerunt ad littus Saverne, et ibi prædati sunt in Nordwales, ubicunque poterant juxta littora, ceperuntque Camelegeac episcopum, et duxerunt eum ad puppes suas. Rex autem Edwardus redemit eum quadraginta libris. Postea exercitus exiit, volens prædari super Yrcingafeldas, et tunc obviaverunt eis Legeceastrenses, Herefordiensesque, et homines ex aliis castris, quæ ibi erant propinqua, et cum eis pugnantes eos fugaverunt, occideruntque Rahald consulem, et Geolcil fratrem Utheri consulis magnamque partem exercitus, et fugaverunt eos in castrum quoddam obsidentes eos ibi, quousque illi dederunt eis obsides, juraveruntque se recessuros a terra regis. Rex autem fecit custodiri littora Saverne ex australi parte a Walia usque ad Asenam, ita quod ipsi nullo modo ex illa parte irrumpere præsumpserunt; ipsi tamen bis furtim exierunt, una vice ex orientali parte Weced, alia vice apud Pordacan: et utraque vice pauci evaserunt, qui occisi non essent præter illos qui poterant natare ad puppes. Et tunc manserunt in insula Stepen cum magna miseria, ita quod cibus eis defecit, et multi fame mortui sunt, quia cibum conquirere nequibant. Tunc recesserunt ipsi in Deomedum, et inde in Hiberniam. Eodemque anno rex Edwardus ivit cum exercitu ad Buchingaham, ibique mansit quatuor hebdomadis, fecitque vallum ex utraque parte aquæ, antequam inde recessisset. Et Turchefel consul ibi subditus est regi, omnesque consules et meliores barones qui appendebant ad Bedefordiam, et plures ex illis qui appendebant ad Hamtoniam.

Edwardi regis anno duodecimo fuisse prælium apud Holme inter Centenses et Dacos scripturæ veterum dicunt; quis autem victor fuerit nonne indeterminatum relinquunt? Secundo ab hoc anno luna valde obscurata est, et magno fuit horrori videntibus. Tertio anno apparuit cometa; quarto anno Legecestria renovata est; quinto anno corpus sancti Oswaldi translatum est a Bardenei in Merce; sexto anno Anglici et Daci pugnaverunt apud Totanhale [*al.* Totenhale]. Quis autem cuneorum horrendos aggressus, ignitas collisiones, formidabiles tinnitus, feras irruptiones, miserabiles occasus, clamores horrisonos scriptis exsequetur? Tandem suos divina pietas victoria decoravit, et Dacos infideles cæde simul et fuga dehonestavit. Eodem anno Edelfled [*al.* Adelfled] domina Merce, quæ sub Etheredo patre suo infirmo regnum Merce regebat, construxit burgum Brunesburih.

Edwardi regis anno XVIII mortuus est Ethered dominus Merce, pater Edelfled, qui fuerat diu infirmus, et dedit terram suam filiæ suæ, quia nullum filium habebat. Secundo ab hoc anno Edelfled domina Merce construxit burgum ad Scoriate et eodem anno burgum apud Bruge; tertio anno Edelfled domina Merce construxit burgum Camemythe in principio æstatis, et ante Augustum, illum apud Stafforde; quarto Edelfled domina Merce construxit burgum Edelbirh in principio æstatis, et in fine Augusti illum apud Wirengewic; quinto Edelfled domina Merce construxit burgum apud Cereburih post Natale, et illum apud Wardebirh in æstate, et eodem anno illum apud Rumcoven; sexto misit exercitum in Walliam, Walensibusque victis fregit Brecanammere, in qua cepit uxorem regis Walensis cum XXXIII hominibus; septimo Edelfled domina Merce acquisivit Derebi cum provincia ei appendicia. Cum autem multitudo hostium intra Derebi conclusa, egredi contra eam non auderet, castellum acerrime invasit, et in ipso portæ introitu prælii maxima vis exarsit, ubi quatuor duces fortissimi Edelfled cæsi sunt; sed sui nihilominus portam et muros fregerunt; octavo Edelfled domina Merce conquisivit Legecestriam, et major pars exercitus, qui ibi erat, subdita est, Eboracensesque illi promiserant, et quidam eorum fidem dederant, quidam vero juraverant quod forent in auxilium ejus. Post illam autem conventionem ipsa obiit apud Tameworthe, duodecim diebus ante festum S. Joannis, octavo anno, ex quo obtinuit dominium Merce, et sepulta est apud Gloucestre in porticu Sancti Petri. Hæc igitur domina tantæ potentiæ fertur fuisse, ut a quibusdam non solum domina vel regina, sed etiam rex vocaretur ad laudem et excellentiam mirificationis sui. Et ut æstimatum et dictum est, nisi fati velocitate prærepta fuisset, viros virtute transisset universos, unde ad tantæ probita-

Digitized by Google

tis memoriam, camenam diuturnitatis largitricem vel pauca dicere compulimus.

O Elfleda potens, o terror virgo virorum,
Victrix naturæ, nomine digna viri.
Tu quo splendidior fieres, natura puellam,
Te probitas fecit nomen habere viri.
Te mutare decet, sed solam, nomina sexus,
Tu regina potens, rexque trophæa parans.
Jam nec Cæsarei tantum meruere triumphi,
Cæsare splendidior virgo virago vale.

Edwardus rex vicesimo sexto anno regni sui exhæreditavit ex dominio Merce totius Alfwen sororem Adelfled, quæ postea regnum illud tenuit, magis curans an utiliter vel inutiliter, quam an juste vel injuste. Postea vero construxit burgum apud Glademuthan. Nec longe post migravit a corpore apud Ferandune, et Alfwarde filius ejus cito post patrem defecit apud Drineforde, et sepulti sunt apud Wincestre. Nec multo ante Sedric rex Nordhumbre occiderat fratrem suum Nigellum : quo scelere patrato rex Reginaldus conquisiverat Couirwic.

Adelstan filius Edwardi electus est rex in Merce, et sacratus apud Kingstun, qui regno quidem parum vixit, sed clare gestis non parum splenduit : qui a fortissimis lacessiri, sed bello nunquam potuit vinci. Curriculo siquidem sequentis anni Gudfridum regem Dacorum, patrem Reginaldi prædicti regis bello lacessitus, bello repulit, repulsum fugavit, fugatum perdidit. Nec multo post adversa percussus fortuna, fratrem suum Edwinum magni vigoris juvenem, et bonæ indolis, maris fluctibus flebiliter amisit. At vero rex Adelstan, his transactis, gentem perfidam Dacorum, et infidam Scotorum in exterminium traducere disponens, confertissimum duxit exercitum terra et mari in Nordhumbram, et Scotiam. Cui cum non esset qui resistere inciperet, vel qui resistere persisteret, ubique terrarum progrediens, et pro libitu prædans, cum triumphali rediit lauro.

Adelstan rex anno gratiæ 945, regni vero sui anno quarto, commisit prælium ad Bruneburh præliorum maximum contra Anlaf regem Iliberniæ, qui vires suas gente Scotorum et Dacorum in Anglia conversantium adauxerat. De cujus prælii magnitudine Anglici scriptores quasi carminis modo proloquentes, et extraneis tam verbis quam figuris usi, translatione fida donandi sunt, ut pene de verbo in verbum eorum interpretantes eloquium, ex gravitate verborum gravitatem actuum et animorum gentis illius condiscamus.

Rex Adelstan decus ducum, nobilibus torquium dator, et frater [al. *filius*] *ejus Edmundus longa stirpis serie splendentes percusserunt, in bello acie gladii apud Brunelburh, scutorum muros fiderunt, nobiles ceciderunt, domesticæ reliquiæ defuncti Edwardi. Sic namque iis ingenitum fuerat a genibus cognationum, ut bellis frequentibus ab infestis nationibus defendere, ut patriæ thesauros, et domos, et pecunias, et xenia. Gens vero Hibernensium, et puppium habitatores fatales corruerunt, colles resonuerunt; sudaverunt armati, ex quo sol mane prodiit micans hilariter, lætificans profunda, Dei luminare, fax Creatoris, usquequo idem nobilis ductor occasu se occulit. Ibi viri jacuerunt multi a Dacia oriundi, telis perforati, sub scutis lanceati, simul et Scoti bello fatigati. Gens vero Westsere tota simul die prius electi, post indefessi, invisæ gentis globos straverunt; viri elegantes hastas cedebant, viri Mercenses acuta jacula mittebant duro manus ludo : sanitas ibi nulla his, qui cum Anlavo trans maris campos in ligni gremio terram petierunt Marte morituri. Quinque occubuerunt in loco belli reges juvenis gladiis percussi, ducesque septem regis Anlavi, absque numero ceciderunt Scoti, deperiitque Northmannorum tumor : nec enim paucos ad litem belli duxerant secum; cum paucis vero in maris fluctus rex navi provectus intrinsecus gemebat. Simul et Froda ductor Northmannus cumque suis notis dux Constantinus de Martis congressu jactare nequierunt, ubi cognationis suæ fragmen apparuit, ubi amici sui corruerant in statione populi bello prostrati, et filium suum in loco prælii vulneribus demolitum charum reliquit. Nec Gude Dacus declamare potuit, licet verbis blandus, et mente vetustus; nec Anlaf ipse cum reliquiis suis mentiri potuit, quod ad hoc negotium sui præstiterint in campo belli, ictuum immanitate, telorum transforatione, in concilio proborum. Matres vero et nurus planxerunt suos belli aleæ cum Edwardi filiis lusisse, cum Northmanni, navibus clavatis, et Anlaf labefactus ultra profundum flumen terras suas mæsto animo repetissent. Postea frater uterque rediit Westsere belli reliquias post se deserentes, carnes virorum in escam paratas. Ergo corvus niger ore cornutus, et buso livens, aquila cum milvo, canis, lupusque mistus colore his sunt deliciis diu recreati. Non fuit bellum hac in tellure majus patratum, nec cædes tanta præcessit istam, postquam huc venerunt trans mare latum Saxones et Angli, Britones pulsuri : clari Martis fabri Walenses vicerunt, reges fugaverunt, regna susceperunt.* Iis causa recreandi interpositis ad historiam redeamus.

Adelstanus rex, cum regnasset quatuordecim annis hominibus ultra non apparuit; successit autem ei in regno Eadmundus filius suus, et regnavit sex [*al.* novem] annis et dimidio : cujus regni anno quarto occisus est per proditionem regis Franciæ, Willielmus filius Rollonis, qui terram, quæ vocatur Northmannia, a rege Franciæ conquisierat. A Rollione autem gens Northmannorum duxit originem.

Eadmundus rex, ducens exercitum in illam partem Merce, quæ paganis diu subdita fuerat usque ad latissimum flumen Humbre, belli sorte Dacos vicit, et quinque urbes victoriosus cepit Lincolniam, Legecestriam, et Stanfordiam, et Snotingham, et Derebi. Dacos igitur, qui etiam eo tempore Northmanni sunt vocati, penitus exstirpavit, et ab urbibus prædictis infidelitate remota, Dei gratia, fidei fulgorem restituit. Eo in tempore obiit rex Anlaf, de quo prædiximus. Postea vero rex Eadmundus suscepit quemdam alium Anlaf regem Dacorum in baptismate tam virilus regis cedentem, quam præ-

Digitized by Google

dicationi credentem. Et post paucos dies Reginaldum regem Eboracensem (de quo prædiximus), quia Eboracum conquisierat, tenuit ad manum episcopi.

Edmundus rex, cum redisset ad Westsere et honorabili triumpho susceptus esset, reges prædicti Dacorum, scilicet Anlaf filius Sidrici et Reginaldus filius Gudferdi fregerunt pacem, quam cum eo constituerant, deprædantes in parte regni sibi directa. Rex igitur fortissimus Eadmundus cum militari copia provectus in Nordhumbre bello commisso reges utrosque et a regno fugavit, et Nordhumbram primus regum Westsere in dominio proprio tenuit. Sequenti vero anno totam Cumberland, quia gentem provinciæ illius perfidam et legibus insolitam ad plenum domare nequibat, prædavit et contrivit, et commendavit eam Malculmo regi Scotiæ, hoc pacto quod in auxilio sibi foret terra et mari.

Edmundus rex invictus, cum regnasset feliciter sex annis et dimidio, et omnia ei prospere contigissent, et solus diceretur rex in Anglia, nefanda proditione confossus est, et omnibus sæculis detestanda die sancti Augustini : cui morte inæstimata prærepto parcat Christi pia benignitas.

Edredus, frater Eadmundi regis, filiusque regis Adelstani fratri suo successit in regno : et eodem anno Nordhumbras jugum dominationis suæ ferre nolentes, cum valida armatorum manu petiit, totamque sibi conquisivit. Inde vero in Scotiam vexilla direxit. Scoti igitur nimio terrore percussi, sine bello subdiderunt se regi, et juraverunt ei tam Nordhumbri quam Scoti debitam domino fidelitatem : quod tamen juramentum diu non duravit.

Edredo namque reverso in australes regni sui partes, Anlaf, qui a regno Nordhumbre aufugatus fuerat, rediit cum magna classe in Nordhumbram, et cum gaudio susceptus est a suis, et regno iterum restitutus, quod in fortitudine tenuit quatuor annis. Quarto autem anno solita infidelitate utentes Nordhumbri fugaverunt regem eorum Anlaf, et susceperunt Hirc filium Haraldi in regem; sed ille iterum brevi tenuit regnum.

Edredus rex VII anno regni sui receptus est iterum in regno Nordhumbre : gens namque patriæ illius dominum diu non perferens, unum tertio anno regni sui Hirc filium Haraldi ut leviter acceperat, leviter abjecerat, et regem Edredum ad se sponte vocatum regni sede reponunt.

Edredus rex eximius et invictus, cum super omnes partes Angliæ tandem rex solus regnasset, satis exigentibus, hominem exuit octavo anno postquam diadematis insigni sublimatus fuerat.

Edwi, filius regis Edmundi, super universam Angliam post hunc regnavit. Edmundus namque filius Adelstani probissimi regis, filii Edwardi fortunati principis, filii Alfredi laboriosi ducis, filii Edelwolfi magni patris, filii Egbricti, qui regnum Westsere maxime primus in sublime provexit, et in monarchiam suæ fortitudinis diligentia protela-

A vit, duos filios habuit, Edwi primogenitum et Edgar minorem, quos secundum ordinem nativitatis ordo regnandi disposuit. Secundo autem anno regni ejus Wlstan archiepiscopus vitali privatus est aura. Rex autem prædictus Edwi non illaudabiliter regni infulam tenuit.

Edwi rex anno regni sui quinto cum in principio regnum ejus decentissime floreret, prospera et lætabunda exordia mors immatura perrupit.

Edgarus pacificus, frater regis prædicti XVI annis regnavit. In diebus ejus hæc terra maxime meliorata est, et Dei omnipotentis gratia, quam ipse pro posse suo devotissimus meruit; semper, dum vixit, in pace regnavit. Ille namque Christi fidem in regno suo validissime dilatavit, et opera salutis exem-
B plo suo clarissime fecundavit. Dilectus namque Deo et hominibus gentes terræ suæ semper pacificare studuit, nec aliquis prædecessorum suorum tanta pace et gaudio regnum tenere potuit. Ipse siquidem nomen Dei honorabat, et de lege Dei sæpius inquirens libenter eam discebat, et gaudenter docebat, et verbis et operibus populum suum bonorum operum exercitationi promptus invitabat. Domini autem omnipotentia servo suo Edgaro bene gesta non solum in futuro, verum etiam in præsenti sæculo retribuit, quia regulos omnes et consules et patriæ totius gentem cum tremore et amore pro velle suo subdidit, absque prælio et aliqua Martis perturbatione; fama vero et nomen regis clarissi-
C mum terris universis dilatabatur amplissime, et veniebant extranei videre gloriam ejus et audire doctrinam oris ejus. In hoc tamen peccabat quod paganos eos, qui in hac patria sub eo degebant, nimis firmavit, et extraneos huc adductos plus æquo diligens valde corroboravit. *Nihil enim in rebus humanis perfectissimum est.*

Edgari pacifici anno quinto Edelwaldus venerabilis feliciter episcopatum Wincestre suscepit. Hic secundo episcopatus sui anno quosdam canonicos in veteri monasterio Wincestre degentes, et ordinem suum pigre et negligenter observantes ejecit, et monachos imposuit. Quæ ecclesia nostris temporibus loco avulsa est; quia nimis conjuncta erat matri ecclesiæ, quæ sedes est episcopi. Consensu
D igitur episcopi et abbatis ejusdem monasterii extra muros urbis fundata est. Adelwaldus vero egregius præsul ædificator sepium fuit, avertens semitas iniquitatis, et plantans radices charitatis. Ipse namque seminator optimi consilii fuit, cujus monitis rex Edgarus novellas plantationes et arbusta teneritudinis Deo gratissima instituit. Abbatiam namque Glastinbirh construxit; abbatiam Abancune super Tamesim composuit; abbatiam apud Burch prope Stanfordiam stabilivit; abbatiam Thornei prope illam, quæ est apud Burch in mediis paludibus, loco tamen amœnissimo fixit. Consilio etiam Edelwoldi episcopi, Ailwinus consul ejusdem regis abbatiam Ramelei in insula pulcherrima intra easdem paludes fixit. Est autem palus illa, de qua loquimur,

Digitized by Google

latissima et visu decora, multis fluviis decurrentibus irrigata, multis lacubus magnis et parvis depicta, multis etiam silvis et insulis florida : intra quam sunt ecclesia Heliensis, abbatia Ramesiensis, abbatia Chateric, abbatia Thorneie, abbatia Crulande ; sed juxta eam sunt abbatia Burgensis, abbatia Spaldinge, ecclesia S. Ivonis super Usam fluvium Huntendoniæ, ecclesia S. Egidii super Grentam fluvium Cantabrigiæ, ecclesia S. Trinitatis in Tedfordia.

Rex Edgarus undecimo anno regni sui jussit prædari insulam Tenet, quia jura regalia spreverant, non ut hostis insaniens, sed ut rex malo mala puniens.

Edgarus rex XIII anno regni sui sacratus est in die Pentecostes apud Baham : inde vero post Pentecosten duxit exercitum suum ad Legececestre, ubi venerunt contra eum sex reges, qui omnes ditioni ejus subjecti sunt, et omnes illi domino debitam dederunt fidem se terra et mari servituros ei ad ejus imperium.

Edgarus pacificus rex, magnificus, Salomon secundus, cujus tempore nunquam exercitus advenarum venit in Angliam, cujus dominio reges et principes Angliæ sunt subjecti, cujus potentiæ Scoti etiam colla dedere, cum regnasset sedecim annis et duobus mensibus feliciter vivens, feliciter obiit; nec potuit male mori, qui bene vixerat, qui tot ecclesias Deo fundaverat, qui tot bona perennia brevi tempore statuerat : cujus plantationum gratiæ quanto instantius Deum laudare non cessant, tanto beati regis in cœlestibus gloria crescere non desistit. De cujus laude musam aliquantulum dicere pro meritis promovimus:

Auctor opum, vindex scelerum, largitor honorum,
Sceptriger Edgarus regna superna petit.
Hic alter Salomon, legum pater, orbita pacis
Quod caruit bellis claruit inde magis.
Templa Deo, templis monachos, monachis dedit agros,
Nequitiæ lapsum, justitiæque locum.
Novit enim regno verum perquirere falso,
Immensum modico, perpetuumque brevi.

Edwardus filius Edgari regis, qui dicitur sanctus, regnavit pro patre suo : cujus regni principio apparuit cometa, signum scilicet maximæ famis, quæ in anno sequente secuta est. Tunc vero consul quidam nequissimus Elfere nomine abbatias plures quas rex Edgarus et Edelweld episcopus construxerant, quorumdam potentum assensu et factione destruxit. Inde Dominus ad iram permotus pristinam renovare statuit cladem.

Edwardi sancti regis anno quarto, omnes optimates Anglorum ecciderunt a quodam solio apud Talne præter sanctum Dunstanum, qui trabe quadam apprehensa restitit. Unde quidam eorum valde læsi sunt, quidam vero mortui : signum scilicet Dei excelsi fuit, quod proditione et interfectione regis sui ab amore Dei casuri essent, et a diversis gentibus digna contritione conterendi.

Edwardus sanctus, cum quinque annis regnasset, occisus est proditione gentis suæ perfide, die advesperascente, apud Corvelgate; et inimicitias, quas viventi ingesserant, in mortuum protelantes, sepelierunt eum sine regio honore apud Warham, ut, sicut vitam regis exstinxerant, ita et nomen ejus exstinguerent. Hic vero compertum est, contra divinam providentiam non sufficere pravum cor hominis et inscrutabile. Quem enim perfidi terris abjecerant Deus in cœlo gloriose suscepit, et memoria æterna insignivit eum Dominus, cujus mentionem proditores obnubilare studuerant. Inde Dominus iterum ad iram promotus et plus solito irritatus genti pessimæ malum inextricabile conferre cogitavit. *Dicitur autem, quod noverca ejus, mater scilicet regis Edelredi* [al. *Ailredi*], *dum scyphum ei porrigeret, cultello percusserit.*

Edelred [*al.* Adelred] filius Edgari regis et frater Edwardi coram ducibus Anglorum sacratus est in regem apud Kingstun omine sinistro sicut de eo, cum parvulus esset, sanctus Dunstanus prophetaverat. Minxit namque cum baptizaretur in sacro fonte. Unde vir Domini exterminium Anglorum in tempore ejus futurum prædixit. Post parvum vero tempus, ex quo Edelred regnavit, transtulit Alfere consul corpus sancti Edwardi a Warham ad Scaftelbirh cum debito honore nutu Dei compellante. Venerunt autem tertio anno regis Edelredi septem puppes Dacorum quasi prænuntiæ futuræ vastationis et prædaverunt Hamptune. Postea vero Alfere consul vitam deseruit, cui successit Alfricus, quem rex crudeliter exsulavit. Eo tempore sanctus Adelwold episcopus pater monachorum, et sidus Anglorum Domini visionem, quam semper optabat, adeptus est. Nec longe post sanctus Dunstanus archiepiscopus a mundi tenebris transiit ad cœli gloriam. His autem duobus luminaribus Anglorum genti subtractis, caruit Anglia lorica protectionis suæ, et vindictæ Dei præmeditatæ desolata patuit. Successit vero sancto Dunstano Adelgarus, Adelgaro vero post annum Siricius. Rex autem Edelred crudeliter destruxerat episcopatum Roveceastre. Inde iterum Dominus ad iram promotus, quod facere paraverat, non distulit; veneruntque Daci ex multis partibus, et operuerunt Angliam quasi nubes cœli : ex una igitur parte Wecheporte [*al.* Wechport] prædata est. Inde autem Daci progredientes exercitui Anglorum obviati sunt : qui confligentes Gadam [*al.* Godam] ducem eorum occiderunt, et partem illam exercitus in exterminium redegerunt. Ex alia vero parte Wic prædata est. Britnod vero consul cum magnis viribus obvians eis, pugnavit et victus est, et gladiis cæsus occubuit, et phalanges ejus in perniciem redactæ sunt.

Edelredi regis anno decimo tertio primum statuerunt Angeli consilio infausto Siricii archiepiscopi, quod ipsi censum Dacis persolverent, quatenus a rapinis et cæde cessarent, et dederunt eis decem mille libras. Hoc autem malum usque in

Digitized by Google

hodiernum diem duravit, et diu, nisi Dei pietas subveniat, durabit. Regibus namque nostris modo persolvimus ex consuetudine, quod Dacis persolvebatur ex ineffabili terrore. Post hæc rex Dacis insidias molitus est. Alfric vero consul, quem rex exsulaverat, et postea tamen receperat, præmunire fecit exercitum. Jure autem dicitur : *Quem semel graviter læseris, non facile tibi fidelem credideris.* Cum ergo venisset regia classis a Londonia, quibus præerant Alfricus et Toroldus consules ut interciperent Dacos prænoniti omnes evaserunt. Tunc exercitus major Dacorum obviam puppibus regiis venerunt, qui navali prælio pugnantes et multos Londoniensium cædentes, puppes totas armatas triumphose ceperunt, et Alfricum consulem qui inerat. Eodem anno sanctus Oswaldus Eboracensis archiepiscopus transit ad gloriam cœli, et Eadwlf suscepit sedem Eoverwic : exinde Bebanburh fracta est et prædata, et post inde meavit exercitus in Humber, et prædati sunt ex utraque parte in Lindsey et Nordhumbre. At vero Angli, militaribus copiis aggregatis, cum contra eos acies direxissent, ante ipsam collisionem incœperunt fugam Frena et Godwine, et Fridegist, qui duces erant exercitus Anglorum. Ea tempestate fecit Edwinus erui oculos Alfgaro filio Alfrici consulis, unde odium et infamia ejus crudelitatis adaucta est. Tunc Richardo veteri defuncto successit Richardus filius ejus in Normannia. His transactis, Anlaf et Suain Londoniam impetierunt cum nonaginta quatuor navibus in Nativitate sanctæ Mariæ. Cujus gloriosæ Virginis auxilio liberati sunt Christiani a paganis. Urbem namque assilientes, et flammis demoliri parantes, inæstimata confusione repulsi sunt. Quamobrem spe frustrati in Eastsexe, et Cent, et Sudsexe, et Hamtunescire, acceptis equis, sæviores solito perrexerunt, omnia cæde et incendio replentes. Idcirco rex, missis nuntiis, promisit censum eis et cibum, quod concedentes hiemaverunt in pace apud Hamtune. Rex autem Enelred mittens pro rege Anlaf, datis obsidibus, honorifice suscepit eum apud Andoure; tenensque eum ad confirmationem episcopi multis lætificavit muneribus. Anlaf itaque se nunquam amplius sine pace venturum in terram Anglorum regi promisit, promissumque tenuit. His temporibus obiit Siricius archiepiscopus, post quem Alfricus pallio est potitus.

Edelredi regis anno decimo nono Daci circa Cornugalliam perrexerunt in Savernam prædantes in Davene et Sudwales, egredientesque ad Wecheport cum ferro et flamma inde reversi sunt circa Penwistrit [*al.* Penwihtstrict], ex australi parte, venientesque in Tamremutham, et inde apud Lideford facibus et flammis omnia commendabant, et monasterium Ordulfi apud Esingestoche combusserunt. His transactis, perrexerunt hostes in Frondmudham, exeuntesque a puppibus perambulaverunt Dorsete cum clade solita nullo resistente. Hoc tamen anno quandoque perendinabant in Vecta insula, et pascebantur de Hamtunescire et Sudsexe. Posthæc vero venerunt in Tamesim, et inde per flumen Wedewei ad Roveceastriam. Illic igitur Centenses congregati sunt, cuneisque constructis, acerrime bellum incœperunt. Daci vero semper et soli bello nitenti Martio tandem potiti sunt campo. Exinde rex Edelred ivit in Cumberland cum exercitu gravissimo, ubi maxima mansio Dacorum erat; vicitque Dacos bello maximo, totamque fere Cumberland prædando vastavit. His actis, venit quidam exercitus Dacorum ad Erammutham, et ibi castrum expugnare satagentes, viriliter resistentibus cesserunt. Itaque diffusi sunt per patriam circumquaque cum ducibus solitis Marte et Vulcano. Congregati sunt ergo contra eos Summerseti et pugnaverunt apud Penho. Daci vero semper bellis exercitati, belli fortuna potiti sunt. Sed jam liber hic Dacorum magnitudinis suæ meritis termino donandus est.

More autem solito lux apertionis ex ordinata abbreviatione genita, perstrictis hujus libri summitatibus, lectori diligenter anteponenda est.

De regno Cantiæ pauca dicenda sunt; siquidem cum Egbrictus rex Westsere, Balredo fugato, regnum Canitæ in domino suo tenuisset. Adelstano filio suo moriens illud reliquit. Adelstano vero defuncto, ad fratrem Edelwlfum regem Westsexe regnum illud rediit : quod cum hæreditario jure Adelberto filio suo reliquisset, et alius filius ejus Athelbaldus rex Westsexe post v annos periisset, regnum utrumque Adelbricto subditum est, et nunquam postea divisum. Hic igitur omnino regnum Cantiæ explicit.

De regno vero Westsexe hæc elucidatio adhibeatur :

Ethelwlfus regnavit xix annis, victusque a Dacis apud Carrum, perniciose vicit cos apud Aclea.

Athelboldus, filius regis prædicti, regnavit quinque annis et sepultus est apud Scireburnam.

Ethelbricht frater ejus regnavit v annis, cujus duces et exercitus Dacos vicerunt apud Wincestre.

Athelred frater eorum v annis, et paulo plus, qui contra Dacos apud Redinghum mire cum fratre suo conflixit.

Alfredus regnavit xxviii annis, et dimidio, de quo nihil breviter dici potest, quia multa fecit et miranda.

Edwardus xxiii annis, et pugnavit contra Dacos in Nordhumbre, et in egressione Werce, vicit eos gloriose, et occidit reges fortes; vicit quoque Dacos apud Cotenhale, et conquisivit Werce.

Adelstan, filius Edwardi, quatuordecim annis, qui fecit maximum prælium apud Bruneburh.

Edmundus vi annis et dimidio, qui super Dacos v urbes cepit, et eisdem victis Nordhumbram in dominio tenuit.

Edredus frater Edmundi, ix annis omnes Angliæ partes feliciter obtinuit.

Digitized by Google

Edwi, filius Edmundi, IV annis eodem spatio et potentia tenuit.

Edgarus, filius Edmundi, XVI annis pacifice et gloriosius omnibus aliis imperavit.

Edwardus, rex sanctus, V annis regnum tenuit et feliciter occisus est.

Edelred, frater ejus, ira Dei perturbatus ærumnose regnavit, de quo nobis multa restant dicenda.

De regno vero Nordhumbre paulisper tangendum est. Osbrictus namque tempore regis Athelwlfi regnavit ibidem, quem more suo abjicientes constituerunt Ellam regem. Qui utrique cum a Dacis occisi fuissent, regnaverunt Daci multo tempore in Nordhumbre, scilicet rex Haldene, et Gudfert, et Nigellus, et Sidric, et Reginaldus, et Aulaf. Confuse autem regnaverunt Daci, ita quod modo ibi rex unus erat, modo duo, modo reguli multi. Postea vero Edredo regi Westsexe in dominium contigit, et successoribus ejus. Hic igitur omnino regnum Nordhumbre explicit.

De regno vero Werce paucis dicendum est. Britulf namque rex Werce tertio anno regni sui fugatus est a Dacis. Burhred etiam, cum regnasset viginti et duobus annis, fugatus est a regno. Daci ergo regnum illud sibi conquisitum prius Ceolwlfo ad servandum tradiderunt; postea vero sibi minute diviserunt : itaque pars patriæ et procerum quandoque erat sub legibus Westsexe. Edmundus vero rex Werce Westsexe totam sibi in dominium subdidit. Hic igitur regnum Werce dominio Westsexe penitus subjectum explicit.

Regnum vero Estangle, quod dudum regnis aliis, ut prædictum est variis modis subjectum fuerat, nunc reges Westsexe vel Cantiæ in dominio tenebant, nunc alicui vel aliquibus dabant. Igitur rex unus ibi erat, aliquando multi alii reguli; ultimus tamen Anglorum sub rege Westsexe regnavit ibidem S. Edmundus : quo interfecto regnavit Godrun Dacus; postea regnum minutim Daci partiti sunt, fuitque sub eis usquedùm regi Edwardo ex maxima parte subjecta est. Hic igitur regnum Estangle dominio Westsexe contingens explicit, et jam ad primordia causamque adventus Normannorum pervenimus.

LIBER SEXTUS.

Anno millesimo ab Incarnatione Domini Richardi consulis Normannorum filiam rex prædictus Edelred in conjugem assumere præcogitavit ad tuitionem regni sui. Ille enim fortissimus erat, et omni regno Francorum formidabilis. Ipse autem se suosque valde debilitatos videbat, futuramque cladem non mediocriter horrebat. Hoc autem Dei nutu factum esse constat, ut veniret contra improbos malum. Genti enim Anglorum, quam sceleribus suis exigentibus disterminare proposuerat, sicut et ipsi Britones, peccatis accusantibus, humiliaverat, Dominus omnipotens duplicem contritionem proposuit, et quasi militares insidias adhibuit, scilicet ut hinc Dacorum persecutione sæviente, illinc Normannorum conjunctione accrescente, si ab Dacorum manifesta fulminatione evaderent, Normannorum improvisam cum fortitudine cautelam non evaderent. Quod in sequentibus apparuit, cum ex hac conjunctione regis Anglorum et filiæ ducis Normannorum. Angliam juste secundum jus gentium Normanni et calumniati sunt et adepti sunt. Prædixit etiam eis quidam vir Dei quod ex scelerum suorum immanitate non solum quia semper cædi et proditioni studebant, verum etiam quia semper ebrietati et negligentiæ domus Domini dediti erant, eis insperatum a Francia adventurum dominium : quod et eorum excellentiam in æternum deprimeret, et honorem sine termino restitutionis eventilaret. Prædixit etiam quod non ea gens solum, verum et Scotorum, quos vilissimos habebant, eis ad emeritam confusionem dominaretur. Prædixit nihilominus varium adeo sæculum creandum, ut varietas, quæ in mentibus hominum latebat, et in actibus parebat, multimoda variatione vestium et indumentorum designaretur. Hac igitur providentia, cum, legatariis ad ducem Normannorum missis, rex Anglorum suæ petitionis concessionem obtinuisset, statuto tempore tanto digno ministerio ad dominam suam recipiendam et adducendam proceres Anglorum mittuntur in Normanniam, quæ longo et digno regibus apparatu dirigitur in Angliam.

Millesimo II anno Emma, Normannorum gemma, venit in Angliam, et diadema nomenque reginæ suscepit. Quo proventu rex Adelred in superbiam elatus, et perfidiam prolatus, omnes Dacos qui cum pace erant in Anglia, clandestina proditione fecit mactari una eademque die, scilicet in festivitate S. Bricii, de quo scelere in pueritia nostra quosdam vetustissimos loqui audivimus : quod in unamquamque urbem rex præfatus occultas miserit epistolas, secundum quas Angli Dacos omnes eadem die et eadem hora vel gladiis truncaverunt impræmeditatos, vel igne simul cremaverunt subito comprehensos. Eodem anno rex præfatus Leffium ducem exsulavit, quia Effic regis vicecomitem occiderat.

Millesimo III anno ira Daci exarserunt digna, sicut ignis, quem sanguine [*al.* sangimine] velit ali-

Digitized by Google

quis exstinguere. Advolantes igitur quasi multitudo locustarum quidam Exaceastriam venerunt, et urbem totam funditus destruxerunt, et omnia spolia secum, cineribus tantum relictis, deportaverunt. Hugonem vero Normannum, quem ibi jam regina Emma vicecomitem statuerat in perniciem compegerunt. Congregatæ sunt itaque gentes Hamptunescire et Wiltunescire pugnatum cum exercitu. Cum autem appropinquarent ad prælium finxit se dux eorum Alfricus infirmum, et cogebat se ad vomitum; sicque gentem Anglorum, quam ducebat, prodidit. Et quoniam verum est quod vulgo dicitur: *Quando dux deficit, exercitus vilescit*, Daci videntes defectum hostium, persecuti sunt eos usque ad Wiltune, quam prædantes et comburentes venerunt ad Salesbiri et inde ad puppes suas cum præda et triumpho remearunt.

Anno IV Suain, rex Dacorum fortissimus, cui Deus regnum Angliæ destinaverat, cum navibus multis venit ad Nordwic, et eam prædatus est, et combussit. Quod Usketel [*al.* Wlfketel] dux illius provinciæ videns, fecit pacem cum exercitu, improvisum ejus adventum sustinere non sufficiens. Infra pacem vero exercitus post tres hebdomadas furtim perrexit ad Tedford, et eam prædatam combussit. Quod comperiens dux Ulfketel, mane ex improviso cum parva manu revertenti ad puppes occurrit exercitui, quibus graviter et diu resistere, sed non suffecit persistere.

Anno V Daci redierunt in patriam suam. Ne tamen interea plaga carerent Angli, tanta desolatio famis Britanniam invasit, quantam nullus hominum meminisse potuit.

Anno VI cum Suain [*al.* Swein] vir audacissimus cum magna classe redisset ad Sandwic, quem semper comitabantur tres sociæ, prædatio, combustio, occisio: frenduit omnis Anglia, et commota est velut arundinetum zephiro vibrante collisum. Rex autem, congregato exercitu, cum toto autumno contra eos persisteret, nihil profecit: illi namque classem alio dirigentes, ludum solitum exercebant. In principio vero hiemis in insula Vecta manserunt, et sicut per prophetam dictum est: *Dies festos vertam in luctum* (*I Machab.* I), in Natale Domini perambulaverunt Hamtonescire et Berescire, usque ad Redings, inde ad Wallingford, inde ad Colcseige, inde juxta Elendune [*al.* Etsesdune] ad Chichelmestave. Quocunque autem pergebant, quæ parata erant hilariter comedentes cum discederent, in retributionem procurationis reddebant hospiti cædem, hospitio flammam. Revertentibus autem Dacis, ad mare obviavit exercitus Westser et pugnavit cum eis. Quid autem aliud profecit nisi, quod spoliis suis Dacos victus ditavit. Vidit igitur gens Wincestre exercitum hostilem, superbum et audacem juxta portas urbis transeuntem, et cibum, quem ultra L milliaria a mari conquisiverat, et spolia, quæ a bello victis acceperat, secum deferentem. Rex autem Adelred cum mœstitia et confusione erat ad firmam suam in Salopscire, sæpe rumorum sauciatus aculeis.

Anno VII rex et senatus Anglorum dubii quid agerent, quid omitterent, communi deliberatione gravem conventionem cum exercitu fecerunt, et ad pacis observationem XXX millia librarum ei dederunt. Eodem anno Dei providentia ad perniciem Anglorum factus est Edricus dux super Were, proditor novus sed maximus.

Anno VIII, qui est annus XXX regni prædicti regis, fecit rex parari per totam Angliam ex trecentis et decem hidis navem unam, et ex octo hidis loricam et galeam. Hida autem Anglice vocatur terra unius aratri culturæ sufficiens per annum.

Anno IX Richardo Normannorum duci misit rex nuntios suos causa consilii et auxilii postulandi. Puppes autem prædictæ congregatæ sunt apud Sandwic, et viri optime armati. Nec fuit tantus numerus navium tempore alicujus in Britannia. Illusit autem eos Deus; siquidem rex exsulaverat Wlnod puerum nobilem Sudsexe. Ille vero cum XX navibus cœpit prædari juxta littora maris. Igitur Brictric, frater ducis Edrici, laudem sibi volens acquirere, LXXX ex puppibus prædictis secum duxit, et hostem vivum vel defunctum se regi allaturum promisit. Sed inter eundum, ventus ultra modum horribilis naves ejus, omnes ad terram perniciose jactavit. Wlnod vero superveniens statim eas combussit. Sinistris angariatæ nuntiis puppes reliquæ, Londoniam redierunt. Exercitus quoque divisus est, et sic omnis labor Anglorum cassatus est. Tempore igitur messis venit exercitus Dacorum novus et innumerabilis apud Sandwic, et inde ad Cantuariam progressi statim cepissent eam, nisi MMM libras dando, cives pacem impetrassent. Daci ergo in Vectam devenerunt, et inde Sudsexe et Hamtunescire, et Berescire prædati sunt. Rex autem Ædelred, collectis omnibus Anglorum viribus, regredientibus Dacis obviavit, finemque sævitiæ eorum imposuisset, nisi dux Edricus semper proditor rumoribus fictis et terroribus falsis regi pugnam dissuasisset. Postea Daci redeuntes hiemaverunt in Tamese, Londoniamque sæpe assilientes, sæpe repulsi sunt. Trans Natale vero perrexerunt per Chiltern ad Drineford. Qua combusta redeuntes, perstantes in Cantia puppes suas contra se adductas in Quadragesima emendaverunt.

Anno X venerunt Daci apud Gipeswic in die Ascensionis Domini, et insurrexerunt in Dwlfketel ducem exercitus, et Estangli protinus fugerunt. Sed homines Grantebridgescire viriliter obstiterunt; unde dum Angli regnaverunt, laus Grantebrigiensis provinciæ splendide floruit. Cuneis vero inter se invincibiliter confligentibus mortisque casum vilipendentibus, occisus est Athelstan sororius regis, et Oswi dux, et Edwi frater Eviei, et Wulfrie consul, et cum eis principes. Anglis vero cum memoria fugæ nulla adesset, Turcetil Mireneheved, id est caput formicæ, primus fugam incœpit, et oppro-

brium meruit sempiternum. Daci vero victores terram Estangle tribus mensibus, et etiam paludes præcedenti libro descriptas cum ecclesiis vel prædati sunt, vel combusserunt: destruxerunt etiam Cedford; combusserunt quoque Grantebrige, et inde recedentes per montana amœnissima loci delectabilis, qui vocatur Valesham [*al.* Belesham], quosquos invenerunt, in eodem loco neci dederunt, puerosque jactantes super acumina lanceārum recipiebant. Quidam vero fama dignus extenta in gradus turris templi, quod adhuc ibidem stat, ascendit, et tam loco quam probitate munitus ab omni solus exercitu se defendit. Inde vero Daci transeuntes per Estsexam venerunt ad flumen Tamesis. Nec segnes inde promoverunt acies in Drinefordscire, et in Bokinghamscire; et sic juxta Usam ad Bedeford, et sic ad Cemesford. Flumen vero Usæ per tria castra, quæ sunt capita provinciarum, decurrit, scilicet Bukingham, Bedeford et Huntendune; Huntendonia vero, id est mons venatorum loco Godmundcestre nobilis quondam urbis, nunc vero villæ non inamabilis ex alia parte fluminis sita, castris duobus prædictis, tam situs fulgore quam sui decore, tam prædictarum paludum vicinitate quam ferarum et piscium fertilitate longe præeminet. Ad festum vero S. Andreæ diverterunt ad Northamtune. Qua combusta, pertranseuntes cis Tamesim, totam terram combusserunt, et ad Natale classi suæ se reddiderunt.

Anno XI, cum jam Daci prædassent ex boreali parte Tamesis, Estangle, et Grantebrigescire, et Drinefordscire, et Bukinhamscire, et Estsexe, et Middlesexe, et Herfordscire, et Bedefordscire, et partem Huntedunescire, quæ est ex ea parte fluminis, et multum in Hamtunescire: ex australi parte Tamesis Kent et Sudreie et Hastings et Sudsex et Bercscire, et Hampiscire, et multum in Wiltunescire, metropolim Angliæ Cantuariam obsiderunt, et proditione ceperunt. Almar enim quem Alfegus [*al.* Alfes] archiepiscopus a morte liberaverat, eam prodidit. Ingressi igitur ceperunt Alfegum archiepiscopum, et Godwine episcopum, et Lefwine abbatem, et Alfword præpositum regis, et clericos cum monachis, et viros cum mulieribus; sicque victores ad puppes redierunt. Videres autem spectaculum horrendum faciem urbis antiquæ et pulcherrimæ totam in cineres redactam, cadavera civium per vicos densissime jacentia, sanguine solum flumenque nigrescentia, fletum et ejulatum puerorum et mulierum in captivitatem transducendorum, caput fidei fontemque doctrinæ Anglorum vinculis mancipatum opprobriose pertrahi

Anno XII, cum Sabbatum adesset in hebdomada paschali, commoti sunt Daci erga archiepisc., quia prohibebat pecuniam dari pro se. Erant etiam ebrii vino, quod venerat ab austro. Adducto igitur archiepisc. in medio eorum jactaverunt in eum ossa et capita boum, unde cum Deo omnipotenti grates lætissimas ex intimo corde redderet, percussus est capite cum securi. Cecidit ergo vir Dei sanctoque cruore terram aspergens; anima beata cœli decoravit templa. Mane autem episcopi Ednod et Helhum susceptum corpus cum debito honore detulerunt, et sepelierunt ad monasterium S. Pauli: quo in loco Deus merita sancti martyris ostendit. Successit autem ei Lefwing archiepisc. Tunc vero rex nimis sero pacem fecit cum Dacorum exercitu, dans eis VIII mille librarum. Nunquam enim tempore opportuno pax fiebat, donec nimia contritione terra laugueret. Subdiderunt autem se regi XLV puppes Dacorum, promittentes quod Angliam tuerentur, rex vero inveniret eis victum et vestitum.

Anno XIII Swein rex Dacorum venit per Humbram usque Gainsburh; statimque subditus est ei Uctlred, dux Nordhumbre, et tota gens illa. Gens etiam Lindsey, et gens urbium V et omnes ex boreale parte Watlingstreet dederunt ei obsides. Rex vero tradidit obsides, et puppes Cnut filio suo custodiendas, pergensque ad Oxinefordiam et Wincestriam gentes illas in ditionem accepit. Inde revertens Lundoniam, populum multum amisit in Tamesi, quia non curabant ire ad pontem. Cives vero, quia rex Adelred inerat, fortiter ei restiterunt. Suain igitur, inde recedens, ivit ad Wallingford, et inde ad Bathan; et omnis Westsex subdita est ei. Postea vero, cum Suain reversus esset ad puppes suas, Londonienses etiam subditi sunt ei, quia timebant ne eos in perniciem redigeret. Quod videns rex Ædelred, misit Emmam reginam Richardo fratri suo in Normanniam, et postea Edwardum et Ælfredum filios suos. Suain vero ab omni populo habebatur pro rege, jussitque dari per Angliam victum et censum exercitui suo. Turchil vero similiter jussit dari exercitui suo, qui erat in Grenewic. Rex autem Ædelred petiit Withland; quo per Natale moratus, transfretavit fugitivus ad Richardum Normanniæ ducem.

Anno XIV Suain jam rex Anglorum in exordio regni sui subita morte periit. Exercitus autem ejus elegit Cnut filium suum in regem. Angli vero in Normanniam Ædelredo regi nuntios direxerunt, intimantes ei quod si humanius solito vellet eos tractare, nullum eo libentius se in regem recepturos. Ille autem per Edwardum filium suum præmissum omnia rege et populo digna spondens eis, adveniens ab omni Anglorum gente cum lætitia susceptus est. Cnut vero cum exercitu suo moratus apud Geinsburh usque ad Pascha, hominibus Lindsey concordatus est. Quod audiens rex Adelred, cum maximo exercitu superveniens provinciam illam combussit, et provinciales pene omnes interfecit. Cnut vero intime dolens gentem illam sui causa destructam, perrexit cum navibus ad Sandwic, ibique emittens [*al.* admittens] obsides nobilissimos, qui erant patri suo traditi, abscidit eis manus et nasum. Præter hoc malum jussit rex exercitui, qui erat apud Grenewic, reddi XXI mille librarum

Digitized by Google

Addidit autem Dominus malis solitis malum insolitum : mare namque ascendens solito superius villas cum populo submersit innumero.

Anno xv dux Edricus prodidit Siferd et Morchere proceres egregios; vocatos namque in cameram suam fecit occidi. Edmundus, filius regis Adelredi, terram eorum saisivit, et uxorem Sigeferdi duxit. Cnut vero rediit a Dacia in Sandwic, veniensque in Westsexe ad Frothemutham, inde prædavit Dorset, et Sumerset, et Wiltsire. Rex vero Adelred jacebat infirmus apud Chosam. Tunc Edmundus, filius regis, et dux Edricus, congregato exercitu contra Cnut, cum simul venissent, voluit dux prodere juvenem. Ideoque divisi sunt, et prælium dimissum est. Igitur Westsexe subdita est Cnut regi Dacorum.

Anno xvi dux Edricus cum xl navibus subdens se Cnut regi, et rex cum clx navibus convenerunt in Tamesim, pergentesque apud Crikelade, Warewicsire ferro et flamma destruxerunt. Rex autem Adelred fecit edictum, ut quicunque Anglorum sanus esset, secum in bello procederet. Cum autem congregata esset gens innumera, dictum est regi, quod sui prodere volebant eum. Quamobrem, dimisso exercitu, rediit Londoniam. Edmundus vero ivit ad Uctred ducem Nordhumbre, prædaveruntque simul in Staffordscire, et in Scropscire, et in Legeceastre. Cnut vero ex alia parte ivit per Bukinghamscire in Bedfordscire; et sic in Huntendunescire, et inde juxta paludes ad Standford; et sic in Lincolnscire, et inde in Snotinghamscire; et sic in Nordhumbre erga Guerwic. Quod audiens Uctred, dimisit prædationem suam et reversus est in Nordhumbre, et necessitate subditus est Cnut et cum eo tota Nordhumbre; et dedit obsides, et tamen ibi occisus est. Edmundus vero rediit Londoniam ad patrem suum. Sed Cnut statuens Hirc consulem super Nordhumbre in loco Uctredi, rediit ad puppes suas ante Pascha; post Pascha vero cum navigio suo tendebat Londoniam.

Adelred, cum regnasset xxxvii annis, post multos labores et anxietates vitæ suæ decessit in Londonia antequam navigium hostile advenisset.

Post quem Edmundus filius ejus electus est in regem : qui cognominatus est Ireneside, id est ferreum latus, quia maximi vigoris, et mirabilis patientiæ bellicis erat in negotiis. Edmundus rex ivit in Westsexe, et omnis gens ei subdita est. Interea venerunt Dacorum puppes ad Grenewic, et inde Londoniam; facientesque foveam magnam ex australi parte, traxerunt puppes suas ex occidentali parte pontis, fodientesque circa urbem, ita quod nemo intrare vel exire posset, urbem sæpe et graviter assilierunt; sed cives eis caute et viriliter restiterunt. De bellis vero regis Edmundi, et de fortitudine ejus nonne hæc scripta sunt in historiis veterum cum laude summa?

Edmundus primum bellum gessit contra exercitum Dacorum apud Peonnam juxta Tillinges, successusque manifestior contigit Edmundo. Secundum bellum gessit contra Cnut regem apud Sceorstan, ubi pugnatum est acerrime. Dux vero Edric, et Almer Derling erant in prælio contra regem Edmundum. Igitur multi ex utraque parte ceciderunt, et exercitus per se divisi sunt. Tertio cum manu electa bellatorum venit Londoniam : et fugato exercitu ad puppes, qui obsederat urbem, fortissime liberavit eam; et cum debito triumpho ingressus est in eam. Quartum bellum gessit contra eumdem exercitum post duos dies apud Brenddeforde. Multi autem suorum in eo transitu nimis festinantes flumine submersi sunt; ipse tamen belli festivum decus obtinuit. Rex igitur Cnut summo timore perstrictus manum suam multis copiis ad se mandatis augmentavit. Cogitaverunt etiam Cnut rex et dux Edricus, ut quem armis vincere nequibant, proditione vincerent. Igitur dux Edricus concordatus est ei, ut eum proderet. Ivit ergo consilio ejus in Westsexe, ut maximum contra Cnut duceret exercitum. Cnut vero interea Londoniam obsidens, terra et aqua fortiter assilivit; sed cives ei viriliter obstiterunt. Quinta vice rex Edmundus transiens iterum Tamesim fluvium apud Brendeforde ivit in Kent pugnatum cum Dacis. Sed in ipsa obviatione præcedentium vexillatorum horror nimius Dacos invasit, et in fugam versi sunt. Edmundus vero persecutus est eos cum occisione magna usque ad Ilesford [*al.* Eilesford]. Quod si eos persequi persisteret, ultimus ille dies bello Dacisque fuisset. Dux vero Edricus consilio nequissimo fecit eum resistere. Consilium pejus datum non fuerat in Anglia. Sextum bellum commisit Edmundus cum maxima gente, et Cnut cum omnibus Dacorum exercitibus congregatis in Estsexe apud Clesdune. Bello igitur acerrimo et finali pugnatum est, et utrique invincibiles cæde despecta persistebant. Apparuit autem ibi virtus Edmundi juvenis. Cum enim Dacos solito acrius pugnare videret, loco regio relicto, quod erat ex more inter draconem et insigne, quod vocatur Standard, cucurrit terribilis in aciem primam; vibrans igitur gladium electum, et brachio juvenis Edmundi dignum, modo fulminis fidit aciem : abrumpensque mediam pertransiit, seque sequentibus obruendam dedit. Inde in aciem regalem advolat; ubi cum clamor et stridor horrendus inciperet, videns dux Edricus ruinam Dacorum imminere, clamavit Anglorum genti : *Flet, Engle, flet, Engle : dedis Edmund.* Quod interpretatur : *Fugite, Angli, fugite, Angli : mortuus est Edmundus.* Sic igitur clamans fugam cum suis primus incepit, quem tota gens Anglorum in fugam subsecuta est. Illic igitur miranda strages Anglorum facta est : illic occisus est Ednod dux, et Ælfric dux, et Godwine dux, et Ulfketel dux de Estangle; et Ailward filius Alfsi ducis, et omnis flos nobilitatis Britanniæ. Rex vero Cnut tanta fretus victoria Londoniam et sceptra cepit regalia. Septima tamen vice congregati sunt exercitus in Gloucestrescyre.

Digitized by Google

Hinc autem formidantes fortitudinem regis Edmundi, illinc vero regis Cnut, dixerunt inter se proceres : *Cur insensati necis periculum toties incurrimus? pugnent singulariter, qui regnare student singulariter.* Placuit sententia regibus, nec enim mediocris erat rex Cnut probitatis. Positi igitur reges Molaniæ duellum inceperunt. Telis igitur et lanceis utrinque fractis super arma omnium armorum præstantissima rem gladiis egere. Audiebant igitur, et videbant horribiles tinnitus, et igneas collisiones populus uterque cum gemitu et clamore, tandem vigor incomparabilis Edmundi fulminare cepit. Cui Cnut rex cum magno vigore resistens, et tamen sibi timens, inquit : *Juvenum omnium fortissime, quæ necessitas est alterum nostrum regnandi causa ferro perire. Simus fratres adoptivi, regnumque partiamur, imperemusque ego rebus in tuis, tuque in meis. Dacia quoque tuo disponatur imperio.* His verbis juvenis mens generosa delinita est : et osculum pacis invicem datum est. Conveniente igitur populo, et præ gaudio lacrymante, Edmundus regnum suscepit Westsexe, Cnut vero regnum Merce suscipiens reversus est Londoniam.

Edmundus rex post paucos exhinc dies proditione occisus est apud Drineford. Sic autem occisus est. Cum rex hostibus suis terribilis et timendissimus in regno floreret, ivit nocte quadam in domum evacuationis ad requisita naturæ, ubi filius Edrici ducis in fovea secretaria delitescens consilio patris, regem inter celanda cultello bis acuto percussit; et inter viscera ferrum figens fugiens reliquit. Edricus igitur ad regem Cnut veniens, salutavit eum dicens : *Ave, rex solus.* Cui cum rem gestam denudasset, respondit rex : *Ego te ob tanti obsequii meritum cunctis Anglorum proceribus reddam celsiorem.* Jussit ergo eum excapitari, et caput in stipite super celsiorem Londoniæ turrim figi. Sic periit Edmundus rex fortis cum uno anno regnasset; et sepultus est juxta Edgar avum suum in Glastengebirh.

Cnut rex Anglorum Emmam ducis Normannorum filiam, uxorem regis Andelredi duxit. Postea vero rex dignam retributionem nequitiæ Anglis reddidit. Ipse namque in dominio suo Westsexam habebat, Hyrc Nordhumbram, Turchillus Estangle, Edricus Merce. Rex vero Cnut Edricum occidit, Turchillum exsulavit, Hyrc fugere compulit : præterea summos procerum aggressus Normannum ducem interfecit; Edwiadelinge exterminavit, Adelwoldum detruncavit, Edwi Cheorleging [*al.* Edwiceorleking] exsulavit, Bridric ferro vita privavit. Fecit quoque per Angliam mirabilem censum reddi scilicet 82 mille lib. præter undecies mille lib. quas Londonienses reddiderunt. Dignum igitur exactorem [*al.* exauctorem] Dominus justus Anglis imposuit.

Cnut tertio anno regni sui ivit in Daciam, ducens exercitum Anglorum et Dacorum in Wandalos. Cum autem hostibus crastina die conflicturus, appropinquasset, Godwinus consul Anglorum ducens exercitum, rege inscio, nocte profectus est in hostes. Igitur improvidos invasit, occidit, fugavit. Rex vero summo mane cum Anglos fugisse, vel ad hostes perfide transisse putaret, acies ordinatas in hostem dirigens non invenit in castris, nisi sanguinem et cadavera et prædam. Quamobrem summo honore deinceps Anglos habuit, nec minori quam Dacos. His actis in Angliam rediit. Hoc circa tempus Leving archiepiscopo defuncto, Athelnold successor ejus Romam petiit. Cum quo Lefwinus abbas Eliensis profectus abbatiam injuste sibi ablatam, papa Benedicto jubente, rehabuit. Archiepiscopus vero Roma rediens corpus sancti Alfei a Londonia transtulit Cantuariam.

Cnut regis anno octavo dux Normannorum Richardus secundus pater Emmæ reginæ Anglorum vivere non adjecit. Post quem Richardus filius suus anno prope uno imperavit : et post eum Robertus frater ejus octo annis. Anno vero sequenti ivit cum exercitu Anglorum rex in Daciam contra Ulf et Eilaf; qui *gravissimam* contra eum multitudinem terra et mari adduxerunt de gente Speon. Ibi ergo periit populus multus Anglorum et Dacorum ex parte Cnut, et Speon vicerunt.

Cnut rex anno duodecimo ivit ab Anglia cum quinquaginta puppibus in Norwegiam, et bello fugavit Olaf regem Norwegensium, regnumque illud recepit in suam subditionem. Cum vero inde redisset in Angliam rex Olaf rediens in Norwegiam a patriæ illius gente occisus est. Remansitque Cnut regnum illud dum vixit. Circa hoc tempus Roberto regi Francorum successit Henricus filius suus.

Cnut regis anno decimo quinto Robertus dux Normanniæ peregrinatione Jerosolymitana mortuus est, cui successit Willielmus nothus filius suus in puerili ætate. Rex vero Cnut Romam splendide perrexit; et eleemosynam, quæ vocatur Romscot, quam antecessores sui dederant Ecclesiæ Romanæ, perenniter assignavit. Quis autem numeret eleemosynas ejus, et dapsilitates ejus, et magnalia, quæ gessit rex magnus in peregrinatione illa? Non fuit rex sub Occidentali limite, qui tam splendide, tam famose Romæ sancta loca petiisset. Eodem vero anno Roma rediens, perrexit in Scotiam : et Melcolm rex Scotiæ subditus est ei, et duo alii reges Melbeathe et Jermarc.

Cnut rex cum viginti annis regnasset, vivere destitit apud Scaftesbirh, et sepultus est apud Wincestre in veteri monasterio, de cujus regis potentia pauca sunt perstringenda. Nec enim ante eum tantæ magnitudinis rex fuerat in Anglia. Erat enim dominus totius Daciæ, totius Angliæ, totius Norwegiæ, simul et Scotiæ, enimvero extra numerum bellorum quibus maxime splenduit, tria gessit eleganter et magnifice; primum est, quod filiam suam imperatori Romano cum ineffabilibus divitiis maritavit. Secundum quod Romam pergens omnes malas exactiones in via, quæ per Gallias Romam tendit (quæ vocantur

Digitized by Google

telonea vel transversa) data pecunia sua diminui fecit usque ad medietatem. Tertium, quod cum maximo vigore imperii, sedile suum in littore maris, cum ascenderet, statui jussit. Dixit autem mari ascendenti : *Tu meæ ditionis es, et terra in qua sedeo mea est; nec fuit qui impune meo resisteret imperio. Impero igitur tibi, ne in terram meam ascendas, nec vestes nec membra dominatoris tui madefacere præsumas.* Mare vero de more conscendens pedes regis et crura sine reverentia madefecit. Rex igitur resiliens, ait : *Sciant omnes habitantes orbem vanam et frivolam regum esse potentiam, nec regis quempiam nomine dignum præter eum, cujus nutui cœlum, terra, mare legibus obediunt æternis.* [Rex igitur Cnut nunquam postea coronam auream cervici suæ imposuit, sed super imaginem Domini, quæ cruci affixa erat, posuit eam in æternum, in laudem Dei regis magni :] cujus misericordia Cnut regis anima quiete fruatur.

Haraldus filius Cnut regis et Ailivæ [*al.* Alwinæ *vel* Alinæ] ,filiæ Alfelmi ducis, electus est in regem. Fuit namque placitum magnum apud Oxenford ; ubi Lefricus consul et omnes principes ex boreali parte Tamesis cum Londoniensibus elegerunt Haraldum, ut conservaret regnum fratri suo Hardecnut, qui erat in Dacia. Godwinus vero consul pater Haraldi postea regis, et principes Westsexe cœperunt contradicere, sed non profuit. Consilium ergo inierunt, quod Emma regina cum regis defuncti familia conservaret Westsexe apud Wincestre in opus filii sui : Godwinus vero consul dux eis esset in re militari.

Haraldus rex exsulavit Emmam reginam, novercam scilicet suam, quæ divertens ad Baldewinum consulem Flandriæ accepit ab eo castrum Bruge, ut ibi et inde degeret. Willielmo namque Normannorum domino adhuc in ætate puerili cum rege Francorum manente, Normannia fiscus regalis erat. Anno sequente Atelnod [*al.* Athenold] archiepiscopo Cantuariensi migrante , successit Eadsi.

Haraldus rex cum regnasset IV annis et mensibus IV mortem sensit apud Oxenford, et sepultus est apud Westminster. In diebus illis redditæ fuerant XVI puppibus ab unoquoque portu VIII marcæ argenti, sicut et patris sui tempore.

Hardecnut filius regis Cnut et Emmæ reginæ, veniens a Dacia apud Sandwic illico susceptus est, et electus in regem simul ab Anglis et Dacis. Hujus anno secundo redditus est census exercitui Dacorum, scilicet 21,000 lib. et 89 lib. et postea sunt redditæ XXXII puppibus 11,000 lib. et 48 lib. Eodem anno venit Edwardus filius Edelredi regis a Normannia, ad regem Hardecnut fratrem suum : ambo etenim erant filii Emmæ filiæ Richardi consulis.

Hardecnut rex morte præreptus est cum regnasset II annis, in medio flore juventutis suæ apud Lambuthe [*al.* Lambhite], qui claræ indolis et benignæ juventutis fuerat suis. Tantæ namque largitatis fertur fuisse, ut prandia regalia quatuor in die vicibus omni curiæ suæ faceret apponi, malens a vocatis apposita fercula dimitti, quam a non vocatis apponenda fercula reposci, cum nostri temporis consuetudo sit, causa vel avaritiæ, vel, ut ipsi dicunt, fastidii, principes semel in die tantum suis escas anteponere. Sepultus est autem rex Hardecnut in veteri monasterio apud Wincestre juxta Cnut patrem suum. Proceres igitur Anglorum jam Dacorum dominio liberati, hilares pro Alfredo [*al.* Aluredo] primogenito filio Ædelredi, ut regni diademate sublimetur, nuntios mittunt. Ille autem cum esset patre Anglicus et matre Normannus, aliquos ex consanguineis matris suæ, multos ex coævis commilitantibus a Normannia secum duxit in Angliam. Godwinus vero cum esset consul fortissimus, et proditor sævissimus, præcogitavit se Edwardo fratri minori et simpliciori posse dare filiam suam in reginam. Hunc vero Alfredum, quia primogenitus erat et magnæ probitatis, nullo modo filiam suam dignaturum prævidebat. Intimavit igitur proceribus Angliæ, Alfredum nimiam copiam Normannorum secum adduxisse ; terras Anglorum eis promisisse : gentem fortissimam et subdolam : inter eos instirpare Anglis securum non esse. Hos persolvere pœnas oportere, ne alii post hæc audeant pro regis cognatione se Anglis ingerere. Capti sunt igitur et ligati Normanni, qui venerant cum Alfredo : et cum ordine sederent, novem semper excapitati sunt, et decimus remansit apud Gildeforde. Cum autem omnes interfecti essent, nisi decima pars, nimium visum est Anglis tot superesse ; feceruntque decimam decimari, et sic paucissimi evaserunt. Alfredum vero captum duxerunt in Ely, et oculos ejus eruerunt, et mortuus est. Miserunt ergo pro Edwardo juniore in Normanniam nuntios, et obsides. mandantes ei, quod paucissimos Normannorum secum adduceret, et cum in regem fidelissime stabilirent. Paruit Edwardus et cum paucis venit in Angliam, et electus est in regem ab omni populo, et sacratus est ab Eadsi archiepiscopo apud Wincestre in die Paschæ [*al.* Et antequam sepultus esset, electus est Edwardus frater ejus ab omni populo ; et sacratus est ab Eadsi archiepiscopo apud Wincestre in die Paschæ]. Eadsi vero archiepiscopus dimisit archiepiscopatum propter infirmitatem, et sacratus est Siward in loco ejus. Tunc quoque factus est Stigandus episcopus Estangle.

Edwardus rex in patrocinium regni sui duxit filiam Godwini fortissimi consulis nomine Edgitham [*al.* Edievam], sororem regis Haraldi futuri. Circa hoc tempus tanta fames Angliam invasit, quod sextarius frumenti, qui equo uni solet esse oneri venundaretur V solidis, et etiam plus. Postea vero Stigandus, qui erat episcopus in Estangle, factus est episcopus etiam apud Wincestre. Rex autem exsulavit Suain consulem , filium Godwini præ-

Digitized by Google

dicti consulis. Qui recedens ad Balwinum consulem Flandriæ, ibidem hiemavit apud Bruge.

Edwardi regis anno sexto commissum est bellum apud Walesdune inter Henricum regem Francorum, et proceres Normanniæ, quia nolebant Willielmum in dominum recipere. Quos cum dux Willielmus victor obtinuisset quosdam exsulavit, quosdam corpore minuit ; venerunt eo tempore duo principes Dacorum, Lothen et Hirling apud Sandwic, ubi capta innumerabili præda, auri quoque et argenti copia, per mare gyrantes Estsexam prædati sunt. Inde vero dirigentes iter in Flandriam, vendita præda sua reversi sunt unde venerant. Anno sequenti rediit Suain consul in Angliam impetratum pacem a rege. Quod cum Haraldus frater ejus et Beornd consul divertissent, venit postea ad Godwinum patrem suum apud Peuense, cui humillime supplicans et fratribus suis Haraldo et Tosti et Beornd consuli obtinuit ab eis, ut Beornd consul secum proficisceretur usque ad Sandwic ad amicitiam regis impetrandam. Beornd igitur introiens in naves Suain consulis ad auxilium ejus, nequiter occisus est ab eis : cadaverque ejus projectum sepelierunt amici sui apud Wincestre juxta Cnut regem avunculum suum. Suein vero reversus est in Flandriam. Sequenti vero anno Suein regi concordatus est cautela Godwini patris sui. Eo tempore Leo papa tenuit synodum apud Verzelei, ubi Vlf episcopus Dorsecestriæ interfuit ; et pene fractus est baculus ejus episcopalis, nisi majus pretium dedisset. Nesciebat enim officium suum sicut episcopum deceret. Eadsi archiepiscopus vita cassatus est. Obierat etiam, Siwardus successor ejus.

Edwardus decimo anno regni sui dedit Roberto episcopo Londoniæ archiepiscopatum Cantuariæ. Regi vero delatum est quod Godwinus gener suus et Suein filius ejus et Haraldus prodituri eum essent. Quos in causam vocatos, cum sine obsidibus venire recusarent, rex exsulavit. Itaque Godwinus et Suein iverunt in Flandriam, Haraldus vero in Hyberniam. Rex vero in iram promotus, dimissa regina thesaurum suum et terras ei abstulit. Deditque Odoni consulatum Davenesyre, et Sumersete, et Dorsete : Algaro vero filio Lefrici consulis dedit consulatum Haraldi.

Edwardi regis anno II Emma Normannigena, uxor regum et mater regum morem mortis pertulit. Godwinus autem consul et Suein filius ejus currentes velis extensis a Flandria ad insulam Wiht, prædati sunt quoque Portland. Haraldus vero veniens ab Hibernia prædatus est apud Pordocan [*al.* Portlocan] : et inde veniens ad patrem suum in Wiht perrexerunt in Peuense, et inde ad Nesse, et in Kumene, et in Hithe, et in Folcestane, et in Dovere, et in Sanwic, et in Scepeie : ubique accipientes obsides et puppes. Quidam vero exeuntes Widdeltune villam regis combusserunt, classis vero per Nordmutham tendens in Londoniam, obviavit L puppibus, quibus rex inerat. Tunc igitur per internuntios consilio Stigandi episcopi datis obsidibus concordati sunt rex et gener suus ; reddiditque illi et suis terras, et omnia, quæ prius habuerant, et iterum accepit reginam suam. Robertus vero archiepiscopus et omnes Franci, quorum consilio rex consulem exsulaverat, exsulati sunt. Stigandus autem factus est archiepiscopus Cantuariæ. Circa hoc tempus Siwardus consul fortissimus Nordhumbre, pene gigas statura, manu vero et mente prædura, misit filium suum in Scotiam conquerendam. Quem cum bello cæsum patri renuntiassent, ait : *Recepitne vulnus lethale in anteriori vel posteriori corporis parte ?* Dixerunt nuntii : *In anteriori ;* at ille : *Gaudeo plane ; non enim alio me vel filium meum digner funere.* Siwardus igitur in Scotiam proficiscens regem bello vicit, regnum totum destruxit, destructum sibi subjugavit.

Edwardus XII anno regni sui cum pranderet apud Windleshores, ubi plurimum manere solebat, Godwinus gener suus et proditor recumbens juxta eum dixit : *Sæpe tibi, rex, falso delatum est me proditioni tuæ invigilasse ; sed si Deus cœli verax et justus est, hoc panis frustulum concedat ne guttur pertranseat, si unquam te prodere vel cogitaverim.* Deus autem justus et verax audivit vocem proditoris, et mox eodem pane strangulatus mortem prægustavit æternam. Haraldus vero filius ejus habuit consulatum patris sui. Sed Algarus consul Cestriæ habuit consulatum Haraldi.

Edwardi regis anno XIII pugnaverunt proceres Normanniæ contra gentem Francorum apud castrum, quod vocatur Mortuum mare ; et interfectus est Radulphus camerarius princeps exercitus Francorum ; contigitque victoria Normannis. Et quidem rex Henricus Francorum, et dux Willielmus Normannorum bello non intererant. Anno sequente Siwardus consul rigidissimus profluvio ventris ductus mortem sensit imminere. Dixitque : *Quantus pudor me tot in bellis mori non potuisse, ut vaccarum morti cum dedecore reservarer ? Induite me saltem lorica mea impenetrabili, præcingite gladio, sublimate galea : scutum in læva, securim auratam mihi ponite in dextra, ut militum fortissimus modo militis moriar.* Dixerat ; et ut dixerat, armatus honorifice spiritum exhalavit. Sed quia Walteof filius ejus adhuc parvulus erat, datus est consulatus ejus Tosti filio Godwini consulis. Eodem anno Algarus consul Cestriæ exsulatus est, quia de proditione regis in consilio convictus fuerat. Ille vero pergens ad Griffinum regem Nordwales, redieus cum eodem rege combussit Hereford et ecclesiam Sancti Ailbricti [*al.* Athelbricti]. Postea venit Edwardus filius Edmundi Irenside in terram istam, et statim mortuus est, et sepultus apud Londoniam in ecclesia Sancti Pauli. Hic fuit pater Margaretæ reginæ Scotorum, et Edgari Adelinge [*al.* Atheling]. Margareta vero fuit mater Mathil-

Digitized by Google

dis reginæ Anglorum, et Davidis urbanissimi regis Scotorum. Lefricus quoque consul nobilissimus Cestriæ defunctus est eo tempore; cujus uxor Godiva nomine perpetuo digna, multa probitate viguit, et abbatiam apud Coventre construxit : et auro et argento incomparabiliter ditavit. Construxit etiam Ecclesiam Stow sub promontorio Lincolniæ, et multas alias. Algarus vero filius ejus suscepit consulatum Cestriæ.

Edwardi regis anno XXII cum jam Henrico rege defuncto Philippus filius ejus regnaret, Willielmus dux Normannorum subjugavit sibi Cenomanniam. Haraldus vero transiens in Flandriam, tempestate compulsus est in Ponticam provinciam. Quem captum consul Ponticus Willielmo duci Normanniæ reddidit. Haraldus vero juravit Willielmo super reliquias sanctorum multas et electissimas se filiam ejus ducturum : et Angliam post mortem Edwardi regis ad opus ejus servaturum. Summo igitur honore susceptus, et muneribus amplis ditatus, cum reversus esset in Angliam perjurii crimen elegit. Anno vero sequenti Haraldus et Tosti perrexerunt in expeditionem in Walliam. Gens vero patriæ subdita est eis, et obsides dedit. Post ea siquidem occiderunt regem suum Griffinum, et attulerunt Haraldo caput ejus. Haraldus vero statuit ibi alium regem. Contigit autem eodem anno, quod in aula regia apud Windleshores Tosti Haraldum fratrem suum regi vina propinantem capillis coram rege ipso arripuerit. Invidiæ namque et odii fomitem ministraverat, quod cum Tosti ipse primogenitus esset, arctius a rege frater suus diligeretur. Igitur impetu furoris propulsus non potuit cohibere manus a cæsarie fratris. Rex autem perniciem eorum jam appropinquare prædixit, et iram Dei jam non differendam. Tantæ namque sævitiæ fratres illi erant, quod cum alicujus nitidam villam conspicerent, dominatorem de nocte interfici juberent, totamque progeniem illius, possessionemque defuncti obtinerent. Et isti quidem justitiarii erant regni. Tosti igitur furibunde discedens a rege et a fratre suo, perrexit ad Hereforde, ubi frater suus corrodium regale maximum paraverat : ubi ministros fratris sui omnes detruncans singulis vasis vini, medonis, cervisiæ, pigmenti, morati, siceræ, crus humanum, vel caput, vel brachium imposuit. Mandavitque regi, quod ad firmam suam properans cibos salsatos sufficienter inveniret, alios secum deferre curaret. Rex ergo eum ob scelus adeo infinitum delegari, et exsulari præcepit.

Edwardi regis anno XXIV Nordhumbri hæc audientes Tosti consulem suum, qui multas eis cædes et clades ingesserat, fugaverunt : omnemque familiam suam interficientes tam Anglos quam Dacos, ceperunt thesauros et arma ejus in Coverwic. Constituerunt igitur Marcherum filium Algari consulis super eos consulem; qui cum gente illa et cum Lincolnesire, et Snotinghamsire, et Derbisire perrexit usque ad Damtune, et Edwinus frater suus A venit contra eum cum hominibus consulatus sui, et plures Brittanni cum eo. Tunc venit Haraldus consul ad eos. Ipsi vero miserunt eum ad regem et nuntios cum eo precantes, ut possent habere Marcherum consulem super eos. Quod rex concessit, et remisit Haraldum ad eos, ad Hamtune, qui hæc eis affirmavit. Ipsi vero interim comburentes et prædantes et occidentes provinciæ illi non peperce-
runt, sed multa millia hominum secum abducentes cum petitionem suam obtinuissent, multis annis deteriorem partem illam regni reddiderunt. Tosti vero et uxor sua ad Baldwinum consulem Flandriæ divertentes hiemaverunt.

Millesimo sexagesimo sexto anno gratiæ, perfecit dominator Dominus de gente Anglorum, quod diu B cogitaverat. Genti namque Normannorum asperæ et callidæ tradidit eos ad exterminandum. Enimvero cum basilica S. Petri apud Westminster dedicata esset in die sanctorum Innocentium, et postea in vigilia Epiphaniæ rex Edwardus mundo decessisset, et sepultus esset in eadem ecclesia, quam ipse construxerat, et possessionibus multis ditaverat, quidam Anglorum Eadgar, Adeling [*al.* Atheling] promovere volebant in regem. Haraldus vero viribus et genere fretus regni diadema invasit. Willielmus vero dux Normanniæ tribus de causis mente stimulatus, et intrinsecus irritatus est. Primo, quia Alfredum cognatum suum Godwinus et filii sui dehonestaverant et peremerant. Secundo, quia Robertum episcopum et Odonem consulem et omnes C Francos Godwinus et filii sui arte sua ab Anglia exsulaverant. Tertio, quod Haraldus in perjurium prolapsus regnum, quod jure cognationis suum esse debuerat, sine aliquo jure invaserat. Principes vero Normannorum convocans, auxilium Angliæ conquirendæ ab eis petiit. Quibus ad se consiliandos euntibus Willielmus filius Osberti dapifer ducis interfuit; qui gravissimum iter ad Angliam capessendam, gentemque Anglorum fortissimam perhibens, contra paucissimos in Angliam ire volentes acerrime litigavit, quod audientes proceres valde gavisi fidem dederunt ei, ut quod ipse diceret omnes concederent. Ingressus igitur ante eos coram duce, dixit : Paratus sum in hac expeditione D cum omnibus meis devote proficisci. Oportuit ergo omnes Normannorum principes verbum ejus prosequi. Classis itaque maxima parata est ad portum, qui vocatur Sancti Walerici. Quod audiens rex Haraldus vir bellis acerrimus, cum navali exercitu contra Willielmum ducem in mare profectus est. Interea venit Tosti consul in Humbram cum LX puppibus; Edwinus vero consul veniens cum exercitu fugavit eum. Ille vero fugiens in Scotiam obviavit Haraldo regi Norwegiæ cum CCC puppibus; et Tosti gavisus valde subditus est ei. Deinde ambo venerunt in Humbram usque ad Covirwic, et juxta urbem pugnaverunt cum eis Edwinus et Markerus consules; cujus locus pugnæ in australi parte urbis adhuc ostenditur. Haraldus vero rex Norwegiæ

Digitized by Google

et Tosti cum eo Martis omine glorioso potiti sunt. Quod audiens Haraldus rex Angliæ cum manu valida obviavit eis apud Stainfordbrige [*al.* Steinfordesbrige]. Pugna igitur incepta est, qua gravior non fuerat. Coeuntes namque a summo mane usque ad meridiem, cum horribiliter ruentes utrinque perseverarent maximus numerus Anglorum Norwegenses cedere, sed non fugere compulit. Ultra flumen igitur repulsi, vivis supra mortuos transeuntibus magnanimiter restiterunt. Quidam vero Norwegensis fama dignus æterna super pontem restitit, et plus XL viris Anglorum securi cædens electa usque ad horam diei nonam omnem exercitum Anglorum detinuit solus; usquequo quidam navim ingressus per foramina pontis in celandis cum percussit jaculo. Transeuntes igitur Angli Haraldum regem et Tosti occiderunt, et totam Norwegensium aciem vel armis straverunt vel igne deprehensos combusserunt.

Haraldus rex Anglorum eadem die reversus ad Conirwic cum summa lætitia, dum pranderet, audivit nuntium dicentem sibi : Willielmus dux Normanniæ littora australia occupavit, et castellum construxit apud Hastings. Rex igitur non segnis advolans aciem suam construxit in planis Hastings. Wilhelmus vero v catervas equitum splendide promovit in hostem ; quibus terribiliter dispositis, orationem hujuscemodi habuit : *Vos alloquor, Normanni, gentium fortissimi, non quasi vestræ probitatis incertus, non quasi de victoria non securus; quæ nunquam casu aliquo, vel impedimento a vobis evadere potuit. Quod si semel non vincere potuissetis exhortandi forsitan essetis, ut probitas vestra præradiaret. Quod autem nativum vobis est, et quasi necessarium, qua indiget exhortatione? O mortalium validissimi, quid potuit rex Francorum bellis proficere cum omni gente quæ sunt a Lotaringa usque ad Hispaniam contra Hasting antecessorem nostrum? Qui quantum voluit Franciæ sibi acquisivit, quantum voluit regi permisit; dum placuit, tenuit; dum satiatus est : ad majora anhelans reliquit. Nonne Rou pater meus dux primus et auctor nostræ gentis cum patribus nostris regem Francorum Parisius in medio regni sui bello vicit? nec Francorum rex potuit sperare salutem, nisi et filiam suam et terram, quæ ex vobis Normannia vocatur, supplex obtulisset? Nonne patres vestri regem Francorum in Rothomago ceperunt et tenuerunt, donec Richardo puero duci vestro Normanniam reddidit, eo pacto, quod in omni collocutione regis Franciæ et ducis Normanniæ gladio dux accingeretur, regem vero nec gladium nec etiam cultellum ferre liceret? Hanc æternam sanctionem patres vestri regi magno cogentes statuerunt. Nonne idem dux patres vestros usque ad Mirmandam juxta Alpes adduxit, et urbis ducem generum scilicet suum sponsæ suæ prælians parere coegit? Et ne parum sit vobis homines vicisse, vicit et ipse diabolum corporaliter colluctans, et prosternens, liganque manus ejus post terga confusumque victor Anglorum reliquit. Sed quid prisca narro? Nonne vobis congredientibus in eo tempore apud Mortemer, Franci præcipites præposuere fugam bellis, calcaria telis? Vos autem, Radulfo summo duce Francorum interfecto, fama spoliisque potiti, naturale bonum solita necessitate tenuistis. Eia procedat aliquis Anglorum quos centies antecessores nostri et Duci et Norwegenses bellis vicerunt; demonstretque gentem Rou ex ejus tempore usque nunc semel militiæ naufragia perpessum esse, et ego victus abscedo. Nonne igitur pudori vobis est gentem vinci solitam, gentem belli cassam, gentem nec etiam sagittas habentem contra vos, o fortissimi, quasi bello ordinatam procedere? Nonne vobis pudet regem Haraldum contra me in præsentia vestri perjurum faciem suam vobis ostendere ausum fuisse? Mihi tamen stupori est, quod eos qui parentes vestros cum Alfredo cognato meo proditione nefanda excapitaverunt oculis vestris vidistis, et eorum capita adhuc humeris eorum supersunt. Erigite vexilla, viri; nec sit iræ promeritæ modus vel modestia. Ab oriente ad occidentem videatur fulmen gloriæ vestræ; audiatur tonitruum impetus vestri, vindicesque generosissimi sanguinis.* Nondum peroraverat dux Willielmus : omnes ira accensi ultra quam credi potest secundum acies suas impetu ineffabili provolabant in hostem, ducemque jam sibi soli loquentem relinquebant.

Quidam vero nomine Taillefer diu antequam coirent bellatores, ensibus jactatis ludens coram gente Anglorum, dum in eum omnes stuperent, quemdam vexilliferum Anglorum interfecit. Secundo similiter egit. Tertio idem agens, et ipse interfectus est : et acies sibi offenderunt. Incipit lætifera nubes sagittarum. Tonitruum sequitur ictuum. Insilit ignita collisio galearum et ensium. Cum ergo Haraldus totam gentem suam in una acie strictissime locasset, et quasi castellum inde construxisset, impenetrabiles erant Normannis. Docuit igitur dux Willielmus genti suæ fugam simulare. Fugientes autem ad quamdam foveam magnam dolose protectam devenerunt ; ubi multus numerus eorum corruens oppressus est. Dum igitur Angli in sequendo persistunt, acies principalis Normannorum mediam Anglorum catervam pertransiit. Quod videntes qui persequebantur per foveam prædictam, redire compulsi, ibidem ex magna parte perierunt. Docuit etiam dux Willielmus viros sagittarios, ut non in hostem directe, sed in aera sursum sagittas emitterent, cuneum hostilem sagittis cæcarent. Quod Anglis magno fuit detrimento. Viginti autem equites strenuissimi fidem suam dederunt invicem, quod Anglorum catervam perrumpentes, signum regium, quod vocatur Standard, arriperent. Quod dum facerent plures eorum occisi sunt. Pars autem eorum via gladiis facta Standard asportavit. Interea totus imber sagittariorum cecidit circa regem Haraldum : et ipse in oculo percussus corruit. Irrumpens autem multitudo equitum regem vulneratum interfecit, et Girh consulem interfecit, et Lewine consu-

Digitized by Google

lem et fratres cum eo. Sic igitur contritus est exercitus Anglorum. Willielmus vero tanta potitus victoria susceptus est a Londoniensibus pacifice et coronatus est apud Westminster ab Aldredo Eboracensi episcopo. Et facta est mutatio dextræ Excelsi; quam cometa ingens in exordio ejusdem anni designaverat. Unde dictum est :

Anno milleno sexageno quoque seno
Anglorum metæ flammas sensere cometæ.

Commissum est autem bellum mense Octob. in festivitate Sancti Calixti. Quo in loco rex Willielmus abbatiam nobilem postea pro defunctis suis construxit; et eam digne nomine Belli vocavit.

Willielmus rex anno sequenti mare transiit ducens secum obsides et thesauros : et eodem anno rediens divisit terram militibus suis. Sed Eadgar juvenis cum multis militibus pergens in Scotiam, regi Scotorum sororem suam Margaretam desponsavit. Cum autem rex Roberto comiti consulatum Nordhumbre dedisset, provinciales eum et cum eo nongentos homines occiderunt. Tunc Edgar juvenis cum omni gente Nordhumbre venit Govirwic : et burgenses cum eo pacem fecerunt. Rex vero veniens cum exercitu civitate prædata, magnam gentis perfidæ stragem dedit. Edgarus autem reversus est in Scotiam.

Willielmi regis anno tertio venerunt duo filii Swain regis Dacorum et Osbertus consul frater suus cum trecentis puppibus in Humbram, ad quos Walthef consul et Edgar juvenis venerunt : junctique simul Daci et Angli castellum de Govirwic ceperunt; multosque Francorum perimentes, principes eorum vinctos et thesauros ad puppes tulerunt : et inter Usam et Trentam hiemaverunt. Rex autem adveniens Dacos aufugavit, et Anglos illius provinciæ destruxit. At consul Walthef cum rege concordatus est. Anno sequenti Baldewino Flandriæ consuli defuncto, cujus filiam rex Willielmus duxerat, successit filius suus Ernulfus : quem rex Willielmus Anglorum, et Philippus rex Francorum manu tenebant. Rodbertus autem Frisensis frater ejus bello confligens occidit Ernulfum consulem, et Willielmum filium Osberti de quo prædiximus, et multa millia hominum utriusque regis.

Willielmi regis anno quinto, Markerus et Edwinus consules cœperunt prædari per campos et nemora. Edwinus autem occisus est a suis. Markerus vero et Herewardus et Alwinus episcopus venerunt in Deli [*al.* Eli]. Rex vero ducens exercitum terra et mari insulam obsedit, pontem paravit, domum belli artificiose construxit, quæ usque hodie perstat : viros prædictos introiens insulam cepit præter Herewardum, qui suos viriliter strenuissimus eduxit. Sequenti anno duxit rex exercitum terra et mari in Scotiam, Melcolm vero rex Scotorum homo suus effectus est, et obsides ei dedit. Anno sequenti rex duxit exercitum Anglorum et Francorum in Cenomanniam. Angli vero terram illam destruxerunt villas comburendo, vineas cædendo, et eam regi subdiderunt. Proximo vero anno ivit rex in Normanniam, et Edgar juvenis concordatus est ei, et in curia regis diu permansit.

Willielmi regis anno nono, Radulfus, cui rex consulatum Estange dederat, regem a regno expellere prægogitavit consilio Walthef consulis, et Rogeri, qui fuit filius Willielmi filii Osberti; cujus sororem consul prædictus duxit, et in ipsis nuptiis hanc proditionem prolocuti sunt. Proceres vero regni ei viriliter obstiterunt : unde ipse naves introiens apud Nordwic recessit in Daciam. Rex autem rediens in Angliam Rogerum consulem cognatum suum misit in carcerem. Sed Walthef consulem decollari fecit apud Wincestre, et sepultus est apud Cruland. Cæterorum vero, qui nuptiis pravis interfuerant, multos fugavit, multos oculis privavit. Radulfus autem consul adducens secum Cnuth filium Suein regis Dacorum et Hacun consulem rediit in Angliam cum cc puppibus. Sed cum non auderent contra regem Willielmum pugnare transfretaverunt in Flandriam. Eodem anno Edith regina decessit, et sepulta est juxta virum suum regem Edwardum apud Westminstre. Anno sequenti rex transfretans obsedit Dol, Britanni autem castellum tenuerunt viriliter, donec rex Franciæ adveniens liberavit eos. Postea vero rex Franciæ, et rex Willielmus concordati sunt. Rex autem Scotorum Melcolm prædatus est in Nordhumbre usque ad Cine : et prædam maximam, multosque homines secum in vinculis reduxit. Rex quoque Willielmus seditione militari agens contra Robertum filium suum apud Gerberei, quod est castrum in Francia, equo suo propulsus est : et Willielmus filius suus vulneratus est, et multi ex suis occisi. Maledixit autem rex Roberto filio suo. Porro Nordhumbri proditione occiderunt Walkerum episcopum Dunelmiæ, in quodam placito pacifice statuto juxta Tinam, et centum homines cum eo.

Willielmus rex anno decimo quinto duxit exercitum in Walliam, et eam sibi subdidit; Odonem episcopum fratrem suum postea in carcerem posuit. His transactis, regina Mathildis obiit. Eo tempore cœpit rex ab unaquaque hida Angliæ sex solidos. Turstanus vero abbas Glastingebirh turpe scelus commisit. Tres namque monachos sub altare positos occidi fecit; et octodecim vulnerari; ita quod sanguis eorum cucurrit ab altari super gradus et a gradibus super arenam.

Willielmus rex anno decimo octavo (quo in anno Urbanus papa effectus est Romanus) rediit a Normannia in Angliam cum tanto exercitu Francorum, Normannorum, Britannorum, quod mirum videbatur, quomodo hæc terra pascere eos posset. Dicerat enim, fama crebrescente, quod rex Daciæ Cnuth, et Robertus Frisensis consul Flandriæ volebant ditioni suæ Angliam Martis gressibus supponere; cum autem apparatus eorum, Deo volente, defecisset, remisit magnas partes exercituum ad natale solum. Misit autem dehinc rex potentissimus

Digitized by Google

justitiarios per unamquamque scyram, id est provinciam Angliæ et inquirere fecit per jusjurandum quot hydæ (id est jugera uni aratro sufficientia per annum) essent in unaquaque villa, et quot animalia : fecit etiam inquiri quid unaquæque urbs, castellum, vicus, villa, flumen, palus, silva, redderet per annum. Hæc autem omnia in chartis scripta delata sunt ad regem, et inter thesauros reposita usque hodie servantur. Eodem anno Mauricius effectus est episcopus Londoniæ, qui templum maximum quod necdum perfectum est, incepit.

Willielmus rex fortis anno decimo nono regni sui cum de more tenuisset curiam suam in Natali apud Gloucestre, ad Pascha apud Wincestre, ad Pentecosten apud Londoniam, Henricum filium suum juniorem viriliibus induit armis. Deinde accipiens hominium omnium terrariorum Angliæ, cujuscunque feudi essent, juramentum etiam fidelitatis recipere non distulit. Postea rex acquisitis magni thesauri copiis super quoscunque aliquam causam invenire poterat, sive juste sive injuste, ivit in Normanniam.

Anno vigesimo primo regni Willielmi regis cum jam Domini justam voluntatem super Anglorum gentem Normanni complessent : nec jam vix aliquis princeps de progenie Anglorum esset in Anglia, sed omnes ad servitutem et ad mœrorem redacti essent ; ita etiam, ut Anglicum vocari esset opprobrio : hujus auctor vindictæ Willielmus vitam terminavit. Elegerat enim Deus Normannos ad Anglorum gentem exterminandam ; quia prærogativa sævitiæ singularis omnibus populis viderat eos præeminere. Natura siquidem eorum est ut, cum hostes suos adeo depresserint, ut adjicere non possint, ipsi se deprimant, et se terrasque suas in pauperiem et vastitatem redigant ; semperque Normannorum domini cum hostes contriverint, cum crudeliter non agere nequeant, suos etiam hostiliter conterunt. Quod liquide in Normannia, et Anglia, Apulia, Calabria, Sicilia et Antiochia terris optimis, quas eis Deus subjecit, magis magisque apparet. In Anglia ergo teloneæ injustæ et pessimæ consuetudines his temporibus pullulaverunt. Principes omnes auri et argenti cupiditate cæcati adeo erant, ut illud de iis vere dici possit, unde habeat, nemo quærit, sed oportet habere ; quanto magis loquebantur de recto, tanto major fiebat injuria. Qui justitiarii vocabantur, caput erant omnis injustitiæ. Vicecomites et præpositi, quorum erat officium justitia, et judicium furibus et raptoribus atrociores erant, et omnibus sævissimis sæviores. Rex ipse cum ad firmam terras suas, quanto carius poterat, dedisset ; alii magis offerenti, et deinde alii, semper negligens pactum, et ad majora studens, dabat. Nec erat cura quanta injuria pauperibus a præpositis fieret. In hoc anno igitur pestes infirmitatis et famis Angliæ Deus immisit, ut qui febribus evaderet, fame moreretur. Immisit etiam tempestates et tonitrua, quibus multos hominum occidit ; nec animalibus, nec pecori pepercit. Inerat autem hoc anno rex Willielmus in Franciam prædavitque regnum regis Philippi, et multos suorum neci dedit. Combussit quoque castrum nobile quod vocatur Maante [*al.* Anaante] ; et omnes ecclesias, quæ ibi inerant, plebemque multam, et duos anachoritas sanctos igni tradidit. Quibus de causis Deus iratus regem cum inde rediret infirmitati, postea morti concessit. De cujus regis potentissimi vita bona perstringenda sunt, et mala ; ut a bonis sumantur exempla, et a malis discatur cautela.

Willielmus omnibus Normanniæ consulibus fortior fuit, omnibus Anglorum regibus potentior fuit ; omnibus prædecessoribus laude dignior fuit. Erat autem sapiens, sed astutus ; locuples, sed cupidus ; gloriosus, sed famæ deditus : erat humilis Deo servientibus, durus sibi resistentibus. Posuerat namque consules et principes in carcerem ; episcopos, et abbates possessionibus suis privaverat ; fratri proprio non pepercerat ; nec erat, qui resisteret. Auferebat quoque potentissimis etiam auri et argenti millia, ad castella solus omnes fatigabat construenda. Si servum caperent, aut aprum, oculos iis evellebat, nec erat, qui obmurmuraret. Amavit autem feras, tanquam pater esset earum ; unde in silvis venationum, quæ vocantur Novefforest, ecclesias et villas eradicari, gentem exstirpari, et a feris fecit inhabitari. Cum autem raperet suis sua, non pro aliqua necessitate, sed præ nimia cupiditate, in intimis cordium amaricabantur, et tabescebant. Ipse vero nihili pendebat iras eorum. Sed oportebat omnes obsequi regis nutui ; si amore ejus, vel pecunia, vel terris vel vita vellent perfrui. Heu! quanto dolore plangendum est, quod aliquis hominum, cum cinis et vermis sit, adeo superbiat, ut super omnes se solum mortis oblitus extollat. Regi namque præfato Normannia hæreditarie pervenerat. Cenomaniam armis acquisierat, Britanniam sibi acclivem fecerat. Super Angliam solus totam regnaverat ; ita quod nec ibi una sola hyda inerat, de qua nescire cujus esset, et quid valeret. Scotiam quoque sibi subjugaverat, Walliamque reverendus in suam acceperat ; pacis autem tantus auctor fuerat, quod puella auro onusta regnum Angliæ pertransire posset impune. Si aliquis quempiam quacunque de causa peremisset, capitali subjacebat sententiæ ; si aliquem vi oppressisset, genitalibus privabatur armis. Construxit autem abbatiam Belli, de qua prædictum est, et illam apud Cahom [*al.* Chaam] in Normannia, in qua ipse sepultus est. Uxor vero sua Mathildis nomine abbatiam sanctimonialium ibidem construxit, in qua ipsa sepulta est. Quorum animabus misereatur, qui solus post mortem medetur ; vos igitur qui legitis, et viri tanti virtutes et vitia videtis, bona sequentes et a malis declinantes, pergite per viam directam, quæ ducit ad vitam perfectam.

Eodem anno pagani super Christianos in Hispania prælati sunt, et partes regni magnas occu-

Digitized by Google

paverunt. Amphos vero rex Christianus, accepto circumquaque a Christianis auxilio, resurgens paganos occidit, fugavit, terræ ablatæ damna reparavit. Accidit etiam in Dacia, quod Daci nunquam antea in dominum fide læsi, Cnut regem suum in monasterio quodam proditione peremerunt. Willielmus vero rex Roberto filio suo primogenito dimiserat Normanniam ; Willielmo filio ejus secundo regnum Angliæ ; Henrico tertio filio suo thesauri copiam, pro quo cum Robertus partem ei Normanniæ vendidisset, thesauro habito terram ei abstulit. Quæ res Deo valde displicuit, sed vindictam in tempore distulit. Willielmus vero pergens apud Wincestre thesaurum patris sui secundum imperium ejus divisit. Erant autem in thesauro illo LX mille libræ argenti : excepto auro, et gemmis, et vasis, et palliis. Deditque inde quibusdam ecclesiis decem marcas auri, quibusdam sex, et unicuique ecclesiæ villæ quinque solidos, et misit in unum quemque comitatum centum libras divisum pauperibus. Præcepto quoque patris sui omnes vinctos a vinculis solvit. Rex igitur novus curiam suam ad Natale tenuit apud Londoniam, in qua adfuerunt Lamfrancus archiepiscopus, qui eum sacraverat in regem et Thomas Eboracensis archiepiscopus, et Mauricius Londoniensis episcopus, et Walchelmus Wintoniensis, et Gaufridus episcopus Erecestre, et Wlnod episcopus sanctus Wirecestriæ, et Willielmus Tedfordiæ, et Robertus Ceastre, et Willielmus Dunelmiæ, et Odo episcopus Bajocensis justitiarius et princeps totius Angliæ; et Remigius episcopus Lincolniensis, de quo pauca tangere res exigit.

Remigio igitur, qui monachus fuerat apud Felcamb dederat rex episcopatum Dorecestre, quæ sita est super Tamesim. Cum autem episcopatus ille major omnibus Angliæ a Tamesi usque ad Humbram duraret, molestum visum est episcopo, quod in ipso termino episcopatus sedes esset episcopalis; displicebat etiam, ei, quod urbs illa modica erat, cum in eodem episcopatu civitas clarissima Lincolnia dignior sede episcopali videretur. Mercatis igitur prædiis in ipso vertice urbis juxta castellum turribus fortissimis eminens in loco forti fortem, pulchro pulchram, virgini virginum construxit Ecclesiam ; quæ et grata esset Deo servientibus, et ut pro tempore oportebat invincibilis hostibus. Provinciam tamen Lindisse archiepiscopus Eboracensis calumniabatur ex antiqua temporum serie. Remigius vero nihili ducens impetitionem ejus, non segniter opus inceptum peregit ; peractumque clericis doctrina et moribus approbatissimis decoravit. Erat siquidem statura parvus, sed corde magnus ; colore fuscus, sed operibus venustus. De regia quidem proditione fuerat impetitus ; sed famulus ejus ferri ignitî judicio dominum purgans regio restituit amori, et maculam Pontificali detersit decori. Hoc tempore, hoc auctore, his causis incepta est Ecclesia moderna Lincolniensis.

Verum jam rebus usque ad tempora nostra perductis, novis novus liber est donandus. Si autem et hic prædictorum recapitulatio elucidans requiratur, nec ob ista, cum pauca sint, lectori molestus apparebo. Ecce igitur speculum de regibus libri terminati:

Æthelred regnavit super universos fines Angliæ XXXVII annis semper cum labore.

Edmundus juvenum fortissimus regnavit uno anno et proditione occisus est.

Cnut omnium prædecessorum suorum maximus regnavit gloriose viginti annis.

Haraldus filius ejus regnavit quatuor annis, et VI hebdomadis.

Hardecnut munificus regis Cnut filius, cum regnasset duobus annis sex diebus minus, morte præreptus est.

Edwardus rex bonus et pacificus regnavit in pace viginti quatuor annis.

Haraldus rex perjurus uno anno, et tamen non pleno, quem propria perdidit injustitia.

Willelmus omnium prædictorum summus viginti uno annis glorifice splenduit, de quo dictum est :

Cæsariem, Cæsar, tibi si natura negavit,
Hanc, Wilielme, tibi stella cometa [*al.* comata] [*dedit,*

LIBER SEPTIMUS.

Hactenus de his, quæ vel in libris veterum legendo reperimus, vel fama vulgante percepimus, tractatum est. Nunc autem de his, quæ vel ipsi vidimus, vel ab iis, qui viderant, audivimus, pertractandum est. Declaratumque constat, quo modo Dominus salutem et honorem genti Anglorum pro meritis abstulerit, et jam populum non esse jusserit. Patebit a modo, quomodo et ipsos Normannos vindices quidem suos variis cladibus afficere inceperit. Omnes namque nobiliores procerum in Willielmum juniorem non sine perjurio bellum moventes, et Robertum fratrem suum in regnum asciscentes, suis quique provinciis debacchati sunt. Odo præsul Bajocensis, princeps et moderator Angliæ, in Cantia seditionem exordiens, regis et archiepiscopi villas invasit, et combussit. Rogerus consul de Moretiel [*al.* Moretvil] circa Pcuense idem incepit. Galfridus episcopus prodiens a Brigestov urbem Bade, et Berchelai, et circumjacentia destruxit. Rogerus in castello Nordwic sceleris exercitium per Estangle non segnius inchoavit. Hugo in provincia Legecestriæ et Hamptoniæ nihil mitius egit. Wilhelmus

Digitized by Google

episcopus Dunelmiæ in finitimis similia perpetravit. Principes vero Herefordshyre et Salopescyre cum Walensibus prædantes combusserunt provinciam Wirecestre usque ad portas urbis. Cum autem templum et castellum assilire pararent, Wlstanus episcopus sanctus quemdam amicum familiarem summis in necessitatibus compellavit, Deum videlicet excelsum. Cujus ope coram altari jacens in paucis militibus emissis quinque mille hostium, vel occidit, vel cepit; cæteros vero mirabiliter fugavit. Rex autem congregato Anglorum populo, reddidit venatus, et nemora, legesque promisit exoptabiles. Porrexit igitur ad castellum Cunebruge; unde Gilbertus ei rebellabat. Cum autem regalis exercitus jam castellum constringeret, cum rege pacificatus est. Rex inde progrediens ad Pevenese, obsedit ibi Odonem episcopum, et Rogerum consulem per sex hebdomadas. Interea Robertus dux Normanniæ Angliam festinans adire, et auxilio prædictorum obtinere, præmisit partem exercitus in auxilium suorum, disponens cum copiis ingentibus eos prosequi. Anglici vero mare custodientes occiderunt, et submerserunt ex illis innumerabiles. Igitur qui erant in Pevenese deficiente cibo castrum regi reddiderunt. Odo siquidem episcopus juravit se ab Anglia recessurum, et castellum Rovecestriæ redditurum; cum autem ut illud redderet cum regis hominibus eo venisset, Eustachius consul et cæteri proceres, qui urbi inerant fallacia ipsius episcopum regisque ministros ceperunt, et in carcerem retruserunt. Quibus rex auditis Rovecestriam obsedit, donec firmitas reddita est; et episcopus Odo non rediturus mare transiit. Mittens quoque rex exercitum Dunelmiæ obsedit urbem, donec reddita est ei. Episcopus vero multique proditorum propulsi sunt in exsilium. Rex vero terras infidelibus suis distribuit. Lanfrancus archiepiscopus doctor luculentus clericorum, et pater dulcissimus monachorum, a rebus transitoriis anno sequente transiit, quo in anno terræmotus fuit terribilis.

Junior Willielmus anno III regni sui ulcisci parátus injurias, quas ei frater suus ingesserat, muneribus datis, acquisivit sibi castellum S. Walerici et Albemarle, qui milites suos mittens, prædari et comburere terram fraternam cœpit. Anno vero sequenti rex ipse sequens eos concordiam cum fratre suo fecit, eo tamen pacto, ut castra illa, quæ frater ab eo injuria acquisierat, regi remanerent. Rex autem adjuvaret eum ad omnia, quæ pater suus habuerat, conquirenda. Statuerunt etiam, si quis eorum moreretur prior altero sine filio, quod alter fieret hæres illius. Hoc pactum juraverunt duodecim principes vice regis, et duodecim vice ducis. Interea Melcolm rex Scotorum prædatum veniens in Angliam, validissime vexavit eam. Venientes igitur in Angliam rex et cum eo Robertus frater suus, direxerunt acies in Scotiam. Itaque Melcolm nimio timore perstrictus homo regis effectus est, et juramento fidelitatis ei subjectus. Robertus autem dux cum fratre suo diu perendinans cum plus ficti amoris quam veri circa eum reperisset, transfretavit ad propria. Succedente anno rex reædificavit Carleol, et ex australibus Angliæ partibus illuc habitatores transmisit. Remigius vero præsul cum ecclesiam Lincolniensem jam perfectam dedicaturus esset, uno die ante hoc languore correptus exspiravit.

Junior Willielmus in Quadragesima infirmatus est apud Gloveceastre VI anno regni sui deditque archiepiscopatum Cantuariæ Anselmo abbati viro sancto, et venerabili: Roberto quoque cognomento Bloet cancellario suo dedit episcopatum Lincolniæ, quo non erat alter forma venustior, mente serenior, affatu dulcior. Promisit quoque rex se pravas leges emendaturum, et in domo Domini pacem positurum. Sed ex quo sanus fuit, pœnituit eum, et solito pejor effectus est. Condolens igitur, quod episcopatum Lincolniæ non vendiderat, cum archiepiscopo Eboracensi calumniatus est Robertum episcopum, quod urbs Lincolniæ, et provincia Lindisse archiepiscopo eidem subjacere debuissent. Nec potuit causa terminari, donec Robertus 5,000 lib. regi pro libertate ecclesiæ suæ pepigerit; quod regi quidem Simoniæ, præsuli vero justitiæ deputatum est. Eodem anno Melcolm rex Scotiæ in Anglia prædans, ex improviso est interceptus, et interfectus, et Edwardus filius suus hæres si viveret ejus. Quod ut audivit Margareta regina, duplici contritione anxiata est in anima usque ad mortem: pergensque ad ecclesiam confessionem et communionem recepit, et Domino precibus se commendans animam reddidit. Scoti vero elegerunt Duneval [*al.* Duvenal] fratrem Melcolm in regem. Sed Dunecan filius Melcolm regis, qui erat obses in curia regis Willielmi, auxilio ejusdem regis superveniens avunculum suum fugavit, et susceptus est in regem. Anno vero sequenti consilio ejusdem Duneval Scoti regem suum Dunecan insidiantes occiderunt.

Junior Willielmus VII anno regni sui, provocatus a fratre suo, quod jusjurandum non servasset, transfretavit in Normanniam. Cum ergo fratres simul venissent juratores omnem culpam regi imposuerunt; rex vero ferus ea negligens, et iracunde discedens castellum Bures invasit, et cepit. Econtra dux castellum Argentes cepit, et in eo consulem regis nomine Rogerum Pictavensem et cum eo DCC milites, et postea castrum Hulme. Fecit interim rex summoneri XXM peditum Anglicorum, ut venirent in Normanniam; cum autem ad mare venisset, rex ab unoquoque eorum pecuniam victualem, scilicet decem solidos accipiens, eos domum remisit. Dux vero Robertus adduxit Philippum regem Francorum secum, et exercitum copiosum; ut obsiderent regem Willielmum apud Hou [*al.* Ou]. Ingenio autem et pecunia regis Willielmi rex Francorum reversus est, et sic totus exercitus pecuniæ tenebris obnubilatus evanuit. Rex vero Willielmus mandavit Henrico fratri suo, qui erat apud Damfrunt, ut esset in Natali contra eum in An-

Digitized by Google

glia. Henricus ergo in Natali fuit apud Londoniam; rex vero apud Withsand; unde appulit Doroberniam. Anno vero sequenti misit Henricum fratrem suum in Normanniam cum pecunia multa, ut eam loco regis diutinis invasionibus expugnaret. Cum autem Robertus consul Nordhumbræ in superbiam elatus, quia regem Scotorum straverat, curiam regis adire repudiaret; promovit rex exercitum in Nordhumbre : statimque in quadam firmitate, quæ vocatur Novum castellum, omnes meliores consules et proceres cepit. Inde vero castellum Tinemuth conquisivit, et fratrem consulis in eo. Post hæc obsedit consulem ad Babanburh [*al.* Bebanburh] : quod cum armis inexpugnabile videret, paravit ante illud castellum aliud, quod appellavit Malveisin; in quo partem relinquens exercitus recessit. Quadam vero nocte cum consul recessisset a Babanburh, secutus est eum regalis exercitus usque in Tinemuthan : ubi cum se defendere conaretur, nec posset, vulneratus est et captus, et apud Winleshores in carcere positus. Ergo redditum est regi castrum Bebamburch; fautores vero consulis male pacati sunt. Nam Willielmus de Du oculis privatus est; Odo consul Campaniæ, cæterique complures exhæredati sunt. Eodem anno rex impiger vexilla direxit in Walliam, causa autem hæc est. Anno præterito multos Francorum occiderant, et procerum firmitates confregerant, et ferro et igne finitimos invaserant. Anno etiam præsenti castellum Mungumerie straverant, et inhabitantes necaverant; rex igitur pertransiens omnes fines Walliæ cum in diversoriis montium et silvarum eos persequi non posset, parum vel nihil proficiens, reversus est. Eo tempore stellæ visæ sunt de cœlo cadere, ita spissæ, quod numerari non poterant.

Anno 1096 facta est motio Jerosolymitana prædicatione Urbani papæ. Robertus igitur dux Normanniæ illuc proficiscens posuit Normanniam in Vadimonium fratri suo regi Willielmo. Ivit autem cum eo Robertus dux Flandriæ, et Eustachius consul Boloniæ. Iverunt et ex alia parte dux Godefridus, et consul de monte Baldewinus, et alius Baldewinus reges Jerusalem futuri. Iverunt quoque ex tertia parte comes de Sancto Ægidio Raimundus, et episcopus Podiensis. Quis autem taceat Hugonem magnum fratrem regis Francorum, et Stephanum comitem Blais? [*al.* Blesis.] Quis non memoret Buamundum, et nepotem ejus Tancredum? Hoc est miraculum Domini magnum temporibus nostris factum, sæculis omnibus inauditum, ut tam diversæ gentes, tot fortissimi proceres, relictis possessionibus splendidis, uxoribus et filiis, omnes una mente loca ignotissima, morte spreta, petierint; ob cujus rei magnitudinem digrediendi veniam a lectore postulo. Nec enim si voluero tam miranda Dei magnalia tacere vel coactus potero, cum nec absit causa, Normannorum ducis occasio.

Alexi igitur apud Constantinopolim imperante cuncti prædicti proceres consensu imperatoris sive volentis, sive obedientis ibidem congregati sunt, pertranseuntesque mare strictissimum, quod olim Hellespontiacum nunc brachium S. Georgii vocatur, Niccam urbem, quæ caput est Romaniæ, obsederunt. Ad portam igitur orientalem consederat dux Normanniæ Robertus, juxta quem consul Flandriæ; ad portam borealem dux Buamundus, juxta quem Tancredus; ad occidentalem dux Godefridus, juxta quem Hugo magnus, et comes Stephanus; ad australem consul Raimundus, juxta quem Podiensis episcopus. Turba autem ibi innumerabilis erat Angliæ, Normanniæ, Britanniæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Provinciæ, Franciæ, Flandriæ, Daciæ, Saxoniæ, Alemanniæ, Italiæ, Græciæ et regionum multarum. Non perlustraverunt radii solares a prima sui creatione tantam, tam præclaram militiam, tam verendam, tam numerosam turbam, tot et tam bellicosos duces. Cesset Troia, cessent Thebæ duces et principes destructionis suæ, ut excusentur, nominare. Hic adfuerunt electissimi omnium temporum filii fulgentes Occidentis, omnes crucis signo insigniti, omnes in regnis suis reli quorum fortissimi. Igitur in die Ascensionis Domini lituis undique concinentibus urbs aggressa est. Repletur cœlum clamoribus, nigrescit aer sagittis, mugit terra propulsibus, resonant aquæ stridoribus, venitur ad murum, fossoribus res agitur. Paganis non sagittæ, non tela, non ligna, non lapides, non fragmenta, non moles, non ignis, non aqua, non ars, non vires, non prosunt amentata missilia. Cum ecce Turcorum exercitus acie terribilis ordinata, ex australi regione, vexillis erectis, apparuit. Quibus consul Raimundus, et episcopus Podiensis divina virtute protecti, et armis terrenis fulgidi cum suo lætantes occurrunt exercitu. Dum igitur nostri vehementer irruunt in illos, horrore insperato liquefacti, Domino jubente, dissolvuntur. Magna quidem pars fugientium capitibus minorata est; quæ fundis in urbem projecta non modicum contulerunt inhabitantibus tremorem. Igitur inæstimabiliter perterriti nostris urbem reddunt; nostri vero, secundum quod pepigerant, imperatori. Cum igitur per septem hebdomadas, et tres dies ibi morati fuissent, iter ad Antiochiam dirigunt, contigit autem quod die tertia in duo divideretur exercitus. In uno quidem principes erant, dux Normannorum Robertus, Buamundus, Richardus de Principatu, Tancredus, Everardus de Puisat; Achardus de Monte Merloy, et plures alii. Hos igitur circumdederunt Parthorum, qui modo Turci vocantur, et Persarum, et Publicanorum, et Medorum, et Ciliciensium, et Saracenorum, et Angulanorum [*al.* Augulanorum], ter centum sexaginta millia, extra Arabes, quorum non erat numerus. Mittitur ergo nuntius a prædictis principibus ad alium exercitum. Interim vero bellum geritur horrendum. Dum namque Turci, et Persæ, et Medi mortem immittunt sagittis, Cilicienses vero et Angulani telis, Sarraceni quidem et Arabes lanceis,

Digitized by Google

sed Publicani clavis ferratis et gladiis; prostrati A sunt vehementer Christiani. Equi namque eorum insolitum non ferentes clamorem et buccinarum clangorem, et ictus taburciorum, calcaribus non obtemperabant. Nostrates quoque tanto stridore perculsi, quid esset ignorabant. Dum igitur jam fugam Christicolæ vel meditarentur, vel inciperent, occurrit Robertus dux Normanniæ clamans : *Quo milites? Quo fugitis? Equi eorum velociores nostris sunt; fuga non est præsidio : hic potius moriendum est, mecum sentite, me sequimini.* Dixerat et in quemdam paganorum regem lanceæ direxit aciem, quæ lignum et æs et corpus æque diffidit, stravitque in momento secundum, ac tertium.

Igitur Tancredus impiger et Buamundus belliger et Richardus de Principatu et Robertus de Ansa, dux et miles fortissimus, non segnius indulgent ictibus. Redit animus nostris, pugna committitur gravissima, et horrenda prolixa, cum ecce Hugo magnus, et Anselmus de Ripemunt [*al.* Ribemunt] cum centum tantum militibus alium prævolantes exercitum defossos paganos recentes findunt. Erat namque Hugonis lancea quasi fulmen advolans; gladius Anselmi quasi flamma dividua. Tunc duo principes nostrorum cæsi sunt, dum Arabum quanto plures cæduntur tanto plures ingruunt. Willielmus namque frater Tancredi dum regem lancea transfixit, lancea ejusdem regis transfigitur. Godefridus quoque de Monte Scabioso dum caput Arabis amputat, sagitta Parthi corpus perforatur, lorica calefacta jam non resistente. Pondus et numerum hostium jam Franci ultra perferre nequibant, cum ecce ex adverso silva vexillorum alterius exercitus apparuit. Cum autem bellum durasset usque in horam IX innumeri in primo exercitu occisi sunt, nullusque eorum evasisset nisi alius cætus supervenisset. Nec quoquam postea tempore pagani tam sedulo pugnaverunt.

Exercitus autem supervenientis prima Godefridi acies procedebat, ad dextram cujus uterque Baldwinus aciem dirigebat. Ad sinistram vero consul Stephanus et Usewardus de Nulsione [*al.* Oswardus de Nulsione]. Aciem quidem Baldwini a longe sequebatur Raimundus consul cum suis, aciem vero Stephani Robertus validissimus consul Flandriæ D cum suis. Sed aciem Godefridi sequebatur acies procerum, et turbæ absque numero. Episcopus vero Podiensis ex alio monte cum exercitu invictissimo apparuit. Pugnantes igitur pagani dum tot hostes ex insperato prospiciunt, quasi cœlum ruiturum super eos esset animis deliquerunt et fugæ indulserunt cum Solimanno duce suo. Christiani autem victoria licet damnosa et spoliis innumeris potiti sunt primo die Julii. Porro Franci continuantes propositum Antiochiæ petendæ venerunt ad Erachiam. Inde ad Tarsum, quæ subdita est Baldwino mirifico comiti. Athena vero et Manustra subditæ sunt Tancredo viro fortissimo. Dux autem nobilissimus Normannorum dedit quamdam civitatem Turcorum, Simeoni. Raimundus vero consul magnus et Buamundus lux belli dederunt aliam civitatem, Petro de Alpibus. Inde pervenerunt Christiani usque ad Coxan, quæ civitas subdita est eis. Princeps autem quidam Petrus de Rosa, cepit Rusam et plurima castra. Gens vero Christianorum pervenit Marasim, quæ se dedit eis. Inde pervenerunt ad pontem ferreum. Postea Antiochiam, quæ caput est Syriæ, obsederunt, XII Kalendas Novembris. Audiens vero Buamundus, quod Turci essent in castro congregati, quod vocatur Areg, ivit cum exercitu suo pugnatum contra eos, multosque cum paucis Deo volente prostravit, multosque ante portam urbis decollandos, ut cives amaricaret, adduxit. Natali vero a Christianis in eadem obsessione celebrato, Buamundus et comes Flandriæ cum viginti millibus bellatorum, in terram Saracenorum perrexerunt. Congregati autem erant multi a Jerusalem et Damasco, et Alep, et aliis regnis ad succurrendum Antiochiæ; quibus irruentes unanimiter nostri alios in fugam verterunt, alios occiderunt. Revertentesque duces prædicti cum spoliis maximis, debito triumpho a nostris suscepti sunt. Interea urbe inclusi obsidentibus acerrime rebellabant; vexilliferumque Podiensis episcopi, et multos alios morti dederunt. In Februario vero congregatus est mirabilis exercitus paganorum ultra pontem ferreum, apud castellum Areth. Dimittentesque omnes pedites in obsidione, omnes milites promoverunt principes ad bellum; et sex acies equitum paraverunt. Primam ducebat dux invictus Normannorum; secundam dux Godefridus Alemannorum; tertiam Raimundus consul egregius; quartam Robertus Flandriæ decus; quintam nobilissimus Podiensis episcopus; sextam, quæ maxima erat, cum Tancredo Buamundus. Dum ergo fortissime colliduntur hostibus, clamor resonabat ad cœlum, imbres telorum obnubilabant diem, unusquisque percutiebat et percutiebatur.

Postquam venit maxima vis Parthorum, quæ retro erat, nostros tam acriter invasit, ut paulatim jam cederent; Buamundus vero bellorum arbiter, et certaminum judex cuneum suum adhuc intactum mediis immisit hostibus. Tunc Robertus filius Girardi miles optimus, et signifer ejus, quasi leo inter agmina gregum, sic prorui inter agmina Turcorum; et semper linguæ vexilli ejus volitabant super capita Turcorum. Quod videntes alii animo recuperato, unanimiter invadunt hostes. Dux igitur Normannorum gladio caput cujusdam, et dentes, et collum et humeros usque in pectora diffidit. Dux vero Godefridus quemdam medium secavit. Cum igitur pars terræ cecidisset, partem domini ferebat equus inter paganos pugnantes, quo monstro perterriti simul cuncti fugientes in iram damnationis abierunt. Capita igitur multorum delata sunt ad Antiochiam cum gaudio, factum autem est hoc bellum inchoante Quadragesima. Venerant interea multi de gente amiralii Babylonis in Antiochiam. Cumque nostri construerent castrum ante portam,

ubi pons est et mahumeria; Raimundusque et Buamundus ivissent ad portum Sancti Simeonis pro victualibus, exercitus civitatis processit audacter ad prælium, irruentesque nostris miserunt eos in fugam, multisque occisis usque in tentoria fugaverunt. Crastina vero die Raimundum et Buamundum invadentes, mille ex suis occiderunt. Duces vero fugientes ad nostros advolarunt. Franci igitur bis sauciati et in iram compulsi, in campo ante portas urbis statuunt terribiliter castrorum acies ordinatas. Pagani non segniter aciebus dispositis nostros invadunt; at Christiani signum crucis acclamantes, tam acriter in prima invasione hostes percusserunt et propulerunt, ut statim fugæ darentur. Venientesque ad angustum pontem, vel gladiis cæsi sunt, vel flumine submersi sunt. Pauci namque per pontem evadere poterant. Unda fluminis sanguine rubens et aucta torrebat. Itaque XII amiralii ibidem cæsi sunt, deditque Dominus victoriam clarissimam populo suo. Sed in crastino cum cives suos mortuos sepelissent, nostri diffodientes eos, aurum et argentum et pallia, quæ circa eos erant, ceperunt, et capita eorum in urbem projecerunt. Jamque omnis spes et superbia civium evanuerat. Tancredus namque castellum prædictum ante portam custodiens, spem victualium eis eripuit. Pirrhus igitur quidam amiralius, de gente Turcorum sæpe provocatus in amicitiam a Buamundo, prævidensque suos perituros, tres turres, quæ sui juris erant, Buamundo reddidit. Erectis itaque vexillis super turres, Franci, portis fractis, in urbem irruerunt. Turcorum vero alii repugnantes occisi sunt, alii extra urbem fugerunt, quidam autem castellum superius obtinuerunt. Cassianus vero dominus urbis fugiens, a Surianis comprehensus est, et caput ejus Buamundo delatum. Sic Antiochia III Nonas Junii capta est.

Curbaran, princeps militiæ soldani Persiæ, et rex Damasci, et rex Jerusalem adduxerunt secum, ad obsidendos Francos, Turcos, Arabes, Saracenos, Azimitas, Curtas [*al.* Curtos], Persas, Augulanos. Sed quid numerem maris arenam? Hi igitur obsederunt urbem. Curbaran igitur partem militiæ suæ posuit in superiori castello, quæ die nocteque contra nos pugnabat. Cæteri vero obsidebant urbem ne alimenta intrarent. Tertia quidem die egressi sunt filii Dei, contra filios diaboli. Quibus bello parato putabant se posse resistere, sed tanta fuit vis et numerus infidelium, quod nostri reintrare urbem coacti sunt, multis hostium armis, multis oppressione ad introitum portæ mortuis.

Crastina die, quatuor proceres exercitus scilicet Willielmus, et alius Willielmus, et Albericus, et Lambertus fugerunt latenter ad portum S. Simeonis, suasione autem eorum omnis classis victuaria cum eis aufugit. Nostri vero, cum castellanorum crebros incursus perferre non possent, murum inter se et illos construxerunt: spes igitur crevit paganis, et fames Christianis. Namque dum exspectarent imperatoris, quem promiserat, adventum, gallinam XV solidis emebant, ovum duobus solidis, unam nucem uno denario. Præterea folia arborum et cardui cocta comedebant, sic etiam coria equorum et asinorum decoquebant et vorabant. Stephanus igitur comes muliebriter aufugiens obviavit imperatori, cui Francos omnes jam perditos nuntians flentem fecit reverti. Spes igitur nulla populo Dei jam remanserat, cum fame victi nec arma jam ferre possent. Apparuit autem ignis de cœlo et cecidit inter exercitum Turcorum. Servo autem suo apparuit Dominus in visione, dixitque Deus: *Hæc dices filiis Occidentis: Ego Nicæam civitatem vobis tradidi, et omnia bella exterorum, et civitatem fortissimam Antiochiæ, quam cum læti et incolumes possideretis, operati estis cum mulieribus Christianis et paganis unde fetor ascendit in cœlum;* corruens vir Dei ad pedes ejus ait: *Domine, subveni in oppressione tanta*, dixitque Dominus: *Subveni et subveniam. Dic populo meo: Revertimini ad me, et ego ad vos, et infra quinque dies, vobis ipse propugnator adero.* Apparuit autem cuidam S. Andræas apostolus lanceam, unde percussus Salvator fuerat, ei revelans, sicut ipse populo firmavit juramento. Peractis igitur triduanis jejuniis, processionibus celebratis, missis solemnizatis, eleemosynis datis, VI aciebus dispositis, ductore Domino, progrediuntur in hostes cum lacrymis ad bellum. Primam aciem ducebat Hugo Magnus et consul Flandrensis, secundam dux Godefridus et Baldwinus, tertiam Robertus fortis Normannus, quartam Podiensis episcopus et Willielmus de Montpeiller cum exercitu Raimundi consulis, qui remanserat in custodia civitatis; quintam ducebat Tancredus cum Richardo principe, sextam Buamundus cum consule de Rusinole. Egressi vero VII statuerunt in honorem S. Spiritus, cui præfuit Rainaldus. Episcopi vero, presbyteri, clerici, monachi sacris vestibus induti super muros urbis hymnos Deo concinebant. Ipsi itaque viderunt exercitum cœlestem equis albis et phœbeis armis, quorum ductores erant Georgius Mercurius, et Demetrius. Curbaran vero nunquam lætior quam tempore illo dispositis turmis innumeris fecit fœnum copiosum ex adverso monte accendi, ut nostri fumo cæcarentur. Dominus autem ventorum præses ventum convertit, et pagani fumo cæcati sunt, et præcipites fugerunt. Insecuti sunt eos Christiani cæde magna et tanta nunquam spolia in aliquo bellorum capta sunt. His visis, amiralius, qui castellum superius custodiebat reddidit illud Christianis, et Christianus effectus est. Hoc bellum egit Dominus in Vigilia Petri et Pauli, et exaltatum est nomen ejus solius in die illa. Christicolæ igitur cum gaudio perendinaverunt in regno illo usque ad Kalendas Novembris.

Interea quidam procerum, cui nomen Raimundus Piletus exercitum congregans cepit castrum, cui nomen Talamannia. Inde venit ad urbem, cui nomen Marra, quæ plena erat Saracenis, qui venerant

Google

ab Alep : prælïantes ergo barbari contra nostros primitus fugere coacti sunt, in fine tamen vicerunt et magna Francorum occisio facta est ibi. Mense Novembri congregati sunt duces et exercitus Christianorum ad capessendam viam Jerusalem. Quarto vero die ante Octobrem, venerunt ad Marram, et assiliverunt eam, et turri lignea super quatuor rotas ducta et aliis ingeniis debellaverunt eam, XI die Decembris. Manentes igitur in urbe illa in Natali, morati sunt ibi per unum mensem et quatuor dies, quia iter Hierosolymitanum impeditum erat pro discordia, quæ erat inter Buamundum et Raimundum causa Antiochiæ possidendæ. Ibi tanta fames invasit Christianos, quod de cadaveribus paganorum frusta coquerent et comederent. Sed de XIV die Januarii exeuntes ceperunt duo castra bonis omnibus referta. Postea vero urbem quæ vocatur Zaphaila : inde castrum opulentissimum in valle Desem. Mediante vero Februario obsederunt castrum Arche per tres ferme menses, ibique pascha celebratum est. Sed Anselmus de Ripemunt [*al.* Anselius de Ribemunt] miles fortissimus jactu lapidis ibi deperiit, et Willielmus Picardus, et alii multi. Rex vero Camelæ civitatis pacem fecerat cum exercitu. Interea pars exercitus cepit Tortosam civitatem et urbem Maracleam. Amiralius vero Gibel fecit pacem cum exercitu. Postea ante urbem Tripolim multitudinem civium interfecerunt, ita quod omnes aquæ urbis et etiam cisternæ ruberent. Postea vero rex Tripolis ducibus Francorum dedit CCC peregrinos et XV millia Bisantia, et XV equos pretiosos, ut discederent a Tripoli et a castro Arche, quod suum erat. Franci igitur transeuntes per castrum Betelon applicuerunt in die Ascensionis Domini ad urbem juxta mare, quæ dicitur Barat, inde ad Sagittam, inde ad Surh, inde in Acram, inde ad Caiphas, inde ad Cæsaream in Pentecosten, inde ad vicum Sancti Georgii, inde ad Hierusalem, et obsederunt eam VIII Idus Junii, a septentrione dux electissimus Normannorum, ab oriente consul Robertus, ab occidente dux Godefridus et Tancredus, a meridie scilicet in monte Sion comes Raimundus. Sæpe igitur urbem assilientes erexerunt castrum ligneum altissimum, contra quod cum turres lapideas pagani construxissent, turrim ligneam nostri dissolverunt, et in alia parte urbis, quæ immunita erat, erexerunt. Inde igitur urbem opprimentes et scalis muros ascendentes urbem ceperunt, et multos in templo Domini rebellantes occiderunt, et civitatem sanctam ab immundis nationibus filii Dei mundaverunt. Obtulerunt igitur regnum Jerusalem Roberto Normannorum duci. Quod quia causa laboris repudiavit, offensus est in eum Deus, nec prosperum quid deinceps ei contigit. Ipse itaque, et consul Flandriæ, et Raimundus consul ad propria remearunt. Dux vero Godefridus regnavit in Jerusalem, et post eum Baldwinus strenuissimus frater ejus, et postea Baldwinus secundus nepos eorum, et post Gaufridus dux Andegavensis, et post eum Gaufridus filius ejus multa et gravissima bella peragentes, subdideruntque provincias Christo et urbes finitimas præter Ascalon, quæ adhuc in scelere suo perseverat.

Junior Willielmus anno X regni sui cum Normanniam, quam a Roberto fratre suo ad Jerusalem profecto in vadimonium acceperat, pro libitu suo disposuisset, rediit ad Vigiliam Paschæ in Angliam, appulit apud Arundel. Cum autem festive diadematus esset ad Pentecosten apud Winlesores, postea cum magno exercitu pergens in Walliam, sæpe multas Wallensium turmas prostravit : sæpe multos suorum angustiis locorum amisit. Videns igitur eos plus inexpugnabiles situ terræ, quam viribus et armis, fecit parare castella juxta fines Walliæ, et rediit in Angliam. Anselmus vero archiepiscopus recessit ab Anglia, quia nihil recti rex pravus in regno suo fieri permittebat. Sed provinciales intolerabiliter vexavit in tributis, quæ nunquam cessabant, in opere muri circa turrim Londoniæ; in opere aulæ regalis apud Westminster, in rapina, quam familia sua hostili modo, ubicunque rex pergebat, exercebant. At rex ad festum Sancti Martini mare transiens in Normanniam misit Eadgarum juvenem cum exercitu in Scotiam qui regem Duvenal magno prælio fugavit, et Edgarum cognatum suum, filium Melcolm regis, in regem statuit. Eodem anno cometa apparuit.

Junior Willielmus anno XI regni sui in Normannia fuit, semper hosticis tumultibus et curis armorum deditus, tributis interim et exactionibus pessimis populos Anglorum non abradens, sed excorians. In æstate autem visus est sanguis ebullire a quodam stagno apud Finchamstede in Bercscire. Post hoc apparuit cœlum tota nocte pene, quasi arderet. Eodem anno Walkelmus episcopus in Wincestre defunctus est, et Hugo consul Salopiscire occisus est ab Hybernensibus, cui successit Robertus de Belem frater ejus.

Junior Willielmus XII anno regni sui rediens in Angliam, tenuit primum curiam suam in nova aula apud Westminster; quam cum inspecturus primum introisset, cum alii satis magnam vel æquo majorem dicerent; dixit rex eam magnitudinis debitæ dimidia parte carere. Qui sermo regi magno fuit, licet parvo constaret, honori. Rursus cum venaretur in novo Foresto, venit ei subito nuntius a Cenomania, dicens ei familiam suam ibi obsideri. Illico rex festinus ad mare veniens naves introivit; cui nautæ : *Cur, regum maxime, tempestate intolerabili maris alta lacessis, et mortis imminens periculum non formidas ?* Quibus rex : *De rege fluctibus submerso loqui non audivi.* Ergo mare transiens nihil dum viveret, egit, unde tantam famam, tantum gloriæ decus haberet. Cenomaniam vero petens Heliam consulem fugavit, et sui juris esse jussit, et in Angliam rediit. Anno illo rex Ranulfo placitatori sed perversori, exactori, sed exustori totius Angliæ dedit episcopatum Dunelmiæ. Hoc

etiam anno decessit Osmundus Salesbiriæ episcopus.

Millesimo centesimo anno gratiæ, decimo tertio anno regni sui rex Willielmus vitam crudelem misero fine terminavit. Namque cum gloriose et patrio honore curiam tenuisset ad natale apud Gloucester, ad Pascha apud Winchester, ad Pentecosten apud Londoniam, ivit venatum in novo Foresto, in crastino Kalend. Augusti, ubi Walterus Tyrel cum sagitta cervo intendens regem percussit inscius; rex corde ictus corruit, nec verbum edidit. Paulo siquidem ante sanguis visus est ebullire a terra in Berescire, jure autem in medio injustitiæ suæ præreptus est. Ipse namque ferus ultra hominem erat, et consilio pessimorum, quod semper eligebat, suis nequam, sibi nequissimus, vicinos werra, suos exercitibus frequentissimis et geldis continuis vexabat. Nec respirare poterat Anglia miserabiliter suffocata. Cum autem omnia raperent et subverterent, qui regi famulabantur, ita ut adulteria etiam violenter et impune committerent, quidquid antea nequitiæ pullulaverat, in perfectum excrevit; quidquid antea non fuerat, his temporibus pullulavit. Invisus namque rex nequissimus Deo et populo episcopatus et abbatias aut vendebat aut in manu sua retinens, ad firmam dabat; hæres autem omnium esse studebat. Siquidem in die qua obiit, in proprio habebat archiepiscopatum Cantuariæ, et episcopatum Wincestriæ, et Salesbiriæ, et XI abbatias ad firmam datas. Postremo quidquid Deo, Deumque diligentibus displicebat, hoc regi regemque comitantibus placebat. Nec luxuriæ scelus tacendum exercebat occulte, sed ex impudentia coram sole. Sepultus est autem in crastino perditionis suæ apud Wincester, et Henricus frater ejus junior ibidem in regem electus dedit episcopatum Wincestriæ Willelmo Giffard, pergensque Londoniam sacratus est ibi a Mauricio Londoniensi episcopo, melioratione legum et consuetudinum optabili repromissa. His auditis, Anselmus archiepiscopus rediens in Angliam desponsavit Mathildem filiam Malcolm regis, et Margaretæ reginæ Henrico regi novo. Capta vero urbe Jerusalem, ut dictum est, et ingenti prælio postea victoriose patrato contra exercitum amiralii Babyloniæ rediit Robertus dux in Normanniam mense Augusto, et cum lætitia susceptus est ab omni populo. Thomas Eboracensis archiepiscopus vir ingenii florentis et musarum a secretis hominibus apparere desiit.

Henricus rex cum ad Natale tenuisset curiam suam apud Westminster, et ad Pascha apud Wincestre, commoti sunt principes Angliæ erga regem causa fratris sui Roberti advenientis cum exercitu; misit autem rex in mare navale prælium gesturos contra fratris sui adventum; sed quædam pars eorum subdidit se Roberto venienti. Cum ergo appulisset apud Portesmuth, ante Kalendas Augusti et rex tenderet contra eum cum maximis copiis, principes utrinque fraternum bellum non perferentes concordiæ fœdus inter illos statuerunt, eo pacto quod Robertus unoquoque anno tria millia marcarum argenti haberet ab Anglia, et qui diutius viveret, hæres alterius esset, si alter absque filio moreretur. Hoc autem juraverunt XII eximiores procerum utrinque. Robertus igitur in pace perendinavit usque ad festum S. Michaelis in regno fratris sui, et ad propria rediit. Ranulfus autem perversus episcopus Dunelmiæ, quem rex Henricus posuerat in vinculis consilio gentis Anglorum, cum a carcere evasisset clandestine perrexerat in Normanniam consilio et admonitione sua Robertum promovens in fratrem suum.

Henricus rex quemdam consulem nequissimum et perfidum Robertum de Belesme jure in eum exsurgens exsulavit, obsedit namque prius castellum Arundel. Quod cum gravissimum esset ad conquirendum, castellis ante illud constructis, ivit et obsedit Bruge, quousque castellum ei redditum est; et Robertus de Belesme gemebundus in Normanniam migravit. Eodem anno ad festum S. Michaelis tenuit Anselmus archiepiscopus concilium apud Londoniam, in quo prohibuit uxores sacerdotibus Anglorum antea non prohibitas. Quod quibusdam mundissimum visum est, quibusdam periculosum, ne dum munditias viribus majores appeterent, in immunditias horribiles ad Christiani nominis summum dedecus inciderent. In illo concilio multi abbates, qui acquisiverant abbatias suas sicut Deus noluit, amiserunt eas sicut Deus voluit. Anno sequenti venit Robertus Normannorum consul in Angliam, causisque variis intercedentibus, et cauta regis versutia condonavit ei ter mille marcas, quas rex debebat ei per annum. Eodem anno visus est sanguis ebullire a terra in Berescire apud Hamstude. Curriculo anni sequentis rex et frater suus discordati sunt causis intercedentibus; misit igitur rex milites in Normanniam, qui a proditoribus consulis recepti, prædis et combustionibus non minimam cladem rebus consularibus ingesserunt. Willielmus vero consul Morteuil [*al.* Moretuil], causa perfidiæ ab Anglia exhæredatus a rege, in Normanniam discedens animo perfecto et exercitio ferventi vir probissimus indixit et infixit regalibus turmis werram calamitate refertam. Hoc anno apparuerunt circa solem in meridie quatuor circuli albi coloris.

Henricus rex quinto anno regni sui perrexit in Normanniam, contra fratrem suum certaturus; conquisivit igitur Cadomum pecunia, Bajocum armis et auxilio consulis Andegavensis, cepit quoque alia plurima castra, et omnes fere principes Normanniæ regi se subdiderunt. His actis, mense Augusto, rediit in Angliam. In anno quidem sequenti venit dux Normannorum ad regem fratrem suum apud Northamptune, amicabiliter ab eo petens, ut ablata sibi fraterna redderet gratia. Cum vero Deus eorum concordiæ non assentiret, dux iratus perrexit in Normanniam, et rex ante Au-

Digitized by Google

gustum secutus est eum. Cum ergo rex obsedisset castrum Teuerchebrai venit dux Normannorum, et cum eo Robertus de Belesme, et consul Moretuil, et omnes fautores ejus. Rex vero secum omnes proceres Normanniæ, et robur Angliæ, et Andegavis, et Britanniæ non improvidus habebat. Igitur cum cornua rauco strepuissent cantu, dux Normanniæ cum paucis multos audacissime aggressus est; assuetusque bellis Jerosolymitanis aciem regalem fortiter et horrende repulit. Willielmus quoque consul de Mortuil aciem Anglorum de loco in locum turbans promovit. Cum acies equestris Britannorum (rex namque et dux et acies cæteræ pedites erant ut constantius pugnarent) aciem ducis ex adverso prorsus subito diffidit, et mole magnitudinis oppressa gens ducis dissoluta est et victa. Robertus vero de Belesme simul hoc aspexit, fuga sibi consuluit. Captus est igitur dux fortissimus Normannorum Robertus, et Willielmus consul de Mortuil; reddiditque Dominus vicem duci Roberto; quia, cum gloriosum reddidisset eum in actibus Jerosolymitanis, regnum Jerusalem oblatum sibi renuit, magis eligens quieti et desidiæ in Normannia deservire, quam Domino regum in sancta civitate desudare. Damnavit igitur eum Deus desidia perenni et carcere sempiterno. Hujus rei signum In eodem anno cometa apparuerat. Visæ sunt in Cœna Domini duæ lunæ, una ad orientem, altera ad occidentem.

Henricus rex anno septimo regni sui cum deletis vel subjectis hostibus Normanniam pro libitu disposuisset, rediit in Angliam, fratremque suum ducem magnificum et consulem de Mortuil carceralibus ingessit tenebris : igitur victoriosus et tunc primum rex fortis tenuit curiam suam ad Pascha apud Winlesores; in qua proceres Angliæ simul et Normanniæ cum timore et tremore adfuerunt. Antea namque et dum juvenis fuisset, et postquam rex fuerat, in maximo habebatur despectu. Sed Deus, qui longe aliter judicat, quam filii hominum, qui exaltat humiles et deprimit potentes (*Luc.* I), Robertum omnium favore celeberrimum deposuit, et Henrici despecti famam per orbem terrarum clarescere jussit, deditque ei gratis tria Dominus omnipotens munera : sapientiam, victoriam, divitias. Quibus ad omnia prosperans omnes suos antecessores præcessit; unde omnes suos ditavit. Hoc anno obiit Mauricius episcopus inceptor Londoniensis ecclesiæ, et Eadgarus rex Scotiæ; cui successit Alexander frater suus concessu regis Henrici.

Henricus VIII anno regni sui, cum decessisset Philippus, rex Francorum, transiit in Normanniam contra Ludovicum filium Philippi regem novum Franciæ werram promovens maximam. Anno eodem Gerardo archiepiscopo Eboracensi defuncto, Thomas postea successit. Tempestate sequentis anni missi sunt ab Henrico imperatore Romano nuntii, mole corporis et cultuum splendoribus excellentes, filiam regis in domini sui conjugium postulantes. Tenens igitur curiam suam apud Londoniam, quam nunquam splendidiorem tenuerat, sacramenta depostulans de connubio filiæ suæ, ab imperatoris recepit legatis ad Pentecosten, obierat autem Anselmus archiepiscopus, Christi philosophus, in Quadragesima. Anno igitur sequenti data est filia regis imperatori (ut breviter dicam), sicut decuit. Rex itaque cepit ab unaquaque hida Angliæ tres solidos. Eodem anno cum rex curiam suam tenuisset ad Pentecosten apud novam Winlesores, quam ipse ædificaverat, exhæredavit eos, qui ei nocuerant, scilicet Philippum de Brahuse, et Willielmum Malet, et Willielmum Bainard; Helias vero consul Cenomaniæ, qui eam sub Henrico rege tenebat, vita privatus est. At consul Andegavensis suscipit Cenomaniam cum filia ipsius, et tenuit eam contra regem Henricum. Hoc in anno apparuit cometa quidam more insolito. Cum namque ab oriente insurgens in firmamentum ascendisset, regredi videbatur. Eodem anno Nicolaus pater illius, qui hanc scripsit historiam, mortis legibus concessit, et sepultus est apud Lincoliam. De quo dictum est :

Stella cadit cleri, splendor marcet Nicolai,
Stella cadens cleri splendeat arce Dei.

Hoc ideo scriptor operi suo inseruit, ut apud omnes legentes mutuum laboris obtineat, quatenus pietatis affectu dicere dignentur : Anima ejus requiescat in pace! Amen.

Henricus rex anno XI regni sui pergens in Normanniam contra consulem Andegavensem, qui Cenomaniam eo tenebat invito, werræ leges in eum ferro et flamma exercuit constanter. Decessit autem Robertus consul Flandriæ, qui Jerosolymitano clarissimus interfuerat itineri, unde memoria ejus non pertranseat in æternum. Post quem Baldwinus filius ejus consul effectus est, juvenis omnino strenuus armis. Proximo anno exsulavit rex consulem Eureus [*al.* Ebreus], et Willielmum Crispin a Normannia. Cepitque Robertum Belesme virum nequissimum, de quo prædiximus, rediensque anno sequenti in Angliam, posuit eum in carcerem perennem apud Warram. Succedenti autem anno rex dedit archiepiscopatum Cantuariæ Radulfo episcopo Rovecestriæ. Tunc quoque Thoma Eboracensi archiepiscopo defuncto, Turstanus successit. Inter Radulfum vero et Turstanum archiepiscopos orta est magna dissensio, quia Eboracensis Cantuariensi de more subjici nolebat. Causa autem sæpe coram rege, sæpe coram apostolico ventilata est, sed necdum definita. Hoc in anno duxit rex exercitum in Walliam; Walenses vero subditi sunt ei secundum magnificentiam libitus sui. Cometa ingens in fine Maii apparuit. Rex vero transiit in Normanniam, et anno sequenti fecit omnes proceres patriæ fidelitatem domino debitam Willielmo filio suo jurare, et in Angliam rediit.

Henricus rex XVI anno regni ad Natale interfuit

Digitized by Google

dedicationi ecclesiæ Sancti Albani, quam dedicavit Robertus venerabilis episcopus Lincolniensis per Richardum memorabilem abbatem [*al.* militem] ejusdem loci. Cum autem rex ad Pascha transfretasset in Normanniam, fuit maxima discordia inter eum et regem Francorum; causa autem hæc erat: Tedbaldus consul Blesensis, nepos regis Henrici, contra dominum suum regem Francorum arma promoverat, in cujus auxilium rex Anglorum duces suos militemque suam misit, et regem Ludovicum non mediocriter afflixit. Spatio igitur sequentis anni gravissimus labor Henrico regi insurrexit. Juraverunt namque rex Francorum et consul Flandrensis, et consul Andegavensis se Normanniam regi Henrico ablaturos, et Willielmo filio Roberti ducis Normannorum eam daturos. Multi etiam B procerum regis recesserunt ab eo, quod maximo ei fuit detrimento. Rex tamen non improvidus in auxilio suo Thedbaldum prædictum et consulem Britannorum habebat. Venerunt igitur rex Francorum et consul Flandrensis cum exercitu in Normanniam. In qua cum una nocte fuissent, formidantes adventum regis Henrici cum Anglis et Normannis et Britannis, ad sua sine bello reversi sunt. Hoc anno pro necessitate regis geldis creberrimis et exactionibus variis Anglia compressa est. Tonitrua vero et grandines in Kalendis Decembris adfuerunt, et in eodem mense cœlum rubens quasi arderet apparuit. Eodem autem tempore maximus terræ motus in Longobardia ecclesias, turres, et domos, et homines provolvens destruxit. Curriculo C anni sequentis continua debellatio jam dictorum principum gravissime regem vexavit, donec Baldwinus strenuissimus Flandriæ consul apud Ou, in Normannia seditione militari funeste vulneratus ad sua recessit. Porro Robertus consul de Mellent sapientissimus in rebus sæcularibus omnium usque in Jerusalem degentium, et regis Henrici consiliarius, in fine stultus apparuit. Etenim cum terras quas abstulerat sacerdotum suasu, nec reddere, nec confessionem qualem oportuit vellet inire, corde pauperrimus quasi sponte deperiit. Bene igitur dictum est: *Stultitia est apud Deum omnis sapientia hujus mundi* (I *Cor.* III). Tunc quoque regina Mathildis luce caruit. De cujus facetia et D morum prærogativa dictum est:

Prospera non lætam fecere, nec aspera tristem:
Aspera risus ei, prospera terror erant.
Non decor effecit fragilem, non sceptra superbam,
Sola potens humilis, sola pudica decens.
Laii prima dies, nostrarum noctis dierum
Raptam perpetua fecit inesse die.

Rex Henricus quinquagesimo secundo anno, ex quo Normanni Angliam obtinuerunt, regni vero sui anno XIX pugnavit gloriose contra regem Francorum. Præposuerat quidem rex Francorum aciem, cui præerat Willielmus filius Roberti fratris Henrici regis; ipse vero cum maximis viribus in sequenti erat agmine. Rex vero Henricus in prima acie proceres suos constituerat, in secunda cum A propria familia eques ipse residebat, in tertia vero filios suos cum summis viribus pedites collocaverat. Igitur acies prima Francorum agmen procerum Normanniæ statim equis depulit, et dispersit. Postea vero aciei, qua rex Henricus inerat, colliden, et ipsa dispersa est. Acies itaque regales sibi invicem offenderunt, et acerrime pugnatum est; hastæ franguntur omnes, gladiis res agitur. Interim Willielmus Crispin regis Henrici caput gladio bis percussit; cumque lorica esset impenetrabilis, magnitudine tamen ictuum ipsa lorica aliquantulum capiti regis inserta est, ut sanguis prorumperet. Rex vero percussorem suum ita gladio repercussit, ut cum galea esset impenetrabilis, mole tamen ictus equitem et equum prosterneret, et mox ante B regios pedes captus est. Sed acies pedestris, in qua filii Henrici regis inerant, nondum percutiens sed mox percussura, lanceis inclinatis ex adverso insurrexerunt. Quod Franci videntes horrore inspersio liquefacti terga dederunt. Henricus autem rex victoriæ perstitit in campo, donec optimates hostium capti sunt, et ante pedes ejus positi. Reversus vero Rothomagum in signorum sonitibus et cleri concentibus Deum et Dominum exercituum benedixit. De cujus magnificentia victoriæ sic quidam scripsit heroice:

Henricus regum rex et decus abstulit altos
Francigenis animos; Ludovicum namque Nugensi
Rex regem campo, magnum major superavit.
Præposuere fugam bellis, calcaria telis
Galli præcipites, fama spoliisque potitos.
Laurea Normannos et laus æterna coronat.
Sic decus iste ducum, sic corda tumentia pressit,
Oraque Francorum mutire superba coegit.

Eodem anno papa Gelasius obiit, et sepultus est apud Cluniacum. Tunc Wido Viennensis archiepiscopus electus est in papam, vocatus Calixtus, et tenuit concilium Rhemis. Inde profectus est Gisors contra regem Henricum, et collocuti sunt sacerdos magnus, et rex magnus. Baldwinus etiam consul Flandriæ per vulnus, quod in Normannia acceperat, decessit. Cui successit Carolus cognatus ejus filius Cnut S. regis Dacorum.

Anno 1120 gratiæ omnibus domitis et pacificatis in Gallia, cum gaudio rex Henricus redlit in Angliam; sed in ipso maris transitu duo filii regis Willielmus et Richardus, et filia regis et neptis, nec non et multi proceres, dapiferi, camerarii, pincernæ regis, et Richardus consul Cestriæ naufragati sunt. Qui omnes vel fere omnes Sodomitica labe dicebantur et erant irretiti, ecce coruscabilis Dei vindicta! deperierunt etenim et omnes fere sepultura caruerunt. Improvisè igitur mors absorbuit emeritos, cum mare tranquillissimum ventis careret. De quibus ita scripsit poeta:

Dum Normannigenæ Gallis clari superatis
Anglica regna petunt, obstitit ipse Deus.
Nam fragili torvum dum percurrunt mare cymba,
Intulit excito nubila densa mari.
Dumque vagi cæco rapiuntur tramite nautæ,
Reperunt imas abdita saxa rates.

Digitized by Google

Sic mare dum superans tabulata per ultima serpsit,
Mersit rege satos, occidit orbis honos.

Henricus rex ad Natale fuit apud Bramtune, cum Theobaldo consule Blesensi, et posthac apud Winlesores duxit Adelidam filiam ducis Luvaniæ causa pulchritudinis. Cum autem rex ad Pascha fuisset apud Berklea, ad Pentecosten fuit diadematus cum regina sua nova apud Londoniam. In æstate vero, dum tenderet cum exercitu in Walliam, Walenses ei suppliciter obviantes secundum magnificentiam libitus sui concordati sunt ei. At in vigilia natalis Domini ventus insolitus non solum domos sed turres dejecit lapideas. De pulchritudine vero reginæ prædictæ sic quidam dixit elegiace :

Anglorum regina tuos, Adelina, [*al.* Adelida] *decores*
Ipsa referre parans Musa stupore riget.
Quid diadema tibi pulcherrima ? quid tibi gemmæ ?
Pallet gemma tibi, nec diadema nitet.
Deme tibi cultus, cultum natura ministrat,
Nec meliorari forma beata potest.
Ornamenta cave, nec quidquam luminis inde
Accipis, illa micant lumine clara tuo.
Non puduit modicas de magnis dicere laudes,
Ne pudeat dominam te precor esse meam.

Henricus rex fuit anno sequenti ad Natale apud Nordwic, et ad Pascha apud Northamtune, et ad Pentecosten apud Winlesores, inde ad Londoniam, et Cent, et postea perrexit in Northumberland ad Dunelmiam. Eodem anno obiit Radulfus Cantuariensis archiepisc. et Joannes Bathensis episcopus. Anno vero huic proximo fuit rex ad Natale apud Bunestaple, et inde perrexit ad Berchamested. Ibi rem dignam Deus ostendit. Erat namque quidam cancellarius regis Randulfus jam xx annis infirmitate decoctus, semper tamen in curia juvene promptior ad omnia scelera, innocentes opprimens, terras multas sibi diripiens, eratque ei pro magno, quod dum corpore langueret, sic animo vigeret. Cum igitur regem ad hospitandum secum duceret in ipso montis vertice, unde castellum ejus prospiciebatur, elatus mente corruit ex equo, et monachus super eum equitavit, unde sic contritus est, ut post paucos dies vita careret. Ecce quanta superbia quam vilissime Deo volente deperiit ! Inde ivit rex ad Wodestoc, ad locum insignem, ubi rex cohabitationem hominum et ferarum fecerat. Ibique Robertus Lincolniensis episcopus diem clausit ultimum, cujus epitaphium hoc est :

Pontificum Robertus honor, quem fama superstes
Perpetuare dabit, non obiturus obit.
Hic humilis dives, (res mira) potens, pius, ultor,
Compatiens, mitis cum pateretur erat.
Noluit esse suis dominus, studuit pater esse,
Semper in adversis murus et arma suis.
In decima Jani mendacis somnia mundi
Liquit, et evigilans vera perenne videt.

Postea ad festum Purificationis dedit rex archiepiscopatum Cantuariæ Willielmo de Curbuil, qui prior fuerat apud Chicce. Ad Pascha vero apud Wincester dedit episcopatum Lincolniæ Alexandro venerabili viro, qui nepos erat [*al.* est] Rogeri Salesburiensis episcopi. Rogerus autem justitiarius fuit [*al.* est] totius Angliæ, et secundus a rege.

A Dedit etiam rex episcopatum Bathæ Godfrido cancellario reginæ. At circa Pentecosten mare transiit et recessit ab eo comes de Mellend [*al.* Meslend] discordia propalata. Rex autem castellum ejus, quod vocatur Puntaldemer [*al.* Pundaldemer], obsedit et cepit. Anno vero sequente rex fortunate glorificatus est. Willielmus namque de Tancarvile camerarius regis aciebus statutis confligens cepit comitem prædictum, et Hugonem de Munford soiorium ejus, et Hugonem filium Gervasii et tradidit eos regi ; rex autem posuit eos in carcerem. Eodem anno Teulfus Wigorniensis episcopus, et Ernulfus Rovecestriæ episcopus obierunt. Sequenti anno tot rex fuit in Normannia, et ibi dedit episcopatum Wigorniæ Simoni [*al.* Simeoni] clerico reginæ.
B Sifrido quoque abbati Glastengbiri dedit episcopatum Cicestriæ. Porro Willielmus archiepiscopus dedit episcopatum Rovecestriæ Joanni archidiacono suo. Ad Pascha vero Joannes Cremensis cardinalis Romanus descendit in Angliam, perendinansque per episcopatus et abbatias non sine magnis muneribus ad Nativitatem Sanctæ Mariæ celebravit concilium solemne apud Londoniam. Sed quia Moyses, Dei secretarius, in Historia sancta parentum etiam suorum ut virtutes scripsit et vitia, scilicet facinus Lot, scelus Ruben, proditionem Simeon et Levi, inhumanitatem fratrum Joseph ; nos quoque veram historiæ legem de bonis et malis sequi dignum est. Quod si alicui Romano vel prælato displicuerit,
C taceat tamen, ne Joannem Cremensem sequi velle videatur. Cum igitur in concilio severissime de uxoribus sacerdotum tractasset, dicens summum scelus esse a latere meretricis ad corpus Christi conficiendum surgere ; cum eadem die corpus Christi confecisset cum meretrice post vesperam interceptus est. Res apertissima negari non potuit, celari non decuit. Summus honor ubique habitus in summum dedecus versus est. Repedavit igitur in sua Dei judicio confusus et inglorius. Eodem anno obiit Henricus imperator gener Henrici regis. Operæ pretium vero est audire quam severus rex fuerit in pravos. Monetarios enim fere omnes totius Angliæ fecit ementulari, et manus dextras abscindi, quia monetam furtive corruperant. Iste est annus ca-
D rissimus omnium nostri temporis, in quo vendebatur onus equi frumentarium vi solidis. Hoc etiam anno perrexerunt Romam, Willielmus Cantuariensis archiepiscopus, et Turstanus Eboracensis archiepiscopus, et Alexander Lincolniensis episcopus ; de cujus laudabili munificentia et inexterminabili fama sic quidam dixit heroice :

Splendor Alexandri non tam renitescit honore,
Quam per eum renitescit honor, flos namque virorum.
Dando tenere putans thesauros cogit honoris,
Et gratis dare festinans, ne danda rogentur.
Quod nondum dederit, nondum se credit habere.
O decus, o morum directio ! quo veniente
Certa fides, hilaris clementia, cauta potestas,
Lene jugum, doctrina placens, correctio dulcis,
Libertasque decens, venere, pudorque facetus.

Digitized by Google

Lincoliæ gens magna prius, nunc maxima semper, Talis et iste diu sit nobis tutor honoris.

Vicesimo sexto anno regni sui rex Henricus, ad Natale, et Pascha, et ad Pentecosten moratus est in Normannia, et confirmatis pactis cum Franciæ principibus, qualia regem victoriosissimum decebat, circa festum Sancti Michaelis rediit in Angliam; adduxit siquidem secum filiam imperatricem, tanto viro, ut prædictum est, viduatam. Decessit Robertus Cestrensis episcopus. Anno sequenti rex curiam suam tenuit ad Natale apud Winleshores, pergens inde Londoniam. In Quadragesima et Pascha fuit apud Wodestoc, ubi nuntius dixit ei: *Carolus comes Flandrensis tibi dilectissimus nefanda proditione occisus est a proceribus suis in templo apud Brige; rex autem Francorum dedit Flandriam Willielmo nepoti et hosti tuo, qui jam valde roboratus diversis crucialibus omnes proditores Caroli mulctavit.* Super his igitur rex anxiatus concilium tenuit ad Rogationes apud Londoniam, Willielmus archiepiscopus Cantuariensis similiter in eadem villa apud Westminster. Cum autem ad Pentecosten fuisset apud Wincester, misit filiam suam in Normanniam desponsuram filio consulis Andegavensis, et secutus est eam ipse rex in Augusto. Richardus vero Londoniensis episcopus obierat, cujus episcopatum rex dedit Gileberto universali viro doctissimo. Decessit etiam Richardus Herefordensis episcopus.

Henricus rex sapientissimus [*al.* fortissimus] toto sequenti anno moratus in Normannia, perrexit hostiliter in Franciam, quia rex Francorum nebatur nepotem et hostem suum. Perendinans igitur apud Sparnum octo diebus tam secure, ac si in regno suo esset, compulit regem Ludovicum auxilia comiti Flandrensi non ferre. Ubi cum originem et procursum regni Francorum rex quæreret Henricus, sic quidam non indoctus respondit: *Regum potentissime, sicut pleræque gentes Europæ, ita Franci a Trojanis duxerunt originem. Antenor namque cum suis profugus ab excidio Trojæ in finibus Pannoniæ civitatem Sicambriam nomine ædificavit. Verum post mortem Antenoris constituerunt sui duces super se Turgotum et Francionem, a quo Franci appellantur. Quibus defunctis, elegerunt ducem Marcomirum; Marcomirus vero genuit Pharamundum primum regem Francorum. Pharamundus rex genuit Clodium crinitum; a quo reges Francorum criniti habentur. Clodio decedente, Meroveus cognatus ejus regnavit, a quo reges Francorum Merovingi sunt appellati. Meroveus genuit Childericum; Childericus Clodoveum, quem baptizavit sanctus Remigius; Clodoveus Clotarium, Clotarius Chilpericum, Chilpericus Clotarium secundum; Clotarius vero secundus genuit Dagobertum famosissimum ac dulcissimum regem; Dagobertus Clodoveum; Clodoveus genuit tres filios ex Batilde regina sua sancta; Clotarium, Childericum atque Theodoricum; Theodoricus rex Childebertum, Childebertus Dagobertum, Dagobertus* A *Theodoricum, Theodoricus Clotarium hujus prosapiæ ultimum regem. Post quem regnavit Hildericus, qui tonsus et in monasterio retrusus est, Pippino rege effecto. Ex alterius autem serie generationis ex filia Clotarii regis genuit Ausbertus Arnoldum; Arnoldus sanctum Arnulfum, postea Metensem episcopum; sanctus Arnulfus Anchisem, Anchises Pippinum majorem domus, Pippinus Carolum Martellum, Carolus Pippinum regem; Pippinus rex Carolum magnum imperatorem, qui quasi sidus effulsit præcedentium et sequentium; Carolus genuit Ludovicum imperatorem, Ludovicus Carolum imperatorem Calvum, Carolus Ludovicum regem patrem Caroli Simplicis; Carolus Simplex Ludovicum, Ludovicus Lotharium, Lotharius Ludovicum hujus prosapiæ regem ultimum.* B *Ludovico igitur defuncto Francorum proceres regem super se statuunt Hugonem ducem, qui filius Hugonis Magni ducis fuit. Hugo vero rex genuit piissimum regem Robertum; Robertus vero rex genuit tres filios: Hugonem dulcissimum ducem, Henricum regem amantissimum, Robertumque Burgundiæ ducem. Henricus rex genuit Philippum regem, qui ad finem monachatus est, et Hugonem Magnum, qui in motione Jerosolymitana Jerosolymam cum multis ducibus Europæ debellatum eam petiit super paganos anno ab Incarnatione Domini 1095. Philippus vero rex genuit Ludovicum, qui regnat in præsenti. Qui si probitatis antiquorum vestigia teneret, tam secure in regno ejus non quiesceres.* His dictis et actis, reversus est rex Henricus in Normanniam. Advenit C autem a partibus Alemanniæ quidam dux Theodoricus Flandriam calumnians, quosdam proceres Flandriæ secum habens, et hoc suasu regis Henrici. Willielmus autem comes Flandrensis aciebus ordinatis obviam venit ei. Pugnatum est acriter. Willielmus consul numerum suorum, cum pauci essent, supplebat probitate inexterminabili. Cruentatus igitur omnia arma sua sanguine hostili, findebat ense fulmineo cuneos hostium, nec pondus potuerunt terribile juvenilis brachii perferre hostes perterriti et fugæ dediti. Victoriosissimus itaque consul, dum castrum hostile obsideret et in crastino reddi deberet jam pene annihilatis hostibus, Deo volente, parvo vulnere sauciatus in manu deperiit. Nobilissimus autem juvenum ætate brevi famam D promeruit sempiternam, de quo Walo versificator sic ait:

Mars obit in terris, deflent per sidera sidus,
Numina par numen, parque decora decus.
Res nova! temporibus moriuntur numina nostris,
Amodo credibile est numina posse mori.
Unicus ille ruit, cujus non terga sagittam,
Cujus nosse pedes non potuere fugam.
Nil nisi fulmen erat, quoties res ipsa monebat.
Et si non fulmen, fulminis instar erat.
Flandria se jactat tumulo, Normannia cunis,
Hic fuit occasus sideris, ortus ibi.

Hoc etiam anno Hugo de Paiens, magister militum Templi Jerosolymitani veniens in Angliam secum multos duxit Jerusalem. Inter quos Gaufridus Andegavensis consul rex futurus perrexit. Obierunt

Digitized by Google

Randulf Flambardus Dunelmensis episcopus, et Willielmus Giffardus Wintoniensis episcopus.

Sequenti anno Ludovicus rex Francorum fecit sublimari filium suum Philippum in regem; rex vero Henricus pacificatis omnibus, quæ in Francia, Flandria, Normannia, Britannia, Cenomania, Andegavia erant, cum gaudio in Angliam rediit. Tenuit igitur concilium magnum ad Kalendas Augusti apud Londoniam de uxoribus sacerdotum prohibendis. Intererant siquidem illi concilio Willielmus Cantuariensis archiepiscopus, et Turstanus archiepiscopus Eboracensis, Alexander Lincoliensis episcopus, Rogerus Salesburiensis episcopus, Gilbertus Londoniensis episcopus, Joannes Rovecestrensis, Sifridus Sudsexensis, Godfridus Batensis, Simon Wigorniensis, Everardus Norwicensis, Bernardus Sancti Davidis, Herveus primus Heliensis episcopus. Nam Wintoniensis, et Dunelmensis, et Cestrensis, et Herefordensis obierant. Hi columnæ erant regni et radii sanctitatis hoc tempore. Verum rex decepit eos simplicitate Willielmi archiepiscopi; concesserunt namque regi justitiam de uxoribus sacerdotum et improvidi habiti sunt, quod postea patuit, cum res summo dedecore terminata est. Accepit enim rex pecuniam infinitam de presbyteris, et redemit eos, Tunc, sed frustra concessionis suæ pœnituit episcopos, cum pateret in oculis omnium gentium deceptio prælatorum, et depressio subjectorum.

Eodem anno illis, quos Hugo de Paiens, de quo prædictum est, secum duxerat Jerosolymam, male contigit: Deum si quidem offenderant illius sanctæ telluris incolæ luxuria, et rapina, et variis sceleribus; ut autem scriptum est in Moyse et Regum libris: Non diu scelera locis illis sunt impunita. In vigilia namque Sancti Nicolai a paucis paganorum multi Christianorum devicti sunt, cum antea soleret econtrario contingere. In obsidione igitur Damacena cum magna pars Christianorum progressa esset ad victualia perquirenda, mirati sunt pagani Christianos plures et fortissimos se muliebriter fugientes, et persequentes innumeros trucidarunt. Eos autem, qui fuga sibi salutem quæsierant, in montibus, tempestate nivis et frigoris Deus ipsa nocte persecutus est, ita quod vix aliquis evasit. Contigit etiam quod filius regis Francorum Philippus, qui diademate regni fuerat, ut prædictum est decoratus, dum cornipedem ludens agitaret, obvium suem habuit; cum pedes equi currentes offenderent, cecidit rex novus, et fractis cervicibus exspiravit. Ecce res misera et insolita et admiratione dignissima! Ecce quanta celsitudo quam cito, quam leviter annihilata est!

Anno tricesimo regni sui, fuit rex Henricus ad Natale apud Wirecestre [*al.* Wincestre], ad Pascha apud Wodstoc, ubi fuit accusatus Galfridus de Clintune, et infamatus de proditione regis falso. Ad Rogationes fuit apud Cantuariam ad dedicationem novæ ecclesiæ. Ad festivitatem Sancti Michaelis transiit in Normanniam; eodem anno decessit Honorius papa. Sequenti anno recepit rex apud Carnotum papam Innocentium, Anacleto subjici recusans. Hos enim utrosque Romani bipartiti elegerant. Expulsus vero ab urbe Innocentius vi Anacleti, qui Petrus de Leves prius vocabatur, auxilio regis Henrici receptus est per totas Gallias. Post quod in æstate rediit in Angliam secum filiam suam adducens. Fuit igitur in Nativitate Sanctæ Mariæ magnum placitum apud Nordhamtune: in quo congregatis omnibus principibus Angliæ deliberatum est, quod filia sua redderetur viro suo scilicet consuli Andegavensi eam requirenti. Missa autem post hæc filia regis viro suo recepta est fastu tanta viragine digno. Post Pascha mortuus est Reginaldus abbas Ramesiensis hujus novæ fundator ecclesiæ. In principio hiemis obiit Herveus primus Heliensis episcopus. Anno sequenti fuit rex Henricus ad Natale apud Dunstaple, ad Pascha apud Wodestoc. Post Pascha fuit magnum placitum apud Londoniam, ubi de pluribus quidem et maxime de discordia episcopi Sancti Davidis et episcopi Clamorgensis de finibus parochiarum suarum tractatum est. Obiit Baldewinus rex Hierosolymæ, et Galfridus successit. Anno regni sui tricesimo tertio fuit rex Henricus ad Natale apud Winlesores infirmus. Ad caput jejunii fuit conventus apud Londoniam super episcopos Sancti Davidis et Clamorgensis, et pro discordia archiepiscopi et Lincoliensis episcopi. Ad Pascha fuit rex apud Oxineford in nova aula, et ad Rogationes fuit iterum conventus apud Wincester super rebus prædictis. Post Pentecosten dedit rex episcopatum Heliensem Nigello et episcopatum Dunelmiæ Galfrido Cancellario. Fecit etiam rex novum episcopatum apud Rarlotl, et transiit mare. Eclipsis solis facta est IV Nonas Augusti. Sequenti anno rex Henricus moratus est in Normannia præ gaudio nepotum suorum, quos genuerat consul Andegavensis in filia regis. Obiit Gilebertus Londoniensis episcopus et Lavendensis [*al.* Lavandensis] episcopus in via Romæ pro causa sua tam diu agitata. Hoc anno transfretavit archiepiscopus Willielmus et Alexander Lincoliensis episcopus ad regem pro discordia, quæ inter eos erat pro quibusdam consuetudinibus parochiarum suarum. Anno tricesimo quinto rex Henricus continue moratus est in Normannia, et sæpe non rediturus in Angliam redire proponebat; sed detinebat eum filia ejus variis discordiis, quæ oriebantur pluribus causis inter regem et consulem Andegavensem, artibus scilicet filiæ suæ. Quibus stimulationibus rex in iram et animi rancorem excitatus est, quæ a nonnullis causa naturalis refrigidationis, et postea mortis ejus causa fuisse dictæ sunt. Cum igitur rex a venatu rediisset apud Sanctum Dionysium in silva Leonum comedit carnes murænarum; quæ semper ei nocebant, et semper eas amabat. Cum autem medicus hoc comedi prohiberet, non acquievit rex salubri consilio, secundum quod dicitur:

Digitized by Google

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.
(Ovid. *Am.* III, IV, 17.)

Hæc igitur comestio pessimi humoris illatrix, et consimilium vehemens excitatrix senile corpus lethaliter refrigidans, subitam et summam perturbationem fecit. Contra quod natura renitens excitavit febrem acutam ad impetum dissolvendum materiei gravissimæ. Cum autem restare nulla vi posset, decessit rex magnus cum regnasset triginta quinque annis et tribus mensibus in prima die Decembris. Et jam in tanti fine regis finem libro A præsenti dicabimus, cui tamen, si meruit, musaru memoriale dare comprecemur :

Rex Henricus obit, decus olim nunc dolor orbis :
Numina flent numen deperiisse suum.
Mercurius minor eloquio, vi mentis Apollo,
Jupiter imperio, Marsque vigore gemunt,
Janus cautela minor, Alcides probitate,
Conflictu Pallas, arte Minerva gemunt.
Anglia, quæ cunis, quæ sceptro numinis hujus
Ardua splenderat, jam tenebrosa ruit.
Hæc cum rege suo, Normannia cum duce marcet :
Nutriit hæc puerum, perdidit illa virum.

LECTORI.

Inter librum septimum et eum, qui nic est octavus, ex codicibus manuscriptis nonnulli duos alios libros interponunt. Initium prioris : Hic est annus qui comprehendit scriptorem ; *posterioris :* De viris illustribus Anglorum, et quæ per eos. *In priore libro continentur tres Epistolæ : prima ad Henricum regem ejus nominis primum de serie regum potentissimorum, qui per orbem terrarum usque ad sua tempora fuerunt ; altera ad Warinum Britonem de serie regum Britannorum ex Galfredo Arthuro ; tertia ad Waltcrum archidiaconum Oxinefordiensem, consortem suum, de contemptu mundi. Posterior liber est* De miraculis Anglorum, *ex Beda fere totus sumptus. Hos itaque libros (quamvis ab Huntindonensi sine dubio conscriptos), et quia alterius sunt argumenti, et quia in plurimis codicibus non exstant, et quia nihil afferunt novi, quod non in Beda, Monemuthensi, aliis plenius reperiatur, omittere visum est.*

LIBER OCTAVUS.

Defuncto igitur rege Henrico magno, libera (ut in mortuo solent) judicia populi depromebantur. Alii enim eum tribus vehementer irradiasse splendoribus asserebant : sapientia summa ; nam et consilio profundissimus, et providentia conspicuus, et eloquentia clarus habebatur : victoria etiam, quia exceptis illis, quæ egregie gesserat, regem Francorum belli lege superavit : divitiis quoque, quibus omnes antecessores suos longe lateque præcesserat. Alii autem diverso studio tribus illum vitiis inficiebant : cupiditate nimia ; qua (ut omnes parentes sui) pauperes opulentus tributis et exactionibus inhians delatoriis hamis intercipiebat : crudelitate etiam, qua consulem de Moretoil cognatum suum in captione positum exoculavit, nec sciri facinus tam horrendum potuit usquequo mors secreta regis C aperuit, nec minus et alia proponebant exempla, quæ tacemus ; luxuria quoque, quia mulierum ditioni regis more Salomonis continue subjacebat. Talia vulgus liberum diversificabat. Successu vero temporis atrocissimi, quod postea per Normannorum rabiosas proditiones exarsit, quidquid Henricus fecerat vel tyrannice vel regie comparatione deteriorum visum est peroptimum. Venit enim sine mora Stephanus Tedbaldi Blesensis consulis frater junior eo, vir magnæ strenuitatis et audaciæ, et quamvis jurasset in sacramentum fidelitatis Anglici regni filiæ regis Henrici, fretus tamen vigore et impudentia [*al.* imprudentia] regni diadema Deum tentans invasit. Willielmus Cantuariensis archiepiscopus, qui primus sacramentum filiæ regis fecerat, eum, proh dolor ! in regem benedixit, unde judicium illud Deus in eum statuit, quòd sacerdoti magno Jeremiæ percussori statuerat, scilicet nec post annum viveret. Rogerus magnus Salesburiensis episcopus, qui secundus sacramentum illud prædictum fecerat, et omnibus aliis prædicaverat, diadema ei et vires auxilii sui contribuit : unde justo Dei judicio postea ab eodem, quem creavit in regem, captus et excruciatus miserandum sortitus est exterminium. Sed quid morer ? Omnes qui sacramentum juraverant tam præsules quam consules et principes assensum Stephano præbuerunt, et hominium fecerunt. Hoc vero signum malum fuit, quod tam repente omnis Anglia sine mora, sine labore, quasi in ictu oculi ei subjecta est. Diadematus igitur curiam suam tenuit ad Natale apud Londoniam. Corpus autem regis Henrici adhuc insepultum erat in Normannia. Rex namque Henricus prima die Decembris obierat ; cujus corpus allatum est Rothomagum, et ibi viscera ejus et cerebrum et oculi consepulta sunt. Reliquum autem corpus cultellis circumquaque desecatum, et multo sale aspersum, coriis taurinis reconditum est causa fetoris evitandi, qui multus et infinitus jam circumstantes inficiebat. Unde et ipse qui magno pretio conductus securi caput ejus

Digitized by Google

diffiderat, ut fætidissimum cerebrum extraheret, quamvis linteaminibus caput suum obvolvisset, mortuus tamen ea causa pretio male gavisus est. Hic est ultimus e multis, quem rex Henricus occidit. Inde vero corpus regium Cadonum sui deportaverunt, ubi diu in Ecclesia positum, in qua pater ejus sepultus fuerat, quamvis multo sale repletum esset, et multis coriis reconditum, tamen continue ex corpore jugiter humor et horribilis scoria pertransiens decurrebat, et vasis sub feretro susceptus a ministris fœtore et horrore fatiscentibus abjiciebatur. Vide igitur quicunque legis, quomodo regis potentissimi corpus, cujus cervix diadematizata auro et gemmis electissimis, quasi Dei splendore vernaverat; cujus utraque manus sceptris præradiaverat, cujus reliqua superficies auro textili tota rutilaverat, cujus os tam deliciosissimis et exquisitis pasci solebat cibis, cui omnes assurgere, omnes expavescere, omnes congaudere, omnes admirari solebant: vide, inquam, quo corpus illud devenerit, quam horribiliter delituerit, quam miserabiliter abjectum fuerit. Vide rerum eventum, ex quo semper pendet judicium. Et disce contemnere quidquid sic disterminatur, quidquid sic annihilatur. Tandem reliquiæ regalis cadaveris allatæ sunt in Angliam, et sepultæ sunt intra duodecim dies Natalis Domini apud abbatiam Redinges, quam rex Henricus fundaverat, et multis possessionibus ditaverat. Ibique rex Stephanus venit a curia sua quam tenuerat apud Londoniam in ipso Natali contra corpus patrui sui, et Willielmus archiepiscopus Cantuariæ et multi præsules et proceres sepelierunt regem Henricum cum debita tanto viro reverentia. Inde perrexit rex Stephanus apud Oxineforde, ubi recordatus est, et confirmavit pacta, quæ Deo et populo et sanctæ Ecclesiæ concesserat in die coronationis suæ. Quæ sunt hæc: *Primo vovit, quod defunctis episcopis nunquam retineret ecclesias in manu sua, sed statim electioni canonicæ consentiens episcopis eas investiret. Secundo vovit, quod nullius clerici vel laici silvas in manu sua retineret, sicut rex Henricus fecerat, qui singulis annis implacitaverat eos, si vel venationem cepissent in silvis propriis vel si eas ad necessitates suas exstirparent, vel diminuerent.* Quod placiti nefandi genus adeo fuit exsecrabile, ut si alicujus lucum, quem habere pecuniam æstimarent, a longe conspicerent, statim vastatum perhiberent sive esset sive non, ut eum immerito redimerent. *Tertio vovit, quod danegeldum, id est duos solidos ad hidam, quos antecessores sui accipere solebant, singulis annis in æternum condonaret.* Hæc principaliter Deo vovit et alia, sed nihil horum tenuit.

Stephanus rex primo anno regni sui, cum venisset in fine Natalis Domini ad Oxeneford, audivit nuntium dicentem sibi: *Rex Scotorum simulans se pacifice venire ad te gratia hospitandi, veniens in Karloil et novum castellum dolose cepit utraque;* cui rex Stephanus: *Quæ dolose cepit, victoriose recipiam.*

Promovit igitur rex impiger exercitum tantum erga David Scotorum regem, quantum nullus in Anglia fuisse memorare potuit, occurrens igitur ei rex David cirea Dunelmiam concordatus est ei, reddens novum castellum; Karloil vero retinuit concessione regis Stephani, rex tamen David, homo regis Stephani non est effectus; quia sacramentum primus omnium laicorum juraverat filiæ regis, scilicet nepti suæ de Anglia ei manu tenenda post mortem Henrici regis. Filius autem David regis Henricus homo regis Stephani effectus est, deditque ei rex Stephanus burgum, quod vocatur Huntendonia in augmentum. Rediens autem inde rex Stephanus in Quadragesima tenuit curiam suam apud Londoniam in solemnitate Paschali, qua nunquam fuerat splendidior in Anglia multitudine, magnitudine, auro, argento, gemmis, vestibus, omnimoda dapsilitate. Ad Rogationes vero divulgatum est regem mortuum esse. Quod audiens Hugo Bigot in castellum Nordwic subintravit, nec reddere voluit, nisi ipsi regi advenienti valde tamen invitus. Jam ergo cœpit rabies Normannorum prædicta perjurio et proditione pullulare. Cepit igitur rex castellum de Bathentune, cujus dominus Robertus quidam proditor a rege desciverat. Inde obsedit urbem Execestre, quam tenebat Baldwinus de Redvers [*al.* Rivers] contra eum, ibique diu morando, machinas multas construendo, multum thesauri sui absumpsit. Sero tamen redditum est ei castellum, et vindictam non exercuit in proditores suos pessimo consilio usus; si enim eam tum exercuisset, postea contra eum tot castella retenta non fuissent. Inde igitur rex perrexit in Insulam Vectam, et abstulit eam Baldwino de Redvers, de quo prædiximus et exsulavit eum ab Anglia. Elatus igitur rex hisce prospere gestis venit venatum apud Bramptoniam, quæ abest milliario ab Huntendonia; et ibi placitavit de forestis procerum suorum, id est de silvis et venationibus, et fregit votum et pactum Deo et populo.

Stephanus rex anno secundo fuit ad Natale apud Dunstaple. In Quadragesima vero transfretavit in Normanniam. Transiit autem Lincoliensis episcopus Alexander et multi proceres cum eo. Ubi rex Martiis altercationibus assolitus omnia, quæ incæpit, luculenter perfecit, hostium circumventus repulit, hostilia castella depulit, egregie inter summos splenduit, concordiam cum rege Francorum composuit, et Eustachius filius ejus homo regis Francorum effectus est de Normannia, quæ Francorum adjacet imperio. Quod videns consul Andegavensis, qui supremus hostis ejus erat (qui nimirum filiam regis Henrici duxerat, quæ imperatrix Alemanniæ fuerat, et sacramenta de regno Angliæ acceperat; unde et calumniabantur Angliam sponsus et sponsa) cepit tamen inducias cum rege Stephano. Videbat enim se ad præsens regias vires non posse perstringere, tam pro multitudine probitatis quam pecuniæ, quæ adhuc ex abundantia thesauri regis defuncti supererat. Cunctis igitur prospere gestis in ipso

Digitized by Google

vestibulo Natalis Domini, rediit rex in Angliam clarus. Hi ergo duo anni Stephano regi prosperrimi fuerunt. Tertius vero, de quo dicemus, mediocris et intercisus; duo vero ultimi exitiales et prærupti.

Stephanus rex impiger tertio anno in ipso ingressu Angliæ provolavit ad Bedefordiam, et in vigilia Natalis Domini et in toto Natali obsedit eam: quod etiam multis Deo displicuisse visum est, quia solemnitatem solemnitatum parvi vel nihili pendebat. Reddita autem Bedfordia in Scotiam promovit exercitum. Rex namque Scotorum, quia sacramentum fecerat filiæ regis Henrici, quasi sub velamento sanctitatis per suos exsecrabiliter egit. Mulieres enim gravidas findebant, et fetus anticipatos abstrahebant, pueros super acumina lancearum jactabant, presbyteros super altaria detruncabant, crucifixorum capita abscissa super cæsorum corpora ponebant, mortuorum vero capita mutuantes super crucifixa reponebant. Quæcunque igitur Scoti attingebant, omnia erant plena horroris, plena immanitatis. Aderat clamor mulierum, ejulatus senum, morientium gemitus, viventium desperatio. Rex igitur Stephanus insurgens combussit et destruxit australes partes regni regis David; ipso quidem David non audente cum eo congredi. Post Pascha exarsit rabies proditorum nefanda, quidam namque proditorum nomine Talebot tenuit contra regem castellum Herefordiæ in Wales, quod tamen rex per obsidionem in suum recepit. Robertus consul filius Henrici regis nothus tenuit contra eum fortissimum castellum, quod vocatur Bristo, et alium, quod vocatur Slede. Willielmus [*al.* Radulfus] Luvel tenuit castellum de Kari, Paganellus castellum de Ludelau, Willielmus de Moun [*al.* Moiun] castellum de Dupestor, Robertus de Nichole castellum de Warram, Eustachius filius Joannis castellum de Meltune, Willielmus filius Alani castellum de Salopesbiri, quod rex quidem cepit armis, captorumque nonnullos suspendit. Quod audiens Walkelinus, qui tenebat castellum de Doure, reginæ se obsidenti reddidit illud. Occupato igitur rege circa partes australes Angliæ David Scotorum rex innumerabilem exercitum promovit in Angliam, contra quem proceres Borealis Angliæ admonitione et jussu Turstani archiepiscopi Eboracensis restiterunt viriliter, fixo standard, id est regio insigni apud Alverton. Cum autem morbi causa non posset archiepiscopus interesse pugnæ, misit loco sui Radulfum episcopum Orcadum; qui stans in acie media loco eminenti hujusmodi usus est incentivo:

Proceres Angliæ clarissimi Normannigenæ, meminisse enim vestri vos nominis et generis prœliaturos decet, perpendite qui, et contra quos, et ubi bellum geratis; vobis enim nemo impune restitit: audax Francia vos experta delituit, ferax Anglia vobis capta succubuit, dives Apulia vos sortita refloruit, Hierosolyma famosa et insignis Antiochia se vobis utraque supposuit. Nunc autem Scotia vobis rite subjecta repellere conatur inermem: præferens temeritatem, rixæ quam pugnæ aptior. In quibus quidem nulla vel rei militaris scientia, vel prœliandi peritia, vel moderandi gratia. Nullus igitur verendi locus sed potius verecundiæ, quod hi, quos semper in patria sua petivimus et vicimus, in patriam nostram ritu transverso ebrii dementesque convolarunt. Quod tamen vobis ego prœsul et archipræsulis nostri loco situs divina providentia factum denuntio, ut hi, qui in hac patria templa Dei violaverunt, altaria cruentaverunt, presbyteros occiderunt, nec pueris nec prægnantibus pepercerunt, in eadem condignas sui facinoris luant pœnas. Quod justissimum suæ dispositionis arbitrium per manus nostras hodie perficiet Deus. Attollite igitur animos, viri elegantes, et adversus hostem nequissimum freti virtute patria, imo Dei præsentia exsurgite. Neque vos temeritas eorum moveat, cum illos tot nostræ virtutis insignia non deterreant. Illi nesciunt armari se in bello, vos in pace armis exercemini, ut in bello casus belli dubios non sentiatis. Tegitur vobis galea caput, lorica pectus, ocreis crura, totumque corpus clypeo; ubi feriat hostis non reperit, quem ferro circumseptum conspicit. Procedentes igitur adversus inermes ac nudos quid dubitamus? An numerum? sed non tam numerus multorum quam virtus paucorum bellum conficit; multitudo enim disciplinæ insolens ipsa sibi est impedimento in prosperis ad victorium, in adversis ad fugam. Præterea majores vestri multos pauci sæpe vicerunt. Quid ergo conferet vobis gloria parentalis, exercitatio solemnis, disciplina militaris, nisi multos pauciores vincatis. Sed jam finem dicendi suadet hostis inordinate proruens, et quod animo valde meo placet disperse confluens. Vos igitur archipræsulis vestri loco, qui hodie commissa in Domini domum, in Domini sacerdotes, in Domini gregem pusillum vindicaturi estis, si quis vestrum prœlians occubuerit, absolvimus ab omni pœna peccati in nomine Patris, cujus creaturas fœde et horribiliter destruxerunt, et Filii cujus altaria maculaverunt, et Spiritus sancti, a quo sublimatos insane ceciderunt.

Respondit omnis populus Anglorum, et resonuerunt montes et colles: Amen, amen; exclamavitque simul exercitus Scotorum insigne patrium, et ascendit clamor usque in cœlum: Albani, Albani. Exstinctus autem clamor est ictuum immanitate et horrendo fragore. Principium pugnæ, dum acies Loenensium, qui gloriam primi ictus a rege Scotorum invito præripuerant, amentatis missilibus et lanceis longissimis super aciem equitum nostrorum loricatam percutiunt, quasi muro ferreo offendentes, impenetrabiles invenerunt. Viri vero sagittarii equitibus immisti obnubilantes eos nimirum inermes penetrabant. Tota namque gens Normannorum et Anglorum in una acie circum standard conglobata persistebant immobiles. Percusso igitur sagitta summo duce Loenensium corruit ipse, et tota gens eorum in fugam versa est. Offensus namque Deus excelsus erat in eis, et omnis virtus eorum tanquam aranearum contextio demolita est. Quod videns

Digitized by Google

acies maxima Scotorum, quæ ex alia parte acerrime pugnabat, animo deliquit et fugæ indulsit. Regalis autem acies, quam ex pluribus gentibus rex David constituerat, simul hoc vidit, cœperunt primum singillatim, postea catervatim aufugere, rege jam pene solo persistente. Quod amici regis videntes, coegerunt eum sonipede arrepto terga dare, filius autem regis strenuissimus non attendens ad hæc, quæ a suis fieri videbat, sed soli gloriæ et virtuti inhians fugientibus reliquis fortissime assiluit aciem hostium, et miro impetu percussit. Sola namque acies ejus equis residebant ex Anglis videlicet et Normannis composita, qui patris in familia conversabantur. Equitantes autem nulla ratione diu persistere potuerunt contra milites loricatos pede persistentes, et immobiliter coacervatos; sed lanceis confractis et equis vulneratis aufugere quidem, gloriose tamen re gesta compulsi sunt. Undecim millia Scotorum in eo campo fama refert occisa, extra eos, qui in segetibus et silvis inventi et perempti sunt. Nostri vero minimo sanguine feliciter triumpharunt. Hujus pugnæ dux fuit Willielmus consul de Albemarle et Willielmus Piperellus de Notingam et Walterius *Espect* [*al.* Espech], et *Ilbertus* [*al.* Gillebert de Laci] de Laci, cujus frater ibi solus ex omnibus equitibus occisus est. Cujus eventus belli cum regi Stephano nuntiatus esset, ipse et omnes qui aderant summas Deo gratias exsolverunt. Hoc bellum mense Augusti factum est. At in adventu Domini concilium apud Londoniam Albericus Ecclesiæ Romanæ legatus, et Hostiensis episcopus tenuit. Et ibidem adnitente rege Stephano Thedbaldus abbas Beccensis Cantuariensis archiepiscopus effectus est.

Anno quarto rex Stephanus post Natale castellum de Slede cepit obsidione; perrexit autem post hæc in Scotiam, ubi cum rem Marte et Vulcano ducibus ageret, rex Scotiæ cum eo concordari coactus est. Henricum igitur filium regis Scotorum secum ducens in Angliam obsedit Ludlave, ubi idem Henricus unco ferreo equo abstractus pene captus est; sed ipse rex eum ab hostibus splendide retraxit. Inde re imperfecta [*al.* perfecta] Oxinfordiam petiit, ubi res infamia notabilis et ab omni consuetudine remota comparuit. Rex namque Rogerum episcopum Salesburiensem, et Alexandrum Lincolniensem ipsius nepotem cum pacifice suscepisset, violenter in curia sua cepit nihil justitiæ recusantes, et judicii æquitatem devotissime poscentes. Ponens igitur ibidem Alexandrum episcopum in carcere, episcopum Salesburiensem secum duxit ad castellum ejusdem, quod vocatur Divise (quo non erat aliud spendidius intra fines Europæ); angarians igitur eum et jejunii tormento et filii ejus, qui cancellarius regis fuerat, laqueo collum circumnectens, ut suspenderetur. Tali modo castellum sibi extorsit male recordans bonorum, quæ in introitu regni sui præ omnibus aliis ei congesserat, talem ei devotionis suæ retributionem exhibuit. Similiter cepit Sireburnam, quod parum Divisis decore cedebat; accipiensque thesauros episcopi comparavit inde Constantiam sororem Ludovici regis Francorum ad opus Eustachii filii sui. Rex inde rediens Alexandrum episcopum Lincolniensem, quem dimiserat in captione apud Oxinefordiam, duxit secum ad Newercam. Ibique construxerat episcopus super flumen Trente in loco amœnissimo vernantissimum florida compositione castellum. Quo cum venisset rex, indixit episcopo jejunium non legitimum, astruens fide data eum omni cibo cariturum, donec ei redderetur castellum. Vix igitur episcopus lacrymis et precibus a suis obtinere potuit, ut castrum suum a jure suo in extrancorum custodiam deponerent. Similiter redditum est castellum aliud ejus, quod vocatur Slaforde, neque forma neque situ a prædicto secundum. Nec longe post, cum Henricus Wintoniensis episcopus frater regis jam legatus Romanæ Ecclesiæ concilium apud Wintoniam teneret ipse et Tedbaldus archiepiscopus Cantuariensis et omnes episcopi, qui aderant ad pedes regios devoluti sunt, devotissima supplicatione poscentes, ut episcopis prædictis possessiones suas redderet, ut omnia in eos commissa regi benigne condonarent. Sed rex consilio pravorum tot et tantorum tam verendam prosternationem despiciens, nihil eos impetrare permisit. Ob quod patefacta est domus regis Stephani finitimæ condemnationi. Statim namque filia regis Henrici, quæ fuerat imperatrix Alemanniæ, cui Anglia juramento dedicata fuerat, venit in Angliam. Quam cum rex obsedisset apud Arundel vel perfida credens consilia, vel quia castrum videbat inexpugnabile, ire permisit ad Bristow. Eodem anno Rogerus prædictus episcopus tam mœrore quam senio confectus demarcuit. Stupeant igitur omnes lecturi tantam tam subitam rerum permutationem. Viro namque præfato tot a juventutis exordio bona contigerant, et sine interpellatione in cumulum creverant, ut diceremus omnes in eo fortunam suæ volubilitatis oblitam; nec aliquibus adversis in tota vita sua potuit affici, donec tantæ miseriæ cumulus simul confluens in extremis eum præfocavit. Nullus igitur de felicitatis assiduitate confidat. Nullus de fortunæ stabilitate præsumat. Nullus in rota volubili sedem confixam diu superesse contendat.

Quinto anno regni sui fugavit rex Stephanus Nigellum episcopum Elyensem de episcopatu suo, quia nepos prædicti episcopi Salesburiensis erat, a quo odii incentivum in progeniem ejus traxerat. ubi autem ad Natale, vel ad Pascha fuerit, dicere non attinet. Jam quippe curiæ solemnes et ornatus regii schematis ab antiqua serie descendens prorsus evanuerant. Ingens thesauri copia jam deperierat; pax in regno nulla; cædibus, incendiis, rapinis omnia exterminabantur; clamor, et luctus, et horror ubique, unde sic dictum est elegiace :

Quis mihi det fontem, quid enim potius lacrymarum?
Et lacrymer patriæ gesta nefanda meæ.
Advenit caligo Stygis dimissa profundo,

Digitized by Google

Quæ regni faciem conglomerata tegit.
Ecce furor, fremitus, incendia, furta, rapinæ,
Clades [al. *cædes*], *nulla fides consociata ruunt.*
Jam furantur opes, et opum dominos, et in ipsis
Sopitos castris, o nova furta, premunt.
Perjurare, fidem mentiri nobile factum,
Prodere vel dominos actio digna viris.
Concio prædonum cœmeteria, templa refringit,
Namque sacerdotes, res miseranda, rapit.
Detorquent unctos Domini, simul et mulieres
Proh pudor! ut redimant, excruciare student.
Affluit ergo fames, consumpta carne gementes
Exhalant animas ossa, cutisque vagas.
Quis tantos sepelire queat cœtus morientum,
Ecce Stygis facies, consimilisque lues!

Sexto anno rex Stephanus Lincoliæ urbem infra Natale obsedit, cujus munitiones fraudulenter ceperat Ranulfus comes Cestrensis. Seditque ibi usque ad purificationem Sanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ. Tunc namque Ranulfus comes prædictus adduxit secum Robertum filium Henrici regis, generum ipsius, et proceres validissimos alios ad obsidionem regis dissolvendam. Cum autem consul audacissimus paludem pene intransibilem vix transisset in ipsa die aciebus dispositis regem bello aggressus est: ipse cum suis aciem primam construxerat, secundam illi, quos rex Stephanus dehæreditaverat; tertiam dux magnus Robertus cum suis, a latere vero erat turma Walensium magis audacia quam armis instructa. Tunc consul Cestrensis vir bellicosus, et armis insignibus coruscans Robertum consulem, proceresque reliquos sic alloquitur: *Gratias tibi multas, dux invictissime, vobisque (proceres, et commilitones mei) cum summa devotione persolvo, qui usque ad vitæ periculum amoris affectum mihi magnanimiter exhibuistis. Cum igitur sim vobis causa periculi, dignum est, ut periculo me prius ingeram, et infidissimi regis, qui datis induciis pacem fregit, aciem prius illidam. Ego quidem tam de mea virtute quam de regis injustitia confidens, jamjam regalem cuneum diffindam, gladio mihi viam per hostes medios parabo; vestræ virtutis est sequi præeuntem, et imitari percutientem. Jam videor animi mei præsagio regias acies transvolare, proceres pedibus conculcare regem ipsum gladio transverberare.* Dixerat. Dux autem Robertus sic juveni respondit, et in loco stans eminenti hujusmodi orationem habuit: *Non indignum est, quod ictus primi dignitatem poscis, tam ex nobilitate quam virtute, qua præcellis. Si tamen de nobilitate contendas, ego filius regis nobilissimi et nepos regis summi non antecellor; si de virtute, hic multi sunt electissimi, quibus nemo viventium probitate potest præferri. Sed longe alia me movet ratio. Rex enim contra sacramenta, quæ sorori meæ fecit, regnum crudeliter usurpavit, et omnia conturbans multis millibus causa necis exstitit, et exemplo sui nihil juris habentibus terras distribuit, jure possidentibus diripuit, ab ipsis nequiter dehæredatis, summo judice cooperante et vindictam subministrante, prius aggrediendus est. Respiciet, qui judicat populos in æquitate, de excelso cœlorum habitaculo, et injustum*

A *juste appetentes in hac tanta necessitate nequaquam relinquet. Unum vero est, proceres fortissimi militesque universi, quod vobis animo firmiter ingerere volo, quia per paludes, quas vix pertransistis, nulla potest esse fugientibus reversio. Hic igitur vel vincendum vel occumbendum, spes fugæ nulla. Hoc solum superest ut in urbem gladiis viam paretis. Si quid autem vere conjecturat animus mihi, hoc quod fugere nusquam potestis, illud est quod hodie vobis, Deo adjuvante, victoriam præstabit. Necesse est enim ut ad probitatem confugiat, cui non potest esse aliud diffugium. Cives autem Lincolienses, qui stant urbi suæ proximi in impetus gravedine animis liquescentibus ad domos suas transfugere victoriosi videbitis. Verumtamen contra quos bellum geratis attendite.*
B *Alanus Britonum dux contra nos imo contra Deum procedit armatus, vir nefandus, et omnium scelerum genere pollutus, malitiæ paris nescius, cui nunquam nocendi defuit affectus, cui se non esse crudelitate incomparabilem, solum et supremum videtur opprobrium. Procedit quoque contra nos comes Mellensis, doli callidus, fallendi artifex, cui innata est in corde nequitia, in ore fallacia, in opere pigritia, gloriosus corde, magnanimus ore, pusillanimus opere, ad congrediendum ultimus, ad digrediendum primus, tardus ad pugnam, velox ad fugam. Procedit contra vos Hugo consul, cui parum visum est se contra imperatricem perjurum fuisse, nisi et secundo se patentissime perjuraret, affirmans regem Henricum Stephano regnum concessisse, et filiam suam abdicasse,*
C *qui nimirum fallaciam virtutem credit, et elegantiæ perjurium ducit. Procedit consul de Albemarle, vir in crimine singularis constantiæ, ad agendum volubilis, ad relinquendum immobilis, quem sponsa sua causa spurcitiæ intolerabilis fugitiva reliquit. Procedit contra vos consul ille, qui consuli prædicto sponsam abripuit, adulter patentissimus, et excellenter impurus, Baccho devotus, Marti ignotus, vino redolens, bello insolens. Procedit Simon comes Hamptoniensis, cujus actus sola locutio, cujus datum sola promissio, qui cum dicit, fecit; cum promittit, dedit. Procedunt cæteri proceres, regi suo consimiles, latrociniis assueti, rapinis delibuti, homicidiis saginati, omnes tandem perjurio contaminati. Vos igitur, viri fortissimi, quos magnus Henricus rex erexit, iste dejecit;*
D *ille instruxit, iste destruxit; erigite animos, et de virtutibus vestris, imo de Dei justitia confisi vindictam vobis a Deo oblatam de facinorosis præsumite, et gloriam immarcessibilem vobis posterisque vestris præfigite. Jam si vobis idem animus est ad hoc judicium Dei perpetrandum, progressionem vovete, fugam abjurate, erectis in cœlum unanimiter dextris.* Vix finierat, et omnes in cœlum manibus extensis terribili clamore fugam abjuraverunt, et se in armis colligentes, in hostem splendide progrediuntur. Rex interea Stephanus curarum magnis exæstuans fluctibus missam in tanta solemnitate audierat. Cum autem de more cereum rege dignum Deo offerens manibus Alexandri episcopi imponeret, confractus est. Hoc fuit regi signum contritionis, cecidit etiam

Digitized by Google

super altare pyxis, cui corpus Domini inerat abrupto vinculo præsente episcopo : hoc fuit regi signum ruinæ. Proinde rex strenuissimus egreditur, aciesque cum summa securitate bello disponit. Ipse pedes omnem circa se multitudinem loricatorum equis abductis strictissime collocavit, consules cum suis in duabus aciebus equis pugnaturos instituit ; sed admodum parvæ illæ equestres acies comparuerunt. Paucos enim secum ficti, et factiosi consules adduxerant ; acies autem regalis maxima erat, uno tantum scilicet ipsius regis insignita vexillo. Tunc quia rex Stephanus festiva voce carebat, Baldwino filio Gileberti, magnæ nobilitatis viro, et militi fortissimo sermo exhortatorius ad universum cœtum injunctus est. Qui loco stans excelso omnium oculis in eum erectis, ubi attentionem eorum modesta taciturnitate stimulavit, sic exorsus est :

Omnes qui aciebus dispositis conflicturi estis, tria prævidisse oportet, primum justitiam causæ, deinde militum copiam, postremo astantium probitatem. Justitiam causæ, ne periculum animæ incurratur ; copiam militum, ne hostium numerositate comprimatur ; probitatem astantium, ne numero confisa, debilibus tamen innixa subruatur. In his omnibus negotium, quo tenemur, expeditum conspicimus. Causæ namque nostræ justitia est, quod regi ea, quæ coram Deo novimus servantes, contra suos in eum perjuros in periculo mortis astamus. Numerus vero nobis in equitibus non inferior, in peditibus confertior. Probitatem vero tot consulum, tot procerum, militum quoque bellis semper assuetorum, quis vocibus exæquet ? Virtus autem ipsius regis infinita vobis loco perstabit millium. Cum igitur sit in medio vestrum dominus vester unctus Domini, cui fidem devovistis, votum Deo persolvite, tanto donativum majus a Deo accepturi, quanto fidelius et constantius pro rege vestro fidi contra infidos, legitimi contra perjuros pugnaveritis. Securi quin etiam et summa repleti confidentia, contra quos bellum geratis perpendite. Roberti ducis vires notæ sunt. Ipse quidem de more multum minatur, parum operatur, ore leoninus, corde leporinus, clarus eloquentia, obscurus inertia. Consul autem Cestrensis, vir audaciæ irrationabilis, promptus ad conspirandum, inconstans ad perficiendum, ad bellum impetuosus, periculi improvidus, altiora se machinans, impossibilibus anhelans, assiduorum paucos adducens, convenarum dispersam multitudinem congregans ; nihil habet quod timeri debeat : semper enim quidquid viriliter incœpit, effeminate reliquit. In omnibus quippe gestis suis infortunate rem agens, vel in congressibus victus aufugit, vel si raro victor exstitit, majora victis detrimenta sustinuit. Walenses autem, quos secum adduxit sclos, vobis despectui sint, qui inermem bello præferunt temeritatem, et arte, et usu belli carentes, quasi pecora decurrunt in venabula ; alii vero tam proceres quam milites, transfugæ et gyrovagi, utinam plures adducerentur, qui quanto numero plures, tanto effectu deteriores. Vos igitur consules, et viri consulares, meminisse vos decet, namque decet vestræ virtutis et nobilitatis. Hodie probitates vestras numerosas in cacumen florentissimum extollite, et patrum imitatores filiis vestris splendorem sempiternum relinquite. Assiduitas itaque victoriarum incentivum fit vobis confligendi ; assiduitas infortuniorum incentivum fiet illis fugiendi. Jam siquidem, nec fallor, eos advenisse pœnitet ; jam de fuga meditantur, si locorum asperitas admittat. Cum ergo nec illis confligere, nec confugere sit possibile ; quid aliud egerunt, nisi quod vobis Dei nutu, et se, et impedimenta sua obtulerint ? Equos itaque eorum, arma, et ipsorum corpora ditioni vestræ subjecta conspicitis. Extendite ergo animos vestros : et dextras inexpugnabiles, viri bellicosi, ad diripiendum cum summo tripudio, quod ipse vobis obtulit Deus. Sed jam antequam orationis seriem terminaret, clamor adest hostium, clangor lituorum, equorum fremitus, terræ sonitus.

Principium pugnæ. Acies exhæreditatorum, quæ præibat, percussit aciem regalem ; in qua consul Alanus, et ille de Mellent, et Hugo consul de Estangle, et Simon comes, et ille de Warrenna inerant tanto impetu, quod statim quasi in ictu oculi dissipata est, et divisio eorum in tria devenit. Alii namque eorum occisi sunt, alii capti, alii aufugerunt. Acies cui principabatur consul de Albemarle, et Willielmus Iprensis percussit Walenses, qui a latere præcedebant, et in fugam coegit. Sed acies consulis Cestrensis perculit cohortem prædicti consulis, dissipata est in momento, sicut acies prior. Fugiunt igitur omnes equites regis, et Willielmus Iprensis a Flandria oriundus vir exconsularis et magnæ probitatis. Qui cum esset belli peritissimus, videns impossibilitatem auxiliandi reges, distulit auxilium suum in tempora meliora. Rex itaque Stephanus cum acie sua pedestri relictus est in medio hostium. Circuierunt igitur undique aciem regalem, et totam in circuitu expugnabant, sicut castellum solet assiliri. Tunc vero horrendam faciem belli videres in omni circuitu regalis aciei, ignem prosilientem ex galearum et gladiorum collisione, stridorem horrendum, clamorem terrificum : resonabant colles, resonabant urbis muralia. Impetum igitur equorum regalem turmam offendentes, quosdam cædebant, quosdam sternebant, nonnullos abstractos capiebant. Nulla quies iis, nulla respiratio dabatur, nisi in ea parte, qua rex fortissimus stabat, horrentibus inimicis incomparabilem ictuum ejus immanitatem. Quod ubi comes Cestrensis comperit regis invidens gloriæ cum omni pondere armatorum irruit in eum. Tunc apparuit vis regis fulminea bipenni maxima cædens hos, ruens illos. Tunc novus oritur clamor ; omnes in eum, ipse in omnes. Tandem regia bipennis ex ictuum frequentia confracta est. Ipse gladio abstracto dextera regis digno, rem mirabiliter agit, donec et gladius confractus est. Quod Willielmus videns Dekains, miles validissimus, irruit in regem, et eum galea arripiens voce magna clamavit : *Huc omnes, huc! regem teneo.* Advolant omnes, et capitur rex. Capitur etiam Baldwi

Digitized by Google

nus qui orationem fecerat persuasoriam multis confossus vulneribus, multis contritus ictibus, ubi egregie resistendo gloriam promeruit sempiternam. Capitur etiam Richardus filius Ursi, qui in ictibus dandis et recipiendis clarus et gloriosus comparuit. Adhuc, capto rege, pugnabat acies regalis; nec enim circumventi fugere poterant, donec omnes vel capti vel cæsi sunt. Civitas ergo hostili lege direpta est, et rex in eam miserabiliter introductus est.

Dei igitur judicio circa regem peracto ducitur ad imperatricem, et in turri de Bristow captivus ponitur. Imperatrix ab omni gente Anglorum suscipitur in dominam, exceptis Kentensibus, ubi regina, et Willielmus Iprensis contra eam pro viribus suis repugnabant. Suscepta est prius a legato Romano Wintoniensi episcopo, et mox a Londoniensibus. Erecta est autem in superbiam intolerabilem, quia suis incerta belli prosperavisset, et omnium fere corda a se alienavit, igitur sive subdolorum instinctu, sive Dei nutu, imo quidquid homines egerint Dei nutu expulsa est a Londonia. Irritata igitur muliebri angore, regem unctum Domini in compedibus poni jussit. Post dies autem cum avunculo rege Scotorum, et fratre suo Roberto viribus coactis veniens obsedit turrim Londoniensis [*al.* Wintoniensis] episcopi. Episcopus autem misit pro regina, et Willielmo Iprensi, et pro universis fere proceribus Angliæ. Factus est igitur exercitus, utrinque magnus. Dimicabant quotidie non congressibus acierum, sed militarium anfractuum circuitionibus. Non igitur sicut in belli cæcitate confundebantur gesta. Sed patebat cujusque probitas, et gloria pro meritis aderat, ut mora illa pro omnibus his voluptuosa videretur in illustrium splendoribus excelsis. Venit tandem exercitus Londoniensis, et aucti numerose, qui contra imperatricem contendebant, fugere eam compulerunt. Capti sunt in fuga multi. Captus est et Robertus frater imperatricis, in cujus turri rex captivus erat; cujus sola captione rex evadere poterat. Absolutus est uterque. Sic rex Dei justitia miserabiliter captus, Dei misericordia mirabiliter liberatus est, et ab Anglorum proceribus cum magno gaudio susceptus est.

Septimo anno rex Stephanus construxit castrum apud Wiltonam. Tunc superveniens multitudo hostium ex insperato cum regii milites circuitionibus bellicis incepissent, et non potuissent resistere, regem in fugam compulerunt. Capti sunt ex suis plerique, captus est etiam Willielmus Martel dapifer regis, qui pro redemptione sua dedit insigne castellum de Syreburne. Eodem anno rex obsedit imperatricem apud Oxineford post festum Sancti Michaelis usque ad adventum Domini. In eo quippe termino non procul a Natali aufugit imperatrix per Tamasim glaciatam circumamicta vestibus albis reverberatione nivis et similitudine fallentibus oculos obsidentium; fugit autem ad castellum de Wallingford, et sic Oxineford regi tandem reddita est.

Octavo anno rex Stephanus interfuit concilio Londoniæ in media Quadragesima: quod quia nullus honor vel clericis vel Ecclesiæ Dei a raptoribus deferebatur, et æque capiebantur et redimebantur clerici, ut laici; tenuit consilium Wintoniensis episcopus urbis Romanæ legatus apud Londoniam clericis pro tempore necessarium; in quo sancitum est, ne aliquis qui clerico violentas manus ingesserit, ab alio possit absolvi, quam ab ipso papa, et in præsentia ipsius, unde clericis aliquantulum serenitas vix eluxit.

Eodem anno cepit rex Gaufridum de magna villa in curia sua apud Sanctum Albanum, magis secundum retributionem nequitiæ consulis, quam secundum jus gentium, magis ex necessitate, quam ex honestate. Nisi enim hoc egisset perfidia consulis illius regno privatus fuisset. Igitur, ut rex eum liberaret, reddidit ei turrim Londoniæ et castellum de Waledene, et illud de Plaisseiz. Possessionibus igitur carens consul prædictus invasit abbatiam Ramesiensem, et monachis expulsis raptores immisit, et Ecclesiam Dei speluncam fecit latronum. Erat autem summæ probitatis, sed summæ in Deum obstinationis; magnæ in mundanis diligentiæ, magnæ in Deum negligentiæ. Ipso anno ante Natale Wintoniensis episcopus et postea Cantuariensis archiepiscopus Romam petierunt de legatione acturi: mortuo jam Innocentio papa, cui successit Cœlestinus.

Nono rex Stephanus anno Lincolniam obsedit, ubi cum munitionem contra castellum, quod vi obtinebat consul Cestrensis construeret, operatores sui ab hostibus præfocati sunt, fere octoginta. Re igitur imperfecta rex confusus abscessit. Anno autem ipso consul Gaufridus de magna villa regem validissime vexavit, et in omnibus valde gloriosus effulsit. Mense autem Augusti miraculum justitia sua dignum Dei splendor exhibuit. Duos namque, qui monachis avulsis ecclesias Dei converterant in castella similiter peccantes simili pœna mulctavit. Robertus namque Marmiun vir bellicosus hoc in Ecclesia de Coventre perversus exegerat. Porro Gaufridus de magna villa, ut diximus, in Ecclesia Ramasiensi scelus idem patraverat. Insurgens igitur Robertus Marmium in hostes inter ingentes suorum cuncos coram ipso monasterio solus interfectus est, et excommunicatus morte depascitur æterna. Similiter Gaufridus consul inter acies suorum confertas, a quodam vilissimo pedite solus sagitta percussus est. Et ipse vulnus ridens post dies tamen ex ipso vulnere excommunicatus occubuit. Ecce Dei laudabilis omnibus sæculis prædicanda ejusdem sceleris eadem vindicta. Dum autem Ecclesia illa pro castello teneretur, ebullivit sanguis e parietibus Ecclesiæ, et claustri adjacentis indignationem divinam manifestans, sceleratorum exterminationem denuntians. Quod multi quidem, et ego ipse

Digitized by Google

oculis meis inspexi. Quia igitur improbi dicebant Deum dormire, excitatus est Deus, et in hoc signo, et in significato. Eodem quippe anno et Ernulfus filius consulis, qui post mortem patris Ecclesiam incastellatam retinebat, captus est, et per hoc exsulatus ; et princeps militum suorum in hospitio suo ab equo corruens effuso cerebro exspiravit : princeps autem peditum suorum Reimerus nomine, cujus officium fuerat ecclesias frangere, vel incendere, dum mare cum uxore sua transiret (ut multi perhibuerunt) navis immobilis facta est. Quod monstrum nautis stupentibus, sorte data rei causam inquirentibus, sors cecidit super Reimerum ; quod cum ille nimirum totis contradiceret nisibus, secundo et tertio sors jactata in eum devenit. Positus igitur in scapha est, et uxor ejus, et pecunia scelestissime acquisita ; et statim navis cursu velocissimo, ut prius fecerat, pelagus sulcat, scapha vero cum nequissimis subita voragine circumducta in æternum absorpta est. Eodem anno Cœlestino papa defuncto, Lucius substituitur.

Decimo anno rex Stephanus prius in agendis circa discursus Hugonis Bygot occupatus fuit. Sed in æstate Robertus consul, et omnis inimicorum regalium cœtus construxerat castellum apud Ferendois. Rex non segnis viribus coactis advolat, et Londoniensium terribilem et numerosum duxit exercitum. Assilientes igitur totis diebus castrum, dum Robertus consul, et fautores sui copias majores non procul ab exercitu regis exspectarent, laboriosissima probitate, non sine magna sanguinis effusione ceperunt. Tunc demum regi fortuna cœpit in melius permutari, et in sublime protelari. Eodem anno episcopus Lincolniensis Alexander iterum Romam pergens munificentissime se, ut prius, habuit. Itaque honorificentissime susceptus est ab Eugenio papa, novo viro summa dignitate condigno, cujus mens semper benigna ; cujus discretio semper æqua ; cujus facies semper non solum hilaris, sed et jucunda ; rediens autem sequenti anno, cum summa ipsius papæ, totiusque curiæ gratia, a suis cum summa reverentia et gaudio susceptus est. Ecclesiam vero suam, quæ combustione deturpata fuerat, subtili artificio sic reformavit, ut pulchrior quam in ipsa novitate sui compareret, nec ullius ædificii structuræ circa fines Angliæ cederet.

Undecimo anno rex Stephanus magnum congregans exercitum castellum construxit inexpugnabile situm contra Walinford, ubi Ranulfus comes Cestrensis jam regi concordia conjunctus, cum magnis interfuit copiis. Dehinc vero consul ipse ad regis curiam cum pacifice venisset apud Nordhamtonam, nihil tale metuentem cepit, et in carcerem retrusit [*al.* intrusit], donec redderet ei castellum clarissimum Lincolniæ, quod ab eo dolose ceperat ; et cætera quæcunque fuerant ditionis suæ castella. Sic igitur consul ejectus carcere, in liberum restitutus est arbitrium.

Duodecimo rex Stephanus anno ad Natale Domini in urbe Lincolniensi diademate regaliter insignitus est, quo regum nullus introire, prohibentibus quibusdam superstitiosis, ausus fuerat ; unde comparet, quantæ rex Stephanus audaciæ, et animi pericula non reformidantis fuerat. Post discessum vero regis venit consul Cestrensis Lincolniam cum militaribus copiis, ut assiliret eam. Dux igitur ejus vir fortis et invictissimus in introitu portæ Borealis occisus est, et ipse consul pluribus amissis fugere compulsus est. Cives igitur victoriosi summo gaudio repleti virgini virginum protectrici eorum laudes et gratias insigniter exsolverunt. Ad Pentecosten rex Franciæ Lodoveus, et consul Flandriæ Theodoricus, et consul de Sancto Ægidio, et innumerabilis exercitus de universo Franciæ regno, et multi de gente Anglorum crucibus assumptis iter Jerosolymitanum arripuerunt, ut paganos, qui ceperant urbem Roheis expugnarent. Majorem exercitum tamen duxit imperator Alemanniæ Conradus, transiitque exercitus uterque per imperatorem Constantinopolis, qui eos postea prodidit. Mense Augusto profectus est Alexander Lincolniensis episcopus Altissiodorum ad Eugenium papam, qui prius Parisius, tunc ibi moratur. Ipse quidem a papa honorifice susceptus est, sed ex intempestiva caloris nimietate seminarium languoris attulit in Angliam. Unde mox infirmitati, deinde languori, tandem morti succubuit.

Anno igitur XIII regis Stephani mortuus est Alexander episcopus, et sepultus apud Lincolniam in Capite jejunii. Dicenda sunt igitur de viri moribus secundum consuetudinem Moysi vera. Nutritus igitur in summis deliciis a Rogero avunculo suo Salesberiensi episcopo, majores inde animos contraxit, quam opportunum esset suis. Siquidem præterire volens principes cæteros largitione munerum et splendore procurationum, cum proprii redditus ad hoc non sufficere possent, a suis summo studio carpebat, unde egestatem suam nimietate prædicta comparatam complere posset; nec tamen complere poterat, qui semper magis magisque dispergebat. Fuit autem vir prudens, et adeo munificus, ut a curia Romana vocaretur magnificus. Anno eodem exercitus imperatoris Alemanniæ et regis Francorum, qui summis ducibus illustrati cum summa incedebant superbia ad nihilum devenerunt; quia Deus sprevit eos. Ascendit enim in conspectu Dei incontinentia eorum, quam exercebant in fornicationibus non occultis; in adulteriis etiam, quod Deo valde displicuit, postremo in rapinis et omni genere scelerum. Prius itaque fame consternati proditione imperatoris Constantinopolitani, postea ferro hostili emarcuerunt. Rex autem Franciæ et imperator Alemanniæ cum paucissimis prius Antiochiam, postea Jerosolymam ignominiose aufugerunt. Tunc vero rex Franciæ, quasi aliquid acturus ad detrimentum famæ refocilandum, auxi-

Digitized by Google

lio militum templi, quod est in Jerusalem, et viribus undique congestis obsedit Damascum. Sed gratia Dei carens, et ideo nihil proficiens rediit in Galliam. Interea quidam exercitus navalis virorum non potentum, nec alicui magno duci innixi, nisi Deo omnipotenti : quia humiliter profecti sunt optime profecerunt. Civitatem namque in Hispania, quæ vocatur Ulixisbona, et aliam, quæ vocatur Almaria, et regiones adjacentes a multis pauci Deo cooperante bellis obtinuerunt. Vere *Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV). Exercitus namque regis Francorum et imperatoris Alemanniæ splendidior et major fuerat, quam ille, qui prius Jerusalem conquisierat; et a paucissimis contriti sunt : et quasi telæ aranearum disterminati sunt, et demoliti. His autem pauperibus, de quibus prædiximus, nulla multitudo restare [*al.* resistere] poterat, sed quando plures iis insurgebant, debiliores efficiebantur. Pars autem eorum maxima venerat ex Anglia.

Eodem anno appropinquante Natali, Robertus cujus cognomen est de Querceto archidiaconus Leicestrensis [*al.* Legrecestrensius], juvenis omni laude dignus, electus est in episc. Lincolniensem. A cunctis igitur honore tanto dignus est habitus, rege et clero, et populo cum summo gaudio annuente benedictionem pontificalem ab archiepiscopo Cantuariensi suscepit, et apud Lincolniam cum summo tripudio magnus exspectatione, major adventu a clero et populo cum devotione susceptus est. Prosperet ei Deus tempora prava, et juventutem ejus foveat rore sapientiæ, et exhilaret faciem ejus jucunditate spirituali.

Anno XIV Henrico nepoti suo David rex Scotorum virilia tradidit arma. Cum autem congregati essent in solemnitate, rex Scotorum cum viribus suis, et nepos suus cum Occidentalibus Angliæ proceribus; timens rex Stephanus ne Eboracum invaderent, venit in urbem cum maximo exercitu; ibique moratus est per mensem Augustum. Eustachius vero filius regis Stephani (nam et ipse eodem anno virilia sumpserat arma) irruit in terras procerum, qui erant cum Henrico filio imperatricis. Nullo ergo contradicente, Marte et Vulcano comitantibus, non modicum illis damnum inflixit. Rex vero Anglorum et rex Scotorum, quorum alter erat apud Eboracum, alter apud Karloil, sibi mutuo caventes, et offendere timentes, per se ipsos divisi sunt, et ad domicilia regnorum repedaverunt.

Anno XV rex Stephanus agminibus congregatis urbem Wirecestre pulcherrime assilivit; et captam incendio deturpavit; castellum tamen, quod urbi inerat, capere non potuit. Urbs namque illa Waleramni consulis erat de Mellent, quam ipse rex Stephanus ei malo suo dederat. Ditatæ igitur spoliis urbis direptæ regales turmæ, per terras inimicorum remeaverunt, et inde prædam innumerabilem nullo resistente secum reduxerunt.

Anno decimo sexto, Teobaldus Cantuariensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus tenuit concilium generale apud Londoniam in media Quadragesima, ubi rex Stephanus, et filius suus Eustachius, et Angliæ proceres interfuerunt, totumque illud concilium novis appellationibus infrenduit. In Anglia namque appellationes in usu non erant, donec eas Henricus Wintoniensis, dum legatus esset, malo suo crudeliter intrusit. In eodem namque concilio ad Romani pontificis audientiam ter appellatus est. Rex autem Stephanus eodem anno iterum Wincestriam irrupit; et quia castellum anno prædicto capere non potuit, ad ejus captionem totis viribus desudabat. Porro cum viriliter inclusi restarent, duo castella ad illud expugnandum construxit. Quosdam igitur ex proceribus suis ibidem relinquens ad propria remeavit. Sed quia mos regius erat, quod multa strenuiter inciperet, et seguiter exsequeretur, arte consulis de Legecestria castella regis obsidentia demolita sunt, et obsessum callide deliberatum est. Consul etenim prædictus frater erat consulis de Mellent. Itaque regis studium, et labor emarcuit, et evanuit. Eodem anno consul Andegavium regis Henrici gener, et regis Jerosolymitani filius, vir magnus et clarissimus mortis concessit legibus. Igitur Henrico filio suo primogenito Andegaviam et Normanniam contradidit; et jus hæreditarium, quod in Angliæ regno licet carens obtinebat, ei concessit. Contigit autem, quod Ludovicus rex Francorum a sponsa sua filia consulis Pictaviensis per cognationis jusjurandum divideretur. Henricus igitur dux novus Normannorum, duxit eam, et per eam consulatum Pictaviensem summis honoribus ampliatus possedit. Ea tamen desponsatio incentivum, fomesque odii maximi fuit et discordiæ inter regem Francorum, et ipsum ducem.

Insurgens itaque Eustachius filius regis Stephani cum ipso rege Francorum non modicis assultibus Normanniam oppugnabant. Dux utrisque et omni Francorum exercitui robustissime restabat. Rex tamen quoddam castellum, quod vocatur Novum Mercatum, copiis omnibus aggregatis assiliit, et potentissime et pene inexpugnabile cepit, et obfinuit, et Eustachio filio regis Angliæ, qui sororem ejus duxerat reddidit.

Anno decimo septimo, rex Stephanus filium suum Eustachium regio diademate voluit insignire. Postulans igitur ab archiepiscopo Cantuariensi Theobaldo, et cæteris episcopis, quos ibidem congregaverat, ut eum in regem ungerent, et benedictione sua confirmarent, repulsam passus est. Papa siquidem litteris suis archiepiscopo prohibuerat, ne filium regis in regem sublimarent; videlicet, quia rex Stephanus regnum contra jusjurandum præripuisse videbatur. Intimo igitur dolore decoctus, et ira nimia fervescens tam pater quam filius, in domo quadam omnes includi jusserunt, et vehementer angariantes, ut postulata peragerent, com-

Digitized by Google

pellabant. Illi summo perterriti timore (rex namque Stephanus nunquam clericos liquide dilexerat, et pridem duos incarceraverat episcopos) restiterunt tamen, capitum suorum pericula nihil metuentes [*al.* pericula metuentes]. Recesserunt tamen omnes illæsi possessionibus quidem spoliati, quas postea rege pœnitente rehabuerunt. Rex eodem anno castrum Nubiriæ, quod non procul abest a Wintonia obsidens oppugnavit, et tandem expugnavit. Inde castellum de Wallingford obsedit, et in ipso pontis ingressu castellum obsessorium construxit, quod inclusis escarum illationem liberam progressionem diripuit. Tunc igitur primo gravissime compressi, a domino suo duce Normanniæ petierunt, vel auxilii exhibitionem, vel castellum in manus regis reddendi licentiam

Anno regis Stephani decimo octavo, dux Normannorum tanta necessitate compulsus insperatus advolavit in Angliam. Tunc vero miserabilis Anglia destructa quidem, sed jam per adventum ejus quasi vitam rehabitura, in hæc verba cum lacrymis irrupit :

Dux Henrice, nepos Henrici maxime magni,
Anglia celsa ruo, nec jam tuo tota ruina.
Dicere vix possum, Fueram ; sum namque recessit.
Si mihi, quæ miseris superest, vel spes supereſſet,
Clamarem : Miserere, veni, succurre, resiste.
Nam sum jure tui juris, potes, erige lapsam,
Sed nunc ora rigent : nunc vox, nunc vita recedunt.
At quis clamor adest, venit ingeminant quoque ve-
[*nit ?*
Quis dux ille ducum puer annis, mente senilis ?
Gemma virum, vir, ave, mea spes, dum spes mihi,
[*salve,*
Sero venis : perii : clames tamen, Anglia surge,
Imo resurge : tuam refero tibi moriua vitam.
Ad vocem rediviva tuam post fata resurgam.
Ergo revivisceus, video quod inhorreo; cernis
Prælia quanta movet Stephanus ; moveat, volo :
[*quippe*
Gloria nulla foret, si prælia nulla moveret.
Quot contra Stephanum, cui copia multa virorum,
Duxisti ? paucos : cur paucos ? gloria major
Est multos paucis, quam multos vincere multis.
Cum rex Francorum comites, proceresque sed omnes
In te consurgunt : levis est jactura : repugno
Diis absens, pugno tibi præsens, cur simul, edam,
Si non pugna duplex, nec erit mihi gloria duplex :
Multo magisque nitet reges, quam vincere reges :
Quis tibi signifer est ; ipsius gratia Christi,
Quam mihi conciliat mea, nec minus actio regis.
Namque placet pax sola mihi discordia regi.
Pacem sero sero, pacem tibi sanguine quæro,
Dulcis alumna mei, cui tanta pericula sumpsi.
Te potiar, si pace tamen per me potiare,
Si secus, emoriar, ne te videam morientem.

Cum igitur dux gloriosus Angliæ littora tempestate propulsus occupasset, subitis afflata rumoribus infremuit terra, velut arundinetum zephiro vibrante collisum. Transvolans itaque fama, ut assolet alis pernicibus semina sparsit, aliis exsultationis et lætitiæ, aliis formidinis et mœstitiæ. Diu tamen de adventu ejus admodum tripudiantes super hoc, quod paucos secum duxerat, aliquantulum commovebantur. Hostium vero confusio ex eadem paucitate non modicum relevabatur. Utrique tamen super hoc mirabantur. Et, quod in medio hiemis gremio mare tempestuosum intrasset, sui magnanimitatem, alii judicabant audaciam. At juvenis strenuissimus congregans suos, tam quos invenerat, quam quos adduxerat, mora maxime perosa castellum de Mamnesbirh obsedit ; et quia viri tanti probitates magnæ sunt, et multæ breviter quidem perstringendæ sunt, ne rerum gestarum copia plenius elucidata nimietatem congerat prolixitatis. Obsessum igitur castellum statim ; nunquam enim moram gerendis intermiscebat, assilivit moxque cepit. Expugnata tamen urbe turris excellentissima Jordani, quam regali observabat imperio, sola fame domabilis mansit. Unde Jordanus cum summa festinatione egrediens, rem gestam regi Stephano propalavit. Sinistris angariatus rex Stephanus nuntiis sui vultus dignitatem obducto mœrore commutavit. Non seguiter tamen copiis omnibus congregatis non longe a Manbebirh fixit tentoria. Crastina vero adventus sui die acies equitibus electissimis refertas, legibus bellicis distinctas, eleganter ordinavit. Erat quidem exercitus ingens procerum numerositate condensus, insignibus aureis coruscus, valde terribilis et decorus, sed procul ab iis recesserat Deus, in quo solo tota salus. Apertis enim cataractis cœli tantas in facies ipsorum misit inundationes, tantas acerrimi frigoris obstinationes, tantas ventuosi turbinis impulsiones, ut Deus ipse videretur pro duce rem agere. Ibant tamen aciebus dispositis, quasi contra Dei potentiam contendentes horrendis quidem exagitati cruciatibus ; stabat e regione juvenilis exercitus, magis viribus confisus, quam numero, præcipue tamen Dei gratia corroboratus, quam ex justitiæ causa, pro qua scilicet astabant misericorditer. Stabant equidem non procul ab urbis præfatæ muralibus prope fluenta fluminis, quod pluviarum, et nivium inundatio tanto impulsu, tanta immensitate ducebat, ut ingressuris horrorem incuteret, ingressis egressum negaret. Præcedebat suos juvenis nobilissimus armis tanto duce dignis insignitus, animi plenitudinem specie corporis imaginans, quem adeo formæ dignitas commendabat, ut si dicere licet, eum non tantum arma decerent, quantum ipsius decor arma splendificaret. Erat quidem ei, suisque tempestas a tergo ; regi suisque in faciem, ut nec arma sustinere, nec lanceas imbribus profluentes contrectare possent. Et quia præviderat Deus, quod puero suo terram sine sanguinis effusione contraderet, cum nullus eorum flumen transgredi posset, nec rex tantas illuviones ultra perferre sufficeret, repedavit Londoniam opera cassatus, confectus molestia. Igitur turri, quam obsederat, duci reddita properavit exhilaratus ad id, pro quo venerat, scilicet ut castro de Wallingford jam fame perituro succurreret. Congregata igitur militum copia, quæ victualibus inferendis castro Wallingford esset subsidio, prosperavit Deus et hoc inceptum, tranquillum iis largiens effectum. Erant equidem ca-

Digitized by Google

stella numerosa in circuitu militia regali referta, nec tamen impedire venientes, vel redeuntes Domino volente potuerunt; parvum fuit medii spatium temporis et jam dux validissimus omni militia, quæ sibi adhærebat coadunata obsedit castellum de Craumers [*al.* Crawemersc], rem arduam et inæstimatam laudabiliter incipiens, cinxit castellum regis et exercitum suum vallo maximo, ut suis egressus tantum pateret per castellum de Wallingford, obsessis vero nullus permitteretur exitus. Quod rex audiens, tunc prorsus omnibus copiis suæ ditioni pertinentibus agglomeratis duci supervenit terribilis. Terrore tamen nullo dux permotus, licet impar copiis esset regi, vallum, quod exercitui suo fuerat pro munimento, statim dejici jussit; et obsidionem relinquens aciebus dispositis contra regem splendide processit. Videns igitur inopinate regalis exercitus acies hostium ordinatas in facies suas exsurgentes, timuerunt valde. Rex autem nullo timore compressus suorum quoque turmas castrorum terribiliter dispositas progredi jussit. Insurrexerunt autem proceres, imo proditores Angliæ de concordia inter eos agentes, nihil tamen magis quam discordiam diligentes, sed bellum committere nolebant, quia neutrum exaltare volebant, ne altero subacto, alteri libere dominaretur; sed semper alter alterum metuens, regiam in eos potestatem exercere non posset. Inducias igitur inter se rex duxque constituerunt coacti nolentes, uterque proditionem suorum comperientes. Juveni tamen suo Deus honorem de more contulit. Castrum namque regium, quod dux obsederat, ex illius compactione fœderis detectum est. Locuti sunt postea rex solus et dux solus simne interposito de pace perpetua inter eos constituenda, de proditione procerum suorum anxie conquerentes inter se. Prælibatum est illud pacis negotium, sed tamen in aliud tempus delatum est. Nondum igitur sopita discordia cum ad sua remeassent, diluculum felicitatis duci magno serenissime comparuit. Suos etenim hostes immanissimos, et summa potentia præditos filium scilicet regis Eustachium et Simonem comitem de Northamptune, Dei providentia nil tale metuentes, in eodem demolivit tempore, unde virtus et spes omnium ei rebellantium ex improviso emarcuit eventu, uterque juvenis eodem morbo eadem deperierunt hebdomada. Sepultus est Simon comes apud Northamptune, plenus omnium, quæ non licebant, omnium quæ non decebant. Sepultus est filius regis in abbatia, quam mater ejus fundaverat, apud Feveresham, militia quidem probatus, sed in ea, quæ Dei sunt, obstinatus, rectoribus ecclesiarum durissimus, persequentibus eam devotissimus; exstirpatis igitur hostibus Henrici dilecti sui fortissimis, jam Deus ipse tranquillitatem regni ipsius præparabat benignissime.

Tertiam igitur obsidionem congessit circa castellum de Stanford, capta statim urbe rebellantes [*al.* decollantes] ei, qui turri inerant, nuntios regi miserunt, auxilium inclusis poscentes. Rex autem obsederat castellum de Tipeswig, quod Hugo Bigot contra eum tenebat, cujus obsidionem cum nollet dimittere, nec inclusus auxilium impendere, redditum est castellum Henrico principi magno; sed et castellum, quod rex obsederat, regi redditum est. A Stanfordia dux Normannorum discedens, Nottingham petiit, et statim urbem cepit. Illi vero, qui castello urbis inerant, urbem ipsam combusserunt.

Interim vero Teobaldus archiepiscopus cum rege de concordia cum duce componenda magno opere tractabat. Ipse frequenter regi colloquens, duci vero per internuntios. Erat ei coadjutor Henricus Wintoniensis episcopus, qui prius regnum funeste turbaverat, Stephano fratri suo regni diadema contradens; nunc autem pœnitentia motus cum omnia videret, rapinis, incendiis, cædibus demolita, ad tantorum finem malorum concordiæ principium invigilabat.

Dispositio præsertim Dei faciens pacem et creans bonum, condignis Angliæ flagellis finem destinans, dedit eis eventum inceepti, et ab eo per ipsos pacis serenitas, concordia sacramentis confirmata resplenduit. O quam inæstimabile gaudium! quam beata dies! cum in urbe Wintoniæ processione pontificum et heroum coruscante, et innumerabilis populi frequentia congratulante, juvenis clarissimus ipso rege ducente gloriose susceptus est. Ipsum siquidem rex in filium suscepit adoptivum; et hæredem regni constituit. Exinde rex ducem Londonias secum duxit, ibique non minori gaudio ab innumerabilis conventu plebis, processionibus luculentissimis, ut tantum decebat virum, susceptus est; sic Dei misericordia pacis auroram, et noctis ærumnosæ finem regno diruto contribuit Anglorum. Iis igitur actis cum summo gaudio et amore rex Stephanus et filius ejus novus mox conventuri discesserunt, hæc etenim concordia ante Natale Domini confirmata est. Ad octavas autem Epiphaniæ rursus convenerunt apud Oxinefordiam, cum jam dux per annum fecit in expugnatione, imo in resuscitatione Angliæ in ipsa commoratus fuisset. Igitur ibi principes Anglorum jussu regis hominium et domino debitam fidelitatem duci simul exhibuerunt; regi autem honorem debitum, fidemque dum viveret conservaturi. At hoc conventu magnifico pace nova fruentes ad propria cum gaudio discesserunt. Nec longa fuit medii mora temporis, cum iterum apud Dunestaple convenerunt. Ibi aliquantulum dies clarissima obnubilata est. Displicebat enim duci, quod castella post mortem Henrici regis in pessimos usus circumquaque constructa non diruerentur, sicut confirmatum et sancitum fuerat inter eos in concordia et firmissimo fœdere; pars quidem magna jam erat diruta; quibusdam tamen castellis suorum regis clementia vel versutia parcens, pacti communionem debilitare videbatur. Dux igitur super hoc regem angarians,

Digitized by Google

repulsam passus est. Sed tamen patri novo consentiens, ægre quidem rem distulit, ne concordiæ lumen exstinguere videretur, utrinque igitur discessum est in pace; sed non multo post accepta dux a rege licentia victoriosissimus Normanniam repedavit.

Hæc sunt gesta Henrici juvenum splendidissimi in secundo adventu suo in Angliam, nec succenseat mihi quispiam, quod de multis ab eo gestis pauca scriptis tradiderim; nec enim de tot et tantis regibus, neque de rebus per tot sæcula gestis historiæ plenitudinem contexere potui, quod multos exigeret codices; sed potius historiarum abbreviationes, ne posteros res gestæ penitus lateret, in unum contraxi; nunc ad propositum revertamur. Itaque dux gloriosus in Gallias rediens, a genitrice sua, et omni gente Normanniæ, et Andegavis, Cenomaniæ et Pictaviæ debita lætitia et honore susceptus est. Rex autem Stephanus in pace tunc primo, quæ regio debebantur honori, adoptivi filii gratia potentissimus obtinuit. O dira mortalium rabies! O nefanda perversitas! Quidam filii hominum, quorum dentes arma et sagittæ, et lingua gladius acutus, inter regem præsentem et ducem absentem summopere stimulum discordiæ studebant seminare. Rex autem vix eorum persuasionibus restare poterat, et processu temporis (ut æstimabant nonnulli) jam non restabat. Et pravorum consilia non invitus, sed quasi nollet dissimulans, æquo licentius audiebat. Sed aliter filii hominum, aliter judicabat Deus, qui, ut decebat incepta perficiens, pravorum consilia, perversasque machinationes ad nihilum redigebat. Cum namque castellum, quod vocatur Drake, juxta Eboracum obsedisset, et obsessum tandem cepisset, aliaque multa victor obtinuisset et castella diruisset, Doroberniam petiit cum comite Flandrensi loculturus. Cui alloquens infirmitate, et tandem morte præreptus est, octo diebus ante festivitatem Omnium Sanctorum, et in abbatia de Feversham, juxta uxorem suam et filium sepultus est, cum fere XIX annis laboriose nimis, et infeliciter regnasset. Miserunt itaque Theobaldus archiepiscopus et quamplures ex Angliæ proceribus nuntios festinantes pro domino suo duce Normannorum, ut regnum susceпturus incunctanter adveniret. Impeditus tamen ventis et mari, causisque quam pluribus, paucis diebus ante Natale Domini, cum conjuge, fratribusque suis, multisque potentibus, magnisque copiis applicuit apud Noveforest. Fuit igitur Anglia sine rege quasi sex hebdomadis, nec tamen Dei gratia præveniente pace caruit; vel pro regis amore venturi, vel timore. At, ut dictum est, cum applicuisset Londonias petens, ut decebat tantum et tam beatum virum cum summa lætitia, et multis præ gaudio lacrymantibus, in regem benedictus est, et in throno regni splendidissime collocatus est. De cujus temporis beatitudine sic diximus heroice :

Rex obiit, nec rege caret carens Anglia pace,
Hæc, Henrice, creas miracula primus in orbe.
Rex nondum, præsens nondum, tamen efficis illud
Quod rex non potuit præsens (dignissime sceptris).
Quam bene sceptra geres, qui regni flectis habenas,
Nondum sceptra gerens, dum trans maris alta [moraris.
Per te, sed sine te fruitur tamen Anglia pace,
Hæc aurora tuos præcessit, Phœbe, nitores,
Ecce venis radians : radii sunt advenientis
Certa fides, hilaris clementia, tanta [al. cauta] potestas,
Lene jugum, vindicta decens, correctio dulcis,
Castus amor, libratus honor, frenata voluptas.
His igitur radiis dum sceptra decora decoras,
Tu diadema magis, quam te diadema perornat.
Anglia, lethali jamdudum frigore torpens,
Nunc solis fervore novi rediviua calescens,
Erigis impressum terræ caput, et vacuatis
Mœstitiæ lacrymis, præ lætitia lacrymaris.
Cum lacrymis hæc verba tuo profundis alumno :
Spiritus es, caro sum; te nunc intrante revixi.

HENRICI

ARCHIDIACONI HUNTINGDONENSIS

EPISTOLA AD WARINUM

De regibus Britonum.

(Vide *Patrologiæ* tom. CLX, col. 425, in Auctario Roberti de Monte ad Sigebertum.

Digitized by Google

EJUSDEM EPISTOLA AD WALTERUM

DE MUNDI CONTEMPTU [1]

SIVE

DE EPISCOPIS ET VIRIS ILLUSTRIBUS SUI TEMPORIS.

(*Anglia sacra*, t. II, p. 694, curante Henrico Warton, qui hanc epistolam exhibet ex utroque codice Lambethano, variis lectionibus appositis.)

Waltere, quondam decus juvenum, quondam deliciæ rerum, nunc, proh dolor! diutino dolore [2] decoqueris, nunc lamentabili dolore consumeris. In æstatis nostræ jucundabili flore librum tibi epigrammaton poetice composui; carmen etiam in amore [3] acceptabile contexui. Juvenis autem juvenilia, nunc senex seni senilia destino. De contemptu igitur mundi quædam tibi et mihi scripsi; in quibus te languens exerceas, et ipse potissimum sæpe legendo recurram, nec disserendo rhetorice, nec tractando philosophice: id [4] unum omnis pagina divina intonat, omnia philosophorum ingenia desudant; sed loquendo omnino simpliciter, ut pateat pluribus, id est minus doctis et de his quæ tu et ego vidimus, hinc jam senes contemnere contemptibilia discamus. Nihil igitur de historiis, nihil de ante relatis, sed quæ videndo scimus, quia tale testimonium nec aliud lex admittit, apponimus. Quod si temporis nostri posteris nomina barbara videantur; vel quia tot apponuntur, asper et obliquus tædeat tractatus; nonne saltem mihi et tibi proderit?

Sit [5] igitur primum capitulum de his quæ in Ecclesia nostra contigerunt. Igitur a pueritia omnia fere vitia præter luxuriam pullulant hinc [6], quia cacumen erigit rigidissimum et principatum nimius amor præsentium. Cum autem ætatis naturali bono mala multa pueritia vacuentur, velut in scientia levitas, mutabilitas et alia; hoc prædictum, quod jucundius est cæteris et melle venenato conditius [7], remanet et crescit. Ætatis tamen magno processu pungere videntur quæ mulcebant, et amaricare quæ indulcabant. Usu tamen mali velut hamo inextricabili captæ mentes divitiis et deliciis fugientibus retinentur. Quod a me ipso didici. Cum namque puerulus, cum adolescens, cum juvenis, Roberti præsulis nostri gloriam conspicerem; scilicet equites decentissimos, adolescentes nobilissimos, equos pretiosissimos, vasa aurea et deaurata, ferculorum numerum ferentium splendorem, vestes purpureas et byssinas; nihil nimirum beatius æstimare potui. Cum igitur omnis [8], et ipsi etiam qui de mundi contemptu legebant in scholis, ei obsequerentur; et ipse quasi pater et dominus [9] omnium æstimatus, mundum valde diligeret et amplexaretur; si quis tunc mihi hæc pulcherrima, quæ omnes admirabamur, contemnenda diceret, quo vultu, quo animo ferrem? Insaniorem Oreste, importuniorem Thersite judicassem. Nihil tanti viri tantæ beatitudini obesse posse putabam. Vir tamen effectus, narrationem audivi de turpissimis omnino conviciis ad eum dictis; quæ si mihi nihil habenti in tanta audientia dicta fuissent, semimortuum me ducerem. Cœpi ergo illam inæstimabilem beatitudinem minoris pendere. Quia vero multis sæcularibus solent ante mortem acerbissima contingere; quid ante finem ei contigerit, edisseram. Qui justitiarius totius Angliæ, et ab omnibus summe formidatus fuerat, in ultimo vitæ suæ anno bis implacitatus est a rege per quemdam justitiarium ignobilem, et damno gravissimo cum dedecore bis afflictus. Unde tanto stupore mentis angariatus est, ut cum ego jam archidiaconus ejus inter prandium juxta eum recumberem, lacrymas eum fudisse viderim. Causam quæsitus: Quondam, inquit, astantes mihi pretiosis induebantur. Nunc mulctæ regis, cujus semper gratiæ studui [10], compegerunt eos agninis vestiri. Tanta vero post hæc desperatione de regis amicitia usus est, ut cum laudes egregiæ, quas rex de eo absente dixerat, ei recitarentur, suspirans dixit [11]: Non laudat rex quempiam suorum, nisi quem voluerit funditus lædere [12]. Rex namque Henricus, si dicere fas est, summæ simultatis erat, et nimis [13] inscrutabilis. Post paucos exhinc dies apud Wodestoc, ubi rex conventum hominum et ferarum statuerat, cum episcopus loqueretur cum rege et episcopo Salesburiensi, qui summi erant in regno, percussus est apoplexia. Vivus tamen, sed elinguis, in hospitium suum deportatus, præsente rege mox exspiravit. Rex magnus, cui semper servierat, quem

VARIÆ LECTIONES.

[1] *Codex alter legit* appetitu. [2] Langore. [3] Amorem. [4] Et. [5] Sic. [6] Inter cuæ [7] Conditur. [8] Omnes. [9] Deus. [10] *Adde* maxime. [11] Dixerit. [12] Delere. [13] Mentis.

Digitized by Google

valde dilexerat et meluerat, quem tanti ducebat, in quem adeo confidebat, nihil pluris in necessitate summa fuit [15] mendico. Animadvertite igitur non frustra dictum : *Maledictus, qui confidit in homine, et qui ponit carnem brachium suum* (*Jer.* XVII).

Dum igitur puer vel adolescens vel juvenis conspiciunt beatos, percogitent [15] quam sit eorum finis ambiguus, et in hoc etiam mundo marcescere incepturi sint in miseriis. Fuit autem Robertus præsul mitis et humilis, multos erigens, nullum deprimens, pater orphanorum, deliciæ suorum ; hoc tamen usus est fine. Tractandum autem erat de præcessore ejus Remigio, qui cum Willelmo rege in Anglia venit, et bello interfuit ; qui postea episcopatum Dorecestriæ [16] prædicto rege largiente suscepit ; qui demum sedem episcopatus a Dorecestria [17] in Lincolniam transtulit ; qui ecclesiam nostram fundavit, fundatam possessionibus variis ditavit, ditatam personis honestissimis inflora vit. Scilicet non loquimur nisi de auditis et visis, eum autem non vidimus ; clericos autem venerabiles, quos in ecclesia primos imposuit, omnes vidimus [18]. Radulfum igitur sacerdotem reverendum constituit decanum. Reinerum vero, in cujus loco Gaufridus nepos ejus adhuc degit, thesaurarium exhibuit. Reinerus vir adeo religiosus fuit, ut sæpe in tumulo quem morti suæ præparaverat, psalmodiam exerceret, et domui æternitatis se [19] assuescens diutius orabat ; ut cum orare non posset, ibidem recumbens a Dei pietate visitaretur. Felix exemplum viri clarissimi. Nec tacendus est Hugo sacerdos, vir memoria dignus, principium et quasi fundamentum Ecclesiæ. Cui succedit Osbertus, vir omnino comis et desiderabilis. In quorum loco jam Willelmus exstat, juvenis magnæ indolis. Guerno vero cantor effectus est. Hujus in loco Radulfus inpræsentiarum cantor degit. Nec prætereo Albinum Andegavensem, magistrum quippe meum. Cujus fratres honestissimi et consocii mei ; qui trino pollebant habitu, scientia profundissima, castitate clarissima, innocentia summa ; occulto tamen Dei judicio lepra percussi sunt ; sed jam purgamento mortis mundati sunt. Septem autem archidiaconos septem provinciis, quibus præerat, Remigius imposuit ; Richardum archidiaconum Lincolniæ, cui successit Albertus Longobardus, cui etiam successit Willelmus Bajocensis, et nunc Robertus junior, omnium archidiaconorum, qui in Anglia sunt, ditissimus. Cantebrigiensi et Huntendonensi et Hertfordensi Nicolaum : quo nullus erat corpore formosior ; nec moribus corpori multum absimilis erat. Cujus circa transitum cum Cantebrigensis provincia ab episcopatu nostro separata, novum episcopum suscepisset, duabus reliquis provinciis archidiaconus et ipse successi. Nigellum vero archidiaconum Hamtoniæ præposuit, cui succ- A cessit Robertus ; quibus modo Willelmus nepos Alexandri episcopi nostri egregius [20]. Leicestræ vero Radulfum ; cui successit Godefridus, quibus Walterus vir omnino laudandus, nunc vero Robertus de Querceto, vir fama dignus. Oxenfordiæ quidem præposuit Alfredum [21], cui successit Walterus superlative rethoricus. Buchingeham præposuit Aluredum parvum ; cui successit Gislebertus, versibus et prosa et habitu curialissimus. Quibus successit Rogerus, jam Cestrensis episcopus effectus. Postea Richardus, nunc vero David frater Alexandri venerabilis episcopi, a primo quintus. Septimum vero archidiaconum Bedefordiæ præposuit Osbertum. Cui successit Radulfus, miserande occisus. Quibus Hugo [22] nunc vero Nicolaus, a primo quartus. Cæ- B teri vero clerici honestissimi, ne prolixitatis arguar, taceantur. Cogita [23] igitur, quomodo prædictæ personæ venerabiles exinanitæ sunt, et mox oblivione etiam [24] absorbendæ sint. Imo mente revolve omnes, quos in choro dextro, omnes quos in choro sinistro prius vidimus. Nec unus quidem [25] superest. Amabant quæ amamus ; optabant quæ optamus ; sperabant quæ speramus : mors omnes dedit oblivioni. Cogitemus igitur, quia et nos similiter eadem manet oblivio. Curemus omni nisu quærere quod duret, quod stabile sit, quod differat a somno ; imo quod aliquid sit, quia hæc nihil sunt.

Secundum capitulum ad contemptum mundi est C de his, quos in summis deliciis educatos vidimus summis miseriis tandem deletos. Ideo autem per capitula tibi scribo ; ut quia diversorum nomina et gesta ubique [26] dispersa intermiscentur, hinc aptior [27] et dilucidior fiat tractatus. Vidimus igitur Willelmum filium regis, vestibus sericis et auro consutis indutum, famulorum et custodum turba consertum, gloria quasi cœlesti coruscantem. Ipse unicus erat regis et reginæ filius ; nec dubitabat se diademate sublimandum. Enimvero nescio quid magis afferebat ei certa spes in futurum regnandi, quam patri suo ipsa essentia regni ; quia pater magnum regnandi spatium jam præterierat, filio totum adhuc reservabatur. Pater etiam jam de amissione cum mentis angaria cogitabat ; filius vero D tantum ad habendum cum gaudio totus inhiabat. Displicebat autem mihi, et in animo [28] cladem futuram portendebat nimius circa eum cultus et nimius in ipso fastus ; et dicebat animus meus : Hic adeo delicatus nutritus [29] in cibum ignis. Ille autem semper de regno futuro de fastigio superbo tumidus cogitabat. Deus autem dicebat : *Non sic impii, non sic* (*Psal.* I). Contigit igitur ei, quod pro corona auri rupibus marinis capite scinderetur ; pro vestibus deauratis nudus in mari volutaretur ; pro celsitudine regni maris in fundo piscium ventribus

VARIÆ LECTIONES.

[15] *Adde* ei. [15] Præcogitent. [16] Dorkecestriæ. [17] Dorkeceastria. [18] *Adduntur* : Quorum paucos memorabimus paucis. [19] Suæ. [20] *Adde* nepos. [21] Alwredum. [22] A primo tertius. [23] Cogitaretur. [24] Æterna. [25] Jam. [26] Utique. [27] Apertior. [28] Meo. [29] Nutritur.

Digitized by Google

sepeliretur. Hæc fuit mutatio dexteræ Excelsi. Richardus etiam Cestrensis consul, filius unicus Hugonis consulis, summo splendore nutritus, summa exspectatione patris hæres eximius, adhuc imberbis, in eadem nave deperiit, et eamdem sepulturam habuit. Richardus quoque filius regis nothus, ab episcopo nostro Roberto festive nutritus, et in eadem qua degebam familia a me et aliis celebriter honoratus; cujus indolem mirabamur, et magna quæque exspectabamus, in eadem navi cautibus illisa, cum mare ventis careret, subita morte raptus est, et a mari voratus est. Cum igitur Willelmus regis nepos, filius scilicet Roberti ducis Normannorum, jam solus regius esset hæres, et omnium exspectatione dignus judicaretur; et probitate ineffabili consulatum Flandriæ adeptus esset, et vigore inexterminabili Theodoricum signis collatis superasset; parvo ictu sauciatus [30] deperiit. Omnes qui eum regem futurum securi expectabant, et quosvis ad lubitum præjudicabant, illusi sunt. Si singula sequerer exempla, fieret Epistola codex magnus. Nunc autem decanum nostrum Simonem non prætereo, qui filius Roberti præsulis nostri fuit; quem genuerat dum cancellarius Willelmi magni Regis esset. Qui, ut decebat, regaliter nutritus, et adhuc impubes, decanus noster effectus, in summam regis amicitiam et curiales dignitates mox provectus est. Erat autem celer ingenio, clarus eloquio, forma venustus, gratia coruscus, ætate junior, prudentia senilis, sed superbiæ vitio respersus. Ex superbia crevit invidia, ex invidia odium, ex odio detractiones, jurgia, delationes. Bene igitur prophetavit de se dicens: *Ego curialibus interponor, quasi sal anguillis viventibus.* Sicut enim sal anguillas excruciat; sic delationibus suis omnes regi famulantes distorsit. Sicut sal anguillarum destruitur humore, sic ipse omnium aspiratione annullatur [31]. Hujus tamen prophetiæ partem priorem intellexit, alteram non prævidit. Verumtamen de se dixit nescius. Summus igitur in fastigio curiæ et regni, post dies in summum regis odium devolutus est; et in carcerem positus, per latrinam aufugisse dicitur; et in exsilium et miseriam juvenis intravit. Bene igitur in illo propheticum patuit: *Qui in croceis nutriebantur, amplexati sunt stercora* (*Thren.* IV). Non igitur magni æstimemus, cum nobiles pueros vel juvenes viderimus, tam forma quam divitiis et favoribus perradiare; cum sæpenumero in summas miserias redigantur. Nunc [32] omnis exspectatio stultorum dissoluta est; et quod nihili erat, ad nihilum redigetur [33].

Tertius erit Tractatus ad hujus vitæ labentis despectum; quæ utinam despici posset a me, quantum animus optat mens, et dignitas exigit sua; de sapientia hujus mundi, scilicet de hoc quod potissimum est in mundo. Illa namque pretiosior est cunctis opibus terræ; et omnia, quæ in mundo desiderantur, huic non valent comparari. Scriptum est tamen. *Sapientia hujus mundi, stultitia apud Deum* (*I Cor.* III). Quod Apostoli signaculum visis prosequitur [34] exemplis. Fuit igitur Robertus consul de Mellend in rebus sæcularibus sapientissimus omnium hinc usque in Jerusalem degentium. Fuit scientia clarus, eloquio blandus, astutia perspicax, providentia sagax, ingenio versipellis, prudentia insuperabilis, consilio profundus, sapientia magnus. Possessiones igitur magnas et varias, quas vulgo vocant honores [35], et urbes et castella, vicos et villas, flumina et silvas, prædictis acquisierat instrumentis. Erant autem honores ejus non solum in Anglia, sed etiam [36] in Normannia [37] Francia. Pro libitu suo igitur reges Francorum et Anglorum nunc concordes uniebantur, nunc discordes prælia bantur. Si adversus aliquem insurgebat, contritus humiliabatur. Si prodesse volebat, gloriosus exaltabatur. Hinc thesauri copia, scilicet auri et argenti, gemmarum et palliorum, incredibiliter ei confluxit. Cum igitur in summo statu gloriæ suæ degeret; contigit quemdam alium consulem sponsam ei tam factione quam dolosis viribus arripuisse. Unde et in senectute sua mente turbatus et angaria obnubilatus, in tenebras mœroris incidit; nec usquo ad mortem se lætum vel hilarem sensit. Cum igitur post dies dolori dedicatos [38] et in infirmitatem mortis prænuntiam incidisset; rogatus est ab archiepiscopo et sacerdotibus, cum ei confessionis purgatorium impenderent officium, ut terras quas vi vel arte multis abstulerat, pœnitens redderet, et erratum lacrymis lavaret. Quibus respondens ait: *Si terras quas aggregavi, multifariam divisero, quid miser filiis meis relinquam?* Cui contra ministri Domini: *Sufficient filiis tuis hæreditates pristinæ, et quas juste terras acquisisti. Cætera redde. Alioquin animam devovisti gehennæ.* Respondit autem consul: *Filiis omnia tradam; ipsi pro salute defuncti misericorditer agant.* Eo defuncto, filii ejus magis injuste congregata injuste studuerunt augere, quam aliquid pro salute patria [39] distribuere. Liquet igitur summam viri sapientiam in fine, quo laus canitur, non solum in summam stultitiam, sed in cæcam devenisse insaniam. Quid memorem Gislebertum cognomine Universalem, episcopum Londoniensem? Non fuit ad usque Romam par ei scientia. Artibus erat eruditissimus, theoria singularis et unicus: fama igitur celebris et splendidus. Quapropter dum scholas regeret in Nivernis Gallia, ad summum Londoniæ sacerdotium vocatus est, et exoratus accessit [40]. Qui magna exspectatione susceptus, cœpit avaritiæ crimini deservire; multa perquirens, pauca largiens. Moriens siquidem nihil divisit. Sed infinitam thesauri copiam rex Henricus in ejus deliciis invenit. Ocreæ etiam episcopi auro

VARIÆ LECTIONES.

[30] In manu. [31] Annullatus est. [32] Tunc. [33] Redigitur. [34] Prosequar. [35] *Deest.* [36] Verum et. [37] In. [38] *Deest.* [39] Paterna. [40] Concessit.

Digitized by Google

et argento refertæ in fiscum regium allatæ sunt. Unde vir summæ scientiæ ab omni populo habitus est pro stultissimo. Quid etiam de Randulfo [61] regis cancellario? Qui cum esset vir sagacissimus, astutus et callidus, omnem vim sapientiæ suæ convertit ad simplices dehæritandos [62] et pecunias eradendas. Sed inter agendum decidit in languores interminabiles. Tunc vero quasi Deo renitens et naturæ victor, facinus cumulare, quos poterat devorare non destitit. Crescebat autem cum cruciatu cupiditas, cum dolore [63] dolus; donec cum ex equo quo rueret [64] super eum monachus equitavit, et insolita morte demolitus est. Ex infinitorum silva exemplorum ad mundi sapientiam imo fallaciam discernendam jam dicta sufficiant.

Quarto subdetur loco virorum magni nominis felicitas; quam scilicet se dedisse regi [65] David Dominus ipse pronuntiat his verbis: *Feci quoque tibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terris* (*II Reg.* II). Ille igitur hanc felicitatem feliciter habuit; nostri autem infeliciter. Iis namque temporibus non pervenitur ad magnum nomen nisi summis sceleribus. Thomas princeps magnus juxta Laudunum in Gallia principans, magnus erat nomine, quia summus erat scelere. Ecclesiis igitur circumjacentibus hostilis, omnes in fiscum suum redegerat. Si aliquem vi vel dolo in captione sua tenebat, non falso dicere poterat: *Dolores inferni circumdederunt me* (*Psal.* CXIV). Cædes humana, voluptas ejus et gloria. Comitissam contra solitum in carcere posuit. Cui crudelis et spurcus, compedes et supplicia diebus, ut pecuniam extorqueret, stuprum noctibus inferebat, ut eam derideret. A carcere in lectum [66] homines crudelissimi quaqua nocte ferebant. A lecto quaqua die in carcerem referebant [67]. Pacifice loquens proximum, in corde non sine risu gladio transpungebat. Unde gladium sæpius sub chlamide nudum ferebat, quam vaginatum. Hunc igitur homines [68] timebant, venerabantur, adorabant. Fama omnis Galliæ circa illum. Crescebat in dies ejus [69] possessio, crescebat thesaurus, crescebat servitus. Audire finem sceleratî desideras? Gladio lethaliter percussus, pœnitentiam recusans, et a corpore Domini collum retorquens, sic periit; ut bene dici posset:

Conveniens vitæ mors fuit ista tuæ.

Vidisti Robertum de Belesme: qui princeps Normannensis in carcere [70] positus, erat Pluto, Megæra, Cerberus, vel si aliquid horrendius scribi potest. Nec curabat captos redimere, sed interimere. Filioli sui oculos sub chlamide positi quasi ludens pollicibus exstinxit [71]; homines utriusque sexus ab ano usque in ora palis transforabat. Frat ei cædes horribilis hominum cibus jucundus animæ. Erat igitur in ore omnium positus, ut diceretur in proverbiis: Mirabilia Roberti de Belesme. Tandem veniamus ad finem, scilicet ad rem optabilem. Qui cæteros carcere vexaverat, in carcere perenni a rege Henrico positus, longo supplicio sceleratus deperiit. Quem tantopere fama coluerat, dum viveret, in carcere utrum viveret, vel obisset, nescivit: diemque mortis ejus obmutescens ignoravit. Hos igitur duos inter multos descripsi. Nec jam amplius de gente ipsius [72] dæmonibus horrenda loquendum duxi.

Quinto tractabitur de summis hominum, qui sic sunt in rebus humanis, ut generalissima in prædicamentis. Reges vero gentium subditis suis quasi Deus sunt. Quibus omnes juramento se devoverunt, quibus stellæ cœli deservire videntur. Horum igitur cacuminum mundi tanta sublimitas est, ut in eos videndo cæteri non salientur, ut eis cohabitantes super homines æstimentur. Nec mirandum est, si ad eos inspiciendos mulierum turba [73] vel juvenum, vel etiam viri levitatis prosiliunt. Sed etiam sapientes et discretione graves ad videndum sæpe visos, nescio qua gratia mulcente, impelluntur. Quid igitur est? quid jucundius? quid beatius esse potest? Vellem tamen unum ex eis tibi colloqui, et mentis suæ secreta funditus revelare. Longe aliter judicares. Cum eos alii beatos judicent; ipsi dolore decoquuntur, timore detorquentur. Nemo in regno eorum par eis miseriis, par [74] sceleribus. Unde dicitur: *Regia res scelus est.* Rex Henricus fratrem suum et dominum Robertum in carcerem perennem posuit, et usque dum moreretur detinuit. Neptium suarum oculos erui fecit, et multos proditione cepit, multos dolose et subdole [75] interfecit, multa contra sacramentum [76] egit; semper cupiditati et avaritiæ deservivit. Quos terrores sensit, dum frater ejus Robertus in eum exercitus a Normannia in Angliam duceret? Concordiam quidem territus cum eo instituit; sed in ea procerum optimos perjurare fecit; quia pacem fregit et fratrem cepit. Quos terrores habuit, dum consul Andegavensis castella ejus diriperet, nec ipse procedere auderet? Quos terrores habuit [77], dum Baldwinus consul Flandrensis Normanniam ipso præsente inflammaret, nec ipse procedere auderet? Quomodo mente contribulatus est, cum filii ejus et filiæ et proceres pelago devorati sunt? Quibus curis demolitus est, dum nepote suo Willelmo Flandriam adipiscente, se diadema regni amissurum pro certo putaret? Hic tamen beatissimus regum habitus est. Sed certe miserrimus est. Quid de Philippo rege Francorum et Lodoveo filio ejus, qui temporibus nostris regnaverunt; quorum deus fuit venter (*Phil.* III), imo funestus hostis fuit. Adeo namque voraverunt, ut se ipsos pinguedine amitterent, nec sustinere se possent. Philippus olim pinguedine defunctus est. Lodoveus adhuc juvenis, pinguedine

VARIÆ LECTIONES.

[61] Runulfo. [62] Dehæredit. [63] Doloribus. [64] Corrueret. [65] Suo. [66] Thomæ. [67] Referebatur. [68] Ergo omnes. [69] Ei. [70] Carcerem. [71] Extraxit. [72] Ipsis. [73] *Desunt.* [74] Nemo. [75] *Desunt.* [76] Sacramenta. [77] *Deest.*

Digitized by Google

tamen jam mortuus est. Quid autem de felicitate eorum? Nonne Philippus a suis sæpe victus est? Et a personis vilissimis sæpe fugatus est? Nonne Ludovicus per regem Henricum a Marcio campo expulsus est; et a suis, ut patet, sæpenumero fugatus est? Rex vero Norwegensis fratrem suum regem nuper bello cepit, oculos capto eruit, mentulam abscidit, pedem dextrum ademit, filium ejus lactentem excapitavit, pontificem ejus laqueo suspendit. Infelix æque rex uterque. Sed oppones : Cur igitur regem Henricum in Historia tua tantis laudibus extollis, quem hic tantis criminibus subvertis? Ad quos [58] respondeo : Regem sapientia magnum dixi, consilio profundum, providentia clarum, armis insignem, gestis sublimem, divitiis singularem; et tamen omnia quæ hic apposui, vera nimis sunt, et utinam falsa essent. Sed forsitan adhuc dices : Triginta et quinque annis jam regnavit, et multo plura, si numeres, prospera sensit quam adversa. Contra quod ego : Imo nec millesima pars fortunæ ejus prosperitati potest adhiberi. Ea namque quæ prospera videbantur, doloribus semper immista erant. Cum regem Franciæ prælio vicit, quam longa turbatione mentis breve illud gaudium adeptus est? Breve dico; quia mox alius exercitus insurgens mentis febribus aliis eum conturbavit. Quod si diuturnitatem vitæ et regni miraris, jam non per biennium regnaturum vir Dei prædixit. Nuper itaque videbis miseræ vitæ miserum finem. Quod utinam, si fieri potest, absit! sed tamen non aberit. Non igitur mireris reges istos infelices; sed Deum solum felicem, et regna felicia suis dantem.

Sextus autem, qui et ultimus erit, Tractatus de regni regis proceribus habeatur, qui nuper potentissimi fuerunt, nec jam impotentes sunt. Jam vero [59] nihil sunt, nusquam sunt; et per excessum pene dici potest, nunquam fuerunt. Nunc etenim fere nemo eorum recordatur. Omnis memoria eorum interire incepit; mox nulla erit; ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens. Audi igitur, Waltere consors charissime, sermocinationem de viris illustribus, sed tamen in audiendo tædiosum, licet eos oculis nostris inspeximus [60]. Splenduit igitur temporibus nostris Lanfrancus archiepiscopus, vir philosophus, vir perspicuus. Cui successit Anselmus, philosophus et sanctissimus. Vidimus post eos Radulfum, dignum tanta celsitudine habitum. Postea vero sedit Cantuariæ Willelmus, cujus laudes dici nequeunt; quia non sunt. Inpræsentiarum Tedbaldus, vir omni laude dignus. Fuit etiam temporibus nostris Walchelinus [61], Wintoniensis episcopus; cui successit Willelmus Giffardus, vir nobilissimus. Hi quoque exinaniti sunt, et ad nihilum devenerunt. Nunc autem sedet in loco illorum Henricus [62] nepos Henrici regis; qui futurus est A novum quoddam monstrum ex integro et corrupto compositum, scilicet monachus et miles. Fuit etiam tempore nostro Ingulfus præsul Rovecestrensis; post quem Radulfus; post quem Arnulfus [63] : deinde Joannes. Hi omnes exinaniti sunt. Nunc autem sedet [64] mox periturus. Tempore nostro episcopus Londoniensis Mauricius decessit; post quem Richardus; post quem Gislebertus magnus philosophus. Nunc vero Robertus, vir animo magnus. Et hi exinaniti sunt. Badoniæ [65] vero Joannes medicus, et Godefridus. Nunc vero sedet ibidem Robertus : et hi jam nihil sunt. Wirecestriæ Samsonem vidi clarissimum : post hunc Leulfum [66]. Nunc autem ibidem Simonem videmus. Cestriæ vero vidimus Robertum pontificem; deinde alium Robertum, qui B cognominatus est peccatum. Nunc autem sedet Rogerius, mox nihilum futurus. Norwiciæ sedit Herbertus, vir benignus et doctus, cujus exstant scripta. Cui successit Everardus, vir crudelissimus, et ob hoc jam depositus. Nunc vero sedet ibidem Willelmus. Heliensis episcopus primus fuit Herveus, cui successit Nigellus. Salesberiensis episcopus fuit Osmundus; cui successit Rogerius, vir magnus in sæcularibus, nunc vero regis justitiarius [67]. Excestriæ vero sedit Robertus nuper mortuus, et pridem cæcus; nunc vero nepos ejus [68]. In Sicestria [69] vero sedit Radulfus; in cujus loco sedet Pelochin, vir Gnatonicus, et ob hoc jam depositus. Dunelmiæ vero sedit Willelmus, qui occisus C est; post quem Randulfus, qui totam raptor Angliam succendit. Quibus successit Gaufridus : inpræsentiarum vero Willelmus. Vidimus autem Gerardum archiepiscopum Eboracensem; post eum Thomam, post eos Turstanum omnino laudandum; sed nunc Willelmum ejusdem Ecclesiæ thesaurarium. Lincolniæ vero tempore nostro Remigius deguit episcopus. Cui successit Robertus, vir clementissimus. Quibus successit Alexander, vir fidelis et munificus. Hactenus de episcopis. Nonne vidisti Hugonem consulem Cestriæ, et Richardum filium ejus, et Randulfum successorem eorum, et nunc alium Randulfum? et hi omnes exinaniti sunt. Vidisti virum nequissimum et sapientissimum in sæcularibus, de quo prædixi, scilicet Robertum consulem de Mellend [70], et nunc filium ejus Robertum D laude parvum. Nonne vidisti Henricum consulem de Warewic, et filium ejus Rogerum, qui nunc degit, animis ignobilem? Vidisti Willelmum consulem Warenniæ, et Robertum consulem de Belesme, et Robertum consulem de Moretoil : de quibus in Historia Anglorum locuti sumus, et Simonem consulem Huntendoniæ, et Eustachium [71] Boloniæ, et alios multos. Et ipsa memoria tædiosa est. Qui cum potentissimi et aspectu intento dignissimi viderentur; nunc nec pronuntiatione digni sunt. Sed et

VARIÆ LECTIONES.

[58] Quod. [59] Enim. [60] Inspexerimus. [61] Walkelinus. [62] *Deest.* [63] Ernulfus. [64] Ascelinus. [65] Badæ. [66] Teulfum. [67] Jocelinus. [68] Item Robertus. [69] Siceastria. [70] Mellent. [71] Consulem.

Digitized by Google

pellis ovina, in qua depinguntur eorum nomina, perdita videtur omnino. Nec invenimus oculos, qui eam perlegere velint. Testis est hæc epistola, quam pro nominibus potentissimorum et omnium assurrectione dignissimorum nemo tamen vel vix aliquis potest perlegere. Quid memorem Aldvinum dominum meum abbatem Rameseiæ, et successorem ejus [73] Bernardum, et postea Remaldum virum callidum sed inclementem, nunc Walterum [75] virum elegantem? Et hi ubi [74] sunt? Turaldus abbas Burgensis, et Ernulfus, et Matthias, et Godricus, et Joannes, et Martinus, quos omnes vidimus, exinaniti sunt, et ad nihilum devenerunt. Quæris autem, cur post mortuos et in fine vivos interponam, et jam ad nihilum devenisse dicam? Cujus causa hæc est. Sicut enim mortui ad nihilum devenerunt; ita et isti mox devenient : imo ut liberius dicam, jam devenerunt. Nostra namque, quæ dicitur, vita, ut Tullius ait, mors est. Ex quo incipis vivere, incipis mori. Prætereo viros clarissimos, scilicet Radulfum Basset [76], et filium ejus Richardum, justitiarios totius Angliæ [76], et alios absque numero; quibus jamdudum magni custamenti [77] servitium impendere jucundum esse [78] mihi videlatur; nunc autem mortuis brevissimam scribendi operam vile videtur impendere. Cogita igitur, Waltere, quam nihil sit hæc præsens vita. Cum namque videamus potentissimos, qui ejus divitias plenarie adepti sunt, nihil effecisse; ne et nos nihil efficiamus, quæramus aliud iter vitæ, in qua beatitudinem speremus et adipiscamur. Surge, frater, surge et quære; quia in hac vita quod quæsisti, nunquam invenisti. Nonne rex Alexander, vir, ut ita dicam, plus quam potentissimus, parvo tandem veneno demolitus est? Non invenit quod quæsivit. Nonne et Julius Cæsar, vir æque vel magis potens, cum omnia subjugasset, stilis exinanitus est? Quod quæsivit, non invenit. Quære igitur quod invenias, quære vitam post vitam, quia vita non est in hac vita. O Deus magne, quam juste mortales dicimus [79]? Mors enim nostra, ex quo vivimus, continua est. Illa autem quæ dicitur mors, finis nostræ mortis est. Quidquid enim agimus, quidquid dicimus, ex quo actum est vel dictum, statim moritur. Memoria quidem eorum, ut circa mortuum, aliquandiu vivit. Cum autem et illa deperierit, jam quasi secunda mors facta omnia et dicta nostra omnimode annihilavit. Ubi est quod heri feci? ubi quod dixi? Ad nihilum devenerunt. Ubi et quod præterito anno, hodierna die feci vel dixi? Æterna morte oblivionis absorpta sunt. Optemus igitur in hac morte mortem; quia non evademus hanc vivendi mortem, nisi corporis mortem [80]; quæ scilicet medius terminus est mortis et vitæ. Sed antequam epistolam hanc perfinierim, nuntiatum est amicum meum, cui scribebam, mortis legibus concessisse. O mortalium sors abjecta nascendi, misera vivendi, dura moriendi. O mors, quam cito proruis? quam inopinato [81] irruis? quam magnifice subruis? Ille igitur qui post mortem est medicus, donet tibi, Waltere, antidotum suæ pietatis ad capescendam vitam continuæ sanitatis. Jam tibi quidem epistola mitti non potest sed epitaphium; breve scilicet monumentum cum lacrymis scribendum est.

Henricus tibi serta gerens, epigrammata primum,
Prælia mox Veneris, germina [82] deinde tuli.
Nunc, Waltere, tibi fero carmen funebre totus.
Alter ab Henrico qui tria serta tulit.
Dimidius perii : periit meus et decor et lux;
Formaque mensque viri, mens charitate pari.
Mens assueta viris [83] dare magna, tamen pudi-
[bunda [84];
Mente minora sua se tribuisse videns.
Mens assueta viri quantumlibet alta parare;
Sed cum multa paret, xenia parva timet.
Mens assueta viri festivo tradere vultu,
Lætitiaque pari congeminare datum.
Mens assueta viri dare sic, ne danda rogentur,
Præveniens vocem, lina ferente, manu.
Nil medium nil par magnis vir summus habebat.
Summa Dei sit ei gratia, grata quies.

VARIÆ LECTIONES.

[73] *Deest.* [74] autem. [75] *Desunt.* [76] Basseth. [76] Et Galfridum Ridel justitiarium totius Angliæ. [77] Constamenti. [78] *Deest.* [79] Dicimur. [80] Morte. [81] Inopinate. [82] Gramina. [83] Viri. [84] Pudibunde.

Digitized by Google

ODO DE DEOGILO

ABBAS S. DIONYSII

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

(*Hist. litt. de la France*, par des rel. Bénéd., XII, 614)

Odon, ou Eudes, naquit à Deuil dans la vallée de Montmorency (1). S'étant fait religieux à l'abbaye de Saint-Denis, il s'y distingua par ses bonnes mœurs, sa prudence et ses talents. Suger son abbé le fit connaître à la cour, et lui procura l'honneur d'accompagner le roi Louis le Jeune à la Terre-Sainte, en qualité de secrétaire et de chapelain. Le monarque n'eut qu'à se louer de ce choix, comme le témoigne une de ses lettres écrite à Suger dans le cours du voyage (2). A son retour, Odon fut mis à la tête de la nouvelle colonie que l'abbé de Saint-Denis établit, l'an 1150, à l'abbaye de Saint Corneille de Compiègne. Suger étant mort l'année suivante, tous les suffrages tombèrent sur Odon pour le remplacer. Peu après son élection, il se vit en butte aux traits de la calomnie, et eut besoin de l'appui de saint Bernard pour les repousser (3). Le saint homme écrivit en sa faveur trois lettres au pape Eugène III, qu'Odon lui-même, comme il est vraisemblable, alla trouver en personne. Il était connu du Pontife par deux voyages qu'il avait déjà faits à Rome; le premier l'an 1149, en revenant de la Terre-Sainte à la suite du roi de France; le second en 1150, pour faire confirmer la réforme de l'abbaye de Compiègne.

Après avoir triomphé des ennemis de sa réputation, il eut à combattre ceux qui attaquaient les biens de son monastère (4). De ce nombre était l'archevêque de Bourges, dont les entreprises obligèrent notre abbé à reprendre la route de Rome au commencement de l'année 1153. Henri de France, évêque de Beauvais, lui suscita, pour de semblables intérêts, une nouvelle querelle, dont le pape Adrien IV renvoya le jugement à l'évêque de Paris (5).

La fermeté d'Odon à défendre le temporel de sa maison ne partait pas d'un principe d'avarice et de cupidité. Il sut donner des preuves de désintéressement et de générosité dans l'occasion; témoin la donation qu'il fit de la terre de Froyères aux abbayes d'Ourcamp et de Châalis (6). Le roi ne cessa de lui continuer les marques de bonté dont il avait honoré son prédécesseur, sans que néanmoins il paraisse l'avoir admis dans les affaires du gouvernement. On voit un diplôme de ce prince (7), dans lequel il lui donne la qualité d'ami, en accordant à l'abbaye de Saint-Denis le droit de tenir marché tous les ans à Saint-Clair-sur-Epte, dans le Vexin français. Les savants, parmi lesquels il pouvait figurer, recherchèrent aussi son amitié. C'est à lui que Jean Sarrazin dédia sa traduction des œuvres de Saint-Denis (8). Il cessa de vivre en 1162, et eut pour successeur Eudes de Taverni.

Odon ne se borna pas, dans le voyage de la Terre-Sainte, aux fonctions qu'il exerçait auprès du roi. Témoin sur sa route de quantité d'événements mémorables, il s'empressa, dès qu'il fut arrivé à Antioche, d'en transmettre le souvenir à la postérité. C'est ce qu'il exécuta par une relation partagée en sept livres ou livrets, qu'il adressa en forme de lettre à son abbé Suger (9).

Le premier livre renferme ce qui se passa depuis la publication de la seconde croisade, jusqu'au départ du roi. Dans le deuxième on décrit la marche des croisés jusqu'à leur entrée dans la Bulgarie. Le troisième les conduit de là à Constantinople. Le passage du bras de Saint-George et leur entrée dans la Romanie font le sujet du quatrième livre. Dans le cinquième, on fait le récit des malheurs arrivés à l'armée des croisés allemands sur la route de Nicomédie à Antioche, et de son retour forcé vers Constantinople. Le sixième roule sur les aventures diverses qu'éprouva l'armée de Louis le Jeune, de Nicomédie à Satalie. Enfin, dans

(1) *Gall. chr. no.*, t. VII, col. 377.
(2) Felib. *Hist. de S.-D.* Pr., n. 138.
(3) S. Bern., ep. 285, 286, 287.
(4) Doublet, *Hist. de S.-D.*, p. 194.
(5) *Gall. chr.* ibid.
(6) Ibid.
(7) Felib. *Hist. de S.-D.* pr., n. 141, p. 109.
(8) Cat. mss. Angl. part. I, n. 3614.
(9) Chifflet. *S. Bern. G. Ill.*, p. 9-77.

Digitized by Google

le septième on voit les motifs qui déterminèrent ce prince à s'embarquer, les circonstances de cet embarquement, et son arrivée à Antioche. C'est par où se termine l'ouvrage.

Voici maintenant les circonstances de cette relation, qui ont échappé à nos historiens modernes.

Engagé à l'expédition de la Terre-Sainte, Louis écrivit des lettres à l'empereur d'Allemagne et à celui de Constantinople, pour leur demander le passage sur leurs terres, des marchés sur la route pour les vivres, et des banques pour le change des espèces monnayées. L'empereur grec fit au roi de France une réponse bassement flatteuse, où, lui donnant les louanges les plus outrées, il lui promettait au delà de ce qu'il avait demandé. Cette réponse ayant été lue dans le parlement d'Etampes, les ambassadeurs du roi de Sicile, qui étaient présents, déclarèrent qu'on ne devait point y ajouter foi, connaissant, disaient-ils, par l'expérience et par l'histoire, la fourberie des Grecs. L'assemblée ne tint compte de cet avertissement, sur le préjugé qu'il était dicté par l'aversion des Siciliens contre les Grecs, avec lesquels ils étaient alors en guerre. Là-dessus les ambassadeurs se retirèrent en gémissant et prédisant les malheurs qu'on éprouva.

Le roi s'étant rendu à Worms avec son armée, y passa le Rhin sur un grand nombre de bateaux que l'empereur Conrad lui avait fait préparer. On s'arrêta sur l'autre rive du fleuve pour attendre les troupes anglaises et normandes, conduites par Arnoul, évêque de Lisieux. « Ce fut là, dit notre auteur, que la folie des nôtres commença à se déclarer. La ville nous envoyait par le Rhin des vivres en abondance, et nos gens étaient continuellement en commerce avec ceux du pays. Cette bonne intelligence malheureusement ne dura pas. Il s'éleva sur l'eau une querelle entre les premiers et les seconds. Ceux-là jettent un marchand du pays dans le Rhin. Aussitôt les habitants de Worms courent aux armes, et parmi plusieurs des nôtres qu'ils blessent, ils en mettent un à mort. Cet attentat répand la fureur parmi les croisés ; on crie qu'il faut mettre le feu à la ville, sans faire attention que ce désastre envelopperait plusieurs de nos marchands et changeurs établis à Worms. Mais les personnes sages de notre armée arrêtèrent ces insensés. Les bourgeois cependant, toujours saisis de crainte, retirent leurs bateaux, et par là rompent tout commerce avec nous. Mais l'évêque d'Arras (Alvise) ayant trouvé une barque avec peine, se rendit à la ville, accompagné de quelques barons, et vint à bout d'y calmer les esprits. Dès lors ceux-ci ayant ramené leurs barques, rapportèrent l'abondance dans notre camp. »

En quittant Worms, les croisés se séparèrent à cause de leur nombre excessif qui mettait la cherté dans les vivres. Les uns tirèrent du côté des Alpes, les autres sous la conduite du roi prirent la route de Ratisbonne pour y passer le Danube. Des ambassadeurs de l'empereur d'Orient attendaient le monarque français dans cette ville, auprès de laquelle il campa. Odon décrit ainsi le cérémonial de l'audience qu'il leur donna. « Quand, dit-il, on eut dressé les tentes, et que le roi fut logé, on manda les ambassadeurs, lesquels, après l'avoir salué et lui avoir remis les lettres de leur maître, attendirent la réponse debout ; car ils n'auraient osé s'asseoir, sans qu'on le leur eût ordonné. Après donc qu'ils en eurent reçu l'ordre, ils se placèrent sur des sièges qu'ils avaient apportés avec eux. Nous remarquâmes alors une coutume des Grecs, qui est que, lorsque les maîtres s'asseyent, toute leur suite demeure debout. Là vous eussiez vu des jeunes gens le jarret tendu, la tête penchée, les yeux arrêtés en silence sur leurs maîtres, témoigner, par cette attitude, leur disposition à obéir au premier signe. Ils ne portent point d'écharpes ; mais ils ont de riches habits de soie, courts, bien serrés, avec des manches étroites ; ce qui les rend lestes et dégagés comme des athlètes. La forme de l'habillement des pauvres est la même, et il n'y a de différence que pour le prix. A l'égard des lettres qu'ils présentèrent, deux motifs, la honte et l'impuissance, m'empêchent d'en donner ici la traduction. Car la première et plus grande partie était employée à capter la bienveillance du prince d'une manière si basse et si rampante, que les expressions affectueuses et nullement sincères qu'elle renfermait, loin de convenir à un empereur, auraient déshonoré le plus vil bouffon... Le roi cependant, quoique non sans rougir, souffrait que son interprète lui rendit tout. » Odon parle ensuite de la seconde partie, qui contenait les conditions auxquelles l'empereur offrait le passage sur ses terres avec les secours nécessaires aux croisés.

Arrivés en Bulgarie, les croisés français ne tardèrent pas à s'apercevoir de la perfidie des Grecs. On sait les mauvais procédés de ceux-ci à leur égard. « Mais il parut, dit Odon, à quelques-uns de nos gens, que les Allemands qui nous précédaient, y avaient donné occasion, en ce que, non contents de piller tout ce qu'ils rencontraient sur leur passage, ils avaient même, comme nous le remarquâmes, brûlé quelques villages et faubourgs. Voici un trait de leur brutalité que je rapporte avec douleur. Près des murs de Philippopolis, les Latins occupaient un bourg considérable, où les étrangers trouvaient des vivres en abondance pour leur argent. Les Allemands rendirent mémorable, à leur honte, le séjour qu'ils y firent. Comme ils étaient répandus dans les auberges, un jongleur y vint ; et quoiqu'il ignorât leur langue, il s'assit auprès d'eux, but et paya son écot. Après cela, voulant divertir la compagnie, il tire de son sein un serpent qu'il avait enchanté, le met dans une coupe sur le pavé, et fait plusieurs tours de charlatanerie au tour du reptile. A la vue de ce prodige les Alla-

Digitized by Google

mands se lèvent en fureur, prennent le jongleur et le massacrent. En même temps ils s'écrient que les Grecs veulent les faire périr par le poison, attribuant le crime d'un seul à tous. Cette émeute répand l'alarme dans tout le faubourg. Le commandant de la ville survient pour apaiser le tumulte, avec une escorte sans armes. L'œil des Allemands, troublé par la fureur et le vin, ne voit que des gens qui courent à eux, et n'aperçoit pas qu'ils sont désarmés. Ils vont en colère au-devant de ces pacificateurs, s'imaginant qu'on vient pour tirer vengeance du meurtre qu'ils ont commis. L'officier et sa troupe se retirent aussitôt et rentrent dans la ville. Mais ayant pris leurs arcs, ils reviennent à ces insensés, les mettent en fuite, blessent, tuent plusieurs d'entre eux, et ne s'arrêtent qu'après les avoir tous chassés du faubourg. Ce fut surtout dans les auberges que se fit le carnage. On prit soin des cadavres à cause de l'argent dont ils étaient garnis, et on les jeta dans des cavernes pour les fouiller à loisir. La querelle ne se termina pas là. Les vaincus ayant repris leurs esprits, retournent en force à la charge, mettent en fuite les bourgeois à leur tour, font le dégât autour de la ville, et réduisent en cendres le faubourg (10). Au reste, ce n'était pas seulement à leurs hôtes que les Allemands se rendaient insupportables; nos gens avaient presque également à se plaindre d'eux. Le fait suivant en est la preuve. Un jour quelques Français, pour éviter la foule qui environnait le roi, prirent les devants et vinrent se loger auprès des Allemands. On va au marché des deux côtés; mais les Allemands ne souffrent point que les nôtres achètent rien, qu'ils n'aient eux-mêmes ce qu'ils désirent : cela occasionna une dispute. On cria beaucoup de part et d'autre; et comme on ne s'entendait pas, on en vint bientôt aux coups. Les Français, qui étaient en plus petit nombre, furent les plus maltraités. Le combat ne finit qu'à la nuit. Le lendemain on était prêt à recommencer; mais les chefs se jetant aux genoux des soldats, apaisèrent l'émotion par leurs prières et leur modération. C'est ainsi que les Allemands troublaient tout sur leur route, et indisposaient la nation grecque contre notre roi qui venait à leur suite dans un esprit de paix. »

Peu après Odon rapporte un autre trait de leur brutalité. « Après divers obstacles surmontés, ils arrivent, dit-il, aux portes de Constantinople. Il y avait près de cette ville un vaste et magnifique parc environné de murailles, lequel renfermait une grande quantité de gibier, des étangs et d'autres pièces d'eau. On y avait creusé plusieurs cavernes pour servir de retraite aux bêtes. Dans l'enceinte de ce parc s'élevaient des maisons superbes, où les empereurs venaient se délasser dans la belle saison. L'empereur d'Allemagne, au lieu de respecter ce séjour des délices, s'y jette à la tête de ses gens, fait main basse sur le gibier, et détruit presque tout à la vue des Grecs. Car le palais impérial, qui domine sur les murs de la ville, a ce lieu au-dessous de lui; et par les regards continuels du maître anime et encourage ceux qui l'habitent. Toutefois l'empereur grec, à qui cet étrange spectacle avait causé le plus grand étonnement, eut assez de pouvoir sur lui-même pour dissimuler son dépit. Il envoie une députation à l'empereur allemand pour lui demander une conférence. Mais celui-ci craignant d'entrer dans la ville; celui-là appréhendant d'en sortir, ou ne le voulant pas, chacun refusa de faire les avances (11), et de rabattre de son faste ordinaire en faveur de l'autre. »

Louis ne fut pas aussi délicat sur le cérémonial. « Lorsque nous approchâmes de Constantinople, dit Odon, les nobles et les personnes les plus distinguées du clergé et du peuple vinrent au-devant du roi, et le reçurent avec les honneurs convenables, le suppliant de vouloir bien descendre chez l'empereur; pour satisfaire, disaient-ils, l'empressement qu'il avait de le voir et de l'entretenir. Louis compatissant à sa frayeur, se rendit à cette demande. Ayant donc choisi un petit nombre des siens, il s'avança avec eux vers le palais impérial, où il rencontra l'empereur qui l'attendait sous le portique, et qui lui fit une réception dont il n'eut qu'à se louer. Ces deux princes étaient égaux à peu près pour l'âge et la taille, et ne différaient que pour les mœurs et l'habillement. Enfin, après s'être embrassés et baisés mutuellement, ils entrèrent dans la salle intérieure du palais, où ils s'assirent sur deux siéges qu'on leur avait préparés. Là, environnés de leurs suites, ils entamèrent la conversation par le moyen de leurs truchements. L'empereur demande au roi quel est son dessein, fait mille vœux pour qu'il réussisse, et lui promet de l'aider en tout ce qui dépendra de lui. Eh! plût à Dieu, que son discours eût été aussi sincère qu'il était honnête! Si l'aisance du maintien et du geste, si la sérénité du visage, si la douceur des paroles manifestaient toujours les dispositions du cœur, tous les assistants auraient dit unanimement que l'empereur avait l'affection la plus tendre pour le roi. Mais on ne sait que trop combien sont équivoques ces sortes de démonstrations. Après cela les deux princes se séparèrent, et les nobles conduisirent le nôtre au palais où il devait loger. »

La description que notre auteur fait de la ville de Constantinople, mérite d'être mise sous les yeux de nos lecteurs. « Constantinople, dit-il, illustre par sa réputation, plus encore par ses richesses, présente dans son plan la forme d'un triangle ou d'une voile de vaisseau. Dans l'angle intérieur,

(10) Nicétas rapporte à peu près la même chose, l. I. *Hist. Imper. Manuel.*, c. 5

(11) Il y eut cependant une entrevue de ces deux princes, laquelle fut assez froide, quoiqu'ils fussent beaux-frères.

Digitized by Google

'élèvent l'église de Sainte-Sophie et le palais de Constantin, où il y a une chapelle décorée d'un grand nombre de reliques. La mer baigne la ville de deux côtés. En venant à cette capitale, nous avions à notre droite le bras de Saint-Georges, et à notre gauche un canal qui en sort et s'étend environ à quatre mille pas. C'est là que l'on voit le palais des Blanquernes, placé à la vérité dans un lieu bas, mais relevé par la somptuosité, l'élégance et la grandeur de ses édifices. La triple variété de son voisinage offre une triple satisfaction aux yeux de ceux qui l'habitent, et les récrée alternativement par la vue des champs, de la mer et de la ville. La magnificence de ses dehors n'admet presque point de comparaison. Mais tout ce que je pourrais dire de celle des dedans, serait trop au-dessous de la vérité. L'or et les peintures y brillent de toutes parts. La cour est pavée de marbre avec un merveilleux artifice, et je ne sais, à vrai dire, ce qui lui donne le plus de prix et de beauté, la subtilité de l'art ou la richesse des matières. Le troisième côté du triangle que forme la ville, confine à une assez belle campagne. Il est fermé par un double mur qui s'étend depuis la mer jusqu'au palais, à deux milles environ de longueur. Ce mur cependant n'est point fort, et les tours qui le défendent ne sont point élevées. Je pense que la ville met sa plus grande confiance dans la multitude de ses habitants et dans le repos dont elle jouit depuis longtemps. Le terrain qui avoisine les remparts est vide et se partage en terres labourables et en jardins, qui fournissent toutes sortes de légumes. De ce même côté, des aqueducs souterrains amènent l'eau douce en abondance aux citoyens. Pour la ville en elle-même, elle est malpropre, sale, infecte, et condamnée en plusieurs quartiers à une nuit éternelle. Car les riches couvrent les rues de leurs édifices, et ne laissent aux pauvres et aux étrangers que les ordures et les ténèbres. Les meurtres, les vols et les autres crimes qui fuient la lumière, y sont fréquents : et cela doit être ainsi, il y a presque autant de maîtres que de riches, et de voleurs que de pauvres : chaque scélérat y a dépouillé toute crainte et toute honte, attendu que le crime y est impuni, et que l'obscurité le dérobe à la vengeance publique. En un mot, Constantinople excède les bornes de la modération en toutes choses ; et comme elle surpasse toutes les autres villes en opulence, elle les surpasse aussi par ses vices. Elle a beaucoup d'églises qui, bien qu'inférieures en grandeur à Sainte-Sophie, ne lui cèdent peut-être pas en beauté. Ceux de nos gens qui le pouvaient, y entraient, les uns par curiosité, les autres pour satisfaire leur dévotion. Le roi lui-même, accompagné de l'empereur, les visita; et à son retour, vaincu par ses prières, il consentit de dîner avec lui. L'appareil du repas, la délicatesse et la variété des mets, les agréments de la symphonie, tout répondit à la dignité des convives, et tout charmait à la fois les yeux, les oreilles et le goût. Plusieurs de nos gens craignaient pour le roi. Mais lui, s'abandonnant à la Providence, était dans une parfaite sécurité. Car celui qui n'a pas de mauvais desseins ne croit pas facilement qu'on veuille lui nuire... Mais les Grecs dissimulaient la vengeance qu'ils nous préparaient, jusqu'à ce que nous eussions passé le bras de Saint-Georges. Tant que nous fûmes aux environs de Constantinople, nous n'eûmes pas à nous plaindre d'eux. Car on ne leur faisait pas un crime d'avoir fermé leurs portes à la multitude des croisés, vu qu'ils avaient brûlé plusieurs de leurs maisons et de leurs oliviers, soit faute de bois, soit par l'effet de l'ivresse. Le roi faisait souvent couper le nez, les oreilles et même les pieds aux coupables ; mais cela n'était pas capable de réprimer l'insolence de nos gens. Bref, il fallait de deux choses l'une, ou que l'on en fît périr des milliers à la fois, ou que l'on tolérât plusieurs de leurs déportements. »

Après le passage du détroit, l'imprudence des Français fournit bientôt aux Grecs un prétexte de faire éclater contre eux leur mauvaise volonté. « Nous voilà passés, dit notre auteur ; des vaisseaux chargés de vivandiers et de changeurs viennent à notre suite. La banque est ouverte sur le rivage. Les trésors sont étalés, l'or et la vaisselle d'argent que les Grecs avaient achetée de nous brillent sur les comptoirs. Plusieurs viennent de notre armée pour faire les échanges nécessaires; et à ceux-ci d'autres se joignent qui convoitent ce qui ne leur appartient pas. Or un jour il arriva qu'à la vue de ces immenses richesses un certain Flamand, digne du fouet et du feu, se laissa aveugler par le désir effréné de les enlever. Tout d'un coup s'étant mis à crier : *Havo, havo*, il se jette sur ces trésors, et emporte ce qui l'avait le plus tenté. Ses semblables, encouragés par sa hardiesse et séduits par le mérite du Lutin, ne tardent pas à l'imiter ; et comme les insensés se fourrent partout (car je compte pour tels tous ceux qui périrent dans l'affaire du change) on voit tomber sous les coups de toutes parts ceux qui avaient de l'argent à la main. Les cris redoublent, la fureur s'accroît, les comptoirs sont renversés, l'or est foulé aux pieds et pillé : les pauvres changeurs dépouillés cherchent leur salut dans la fuite ; les vaisseaux reçoivent les fugitifs, et ramènent à la ville ceux qui achetaient les vivres pour nous. Ceux-ci sont battus et dépouillés par les Grecs. Dans la ville même, tous les étrangers qui s'y trouvent subissent un pareil outrage, et sont traités en ennemis. Le roi, informé de ces désordres, fait venir le comte de Flandre, et lui redemande en colère le coupable, qu'il fait pendre à la vue de Constantinople. Ensuite il se met à faire la recherche de ce qui avait été perdu, promettant le pardon à ceux qui le rendront; et afin que l'on n'en fût point détourné par la crainte ou la honte de paraître devant lui, il or-

Digitized by Google

donne que tout soit remis entre les mains de l'évêque de Langres. Le lendemain ceux qui avaient fui sont rappelés, et recouvrent tout ce qu'ils juraient avoir perdu. Plusieurs d'entre eux redemandaient beaucoup plus qu'il ne leur était dû. Mais Louis aima mieux leur restituer du sien, que de troubler la tranquillité de son armée. Après cela, il députa deux personnages graves à l'empereur grec; savoir, Arnoul, évêque de Lisieux, recommandable par son éloquence et sa religion; et Barthélemy, son chancelier, pour réclamer ceux des siens qu'on retenait à Constantinople, avec les effets qu'on leur avait enlevés. Comme les ordres du monarque étaient pressants, les deux ambassadeurs firent la traversée de grand matin, et par la faveur des huissiers ils entrèrent dans le palais; mais ils ne purent obtenir de parler à l'idole. Ce jour-là toute leur consolation fut de s'entretenir ensemble, leur nourriture de se repaître les yeux de la vue des peintures; et quand la nuit fut arrivée, les degres du palais et le pavé leur tinrent lieu de chevet et de matelas. Le lendemain, ce profane (l'empereur) s'étant levé vers la troisieme heure, ils parurent devant lui par son ordre, et remplirent l'objet de leur mission en lui représentant la satisfaction qu'on avait donnée à ses gens, et celle qu'il devait aux nôtres. L'éloquence sage et douce du prélat aurait pu le rendre traitable, si ce serpent dangereux eût été susceptible d'enchantement. Mais, sourd et gonflé de venin comme l'aspic, il parut tout différent de ce qu'il était auparavant, ou plutôt il leva le masque sous lequel il avait jusqu'alors caché sa méchanceté. Cependant l'évêque le presse, et gagne à la fin quelque chose; car on lui promet des marchés pour l'armée, et on permet à nos pèlerins détenus de rejoindre l'armée, mais sans leur rendre ce qu'on leur avait pris. L'empereur dit qu'il veut avoir encore une conférence avec le roi, et qu'il doit au plus tôt lui envoyer une ambassade pour ce sujet. Sur cela le prélat et le chancelier prennent le parti de s'en retourner, pour ne pas faire une diète de trois jours entiers. » On sait le reste.

Telles sont les principales anecdotes que nous avons rencontrées dans cette relation. On pourrait blâmer nos historiens modernes qui ont traité des croisades à dessein, de n'avoir pas eu le soin de recueillir ces faits, ou de les avoir touchés trop légèrement. La plupart à la vérité ne sont pas à la louange des croisés; mais l'histoire n'est pas un plaidoyer, où l'on ne parle qu'à la décharge d'une partie, et à la charge de l'autre. Notre auteur a mieux connu l'impartialité essentielle à ce genre d'écrire. Sa relation est presque un modèle à cet égard. Elle est d'ailleurs composée avec beaucoup d'ordre, de sagesse et de netteté. Le style en est vif, facile et même élégant, autant qu'il pouvait l'être au XII^e^ siècle.

On est redevable de la publication de cet ouvrage au P. Chifflet, Jésuite, qui l'a mis à la tête de son livre intitulé: *Sancti Bernardi genus illustre assertum.*

ODONIS DE DEOGILO

DE

LUDOVICI VII FRANCORUM REGIS

COGNOMENTO JUNIORIS

PROFECTIONE IN ORIENTEM

Cui ipse interfuit

OPUS SEPTEM LIBRIS DISTINCTUM.

(Vide *Patrologiæ* tom. CLXXXV, col. 1201, inter Appendices ad Opera S. Bernardi Clarævallensis.)

ANNO DOMINI MCLXVIII

BERTRANDUS DE BLANCESFORT

TEMPLARIORUM MAGISTER

(Ejus Epistolæ ad Ludovicum Juniorem exstant *Patrologiæ* tom. CLV, col. 1269, inter Monumenta de bello sacro.)

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCLXVII

WOLBERO

ABBAS S. PANTALEONIS COLONIENSIS,

ORDINIS S. BENEDICTI.

—

NOTITIA

(R. P. Henr. Gravius, Proleg. ad Wolberonem, ex antiquissima tabula quæ asservatur manuscripta in cœnobio D. Pantaleonis intra Coloniam.)

—

Wolbero, duodecimus monasterii Sancti Pantaleonis abbas eligitur anno 1147, postquam R. P. Gerardus senio confectus baculum pastoralem in præsentia R. D. Arnoldi primi ejusdem nominis archiepiscopi, ac priorum monasterii resignasset. Hic ingenio et eloquio clarus fuit, utpote vir in divinis Scripturis studiosissimus et in sæcularibus litteris suo tempore doctissimus, scripsit sacris virginibus Benedictinæ institutionis in insula Rheni Deo et beatæ Mariæ militantibus, libros quatuor in *Cantica canticorum*, quibus nominis sui memoriam posteris reliquit. Obiit anno Domini 1167, v Idus Aprilis, sub Alexandro ejusdem nominis tertio Romano pontifice, Reinoldo archiepiscopo Coloniensi, ac Friderico I imperatore, cum annis præfuisset XXI; sepultus sub ædicula D. Margaretæ virginis ac martyris, hoc epitaphio teste :

Corporis exuvias hic deposui tumulandas
Præsidiumque piæ sub tegmine spero Mariæ,
Cujus ad ædiculam construxi culmina sacram
Sit requies animæ; sit plena solutio culpæ.

COMMENTARIA

VETUSTISSIMA ET PROFUNDISSIMA

SUPER CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS,

QUOD HEBRAICE DICITUR SIR HASIRIM,

IN IV LIBROS DISTRIBUTA

AUCTORE

R. D. WOLBERONE

Abbate S. Pantaleonis intra Coloniam, Ordinis S. Benedicti,

Nunc primum in gratiam concionatorum meliorem in ordinem digesta, notisque cum indice copioso illustrata, opera R. P. Henrici Gravii SS. Theol. Baccal. eiusdem Ord. Bened.

(Coloniæ Agrippinæ, sumptibus Michaelis Demen, bibliopolæ, sub signo Nominis Jesu, anno M.DC.XXX, permissu superiorum.)

—

qui operantur in me non peccabunt, et qui elucidant me vitam æternam habebunt (*Eccli.* XXIV).

—

EPISTOLA NUNCUPATORIA

—

Reverendissimo in Christo Patri Domino venerabili Henrico Spichernagell, D. Pantaleonis abbati et S. Unionis Bursfeldinæ præsidenti principali meritissimo, nec non reverendis admodum et amplis-

Digitized by Google

mis DD. Henrico Liblero, Joanni Munch, Paulo Vrechen, Henrico Goermanno et Gabelo Scaffenio, monasteriorum ordinis Sancti Benedicti observantiæ ejusdem in Sancto Martino, Brawiler, Tuitio, Gladbach et Graffscafft abbatibus dignissimis, dominis et prælatis suis observandis.

Mirabuntur non abs re, R. admodum et amplissimæ DD. vestræ cur commentator hic super *Cantica canticorum Salomonis* tandiu sub modio latuerit, ac nunc primum lucem aspiciat : ad quod verisimiliter ego cum Judæo illo Mardochæo dilectam suam compellente Esther, et quis novit utrum idcirco ad regnum veneritis, ut Wolbero iste tali in tempore pararetur? Quare nec pro anima sola sufficere arbitratus fui, si auctor talis in domo D. Pantaleonis scriptus tantum delitesceret, nisi plurimorum utilitati et spirituali gustui profuturus, sub incudem datus, nova quadam occasione opportunus prodiret in lucem.

Et quænam, dicetis, occasio isthæc est? Annus jam tertius est quo tempore annalis capituli in monasterio Sancti Pantaleonis celebrati Kalendas Septembris B. Ægidio abbati sacris, vestri quoque sacrati vertices, pontificali infula noviter decorati fuerint. Nullis profecto verbis aut scriptis comprehendere valeo, quantum hinc gaudiorum accreverit charissimis vestris confratribus, quanta etiam lætitia tam meo quam publico pariter nomine ex hoc perfusus sim, vobisque ex animo gratulari desideraverim, posteaquam intellexeram a sanctissimo domino nostro Urbano VIII, auctoritatem hanc episcopalem RR. admodum Dominationibus vestris super additam, et a R. domino episcopo Cyrenensi solemni ordine pontificales mitras, capitibus vestris impositas fuisse. Eccur enim tam sanctam, tamque honorificam et novam Dominationibus vestris non gratulater gloriam? gloriam, inquam, qua, præter omnem quod mihi persuasum ambitionem, solo clarissimarum virtutum merito (utpote qui inter sacræ unionis nostræ Bursfeldensis columnas præcipuas annumeramini, eamque indeclinabiliter suffulciendo constabilitis), donati et affecti estis?

Quid agerem? Honorem hunc novum R. domino prælato meo ut descenderem acclamaturus filialis postulabat amor; cidares RR. Dominationum vestrarum veneraturus pariter ut occurrerem gratitudo exigebat, aliorum exempla provocabant. Sed nolui in summorum conspectu sacerdotum apparere vacuus, nec etiam munus quod offerrem præ manibus erat. Cum subito, Deo ita inspirante, memor fui commentatoris hujus Wolberonis coabbatis vestri, et delectatus sum, et quia religiosorum plurimi lectione suavissimarum interpretationum illius antehac illecti, summopere mecum dolebant inter cæteram bibliothecæ nostræ supellectilem tam pia et profunda latere commentaria, neque thesaurum talem pluribus communicari· ad testandam mei erga RR. admodum DD. vestras promptitudinem benequе merendi studium, quod dudum in votis habueram, fiducialiter aggressus fui, et *Commentaria* Wolberonis nostri non modo revidi, verum etiam revisa meliorem in ordinem disposui, atque ita disposita et renovata eadem nominibus RR. admodum DD. vestrarum inscribenda, typo ut subjicerentur, omnem cœpi movere lapidem. Cæterum cum Salomone ipso attestante, plures faciendi libros nullus sit finis, adeoque sæculi hujus ingeniis nova magis arridere soleant quam vetera, erat fortasse quod verebar, ne vel commentatoris hujus antiquitas, vel verius personæ meæ exiguitas, a qua renovatus nonnihil liber non exiret, obstaculo forent, quo minus feliciter in manus multorum transiret. Porro RR. admodum Dominationum vestrarum animatus auctoritate, a metu simili, imo Zoilorum omnium, qui bonis conatibus deesse non solent, obtrectatu, facile liberandum me duxi, cum quod in apothecam et horreum Dominicum non semper centesimus aut sexagesimus, quin sæpius tricesimus fructus inferatur : tum quod per cornua vestra Aaronica protegendus, eodem anni decurso tempore a prælato redeat, quo in pontificales mitras abbatialia vestra mutata fuerunt almucia.

Quamobrem, reverendissime domine præses, prælate mi observandissime, suscipe minimi clientis tui hanc qualemcunque curis meis pastoralibus superadditam et huc usque variis militum incursionibus obstantibus protacta operam; et quia juxta elogium Sapientis : *Vir qui diligit sapientiam lætificat patrem suum* (*Prov.* XXIX) : lætifica per conatum hunc meum in sapientia et cantico spirituali libri hujus spiritum tuum, et refocilla infirmos et seniles artus tuos, multis pro monasterio et unione nostra Bursfeldica exantlatis laboribus debilitatos, sed nondum fractos. Suscipite et vos, antistites venerabiles, observantiæ meæ erga vos tesseram exiguam Wolberonem coabbatem vestrum, RR. admodum Dominationibus vestris humiliter a me nuncupatum; sitque novi honoris vestri particeps, qui religionis avitæ æque monasticæ relator exstitit egregius. Quæ eadem præsulibus vobis ut, in incepto spiritualis disciplinæ incremento succrescat et propagetur, Deum optimum, maximum sanctissimumque legislatorem nostrum Benedictum ejusdemque patrones ordinis jugiter exorabo. Qui etiam patientissima sua benignitate RR. admodum et amplissimas Dominationes vestras cum omnibus sibi commissis per quam diutissime felicissimeque superstites atque incolumes servare dignetur. Ita fovet et apprecatur ex pastoratu Laugelensi ipso B. Ægidii abbatis anno 1629.

RR. ad. et amplissimarum Dominationum vestrarum, humilis servus et frater Henricus Erasmus Graviensis Pantaleonita, ordinis S. Benedicti.

Digitized by Google

EPIGRAMMA AD AUCTOREM ET LECTOREM COMMENTARIORUM HORUM.

Ut superes Pylei doctissime tempora scriptor,
Et tua sit cunctis cognita fama locis,
Hoc opus eximium prælo mandare, decorum
Pluribus est visum non sine laude tua.
Ergo securus prodi, Wolbero; latere
Non decet ingenii tam pia scripta tui
Quem modo dulcis amor pangendi cantica tangit,
A Eu Wolberonem, quo duce pangat, habet.
Talia non lusit Dircæus cantica vates,
Ad tactum citharæ quando salivit aper.
Wolbero meres, vitam canit ille pudicam,
Sponsi cum sponsa mystica verba refert.
I nunc quisquis amas animæ et connubia Christi
Quem tibi concilies, en paranymphus adest.

FRATER HENRICUS GRAVIUS

LECTORI BENEVOLO.

Commentaria venerabilis domini abbatis Wolberonis, licet devotis ac Deo consecratis virginibus quondam ita postulantibus, ab auctore ipso conscripta et inscripta fuerint, volueritque cum sanctimonialibus solis illa delitescere, neque communem in lucem prodire nisi, ab aliquo correcta in opus elaboratum ac masculinum evaserint : nolim tibi persuasum habeas, lector benevole, quasi opera mea hoc ipsum assecutus fueris. Hæc namque vere de se humiliter sentientium virtus est magna et præclara agere aut scribere et nihilominus parve et mediocriter de se, suisque sentire. Emicat in hac virtutis specie non vulgariter abbas noster Wolbero, in cujus commentariis licet antiquissimis, sed assiduo annorum novem studio congestis tantum abest ut informe aliquid, vel muliebre aut lima emendatiori indigens offenderim (licet in dedicatione religiosis sororibus suis nuncupata, aliisque operis, hujus præfationibus hoc ipsum innuere videntur) ut divino magis quam humano spiritu conceptum et calamo exaratum opusculum hoc videri merito debeat. Quapropter latere te nolim quicunque operis hujus lector futurus es parum me Commentariis hisce de proprio aut addidisse aut miscuisse, nisi ubi sensus ambiguitas, periodorum dissolutio versuumque disjunctio simile quid desiderare visum fuerat. Hæc fortassis erant, quæ lectorem delicatum in Wolberone antiquo offendere potuissent. Quibus cum labore et conatu meo sat subventum, nescio qua typographi vel correctoris incuria aut festinatione errata nonnulla hinc inde irrepserint, quæ sub finem libri hujus emendata, videre liceat, operam hanc meam qualemcunque æqui bonique consulito, et dum ea frueris in tui emolumentum suscipe, et suscipe benigne perpetuum auctoris hujus monumentum. Vale (1).

(1) Hæc nova editio multis erroribus typographiæ et correctionis purgata cum securitate fructuque consuli potest. EDIT.

EPISTOLA DEDICATORIA

WOLBERONIS ABBATIS.

Dilectissimis sororibus in Insula Rheni Deo et B beatæ Mariæ militantibus, WOLBERO peccator.

Dum mecum sæpius tractarem et ancipiti animo frequenter revolverem quidnam dulce, quid jucundum, quid utile interioribus sanctæ charitatis vestræ auribus, o sanctissimæ sorores, decantarem, cujus dulcedine et incitamento ad majorem cœlestis vitæ amorem vester erigetur animus, occurrit repente animo meo illud cantabile sponsi et sponsæ epithalamium, quod pro sui excellentia dicitur *Canticum canticorum*. Hoc nempe genus cantionis valde competit dignitati vestræ professionis, quia hæc omnium præcellit ordinem professionum sicut illud omne genus canticorum.

Tria quippe sunt genera professionum, unum conjugatorum, alterum viduarum, tertium virginum. Legimus autem quia est *Canticum laudis, canticum lætitiæ, canticum novum*. Ponamus ergo quasi quibusdam gradibus canticum laudis conjugatis, canticum lætitiæ viduis, canticum novum virginibus, quod *nemo* potest *dicere, nisi qui sequuntur Agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV). *Canticum* quippe *laudis* cantant conjugati, qui initium aliquod religionis et bonæ conversationis acceperunt, sed nondum tribulationem carnis evaserunt; *canticum* vero *lætitiæ* cantant viduæ, quæ aliquid altius sunt assecutæ, majori præstantes religione et experta jam tribulatione carnis absolutæ ac propterea pre-

Digitized by Google

sunt et laudem et lætitiam canere. Porro virgines cantant *canticum novum*, quæ summum retinent gradum nunquam prædictam carnis tribulationem expertæ, atque ideo potentes canere et laudem, et lætitiam, et novitatem singularem ac cæteris inedicibilem.

Sed valde attendendum his quæ virgines dicuntur, cujus partis sint; in duas quippe partes hanc professionem Dominus divisit, hoc est in virgines prudentes et stultas (*Matth.* xxv); quia hoc novum canticum non possunt dicere, nisi quæ sunt ex parte prudentium: prudentes autem sunt quæ et corpore et mente virgines sunt; stultæ vero quæ, quamvis virgines sunt corpore, corrupta tamen vivunt mente. Tales nimirum non possunt cantare *canticum novum*, sed neque ultimæ professionis canticum; quæ nec ad ipsius pertingunt meritum, quia non habent in vase oleum, quin imo pro hac negligentia sui non intrant thalamum sponsi.

Quocirca valde attendere et sollicita esse debet charitas vestra, quæ estis virgines corpore ut etiam sitis mente; quia nihil vobis confert virginitas carnis, si jam mente, nupsistis. Si ergo rectam virginalis professionis normam tenetis, singulare canticum, et ut ita dicam, non simpliciter canticum, sicut conjugatæ et viduæ, sed *Canticum canticorum* cantatis, quod solum possibile est illis cantare, *qui sunt ante thronum Dei sine macula, quia non inquinaverunt vestimenta* (*Apoc.* xiv), id est corpora sua.

Auctoritates sane harum trium professionum in sacra reperiuntur Scriptura, quia castitas conjugalis prædicatur in Elisabeth, sanctimonia vidualis in Anna, perfectio virginalis in beata Dei genitrice Maria. Singularum autem meritum ipse Dominus in Evangelio demonstrat, ubi dicitur *semen* cecidisse *in terram bonam et fructum* fecisse, *aliud tricesimum, aliud sexagesimum, et aliud centesimum* (*Luc.* viii).

Tricesimus namque fructus conjugatorum est caste viventium, quas hoc numero ostendit computus digitorum, indice pollici superposito, pondus tribulationis et depressionis ipsarum indicat viduarum sustentatione et consolatione virili destitutum. Porro numerus centenarius, qui pro perfectione ponitur, perfectionem sanctarum demonstrat virginum, qui de sinistra ad dexteram translatus, juncta summitate indicis ad summitatem pollicis, coronam exprimit virginitatis.

Pensate ergo professionis hujus excellentiam cujus est præmium fructus centuplicatus, cujus est meritum dicere *canticum novum*, cujus dignitati maxime congruunt, pro speciali divina gratiæ conjunctione, ista quæ vobis pro modulo nostro canere intendimus *Cantica canticorum*. Nequidem vobiscum, quæcunque vere virgines estis, hæc cantica non dico canere, sed nec susurrare possum, qui longe a vestra sanctitate differo; sed sicut aliquis qui scientiam alicujus artis verbo tantum insinuare potest, actu vero exprimere non potest, ita et ego quamvis hæc vobiscum cantare, culpa obstante, non possim, tentabo tamen cum Dei adjutorio aliquid dicere, unde possitis horum excellentiam et singularem dignitatem Canticorum aliquatenus cognoscere. Ergo ut dicit gentilis poeta:

Fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ novit ferrum, exsors ipsa secandi:
(Horat., *Ars poet.*, 304.)

et quia non licet cantare, liceat saltem cantandi consilium dare. Nam et sanctus Moyses cum quo Deus facie ad faciem loquebatur, Jethro cognati sui viri gentilis consilium audivit et fecit, cum ipse plenus esset sapientia et sanctitate, iste vero longe valde ab eo distaret gentilitate et vitæ qualitate. Sed hoc quia Deus dedit velle, det etiam posse. Scio equidem multis indignum fore, qui veterum tantum scripta suscipiunt,

Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.
(Hor., *Ep.* II, i, 49.)

Quod post dicta majorum quæ firmavit charitas, meas quoque ineptias impudenter detexerim, sed vestra me apud eos excusabit dilectio quorum solummodo proposui satisfacere desiderio. Quod si nimis simplicem pro causæ majestate reprehendunt orationem, meminerint quia in constructione tabernaculi, non tantum aurum et argentum, byssus et purpura, sed etiam pili caprarum sunt oblati, (*Exod.* xxv), et magis a Domino laudata sunt duo parva viduæ minuta quam immensa divitum donaria (*Luc.* xxi). Et si compositionem verborum calumniantur, causam tamen materiæ venerentur, et tenuitatem orationis sive compositionis excusent, et materiæ dignitas et devotæ supplicationis obediens charitas. Nam et plurimos metrica arte compositos libros in Ecclesia habemus de Evangeliis et sanctorum gestis, humili stylo et simplici oratione, qui tamen propter materiæ dignitatem, obtinuerunt jam auctoritatem. Unde Arator Actus apostolicos scripturus, dicit:

Jejuno sermone quidem, sed pinguia gesta
Scripsimus, ac pelagi pondere gutta fluit (1).

Nemo ergo simplicitatem nostram contemnat, quia *cum simplicibus sermocinatio* nostra (*Prov.* iii), quin potius eo magis nobis peccantibus indulgeat, quod plus libuit aliquid, quamvis simpliciter scribere, qui inani otio, torpore, cum etiam hoc opus nusquam prodire velimus, sed cum solis tantum quibus missum est sanctis delitescere sororibus; nisi forte alicui benignitatis intuitu placuerit hoc ad corrigendum suscipere, et de informi et molli compositione aliquod pulchrum et masculum opus elaborare.

Suscipite itaque hanc meæ parvitatis operam, in qua non piguit me laborare gratia dilectionis

(1) Arator, *Epist. ad Flor.* v. 7. *Patrol.* t. LXVIII, p. 64.

Digitized by Google

vestræ, in vestri quidem emolumentum, in mei vero perenne monumentum; quatenus cum hæc aspicitis et legitis, memores mei sitis et pro me sive vivo sive mortuo communem Deum exoretis.

CENSURA ABBATIS GERODHENSIS

Super Commentaria Wolberonis abbatis in Canticum canticorum.

Domino venerabili et intime amabili WOLBERONI Sancti Pantaleonis abbati frater GERODHENSIS cœnobii dictus abbas non modo cellarium, sed et cubiculum sponsi introductum inebriari consummata charitate *ab ubertate domus Dei et torrente voluptatis* ipsius potari in æternum (*Psal.* XXXV).

Scribitis enim et familiari omnibus et sapientia spiritus utentibus humilitate, rogando monetis et monendo rogatis, ut opus vestrum super *Cantica canticorum*, remota penitus omni captatione benevolentiæ vestræ, diligentius consideratum, quidquam tamen mihi videatur, videlicet sive in lucem proferendum sentiam, vel abscondendum et deponendum intelligam, vos scripto certificem; quia nulli me melius credatis quod et consanguinitas stringat ad benevolentiam et sapientia correctionis non deneget sententiam. Et quidem sicut nonnisi his duobus prudentia et benevolentia, omnis intelligens recognoscit cuncta contineri judicia, ita cum benevolentiam certo adesse, prudentiam abesse non sine dolore recogito, illum secutus qui orabat, dicens: *Ut sciam quid mihi desit* (*Psal.* XXXVIII), non sufficiens ferre onus quod imponitis, non immerito subterfugio.

Verum cum hæc omnium etiam otio torpentium sit excusatio et mihi credens et a me id fieri posse sperans, vestra charitas facere moneat, non ut judex, sed ut voto amicus sponsi, dum audio vocem ipsius, suam cordi vestro in libertate spiritus doctrinam subministranti, ad vocem sponsi vos utentis pro organo, in charitate veritati congaudenti congaudeo, et opus istud non abolendum, imo ad gloriam Dei, gloria enim revelare sermonem (*Tob.* XII), et ad utilitatem Ecclesiæ Dei illarumque institutionem quibus scribitur, manifestandum omnimodis censeo. Revera et fide catholicum, et moribus instruendis, omnis Christianus bene in domo Dei vivere disponens, judicabit aptissimum.

Moleste aliquantum vos accepisse comperi, quod codicem subito perfectum non remisi, sed impedimento fuerunt aliqua, tum quia nulla res festinata simul et examinata esse potest, quod et a vobis didici, cum in novum pene presseritis annum; quare cum diligentia scriptum, cum negligentia non judicari legendum. Ad hoc accessit quod fratres nostri contra voluntatem quidem vestram, sed me volente et super hoc gaudente certatim hunc rapuerunt et sedulo et diligenter legerunt, et studio lectionis commendabilem reddiderunt, sed ita tamen ipsius lectionem mihi etiam et nolenti aliquam subduxerunt. Nunc vero et non sine diligentia perlectum, vobis omnibus in Christo legere communicandum remitto; superest, ut cui laborem judicastis participandum, non negetis fructus participium. Vale.

PRÆFATIO GENERALIS

WOLBERONIS

IN CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS.

In sancta Scriptura multa dicuntur cantica quæ diverso causarum genere differentia, nunc generaliter, nunc specialiter pro loco et tempore sunt decantata; loco, quia vel in patria vel in aliena terra; tempore, quia vel in pace vel in captivitate. Dicitur enim *Canticum Moysi*, *Canticum Annæ*, *Canticum Habacuc prophetæ*, vel alia hujusmodi; sed hæc omnia simpliciter cantica. Hic autem dicuntur *Cantica canticorum*, eo quod omnia canticorum genera mystici intellectus majestate præcellant.

Et alia quidem cantica habent causam quare fuerint decantata, sicut Moyses decantavit *canticum laudis* pro victoria celebrata, quando submersus est Pharao cum curribus et equitibus suis in mari Rubro. Anna quoque canticum Domino cecinit, pro collata fecunditate sublato sterilitatis opprobrio. Ezechias quoque canticum cantavit pro reddita sibi sanitate. Ergo cantica singula cuique fuerunt gratiarum actio pro beneficio sibi a Deo collato. Istud vero canticum summæ illius perfectæque charitatis repræsentat harmoniam, qua sopitis omnibus rerum mundanarum curis, anima quæque fidelis

Digitized by Google

Creatori suo veluti sponsa sponso ineffabili amoris dulcedine conjungitur, in cujus complexibus tanta pacis et quietis suavitate commoratur, ut nihil sit quod præter eum cupiat, nihil quod tam magnificæ gratiæ præponat, quia nihil certe est quod spiritui resistat, qui calcato carnis bello cum subjugata sibi carne, eadem felici concordia in Christo sabbatizet. Magna quippe pars et optabile Sabbatum, id est requies est, quando caro non concupiscit adversus spiritum, sed sedato vitiorum tumultu, tanta internæ tranquillitatis dulcedine mens perfruitur, ut nihil aliud quam Dominum desiderans, velit et possit *Canticum canticorum* dicere, hoc est veram et perfectam charitatem habere. Omnibus enim virtutibus supereminet charitas, sicut *Canticum canticorum* omnia supergreditur cantica. Ascensiones autem in corde sunt disponendæ, ut quasi quibusdam gradibus perveniatur ad cantanda *Cantica canticorum;* ut sicut qui ingreditur sancta adhuc multa habet necessaria ut possit ingredi Sancta sanctorum; et qui celebrat Sabbata longe altioribus indiget, ut pervenire possit ad Sabbata sabbatorum: sic qui canit cantica, ad majora semper debet proficere, ut possit cantare *Cantica canticorum.*

Septem quippe cantica in divina reperiuntur pagina, quorum decantatorum causæ, mystice nobis quasi per quosdam gradus indicant animæ profectus, qui reguntur per gratiam septiformis Spiritus. Exeundum namque est de Ægypto hujus mundi et transeundum mare Rubrum per baptismum, vel per lacrymas pœnitentiæ, ut submerso vitiorum satellite primum decantemus canticum cum Moyse: *Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* xv). Deinde relicto sæcularium negotiorum tumultu perambulanda est spiritualis solitudo donec inveniamus puteum quem foderunt patres, quorum doctrinis et exemplis informati, ad recte vivendi modum secundum concinamus canticum quod cecinerunt filii Israel pro invento puteo. *Ascendat*, concinebant, *puteus quem foderunt principes et præparaverunt duces multitudinis in datore legis et baculis suis* (*Num.* xxi). Cumque ad vicinium terræ promissionis venerimus, ad possidendam ipsam beatam terram nos præparantes, et nobiscum spirituales et carnales invitantes, tertium cum Moyse decantemus canticum: *Attende, cœlum, et loquar; et audiat terra verba ex ore meo* (*Deut.* xxxii). Sed ut hanc terram spiritualiter inhabitare possimus, depugnandi sunt hostes animæ, contra quos tota intentione militandum nobis est, ut his effugatis, quartum cum Debbora concinamus canticum: *Salvatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit* (*Jud.* v). Superatis tunc hostibus, quintum cum David canticum pro evasione et liberatione nostra Domino decantemus, quod videlicet canticum David cecinit, quando liberatus est de manu omnium inimicorum suorum et de manu Saul et dixit: *Dominus, petra mea et robur meum et salvator meus* (*II Reg.* xxii), et reliqua. Postquam videlicet repressis spiritualium adversitatum motibus omnibusque sæcularium rerum postpositis curis, optata tandem mentis quiete positi fuerimus, surgendum et properandum est profectibus animæ ad promerendos illius cœlestis Sponsi amplexus, cujus intentionis canticum sexto loco cum Isaia cantabimus: *Cantabo dilecto canticum patruelis mei vineæ suæ* (*Isai.* v). Processu videlicet hujus angelicæ conversationis cum in tantam celsitudinem pennis sanctæ contemplationis evolaverimus, ut jam in ipsius Sponsi amplexibus commorantes cum Apostolo dicere possimus: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* iii). Tunc demum septimum decantabimus canticum, quod non tantum canticum sed *Canticum canticorum* dicitur, quando ab omni opere sæculari feriantes, cum ipso sponso jugi quiete sabbatizare cœperimus.

Tria autem sunt consideranda in hoc libro: materia, intentio, finalis causa. Materia est sponsalia Christi et Ecclesiæ, sive cujusque fidelis animæ, quæ constant vera et perfecta ejus dilectione, quæ videlicet dilectio demonstratur mortificatione vitiorum et delectatione virtutum atque observatione ipsius mandatorum. Intentio est legentes et audientes hortari ut ita studeant Christo per charitatem adunari, ut digni sint sponsæ vocabulo nuncupari. Finalis causa est summum inde consequi bonum quod Deus est, de quo bono scribitur: *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis* ascenderunt ea *quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* ii).

Attendendum videlicet in hoc libro nihil secundum litteram carnaliter intelligendum, sed totum ad spiritualem sensum referendum, quia *littera occidit, spiritus autem vivificat* (*I Cor.* iii). Nam quia Deus per se humano cordi loquens, capi non poterat, per ænigmata misericorditer movet et revocat, et per res cognitas latenter ei amorem rerum incognitarum insinuat, ut dum allegorice alloquendum esset per exteriora quæ cognosceret intelligeret interiora, quæ amare et servare debet. Nam hic quasi amoris corporei verba ponuntur ubi oscula, ubera, genæ, femora nominantur, ut a torpore suo anima per sermones consuetos discussa recalescat et per verba amoris qui infra est excitetur ad amorem qui supra est. In quo non irritanda neque contemnenda est descriptio sacra, sed misericordia Dei consideranda, in hoc et amplior, quia ut nos ad amoris sacri amplexus accendat, usque ad infirmitatis nostræ verba se inclinat. Sed unde se locutione humiliat inde nos intellectu exaltat, quia ex sermone hujus amoris discimus, qualiter in Divinitatis amore serviamus. Valde aut solerter intuendum est, ne cum exteriora audimus, ad ipsa exteriora sentiendo remaneamus et machina quæ ponitur ut levet, ipsa magis opprimat et gravet. Debemus ergo in verbis exterioribus quidquid est intus quærere et loquentes de corpore extra corpus fieri,

Digitized by Google

debemus ad nuptias sponsi et sponsæ cum intellectu charitatis (cum *veste nuptiali* venire, ne si ista careamus, *in tenebras exteriores* [*Matth.* XXII]) in cæcitatem ignorantiæ repellamur.

Sciendum præterea quod Salomon tres edidit libros, primum *Proverbiorum*, secundum *Ecclesiasten*, tertium *Cantica canticorum*, qui singuli singulis tribus philosophiæ supponuntur partibus, videlicet Physicæ, Ethicæ, Logicæ, hoc est naturali, morali, rationali scientiæ. In *Ecclesiasten* nempe de naturali rerum statu disputat; in *Proverbiis* de morum honestate perorat; in *Canticis canticorum* de rationabili divinorumque mysteriorum dispositione decantat. His enim tribus modis quasi quibusdam gradibus mentis profectus ducitur, hoc est naturalitate, moralitate, rationalitate. Naturalitas est rerum ordinabiliter conditarum spectabilis variatio; moralitas honestæ vitæ informatio; rationalitas spiritualis divinæque scientiæ optabilis assecutio.

Sane ex naturalitatis consideratione, dum attenditur quantæ pulchritudinis, quantæ utilitatis, quam decenter, quam rationabiliter, et quam ordinabiliter creata sint disposita, quam immutabiliter, loco et tempore jussas servet vices, satis perpendi potest, qualis et quantus, quam speciosior, quam sublimior, quam potentior; ac ideo quam juste colendus, quam digne adorandus sit ipsius creaturæ conditor Deus. Unde Apostolus: *Invisibilia*, inquit, *ejus a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles* (*Rom.* I). Non ergo excusari poterit homo, quia hujusmodi consideratione deducitur ad cognitionem Creatoris et fidem quæ credit vera esse quæ promittit Deus justis comminatur injustis, atque ex hoc prius timore compungitur post amore.

Primo namque timore surgit ad moralitatis honestatem, donec processu conversationis ipsa moralitas assumitur per charitatem, quæ *foras mittit timorem* (*I Joan.* IV). Cum enim homo omni terrena creatura excellentior sit; ipsa autem creatura tantæ, ut diximus, pulchritudinis sit, nimirum perpendere poterit, quam longe pulchrior futurus sit, si per mortalitatis decorem Creatori suo adhæserit. Ad imaginem quippe et similitudinem Dei factus est homo (*Gen.* II) qui ex duabus substantiis, hoc est anima et corpore concretus: similitudinem habet Dei ex eo quod vivit et inter reliquas creaturas valde bonus dicitur, ipsa corporis habitud ne ad cœlestia suscipienda et terrena calcanda, originaliter evectus. Sed quia sicut ipse Deus nec crescentibus creaturis crescit, nec decrescit, cum tamen in omnibus sit; sic nec anima minutis membris minuitur, nec adauctis augetur et tamen est in omnibus.

Porro imaginem Dei habet ex meliori portione, scilicet anima, quæ viget ingenio, ratione, intellectu, in quibus profecto Dei ostenditur imago, qua ei conformatur per moralitatis honestatem ut, *sicut portavit imaginem terreni* terrena diligendo, *portet et imaginem cœlestis* (*I Cor.* XV), cœlestia ardenter exquirendo et exercendo. Non enim pueriliter cogitandum quod Deus qui incorporalis et incomprehensibilis est, aliquibus corporalibus lineamentis comprehendi possit, ut habeat imaginem ad quam factus sit homo, sed imago ejus est ratio humanamenti insita, qua differt ipse homo ab irrationabilibus, quaque discernit justum ab injusto, honestum ab inhonesto, utile ab inutili, qua denique reprimit bestiales animi motus, ne corrumpant mentis integritatem; quod si fragilitate aliqua impellente corruperint, denuo duce eadem ratione per sanctæ moralitatis studium reformare possit.

Quo studio moraliter homine instituto rationalitatis illum gratia dignanter provehit, qua sui ipsius et Dei cognitionem accipiat: sui quidem qua perpendet quid sit, et unde donum quod accipiat, quod non suo merito sed Dei gratia salvatur, *in libertate gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII) assumptus sit: porro Dei, qua intelligat nihil melius, nihil potentius, nihil sublimius Deo, quem solum scire, timere, venerari, diligere et colere tota animi virtute debeat. Et hæc est *sapientia quæ non introibit in malevolam animam, nec habitabit in corpore subdito peccatis, quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate* (*Sap.* I).

Virtus ergo moralitatis assumit gratiam rationalitatis, quia mens quæ Deo per disciplinæ honestatem appropiat, magis scientiæ ipsius subtilitatem considerat, juxta Jacobi vocem qui suos auditores hortatur, dicens: *Appropinquate Deo et appropinquabit vobis* (*Jacob.* IV).

Hunc triplicem animæ profectum Psalmista precatur, dicens: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* (*Psal.* CXVIII): primo namque bonitatem, deinde disciplinam, tertio loco ponit scientiam. Deus enim naturaliter bonus existens hominem naturaliter bonum condidit, quoniam ad imaginem et similitudinem suam fecit, data ei ratione qua posset discernere bonum et malum, sed ipse horum alterum bonum non a se, sed a Deo posse intelligens, bonitatem se doceri postulat ut per naturalitatis bonitatem affectu sanctæ moralitatis disciplinam, per quam proficere possit ad illam incomprehensibilem et divinam rationalitatis scientiam, hujusque profectus ordinem toto mentis desiderio semper flagitans proclamat, *bonitatem*, inquiens, *et disciplinam et scientiam doce me*. Ac si aliis verbis dicat: Quia me, Domine Deus, naturaliter bonum condidisti; qualiter ipsum bonum naturæ non meo vitio corrumpatur, sed tua gratia propagetur, doce, quatenus hoc modo velim et possim tuo adjutorio recte vivere et recte vivens tuorum mysteriorum arcana mentis arce penetrare.

Huic igitur tertiæ parti quam rationalitatem diximus iste liber subscribitur propter excellentiam sacramentorum quæ in Christo et Ecclesia, sive in qualicunque, Deo dilecta animi imbi decantantur qui

Digitized by Google

et merito inscribitur hoc nomine quod est *Cantica canticorum*, quia omnibus canticis perfectius et sublimius quasi quodam privilegio spiritualis harmoniæ insignitus mystica intonat. Nam si subtilius consideres omnia fere Christi et Ecclesiæ sacramenta in eo decantari intelliges. Namque ut verbi gratia dicam, in ipso cantici principio dum dicitur ex persona Ecclesiæ : *Osculetur me osculo oris sui*, adventus Christi per carnem optatur, quasi aliis verbis Ecclesia dicat : Qui mihi quondam per ora prophetarum tuorum cæterorumque Patrum locutus es, jam nunc te ipsum præsentialiter secundum carnem natus offer, et proprio ore mandatorum tuorum decreta mihi porrige. Passionem quoque Christi et resurrectionem eo loco denotat ; ubi dilecta loquitur *fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*, ac subinde, *botrus cypri, dilectus meus mihi* (*Cant.* I), ubi per myrrham amaritudo passionis ; per botrum dulcedo resurrectionis exprimitur. Et alibi : *Fuge*, inquit, *dilecte mi, et assimilare capreæ aut hinnulo cervorum super montes aromatum* (*Cant.* VIII) ; per capream hinnulumque ascendentis in cœlum Domini potentiam insinuans. In grege detonsarum ascendentem de lavacro (*Cant.* IV, VI), populus baptizatorum onera peccatorum deponentium accipitur, in gemellis fetibus gemina charitatis, in oculis vero, dentibus, genis, capillis, cæterisque quæ ibi nominantur membrorum compositionibus, spiritualis ornatus et compositio sanctæ Ecclesiæ, sive cujuslibet sanctæ animæ describitur. Hæreticorum ibi pravitas, doctorum suavitas denotatur, et ut totum comprehendamus, quidquid in sancta Ecclesia generaliter vel specialiter agitur vel actum celebratur pulcherrimis allusionibus decantatur, ut merito tali nomine, quod est *Cantica canticorum* iste liber pro sui excellentia appelletur.

Igitur nostrum in hoc opere propositum est ipsorum sacramentorum rationalitatem ut possumus investigare ; maxime vero ad ædificationem vestram, sanctæ sorores, moralitatem inspicere et vestrum in amore sponsi vestri Domini Jesu Christi animum excitare.

Totum vero librum in quatuor divisimus tomos, propter quatuor periocharum recapitulationum subdistinctiones quæ signantur capitulo hoc tertio repetito : *Adjuro vos, o filiæ Jerusalem, per capreas cervosque caprarum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam quoadusque ipsa velit.*

Harum ergo periocharum prima est ab eo quod ait : *Osculetur me osculo oris sui*, usque : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem*, secunda ab eo quod dicit : *Vox dilecti mei ; ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens colles*, usque itidem : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem.* Tertia prolixior quæ sic incipit : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum*, usque ad tertiam adjurationem : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem.* Quarta. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens*, usque ad finem.

Harum sane quatuor partium decantationes in quatuor distinximus libellos : vel propter quadrigam Aminadab evangelicam, sive moralem quæ constat quatuor virtutibus cardinalibus, quam sponsa turbata expavit, vel ut moneatur animus moralitati, studens quadratus esse debere virtutibus, ut sicut quadratum quocunque utitur stat ; sic ille nec elevetur prosperis, nec dejiciatur adversis, sed veluti lapis quadratus in ædificio Domini positus, mortificatione vitæ carnalis Christi passioni conformetur, crucis suæ bajulus, *ut* possit *comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum* (*Ephes.* III). Cujus comprehensionis virtus sola perfectorum est, qui *in charitate radicati et fundati* (*ibid.*) ita Creatori suo inhærent ut *Canticum canticorum* amplitudine charitatis jugiter decantent in quibus hæc quadratura charitatis consistit. Longa enim in sanctis est charitas, quia non horaria sed perseverans et continua ; lata, quia etiam usque ad inimicos extenditur ; alta, quia propter spem et remunerationem vitæ æternæ habetur ; profunda, quia etiam Dei secreta penetrat ; *nemo* autem *cognovit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei* (*I Cor.* II), per quem ipsa charitas in sanctorum cordibus diffunditur (*Rom.* V).

In ipso quoque capite vero exemplari nostro Domino, id est Christo, hujus quadraturæ pulchritudo delectabiliter refulget, figurata in passionis suæ genere, crucis videlicet specie. A summitate quippe crucis usque deorsum longitudo charitatis ejus exprimitur, de quo Joannes dicit, quod *cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (*Joan.* XIII) : latitudo vero a dextera in sinistram porrecta ad dilectionem inimicorum protenditur, pro quibus supplicans : *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII) ; sublimitas in tituli inscriptione attenditur : vix enim considerare potest altitudo benignitatis ejus, qua nos regit, fovet et custodit ; profundum per partem terræ infixam, quæ cætera sustinet, abyssum judiciorum Dei occultat, quia cum tanta Deus egerit et passus sit pro salute hominum, cur hunc assumat, illum repellat, inscrutabile et investigabile est.

Vos igitur, o dilectæ sorores, cum Domino crucifixæ mundo, discite comprehendere cum omnibus sanctis, longitudinem, latitudinem, sublimitatem et profundum charitatis, quatenus in thalamum Domini nostri sponsi vestri cum accensis lampadibus, hoc est bonis operibus introductæ, canticum illud novum solis virginibus cantandum, vere Canticum canticorum valeatis jugiter ante thronum Dei decantare.

Sed jam nunc ad ipsius seriem libri veniamus, hoc præmonentis, ut si quem movet quod ultra mensuram sermo porrigatur, et explanationis modum supereffluat oratio, noverit nos non tantum explanandæ gratia id opus assumpsisse ; sed hac potius intentione, ut inde nobis materiam superemus, unde sanctarum sororum religioso desiderio, quibus non potuimus verbis, saltem satisfaceremus scriptis.

Digitized by Google

D. WOLBERONIS ABBATIS

ORDINIS S. BENEDICTI

IN CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS.

LIBER PRIMUS.

2 VERS. 1. — *Osculetur me osculo oris sui.*

Si Filius Dei Verbum Dei est, de quo dicit Joannes: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I), profecto et os Dei, quia ore verbum profertur, idem Filius Dei abunde accipitur. Osculum non inconvenienter Spiritum sanctum accipere possumus, quia pax et charitas quæ per osculum significantur, per Spiritum sanctum dantur, in quo fit remissio peccatorum, per quem reconciliamur Deo, per quem datur distributio donorum qua conjungimur Deo (*Rom.* V). Sed Patris et Filii et Spiritus sancti sicut indivisa est substantia, ita quoque et indivisa operatio, et in tota Trinitate quamvis sit in personis distinctio, una tamen et eadem est voluntas et operatio. Osculans ergo, et os, et osculum, tria unum operantur, id est charitatem in cordibus eorum, qui hoc osculo participant, quia, ut diximus, una est operatio Patris et Filii et Spiritus sancti, et osculum oris, id est Verbi, quod est Filius, osculum et est osculantis, id est Patris, quia Spiritus sanctus est Patris et Filii, et osculum est gratia et pax et charitas hujus individuæ Trinitatis. Per osculum ergo oris osculantis, id est per Spiritum sanctum, Patris et Filii, quorum est una substantia, una majestas, una virtus, una potentia, una voluntas, una operatio; primum quidem datur peccatorum remissio, osculo pacis, osculo reconciliatorio; deinde donorum distributio osculo charitatis, osculo contemplatorio.

Hoc ergo geminatæ gratiæ osculum, ordine suo universaliter sancta Ecclesia, sive particulariter quælibet sancta anima expetit a Domino Creatore suo, perpendens et considerans creatricem Trinitatem, quæ ubique præsens est per divinitatis potentiam, non adesse per inhabitationis gratiam, quæ ubique non est nisi per dilectionem, per quam cognoscitur inhabitatio divinitatis, et e converso per inhabitationem divinitatis dilectio: atque ideo postulat sibipo rrigi osculum, primo, ut diximus, reconciliatorium per remissionem peccatorum, ut deinde promereri possit osculum contemplatorium per gratiam donorum. Sed cum probatio dilectionis exhibitio sit operis, profecto per exhibitionem operis agnoscitur inhabitantis gratia divinitatis; quia dilectio operans et operatio diligens est osculum oris osculantis, id est tota menti inhabitans gratia Trinitatis **3**. Unde dicit Dominus in Evangelio: *Si quis diligit me sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV).

Dicit ergo: *Osculetur me osculo oris sui.* Ac si aliis verbis dicat: Ipse creator meus per gratiam suam ad hoc cor meum accendat, ut eum diligam, diligens operatione placeam, placens inhabitatione ejus dignus efficiar.

Sive ut ad solam Filii personam referamus mysterium incarnationis ejus, Ecclesia exoptat quatenus per se ipsum loquentem audiat, quem hactenus per ora Patrum audierat. Verbum quippe incarnandum, primo præceptorum sive sacramentorum suorum arcana in lege et prophetis promisit, quod veniens postmodum ipse implevit et immutabiliter observanda, quasi manus suæ appositione signavit: unde per prophetam dicit: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego qui loquebar, ecce adsum* (*Isa.* LII).

Locutio sane illa qua loquebatur per legem et prophetas, quasi per instrumentum, obscura et indeterminabilis fuit; sed ipso veniente et per se loquente, determinabilis et plana est effecta; quia præsente veritate, necesse erat umbram cessare. Sed quia præcedens locutio, sive per angelum, sive per hominem, sive per aliam aliquam creaturam multis modis facta est, hoc est vel voce, vel signo, vel operatione, vel visione, vel solo tactu cordis; sequens per ipsum mediatorem Dei et hominum; dicit B. Apostolus, *quia multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* (*Hebr* I); profecto sicut artifex longe melior est instrumento, sic ista novissima locutio, quoniam ipse per se Filius Dei protulit, longe dignior et optabilior est illa locutione qua in Patribus velut in instrumentis utebatur. Novissima ideo, quia post illam non potuit, nec poterit firmius vel certius aliquid dici vel scribi.

Hujus ergo locutionis suavitatem utpote veram veritatis veritatem suo sensui revelandam, toto animi ardore sancta flagrans Ecclesia proclamat, *osculetur me*, inquiens, *osculo oris sui.* Osculum autem pacis sive dilectionis est signum: et de hoc vero pacifico Domino Jesu Christo scriptum est, quia *veniens evangelizavit pacem his qui longe et his*

Digitized by Google

qui prope erant (*Ephes.* II). Quam vero pacem? Nimirum illam, quæ dissolvit inimicitias inter Deum et hominem, quam sancti prophetæ annuntiaverunt quidem, sed dare non potuerunt. Hic autem *magni consilii Angelus* et *Princeps pacis* (*Isa.* IX), et annuntiavit et dedit. Unde merito ejus præsentiam, allocutionem et affabilitatem sancta suspirans Ecclesia, ipsius colloquio quasi pacifici oris osculo pacem veram et integram serentis et dantis votis omnibus optat perfrui, dicens : *Osculetur me osculo oris tui*, ac si dicat : Ipse mihi per se exhibeat, quod sancti Patres ✠ exhibendum, olim dictis, scriptis et signis firmaverunt.

Et quare magis hoc optet, subdit causam, *quia meliora sunt*, inquiens, *ubera tua vino*, hoc est nutrimenta evangelicæ lenitatis melius et citius saluti meæ consulunt, quam legalis sententiæ austeritas, vel philosophorum tumens et inanis loquacitas ; de quo plenius tractabitur versu secundo.

Moraliter vero dilecta Deo anima adepto jam illo nobili et incomparabili cælibatu et in sponsi sui Creatoris et Redemptoris sui secreta et humanæ menti inaccessibilia Sancta sanctorum intromissa, lætabunda ; *osculetur me*, inquiens, *osculo oris sui*. Unde autem hæc tanta, talis, tam fidenter et sublimiter præsumes proclamatio? nimirum *de puro corde et conscientia bona et fide non ficta* (*I Tim.* V). Hæc enim est assequendæ perfectionis ratio, scire quid, qualiter, quare, id est materiam, intentionem, utilitatem operandi. Considerandum quippe magnopere est quid agas, qua intentione, quo fructu. Nam omnis actio corde concipitur, intentione nutritur, fide perficitur. Si quidem si quid boni inchoas, ipsius Domini intentio judex erit, quia *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit ; si autem nequam, tenebrosum erit* (*Luc.* XI). Porro ipsum opus fides aut destruit aut provehit. Credit enim aut non credit Deo promittenti suo cultori ea *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis* ascenderunt (*I Cor.* II). Qui enim infidelis est, infideliter agit, et qui fidelis est, fideliter agit.

Potest enim fides trifariam dividi, ut dicatur fides mortua, ficta, probata. *Mortua fides* dici potest, quæ secundum Apostolum *sine operibus est* (*Jac.* I), quæ insensibilis quasi animam non habens, id est charitatem, ad nullum opus bonum vegetatur vel movetur. Ficta vero est, quæ in charitate non radicata, juxta vocem Dominicam, *in tempore credit, et in tempore tentationis recedit* (*Luc.* VIII). Probata vero fides est, quæ nullis tribulationibus, nullis adversitatibus deficit, eo quod in charitate firmiter radicata sit.

Studeat ergo fidelis anima et prudens *fide non ficta* servare charitatem *de corde puro et conscientia bona* (*I Tim.* I), quod est interioris habitus perfectionis, quem habitum sola efficit *charitas*, ea quæ *perfecta foras mittit timorem* (*I Joan.* IV); quam approbant hæc tria : cor purum, conscientia bona, fides non ficta, quæ tamen ex ipsa charitate proficiscuntur. Quis enim *omni custodia servat cor suum* (*Prov.* IV), ut habeat bonam conscientiam, nisi ex charitate? Quis vero fidem firmam et inconcussam servat, nisi ex charitate? Sunt ergo hæc tria charitatis probativa, ipsa vera charitas horum effectiva.

Hæc sunt in Evangelio oleum, vasa, lampades, quibus ornatæ virgines non fatuæ, sed prudentes, Sponsi sui Domini ✠ nostri Jesu Christi præstolantur adventum ut cum eo intrent ad nuptias nuptiarum. Quid enim est oleum, nisi opus bonum? Quid autem vasa, nisi conscientiæ ipsorum scilicet operum gestatoria? Quid vero lampades nisi ipsorum operum fervor et splendor? Si enim sancti viri fervent charitate, splendent exhibitione ; ut videntibus sint pro exemplo, operantibus pro luce. Oleum ergo in vasis suis cum lampadibus ferunt, qui opus bonum in conscientia læta et secura tegunt, ea intentione, ut et laudem humanam non quærat, et proximis exemplum bene operandi præbeant.

De corde ergo *puro et conscientia bona et fide non ficta* (*I Tim.* I), dilecta Deo anima scalam sibi erigat, in qua ascensiones disponat, quibus *de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII), ad illud summum bonum, quod est Deus, per charitatem perficiat, formam accipiens ab ipso Sponso suo Jesu Christo, qui *excelsus Dominus super omnes gentes* (*Psal.* CXII), humilis venit inter gentes, ut nos doceret sui humilitatem ascendere, unde primi parentes nostri per superbiam descenderant. Humilitas enim ducit eam per charitatem ad illam Deitatis visionem, quasi *ad tertium cœlum*, ad quod se *raptum* asserit Apostolus *et* audisse ineffabilia *verba, quæ non licet homini loqui* (*II Cor.* XII).

Ponamus, ut quasi primum sit cœlum humilitas, secundum charitas, tertium contemplationis sublimitas. Cum ergo sublevata mens, ad humilitatis virtutem quasi ad primum cœlum surgit, despectis jam, calcatisque omnibus mundi voluptatibus, per *charitatem quam aquæ multæ non* possunt *extinguere; fortis enim ut mors dilectio* (*Cant.* VIII) ; ad secundum ascendit cœlum, cumque in tantum profecerit, ut nihil aliud cogitet, nihil aliud desideret quam Deum, per contemplationem ad tertium sublevatur cœlum, ubi supra se posita, et divinæ sapientiæ occulta demirans dicit : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isa.* XXIX). In quo secreto jam torrente illius ineffabilis voluptatis debriata, lota facie, et purgatis labiis *carbonibus desolatoriis* (*Psal.* CXIX), desideratis Sponsi sui amplexibus immoratur, dicens : *Osculetur me osculo oris sui.*

Sed quæ est hæc confidentia, ut tam repente osculum oris Domini sui expetat, quasi sine ordine et gradu aliquo, ad tam præcipuum et summum accedere ratio non permittat?

Unde considerandum, quia et illa prius inferiora quædam oscula præcesserunt, primo quidem osculum redemptionis, deinde osculum reconciliationis, ad summum vero osculum dilectionis. Et osculum

Digitized by Google

redemptionis, est quasi osculum pedum Domini ; osculum reconciliationis, est quasi osculum manuum ; osculum vero dilectionis, quasi osculum oris. Per pedes quippe quibus de loco ad locum movemur, Salvatoris humanitas designatur, cujus humanitatis dispensatio, videlicet **6** quod spinis coronatus, passus, mortuus, et sepultus est, et resurrexit, in motu et transitu fuit : *Christus* enim *resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI); quia per hanc a captivitate diaboli in libertatem exivit Christi, et juxta prophetam computruit *jugum a facie olei* (*Isa.* X). Quia enim Græce ἔλεος, Latine *misericordia* dicitur et natura Dei est omnibus superferri liquoribus, *misericordia* autem *Domini super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV) ; quando Deus mundum misericordia respexit, jugum captivitatis ejus in adventu Salvatoris computruit.

Pedes autem Redemptoris nostri tunc osculamur, quando humanitatis ejus mysteria fide et devotione amplectimur, humilitatisque ejus, patientiæ et obedientiæ vestigia, in quantum possumus imitamur. Ablata autem captivitate nunquid protinus homo Deo conjungi meruit ? Sua enim culpa per liberum arbitrium, in captivitatem diaboli devenerat, quia dum natura bonus conditus esset, proprio ad malum lapsus est vitio. Quia ergo voluntate et opere Deo rebellaverat, et hoc longe a gratia ejus recesserat, reconciliatione opus habebat.

Præcesserunt ministri Dei sancti Patres nostri, hujus reconciliationis causam agentes, prædicando, exhortando, docendo et præcepta ejus frequenter annuntiando, et eum ab errore quidem liberare, sed perfectæ non potuerunt libertati donare. Successit ipse Creator ejus assumens mortalitatem illius, ut ei suam immortalitatem daret, et *destructo medio pariete, solvens inimicitias in carne sua per sanguinem* (*Ephes.* II), libertate eum donavit osculo Redemptionis, deinde mox eumdem conjunxit sibi osculo reconciliationis, qui de illo divinitatis suæ altitudine se deorsum inclinans, diruptο vetusto peccati chirographo, scribebat in terra novum pacis et reconciliationis hujus testamentum per baptismi sacramentum, in quo data quasi manumissionis gratia, perfectam restituit libertatem et adoptans eum in filium, quem prius nec dignatus fuerat habere servum propter voluntarium peccati jugum, dedit ei manuscriptum hæreditatis hujusmodi, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II). Hoc autem testamentum sive manuscriptum, tenet nunc et tenebit sancta Ecclesia, sive quælibet fidelis anima, ut si verum Patrem Deum cognoscere, habere et amare non destiterit, de tali hæreditate semper secura sit.

Manibus ergo Domini osculum porrigimus quando hujus reconciliationis pactum sive decretum fide et opere observamus, usque in hujus vitæ via, adversario nostro, hoc est Dei verbo consentientes, perpetuam cum eo pacem, juste et pie vivendo habemus.

7 Post reconciliationem vero quasi securitate accepta liberius et jucundius homo divinitati appropinquare cœpit, et juxta quod Jacobus dicit: *Appropinquate Deo et appropinquabit vobis* (*Jac.* IV), quo plus Deo per studium boni operis appropinquavit, tanto sibi propinquiorem Deum per contemplationem fecit, ita ut postpositis omnibus mundi negotiis terrenisque calcatis desideriis, cum Moyse montem conscendens dicat : *Domine, ostende mihi faciem tuam* (*Exod.* XXXIII); in cujus visione delectabiliter hærens, usque adeo ardore divinæ charitatis procedat, ut osculum oris ejus expetat, dicens : *Osculetur me osculo oris sui.*

Igitur non de repente sed paulatim, et quasi quibusdam gradibus, ad ineffabilem illius summæ charitatis dulcedinem veluti ad osculum oris Domini pervenit : ita ut primus sit gradus osculum redemptorium, secundus osculum reconciliatorium, tertius osculum contemplatorium. Hoc enim est etiam tertium cœlum quo Apostolus raptum se asserens, specialis scientiæ gratiam ab isto principali oris Domini osculo accepit, omnibusque per orbem ecclesiis, ejusdem osculi suavitatem prædicando, et ad tantæ sanctitatis perfectionem exhortando pervenit.

Hujus sane trifariam osculi gratiam, mulier illa in Evangelio officioso præsignavit obsequio, quando primum ad pedes Domini devote procumbens, osculando, lacrymis rigando, crine tergendo, peccatorum veniam obtinuit, quasi dato sibi osculo redemptorio dum audivit : *Remittuntur tibi peccata tua* (*Luc.* VII). Moxque acceptis quasi a manu Domini, præscriptis tabulis libertatis osculo donatur reconciliatorio, dum per remissionem peccatorum reconciliatæ Deo dicitur : *Vade in pace* (*ibid.*). Dehinc processu bonæ conversationis, tanto charitatis ardore adhæsit Domino, quasi osculo oris ejus, osculo contemplatorio, ut ipsius Domini laudata sit præconio dicentis : *Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X).

Possumus quoque non absurde hoc triplex osculum accipere fidem, spem, charitatem, ut fides sit quasi osculum pedum Domini, spes manuum, charitas oris ; fide enim salvamur, spe sublevamur, charitate glorificamur. Fide pedes Domini, id est humanitatis ejus sacramenta amplectimur, quod pertinet ad salutem; spe manus Domini attingimus, quibus ad cœlestia promissa speranda ducimur, quod pertinet ad patientiam ; si enim *quæ non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII) ; charitate vero quasi ori Domini osculum porrigimus, dum ab eo æterna beatitudine donamur, quod pertinet ad remunerationem.

8 Dicat ergo generaliter tota Ecclesia, vel specialiter sancta quælibet anima : *Osculetur me osculo oris sui;* osculo, inquit, oris, non ut prius prophetarum vel aliorum quorumlibet doctorum ; sed *sui ;* quia ipse mihi sua doctrina et exemplo formam vivendi instituit, per quam ipsius adjutorio reputio

Digitized by Google

et abjectis omnibus hujus mundi obstaculis et perfecta jam libertate adepta, osculo dilectionis illi jugiter adhæreant, donec assumpta quandoque immortalitate et incorruptione corporis et animæ, immutabiliter et inseparabiliter conjungar, dicamque veraciter, *osculetur me osculo oris sui* : ut quod *nunc* video *per speculum in ænigmate, tunc* videam *facie ad faciem* (*I Cor.* XIII), *cum erit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV). Hæc itaque desidero, hoc quæro, hoc votis omnibus exopto. Quare?

VERS. 2. — *Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.*

Quænam sunt ista ubera tua? Remissio peccatorum, distributio donorum. Hæc me flentem consolantur, hæc me parvum nutriunt et in virile robur producunt : hæc me vocant, attrahunt, mulcent ; quia mihi per Evangelium tuum clamant : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Porro vinum mordacis legis, auctoritate sua me terret, avertit et exasperat; quia clamat : *Oculum pro oculo, dentem pro dente, et quisquis hæc vel illa fecerit, morte moriatur* (*Exod.* XXI). Hæc, inquam, ubera tua valde me invitant, animant et confortantur, propter nimiam pietatis tuæ abundantiam et donorum prærogativam : sed cum ex uno istorum verberum tuorum profluat remissio peccatorum, ex altero distributio donorum ordo est ut prius detur remissio peccatorum, deinde distributio donorum. Verum magnitudo pietatis suæ id quod posterius est, hoc est distributio donorum, et quod prius est, hoc est remissio peccatorum, nonnunquam in quibusdam præcurrere facit, ob hanc videlicet causam, ut magis suscitentur et allaborent vocanti gratiæ tuæ ad percipiendam remissionem peccatorum.

Quod, exempli gratia, in Cornelio centurione considerari potest, in quo præcessit donum gratiæ tuæ in generibus linguarum ; quo magis animatus et quasi certificatus, promptior accederet ad percipiendum fidei sacramentum in remissionem peccatorum. In Paulo quoque apostolo idem donum gratiæ tuæ præcurrit in munere intellectus et discretionis, ad quem cum Ananias missus venisset : *Saule*, inquit, *frater ; misit me Dominus Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas et implearis Spiritu sancto* (*Act.* II). Nunquid istud ejus videre solummodo pertinuit ad illuminationem corporalium oculorum, et non potius ad illuminationem mentis, qua videret et cognosceret 9 veritatem quam impugnabat? Nonne et hoc fuit impleri Spiritu sancto. Ad hoc enim Spiritum sanctum ei nondum baptizato dedisti, ut sciret discernere inter umbram legis quam defendebat et veritatem Evangelii quam impugnabat, relictaque umbra ad veritatem percipiendam, in remissionem peccatorum, ejusdem Spiritus sancti adjutorio alacrior et ferventior accederet. Hæc ergo ubera tua evangelica quæ trahunt ad salutem propter sui lenitatem, meliora sunt illis legalibus institutis, quæ deterrent a salute propter sui austeritatem.

Verum ut altius aliquid considerem, quæ etiam, o dilecte, *sunt* ista *ubera tua*, nisi illorum cœlestium secretorum thorum ineffabilis dulcedo et gloria, de quo dicit Psalmista : *Satiabor dum apparuerit gloria tua?* (*Psal.* XVI.) In hoc ergo mirabile secretarium tuum, postquam munere gratiæ tuæ per contemplationem ascendero, nullis neque allicientium prosperitatum blandimentis, neque deterrentium adversitatum flagellis ab amplexibus tuis avelli potero, *quia meliora sunt ubera tua vino ;* meliora sunt, imo incomparabilia, paradisus ille voluptatis tuæ et manifestatio gloriæ tuæ hujus sæculi voluptatibus et transitoriis honoribus. Qualia autem sunt hæc ubera tua? *Fragrantia unguentis optimis.*

Nam hæc unguenta non quorumcunque uberum, sed tuorum signa, tanta certe suavitate redolentia, ut ipso odore suo, quæ et cujus sint, fiant cognoscibilia. Sed quænam sunt hæc unguenta? Nimirum quæ composuit et componit ille tuus præstantissimus unguentarius sive pigmentarius Spiritus sanctus. Quæ autem sunt species, quibus hæc unguenta conficiuntur? Profecto illæ, quas Apostolus quodam loco enumerans spiritualis fructus appellat, *fructus*, inquiens, *spiritus sunt : pax, patientia, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, obedientia, continentia, castitas* (*Gal.* V).

Quam bona et utilis arbor in horto Domini tales fructuum species producens et pro sui fecunditate gratulabunda proclamans : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini* (*Psal.* LI). Hujus certe arboris cultor Spiritus sanctus est, qui tales sibi fructus assumit ad componenda unguenta quibus fragrent dilecti ubera, quæ illis conferuntur, qui his fuerint delibuti unguentis et possunt dicere cum Apostolo : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II) ; quia talibus datur remissio peccatorum, et distributio gratiarum.

Verum ad hujusmodi unguentorum suavitatem, ex prædictis virtutum speciebus conditorum, nulla humana ratio sine adjuvante gratia proficit ; quia nihil sanctum, nihil rationabile homo quamvis rationis capax incipit vel perficit, nisi efficiente illo ipsorum unguentorum compositore, Spiritu sancto, sua interiori unctione, sicut de eo Joannes suis auditoribus dicit : Et *unctio* 10 *ejus docebit vos de omnibus* (*I Joan.* II).

Nempe talis unctio vera interioris hominis est medicina et fortissimum contra morbos animæ antidotum, quo peccati vulnere sauciam sanat et vegetat, mentem illuminat, ad munera divinæ gratiæ promerenda excitat, postremo tanto hujus dulcedinis vigore perlustrat, ut posteriorum obliviscens et ante se extendens, et super se erigat dicens cum Apostolo : *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III), ubi ab omni miseria libertate adepta, satietur *ab uberibus consolationis Dei*, et epuletur ab introitu gloriæ ejus (*Isa.* LXVI).

Possunt quoque non inconvenienter accipi hujus dilecti ubera, doctrina et operatio Domini nostri

Digitized by Google

Jesu Christi, quibus in humanitate sua mundo innotuit optimis virtutum unguentis et nunc redolentibus, tunc quidem primitias novæ fidei doctrinæ lacte nutriens et operationis virtute confirmans, nunc autem ipsius fidei plenitudinem quasi solido cibo doctrinæ robosans et operationis exemplo ad honestæ vitæ perfectionem informans.

Quæ profecto *ubera* tantæ pietatis et gratiæ unguento redolentia, longe *meliora sunt vino*, id est austeritate regalium cæremoniarum, sive rerum gestarum, utpote veritas umbra ; spiritus vivificans littera occidente : *Nihil enim*, ut ait Apostolus, *ad perfectum addidit lex ; sed omnia in figura contingebant illis ; scripta sunt autem ad correctionem nostram in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* x). Sive meliora vel potius incomparabilia sunt vino, id est voluptate sæcularium dogmatum, quæ cum auditores suos unguento carnalis delectationis inficiunt, ad mortem animæ pertrahunt ; et ita ab oppositio quantum, o dilecte, tuorum uberum consolatione, ad tuam gratiam anima proficit, tantum ab ipsa tua gratia, istorum exitiali confectione deficit.

Oleum effusum nomen tuum : ideo adolescentulæ dilexerunt te.

Mirantur me imperitos, o dilecte, quod te sic laudo, quod tantam pietatis et dulcedinis tuæ gratiam prædico, quod tuum vultum, tuos amplexus tanta aviditate desidero, et scire optant cujus nominis, cujusve sis dignitatis, quem tanti æstimo, tanti judico, quibus, ne de ignorantia sese excusent, eo quod nomen tuum non sit eis annuntiatum, dico quod *nomen tuum* non est occultum, non est absconditum, sed potius manifestum et quasi *oleum effusum*, cujus natura est, ut cum effunditur, magis dilatetur.

Quomodo ergo effusum et dilatatum est nomen tuum ? Non ut quondam tantum *in Judæa notus* es, et tantum *in Israel magnum nomen tuum* (*Psal.* LXXV), sed sicut per alium prophetam **11** dicis : *A solis ortu usque ad occasum magnum nomen tuum in gentibus* (*Malach.* I). *Nomen quod est super omne nomen, ita ut in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philip.* II). *Et non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, per quod oporteat nos salvari* (*Act.* IV).

Et ut eos mecum ad altiora pertraham ut intelligant et noverint, cur tantopere osculum tuum desiderem, cur uberum tuorum suavitate delecter audiant adhuc aliud, et perpendant quare dixerim, *nomen tuum oleum effusum*. Oleum quippe omnibus superfertur liquoribus. Quid ergo per oleum, nisi charitas accipitur, quæ cunctas excellit virtutes ? Nempe nulla virtus sine charitate dici vel esse potest ; quia ubi charitas non est, nulla virtus est. Nam *si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens ; et si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest ; et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (*I Cor.* XIII).

Ecce quantæ virtutis, quantæ excellentiæ putatis charitas est, ita ut absque illa, neque prophetia, neque scientia aliqua, neque fides, neque eleemosyna, neque martyrium aliquid sint ? Quæ autem est ista charitas ? Nimirum tu es, dilecte, sicut testatur ille tuus dilectus, osculo tuo pio inhærens, et in pectore tuo recumbendo dulcedinem uberum tuorum hauriens ; ille, inquam, cœlestis aquila, in ipsa secreta tua pennis sanctæ contemplationis volans, et in te solem justitiæ mentis aciem intendens. Et quid dicit ? *Deus charitas est* (*I Joan.* IV). Tu ergo charitas diceris et es, o dilecte, quia charitas te fecit carnem assumere et in hunc mundum venire et pro humana salute usque ad mortem crucis humiliari ; et *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus* (*Ephes.* II). Te Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnares peccatum (*Rom.* VIII), factus propter nos maledictum, ut nos a maledicto liberares (*Gal.* II). Qualiter autem hoc nomen tuum, nomen charitatis effusum et dilatatum est ? *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus* (*Psal.* CXXXII). Tu es Aaron, id est mons fortitudinis in quo scilicet capite nostro specialiter abundavit hujus insigne charitatis qua *unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV ; *Hebr.* I), illius videlicet exsultationis qua exsultasti, et tantam tuæ charitatis abundantiam ostendi se et ordinem redemptionis nostræ implevisse.

Cujus capitis barba fuerunt apostoli sive apostolici viri, in quos unguenti hujus gratia adeo profluxit, ut tibi tanquam barba **12** capiti sanctæ charitatis ardore usque ad mortem firmiter adhærerent.

Quod descendit in oram vestimenti tui, quod noverunt fideles tui, a prima ætate mundi usque ad istam, in qua nunc sumus, nos *in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* X), qui ora, id est finis hujus vestimenti tui sumus, in quibus omnibus, videlicet et prioribus et præsentibus et futuris istius unguenti, id est charitatis fortitudo laboravit et laborat, et laborabit etiam in ipso fine sæculi sub persecutione Antichristi pro nomine tuo. *Nomen ergo tuum est oleum effusum*, quia *charitas tua diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V).

Et *Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis*. Quia, inquit, tanta est dulcedo uberum tuorum, tanta charitatis tuæ copia, ut magis inveniantur in te lenitas quam asperitas, magis fovens clementia quam feriens sententia, *ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis*.

Quænam vero sunt istæ adolescentulæ, profecto fideles animæ, a lacte quidem infantiæ submotæ, sed necdum soliditatem perfectionis consecutæ ; ideo

Digitized by Google

adhuc imbecilles, et divino adjutorio sustentari indigentes; ac propterea valde te, o dilecte, dilexerunt et diligunt, quia hoc in te attendunt, quod nequaquam refugiant, sed unde magis, magisque ad perfectionis sublimitatem quandoque convalescant.

Solent autem in sancta Scriptura per incrementa corporum designari incrementa mentium, quia sicut in majores ætates per naturam proficiunt homines, ita ad majores animi virtutes per gratiam proficiscunt fideles, unde ad infantiam, id est innocentiam vitæ Petrus suos hortatur auditores, dicens: *Quasi modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem* (*I Petr.* II). In Evangelio quoque Salvator discipulos ad puritatem et simplicitatem vitæ exhortans: *Nisi*, inquit, *conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII). Et Apostolus: *Malitia*, inquit, *parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis* (*I Cor.* V). Psalmista quoque juventutem animæ suæ renovari optans exemplo aquilæ, *renovabitur*, inquit, *ut aquilæ juventus tua* (*Psal.* CII). Quatenus veterem exuens hominem cum actibus suis, induat novum (*Colos.* III), qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate (*Ephes.* IV). Et in libro Sapientiæ morum gravitas senectute mentis exprimitur, cum dicitur: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, cani sunt enim sensus hominis et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* IV).

Potest ergo incrementum bifariam dividi, ut dicatur incrementum *naturale*, incrementum *affectuale*. Et naturale quidem incrementum ascribitur omni corporali creaturæ, quæ vitali vegetatione juxta suam proprietatem naturaliter movetur: 13 porro affectuale soli rationali creaturæ juxta modum donantis gratiæ in præsenti vita tribuitur cujus gratiæ adjutorio contra vitia carnis fortitudine spiritus ad bona et de bonis ad meliora promovetur.

Plerumque autem in divina Scriptura naturale incrementum affectualis significativum est, sicut Psalmista: *Et placebit*, inquit, *Deo super vitulum novellum: cornua producentem et ungulas* (*Psal.* LXVIII). Nam si secundum litteram intelligas, quæ cura Deo de irrationabili jumento cornua et ungulas naturaliter producente? sed si altius juxta mysticum sensum consideres vitulum novellum, accipere potes mentem ad Dominum noviter conversam, et flore bonæ actionis pullulantem quam Apostolus novum hominem, appellat dicens: *Induite novum hominem eum qui renovatur in agnitione, secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Col.* III). Cujus hominis partes constitutivas intra enumerans: *Induite*, inquit, *vos sicut electi Dei viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem et donantes vobismetipsis* (*ibid.*).

Cornua autem hujus novelli vituli, id est hominis novi, non absurde, ut arbitror, possunt accipi animi constantia et fortitudo spiritus, sive spiritus fortitudinis resistens vitiis et peccatis et hujus novi hominis ventilans adversarios.

Porro ungulas ejus quibus terram excitat, nihil impedit, si accipias contemptum sæculi et amorem Dei, quibus terrena omnia abjiciens corpus suum in servitutem redigat, spiritui subjiciendo, ut ei per consensum cooperetur et collaboret in bonorum operum disciplina; quatenus in futura renovatione, sicut fuit laboris ita et remunerationis particeps fiat, quod est ipsum novum hominem duplici stola, corporis videlicet et animæ felicitate donari.

Sive hujus vituli cornua et ungulas intellige sublimes et speciales theoreticæ vitæ excessus, quia sicut cornua et ungulæ, de carne quidem procedunt, sed carnem excedunt, ita vir theoricus cum sit in carne, carnales tamen affectus mente transcendit, dicens cum Apostolo: *In carne quidem ambulantes, non secundum carnem ambulamus* (*II Cor.* X). Et iterum: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III); et alibi: *Sive sobrii sumus, sive mente excidimus, Deo* (*II Cor.* V).

Sed adhuc vitulus iste cornua et ungulas nondum habens, sed producens, novellus est, et necdum in taurinam fortitudinem profecit, quia cujusque credentes anima jam rudimenta sanctæ novitatis arripiens, necdum autem sanctorum Patrum perfectionem consecuta non adolescens, sed per diminutionem adolescentula dicitur, eo quod præ imbecillitate sui ad perfectionis sublimitatem assurgere nequeat, primos autem bonæ operationis flosculos quantum prævalet, producat donec paulatim succrescendo, plenos jam et maturos virtutum fructus ostendat.

Dicat ergo sponsa: *Ideo adolescentulæ* 14 *dilexerunt te nimis*, quia credentium mentes adhuc in fide per gratiam diatim proficientes valde pietatis tuæ dulcedinem, o dilecte, diligunt, quoniam illam pro sui suavitate tuo munere assequi possunt: tuo, inquam, munere, quia sine te nihil possumus facere, ideoque proclamo, et omnes te diligentes mecum proclamare invito: *Trahe me: post te curremus*, etc.

VERS. 3. — *Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.*

Unde autem talis credentis animæ, et ad Deum suspirantis proclamatio sive postulatio? Nimirum ex infirmitatis suæ consideratione, qua se perpendit sine adjuvante gratia sibi sufficere nequaquam posse, quia secundum Apostolum, *non volentis, neque currentis sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX). Qua sententia non destruitur liberum arbitrium, sed potius ostenditur libero arbitrio divinæ gratiæ adjutorium omnino necessarium, sine quo omnis voluntas bene operandi semper inefficax jacebit. Siquidem ex libero arbitrio ad Deum veniendi quivis habet velle, non quidem quod ipsum velle a seipso sit, cum *nec cogitare*, quod minus est quam velle, *aliquid a nobis quasi ex nobis sufficientes simus* (*II Cor.* III).

Digitized by Google

Verba sunt Apostoli, qui omne quod boni potest esse, eadem cogitare *velle et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II), attribuit Deo, non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est bonum cogitare, *velle perficere operatur in* nobis, primum profecto sine nobis secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos prævenit, imitando etiam malam voluntatem sibi per consensum voluntarium jungit, ministrando consensui facultatem vel facilitatem, foris per opertum opus nostrum internus opifex innotescit. Igitur *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX), quando gratuito munere interius operantis gratiæ habemus velle; moveri autem ad cursum sine ipsa adjuvante gratia non possumus; cumque in cursu fuerimus, iterum miserantis gratiæ erit, ut pervenire possimus.

Ista ergo tractio quam sponsa postulat, non est animæ Deum sequi nolentis compulsio, sed potius volentis deductio, quam Propheta in Psalmo precatur: *Deduc me*, inquiens, *in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui* (*Psal.* CXVIII): ac si aliis verbis dicat, quia dono tuæ gratiæ bene operandi habeo voluntatem, deduc me ejusdem gratiæ adjutorio in actionem ut pervenire possim ad promissionem.

Talis sane tractio quatuor modis fit, hoc est per prædicationem, per infirmitatem vel adversitatem, per evidentissima miracula, per persecutionem vel percussionem, hoc benigno Patre intendente, ut faciat voluntarios **15** non salvet invitos, quatenus, dum de malo mutat in bonum, voluntatem transferat, non auferat voluntatem. Nemo quippe salvatur invitus, nam quod legitur in Evangelio: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (*Joan.* VI); item in alio loco: *Compelle intrare* (*Luc.* XIV), nihil impedit; quia profecto quantoscunque trahere vel compellere videatur, ad salutem pius Pater, *qui omnes vult salvos fieri* (*I Tim.* II), nullum tamen indicat salute dignum, quem ante non probaverit voluntarium.

Hac sane dignitatis divinæ prærogativa rationalem singulariter creaturam Conditor insignivit; quod quemadmodum ipse sui juris erat, suæque ipsius voluntatis non necessitatis erat, quod bonus erat, ita et illa quoque sui quodammodo juris in hac parte existeret, quatenus nonnisi sua voluntate aut male fieret et juste damnaretur; aut bona maneret, et merito salvaretur; non quod ei propria sufficere posset voluntas ad salutem, sed quod eam nulla enus sine sua voluntate consequeretur.

Trahi ergo spiritualiter, ad Deum tendens anima optat et orat, non sicut aliquis invitus trahitur, sed quemadmodum cæcus aut fessus cum trahitur non contristatur, imo potius trahenti, quasi se sublevanti et adjuvanti gratias agit, ita et hæc gratias Deo agens, postulat ut qui dedit velle, det etiam posse, cum ejus adjutorio ad id quo tendit pervenire, dicens: *Trahe me post te; curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Sive pronuntians sic: *Trahe me post te*, et ibi distinguens subinferas, *curremus in odorem unguentorum tuorum*; sive sic, *trahe me*, ut ibi distinguas, deinde subjungas, *post te curremus in odorem unguentorum tuorum*, eamdem vim sensus habet, ut trahi per Christum vel currere post ipsum, hoc sit sequi vestigia ejus credendo et operando.

Curremus, inquit. Quis vel qualis iste cursus est, ut esse debet? Profecto non corporis, sed animi; non pedum progressio, sed morum; de qua videlicet progressione cum de beatis in domo Domini habitantibus, qui in hac valle lacrymarum ascensiones in cordibus suis disponunt Psalmista loqueretur, *Ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII). Et quis hujus cursus sive progressionis fructus? *Videbitur Deus deorum in Sion* (*ibid.*). Quæ est enim hujus cursus remuneratio, nisi vera et æterna beatitudo? Quid autem vera et æterna beatitudo, nisi illius summæ et æternæ et consubstantialis Trinitatis contemplatio? Non ergo sola curram, sed te, o Domine Jesu, dexteram meam tenente, trahente et deducente, et quasi mecum currente curremus.

Per quam viam? per te ipsum utique qui dixisti: *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV); per te enim curram ad te propter te. Per te, qui es via, curram prompta; ad te, qui es veritas, curram secura; propter te, qui es vita, curram læta. Nam ideo prompta curram, quia te adjutorem habeo; ideo secura, quia de præmio non dubito; ideo læta, quia te scire et habere hoc meum esse præmium agnosco et credo.

16 Sic ergo curram *non quasi in incertum* (*I Cor.* IX), sed ut comprehendam. Inæstimabilis pretii munus est, quæ in hujus vitæ stadio, per te, et ad te, et propter te currentibus promisisti, quod videlicet per prophetam tuum clamas hujusmodi esse, quod nec *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*Isai.* LXIV).

Curremus ergo, inquit; sed quomodo? *In odore unguentorum tuorum.* Cum plurima et diversa, atque ideo non uno eodemque modo redolentia unguentorum sponsi sint odoramenta, quid est quod singulari numero *in odore*, deinde plurali *unguentorum* dicit, cum potius potuisset dixisse, in odoribus unguentorum tuorum? Nonnihil, ut reor, attendit, quia quomodo et a quibus ipsa odoramenta spargantur, diligenter consideravit. Quis enim iste præcipuus et singularis odor est nisi charitas? Omnis autem virtus, si sine charitate est, jam non est virtus quin potius damnabile vitium, quia omnes virtutes ex radice charitatis prodire debent, sicut in Evangelio Dominus ostendit, ubi qualiter virtus abstinentiæ tenenda sit, admonuit dicens: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi* (*Matth.* VI). Quid est caput ungere, nisi principale mentis in bono opere per charitatis suavitatem fovere? Quid vero faciem lavare, nisi in-

Digitized by Google

terioris hominis habitum ex lætitia bonorum operum festivum et lætum per charitatis dulcedinem exhibere? Ergo nec abstinentia, nec castitas, nec humilitas, nec obedientia, nec aliqua virtus sine charitate aliquid est aut esse potest; quia, quamvis speciem virtutis prætendat, nisi ex dilectione Dei aut proximi procedat, non solum virtus non est, sed etiam coram Deo vitium detestabile, ac per hoc dum quis laudem solummodo humanam exinde capiat semel divini muneris mercede privat. Sed hujus dubiæ virtutis manifestatio in ultimo fiet judicio, quando juxta Veritatis vocem, *in* ipsius judicii *nocte*, hoc est in tribulatione, *duo erunt in lecto uno, duæ molentes simul, duo in agro*, quorum duorum *uno assumpto* ad vitam, *alter relinquetur* ad mortem (*Matth.* XXIV; *Luc.* XVII).

His sane rerum nominibus, hoc est lecti, molæ, agri, tria professionum genera sunt denotata, quia sunt aliqui qui requie mentis cum dilecto sabbatizant, plerique autem actualis vitæ laboribus occupantur, nonnulli vero verbo vitæ audientium corda excolant, sed in unaquaque professione sæpe exitus diversæ intentionis apparet. In uno namque lecto, id est requie contemplativæ vitæ, quæ illorum maxime est qui a curis mundi segregati soli Deo vacant studio orationis, vel sacræ meditationis, ista gemina nonnunquam invenitur intentio, dum sunt aliqui qui hoc pro solo humano favore **17** vel timore exhibent, aliqui vero solo amore et timore Dei exercent. Sic et in activa vita quosdam laborare vel mundi favor vel Dei compellit amor; et verbo prædicationis insistere, vel vitium jactantiæ, vel amor æternæ vitæ ducit plerosque. Unde beatus Augustinus cum de charitate loqueretur *quæ non agit perperam* (*I Cor.* XIII), quæ hujus geminæ intentionis judex est: « Videte, ait, quanta opera facit superbia, quam similia faciat, et quasi paria charitati. Pascit esurientem charitas, pascit et superbia; charitas ut Deus laudetur superbia ut ipsa laudetur: vestit nudum charitas, vestit et superbia; jejunat charitas, jejunat et superbia; sepelit mortuum charitas, sepelit et superbia. Omnia opera bona quæ vult facere et facit charitas, agitat contra superbia et quasi ducit equos suos; sed interior est charitas, tollit locum male agitatæ superbiæ. » Et post pauca: « Noli, inquit, attendere quod floret foris, sed quæ radix est intra radicata est cupiditas: species potest esse bonorum factorum, vere opera bona esse non possunt. Radicata est charitas, securus esto, nihil mali procedere potest. » In omni ergo opere bono cujusque mens charitatis igne flagrare debet, ut virtutibus ex ea quasi aromatibus accensis, fumum suavissimum odoris emittat. Tali igne charitatis Psalmista ardebat, cum dicebat: *Concaluit cor meum intra me et in meditatione mea exardescet ignis* (*Psal.* XVIII). Unde et in lege præcipitur, *ut ignis in altari jugiter ardeat* (*Lev.* VI). Quid enim est altare nisi cor nostrum, in quo Deo per intentionem offerimus quid- A quid boni facimus, vel in quo nosmetipsos mortificatione vitiorum et virtutum exercitio immolamus. In hoc ergo altari, jugiter ignis ardere debet, quia omne opus bonum, nisi ex charitatis ardore procedat, nullum vigorem habet. In alio quoque loco præcipitur *ut oleum semper in domo Domini sit ad concinnandas lucernas* (*Exod.* XXXV; *Levit.* XXIV). Per oleum quippe, quod cunctis liquoribus excellit, charitas accipitur, quæ cunctis supereminet virtutibus. Per lucernas vero opera bona intelliguntur, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Et lucernæ ardentes in manibus nostris* (*Luc.* XII). Domus autem Domini, sive templum, corpus vel mens cujuslibet sancti est, de quo et de qua Psalmista: *Sanctum est*, inquit, *templum tuum mirabile in æquitate* (*Psal.* LXIV). Et B alibi: *Domum tuam decet sanctitudo* (*Psal.* XCII). Apostolus quoque ad credentes: *Templum*, inquit, *Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Et alibi: *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti?* (*I Cor.* VI.)

In domo ergo Domini oleum ad concinnandas lucernas esse debet, quia fidelis quisque qui domus vel templum Dei est, charitatem debet habere materiam, qua ad pietatis studia accendatur.

Apte ergo dilecta Sponso suo loquitur, dicens: *Curremus in odorem unguentorum tuorum;* quia profecto in cursu bonorum operum quivis frustra laborat, si odore charitatis minime fragrat.

Verum in hujusmodi cursu quatuor sunt consideranda, videlicet modus, qualitas, intentio, utilitas. C Cursus **18** vero iste non est aliud, quam vita sancti cujusque. Modus autem perfectus currendi, hoc est vivendi talis cuique esse debet, ut nihil supra, nihil infra, sed media charitate sint omnia constrata (*Cant.* III), juxta præcedentium vestigia Patrum, quemadmodum Scriptura præcipit *ne transgrediaris*, inquiens, *terminos quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII), de quibus Psalmista dicit, quia *novit Dominus viam justorum* (*Psal.* I), ac si dicat: Quoniam via illorum Deo nota est et placet, qui extra discretionem nihil facientes æquo justitiæ libramine vitam suam tenent. Illis enim qui supra et plus juste aliquid volunt aut agunt præcipit Apostolus *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII). De his vero qui infra deficiunt vel tepescunt, scriptum est: *Maledictus omnis qui facit opus Domini fraudulenter* (*Jerem.* XLVIII). Media vero charitate constrata habent studia, qui veluti quatuor illa animalia oculati ante et retro, quorum pedes, pedes recti duabus pennis (*Ezech.* I) geminæ charitatis Dei, videlicet et proximi et sublevantur et corpora sua, id est opera minuunt, ut neque per contemplativam vitam a dilectione proximi recedant, neque per activam a charitate Dei deficiant. Utrobique tam discretum vivendi modum tenent, ut quidquid supra vel infra fuerit perfecta justitiæ regula non recipiat. Unde quidam hujus mundi sapiens dicit:

Digitized by Google

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Ultra quos citraque nequit consistere verum.
(HORAT., *Satir.* I, I, 107.)

Quia ergo Deo displicet omne pondus majus et minus, tali æqualitate vita sua cuique libranda est ut neque sub nimio pondere corruat, neque sub permodico negligens et desidiosus appareat.

Qualitas vero hujus cursus sive cursoris attendenda est, videlicet ut talis sit, qualem describit Apostolus, *in omnibus*, inquiens, *exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ, a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti, quasi morientes et ecce vivimus, ut castigati et non mortificati, quasi tristes semper, autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes et omnia possidentes* (*II Cor.* VI).

Ecce qualibus animi motibus cursus iste exprimitur, qui utriusque hominis, hoc est corporis et spiritus labore perficitur, ut post ipsum expletum cursum sicut in utroque labor fuit et passio; sic in utroque fiat quandoque requies et consolatio quod est duplicis stolæ beatitudo.

Dicunt autem hujus sæculi sapientes quatuor esse qualitatis species **19** quarum prima sit habitus et dispositio; quæ cum sint una species qualitatis, in hoc differunt, quod dispositio est habitus facile nobilis, habitus vero dispositio diutissime permanens. Secunda vero species qualitatis est, quæ fit secundum potentiam et impotentiam; secundum potentiam quidem, quod facile possit in quodlibet accidens naturaliter flecti, secundum impotentiam vero quod non possit in aliud quodlibet leviter non flecti. Tertia vero species est, quam dicunt passibilem qualitatem et passionem, quæ duo sic in una specie discernunt, ut dicant quod passio sit, quæ ad tempus exorta facile commutetur; passiva vero qualitas, secundum quam quales dicimur, perpetuo perseveret. Quæ quidem speciei primæ similis, et quasi eadem esse videtur, sed in hoc differt quod passio est alicujus momentanea susceptio; dispositio vero quam etiam affectionem dicunt, est ipsius accidentis amplificata passio. Porro habitus, cum plurimis rebus et ordine quodam perficiatur, augmentata affectio dicitur; passibilis vero qualitas subito innata et permanens passio. Quartam vero speciem posuerunt in figuris et formis, figuram dicentes quædam rerum lineamenta, formas vero ipsorum lineamentorum pulchritudines et formositates. Hæc vero qualitatis species in uniuscujusque vitæ cursu considerantur secundum diversitatem voluntatis et propositi, in quo continetur qualitas ad aliquod opus animum quocunque modo applicandi

A Per dispositionem quippe sive affectionem transeunt aliqui in habitum, quando aliqui ex occasione vel necessitate, quædam bona opera incœpta processu conversationis in consuetudinem vertunt, et quadam delectatione virtutum semper capiunt incrementa, sicut de sanctis dicitur: *Ibunt de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII). Porro secundum potentiam et impotentiam, nemo est qui in hoc bene constituendæ vitæ cursu non habeat posse per concessæ rationis bonum, et gratiam adjuvantem liberum arbitrium, cui gratiæ assentire et allaborare non habet non posse. Secundum vero tertiam speciem, hoc est passionem et passibilem qualitatem, sunt plerique qui cum verbum audiunt de pœna malorum et gloria bonorum, ad tempus com-
B punguntur, et amore boni operis incalescunt; sed quia ista charitas in eis non est radicata, tempore tentationis refrigescunt. Sunt vero nonnulli qui, cum semel verbum Dei audiunt, ad usum boni operis accenduntur, et quia *in charitate radicati* et firmati sunt (*Ephes.* III), a semel concepto amore non deficiunt, sed usque ad finem vitæ semper boni operis gressum tendunt. Sive dicamus passionem, quando mens ad horam quasi patitur humilitate, patientia, obedientia, suæ non alienæ voluntati reluctando, sed hoc rarissime. Passibilem vero qualitatem, **20** quando permaneuti passione voluntariæ mortificationis, per præscriptas seu alias quaslibet virtutes quotidie atteritur, nullis hujus sæculi voluptatibus consentiendo. At secundum quartam speciem, quam ponunt
C in figuris et formis potest hæc qualitas vitæ considerari quæ juxta exemplum et formam alicujus vitæ instituitur, quemadmodum Jacobus monet discipulos, dicens: *Exemplum accipite, fratres, laboris et patientiæ per prophetas qui locuti sunt vobis in nomine Domini* (*Jac.* V). Et Paulus: *Imitatores*, inquit, *mei estote sicut et ego Christi* (*Phil.* III).

Ea ergo qualitas qua affectio transit in habitum et qua per Dei gratiam velle et posse adjacet, et qua in bono opere non momentanea nec horaria sed perpetua est, vel quæ formam accipit præcedentium Patrum omni bene currere volenti summopere attendenda est ut secundum eam honestatis et disciplinæ quodam fiat speculum, quo lucretur et
D sui laboris præmium et imitantium salutem ac utilitatem proximorum.

Intentio autem eo modo currendi, hoc est recte operandi ista erit, ut nulla animum vanæ gloriæ cupiditas irrepat, sed Dei dilectio sive amor vitæ æternæ causa sint hujusmodi laboris et vigilantiæ.

Est autem ipsa intentio quasi quidam mentis oculus, de quo Salvator dicit in Evangelio: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit etiam corpus tuum tenebrosum erit* (*Matth.* VI). Et in hoc eodem *Cantico canticorum* sponsus sponsæ loquitur: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum* (*Cant.* V). Nonnunquam fiunt aliqua opera, quæ in malam partem interpretantur, ab his qui

Digitized by Google

ignorant, ex qua intentione proficiscantur; sicut et econtrario quædam in bonam partem considerantur, quæ a superno inspectore improbantur, eo quod mala intentione proferantur, quæ non solum non remunerantur, sed potius damnantur, sicut et illa quæ ab ignorantibus damnatione digna judicantur, a justo judice magis remunerantur. Unde et de reprobis dicit Dominus per prophetam : *Populus hic me labiis honorat, cor autem ejus longe est a me* (*Isa.* XXIX). Omnia ergo bona secundum hunc intentionis oculum diriguntur, ut digna sint vel remuneratione vel damnatione : remuneratione, si pro Deo ; damnatione, si pro favore humano gerantur.

Quæ vero sit utilitas cursus vel laboris hujus, exponit Apostolus, dicens : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* V). Et Dominus in Evangelio taliter currentibus clamat, dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos* requiescere faciam (*Matth.* XI). Apostolus quoque non inaniter se cucurrisse intelligens, postquam laboris sui cursum denuntiat, dicens : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi,* **21** subsequitur ipsius laboris fructum confidenter sibi promittens, *de cætero reposita est mihi corona justitiæquam reddet mihi in illum diem justus judex* (*II Tim.* IV).

Utilitas ergo magna et inæstimabilis est ipse fructus vitæ æternæ quæ pro Deo laborantibus in futura vita sine aliquo defectu æternaliter tribuitur; sed quia Ecclesiæ, sive alicui fideli animæ utilitatis hujus fructum, in præsenti quoque vita conceditur prægustare, sequitur dicens : *Introduxit me rex in cellaria sua.*

Non parum dignitatis habet ista introductio, si rite consideretur et persona introducentis et locus et modus introductionis. Neque enim quilibet, sed *rex* est, et non tantum rex, sed Rex regum qui introducit, nec in domum tantum, sed et in cellaria, neque quasi ex abrupto, sed competenti rationis modo fit ista introductio. Nam multi sunt qui regis hujus domum, id est Ecclesiam intrant, sed pauci admodum qui in cellaria possint habere introitum. Aliqui ante foras istorum cellariorum excubare possunt, inspicere valent, sed ingredi non prævalent nisi eo introducente, *qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit ; claudit et nemo aperit* (*Apoc.* III).

Considerandum vero quænam sint ista tanti regis cellaria. Omnis divina Scriptura quæ in duo dividitur Testamenta, in Legem videlicet et Evangelium, divitiarum regis hujus repositorium est, sive apotheca. Hæc autem in trifariam dividitur, hoc est historiam, allegoriam et moralitatem. Etenim Rex iste sapiens, clemens et magna benignitate et providentia sua regens et fovens, eum modum suarum divitiarum statuit, ut in his esset, quod juxta diversorum sensuum capacitatem, et fortes appeterent et infirmi non refugerent.

Multi enim historia delectantur, plerique allegoria pascuntur, nonnulli moralitate instruuntur. Verum quos tanta sui gratia rex iste dignatur, ut eis omnium istorum cellariorum introitum concedat, ut videlicet de historica scientia intrent in allegoricam et de allegorica in moralem, qua putas dulcedine isti pascuntur? quo torrente voluptatis Domini ebriantur? (*Psal.* XXXV.) Talibus nempe Dominus per prophetam pollicetur, dicens : *Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum et oleum, et replebimini in eis* (*Joel.* II).

Desiderabilia hæc hujusmodi cellaria in quibus harum specierum deliciæ continentur, ut panis cor hominis confirmet, vinum cor hominis lætificet, oleum faciem exhilaret (*Psal.* CIII). Frumentum quippe a Domino accipimus quando in dictis obscurioribus subducto tegmine litteræ per medullam spiritus legis interna sentimus. Vinum suum nobis Dominus præstat, cum Scripturæ suæ alta prædicatione nos debriat, oleum quoque suum nobis tribuit, cum præceptis apertioribus vitam nostram blanda lenitate disponit.

22 Libet adhuc amplius, adreverenter attendere, cur has magis species divinæ apothecæ contineant. Si enim illud unum frumenti granum, quod in terra mortuum, multum attulit fructum (*Joan.* XII), consideres, et numerosæ segetis ex eo gloriosæ pullulantem magnitudinem attendas, videbis quam magnifica insignium operum exempla ex historicis apothecis refulgeant, quam dulces mysteriorum medullæ ex allegoricis cellariis redoleant, quam utilia præceptorum documenta ex moralibus repositoriis eluceant.

Pulcherrima comparatio Christi in grano frumenti : in grano quippe medulla folliculo tegitur : quid ergo per folliculum nisi caro Christi? quid per medullam nisi divinitas ejus figuratur? in grano ergo medulla folliculo tegitur, in Christo divinitas carne occultatur : folliculus et medulla unum granum conficiunt, caro et divinitas unam personam Christum Deum et hominem perficiunt. Cum ergo omnia quæ erga hoc frumenti granum, hoc est Christum Deum et hominem gesta sunt, perspexeris, videlicet qualiter hoc granum de cœlesti horreo descendens in terram cecidit et mortuum est, deinde resurgens et in cœlum ascendens in apostolis cæterisque credentibus multiplicatum frumento fidei et justitiæ totum replevit mundum ; qualiter vino prædicationis redundante, austeritate correptionis delinquentes coercuerit ; oleo autem charitatis et misericordiæ pœnitentes lenierit ; hoc enim modo is qui in latrones inciderat a Samaritano illo evangelico curatus est (*Luc.* X). Cum ergo hæc omnia, alia quidem historialiter, alia allegorice, alia vero moraliter, nunc quidem separatim, nunc insimul, hoc eodem triplici modo legeris et intellexeris, atque aliis eadem eodem modo administrare gratia Dei potueris, nonne pro tanto tibi beneficio collato gratanter dicere poteris : *Introduxit me rex in cellaria sua.*

Quæ vero virtutum insignia magis et perfectius

Digitized by Google

quam in hoc grano, id est in hoc Dominico homine fulserunt? nempe quidquid in sanctis de visceribus pietatis, quidquid de mansuetudine spiritus, quidquid de cœlo rectitudinis, quidquid de custodia humilitatis, quidquid de fervore charitatis, hoc ab ipso fonte misericordiæ, ab ipsa radice mansuetudinis, ab ipsa virtute justitiæ, hoc est ab ipso mediatore Dei et hominum Domino Deo traxerunt.

Magis ergo et quasi principaliter hæ tres species in Dominicis habentur apothecis, et quidquid ex Veteris ac Novi Testamenti abundantia redolet, aut est triticum quod perfectos in fide et virtutum exercitio roborat et confirmat; aut est vinum, quod vel sanctos cœlestium promissionum suavitate demulcet, vel peccatores divini judicii austeritate **23** deterret; aut est oleum, quod vel in cordibus sanctorum per charitatem diffunditur, vel pœnitentes per misericordiam consolatur. Unde sancta Ecclesia, sive quæque fidelis et dilecta Deo anima, hujusmodi thesauros sponsi sui, regis et Domini sui omni pretiosa supellectili cunctorum regum et principum meliores, mente considerans et quæ in eis mysteria sive sacramenta contineantur intelligens, recte decantare potest animi voce lætabunda, *introduxit me rex in cellaria sua*. Et talis quidem introductio satis est commendabilis a persona et loco; modus autem hujusmodi introductionis iste est, ut hæc non fiat ad horam, sed cum jure possidendi et veluti sub dotis conscriptione ut tantæ gratiæ collatis sit spiritualis et sanctissimæ dotis assignatio quo confirmetur divinæ et humanæ mentis copulatio.

Hac ergo admirabili introductione celebrata, sequitur competens pro collato munere gratiarum actio, quam agit mens Deo, conjuncta et designatis sibi ab eo bonis participans utriusque hominis motu, *exsultabimus*, inquiens, *et lætabimur in te*.

Videntur aliquo modo differre inter se exsultatio et lætitia, ut talis sit utriusque descriptio quæ dicitur lætitia esse animi solummodo motus, exsultatio vero corporis et animi.

Sancta ergo anima dona in se divinæ gratiæ sentiens debet ea suscipere et servare cum lætitia et exsultatione, et quod sentit mente opere exercere: quia enim « probatio dilectionis exhibitio est operis (Gregorius); » nimirum mens Deo per charitatem juncta, dum lætatur interius de collata sibi intellectus gratia, debet et foriusecus exsultare ad virtutum opera. Unde et in similitudine puerorum in foro ludentium clamant apostoli ad eos qui ad prædicationem eorum nulla opera bona facere volebant: *Cantavimus vobis et non saltastis* (*Luc.* VII). Saltationem quippe spiritus auditores suos habere optabant, ut ostenderent fidem sine operibus otiosam esse (*Jac.* II).

Hanc ergo religiosam saltationem David rex præfigurabat, coram arca Domini ludendo et subsiliendo quia in spiritu longe prævidebat per Christum ex carne sua nasciturum, illud non manufactum, sed cœleste Domini sacrificium fide et operibus quandoque instruendum. Hunc enim pulcherrimum sanctitatis ludum est mirabilis Propheta suo præferebat præludio congrue decenterque, pro tanta futuræ honestatis gratia, quæ per Christum, suum secundum carnem filium erat administranda et confirmanda, lætabatur et exsultabat coram illo typico Domini sacrificio. Et quia rector et dux populi Dei erat, in tali suo facto prædocebat rectores Ecclesiarum, qui sibi subjectis verbo et exemplo præesse debent, coram arca Domini quæ est Ecclesia ipsius saltare debere saltatione spirituali, motu videlicet animi et corporis; ut, secundum Apostolum, exhibeant *corpora* sua *hostiam viventem sanctam*, **24** *Deo placentem* (*Rom.* XII): hostia quidem existentes mortificatione vitiorum, viventes autem exhibitione operum bonorum. Et hoc coram arca Domini, *ut videant opera eorum bona et glorificent Patrem suum qui in cœlis est* (*Matth.* V).

Quia ergo *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X), quod est movere animo et corpore, certum est alterum sine altero esse non posse; unde propheta hortatur: *Levate*, inquiens, *corda vestra cum manibus ad Deum* (*Thren.* III). Corda quippe cum manibus levare est credere et operari; nam qui credit et non operatur, cor quidem levat, sed manus non levat: qui vero operatur, fidem autem non habet, manus quidem levat, sed cor non levat.

Igitur pro illa gratiosa gratiæ Dei introductione ad ineffabilem divinorum mysteriorum subtilitatem, anima sancta Christique sponsa debitam Deo debet rependere gratiarum actionem, cordis et oris jubilatione et operum exhibitione quod est oleum cum lampadibus accipere, et sponso obviam exire, dicendo: *Exsultabimus et lætabimur in te*, quia lætitiam bonorum operum in conscientia gestamus, et hoc in te, quando omne bonum quod agimus, non nostris viribus sed tuæ gratiæ ascribimus. Post introductionem vero illam gloriose celebratam, pro qua gratias agit exsultando et lætando, subdit causam hujusce exsultationis et lætitiæ, *memoriam* scilicet *uberum divinorum desiderabilium super vinum*. Nempe quæ esset illa exsultatio sive lætitia religiosæ mentis digna Deo cogitantis et operantis, si non haberet memoriam uberum istorum, *uberum super vinum*, hoc est super omnem mundi voluptatem dulciorum? Quorum autem uberum? nimirum sive duorum Testamentorum, quibus tota divina constat Scriptura, sive duorum præceptorum charitatis, in quibus *tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII). Sane meditatio divinarum Scripturarum memoriam parit divinorum mandatorum, secus quam recte vivendi regula constat, ad cujus rectitudinem vita cujusque dirigitur, *in justificationibus tuis*, inquit Psalmista, *meditabor, non obliviscar sermones tuos* (*Psal.* CXVIII).

Quomodo enim justus quisque esse vel dici potest, nisi memor sit eorum quæ præcepit Deus, maxime autem uberum istorum, videlicet duorum præcep-

Digitized by Google

rum charitatis Dei et proximi sine qua, sicut dicit Apostolus, nec genera linguarum, nec prophetia, nec notitia omnium mysteriorum, nec fides, nec eleemosyna, nec martyrium (*I Cor.* XII), nec aliqua virtus poterit cuiquam prodesse? nam *quicunque totam legem servaverit, offenderit autem in uno præcepto charitatis, factus est omnium reus* (*Jac.* II).

Quocirca volens ostendere sponsa Christi totam vitæ suæ rectitudinem, circa hujusmodi constare memoriam subsequitur, dicens : *Recti diligunt te;* ac si dicat : probatio rectitudinis **25** est dilectio ; quia si recti sunt, te diligunt ; si non diligunt, nec recti sunt. Sed quia hanc rectitudinem ex memoria quidem tuorum præceptorum concipiunt, ex amore autem tuo perfecte assumunt, dicatur recte, quod *memores uberum tuorum super vinum, recti diligunt te.*

Potest enim non absurde hæc media particula orationis, quæ est, *memores uberum tuorum super vinum*, ad partes altrinsecus positas, per subdistinctionem conjungi ; ut vel hoc modo proferatur : *Exsultabimus et lætabimur in te ; memores uberum tuorum super vinum.* Vel hoc modo : *Exsultabimus et lætabimur in te :* et hic subdistinctione facta, subinferatur, *memores uberum tuorum super vinum ; recti diligunt te.* Memoriam quippe habentes mandatorum Dei, et secundum ea vitæ suæ modum constituentes recti fiunt, et nonnisi recti diligere possunt neque recti sunt nisi diligentes.

Præterea non parum delectat interioris nostri hominis oculos considerare pulcherrimum cantici hujus processum, ab eo loco ubi dicitur : *Trahe me post te*, usque ad istam orationculam, *recti diligunt te.* Quia istius processus ordo, quoddam fit flagitati osculi consecutivum.

Isthic nempe ille benignus septiformis Spiritus quasi quibusdam cordis ascensionibus, septenas suæ dignationis innuit gratias, quibus anima sancta Christi sponsa paulatim exsurgat, donec ad inæstimabile Domini sui, sponsi et regis sui thalamum, æterna ei charitate copulanda proficiat. Primo quippe trahitur miseratione Dei, deinde quasi pedem ad cursum movens primitias bonæ intentionis offert, moxque adhibito studio meretur, ut in cellaria Dei introducatur, cumque ingressa fuerit, intelligendo exsultat et lætatur credendo et operando.

Porro ab hac actuali vita transit ad quoddam principium contemplativæ vitæ meditatione et memoria præceptorum Dei, ad quorum lineam, si quid ei adhuc fortitudinis inest, dirigens, rectitudinis perfectionem assequitur, sicque demum postpositis omnibus curis et negotiis, per contemplationem Deo inhærens, adeo ei ardenti charitate proximus sit, ut possit dicere : *Osculetur me osculo oris sui.*

VERS. 5. — *Nigra sum sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.*

Universaliter quidem tota Ecclesia et particulariter singulæ Ecclesiæ, singulariter quoque unaquæque dilecta Deo anima adversa pertulerunt et pertulerunt a contraria parte, eo quod bonorum malorumque sibi appositæ sint qualitates, qui in diversa et contraria studia dividuntur, quarum partium una dicitur civitas cœlestis, altera terrestris ; una Dei, altera diaboli.

Harum autem typum gesserunt **26** duæ mulieres ; una libera quæ fuit Sara ; altera ancilla quæ fuit Agar mater Ismaelis, cujus filius fuit Cedar, qui interpretatur *tenebræ*, cui nigredo illa assimilatur, quam se dicit Ecclesia, sive unaquæque sancta habere anima, secundum judicium male viventium, cum hanc ipsam recta consideratione non nigredinem sed formositatem potius decernat. Quæ est autem ista nigredo ? persecutio plane, quæ infertur filiis ancillæ ; quæ ideo a perversis et futura bona non credentibus putatur nigra, quia gravis et molesta, et quia patientes eam quasi abjectos et miseros faciat, cum illi magis fiant gloriosi, et intrinsecus propter spem præmiorum futurorum pulchri et formosi gaudio spirituali ; filios enim civitatis illius quæ per Saram, quæ fuit libera signatur, persequuntur filii alterius civitatis, quæ per Agar ancillam ostenditur ; nunc quidem corporaliter mala infligendo, nunc autem spiritualiter animam per malitiam affligendo.

Denique, ludum illum, qui agebatur inter filium liberæ et filium ancillæ Apostolus persecutionem vocat ; sicut inquit : *Is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum ; ita et nunc* (*Gal.* IV) : quia nimirum filios liberæ persequuntur filii ancillæ, non tantum persecutione carnali, sed etiam spirituali, qua conantur eos illa vera libertate privare, qua eos Christus liberavit (*ibid.*), ne serviant peccato ; quemadmodum isti qui sunt filii ancillæ. Quæ profecto persecutio tanto gravior est omni corporali persecutione, quanto melior est illa spiritualis portio carnali anima videlicet corpore.

Unde super tali persecutione indignata illa libera et mater liberorum : *Ejice*, inquit, *ancillam et filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ* (*Gen.* XXI) ; quia profecto ad illam hæreditatem cœlestem non pertinent servi peccati, ad quam pertinent liberi justitiæ. Ecclesia, ergo sive quælibet sancta anima hujusmodi persecutionem parvipendet, utpote supra petram fidei stabilita solis exteriorum persecutionem procellis sæpe concutitur, sed non dejicitur, patientiam habens et exspectans gloriam et honorem et incorruptionem in vitam æternam.

Dicat ergo : *Nigra sum sed formosa* : nigra quidem de me æstimantibus propter temporalem afflictionem, sed vobis, o filiæ Jerusalem, quæ futura bona cognoscitis et creditis, *formosa*, quia quanto temporali afflictione humilior, tanto majori virtutum pulchritudine exaltor. Sed quomodo *nigra* æstimor ? *Sicut tabernacula Cedar.* Cedar filius fuit Ismael, de quo divina vox : *Ille*, inquit, *erit servus homo et manus omnium contra eum, a regione fratrum suorum figet tabernacula* (*Gen.* XVI).

Digitized by Google

Cur autem non dixit *sicut tabernacula* Ismael, sed *Cedar?* quia videlicet Ismael interpretatur *exauditio Dei;* Cedar vero *tenebræ*, et 27 hoc nomen tenebrarum magis congruit opinioni illorum, qui putant *lucem tenebras, et tenebras lucem* (*Isa.* v), et secundum similitudinem patris ejus, hoc est Ismael qui servus erat et non inter fratres, sed e regione fratrum suorum figebat tabernacula, quamdam feritatem et contrarietatem æstimant, hujus mundi abjectionem et veræ philosophiæ laborem.

Qualiter vero *formosa? sicut pelles Salomonis; formosa*, inquit, *sicut pelles;* non cujusquam alterius præpotentis, sed *Salomonis.* Salomon quippe sicut omnibus sui temporis hominibus sapientior et ditior erat, ita etiam et tentoria sua pulchriora et ornatiora ex electis et operosis pellibus habebat.

Pelles autem mortuorum animalium sunt, sed quid sunt pelles mortuorum animalium, nisi virtutes et exempla præcedentium Patrum? Ex virtutibus vero et exemplis sanctorum Patrum præcedentium quasi ex pellibus varia pulchritudine nitentibus, ego quasi unam pellem compacta operosum mei regis, veri videlicet Salomonis, id est *pacifici* Domini nostri Jesu Christi sanguine suo pacificantis omnia quæ in cœlis et in terra sunt (*Coloss.* I); ergo tentorium; ut de me per gratiam Dei digne dici possit; hoc est tabernaculum quod fixit Deus et non homo.

Vers. 5. — *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi.*

Formosa ego sum sicut quæ sum et decor sum pellis veri Salomonis, quod vos, o filiæ Jerusalem, bene nostis, quæ eamdem formositatem meam ad laudem Dei cujus gratiæ est ipsa formositas, quotidie prædicatis.

Quocirca, *nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol:* nolite, inquam, considerare affectionem et habitum meum exteriorem, quem contraxi mihi exustione solis, hoc est æstu tentationis et afflictionis mundanæ, sive ex ardescente charitate veri solis, de quo scriptum est: *Vobis autem timentibus nomen meum orietur sol justitiæ* (*Malach.* IV), qui me tanto fervore sui amoris quasi exussit accidente inseparabili, ut *nec tribulatio, nec angustia, nec persecutio, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec gladius possint me separare a charitate ejus* (*Rom.* VIII). Talis nempe decoloratio magna et gloriosa est interioris mei hominis formositas et exornatio.

Amplius. Nonnunquam aliqua sanctus homo facit, quæ male discernentes in sinistram partem interpretantur, cum ignorent intentionem operantis quam solus Deus judicat. *Sunt enim viæ rectæ quæ videntur hominibus pravæ* (*Prov.* XVI); sicut econtrario, pravæ quæ videntur rectæ; quia oculum illum intentionis non advertunt, secundum quem omne opus aut 28 erigitur aut depravatur. Dicat ergo juxta hunc modum fidelis anima, *nigra sum sed formosa;* ac si dicat: Nigra quidem videor in aliquo actu meo, ab his qui simplicem oculum non habentes in contrariam partem recipiunt, cum magis sim formosa propter simplicem meum oculum ex quo totum corpus meum lucidum est (*Matth.* VI). Sicut et vos, o filiæ Jerusalem, judicatis, quæ me simplici et columbino oculo aspicitis, *nolite ergo me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol:* hoc est, nolite putare corpus meum, id est opus meum esse tenebrosum; quia profecto quod ex veri solis luminosa procedit gratia, totum lucidum est, non habens, aliquam partem tenebrarum.

Amplius. Quælibet anima per pœnitentiam ad Dominum conversa videtur quidem ex pœnitentiæ austeritate quasi nigra propter habitum tristem et lugubrem: sed quia *tristitia hæc secundum Deum est, et pœnitentiam in salutem stabilem operatur* (*II Cor.* VII); et: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V), formosa est; habens in spe, quod juxta prophetam accipiat a Domino *coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris* (*Isa.* LXI). Et sicut quidam sapiens dicit: *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio illius non miscebitur extraneus* (*Prov.* XIV). Dicat ergo talis: *Nigra sum sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis;* quia ex nigredine pœnitentiæ videor primo pertinuisse ad filios ancillæ quorum opera sunt tenebrarum, sed postmodum ipsa pœnitentia talem mihi contulit formositatem, ut jam pertineam ad filios liberæ, qui mortificatione carnalis vitæ veri Salomonis tentoria sciunt et componere et esse. Quapropter *nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol*, hoc est, nolite pœnitentiam meam despicere, quia ut hanc susciperem fecit ille verus sol, qui cor meum radiis gratiæ suæ et misericordiæ penetravit et illuminavit, ut illud bonum generalissimum, ipsum videlicet Deum quem peccando amiseram, pœnitendo reciperem.

Præsentis decantatio Cantici ad vos, sanctissimæ sorores, quæ Christi sponsæ estis et esse debetis non incongrue respicit, pro qualitate propositi et ordinis vestri, quia despectum quidem cultum in exteriori habitu præfertis, sed formosum Deo quia acceptum, ut credimus, interiori mentis habitu conservatis. Unde concordi et suavi concentu cordis et oris sanctæ societatis vestræ universitas proclamet: *Nigra sum sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis: nolite me considerare quod fusca sim quia decoloravit me sol.* Quod est aliis verbis expressius dicere, *quia spectaculum facti sumus huic mundo, et angelis, et hominibus* (*I Cor.* IV). Nigras nos et deformes decernunt filii sæculi hujus *sicut tabernacula Cedar*, id est sicut gentes quæ nigredine malorum mortuæ sunt et Deo et mundo. Porro nos neque favorem neque gloriam 29 mundi quærentes, sed *oleum in vasis* nostris (*Matth.* XXV), hoc est lætitiam bonorum

Digitized by Google

operum in conscientiis gestantes, in oculis Sponsi nostri formosæ et pulchræ existimus, *sicut pelles Salomonis*, id est sicut quæ *mortificationem Jesu in corporibus nostris circumferentes* (*II Cor.* IV), dilecta ei tabernacula in cordibus nostris construimus, de quibus dicere possit : *Inhabitabo in eis et inambulabo* (*II Cor.* VI). Nolite ergo nos considerare quod fuscæ simus, quod sæculi hujus transitoriam et deformem pulchritudinem non habemus, quia hoc effecit ille verus sol qui luxit nobis per gratiam suam fervore valido sui amoris, ut spreta omni hujus corruptibilis vitæ pompa, magis eligamus ei actu et habitu placere quam mundo. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi.*

Postquam Ecclesia sive quælibet sancta anima decolorationem suam exteriorem decolorationisque causam præmissit, *omnes* enim *qui in Christo pie volunt vivere, persecutionem patientur* (*II Tim.* III); subdit nunc aggravationem persecutionis, quod ea non tantum ab extraneis, verum etiam a fratribus, quod gravius est, perpessa sit et perpetiatur. Minorem quippe dolorem ingerunt ea mala quæ ab extraneis inferuntur, plus vero ea tormenta desæviunt, quæ ab illis inferuntur, de quorum mentibus præsumebatur.

Videtur autem hujus particulæ decantatio non simplicem exposcere sensum, quia et Synagoga et Ecclesia et Jerusalem superna bonitas sive potentia Creatoris Matris nomine possunt æquivoce nuncupari. Eadem quoque æquivocatio nomine filiorum, apostolos, apostolorumque successores, Judæos, hæreticos adversariasque potestates complectitur. Pugna quoque talium filiorum non uniformis, quia et in bonam et in malam partem accipitur. Singulæ vero partes singulas habere debent expositiones.

Primitiva namque Ecclesia quæ ex Judæis erat persecutionem patiebatur, ab eis qui non crediderunt Judæis; sicut legimus in Actibus apostolorum, quia *repleti zelo injecerunt manus in apostolos, et posuerunt eos in publica custodia*; et in alio loco : *Cæsis autem denuntiaverunt ne in nomine Jesu loquerentur* (*Act.* V); et in persecutione illa in qua Stephanus passus est, scribitur, *quia facta est persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymæ, et dispersi sunt omnes per regiones Samariæ præter apostolos* (*Act.* VIII).

Cum ergo utraque pars, credentium videlicet et non credentium, filii essent Synagogæ natura vel genere, infideles autem fideles propter fidem Jesu Christi persequerentur, potuit plane pars ista credentium, quæ Ecclesia Christi tunc temporis erat, dicere : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi* **30**. Ac si aliis verbis diceret : Cum Dominus præcepisset, dicens : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad perditas oves Israel* (*Matth.* X), ego hoc præceptum adimplere cupiens, filiis *matris meæ* fidem quam a Domino accepi et per quam salvari deberent prædicavi; sed illi prædicationem meam parvipendentes *pugnaverunt contra me* verbis et factis, atque de finibus suis me propellentes, *posuerunt me custodem in vineis*, id est in ecclesiis gentium, qui verbum fidei cum gaudio susceperunt. Quibus cum laboris et custodiæ meæ diligentiam impenderem, *vineam meam*, id est gentem meam custodire neglexi, eo quod custodiam meam despicerent et verbum salutis suscipere renuerent : sicut eis quidam meorum dixit, *vobis quidem oportebat loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud et indignos vos judicati æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII). Nam sicut idem alibi dicit : *Illorum delicto, salus gentibus ut illos æmulentur* (*Rom.* XI) : et subinde : *Nolo vos ignorare, fratres, mysterium, ne sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fierit* (*ibid.*).

Propter hunc ergo contemptum sine custodia relinquendam vineam istam propheta prædixit : *Et derelinquetur*, inquiens, *filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, sicut civitas quæ vastatur* (*Isa.* I); et hæc quidem dicere potuit primitiva Ecclesia cujus mater erat synagoga, sicut et contrariæ partis de qua dicit, quod filii matris suæ pugnaverint contra eam.

Porro universalis Ecclesia potuit et potest dicere de apostolis eorumque successoribus : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi*. Superna quippe Jerusalem mater est credentium, propter fidem, spem et charitatem, quam ad eam habent, quia dum sperant et credunt, ejus beatitudinis se participes esse fieri, cujus participes facti sunt præcedentes sancti, operantur et laborant per charitatem qua tantum bonum diligunt, ut ad illam supernam patriam pervenire possint : pro qua sancte et juste conversari quid est aliud quam ab illa ad illam spiritualiter generari?

Hujus quoque filii fuerunt apostolici : apostolicique viri, qui dum pro hac gloriosissima patria promerenda, multis laboribus afficiebantur, et ad mortem usque fatigabantur, profecto credendo, sperando et diligendo, ad illam ipsi nascebantur, et non minus ab illa quæ hujus eorum laboris causa erat quasi materno affectu generabantur.

Tales ergo filii contra Ecclesiam pugnabant quando eam ab errore suo depugnare intendebant, sicut et adhuc omnem fidelem animam de vitiis ad virtutem verbis et exemplis quotidie depugnant. Nonne **31** hoc modo unus ex eis contra ecclesias pugnabat, quando uni earum dicebat : *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? Omnino auditur inter vos fornicatio et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris quis habeat* (*I Cor.* IV). Ecce qualiter contra istos primo pugnabat, quos postquam increpando ab hoc peccato debellaverat, consolatoria relevat epistola : *Si contristavi vos*, inquiens, *in*

Digitized by Google

epistola, non me pœnitet : etsi pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit : nunc gaudeo; non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam : contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis (*II Cor.* VII). Alii quoque Ecclesiæ scribens : *O insensati, Galatæ, quis vos fascinavit veritati non obedire?* (*Gal.* III.) Dum contra eam hoc modo pugnat, ab infidelitate expugnat.

Sed quid est quod isti filii, eos quos tali modo impugnant et a vitiis expugnant, in vineis custodes deputant, nisi quod docent et suadent, ut virtutum germina fructusque custodiant? At illi vineam suam non custodiunt, quia ad tantam virtutum custodiam illorum depugnatione profecerunt, ut jam priscæ consuetudinis errores custodire negligant, quinimo eos per Dei gratiam a se longius spiritu fortitudinis repellant. Unde propheta ex talium persona dicit : *Super custodiam meam stabo* (*Habac.* II) : stat super custodiam suam, qui per solertiam disciplinæ terrenis desideriis non succumbit, sed supereminet, ut dum semper stantem appetit æternitatem, infra sit ei omne quod transit.

Adhuc alio modo Ecclesia quoque clamat pro rebellantibus sibi falsis fratribus hæreticis et schismaticis, qui quandiu in Ecclesia erant et eisdem sacramentis participabant, filii putabantur illius cœlestis Jerusalem, quæ est mater fidelium et pertinere ad civitatem Dei ; sed postquam in divinitatem et humanitatem Christi blasphemare visi sunt et unitatem sanctam scindere, de hæreditate filiorum ejecti sunt, et probatum est quia vere filii non fuerint, sed potius adulteri ; qualibus dicit Apostolus : *Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes filii, ergo adulteri et non filii estis* (*Hebr.* XII). De his quoque Joannes dicit : *Quia de nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum* (*I Joan.* II). Et Dominus per prophetam : *Filii*, inquit, *mei exierunt a me et non subsistunt* (*Jer.* X).

Tempore ergo illo quo filii isti non legitimi sed adulteri, illos qui rectæ filiationis erant, præ diversæ fidei assertione impugnabant, cum hæretici principes perversæ fidei assertoribus faverent, sancti et catholici viri de sedibus suis pulsi, damna et exsilia multaque pericula passi sunt, eo quod rectum fidei dogma prædicarent et hæreticis communicare nollent.

Cum igitur utrique ecclesiasticis officiis **32** insigniti essent, eademque sacramenta tenerent, et ob hoc ad unius Matris gremium pertinere crederentur, propter solam diversitatem fidei divisi sunt, et illa pravorum societas persequebatur catholicam societatem ; cujus persecutionis æstu infecta societas ista nigram se dicit, et quod eam decoraverit sol, pro quo decertabat, ut æqualis Patri in divinitate, et unius cum eo substantiæ, potentiæ et voluntatis diceretur ; in humanitate autem verus homo crederetur, quod contraria pars non ita esse blasphemabat.

Subdit ergo causam decolorationis suæ pars catholica, quia, inquiens, *filii matris meæ pugnaverunt contra me*, et quoniam talibus filiis non legitimis, sed adulteris, hoc est hæreticis persequentibus, pars sanæ fidei compulsa est ad alias demigrare sedes et proprias relinquere civitates, addit quia *posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi ;* multæ enim Ecclesiæ tunc temporis proprio pastore destitutæ ab hæreticis perverso dogmate maculabantur ; et sancti sacerdotes exsiliati, alienis in locis verbum fidei disseminabant, quod in suis facere temporum necessitate prohibebantur.

Aliter. Cum omnis creaturæ mater sit bonitas et potentia Creatoris, bonitatis quippe ejus fuit quod nos cum non essemus condidit ; potentiæ, quia omnia quæ voluit potuit (*Psal.* CXIII) ; in omni autem creatura duæ sint rationales, angelus et homo propter rationis communionem, et quia ab eadem bonitate et potentia utrique conditi sunt, quasi quamdam fraternitatis societatem habere videntur, ut ejusdem matris filii nuncupentur. Sed quia pars illa angelorum quæ cecidit, humanam creaturam ad eam gloriam de qua gesta fuerat per Dei gratiam assurgere videns et invidens modis omnibus persequebatur, et perdere laborabat, dicat ipse homo ex persona infirmantium : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.*

Dum, inquit, isti spiritus rationales filii matris meæ pugnarent adversum me, compulerunt fragilem mentem meam actiones terrenas diligere et animæ meæ custodiam deserere. Per vineas quippe quarum opus sub divo et exteriorum actionum occupationes designari possunt : quanto enim mens circa terrenas actiones per sensus exteriores foras dispergitur, tanto anima a sui custodia intus negligitur.

Cum enim invisibilis sit anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhærens corpori quasi quædam egrediendi foramina ejusdem sensus corporis habet. Visus quippe, auditus, odoratus, gustus et tactus quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat et ea quæ extra ejus **33** sunt substantiam concupiscat. Per hos etenim sensus corporis quasi per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit : hinc Jeremias ait : *Ascendit mors per fenestras vestras, ingressa est domus vestras* (*Jerem.* IX). Mors quippe per fenestras ascendit et domos ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum mentis intrat.

Adversariæ ergo potestates mentem terrenis actionibus occupatam faciunt suimet negligentem esse, dum per dissolutionem exteriorum operum cogunt eam in animæ suæ custodia minime stare, ut merito possit dicere : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam custodivi.* Quia vero in omnibus ad-

Digitized by Google

versitatibus sive periculis, non tantum ab extraneis quantum a fratribus sibi illatis, Ecclesia universalis sive particularis, sive quælibet anima fidelis quodam dubietatis æstu affligitur, eo quod multi fidem nominetenus teneant, et non sit facile discernere qui vere fideles sint, ad Dominum sponsumque suum convertitur, cujus adjutorium pro gratia discretionis hujusmodi flagitans subsequitur oratione deprecativa, dicens : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.*

Vers. 6. — *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.*

Tribus modis dicitur Deus indicare, videlicet re, intellectu, voce. Re quidem, quando dubia mente, quid eligendum vel quid tenendum sit alicujus virtutis suæ signo manifestat ; nam hoc modo ut populum seditiosum a murmure compesceret, cum inter duodecim virgas, quas de singulis tribubus accipit, et in tabernaculo fœderis poni jussit, sola virga Aaron in tribu Levi floruisset et fructum protulisset (*Num.* xvii), in præsagium futuræ nobilissimæ successionis, ex qua illa singularis nativitas per Mariam virginem administranda erat, quia ipsum Aaron cum sua sobole in sacerdotium elegisset qui specialiter ad offerenda sacrificia Deo appropinquaret et in Sancta sanctorum introiret, hoc signo indicavit.

Porro intellectu indicat quando mentem alicujus occulta inspiratione tangens, quid melius agendum eligat, ejus intellectui revelat. Unde cum David rex nomine præmonente cogitaret domum Domino ædificare non displicuit Deo, sed potius placuit, quia quamvis eum hoc suo tempore facere prohiberet, eo quod *vir sanguinum* esset (*II Reg.* xvi), causam tamen non improbavit, quin imo tanto et reverentia præmio dignam judicavit, ut ei promitteret Filium suscitaturum, quem tantæ 34 pacis innocentiæ, et sapientiæ prærogativa sublimari deberet, ut ad tale opus peragendum idoneus existeret. Insuper hanc ejus bonam et sibi placitam voluntatem Deus remunerare volens : *Prædicens*, inquit, *prædico tibi quod domum tibi ædificabit Dominus* (*I Reg.* vii). Ut ergo Deus ostenderet quod hoc sibi placeret, quod ei per intellectum indicasset, non solum hoc quod cogitavit non prohibuit, verum etiam ut ipsa domus magnæ æstimationis et virtutis in toto mundo fieret, sua gratia adivit.

Voce autem Deus indicat, nunc per se ipsum quidem, nunc per alios : per se ipsum quidem, sicut ad Abraham et Moysem, cæterosque prophetas locutus est ; per alias vero, veluti cum per ipsos prophetas primo, deinde per apostolos cæterosque credentes quibus sua aliis annuntianda commisit, quid suæ voluntatis, quid eorum salutis esset ind cavit.

Rursus secundum hos modos, quadrupliciter dicitur Deus indicare, videlicet aliquando re et intellectu, interdum re et voce, plerumque intellectu et voce ; nonnunquam vero simul, et re et intellectu et voce. Re quippe et intellectu indicat, quando scilicet aliquid rerum ostensione præsignat, ei cui hoc ostendit statim per intellectum præsignat. Hinc est quod cum Danieli diversitates et qualitates futurorum regnorum per diversas similitudines bestiarum ostenderentur, quædam nisi angelo docente non intellexit : quædam vero post rès visas statim per se intellexit, sicut quodam loco post ostensas sibi rerum similitudines statim subdit : *Et ego*, inquiens, *intelligebam*, et in alio loco : *Verbum revelatum est Danieli cognomento Balthasar, et verum verbum et fortitudo magna : intellexitque sermonem* (*Dan.* viii et x).

Re autem et voce dicitur indicare quando aliquid re prænuntiat, et quid significet, voce pronuntiat, sicut cum Petro stupendam piscium capturam dedisset, causam protinus hujus miraculi aperuit : *Noli*, inquiens, *timere, ex hoc jam homines eris capiens* (*Luc.* viii).

Porro intellectu et voce indicat quando alicui voluntatem suam dat intelligere, et quia hoc sua intellexerit inspiratione aperta comprobat voce. Hinc est quod Jacob in Ægyptum descensurus cum intellexisset quod non sine voluntate et dispositione Dei actum esset, ut Joseph promitteretur non consulto pro hoc Deo, sicut Scriptura refert : *Profectus est cum omni domo sua, et venit ad puteum juramenti, mactatisque ibi victimis Deo patris sui audivit eum per visionem dicentem sibi : Jacob, Jacob, qui respondit : Adsum ; et ait : Descende in Ægyptum ; ne timeas, faciamque te ibi in gentem magnam* (*Gen.* xxxi). Ecce quod 35 iste intellexerat divinæ voluntatis esse, divina quoque vox attestata est se ei hoc per intellectum judicasse.

Simul vero et re et intellectu et voce judicare videtur, quando aliquid aliquo præcedente signo insinuat cujus subjecti signi causatu capabilis videntis sensus per Spiritum intellectus pensat, quam ipsius auctor causæ voce quoque subsequente confirmat. Denique Isaias cum officium prædicationis suscipere metuens diceret : *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutis labiis ego sum et in medio populi polluta labia habentis ego habito* (*Isa.* vi) ; signo sibi a Deo dato, quod ostendit dicens : *Et volavit ad me unus de seraphim et in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de altari et tetigit labia mea dicens, ecce tetigi hoc labia tua et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur*, gratiæ vocantis in se dignationem intellexit ; et cum diceret Dominus, *quem mittam et quis ibit nobis?* voluntatem divinam reverenter attendit, moxque se humiliter et officiose admittens, *ecce ego*, inquit, *mitte me* (*Isa.* vi). At Dominus quod per rem præsignaverat et per intellectum aperuerat, voce quoque comprobavit, ut ad prædicandi officium prophetam instituerat : *Vade*, inquiens, *et dices populo huic : Audite audientes me, et nolite intelligere, et videte visionem et nolite cognoscere* (*ibid.*).

Aliquo ergo modo præscriptorum modorum, postulat Ecclesia sive quævis Deo placens anima ju-

Digitized by Google

dicari sibi gratiam necessariæ discretionis, ubi possit et debeat agnoscere placitam mansionem divinæ dignationis. *Indica*, inquit, *mihi quem diligit anima mea*. Non passim, inquit, non leviter et quasi modicum pensi habeat, accipiendum est, o Domine, hoc tuum indicare; et ideo non cuilibet, sed mihi quæ te diligo, hujus gratiæ munus concede; quia ad sensum hujus subtilitatis sola vis proficit contemplatoriæ charitatis.

Et quid indicabis? videlicet *ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Quinam sunt quas pascit Deus, nisi hi quos ipse deducit et in virectis virtutum exponit ubi diversas sanctitatis species colligant, quarum salubritas animæ sanitatem conferat, morbos depellat, et ad omne opus bonum efficacem hominem constituat. Sed quæ sint istæ species tanti vigoris, ut tam fortem, tam pulchrum, tam gloriosum hominem perficiant, luce clarius est, videlicet humilitas, patientia, obedientia, castitas, munditia corporis et animæ, mentis incorruptio et carnis mortificatio, contemptus sæculi et timor Dei, postremo charitas ipsa Dei et proximi, sine qua nullius erit efficaciæ omnium istarum confectio specierum. Judicio sunt hæc scire cupienti qui et quales sint quos pascit Deus, **36** quod ejus scilicet veri Pastoris oves sint, de quibus ipse dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego* Dominus *agnosco eas* (*Joan.* x), ut eis oves suas comprobet qui vocem ejus audiunt, et ideo oves sint quia audiunt, quarum tale audire et esse sit ejus agnoscere, sicut econtrario qui non audiunt nec oves quoque sunt, cum magis sint, *sub vestimentis ovium lupi rapaces* de quibus dicit quia *a fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII); quorum non audire nec esse est ejus non agnoscere; si ut ipse talibus dicit: *Non novi vos, discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV).

Locus ergo ubi pascit quos pascit Deus, sunt prata sive virecta virtutum, spiritualium quoque pascua doctrinarum, ubi inveniuntur et agnoscuntur qui sint oves Domini et qui non sint, quia *qui secundum spiritum sunt, quæ spiritus sunt sentiunt; animalis autem non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei* (*I Cor.* II).

Hæc autem pascua in quibus Deus pascit quoscunque pascit, non uniformia propter duplicem modum, vivendi scilicet et docendi, quamvis utrobique per se quidem sint eadem: nam una dicitur bona vita, altera bona scientia, in subjectis tamen in quibus sunt, et de quibus prædicantur, diversa sunt propter diversas gratiarum distributiones; quia unus quidem prædicatur humilis, alter mansuetus vel mitis; iste patiens, ille obediens; alius castus, atque alius misericors vel largus, sive aliud aliquid hujusmodi, quod ad modum bene vivendi pertinet. Altera vero in parte quæ est bona scientia, de hoc quidem subjecto prædicatur, quia bonus orator sive prædicator est; de illo vero quia bonus interpres sive expositor est; de alio, quia peritus artium liberalium est, sive aliud aliquid quod attinet ad modum bene docendi.

Ipsa quoque particulariter prædicata suscipiunt magis et minus, dum ex hac parte alius alio patientior, alius alio castior, sive quolibet aliud, quod honestæ vitæ magis et minus accidere potest. Porro ex altera parte alius alio doctior, alius alio eloquentior vel eruditior; sive aliud quodlibet, quod etiam scibili animæ magis et minus accedere potest.

Quamvis ergo in hujusmodi pascuis, in quibus pascit Deus quod pascit, non simpliciter sed multipliciter, ea quam diximus sit diversitas, in ipsa autem diversitate magis et minus accidat, hi tamen qui pascuntur, licet propter donorum diversitatem et mensuram non æqualiter pascuntur, oves tamen Domini omnes sunt et dicuntur; quia sicut stella ab stella cum differt in claritate, omnes tamen stellæ sub uno continentur firmamento, ita multæ quidem sanctorum sunt differentiæ, propter differentes, quæ in eis sunt virtutes, omnes tamen ad unum Dei regnum, **37** pertinere noscuntur. Unde cum Dominus per prophetam diceret: *Ecce ego ipse requiram oves meas et visitabo eas sicut pastor visitat gregem suum in die cum fuerit in medio ovium suarum dissipatarum*, subdit paulo post: *in rivis et in cunctis sedibus terræ et in montibus Israel erunt pascua eorum* (*Ezech.* XXXIV). Rivi ex fontibus prodeunt, pascua vero terræ humilia, montium sublimia sunt.

Quid ergo per rivos, nisi quædam facta et dicta, quæ ex magnis Patribus quasi ex fontibus profluunt? Quid autem pascua terræ nisi leviora divinorum præceptorum documenta? Quid vero per montium pascua nisi sublimia divinorum mysteriorum sacramenta? proposuit itaque Deus ovibus suis, magnis et parvis, infirmis et fortibus pascua utrisque competentia juxta utrorumque capacitatem, quatenus et parvi et infirmi habeant, unde ad æternam vitam nutriantur et confortentur; magni vero et fortes unde proficiant et satientur. In talibus sane ovibus suis quas et in quibus hoc modo pascit Deus, ipse sibi requiem parat, ut in eis suæ indignationis gratia cubet et requiescat, in quibus tunc cubare et requiescere dicitur; quando eorum piis actibus delectatur. Unde per prophetam: *Super quem*, inquit, *requiescam nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI.) Quo contra in reproborum mentibus laborare dicitur, quando eorum pravis actibus quasi fatigatur. Unde cum quibusdam perversis propheta diceret: *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris;* et illi responderent: *In quo eum fecimus laborare; in eo* ait, *quod dixistis: Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini et tales ei placent* (*Malach.* II). Divinitas ergo quæ a cordibus pravorum perversis eorum actibus exasperata et quodammodo lassata repellitur: *Spiritus enim sanctus*, sicut scriptum est, *disciplinæ effugiet fictum et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu et corripietur a superveniente iniquitate* (*Sap.* I), cujus repulsio illorum est abjectio, ea ni-

Digitized by Google

invitatur et suscipitur, suaviter et quasi delectabiliter cubat et requiescat, cujus susceptio illorum est electio.

Rogat ergo Ecclesia vel sancta anima indicari sibi ubi pascat et ubi cubet Sponsus, et hoc non quocunque tempore sed in meridie. Cum hoc loco meridies juxta anagogen solummodo accipi debeat, primo considerare libet, quod, quibusve modis dicatur dies et quot quæve partes sint dici, ut his præcognitis, quem sensum expeditiorem, significatio diversa contineat, alieno relinquamus judicio.

Videtur autem dies non simpliciter dici propter diversas significationis formas ut propter nominis communionem rationis autem sive definitionis diversitatem vim æquivocationis obtineat.

38 Ponamus ergo ut quatuor sint diei formæ, quarum prima quidem dicatur dies naturalis, sequens vero ad prioris constituta formam, non absurde nuncupetur dies actualis. Tertia vero quæ sola rationis luce constat, non incongrue appelletur dies intellectualis, porro ultima quæ nunquam deficit et sola tempore caret, inque sui immutabilitate fixa perstat congruentissime scribatur dies æternalis, et una quidem est vitæ humanæ subsidium, altera componendæ vitæ exemplum, tertia discernendæ vitæ speculum, quartaque et ultima bene consummatæ vitæ præmium.

Constituamus ut harum quæque in tres dividatur partes, videlicet in mane, meridiem et vesperam, excepta sola ultima, quæ semper temporis expers fuit, et est et erit; esse quippe ejus et incomparabile decus est ipse Deus.

Et prima quidem quæ est naturalis nihil ad præsentem attinet locum, nisi quod cæteræ duæ tantum ultima quippe, ut diximus, sine tempore est, ad ejus constituuntur formam.

In naturali igitur die mane est primus solis exortus, qui paulatim ascendendo succrescens meridiem efficit circa mediam diem, quæ fit in eo loco ultra quem sol non progrediens quasi in centro figitur, atque inde iterum descendendo decrescens, vesperam efficit circa finem diei quod est totus solis occasus.

Ad hujus autem diei formam instituitur ille, quem appellavimus actualem ab exordio mundi usque ad finem ejus, cujus mane fuit tempus illud ante legem quo tantum naturali lege homo utebatur, meridies autem sub lege et gratia quando et naturali et scripta lege instruebatur; porro vespera tempus ultimi judicii, quando et pro naturali et pro scripta lege judicabitur, sive ad vitam sive ad mortem.

Ante legem quippe, per naturalem legem mane habebat, id est principium quoddam discretionis; duce ratione qua videre et agnoscere posset, quantum brutis animalibus præstaret, quando bonum et malum discernere posset; ad summum autem considerare et intelligere, nullam creaturam se ipsam posse creare, sed esse quoddam increatum quod omnia quæ facta sunt jusserit fieri, et quantum excellentius illud et gloriosius esset omnibus creatis ex ipsius creaturæ pulchritudine et utilitate advertere, atque ob hoc inexcusabilem fore si honorem Creatori debitum creaturæ deferret.

Sed cum lex illa naturalis in quibusdam obsita esset consuetudine peccandi, lex scripta est data quæ prohiberet et coerceret peccantes, ex qua meritum cujusque constaret, dum aut observatio ejus causa esset remunerationis, aut prævaricatio causa damnationis. In quibusdam **39** vero adeo viguit lex ipsa naturalis, ut scripta lege non indigerent, dum ipsi sibi lex essent et ostenderent opus legis scriptum in cordibus suis et sine lege existentes ea quæ legis sunt facerent testimonium, reddente eis conscientia ipsorum in die quo judicabit Deus occulta hominum (*Num.* II). Ubi autem ad legem naturalem accessit lex scripta, post mane facta est quasi meridies, quia hi quibus sol justitiæ jam ortus erat, dato sibi mandato sive veritatis, sive novæ legis, tanto fervore charitatis erga Deum utrobique accensi sunt, ut magis eligerent mori, quam præscriptæ sibi a Deo legis honestatem prævaricari.

Hoc videre licet in illis ferventissimis utriusque legis æmulatoribus qui fortissimum zelum habuerunt sive pro defendenda, sive pro conjuranda lege sancta, quorum, exempli gratia, unus fuit in veteri lege Phinees filius Eleazari, qui vindicavit legem occidendo eos qui prævaricatores legis exstiterant: Mathathias quoque et filii ejus qui legem defendebant et septem fratres qui magis elegerunt observando legem mori, quam prævaricando vivere. Quid ergo dicemus de illis gloriosissimis et fortissimis pugnatoribus in nova lege, apostolis videlicet et eorum sequacibus in quibus tantus erat fervor divinæ charitatis, tantus zelus rectitudinis ut pro fide, pro justitia, pro veritate omnia adversa perferre, omnium mortium genera subire, postremo in ipsa morte occumbere non dubitaret? De quibus Apostolus: *Sancti*, inquit, *ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, in occisione gladii mortui sunt* (*Hebr.* XI). Nunquid omnes isti sub lege, sive sub gratia, in meridie non fuerunt, quando tantum ardorem tentationis in corpore et corde pertulerunt, magnos nimirum æstus illius meridiei dupliciter æstuantis, quia et mens illorum æstuabat fervore sanctæ charitatis et corpus affligebatur æstu multæ tribulationis.

Vespera quoque quæ est tempus ultimi judicii, decernere debet hujusmodi emeritis tironibus, pro æstu laboris refrigerium et requiem, quibus a rege cœlesti pro cujus amore desudaverunt, dabitur æternæ remunerationis donativum, videlicet illud generalissimum, indeficiens et incommutabile bonum quod est ipse Deus deorum. Nam hoc est Dei remunerare, seipsum electis suis dare.

Porro ille intellectualis dies, eisdem quas supra posuimus partibus non inconvenienter constat, quia in cujusque sensu qui splendore et calore virtutum viget, quasi quoddam mane est boni operis inchoatio; meridies autem bene inchoati operis per increm-

Google

menta et profectum sanctitatis perfectio; vespera vero bene inchoati, melius perfecti operis optima ad finem usque completio. Dies iste in unoquoque sapiente ipse intellectus est, quod ea quæ circa se sunt **40** sive in cogitatione sive in opere dijudicat et discernit, quia in lumine est, et videre potest quid sibi sit agendum quidve vitandum; *qui* autem *in tenebris ambulat, nescit quo* eat (*Joan.* XII; *Isa.* XXIX, L); quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus, ideoque opera ejus opera sunt tenebrarum qui, quoniam diem istum, id est intellectum non habet, parum distare ab irrationalibus dicitur, propter irrationabiles, et quasi bestiales quosdam motus actuum pravorum.

Hujus intellectualis diei quasi primordia lucis sunt prima honestatis opera adhuc parva et tenuia. Sed cum assiduitate percreverint, et quemdam ex eis calorem animus conceperit, ipso calore paulatim augmentum capiente in totam divinæ charitatis exardescit plenitudinem tanquam hujus diei meridiem, quando clarior lux intelligentiæ aperitur, ita ut jam nihil in terrenis libeat, sed totus in Dei amore fervescat. Unde Psalmista, ut hujus diei mane meridiemque describeret, dicit: *Concaluit cor meum intra me et in meditatione mea exardescit ignis* (*Psal.* XXXVIII); ac si patenter dicat: Jam pridem per desiderium boni operis mens mea concaluit, sed quia hujus meditatione mandatorum Dei, ab imis ad superna per contemplationem quotidie ducitur, non jam tantum calet, sed tota in amorem conditoris sui igne charitatis ardet.

Vespera autem hujusmodi diei est boni operis usque ad finem vitæ consummatio, nec quidquam præcedentes partes conferre poterunt. Si hæc ultima defuerit, *qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV). Unde Psalmista: *Elevatio*, inquit, *manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL); ac si aliis verbis dicat: Principium sive profectus operum meorum, tunc est Deo sacrificium, si in eorum studio diem clausero extremum. Et præcepto legis cauda hostiæ in sacrificio jubetur offerri. In caudam quippe finis est corporis. Et ille bene immolat, qui sacrificium boni operis ad finem debitæ perducit actionis. Hinc Joseph inter reliquos fratres talarem tunicam habuisse describitur; tunica quippe usque ad talum est opus bonum usque ad consummationem.

Est igitur intellectualis diei mane virtus inchoativa; meridies autem, virtus perfectiva: vespera, virtus contemplativa; suscipit autem hujusmodi dies magis et minus juxta triplicem temporalis incrementi in homine qualitatem: in pueritia enim minor est intellectus, in juventute major, in senectute maximus. Nam quod reliquum fuerit in multis deficit, velut in decrepitis, qui aliquando sensu repuerascere videntur. Est autem pueritia sive adolescentia quoddam mane, quasi solis exortus; juventus quædam meridies, quasi solis altissimus ascensus et ferventissimum tempus, sicut et ejus ætas maximi caloris est et roboris; senectus autem quædam vespera quasi solis ab alio axe descensus et caloris defectus, sicut et illa **41** ætate homo a calore juventutis deficit.

Sive ergo intellectus distinguatur per ætatum momenta, sive in ipso intellectu distinguatur per operum incrementa, dies intellectualis non absurde dici potest, ut hoc sit quod Psalmista dicit: *Vespere, et mane et meridie narrabo et annuntiabo* (*Psal.* LIV), ac si dicat, et in pueritia et in juventute et in senectute sive ætatis sive intellectus tanquam mane, meridie, vespere, docendo et operando recte vivendi regulam annuntiabo.

Ultima sane forma diei quam æternalem diximus istarum trium partium solam habet meridiem. Mane enim per se quidem nullum, sed in illis qui ea participant, aliquod; ante resurrectionem quidem in sola anima, quando ad eam feliciter moriendo nascuntur; in resurrectione vero et in anima et in corpore, quando ad eam felicissime resurgendo renascuntur, quam felicitatem corporis et animæ Scriptura sancta duplicem appellat stolam; simplicem autem, solius animæ beatitudinem.

Quod ergo initium aliquod habet beatitudinis, etiam nunc in anima, et tunc in corpore simul et anima, in participantibus mane quoddam est, sicut dictum est; in sui vero natura et proprietate, quæ immutabiliter fuit, et est, et erit, nunquam mane fuit, quia ipsa beatitudo, Deus est, cujus immutabilitati immutabiles facti participant.

Porro vespera nec in se, nec in participantibus haberi ullo modo potuit vel poterit, quia cum illo æternaliter fixi stabunt, cujus naturali æternitati per gratiam conjuncti sunt. Meridiem autem semper et in se et in participantibus habuit et habebit; in se quidem, propter specialem pulchritudinis, claritatis et quietis præstantiam; in participantibus vero propter ardentissimum divinæ charitatis fervorem, quæ in illa vita tanto ferventior est ea quam in hac vita habere possunt, quanto constat quod illa longe est felicior et incomparabilior ista. Unde propheta: *Vivit*, inquit, *Dominus, cujus ignis est in Sion et caminus ejus in Jerusalem* (*Isa.* XXXVI). Plus est caminum esse quam ignem, quia ignis esse et parvus potest; in camino autem, vastior flamma succenditur. Sion vero *speculatio*, Jerusalem autem *visio pacis* dicitur; pacem vero nostram hic interim speculamur, ut illic postmodum plene videamus. Ex amore ergo Domini in Sion ignis est, in Jerusalem caminus, quia hic amoris ejus flammis aliquatenus ardemus, ubi aliquid de illo contemplamur, sed ibi plene ardebimus ubi plene videbimus quem amamus.

Meridiem ergo solam habet ista dies æternalis longe clariorem et ferventiorem præscriptorum dierum formalium sive naturalium meridiebus, quæ tamen secundum merita participantium suscipit magis **42** et minus, quia, cum ipsa per se una eademque sit, ea tamen participantes dissimiliter participant. *In domo* enim *Patris mansiones multæ sunt*

(*Joan.* XIV), quia in uno præmio diversa est gloria electorum, sicut et miseria reproborum juxta utrorumque meritum.

Hoc itaque loco nec primæ nec ultimæ diei meridies, sed inter hos mediorum scilicet actualis et intellectualis consideranda est, quia vel in activæ, vel in contemplativæ vitæ studio debet pendere uniuscujusque recte viventis intentio.

Igitur quoniam multi videntur in fervore divinæ charitatis esse, sive in activa, sive in contemplativa vita existens, qui simplicem oculum non habent, quia bona non recta intentione agunt, dum hac non pro Deo, sed pro inani gloria, vel pro terreno lucro ostentant, quos ab his qui vere Deum amant discernere, valde est difficile, postulat Ecclesia sive aliqua sancta anima Sponsum suum ut ei indicet aliquo modo supra positorum modorum, per spiritum discretionis, quinam sint illi qui non simultane sed veraciter illum diligant et sequantur, in quibus ille pascat dulcedine mandatorum suorum, et in quibus cubet et quiescat delectabili quiete virtutum in meridie, id est in fervore charitatis suæ, sicut ipse dicit : *Si quis diligit me sermonem meum servabit et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (*ibid.*). Qui enim sermones Dei observat, probat se Deum diligere ; et qui Deum diligit, Dei mansione est dignus. Quare autem hujus donum discretionis postulat, subdit causam, dicens : *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.*

Sodales Christi aliqui sunt, aliqui putantur et quia vitæ qualitate differunt, recte non grex sed *greges* dicuntur. Aliter enim dicuntur qui sunt, aliter qui putantur : quia hi qui sunt, veraciter Christum imitantur, sive sint prælati docentes et instruentes subjectos verbo et exemplo, sicut Christus discipulos ; sive sint subjecti audientes et interrogantes se invicem, sicut de Christo scriptum est quia *invenerunt eum in templo audientem et interrogantem eos* (*Luc.* II) : qui autem putantur tantum, sed non sunt, simulantes se Christum sequi, solo nomine præsunt, et nec verbo nec exemplo subjectis præsunt. Subjecti autem inter se veluti fratres sint ficta charitate junguntur, et ideo non agnoscuntur, tales ergo sodales sponsi sunt et putantur : sunt quia veri, putantur quia ficti.

Quocirca necessariam sibi postulat discretionem, ut quia supra promiserat, quod etiam filli matris suæ pugnaverint contra se, et ideo dubium sit qui sint fideles, qui infideles, data sibi discretionis gratia, possit agnoscere quibus se debeat conjungere, quibus docentibus credere, a quibus recte vivendi formam assumere, 43 ut sit ei necesse vagabundam circuire et ignoranter fortasse abire in errores sed alium simulatorum.

Cui taliter postulanti Dominus quasi objurgando, cur in aliqua tentatione de ejus adjutorio diffidat, cui pro magna consolatione, diversum gratiæ suæ munus contulerit, respondit : *Si ignoras te, o pulcherrima, inter mulieres ?*

VERS. 7. — *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum.*

Paulo superius ubi quadriformem descripsimus diem intellectualem, sive actualem, particulariter in aliquo constituimus sapiente, intellectualem quidem propter rationem et lucem inter tenebras, hoc est virtutes et vitia recte dividentem : actualem vero propter discretionem, ea quæ recte perspexerit in opera lucis proferentem ; nunc vero nil prohibet universaliter quoque in unoquoque homine intellectualem tantum constituere diem propter naturaliter sibi insitæ rationis vivacitatem.

Ponamus ergo ad similitudinem naturalis diei qui integer dividitur in diem et noctem, hujus quoque intellectualis diei in universali homine secundum privationem et habitum duas portiones, hoc est cognitionem sui et ignorantiam quarum prior pro die, sequens pro nocte reputetur.

Hoc est enim quidam animi habitus justitiæ, quando ex plena sui cognitione, quamdam assumit honestatis formam, qua affectus sive ad quam dispositus, per adjuvantem se gratiam in tantum proficit, ut hujusmodi affectio sive dispositio transeat in habitum, atque ex hoc totus homo justus prædicetur. Hujus autem habitus privatio est injustitia, quando ipse animus aut nunquam admisit aliquam pietatis formam, aut si habuit, amisit, divina se deferente gratia ; vel alicujus deformitatis attraxit vitium, cujus affectio sive dispositio simili modo transit in habitum priori contrarium, ut sicut participatione justitiæ justus, ita participatione injustitiæ dicatur injustus : quod est secundum habitum, secundum privationem vero, quod vel ipse caret justitia, vel quod injustitia est privatio justitiæ, juxta descriptionem mali, quod dicitur malum non esse aliud quam privatio boni, boni autem species et justitia, sicut econtrario mali injustitia.

Sed quia hæc species boni nascitur ex ea parte quæ est cognitio sui, et species mali ex ea parte quæ est ignorantia sui, dicendum est quid sit se ipsum cognoscere et ignorare.

Se ipsum quippe veraciter cognoscit quisquis subtili indagatione perpendit quantum præstet omni visibili creaturæ in eo quod ad similitudinem Dei creatus est, quæ similitudo non in corpore, sed in mente attenditur secundum prærogativam rationis intelligentis 44 et discernentis qualiter ipsa quoque creatura ejus utilitati serviens ei subjecta sit ; quod ejus corporea substantia sursum porrecta sit quasi quoddam commonitorium mentis, quæ debeat terrena despicere et ad cœlestia se sublevare, quod tantum ejus naturam Deus dilexerit, ut pro ea redimenda sanguinem suum fundere dignatus sit ; postremo quod eamdem naturam ad tantam gloriam prædestinaverit, ut suæ cum immortalitatis, immutabilitatis, æternitatis quandoque participem facere

Digitized by Google

decreverit, atque ideo omnis honestatis, virtutis et disciplinæ perceptibilem fecerit, sicque ex hoc sui cognitione quasi et cujusdam dici luce dicitur ad desiderandam et obtinendam justitiam. Sicut econtrario ad injustitiam trahitur quadam cæcitate mentis, quasi cujusdam noctis tenebris quando omnia illa præscripta nec scit, nec potest in se considerare quod est se ipsum ignorare. Est ergo cognitio sui quasi quoddam justitiæ bonum dispositorium, sicut et ignorantia sui quoddam ipsius justitiæ malum privatorium. Sponsam igitur suam sponsus, hoc est Christus Ecclesiam sive quamlibet sanctam animam quæ conquesta fuerat, quæ non tantum ab extraneis, verum etiam a fratribus persecutionem pateretur; et, idcirco valde difficile esset discernere inter sodales sponsi qui sint veri, qui falsi, objurgans propter hujuscemodi pusillanimitatem, et quod quasi destituta esset, gratiæ Dei in se largitatem non ostenderet : *Si ignoras te*, inquit, *o pulcherrima inter mulieres, egredere*; si, inquit, considerationem tui minime capis, et ignoras quia ad similitudinem meam facta es, quod te rationis capacem feci, ut intelligas quid appetere, quid refugere debeas, quod te meo sanguine redemi et inter diversorum dogmatum synagogas sive cæteras animas, solam sine macula et ruga pulchram feci, et baptismatis ablutione et speciali sacramentorum meorum donatione, nec non diversarum gratiarum distributione, quod hoc modo talem te feci, ut merito non debeas turbari, sed magis confortari, et in me gloriari dum impossibile fit te omnimodis destitui, quam tanto mihi gratiæ et misericordiæ meæ dignatione consecravi; si hoc, inquit, ignoras et scire detrectas, *egredere*, hoc est, exi foras a meo contubernio et a secreti mei consortio, quia *omnis ignorans ignorabitur, et nulla participatio luci ad tenebras* (*I Cor.* XIV; *II Cor.* VI), *et abi post vestigia gregum;* hoc est imitare actus populorum qui non sunt unus grex, neque unum ovile, quia non est illis unus pastor, quoniam ab unitate fidei se præcidentes diversos sequuntur multiplicum errorum magistros. *Et pasce hædos tuos*, hoc est nutri et fove notos tuos carnales et luxuriosos, *sive hædos tuos*, id est peccatores tuo verbo et exemplo putidos et in judicio **45** ad sinistram ponendos; *juxta tabernacula pastorum*, hoc est juxta conventicula errantium magistrorum, qui multa habent tabernacula, quia diversas constituunt synagogas propter varias doctrinarum sectas, recedentes ab illo uno meo tabernaculo, in quo est *unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV), nullumque est in catholica unitate schisma.

Hæc autem vox Sponsi non præcipientis est, sed prædicentis, quia juxta ipsius vocem : *Nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI), hoc est Deo et sæculo, neque simul diligere Deum et sæculum : et Joannis voce dicitur : *quia omnis qui diligit mundum non est charitas Patris in illo* (*I Joan.* II). Quocirca si mundum diligere non est Deum diligere, Deum A autem diligere est justum esse, profecto mundum diligere est injustum esse. Duo autem contraria uno eodemque tempore, in uno eodemque simul esse non possunt, ut aliquis possit esse simul justus et injustus. Rursus in uno eodemque diversis tamen temporibus possibile est duo esse contraria, ut nunc aliquis boni aliquid faciens justus prædicetur, alio vero tempore peccans, injustus. Porro definite simul dici justus et injustus uno eodemque tempore nemo potest, sicut jam diximus, quod ex verbis Evangelii docetur, ubi quibusdam dicitur : *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum* (*Matth.* XII); ac si dicat : Quia utrumque simul definite dici boni et mali non potestis uno eodemque tempore, necesse est ut B unum istorum in vobis existens alterum perimat, hoc est vel bonitas malitiam, vel malitia bonitatem. Hoc quidem dictum sit juxta interioris hominis statum, qui semper aut in bono, aut in malo constituitur; sed si totum hominem qui ex anima et corpore constat consideres, hæc regula dialecticorum deficit, quia possunt uno eodemque tempore in uno eodemque simul duo contraria esse. Contraria enim sunt bonum et malum, duo vero sunt homo et peccator. Et homo quidem secundum substantiam bonum quoddam est, *omnia enim quæ fecit Deus erant valde bona* (*Gen.* II); peccator vero homo quoddam malum est, quod ipse homo fecit. Et hæc duo contraria sunt in uno eodemque tempore, quia hoc quod C homo est bonum est, quod peccator malum.

Sponsus ergo sponsam severius alloquitur, quasi vagabundam et incertam et minus confidentem, et quoddam immediatum ostendens ex una hac propositione qua dicit : *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum*, docet alterum de duobus necessario eligendum, videlicet, ut aut cognitione sui justitiæ bonum assumens specialiter Deo adhæreat contemplatoria charitate, aut ignorantia suæ injustitiæ malum incidens ab ea recedat, sæculum diligendo privatoria actione. Injustitiæ enim malum privat hominem justitiæ bono.

46 Dicit itaque Sponsus sponsæ, id est Christus cuique fideli animæ, ut si se ipsam in tantam cordis cæcitatem depresserit, ut nec velit nec possit D agnoscere, quam gratiosam eam præ cæteris pulchritudine mentis Deus dotaverit ad considerandum et intelligendum divinæ in se bonitatis propositum, egrediatur de mentis suæ secreto et abeat per latam et spatiosam viam errantium populorum, ubi carnalis nutriat motus secundum doctrinam magistrorum contraria docentium, neque volentium habere Domini tabernaculum in quo sunt urna aurea habens manna, et virga Aaron et tabulæ testamenti quia in ea prædicantur et venerantur Christi divinitas et humanitas, et sacerdotalis dignitas, et mandatorum divinorum sublimitas.

Hæretici enim sive schismatici multa habent tabernacula, propter varias doctrinas quibus seducunt suos sequaces et putant suum conventum

Digitized by Google

ecclesiam esse, cum sint synagoga Satanæ. Nullus autem locus salutis est extra Ecclesiam catholicam, neque sunt aliæ ecclesiæ dicendæ præter hanc unam, quæ quamvis in multas particulares dividatur ecclesias, tamen propter unitatem fidei una est sancta universalis Ecclesia. Unde et in hoc eodem Cantico dum Sponsus diceret quia *sexaginta sunt reginæ et octoginta concubinæ et adolescentularum non est numerus*, subjecit : *Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ electa genitricis suæ* (*Cant.* VI). Hinc est quod ipse primus Pastor ejusdem Ecclesiæ nondum perfectam adeptus scientiam conspecta in monte gloria Domini dum diceret : *Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Eliæ unum* (*Matth.* XVII); non est exauditus, neque approba um ejus tale consilium, quia neque in lege, neque in prophetia erat seorsum aliqua constituenda Ecclesia, sed Novi Testamenti, in quo lex et prophetæ recapitulantur, sola et una erat per totum orbem sancta et universalis suscipienda et veneranda Ecclesia. Nihil enim est aliud Evangelium quam lex et prophetæ futurum rebus et verbis denuntiant, jam factum Evangelium repræsentat. Unde Ezechiel in visione gloriæ Dei : *Aspectus*, inquit, *rotarum et opera velut si sit rota in medio rotæ* (*Ezech.* I). Rota quippe in medio rotæ est Novum Testamentum inter Testamentum Vetus, quia quod Testamentum Vetus præsignavit, hoc Testamentum Novum exhibuit, et expositio Testamenti Veteris est Testamentum Novum. Unum namque sunt et judicem se continent Vetus et Novum Testamentum quia quod illud in figura istud repræsentat in veritate ; et quod illud faciendum, istud indicat jam factum, ut sint unum Dei tabernaculum.

47 Igitur Ecclesia Dei non debet neque potest ignorare se ipsam, quæ tanta mysteriorum et sacramentorum pulchritudinem decoratur, cujus omne præconium est ipsa varietas decentissima venerabilium sanctionum.

Porro singulariter quælibet anima non debet se ignorare, ne dum in se Conditoris sui dona minime pensat, per illicita defluendo ab eo aliena fiat. Verum si qua in se bona per gratiam ejus considerat, debet ea gratanter et decenter attendere, et studio bonæ actionis attendere, ne pro defosso talento arguatur, quin potius pro multiplicato æternæ remunerationis præmio donetur. Proinde et vos, o santissimæ sorores, quæ in domo disciplinæ estis coadunatæ, nolite vos ignorare, sed potius diligenter circumspicite, et quid vel qualis vos sponsus vester fecerit attendite, qualiter vos a cæteris hominibus velut triticum a paleis segregavit, qualiter singularis vos conversationis pulchritudine specialiter sibi aptavit, quam multiplici virtutum ornamento decoravit, quando hinc inde alternantibus studiis nunc pudicitia, nunc continentia, nunc obedientia, nunc humilitate, nunc orationum et vigiliarum frequentia, delectabilo Deo et sanctis ejus spectaculum facitis.

A Cum ergo tales vos per gratiam Dei aspicitis, nolite margaritam vestram ante porcos mittere ut conculcent eam, hoc est nolite exire de illo contemplativo et tutissimo Sponsi vestri secretario, et abire post sæcularium actionum strepitus, ubi carnalia desideria compleatis secundum doctrinam hominum impiorum, de quorum tabernaculis fugere debetis, ne vos terra sæcularis conversationis absorbeat, sed potius cum vos recte agnoveritis, gratias divinæ dignationis, cujus hoc munus estis referre et de bonis ad meliora per singulos dies proficere, omnimodis satagite, quatenus de hoc præsenti tabernaculo ad illud cœleste transmigrare possitis, dicentes cum Psalmista : *Quam dilecta tua tabernacula, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in* B *atria Domini* (*Psal.* LXXXIII).

VERS. 9. — *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.*

Postquam Dominus generaliter Ecclesiam sive specialiter devotam sibi animam redarguit eo quod in aliqua adversitate de ejus adjutorio dubitaverit, cujus gratia multorum bonorum beneficia promeruit, cum magis adversitatibus probata fortior esse debuerit, ingreditur ipse ostendere quod se ipsam debeat agnoscere, ut gratiæ Dei bonum quod in se ignorat, ipso demonstrante sibi manifestum fiat **48** atque ex hoc in cunctis adversis constantior existat. Ait ergo : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.*

C Primo dicendum quis fuerit iste equitatus Domini qui currus Pharaonis, deinde istorum duorum oppositorum quæ sit significatio, quæ etiam rerum significantium et significatarum proportio. Equitatus Domini fuit ille exercitus Israelitici populi, quondam Deo accepti, quem eduxit de Ægypto in manu potenti et brachio excelso, decem plagis percussa Ægypto, cujus decimæ plagæ terribilis ostensio, agnique Paschalis ad vesperam immolatio fuit ipsius populi cita liberatio. Sic enim dicit Scriptura, quia cum percussurus Dominus esset Ægyptum hac ultima plaga, morte scilicet omnium primogenitorum, præcipit filiis Israel ut per familias suas immolarent agnum ad vesperam, cujus sanguinem ponerent super utrumque postem domus, et in superliminaribus domorum in quibus illum comederent, D ut viso hoc signo angelus percutiens transiret, nemine in domo illa læso. Quod cum fecissent, et nocte illa Dominus omne primogenitum in terra Ægypti percuteret, omni tamen domo salva quæ fuerat sanguine agni respersa egressus est omnis equitatus ille Domini de terra Ægypti, quem cum persequeretur, Pharao cum curribus et equitibus suis, submersus est in mari Rubro ; ipse equitatus mare idem sicco pede transgresso (*Exod.* XII-XV).

Si mentis oculos adhibeamus perpulchrum est considerare quid in se mysterii contineant exitus ille de Ægypto, immolatio agni vespertini, conspersio sanguinis in postibus et superliminaribus domorum, persecutio Pharaonis et submersio ipsius,

Digitized by Google

populi quoque liberatio, ad postremum in terram repromissionis introductio, et quantum ad Ecclesiam universalem horum omnium pertineat assimilatio. Simul etiam incipere libet quomodo ipsum populum Dominus præcessit per columnam nubis in die, in nocte per columnam ignis, et virga illa prætulerit quæ tot signorum effectrix divino imperio exstitit.

Ad hujus ergo similitudinem equitatus qui in figura præcessit dispositus est sive disponitur mirabilis ille equitatus Domini in quo militaverunt et militant, primo quidem apostoli et martyres, denique sacerdotes et diversæ professionis ordines, deinde illorum successores induti armatura Dei, hoc est lorica justitiæ, scuto fidei et gladio spiritus quod est verbum Dei (*Ephes.* VI). Quid ergo est equitus iste? nimirum sancta universalis Ecclesia in qua quidquid tunc in re tantum præcessit, nunc in sacramento et re sacramenti quotidie peragitur. Nam quid est immolatio agni ad vesperam, nisi passio Christi in fine sæculorum; cujus Agni sanguis super utrumque ponitur postem quando passionis Christi sacramentum et ore ad redemptionem sumitur et ad 49 imitationem intenta mente cogitur. In superliminaribus quoque domorum sanguinem agni ponere est et intentionem mentis in qua per cogitationem habitamus, ad imitationem Dominicæ passionis dirigere et corporis in quo vivendo habitamus frontem signo ipsius passionis munire.

Ille ergo antiquus Domini antiquitatus per immolationem agni ab Ægyptia servitute liberatus, transito mari Rubro, submersis hostibus post datam et acceptam in eremo legem, terram repromissionis intravit. Hic vero novus Domini equitatus post passionem Christi jugo diabolicæ damnationis excusso, per baptismi ablutionem, submersis animæ hostibus, hoc est vitiis et peccatis, per fidem et observationem Evangelii terram repromissæ æternæ hæreditatis accepit. Hunc equitatum suum Dominus præcedit, in die per columnam nubis, in nocte per columnam ignis, qui sanctis qui per diem intelliguntur, mitem et mansuetum se præbet lenitate misericordiæ: peccatoribus vero qui per noctem accipiuntur, terribilem se exhibet terrore judicii.

Sane mirabilis et gloriosa secundum mysterium fuit in illo equitatu virgæ deportatio, per quam Deus in populo suo prodigia et signa potentiæ suæ ostendisse memoratur. Nonne satis convenienter per hanc virgam præfigurari potuit lignum Dominicæ passionis, quæ est unica spes et summa totius nostræ salutis?

Plane Ecclesia Domini quæ huic equitatui ipsius voce assimilatur, hoc mirabile crucis signum in omnibus officiorum suorum ordinationibus, omnium sacramentorum et mysteriorum dogmatibus, omnium sacra dandarum rerum utilitatibus veneraliliter præfert; nihil poterit in eis esse ratum vel sanctum, nisi quod fuerit hujus signi prælibatione confirmatum.

Ipsius nempe Ecclesiæ, quæ etiam equitatus Domini non incongrue dicitur, quasi antesignanus est Christus passus, qui hoc victorioso mortis suæ signo eam jugiter præcedit, contra illos primarios Pharaonis equites et currus et contra omnes ejus pravæ suggestionis impetus et iniquæ machinationis incursus. Nam iste primarius, ut dicimus, Pharao, qui est caput iniquorum et cujus capitis membra sunt omnes iniqui, oppositus et contrarius est illi primario duci et auctori hujus equitatus Christo Domino, qui est caput omnium electorum, et cujus capitis membra sunt omnes electi, atque ideo isti duo equitatus, Dei videlicet et diaboli semper sibi repugnant; utpote cives duarum civitatum sibi contrariarum.

Civitas Dei est congregatio fidelium qua ab Abel justo usque ad ultimum tendit electum, qui *non* habent *hic manentem civitatem, sed futuram* inquirunt (*Hebr.* XIII). Porro civitas diaboli synagoga infidelium, quæ a Cain reprobo usque ad 50 ultimum reproborum determinabitur qui, sicut Cain qui primus civitatem ædificavit, terrena quærunt et diligunt, cœlestia autem parvipendunt; civitates autem dicuntur eo modo locutionis quo ponitur id quod continet pro hoc quod continetur, non quod ædificiis contineantur, sed quia locales et circumscripti sunt; ista receptu beatitudinis, illa miseriæ; disposita utrobique una eademque re, sive beatitudine sive miseria, multiplici retributionum disparitate, pro diversa meritorum qualitate.

Ista vero civitas quæ præsens Ecclesia accipitur permista est bonis et malis, sed ipse et certitudine futuræ discussionis secernitur, ut ideo duæ civitates in hac una dicantur, quia pars bonorum pertinet ad illum receptum beatitudinis, quæ superna Jerusalem, id est *visio pacis* interpretatur; pars vero malorum ad illum receptum miseriæ, quæ Babylon, id est *confusio* nuncupatur.

Illa sane civitas quæ est congregatio justorum, equitatus et currus Dei sunt, de quibus dicitur: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium in eis* (*Psal.* XLVII), in quibus curribus sunt etiam illi, de quibus Deo per prophetam dicitur *qui ascendis super equos tuos; et equitatus tuus sanitas est* (*Habac.* III). Equi enim ejus sunt sancti quibus præsidet ipse, qui aperto sigillo primo, hoc est revelato incarnationis mysterio exivit in equo albo, corpore scilicet candido et immaculato, utpote de Virgine, non humano more, sed Spiritus sancti virtute concepto et nato: et hujus equitatus sui dux fuit in tempore, verbo et exemplo, futurus post completam militiam remunerator ejus sine tempore, inedicibilis boni præmio et æterni sui regni participio. Nimirum processionis hujus gloria in laudem ipsius præeuntis ducis in toto celebratur mundo, qualiter Spiritus sancti buccinam ipso duce personante, isti equi in curru Dei positi audacter perrexerunt in occursum pravitate et infidelitate armatis, ita ut in omnem terram exiret sonus eorum; ad quo-

Digitized by Google

rum prædicationis sonitum quotidie de omnibus mundi finibus concurrunt, ad finem venientes et huic equitatui se sociantes clamant cum propheta : *A finibus terræ laudes audivimus gloriam justi* (*Isa.* XXIV).

At contra ab opposito civitas illa quæ est synagoga infidelium. Currus et equitatus sunt Pharaonis, id est diaboli, sub cujus curru sunt equi illi rufi, nigri, albi et varii : rufi quidem sanguine sanctorum quos occiderunt, nigri peccatorum deformitate, albi ficta fide et operatione, varii doctrinarum et sectarum diversitate, quibus omnibus præsidet ille, qui aperto sigillo **51** quarto, hoc est passione Dominica instante, exivit in equo pallido, persecutionis videlicet sive mortis signo, ut pugnaret per eos qui mortui erant Deo contra eos qui vivebant Deo, sicut et ibi subditur, quia *infernus sequebatur eum, et data est ei potestas super quatuor partes terræ occidere et interficere gladio, et fame, et morte, et bestiis terræ* (*Apoc.* VI). Equitatui enim ejus recte inferus comparatur propter insatiabilem crudelitatem, quæ per quatuor mundi partes post passionem Domini desævit, quatuor supradictis afflictionum speciebus, videlicet gladio, fame, morte, bestiis terræ; in cujus miserabili equitatu primi et notiores fuerunt præsentis ducis sequaces: in passione quidem illius ducis supra in albo equo venientis. Herodes et Pilatus et post eos plures Romanorum imperatores, equitatum illum sanctissimum gloriosi ducis diversis mortium generibus per omnes mundi partes interficientes, post quos ultimus omnium Antichristus major : contra hunc insania movebitur, quia in eo principaliter præsidebit ille pallidi equi sessor ad seducendos inhabitantes terram atque etiam si fieri potest electos (*Matth.* XXIV). Nam de hoc nomine extollente se *supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (*II Thessal.* II), sciendum quod sicut incarnata Veritas in prædicatione sua ex equitatu suo, pauperes, idiotas et simplices elegit ; sic econtra ille ad prædicandum falsitatem suam astutos ac duplices atque hujus mundi sapientiam habentes electurus est. Unde per Isaiam dicitur : *Væ terræ cymbalo alarum quæ est trans flumina Æthiopiæ, qui mittit in mare legatos et in vasis papyri super aquas* (*Isa.* XVIII).

Terra quippe cui *væ* dicitur, ille principaliter homo est damnatus, qui alarum cymbalum vocatur, quia hi qui per superbiam in altitudinem cogitationis evolant, eumdem perversum hominem prædicando sonant. Quæ videlicet terra recte *trans flumina Æthiopiæ* esse perhibetur. Æthiopia enim nigrum populum nutrit, et omnem hominem mundus iste quia peccatorem profert, quasi nigrum Æthiopia populum parit : sed terra cui *Væ* dicitur *trans flumina Æthiopia* esse perhibetur, quia damnatus ille homo tanta perversitate iniquus est, ut omnium peccatorum peccata transcendat. *Qui mittit in mare legatos*, quia prædicatores suos in sæcula spargit : de quibus recte subditur, qualiter mittantur, dum dicitur, *in vasis papyri super aquas.* Ex papyro quippe charta est. Quid namque per papyrum nisi sæcularis scientia designatur? Vasa ergo papyri sunt corde sæcularium doctorum. *In vasis* igitur papyri *super aquas legatos* mittere, est prædicationem suam in sapientium carnalium sensibus ponere et defluentes ad culpam populos vocare.

Iste ergo equitatus quo principe, qua cohorte sit dispositus, Ezechiel **52** propheta insinuat cum dicit : *Ibi Assur et omnis multitudo ejus, et in circuitu ejus sepulcra illius* (*Ezech.* XXXII) Quid enim Assur superbi regis nomine exprimitur, nisi de quo scriptum est : *Et ipse est rex super omnes filios superbiæ?* (*Job* XLI.) Ubi *autem Assur*, ibi *omnis multitudo ejus*, quia nimirum omne corpus reproborum capite suo adhæret quando ejus perversis legibus se constringens, in illius se militiam exhibet. *Et in circuitu ejus sepulcra illius :* sepulcra mortuorum cadavera tegunt, quæ ergo sunt illius sepulcra nisi perversorum corda, quæ illum ab æternæ vitæ beatitudine mortuum, in se per desideria carnalia sepeliendum recipiunt. *In circuitu* ergo *ejus sepulcra illius sunt*, quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodum tumulum per tormenta conjungit.

Quis vero fructus sit hujusmodi equitatus idem propheta paulo post denuntiat, dicens : *Qui descendunt ad infernum cum armis suis* (*Ezech.* XXXII). Arma peccantium sunt membra corporis quibus mala desideria quæ mente concipiunt, exsequuntur; unde per Paulum dicitur : *Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Cum armis ego suis ad inferna descendere est cum ipsis quoque membris, quibus desideria voluptatis expleverunt, æterni judicii tormenta tolerare.

Hujus ergo Pharaonici equitatus oppositione Dominicus : ille equitatus agnoscitur quia si nunquam bonus fuit quem malorum pravitas non exercuit, merito ad hunc Domini equitatum sive ad hanc Domini civitatem pertinere censebuntur, qui illum oppositum sibi equitatum, sive contrariam civitatem duci suo constanter adhærentes patientia et spiritu fortitudinis oppugnant, tanto se humilitatis, patientiæ, longanimitatis aliarumque virtutum decore perornantes, ut sponsa Domini sui et universaliter tota Ecclesia et singulariter quælibet sancta anima convenienter prædicentur

De qua videlicet universali Ecclesia Joannes in Apocalypsi : *Vidi*, inquit, *civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo* (*Apoc.* XXI). Dicit ergo huic sponsæ suæ Dominus quod merito non debeat timere hanc oppositam et contrariam sibi diaboli civitatem sive equitatum, eo quod eam assimilaverit *equitatui* suo *in curribus Pharaonis :* ut sicut ille quondam de Ægypto liberatus post immolationem agni, post transitum maris Rubri, post submersionem hostium, hymno laudis pro victoria celebrato, post datam et servatam in deserto legem terram repromissionis intravit ; sic ipsa ex Ægypto hujus mundi liberan-

Digitized by Google

da, post baptismi sive compunctionis gratiam, post susceptionem corporis et sanguinis Domini post mortificationem vitiorum et divinæ legis observationem. Triumphato 53 demum omnis diabolicæ oppressionis equitatu, cum gratiarum actione pro impensa sibi tanti muneris largitate ex hujus vitæ solitudine ad æternæ repromissionis hæreditatem esset intratura.

Non autem abs re ad incitandos animos spiritualium bellatorum in hujusmodi equitatu considerare quæ sit proportio sive comparatio, inter veritatem et figuram, tumque inter utriusque pugnam et pugnæ causam, inter victorem et victum. Nempe secundum similitudinem quam poscimus inter significans et significativum, potest quidem esse comparatio aliqua, sed secundum dignitatem rei prorsus nulla. Est autem ista propositio inter ea quæ posuimus, sicut se habet veritas ad figuram, ita se habeat victor ad victum, sic quoque pugnæ causa ad pugnam, ut sit quasi proportio centenarii ad unitatem, videlicet centupla. Nam hæc est promissio Domini in Evangelio, ut *qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet* (*Matth.* XIX), non quod ipsas res quas reliquit centuplicatas accipiat, « sed quod comparatione et merito sui ita sint, quasi parvo numero centenarius comparetur. » (HIERONYM.) Quamvis et pro perfectione centenarius accipi soleat, ut secundum quod diximus tantæ sint dignitatis veritas ad figuram, causa pugnæ ad pugnam, victor ad victum, ut sit melioris partis perfectioni et alterius imperfectioni nulla prorsus sit comparatio. Pugna enim est vita hominis super terram, causa pugnæ est æterna et incommutabilis vita, pro qua in præsenti vita, tota virtute animi pugnandum et laborandum est. Victus diabolus, et ejus equitatus; victor ipse diaboli et ejus equitatus triumphator: figura est res præter sacramentum, veritas res cum sacramento. Illa enim antiqui Dei circumcisio et transitus per mare Rubrum, sive cibus mannæ vel legislatio, sive carnaliter pugnativum fuga et victoria, figura erant earum rerum quæ nunc aguntur in sacramento baptismi et corporis sanguinisque Domini atque observatione evangelicorum præceptorum, belli quoque contra hostes animæ spiritualiter pugnantium Domini bellatorum.

Comparemus ergo utrumque equitatum Domini significantem et significatum, eum qui est secundum spiritum, eamque proportionem dicamus esse inter eos, quæ est inter carnem et spiritum, inter corruptionem et incorruptionem, inter temporalitatem et æternitatem, tantumque proportior est veritas figura, quantum spiritus carne, incorruptio corruptione, æternitas temporalitate. Ex utraque vero parte, hoc est figura et veritate longe sunt dissimiles pugna et pugnæ causa, victor et victus. In illa enim hoc est in figura pugnabatur carnaliter pro re carnali, corruptibili et temporali; in ista hoc est in veritate pugnabatur 54 spiritualiter pro re spirituali, incorruptibili et æternali. Ibi expugnavit victor carnalis victum carnalem, hic vero expugnat spiritualis spiritualem; ibi fortitudine corporis, hic fortitudine mentis.

Proportio ergo veritatis ad figuram comparatione et merito sui potest esse quasi centenarii, ad unitatem, id est centupla, sive propter perfectionem sui quæ per centenarium significatur, sive quia centenarius de sinistra ad dexteram translatus coronam exprimit beatitudinis, quæ est præmium fortissimum, in hoc Domini equitatu bellatorum.

Proposita vero pugna et pugnæ causa in hujus biformis equitatus intentione contraria, considerandum qua vi et fortitudine utraque pars armetur, ut ex hujusmodi affectione locus argumenti sumatur, si fit quæstio, quis in Domini quis in adversarii agmine sit deputandus. Diximus autem quia pugna sit vita hominis cujusque, sicut in Job (*cap.* VII) scriptum est: *Militia hominis vita ejus*, sed vita ipsa constituitur secundum affectionem qua afficitur animus, secus quem tota vis et fortitudo pugnantium consistit.

Ponamus ergo ut vis illa qua afficitur animus in equitatu Domini pugnantis sit dilectio Dei: omnis enim qui pro justitia et veritate laborat et pugnat, pro ea re laborat et pugnat quam diligit; justitia autem et veritas Deus est, Deum ergo diligit. Amplius: qui pro vita æterna adipiscenda laborat et pugnat, pro re quam habere desiderat diligit; vita æterna autem ipse Deus est, Deum ergo diligit: et quia eum diligit, habere desiderat ideoque pro eo laborat et pugnat.

Quocirca si quærimus quid sit Deum diligere, ex hujusmodi cognoscimus definitione: *Deum est diligere pro justitia et veritate et æterna adipiscenda vita toto animo laborare et pugnare.* Definitio æqualis est rei quam definit; convertitur enim, nam pro justitia et veritate et æterna adipiscenda vita toto animo laborare et pugnare Deum diligere est.

Locus ergo sumatur a definitione, ut probemus eum esse in equitatu Domini, cujus animus per gratiam tanta dilectione Dei affectus est, ut pro justitia et veritate et æterna adipiscenda vita etiam mori non refugiat. Maxima enim propositio est cui definitio adest, id quoque adest quod definitur. Diffinitum quippe est, hoc est *Deum diligere pro justitia et veritate et æterna adipiscenda vita laborare et pugnare*, adest quoque id quod definitum est, videlicet Deum diligere. Junguntur ergo inseparabiliter dilectio Dei et equitatus Domini cum constet neminem Deo militare, nisi qui probatur 55 eum diligere, neque constet Deum diligere, nisi qui probatur ei militare.

Contrarius autem huic equitatui Domini est equitatus diaboli, in quo ea vis qua afficitur animus in hac parte militantis est invidia, quæ inseparabiliter quoque suo adhæret subjecto. Nam in hac parte contraria semper est invidia, et e converso ubi est invidia ibi hæc pars contraria. Sumatur ergo et hic locus argumenti a definitione, si quæritur quis in hac parte merito sit comparandus.

Invidere enim est aliena felicitate torqueri et e converso aliena felicitate torqueri est invidere ut definitio sit æqualis rei quam definit. Tale ergo argumentum proponitur, ut dicatur omnem qui invidet non diligere proximum, quia alienum bonum nollet esse; non autem diligere proximum, hoc esse non diligere Deum. Cumque Deum diligere constet in equitatu ejus esse, proximum autem non diligere, sicut dictum est, Deum non diligere. Invidere ergo in parte contraria, hoc est equitatu diaboli esse, sunt ergo sibi contraria sicut equitatus, sic ipsius equitatus et affectio et causa divina: affectio enim in una parte est dilectionis, in altera invidiæ; causa pro qua pugnatur in una parte vita æterna, in altera transitoria.

Neutra autem pars ita in alteram transire potest, A ut uno eodemque tempore, unum idemque simul esse possint: non enim consequens est ut qui invidiæ morbo tabescit in equitatu Domini esse possit, et qui dilectione Dei impellitur in equitatu diaboli computetur; sed qui pugnat pro vita transitoria, vult quoque secum trahere proximum, cui non cupit bona æterna; *Invidia enim diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Sap.* II); qui vero pugnat pro vita æterna vult secum ducere proximum, cui ut vere diligens quasi sibi ipsi cupit bona æterna, ut impleat hoc quod dicitur: *Qui audit, dicat: Veni* (*Apoc.* XXII). Qui enim de bonis perennibus aliquid audiens et intelligens proximo quoque suo eadem docendo et exhortando communicat, ostendit quod vere eum diligit, quem secum ad ipsa bona intelligenda et promerenda invitat.

56 FIGURA.



Digitized by Google

57 Hoc ergo considerantur quatuor contraria, duo bona duobus malis opposita. Quorum ratio ut evidentius appareat, sic ea quadrata formula disponat, ut linea superior e regione duo contineat et linea inferior e regione similiter duo habeat : sicque apparet in utrisque lineis eorum prima fronte contrarietas, in utrisque autem lateribus inveniuntur quæ se invicem sequuntur, hinc duo bona per gratiam, superius dilectionis, inferius equitatis Domini : inde duo mala, superius invidiæ, inferius equitatis diaboli. Angulariter vero sic utrinque repugnant, ut simul esse nequeant.

VERS. 9. — *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia.*

Adhuc ampliori gratiæ suæ ostensione sponsus sponsam ad cognitionem sui adducit, dum ejus nunc pulchritudinem prædicat, cujus ante fortitudinem prædicaverat ut hujus geminæ virtutis conjunctionem talem insinuet, quod altera sine altera esse non possit, cum una sit custodienda vitæ munimentum, altera custoditæ ornamentum : fortitudine enim spiritus opus est ad ipsam integritatem vitæ custodiendam, pulchritudine ad ipsam integritatem bonis operibus exornandam. « Nihil enim est castitas sine bono opere, nec opus bonum est aliquid sine castitate. » (GREGORIUS.)

Præmissa ergo virtute fortitudinis subditur necessaria virtus pulchritudinis, ut demonstretur neminem in cunctis officiosi animi studiis aliquid fortiter egisse, si adhuc constiterit cum per munditiam mentis et corporis non pulchre auxisse. Verum pulchritudo ista geminata protenditur gratia, dum generaliter uno quidem nomine pulchritudinis, specialiter alia pulchritudo genarum, alia colli describitur, quarum differentia, ex rerum quibus comparantur qualitate colligitur.

Nam cum hac enuntiatione duo sint subjecta, unum prædicatum, subjecta quippe sunt genæ et collum et prædicatum quod pulchra sunt, non potest tamen hoc in loco uno eodemque modo æqualiter inesse duobus subjectis unius prædicati accidentis natura : potest quidem per gratiam Dei unum prædicatum pluribus inesse subjectis, ut videlicet pulchræ sint genæ, pulchrum sit collum, sed alio modo, ut diximus, pulchritudo genarum, alio modo pulchritudo colli describitur, cum tamen de utrisque pulchritudo prædicetur, atque ideo hoc loco duo subjecta suscipiunt quidem se, sed non quæ aliter unum prædicatum.

Sed si diversitates pulchritudinis hujus colligere volumus, inspiciendæ sunt res quarum similitudo inducitur, turtur scilicet et monilia ut ex earum sive naturali sive materiali qualitate discernantur : naturalis enim pulchritudo in turture, materialis in monilibus.

58 De turture tradunt Physiologi tria naturæ insignia, unum quod tantæ castitatis sit, ut perdita conjuge alteram ulterius non requirat; alterum quod pro cantu gemitum habet, tertium quod secreta loca petens amica gaudet solitudine, ibi nidum exstruens et pullos educans ubi nulla adversantium sit injuria, dum vix aut nunquam ejus poterunt inveniri refugia. Quid per turturem qui castitatem diligit, qui pro cantu gemit, qui secreta petit, nisi castitatis, compunctionis, contemplationis pulchritudo exprimitur. Hæc enim mirabilis pulchritudo genarum hujus modi triplici distinguitur modo, secundum triplicem hujus animalis naturam, et cum unum sit subjectum, tria prædicata, ipsa tria et in subjecto sint et de subjecto prædicentur, quando per Dei gratiam pulchræ sunt genæ, et castitatis et compunctionis et contemplationis virtute. Habent enim hæc singula genarum insignia probabilia suæ pulchritudinis signa. Castitatis nempe decorem denotant genæ roseo pudicitiæ pudore vernantes, et obstipo capite figentes lumine terram, compunctionis vero gratiam loquuntur, salubri lacrymarum fonte madentes, contemplationis quoque virtutem denuntiant, jejuniorum vigiliarum et sanctorum meditationum studio et labore pallentes.

Sed cum, ut supra posuimus, alia sit pulchritudo genarum, alia colli, genarum quidem pulchritudinem in tres divisimus species, castitatem scilicet, compunctionem et contemplationem, ut his quasi subalternis generibus positis, rursus alia fiat subdivisio, dicaturque quod castitas alia virginalis, alia vidualis, alia conjugalis; compunctio alia reconciliatoria, alia amatoria; contemplatio alia naturalis, alia intelligibilis, tertia intellectibilis.

Castitas enim virginalis sempiterna est animi et corporis integritas, castitas vero vidualis animi devotatio continentiæ decore laudabilis; porro castitas conjugalis est animi corporisque copulatio fidei et pudicitiæ gratia commendabilis. Compunctio vero reconciliatoria est quando quis superna visitatus gratia ex recordatione peccatorum ad dolorem compungitur et dum per lamenta pœnitentiæ affligitur, Deo quem offenderat reconciliatur : prius enim mens timore compungitur, post amore. Unde pars altera compunctio amatoria non incongrue nuncupari potest, quando mens tanto ad Deum amore succenditur, ut quæ prius flebat ne reduceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipiat, quia differtur a regno. Cujus duplicis compunctionis gratia bene in sacra veracique historia, figurata narratione describitur, ubi Axa filia Caleb super asinam sedens a patre suo irriguum inferius et irriguum superius, petisse memoratur (*Jud.* I).

59 ..... Axa quippe super asinam sedet cum irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet, quæ suspirans a Patre terram irriguam petit, quia a Creatore nostro cum magno gemitu quærenda est gratia lacrymarum. A quo irriguum superius animæ accipit, cum sese in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit : irriguum vero inferius accipit cum inferni supplicia flendo pertimescit.

Sed cum istæ duæ sint species compunctionis, tamen ipsa compunctio quatuor distinguitur quali-

Digitized by Google

tatibus, quia justi viri anima in compunctione vehementer afflligitur, cum aut malorum suorum reminiscitur considerans ubi fuit aut judiciorum Dei sententiam metuens et secura quærens cogitat ubi erit; aut cum mala vitæ præsentis solerter attendens mœrens considerat ubi est, aut cum bono supernæ patriæ contemplatur, quæ quia nondum adipiscitur lugens conspicit ubi non est.

Tertiæ vero speciei, id est contemplationis sive speculationis prima pars est illa quæ dicitur naturalis, quæ circa corpora atque eorum scientiam cognitionemque versatur quam Græci physiologiam appellant, quæ naturas corporum passionesque declarat. Secunda vero pars est intelligibilis, quæ omnium cœlestium supernæ divinitatis operum et quidquam sublunari globo, beatiore animo atque puriore substantia valet, et postremo humanarum animarum mirabilem dispositionem, cogitatione atque intelligentia comprehendit. Porro tertia pars dicitur intellectibilis, quando mens extra visibilia supra se ad aliud invisibile ducitur, quod unum atque idem per se in propria semper divinitate consistens, nullis unquam sensibus, sed sola mente intellectuque capitur : hæc enim ad speculationem Dei atque animi incorporalitatem considerationemque veræ philosophiæ indagine componitur quam partem Græci theologiam nominant.

Sane in his divisis partium partibus considerandum, quod si invicem sibi conferantur, una altera proportior est juxta excellentiorem alteratæ pulchritudinis dignitatem. Castitas namque virginalis proportior est castitate viduali et conjugali, dum eis solius professionis sit meritum, *canticum novum dicere et Agnum quocunque ierit* sequi (*Apoc.* XIV).

Porro compunctio illa præstantior est quæ ex amore, quam illa quæ ex timore generatur, quanquam per istam ad illam perveniatur, sicut filius præjudicat servo, quia timere est servorum, diligere filiorum. Contemplationis vero illa pars quæ dicitur intellectibilis, ad duas reliquas incomparabilis est, dum istarum speculatio circa creaturam versetur, illius autem ultra creaturam purificatæ mentis, oculo sublevata in ipsum creatorem, quamvis non perfecte, quantum tamen per gratiam ejus possibile fuerit, suspenditur, qua vir **60** sanctus quasi adeps a carne separatur, nihil exterius quærit aut cupit, sed ardenti desiderio Deum sitiens cum Psalmista proclamat : *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus; sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* LXI).

Hanc partem *tertium cœlum* Apostolus appellat, in quod dicit se *raptum et* audisse ineffabilia *quæ non licet homini loqui* (*II Cor.* XII).

Triplicem autem istam speciem pulchritudinis, familiaribus, ut credimus, vestrum sanctum collegium possidet, dilectissimæ sorores, quas beata solitudo ab omni sæcularium inquietudinum strepitu se posuit, ut quanto remotiores a mundo estis, tanto liberius castitatis decorem servare, compunctionis gratiam quærere, et in sanctæ contemplationis culmine stare possitis. Nempe ipsa vestra solitudo, delectabilis Domini hortus est ubi respirant rosa et lilium, virginitatis et martyrii testimonium; martyrii videlicet illius, quod sine effusione sanguinis potest esse, et in mente per exercitia virtutum, ubi sunt sanctæ contemplationis irrigua; ubi surgunt, florent et fructificant supernæ contemplationis arbuscula; ubi sunt omnia ista honesta ita composita, ut in eis sunt grata electa Spiritus sancti deambulatoria, dicentis : *Inhabitabo in eis et inambulabo; et ipsi erunt mihi in populum et ego vero eis in Deum* (*Lev.* XXVI; *II Cor.* VI). Sed valde cauta circumspectione vobis attendendum est ne tanti boni privilegium aliqua sæcularitate vel inani levitate perdatis, ne ille vester dulcissimus et potentissimus inhabitator et deambulator irritatus a vobis refugiat, dicens, *quod non habeat ubi caput reclinet* (*Luc.* IX).

Quia vero supra diximus aliam esse pulchritudinem generum, aliam colli, pulchritudinem autem generum juxta modulum nostrum jam descripsimus; restat etiam nunc dicere de colli pulchritudine, quæ etiam in duo dividitur, hoc in prædicationem et incorporationem, ac primo de prædicatione dicendum, post de incorporatione. In collo guttur est, per guttur autem vox exprimitur, cibus quoque, cum dentibus commolitus fuerit, per guttur in ventrem trajicitur; per collum ergo prædicati sancti non absurde accipiuntur, in quibus est gemina ista pulchritudo, videlicet prædicationis et incorporationis. Pulchritudo ergo prædicationis in colli decore consideratur quia in collo vox est, et per vocem prædicatio agitur, et sicut vox est animi nota et tacentis cordis expressio, ita sanctorum prædicatio est omni homini expetenda, honesta reipublicæ demonstratio. Rem enim publicam hic dico, quæ pro sui honestate publice potest et debet assumi, scientia, voluntate actione, ut omne illud bonum cujus privatio malum est.

61 Nam castum esse, humilem, patientem, modestum, vel quidquid aliud est, quod virtutis nomine notatur, bonum esse manifestum est, cujus boni negatio, hoc est non esse castum, non humilem, non patientem, non modestum, malum esse consequens est. Cum autem alterutrum horum consequens sit, id est esse aut non esse, affirmationis hujus simplicis quæ proponit castum, aut humilem, aut patientem esse, simplicem negationem quæ dicit non esse sequitur affirmatio privatoria quæ dicit incestum, aut superbum aut impatientem esse. Idem enim est dicere non esse patientem quod est dicere impatientem, et malum illud quod est impatientia, privatio est boni illius quod dicitur patientia, eodemque modo de reliquis. Est ergo quædam respublica virtutum apparatus; rector autem et administrator hujus reipublicæ est imperator ille æternus, a quo bona cuncta procedunt et sine

Digitized by Google

quo non potest aliquid bonum dici vel esse.

Hanc ergo rempublicam docet et ostendit sanctorum prædicatio, per quam pars altera quam incorporationem diximus conficitur, quia sicut per guttur cibus in ventrem trajicitur ita per prædicationem sanctorum aliquis peccator a pravitatis suæ grossitudine confractus per conversionem Ecclesiæ incorporatur.

Sed cum gemina sit, ut diximus, pulchritudo colli, prædicatio scilicet et incorporatio, utraque per subdivisionem triplici distinguitur modo; quia prædicatio alia fit verbo, alia exemplo, alia verbo et exemplo: incorporatis vero alia per conversionem alia per satisfactionem, alia per conversionem simul et satisfactionem.

Prædicatio fit solo verbo, quia sunt aliqui in Ecclesia, qui hoc habent ex Dei munere, ut possint alios verbo exhortationis ædificare, sed infirmitate obstante, non valent adeo virtutum exempla dare. Fit etiam solo exemplo, quia sunt plerique qui donum perorandi in Ecclesia non habent, etsi quid sentiunt, palam proferre nequeunt, tantis tamen spiritualium operum documentis nitent, ut ad sui imitationem mirandis virtutum exemplis, mirantium animos provocent et quod illi verbis, isti loquuntur gestis, meliusque isti tacendo, quam illi declamando philosophantur. De qua gemina qualitate prædicationis dicit Apostolus: *Quia alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (*I Cor* XII); quia alii sunt, ut diximus, qui in sermone mandatorum divinorum observando per intellectum rationis sapientes sunt, sed in proferendo per ingenii tarditatem diserti non sunt; alii vero ipsum sermonem quem serenda capacis ingenii comprehendunt, affluentia eloquentiæ potenter effundunt.

Item prædicatio utroque fit modo, **62** hoc est verbo et exemplo, quando sancti doctores et divina habent gratia, ut quod ore prædicant, factis ostendant, et quæ docent vitanda in suis quoque factis indicent non agenda in quorum persona Psalmista ad Deum loquens, cum præmitteret, *et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar*, adjecit in sequentibus: *Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi, et exercebar in justificationibus tuis* (*Psal.* CXVIII): ac si patenter diceret: Legem mandatorum tuorum quam palam et confidenter prædicando pronuntiabam, operum quoque exsecutione comprobabam, ut auditores mei et in verbis meis audirent et in factis meis viderent, quæ pro sui utilitate et salute agere deberent.

Sane necessarium doctoribus Ecclesiæ hoc tertium pulchritudinis hujus prædicamentum, quia frequenter illorum prædicatio contemnitur, quorum vita a bono ipsius prædicationis aliena cognoscitur. Et valde ante omnipotentis Dei oculos delinquunt, qui concessa sibi prædicandi gratia nulla propter taciturnitatem animarum acquirunt lucra. Unde in Veteri Testamento præcipitur, ut sacerdos tabernaculum ingrediens in summitate vestimentorum, tintinnabula inserta habeat memoriatur (*Exod.* XXVIII), quia magnum doctoris periculum est, si Ecclesiam Dei sine sonitu prædicationis ingreditur: vestimenta autem sacerdotis sunt opera justitiæ sicut dicit Psalmista: *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psal.* CXXXI), quibus vestimentis tintinnabula inhærent, ut viam vitæ cum sonitu linguæ, ipsa quoque opera sacerdotis clament.

Altera vero pars pulchritudinis in collo, quæ est incorporatio, fit per conversionem, quia sunt aliqui qui de gentilitate ad Deum conversi per fidem et baptismi gratiam Ecclesiæ incorporantur, sicut de Cornelio legimus, qui intervenientibus per Dei gratiam bonorum operum meritis, præcurrente Spiritus sancti dono dignus ostensus est Ecclesiæ corpori conjungi (*Act.* X).

Nam cum ab his qui ex circumcisione crediderant quasi immeritus repellerentur necessarius super eum advocatus cecidit Spiritus sanctus cujus dignationi placuit ostendere, quia et hunc Deus vellet per fidem et baptismum suæ incorporari Ecclesiæ.

Alii quoque per satisfactionem Ecclesiæ incorporantur qui, dum primo quidem de corpore Ecclesiæ sint per fidei unitatem, culpis tamen suis exigentibus, interdum ab Ecclesiæ corpore sententia peremptoria præciduntur; sed resipiscentes per satisfactionem, iterum ad corpus unde præcisi fuerant, sententia reconciliatoria conjunguntur. Unde et Apostolus Corinthiis scribens, eum qui crimen perpetraverat, præcipit tradi *Satanæ in interitum carnis, ut* **63** *salvus sit in die Domini* (*I Cor.* V): quem per satisfactionem postea emendatum rursum jubet Ecclesiæ incorporari, ne abundantiori tristitia absorbeatur.

Per conversionem vero simul et satisfactionem aliqui incorporantur, qui et fidem credendo suscipiunt et crimina sua confitendo per pœnitentiam et baptismum corpori Ecclesiæ conjunguntur. Hinc est quod Petrus interfectoribus Christi prædicans: *Pœnitemini*, inquit, *et convertimini ut deleantur peccata vestra* (*Act.* III), ostendens per præmissionem conversionis et satisfactionis remissionem consequi peccatorum, quæ sola fit in catholica Ecclesia, quia ipsa remissio est plane Ecclesiæ incorporatio. Sed cum in prioribus modis, quos supra separatim posuimus, dicentes incorporationem fieri, nunc per conversionem, nunc per satisfactionem utrobique possit esse et conversio et satisfactio, tamen propter majorem et evidentiorem alterutræ partis exhibitionem, eos distinximus. Nam quilibet sanctus cum non una, sed pluribus ornetur virtutibus, eo tamen magis de eo virtus prædicatur, quo in eo proportior esse agnoscitur. Unde et Apostolus cum divisiones gratiarum describeret, dixit: *Quia alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum: alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (*II Cor.* XII); non quod in hoc aliarum gratiarum,

Digitized by Google

quorumlibet habeat, qui unam habuerit, sed quia eam gratiam magis dicitur habere, quæ in ea fortior et abundantior cognoscitur esse. Et in Cornelio nullam de præterita vita satisfactionem legimus, sed quia ab angelo dictum est ei orationes et eleemosynas ejus esse exauditas atque idcirco jubetur mittere post Petrum, cujus doctrina ad fidem informatus, per conversionem fieret Ecclesiæ membrum (*Act.* x). Qui vero ad fidem conversus est, sed aliqua ex culpa per excommunicationem ab Ecclesia separatur, satisfactione opus habet, ut recipi mereatur, quamvis et ipsa satisfactio possit dici pristini erroris conversio.

Quia vero pulchritudinem duplici distinximus modo, ipsosque modos in alios subdivisimus, restat nunc dicere, cur ipsa pulchritudo monilibus comparatur.

Monile est ornamentum pectorale matronarum, dictum a *muniendo*, eo quod pectus earum muniat, ne aliquis adulter pudicitiæ pudorem in aliquo lædat. Monile autem non quodlibet, sed quod operose accurati artificis manus exprimit, ex auro et gemmis componitur ita ut majusculam gemmam in medio 64 positam, aliæ ab ea æqualiter distantes gemmulæ cingant.

Quid autem per aurum nisi sapientia, quid per gemmas nisi virtutes exprimuntur? ex auro ergo et gemmis monile componitur, quia ex intellectu sapientiæ et virtutum decore quoddam spirituale et necessarium animæ ornamentum efficitur, quod ita pectoris nostri secreta muniat, ut nullam malitiæ suæ manum antiquus hostis ei immittere audeat.

Foramina vero quædam fiunt in ipso artificiali ornamento quibus gemmæ includantur. Quid autem sunt hæc foramina nisi sensus nostri exteriores qui sunt quasi quædam instrumenta actuum nostrorum? nam oculorum demissio et honesta sive disciplinata vultus compositio, gemma est pulcherrima virtute humilitatis fulgida : auris vero Dei et prælatorum præceptis obediens gemmam præfert obedientiæ; porro in naribus gemma sanctæ discretionis rutilat : os vero gemmam triplici virtute radiantem demonstrat, videlicet abstinentiæ, taciturnitatis, et honeste, ac utiliter prolatæ locutionis manus vero gemmam duplici fulgore, hoc est continentiæ et munificentiæ respersam, spectabiliter assignant.

Inter has medio loco posita major et præclarior sanctæ charitatis gemma principaliter in pectore fulget quæ tantum hujus ornament decorem supplet ut nihil pulchritudinis absque ea haberi probetur : nempe sive charitate nulla virtus, vel esse vel dici potest quia *in duobus præceptis* Dei videlicet et proximi *universa lex pendet et prophetæ* (*Matth.* xxii).

Pulchre ergo monilibus ex auro gemmarumque materia constantibus collum sanctæ Ecclesiæ sive fidelis animæ comparatur, quia per prædicationem et unanimitatem sanctorum, sensus nostros ex sapientiæ claritate et virtutum sanctitate ita componere debemus ut quoddam nobis ornamentum animæ quo sponsus ille cœlestis delectetur, constituamus, sed quia ejusdem Ecclesiæ prædicatoribus necessaria est utriusque Testamenti pagina ex quo accipiant prædicationis suæ ordinem et modum subditur ex persona ipsius sponsi sive illorum per quos Ecclesiæ scriptura ipso inspirante edita est, quorum quidam eodem tempore erant quo hæc Salomon loquebatur, quidam post futuri erant.

Vers. 10 — *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.*

Murenula est quoddam genus ornamenti velut catenula ex auro contexta, et argenteis interdistincta virgulis in modum vermicularum, dicta ob hoc murenula, quod instar murenæ lenta et flexuosa sit sive involuta. Nam murena 65 dum capitur in diversa se flectit et involvit. Per murenulam ergo auream argento vermiculatam, sacram accipimus Scripturam, cujus interior sensus propter eminentiam et dignitatem sui comparatur auro, eloquium vero quo ipse sensus exprimitur propter claritatem et luculentiam argento designatur. Sacra quippe Scriptura aurea est, quia fulgore sapientiæ resplendet; argentea, quia eloquii claritate nitet. Sed quia hæc eadem Scriptura in duo dividitur, hoc est in Vetus et Novum Testamentum, ideirco pluraliter dicitur : *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*, ut ostendatur utrumque Testamentum et fulgore interioris sensus aureum et nitore eloquentiæ argenteum esse.

Quæ duo Testamenta murenulæ dicuntur, quia in diversos modos expositionum flecti possunt, multis involuta sententiis, tantum ut nihil fidei contrarium sonent. Quæ cum, ut diximus, aurea sint appretiatione præcellentis scientiæ eloquii tamen claritate distincta argento vermiculata memorantur, quia ipsius scientiæ fulgore, nunc humiliter, nunc mediocriter, nunc sublimiter intonant; nunc vero historiam, nunc allegoriam, nunc moralitatem, non simpliciter, sed multipliciter explicant. Unde et in Ezechiele dicitur quod euntibus animalibus *ibant pariter et rotæ sequentes ea, et cum stantibus stabant et cum elevatis pariter elevabantur* (*Ezech.* i) : quia nimirum sacræ Scripturæ juxta indagantis et intelligentis sensum stant sive moventur; stant quippe quando juxta litteram simpliciter intelliguntur; moventur autem, quando juxta spiritualem sensum sive allegorice sive moraliter exponuntur, et quo subtilius considerantur, eo altius cum intelligentis sensu elevantur.

Quia ergo non uniformiter, sed diversorum modis sensuum pulchra varietate a prædicatoribus Ecclesiæ, nunc allegorice ut diximus, nunc moraliter inflectuntur, atque hæc juxta capacitatem audientium, nunc humiliter, nunc sublimiter proferuntur, recte murenulæ aureæ argento vermiculatæ sponsi voce Ecclesiæ promittuntur, quæ quasi de collo ejus dependeant quando sanctorum

Digitized by Google

prædicatorum scientiam et eloquium ornant.

Non autem nihil rationis habet superiora breviter recapitulare, et qualiter ista inferiora ad illa continuentur, considerare superius cum dixisset sponsa : *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem*, eamdem formositatem perfecti non agnovit : unde et queritur quod tantus eam tentationum æstus affecerit ut et fratres sui contra eum pugnaverint. Sed hanc ejus pusillanimitatem sponsus arguit, docens quod non recte collatam sibi formositatis **66** gratiam attenderit, quæ formosam quidem se dixerit, sed ipsius formositatis quantitatem et qualitatem perfecte non agnoverit, quo circa posse contingere ut cum dissidere cœperit, a consortio sponsi sui egrediatur et varios mundi errores prosequatur. Unde sponsus solita pietate ad se ipsam reducens enumeratis concessæ formositatis partibus confortat, ut ipsa se recognoscens, quomodo et quantum formosa sit perfecte agnoscat, atque ex hoc ardentius sponsio inhæreat.

Est autem illa formositas, ut ita eam definiamus bene constitutæ mentis habitus, cujus partes sunt, fortitudo, pulchritudo, scientia sanctarum Scripturarum, quam jam ipse sponsus enumeravit : fortitudinem quidem eo loco ubi dixit : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea :* Pulchritudinem vero non uniformem, sed sicut supra distinximus, dum dicit : *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia :* scientiam vero Scripturarum, ubi dicit : *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.*

In maxima autem et principali propositione, quod inest partibus toti inesse necesse est : sumpto ergo argumento a partibus probat eam vere formosam esse, quia si species formositatis, hoc est fortitudo, pulchritudo, scientia sanctarum Scripturarum bene constitutæ mentis sit habitus idem esse necesse est et genus, quod est formositas; ac proinde cum se dixerit formosam, non debere timere adversa quam talem sponsi effecerit gratia. Quod si talem se per gratiam esse non agnoverit, ad sponsi consortium non pertinebit, dum hoc efficiat causa ignorantiæ, ut foris, per desidiam et negligentiam egrediens, a sponsi contubernio cogatur aberrare. Et est locus ab efficiente causa probetur, omnis qui collatæ in se gratia bonum non intellexerit, ipsius in se boni ex ignorantia negligentem esse, negligentem autem, Deo proximum non esse : sponsam igitur se ipsam ignorantem a sponsi consortio recedere et exteriora necessario quærere. Reducta ergo ad se, qualiter se agnoverit, et gratiæ sibi concessæ utiliter attenderit, subdendo demonstrat, dicens : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

VERS. 11. — *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

Accubitus regis est omnium temporalium Christi actionum dispensatio quia dignatus est de illa sua ineffabili divinitatis sublimitate se humiliare, et pro humana salute ad humanitatis **67** infirmitatem A se inclinare : primo quidem in uterum Virginis nascendo, deinde in crucem moriendo, in sepulcro jacendo et ad inferna descendendo; post de ipsa inclinatione sua se erigens resurgendo, et ad cœlos ascendendo.

In hujus vero dispensationis tempore, maxime ad virtutum incrementa succrescens Ecclesia, præcepto et exemplo Christi etiam docta est passionibus ipsius per patientiam communicare, dum in tantam ejus charitatem profecisset, ut nec ipsam vitam amori ejus præponeret, dicens : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

Nardus frutex est aromatica, radice gravi, crassa, brevi, nigra et fragili, folio parvo, densoque, cujus cacumina in aristas se spargunt, ideoque pi- B gmentarii gemina dote nardi spicas ac folia celebrant. Unde in Evangelio narratur mulier ad unctionem Domini attulisse : *Unguentum nardi spicati pretiosi* (*Joan.* XII).

Quid vero per nardum nisi virtus boni operis designatur? Radix vero boni operis charitas est; quia sicut de radice omnis herbarum virtus et vigor nascitur, ita ex sola charitate omnis boni operis virtus generatur.

Dictum est autem in radice nardi, diversas naturæ consistere qualitates, quas possumus ad multiplices charitatis referre virtutes. *Charitas enim gratia* est, quia omnibus præponderat virtutibus; quam *excellentiorem viam* Apostolus appellat, dicens : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro* (*I Cor.* XII). C Crassa vero est, utpote vivacioris succi juxta interiorem mentis vigorem quæ cæteris virtutibus effectum præbet sanctitatis, dum sine ea omnis virtus quasi sicca et arida remaneat : cujus pinguedinem Psalmista considerans qui se ad Deum sitienti desiderio vigilare pronuntiabat : *Sicut adipe*, inquit, *et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII). Brevis est quia de ea scribitur, quod *verbum abbreviatum et consummatum Dominus faciet super terram* (*Rom.* IX); verbum consummatum et abbreviatum charitas est, quia in ea omnium virtutum perfectio consistit, et una hæc dictio est hujus sanctæ universitatis conclusio : *Consummatum est hoc verbum charitatis, quia plenitudo legis est dilectio* (*Rom.* XIII), de qua D dicit Psalmista : *Omnis consummationis vidi finem* (*Psal.* CXVIII), non finem qui id quod est, non esse faciat, sed qui id quod non est, esse faciat et ad perfectionem adducat : abbreviatum est, quia omnis legis præcepta in hoc uno instaurantur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum; in his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII). Quam breve verbum tribus constans syllabis et septem litteris, sed omnem continens plenitudinem sanctitatis : *Deus* enim *charitas est* (*I Joan.* IV) **68** qui est trinus in personarum distinctione, unus in majestatis æqualitate et septiformis est Spiritus sancti gratia, per quem ipsa charitas in sanctorum diffunditur corda. Si ergo *Deus charitas est*, nihil autem boni sine

Digitized by Google

Deo esse non potest, qui charitatem quæ Deus est non habere convincitur, procul dubio bonus non esse concluditur.

Nigra quoque esse dicitur radix nardi, quia charitas quæ est radix, ut diximus, omnium virtutum, persecutionum et adversitatum omnium nigredinem libenter pro Deo et fratrum salute sustinet, quia sicut scriptum est : *Charitas patiens est* (*I Cor.* XIII). Fragilis vero est propter nimiam teneritudinem fraternæ compassionis, quia compellitur per viscera misericordiæ tribulari cum tribulantibus, infirmari cum infirmantibus, flere cum flentibus, dolere cum dolentibus, tristari cum tristantibus ; scriptum est enim : *Charitas patiens est, benigna est* (*ibid.*) : tanta enim benignitatis dulcedine charitas affluit, ut omnem proximi necessitatem suam putet, folio parvo densoque est quia charitas semper humilitatem exhibet, dum omnium virtutum copiosa densitate abundet. In aristas spargitur quia mens sancta divini amoris incremento succrescens, intelligentiæ acumine et subtilitate in cœlestia sublevatur.

Hæc ergo septem in radice nardi naturalia possunt non absurde accipi hæc quæ posuimus ex septiformi gratia procedentis charitatis præconia, quia sicut ex radicula nardi, foliorumque et spicarum adjectione, pretiosissimi fit unguenti confectio, ita ex charitate quæ est radix omnium bonorum et diversis virtutum speciebus electissima Spiritu sancto opifice fit sanctitatis confectio, qua sancta Ecclesia sive quælibet sancta anima quasi delibuta, suavissimum de se mittit odorem opinione et fama bonæ actionis, de quali odore dicit Apostolus, *quia Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II), et quidam sapiens : Fama, inquit, bona impugnat ossa : quia omnis virtus animæ enervatur, nisi hujusmodi compositionis pinguedine repleatur.

Hujusmodi ergo odorem dicit se dare Ecclesia, sive sancta anima ex hoc nardo pistico, id est fideli, qua delectetur ille rex et sponsus et sponsus cœlestis, *in accubitu suo*, hoc est in illo inedicibili sinus paterni secreto. Hoc est enim ejus accumbere in sinu Patris esse per eamdem essentiam et per eamdem divinitatis potentiam, est etiam ejus accumbere, ut supra posuimus, ad humanæ infirmitatis naturam se inclinare per admirabilem consummatæ dispensationis ordinem. Est quoque ejus accumbere in sanctæ mentis cogitatione habitare, per largissimam multiplicis gratiæ suæ dignationem.

Hujus nardi pistici pretiosi odorem **69** mulier illa evangelica quæ Dominum scribitur unxisse, in re et sacramento exhibuit : in re secundum historiam, in sacramento secundum tropologiam, quia pedes Domini ungere, fuit divinitatis ejus celsitudinem mentis sublevatione, quamvis per speculum et in ænigmate considerare. Caput ergo et pedes Domini ungere est divinitatem et humanitatem ejus credere et prædicare ; unde et de ejusdem unctionis virtute qua Maria Dominum unxit scribitur, quia *impleta est domus ex odore unguenti* (*Joan.* XII). Dominus quippe Ecclesia est, quæ hujus unctionis odore completur, quia Christum Deum et hominem credit et confitetur, hujusque fidei et confessionis rectitudine per totam mundi latitudinem diffunditur. Per hanc domum, id est Ecclesiæ universitatem, Joannes Evangelista odoris hujus suavitatem de capite et de pedibus Domini respergit, de capite quidem cum dicit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* : de pedibus vero cum dicit : *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (*Joan.* I).

Potest quoque et hoc modo intelligi unctio capitis et pedum Domini, ut qui vestigia sequitur Christi per activæ vitæ studium, pedibus ejus bene vivendo procumbat, sicque ad meliora de die in diem proficiens, per contemplativæ vitæ virtutem, quasi ad caput Christi Deo jugiter inhærendo se erigat. Unctio ergo pedum est virtus operatoria, porro unctio capitis virtus contemplatoria. Est enim suavissimi odoris oblatio bonæ actionis et sanctæ meditationis exercitatio qua delectatur in accubitu suo, Rex et Sponsus ille cœlestis exspectans et desiderans tali odore fragrantes secum collocare in æterno ipsius sui accubitus reclinatorio.

Sed ut ad istum æternum ejus accubitum pervenire possit sancta Ecclesia sive fidelis anima, in isto temporalis ejus dispensationis accubitu quo pro ejus salute nascendo et moriendo accumbere voluit, humilitatis, patientiæ atque obedientiæ ejus exempla sectando, in sua ei mente virtutum odore redolente accubitum paret quatenus ipse postmodum eam veluti sponsus sponsam, immaculatus immaculatam in regni sui thalamum sive accubitum introducat, ut sicut nunc in ea requiescit temporaliter per gratiarum diversitatem, ita ipsa dei ceps requiescat in illo æternaliter per gloriam sempiternam. Unde per subsequentia indicat eadem sponsa hanc præfixam clementis Sponsi esse sententiam, ut qui passionibus ejus per patientiam communicat, regno quoque ejus æterno per consolationem participet.

VERS. 12. — *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

70 Per myrrham quippe amaritudo passionis, per botrum dulcedo resurrectionis exprimitur. Dum, inquit, sponsus meus et rex meus quo regente est mihi bonum et velle et posse, accubuisset in passione crucis et usque ad mortem obediens factus, in sepulcro jam esset depositus, ego quæ antea querebar, quod nigra essem, eo quod non tantum extranei, sed et fratres mei pugnarent contra me quasi quadam pretiosissima nardo ex ardentissima ejus charitate, humilitatis quoque patientiæ et obedientiæ ejus exemplo composita, odorem bonæ opinionis per totum respersi mundum non tantum una morte, sed mille mortium generibus pro ejus amore succumbere parata, ita ut non sit *mihi dilectus meus* sola myrrha, sed fasciculus myrrhæ, dum pro uno genere mortis quam pro me suscepit, multarum et diversarum mortium cupio colligere fasciculum.

Digitized by Google

Quisnam est iste fasciculus? pericula fluminum, pericula latronum, pericula ex gentibus, pericula in civitate, pericula in solitudine, pericula in mari, pericula in falsis fratribus; labor et ærumnæ, vigiliæ multæ, fames et sitis, jejunia multa, frigus et nuditas : ludibria et verbera, vincula et carceres, lapidatio, sectio, postremo gladii occisio (*II Cor.* XI; *Hebr.* XI). Ecce *fasciculus myrrhæ*. Sed quia duplex est martyrium, unum in corpore, aliud in mente, dividamus hunc fasciculum et ponamus alium esse fasciculum myrrhæ, id est corporalis passionis, alium fasciculum myrrhæ mentalis; et corporalis quidem passionis fasciculum supra enumeravimus, porro fasciculus mentalis myrrhæ, id est passionis, est virginitas carnis, abrenuntiatio sæculi et omnis mundanæ voluptatis, sive multimodæ labor continentiæ. Istius gemini fasciculi causa est *mihi dilectus meus*, inquit Ecclesia sive sancta anima, quia pro ea ejus nomine et amore huic fasciculo ferendo supposui humeros mentis et corporis, mentis quidem mortificatione vitiorum, corporis vero diversarum tolerantia passionum. Cur hoc? quia et ipse dilectus per se quoque, factus est *mihi fasciculus myrrhæ*, quando pro me in corpore suo flagella, sputa, alapas, irrisiones, potum fellis, crucem, confossiones manuum, pedum et lateris, ipsam denique mortem suscipiens, quasi fasciculum multimodarum collegit passionum, talis vero *fasciculus dilectus meus mihi* factus *inter ubera mea commorabitur*, quia hæc omnia signa passionis ejus mente quotidie recolo et dum horum memoriam habeo, ego quoque pro ejus dilectione mearum passionum fasciculum ardentius colligo.

In situ corporis inter ubera altrinsecus constituta pectus est positum, et ideo commemorationem fasciculi myrrhæ inter ubera recte **71** accipimus eam quæ in pectore debet esse memoriam Dominicæ passionis.

Sive ponamus ubera esse duo Testamenta, Vetus videlicet et Novum, et inspiciamus, quia et in his dilectus commoratur commemoratione suæ passionis, priore Testamento ipsam passionem futuram prædicente, sequente jam factam præsentante. *Inter ubera*, inquit, *mea commorabitur*,, quia in duobus Testamentis, mihi ad notitiam ejus et ad salutem meam propositis fasciculum myrrhæ ejus colligo : in Veteri quidem Testamento per figuras præsignatæ, in Novo autem per salutiferum æternæ redemptionis succum toti mundo exhibitæ. Succus enim myrrhæ fertur multis mederi infirmitatibus, et hujus Dominicæ myrrhæ succus omnem animæ morbum depulit; et perpetuæ sanitatis medicinam in toto mundo constituit.

Sive *inter ubera mea commorabitur*, hoc est inter duos populos in meo corpore ex Judæis et gentibus constitutos qui hunc fasciculum myrrhæ Dominicæ fide suscipiunt, moribus sequuntur, et ejus quotidie commemoratione in sacramento faciunt, mente recolunt, et ore suam perpetuam sumunt.

Vel *inter ubera mea*, hoc est inter duos latrones, inter quos *dilectus meus* suspensus fasciculum passionis suæ composuit, qui eosdem duos populos præsignaverunt, unum credentem, alterum crucifigentem; unum electum, alterum reprobatum. Ubera autem mea fuerunt, ille propter naturalem et scriptam legem, iste propter solam naturalem, ita nutrimentum rationis utrique habentes, ut sint inexcusabiles. Et iste quidem per dilectum meum in medio commorantem et fasciculum suæ myrrhæ prætendentem novam superassumpsit legem naturalem illuminantem, ille vero occulto Dei judicio sed justo, post datam legem amisit et naturalem propter incredulitatem.

Unde et ipso dilecto in cruce pendenti myrrhatum obtulit vinum, cujus amaritudo in ipsum transfusa est, dum diceret : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII).

VERS. 13.— *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.*

Et quia hujus medelam suscipere voluit, botri dulcedine caruit, ideoque dilecto nec commortuus est peccato, nec consurrexit justitiæ. Mihi autem quæ in altero populo ad fidem veniente, passionis sacramenta suscipio, veneror et adoro, *botrus Cypri* factus est, quia cum ipse a morte resurrexit, me quoque spe et dulcedine futuræ resurrectionis animavit.

Ipse est enim botrus de terra lacte et melle manente deportatus, a duobus exploratoribus ipsos populos significantibus, qui de Maria matre, dulcedine et pinguedine sancti Spiritus fluente generatus **72** pro utriusque populi salute in cruce est suspensus. Sed sicut mos est portantium ut unus præcedat, alter subsequatur, ita prior fuit populus Judæorum Deo per observantiam legis cognitus, sequens populus Christianorum per novæ legis religionem assumptus. Sicut autem præcedens id quod portat non videt, et quadam dorsi aversione postponit, sequens vero semper in facie habet semper custodit obtutibus, et quadam corporis vicinitate potitur : ita Judaicus populus Christum in lege portans non intelligit sed quasi aversando contemnit. Christianus vero populus intelligit, portat in fronte et in mente, et custodit colendo, et mandatis ejus obediendo.

Ille populus hunc botrum in cruce pendentem propter maledictum legis abhorret et contemnit; iste populus in prælo crucis expressum salutiferum suscipit ipsius sanguinis testamentum, bibens cum spirituali dulcedine unicum corporis et animæ remedium; in spe vero futurum post generalem resurrectionem ejusdem geminæ substantiæ corporis scilicet et animæ optabile et incomparabile gaudium.

In isto ergo populo, nam ego sum iste populus sponsa Dei, Ecclesia Dei, *botrus Cypri dilectus meus mihi*, quia qui *fasciculus myrrhæ* fuit in passionis amaritudine, erit botrus in resurrectionis dulcedine, et cujus ego causa fasciculum multarum collegi pas-

Digitized by Google

sionum, et corpore et mente, ille mihi erit botrus in æterna animæ refectione et hujus laboris suavissima recompensatione.

Unde *botrus Cypri* recte dicitur. Cyprus enim *tristitia* sive *mœror* interpretatur, *botrus* ergo *Cypri* dicitur quia ipse est vera et dulcis consolatio omnis mei mœroris et tristitiæ; et sicut botrus Cypri omnium terrarum botros præcellit magnitudine, ita dilectus meus *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis* (*II Cor.* I) omnia quæ sunt in cœlo et terra præcellit dignitate sua et gratia.

Ubi autem botrus Cypri factus est dilectus? *in vineis Engaddi.* Engaldi dicitur vicus permagnus esse in Judæa, juxta mare Mortuum, ubi sunt vineæ non quidem vini sed balsami arbuscula quæ idcirco vineæ appellantur, quia in vinearum morem sustolluntur. Ex basalmo autem misto cum liquore olivæ chrisma conficitur quo majora quædam ecclesiasticarum consecrationum peraguntur instituta; nam, in eo baptismatis lavacrum consecratur, et sacerdotalis suæ imperialis dignitas confirmatur. Ecclesiarum sive altariorum sacramentaliumque vasorum specialis quædam sanctitas assignatur. Typice autem in hujusmodi liquoris perunctione spiritalium dona charismatum designantur, quibus corda fidelium sancti Spiritus gratia divinis ministeriis sunt apta.

Engaddi vero *fons hædi* interpretatur. **73** Quis autem est fons hædi, nisi baptismus sive gratia lacrymarum? Hædi vero sunt peccatores a sinistris ponendi, omnes autem justi a dextris statuendi. Vineæ ergo Engaddi, id est fontis hædi sunt dona spiritalia quæ his tantum tribuuntur, qui fuerint sacro baptismate, sive per lacrymas pœnitentiæ a peccatorum sordibus abluti: fons quippe hædi, baptismus est quo abluuntur peccatores, id est hædi et fiunt justi, id est oves Christi; vel si post baptismum lapsi fuerint ad peccatum, per gratiam lacrymarum, quasi per secundum baptismum in pristinum reparantur statum.

Botrus, inquit, *Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, quia in illos profecto sit mihi cibus et potus consolationis et salutis, qui per baptismi gratiam digni facti sunt suscipere divinorum sacramentorum scientiam et spiritualium donorum affluentiam; vel qui per lacrymarum fontem peccatorum merentur absolutionem et mortui peccatis resurgunt ad vitam æternæ salutis, ut si secundum Apostolum *complantati facti* sunt *similitudini mortis Christi*, fiant *simul et resurrectionis ejus* (*Rom.* VI).

Notandus sane ordo quatuor istorum prædicamentorum, videlicet *odor nardi, fasciculus myrrhæ, botrus Cypri, vinea Engaddi.* Eodem quippe ordine, quo hic se in serie verborum sequuntur, in Domino Jesu Christo impleta narrantur; quando ante passionem a Maria unctus est nardo spicato, pretioso, *et domus impleta est ex odore unguenti* (*Joan.* XII): in passione vero vino myrrhato potatus (*Marc.* XV) et post passionem, myrrha cæterisque aromatum speciebus libutus in sepulcro positus est (*Joan.* XIX); unde post triduum resurgens (*Marc.* XVI), spiritualis botri dulcedinem principali resurrectionis gaudio credentibus obtulit: quibus post paululum Spiritus sancti gratiam omnem habentis virtutem veluti balsamum *in vineis Engaddi* infudit, dans ei potestatem per aquam et spiritum (*Joan.* XX) sive impositionem manus remissionem dare peccatorum et de hædis oves facere Christi.

Sed quæ hoc modo secundum historiam in se præcesserunt in capite, possunt quoque in membris ejus secundum moralitatem in figura pari ordine exhiberi, ut præcedente odore virtutum consequenter subsequatur mortificatio vitiorum, quia afflictio corporis et mundanæ gloriæ contemptus instrumenta sunt mortificationis hujus. Nonne hujus mortificationis instrumenta sive materia sunt, fames, sitis, nuditas, vigilia et orationes continuæ? (*Rom.* VIII.) Principalis autem et maxima propositio est, ubi instrumentum deest causam quoque instrumenti deesse; et ubi materia non est, id quoque quod ex materia fit non esse, et idcirco consequens esse, ubi virtutes desunt, vitia dominari, quia antecedente constantia virtutum subsequitur casus vitiorum. **74** Unde Apostolus duo sibi adversantia scilicet carnem et spiritum describens præmittit: *Spiritu ambulate*, ac deinde, *et desideria carnis non perficietis* (*Gal.* V), ut ostendat fortitudine spiritus carnem subjici, et nisi præcedat virtus vitium non posse succumbere.

In isto ergo ordine ad imitationem capitis, id est Christi, membra ipsius hoc est sancti primo nardum, deinde myrrham offerunt, quia prius debent habere opera sanctitatis, quorum virtute mortificentur opera carnis. Sed quia dicit idem Apostolus: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (*Rom.* VIII), congruo nimirum ordine mortificationem spiritualem sequitur resurrectio spiritualis ut qui commortui sunt Christo moriendo peccatis conresurgant ei vivendo. justitiæ cum eodem Apostolo dicentes: Si commorimur et convivemus (*II Tim.* II). Sicut enim gemina mors est animæ scilicet et corporis, sic et gemina utrjusque resurrectio, ut qui nunc per justificationem resurgunt de morte animæ, in futura resurrectione resurgant per incorruptionem a morte corporis et animæ. Unde in Apocalypsi dicit Joannes: *Beatus est sanctus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors potestatem non habet* (*Apoc.* XX). Quæ quidem resurrectio botri nomine designatur, ut quia ad tempus amaritudinem quamdam passi sunt, carnem spiritualiter mortificando postmodum æternaliter suavitatem gaudii percipiant ineffabilem, hic quidem a corruptione mentis, ibi autem et a mentis et a corporis corruptione spiritualiter quiescendo.

Placuit sane conveniens et decens ordo quoque iste dispositrici gratiæ, ut nardo sanctæ opinionis redolente et myrrha intimæ mortificationis hostiam ibi vivam jam existentes atque per botrum spiri-

Digitized by Google

tualiter debriantem, novitate resurgentis a morte peccati animæ lætificatos, per spiritum carni superiores effectos Spiritus sancti dignos indicaverit adventu per diversarum gratiarum balsama quæ genuit spiritualiter Engaddi, hoc est fons hædi, baptismus scilicet biformis lavacri et compunctionis quo abluuntur hædi, id est peccatores et efficiuntur oves Christi.

Igitur postquam sponsus arguit sponsam pro ignorantia sui propter quam meritam a sponsi consortio esset susceptura repulsam, sponsa vero salubri ejus objurgatione, tandem semetipsam recognoscens, quæ prius se perseverare per se posse diffidebat, plena jam fide usque ad mortem pro ejus amore in tribulationibus non deficere didicit; tali ejus profectui sponsus congratulans et jam pulchram decernens, hujusmodi ei laudum præconio blanditur, ut ex hoc ad majora virtutum opera provocetur.

75 Vers. 14. — *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.*

Quia, inquit, primo te ipsam considerans, propter varios tentationum æstus nigram te et fuscam dixisti, meumque adjutorium quod tamen tibi non dixerat, adhuc modicæ fidei existens proclamasti, postmodum vero me ostendente te ipsam recognoscens tanta fortitudine spiritus profecisti, ut non solum passionis myrrham sed fasciculum myrrhæ mihi non dubitares offerre, *ecce* denuntio tibi, quia tam *pulchra es* et quia pulchra ideo *amica mea*, et e converso, quia *amica mea*, ideo *pulchra*, et non semel *pulchra*, sed iterum *pulchra*, repetitio quippe confirmatio est quia ita perfecte pulchra es, ut mihi geminata placeas pulchritudine, fidei scilicet et operationis, sive animæ et corporis.

Pulchro autem ordine inter duo pulchritudinis prædicata, altrinsecus posita, unum subjectum medio construitur in loco, quia ipsum medium e duobus accipit esse, ita ut si unum et duobus dupliciter, utrobique dispositæ pulchritudinis desit, videlicet ut sit fides sine operibus, vel opera sine fide; sive sit castitas corporis sine castitate mentis, vel mentis sine castitate corporis, nulla Deo anima spiritualis amicitiæ fœdere copulatur.

Nam cum scriptum sit: Fides si non habeat opera, mortua in semetipsa (*Jacob.* II), et cum item a Domino insipiens dicatur anima, quæ lampades sine oleo gestat sponso obviam processura (*Matth.* XXV), manifestum est has geminatas utrobique pulchritudinis partes constitutiva esse sanctissimæ hujus amicitiæ. Non enim parvæ æstimationis apud Dei omnipotentis judicium est, tanta Dei perfectum esse gratia, ut sua eum dignetur amicitia, et pro speciali munere virtutum, Dei nuncupari amicum, magnum certe præconium est. Unde Dominus ad apostolos: *Jam non dicam*, inquit, *vos servos, sed amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV). Signum quippe hujus amicitiæ est, paterni revelatio secreti et quæ specialiter est collata ipsum diligentibus et hujus amicitiæ fidem servantibus, contemplativæ dignitatis excellentia.

Sed quia superius a sponsa sodales dicuntur eo loco ubi dicit: *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*, nunc vero ipsius voce sponsa vocatur amica, considerandum quænam sit inter amicum et sodalem distantia. Sodalis est qui nobis ad aliquid nobiscum agendum sociatur, amicus vero est qui usu vitæ similis pio et fideli amore nobis conjungitur: sodales ergo sponsi sunt, qui ei per aliqua bona opera quasi sociari videntur, sed rerum probat qua id intentione fecerint, dum humanæ laudis cupidi, ostendunt **76** se ab amore illius valde alienos, quem non simpliciter et pie sed pro suo temporali commodo imitari videbantur. Amici vero ejus sunt qui pro sola spe æternorum bonorum fideliter ei conjunguntur et dum nulla prosperitate, nulla adversitate ab eo separantur, ostendunt quanto ejus amore ferveant cui nil omnino præponere curant. Propter hujusmodi vitæ qualitatem, Ecclesia vel quælibet sancta anima quæ vestigia sequitur Christi quando ista de ea pulchritudo prædicatur, amicæ nomine meretur appellari; sed quia ipsa pulchritudo ex mentis speculatione quasi ex quadam facie refulget, subdit causam quare dixerit pulchram, *oculi*, inquiens, *tui columbarum*.

Oculi Ecclesiæ sunt sancti doctores, quia sicut oculi nobis viæ sunt duces, ita sancti doctores viam vitæ nobis demonstrantes, sunt nos verbo et exemplo quasi duplici oculo præeuntes.

Moraliter quoque quælibet anima, hoc est in interioris hominis capite duos habet oculos, intellectum et discretionem. Intelligit enim et videt quid sibi agendum sit, deinde qualiter ipsa actio disponi debeat discernit, ut in uno oculo qualitatem actus sui inspiciat, in altero modum. Bene enim videt quo tendere debeat qui et tenendæ vitæ qualitatem considerat et ipsam qualitatem pro loco et tempore nunc intendendo nunc remittendo fortes et infirmos informat ita tamen ut ipsa intentio sive remissio certo et competenti fine constituatur. Causa ergo est quod *pulchra* dicit, videlicet quia *oculi* ejus sunt *columbarum*, quæ comparatio propter septemplicem columbinæ naturæ et simplicitatis virtutem recte posita est.

Columba quippe caret felle, neminem lædit, grana meliora legit, pullos alienos nutrit, in foraminibus petræ nidificat, gemitum pro cantu habet, super aquas sedere consuevit, ut adventum accipitris prævidere possit. Propter hæc septem naturæ insignia, columbæ comparatur sponsa, ut si hæc columbino oculo ad moralem retulerit formam digne appelletur pulchra dum hoc nititur habere ex gratia quod columba habet ex natura.

Felle caret; quo spiritualiter quoque sponsa Christi carere debet ut secundum Apostolum: *Omnis amaritudo, et ira, et clamor, et blasphemia tollatur ab* ea *cum omni malitia* (*Ephes.* IV). Neminem lædit, Christi quoque sponsa nulli nocere debet, verbo nec opere; sed secundum Apostolum,

Digitized by Google

cum omnibus pacem habere (*Rom.* XII). Grana meliora legit; sic etiam Christum diligens ex divina Scriptura meliores debet sententias colligere, quibus et suam vitam honeste et utiliter sciat instituere et proximorum, docendo et agendo ad sui exemplum informare. Pullos alienos nutrit; Ecclesia quoque eos qui non sunt de corpore **77** suo, sicuti hæretici et perversi Christiani, ac si proprios filios in sinu suo colligit et eos admonendo, corripiendo, beneficiis attrahendo corpori suo conjungere satagit et hoc quælibet anima quæ vere sponsa Christi est, facere debet, ut extraneos et sibi contrarios, quam domesticos pro Christo diligat et foveat ut semper malum in bonum vincat (*ibid.*). In foraminibus petræ nidificat, ut serpentium morsus evadat; sic quoque Ecclesia vel Deo conjuncta anima in Christi passione debet refugium quærere, *Christus enim petra est* (*I Cor.* X), cujus passionis foramina vulnera sunt, fortissima contra insidias malignorum spirituum munimina. Gemitum pro cantu habet, et in hac temporali vita Deum diligenti genitus pro cantu esse debet, hoc est pro sæculari loco et lætitia, *ea quæ secundum Deum est tristitia, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur* (*II Cor.* VII): scriptum est enim, quia *beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V), et econtrario: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis* (*Luc.* VI). Super aquas sedere consuerit, ut adventum accipitris prævidere possit, sic etiam fidelis anima super fluenta divinarum Scripturarum mente commorari debet, ut ex his intelligat et discat, qualiter antiqui hostis insidias præcavere valeat.

Pulchra vero prædicatur sponsa propter has septem columbinæ simplicitatis partes, quas quia simplici mentis oculo quasi oculo columbino exercet tantum oculis sponsi placet ut eam non semel sed bis quasi confirmando pulchram denuntiet et geminum in his partibus amorem Dei videlicet et proximi insinuet. Nam non irasci, in passionis Christi sacramenta sperare pro peccatis suis vel pro dilatione cœlestis regni genere, sacræ Scripturæ animum intendere divini amoris est signum: porro neminem lædere, alienos ac si suos suscipere et fovere fraternæ charitatis judicium est. Sed quia *Spiritus sanctus, per quem charitas Dei* diffunditur *in cordibus nostris* eadem charitas est (*Rom.* V), gemina dilectionis parte constans, dicit enim Joannes: *Deus charitas est* (*I Joan.* IV); consideremus in his septem innocentiæ partibus septiformem ipsius Spiritus sancti gratiam, videlicet spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis, spiritum timoris Domini (*Isa.* XI). Sapientiæ quippe est animi motus reprimere dum sapienter considerat, quia *ira viri justitiam Dei non operatur* (*Jac.* I); hinc Salomon: *Stultus*, inquit, *statim indicat iram suam, qui autem dissimulat injuriam callidus est* (*Prov.* XII); et iterum: *Grave saxum et ponderosa arena, sed ira viri utroque gravior; Ira non habet misericordiam nec erumpens furor* (*Prov.* XXVII). Unde quidam gentilium dicit:

Qui non moderabitur iræ
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.

(HORATIUS, *Epist.* I, II, 59.)

78 Et ut ostendat sapientiæ esse, scire animum regere, subdit:

Ira furor brevis est, animum rege: qui nisi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.

(HORATIUS, *Epist.* I, II, 62.)

Spiritu ergo sapientiæ inordinatus animi reprimendus est motus, quia per hoc sapienter declinantur mala, quæ plerumque tam gravia inde generantur, ut vix aut nunquam sopiantur.

Spiritus quoque intellectus est (*Isa.* IX), nec sibi nec aliis nocere et per rationis discretionem intelligere æquum esse *ut quod sibi non vult fieri alteri non faciat* (*Matth.* VII) Sed quia omnis læsionis injuria dupliciter fit ab inferente, scilicet verbo et actione, dupliciter suscipitur a sufferente, hoc est animo et corpore, duplex quoque intellectus apponendum est remedium, ut perpendat, quia et fraternæ charitatis integritas corrumpitur, et divinæ pietatis severitas provocatur, quod est et sibi et aliis nocere. Innocentia enim vera est qua nec sibi nec aliis nocet, quia *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X), et nemo non prius in se, quam in alterum peccat. Magnum plane hujus intellectus donum, quo quidem talem sibi vivendi constituit modum, ut et Deo et hominibus placeat et hoc sit veræ innocentiæ signum Deum diligere et proximum, quod est universæ sanctitatis perfectivum.

Porro spiritu consilii, quivis sanctæ intentionis studium habens meliores et utiliores sanctarum Scripturarum sententias colligit, ex quarum sensu, veluti ex quodam adjutorio sibimet consulendo quemdam sive qualitati competentem conversandi inveniat statum et hoc diversæ sententiæ collectivum, fiat bene constituendæ vitæ consilium.

At vero spiritus fortitudinis valde roborat mentem passionis Christi virtute confidentem, quando ipsius passionis signaculo contra omnem diabolici incursus impetum, et externis munitur in corpore, et interius firmatur in mente. Hoc enim spiritu fortitudinis Moyses Ægyptios hostes debellavit (*Exod.* VII-XIV), quando eos multiplici plaga per virgam prostravit et populum Dei de eorum servitute liberavit insinuans, quod ipse *Dominus fortis et potens in prælio* (*Psal.* XXV), crucis suæ ligno toti succurrere deberet mundo, hoste universali, hoc est diabolo, passionis suæ virtute prostrato. Hoc etiam spiritu fortitudinis Gedeon hostes devicit cum trecentis (*Jos.* VIII) formam crucis præferentibus in charactere numeri hujus qui per TAU litteram notatur: et in Ezechiele (*cap.* IX) nullus percutitur qui hac littera, quasi crucis forma signatus invenitur.

Spiritus vero scientiæ est, sanctarum scriem Scripturarum tenaci memoriæ commendare ex quibus sacræ fluenta doctrinæ diffundat, quæ

tali discretione dividere sciat, ut et simplices habeant unde erudiantur, et docti unde exerceantur.

79 Æqualem vero omnibus offerre charitatem, ut inimicos æque ut amicos pro Deo diligere et secundum Apostolum : Omnibus omnia fieri ut omnes lucrifaciamus (*I Cor.* IX), profecto spiritus pietatis est, quo certe spiritu ducitur, quicunque proximo in omni necessitate sive corporis sive animæ pro posse et ultra posse subvenire non segniter studet.

Porro ingemiscere duplici compunctionis modo, hoc est vel recordatione peccatorum, vel intimo Deum sitientis animæ desiderio, ex spiritu timoris Domini est, quo timet vel pro peccatis damnari, vel hæreditate pii Patris privari.

Sed cum sint quatuor timores, unus servilis, alter mundanus; tertius initialis, quartus filialis, duo extremi referuntur ad spiritum timoris Domini, quorum unus quidem hoc est timor initialis non est sine charitate non dico perfecta, sed inchoativa. Unde Joannes in Epistola sua cum diceret : *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV) ostendit quia licet nondum perfecta, tamen charitas est in timore initiali. In altera vero qui filialis est, sola constans dilectione perfecta charitas est, de quo dicit Psalmista : *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII). Timor initialis est ille de quo dicitur : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Eccle.* I), quando homo incipit sapere et gustare Deum, ubi timor et spiritus se invicem comitantur, sicut legitur, timor est sine spe. Et quanto plus bona voluntas crescit, id est charitas, tanto magis timor pene decrescit, ut ex isto timore initiali quo timet puniri quod imperfectum est, quandoque proficiat ad timorem filialem, quo non timet puniri, sed separari, quod perfectorum est. Duo vero quos in præcedenti posuimus timores, hoc est servilis et mundanus : non pertinent ad spiritum timoris Domini, quia a casto timore separantur, servilis quippe est cessare a malo pro pœna ab homine instante, retenta tamen voluntate mala. Mundanus est cessare a bono propter pœnam quæ timetur ab homine : et hos timores videlicet, servilem et mundanum, prohibet Christus dicens : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animæ vero non habent quod faciant* (*Matth.* X). Post de initiali timore supponit dicens : *Sed potius timete eum, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam* (*ibid.*), quem non præciperet nisi in eo charitas, etsi nondum perfecta esset.

Et notandum quod aliquando in divina Scriptura iste timor appellatur servilis, quia servili est affinis, quia et ibi timore pœnæ cessatur a malo et hic. Sed ille timor facit cessare a malo opere et non voluntate, iste et opere et voluntate. In spiritu ergo gemini timoris Domini, hoc est initialis sive filialis quæque sancta anima gemitum pro cantu habet, quia in præsentis vitæ gaudio lugubrem gemit animum, vel quia timet damnari pro peccato, vel quia timet **80** separari a Deo. Itaque, ut diximus, propter septemplicem virtutis et innocentiæ columbinæ qualitatem sponsa oculos habere columbarum a sponso memoratur, quia hoc exhibet actione quod Spiritus sancti gratia utile, honestum judicans recta videt intentione. Verum quia omne bonum si quod habet, non a se, sed a Deo se habere intelligit, omnem collatæ sibi pulchritudinis gratiam ipsi Creatori et Redemptori suo ascribit, dicens : *Ecce tu pulcher es*, etc.

VERS. 15. — *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus.*

Tu, inquit, *o dilecte*, essentialiter *pulcher es et decorus*, ego quidquid pulchritudinis habeo accidentaliter tui participatione juxta modum a te mihi impensum gratiæ ex te habeo, quia tu ut Creator capabilis existis per inhabitantem gratiam, ego ut creatura capax existo, ipsi gratia prout ipse coeessisti participando. Et hoc quidem juxta divinitatis tuæ potentiam ; porro juxta humanitatem secundum exteriorem hominem, *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV) fuisti; secundum interiorem vero soli tibi unigenito *non ad mensuram dat Deus spiritum* (*Joan.* III), cum tui participes ad mensuram eum accipiant, alius quidem sic, alius vero sic.

Omnem autem pulchritudinem et decorem a te qui vere et naturaliter *pulcher es et decorus*, habent, quia quidquid mansuetudinis, quidquid pietatis, quidquid justitiæ, quidquid patientiæ, humilitatis, quidquid postremo unquam virtutis aut sanctitatis esse potuit aut potest, in te singulariter sancto homine quasi in summo exemplari attendunt et accipiunt.

Præmissa ergo hac dictione, *ecce tu pulcher es et decorus*, ipsius pulchritudinis et decoris aliquas exsequitur partes, dum subjungit : *Lectulus noster floridus*, etc.

Quarum quidem partium prima, id est *lectulus noster floridus* et ad caput et ad capitis membra referri potest, duæ vero reliquæ ad sola membra de ipso tamen capite participatione pulchritudinis et decoris ejus pendentia. Sed primo de prima parte dicendum quomodo et caput et ad capitis membra appetetur : ad caput quidem vel juxta divinitatis omnia regentis bene placitum, vel juxta humanitatis mundum redimentis sacramentum, ad membra vero juxta participationem, ut diximus, divinæ gratiæ mentem cujusque sancti hominis inhabitantis et suæ in ea dignationis dona operantis.

Lectuli nomine requies dupliciter designatur, hoc est vel corporalis vel spiritualis. Quomodo enim post laborem corpus requiem quærit, ita animus quoque quibusdam perturbationum laboribus defatigatus requiem appetit ; sed hoc loco, lectulo requies spiritualis intelligi **81** debet quia et ad caput et ad pietatis membra diximus referendum.

Verumtamen primo videndum de requie capitis, quæ nullo modo illius substantiæ necessaria vel commoda esse credi debet qui nulla subjacet accidenti, et *apud quem non est ulla commutatio nec*

Digitized by Google

vicissitudinis obumbratio (*Jacob.* I), sed requies capitis salus est corporis. Nam quemadmodum Deus se laborare dicit, quando malorum pravitates tolerat, ita et requiescere se dicit, quando bonorum virtutibus delectatur. De labore equidem suo, quo perverse adhuc viventes tolerat, per prophetam dicit : *Laboravi sustinens* (*Jerem.* VI) : non enim sustinendo Dominus laborat, cujus dignitatis potentiam nulla fatigatio contingit, sed verbis humanitatis loquens, ipsam suam circa nos patientiam laborem vocat. Porro de requie qua in bonis delectatur dicit : *Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI); ac si aliis verbis dicat : Ille mihi in se requiem parat, qui in humilitate et quiete præceptorum meorum regulam servat. Requies ergo Dei nostrum est commodum, sicut econtrario labor illius nostrum est damnum.

Ad hujus ergo capitis membrum hoc est aliquem fidelem et sanctum hujusce lectuli significatio, quam requiem diximus, aptatur; quia sicut per oppositum, reprobis hujus mundi requies et oblectatio, est in futuro perpes animæ labor et fatigatio, ita electis hujus mundi labor et fatigatio, est in futuro æterna animæ requies et consolatio. Sancti enim viri lectulus contemplativæ vitæ est silentium et cultus, qui quanto est a mundo remotior, tanto Deo est vicinior, et quanto plus laborat in divinorum præceptorum observatione, tanto majorem habet requiem in divinitatis contemplatione quasi in uno lectulo sunt. Deus per gratiam inspirans, moderans et servans, homo per gratiam inspirantem, moderantem et servantem, volens, agens et perficiens; Deus gratia participabilis, homo gratiæ participans.

Dicunt ergo membra capitis hujus, *lectulus noster floridus*, quia cum prædicto quasi in una sunt requie, participabilis et participans hoc est caput membrum, immarcessibilia pullulant virtutum germina ut merito lectulus ille dicatur floridus, hoc est bonorum operum vario decore compositus. Loquitur itaque sponsa ad sponsum : *lectulus* non tuus, sed *noster floridus*, quia per honestatem vitæ sanctitate florentis, cogitatione, voluntate, actione Deo adhærere, est quasi in uno cum eo thalamo quiescere, alioquin nihil proficit anima sine conquiescente gratia.

Porro juxta humanitatis sacramentum dilecti lectulus, beatæ Mariæ virginis est uterus, quia mirabiliter floridus **82** est et virginitatis pulchritudine et singularis nativitatis inæstimabili et inenarrabili per Spiritum sanctum operatione. Sed *noster*, inquit, *lectulus*, quia tuus quidem est per incarnationis electionem, meus per ipsius incarnationis fidem; tuus propter multiplices in mente Virginis et Matris inhabitantis proportionis gratiæ tuæ donationes, meus propter imitandum pro posse ejus magnificæ sanctitatis exemplum, et adorandum sine exemplo novitatis novitatum excellentiam.

Lectulus quoque dilecti sepulcrum est, quo post passionem fuit reconditus qui ideo floridus quia ex hac sepultura effloruerunt gloriosæ resurrectionis insignia. Iste quoque *lectulus* non tantum tuus, inquit, sed *noster* quia tu de hoc lectulo, id est sepulcro surrexisti et mihi spem resurgendi dedisti, cujus spei certitudo est mihi quasi lectulus in quo securus totum per studium mecum operantis gratiæ tuæ requiesco, quia non dubito de futuro resurrectionis gaudio, et sempiterno transitorii laboris præmio.

VERS. 16. — *Tigna domorum nostrarum cedrina laquearia nostra cypressina.*

Sequentium vero partium pulchritudo et decor, quibus dilectus a dilecta pulcher et decorus prædicatur, quæ sunt : *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina*, specialiter ad ipsius spectant membra quorum tamen membrorum virtutes et gratiæ, illius pulchritudini et decori ascribuntur, cujus est totum quod bona et honesta dicuntur.

Primo tamen inspiciendum quarum domorum sint hæc tigna et laquearia : secundum universaliatem magna domus dilecti hujus, id est Domini nostri Jesu Christi sancta universalis Ecclesia est, secundum particularitatem vero, domus quoque ejus dicuntur singulæ ecclesiæ quæ infra hanc universitatem continentur. Harum vero domorum tigna et laquearia sunt angeli, id est rectores et doctores singularum Ecclesiarum quæ in tempore et loco fuerunt pro munimento et ornamento verbis et exemplis qui etiam longe lateque odorem sanctitatis et doctrinæ suæ spargentes ipsam quoque universalem Ecclesiam munierunt et ornaverunt, muniunt et ornant; munient et ornabunt, quorum memoria est in benedictione in sæculum sæculi.

Sed hæc *tigna* dicuntur esse *cedrina*, *laquearia* vero *cypressina*. Cedrus autem tria habet naturæ suæ memorabilia, proceritatem, odorem, imputribilitatem; quæ nimirum sanctis doctoribus recte congruunt, quia Divinitatis contemplatione sublevantur, doctrinæ et bonæ actionis odore circumquaque spargunter nulla infidelitatis vel pravitatis putredine **83** corrumpuntur. Et etiam quartum insigne naturæ cedrinæ quod odore suo dicitur fugare serpentes, hanc nimirum virtutem doctorum quos designat ostendens, quod doctrina sua malas cogitationes occulte in cordibus serpentes valent repellere et easdem suggerentem antiquum serpentem, hoc est diabolum cum ipsis cogitationibus fugare.

Cypressus quoque in sua natura duas suprascriptas habet gratias, videlicet odoris et incorruptionis; quæ etiam doctoribus conveniunt propter vitæ et doctrinæ odorem et fidei incorruptionem.

Possunt tamen non incongrue differenter intelligi tigna et laquearia, ut tigna accipiamus in Ecclesia prælatos, laquearia vero eorum subjectos, quia tigna supportant laquearia, sicut prælati subjectos, dum eis provident necessaria, ut quemadmodum ex tignorum et laquearium conjunctione, pulchro domus vestitur decore, sic ex prælatorum et subjectorum religiosa unanimitate, decenti et rationabili Ecclesia Dei ordinetur dispositione.

Digitized by Google

Et bene utraque ut cedrus et cypressus odorifera et imputribilia esse describuntur, quia et prælati bono odore et incorruptione vitæ, doctrinæ et fidei sublimantur et subjecti eruditione illorum ad easdem virtutum gratias quotidie provocantur. Unde et cypressus quæ in subjectorum ponitur parte, hoc habet naturale, ut manu artificis runcinatum decorum præstet aspectum, quia hoc bonorum subjectorum proprium est, ut cum manu sanctæ admonitionis sive increpationis a prælatis suis tacti fuerint, non proterve resiliant, sed eorum commonitionibus hilari vultu et patienti animo se obedientes substernant.

Ut autem hæc omnia generaliter inspiciamus in universali quoque Ecclesia, quæ est sponsi et sponsæ quasi quædam respublica, venerantur quotidie et prædicantur ista ornatus domus Domini insignia, principaliter continet caput, id est Christum in suis gestis et præceptis, et post eum sua membra, in quibus est super omnes eminens et singularis meriti beata virgo Maria, quæ floridi lectuli significatione habetur pulcherrima : deinde apostoli sive apostolici viri eorumque auditores et sequaces, in ipsa domo Domini quasi tigna et laquearia positi, quorum omnia vita, eruditione, institutione, auctoritate venerabiliter confirmatur et ornatur tota hæc respublica Dei, ita ut recte intuentibus nihil honestius, nihil jucundius, nihil certe dulcius in hujus vitæ peregrinatione possit æstimari. Nam hæc est futuræ felicitatis quasi quædam via et concursio et illius magnæ et incomparabilis reipublicæ longe in fide, spe et charitate contemplatio.

Verum hunc gloriosum et nobiliter institutæ Ecclesiæ statum, ad illius **84** constitere nutum qui dixit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv), idem ipse sponsus et rector ejusdem fatetur, veritatem veritas confirmans, non quod nostræ attestatione indigeat, sed ut nos ad majorem fidem erudiat, et ut nullum in aliquo bono de sua justitia præsumere doceat.

CAPUT SECUNDUM.

Vers. 1. — *Ego flos campi et lilium convallium.*

Recte, inquit, o dilecta, sentis, quæ omnem tuam pulchritudinem mihi ascribis, quia *ego* revera sum *flos campi*, hoc est honor et pulchritudo et ornatus totius universalis Ecclesiæ per totum mundum seu lætissimi campi diffusa et diversa specie sanctitatis et gratiæ ex mea germinantis et florentis donatione. *Ego* quoque *sum lilium convallium*, id est emundatio, refectio et medicina humilium sive aliquo mœrore et afflictione hujus mundi mei nominis causa depressorum.

85 Lilii quippe natura tria habet in se delectabilia : candorem, odorem, medicinam contra adustionem, nam quicunque in hac convalle lacrymarum spiritu humiliato et corde contrito excessus suos deflent, infirmos se recognoscentes, et meum semper auxilium implorantes, sine dubio emundationem et candorem animæ consequentur, ac deinde odore bonæ conversationis me inspirante et adjuvante reficientur et contra omnia incentiva carnis et contra adustionem afflictionis et quasi incendentis mundi, opposito meæ dilectionis et spei consolationis refrigerabuntur.

Alter quoque, o dilecta, *ego sum flos campi*, ille nimirum de quo Isaias dicit : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa.* xi). Tu enim supra dixisti lectulum nostrum esse floridum, videlicet Matris meæ, ex qua incarnari volui uterum, sed ego dico ideo illum esse floridum, quia ego flos ejus, de quo flore multi alii procedunt flores, id est gratia spiritualis quos memoratus propheta enumerat. *Et requiescet*, inquiens, *super eum*, haud dubio quin florem, *spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*ibid.*). Flos ergo sum campi, terræ videlicet illius de qua dicitur : *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV); quæ ideo campus nuncupatur, quia non scabrosa, neque tortuosa, vicus, sed plana et æqualis utpote virtute Altissimi in modum æquoris ab omni morum inæqualitate complanata, quæ me florem florum, id est Sanctum sanctorum sine virili semine protulit, quemadmodum campus sine semine diversorum florum et herbarum germina producit.

Lilium sum etiam *convallium*, id est candor et odor et salus humilitatem meæ matris imitantium, et non de merito castitatis gloriantium, nam gloriantes et pro humano tantum favore se continentes profectum non habent lilium candoris virginei, et interioris munditia signum, quin potius nigredine vanæ gloriæ immundi sunt, ante conspectum munditiæ meæ, et ideo eorum lilium nec sum nec dici possum : sed eorum qui me et illam imitantur, ego lilium sum per gratiæ donum, illa lilium est per exemplum, quatenus et ipsi fiant lilium per imitationem. Unde sequitur : *sicut lilium inter spinas.*

Vers. 2. — *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

Sicut ego, inquit, inter Judæos, quos exspectavi ut facerent uvam, fecerunt autem spinas (*Isa.* v), humilitate, mansuetudine, patientia et multiplici virtutum gratia effulsi, cum ipsi veluti spina contra me existentes, multis me verborum et morum aculeis pungerent, ita tu, o Ecclesia mea, sponsa mea, sive quævis me diligens anima es e debetis inter filias **86** hujus sæculi, id est animas malitia et infidelitate spinosas, humilitate et patientia ut cum me hoc modo fueris imitata, vere mea proberis amica, sitque veræ amicitiæ probatio, talis mei imitatio.

Vel sicut mea secundum carnem mater Maria quæ est lilium candore virginitatis et odore sanctitatis, inter Synagogæ filias, quæ veluti spinæ eam pungebant, imponentes ei maculam infamiæ, quia non credebant Dei virtuti et potentiæ, cum humilitate et patientia incedebat. Quia Dei dispensationem per spiritum agnoscebat, et in se impleri sentiebat, quæ olim per prophetam et post per angelum au-

Digitized by Google

dierat. Ita quoque ejus exemplo quæcunque anima mihi amica est per fidem et dilectionem debet inter filias quas malitiæ et impietatis corruptio genuit, humilitatem, patientiam et honestatem servare, et ab his propter spem futuræ remunerationis nunquam deficere.

Sive dicamus simpliciter animam quæ se Dei amicitia vult exhibere dignam, inter pravos homines, *sicut liliuminter spinas* debere semper consistere, ut *sicut lilium inter spinas* positum candoris et odoris sui non perdit dignitatem, sic illa inter pravos mores, fidei et patientiæ, vel alicujus concessæ sanctitatis, non perdat integritatem, sed magis tolerando discat quia quo plus eorum perversitate affligitur, tanto ei majorum virtutum merita cumulantur; nam, ut dicit B. Gregorius, quisquis malos non tolerat, ipse tibi per intolerantiam testis est quia bonus non est. Hinc B. Job de semetipso loquitur dicens : *Frater* sum *draconum et socius struthionum* (*Job* xxx); et Dominus ad Ezechielem : *Filii hominis increduli et subversores sunt tecum, cum scorpionibus habitas* (*Ezech.* II). Petrus quoque Loth vitam approbat, dicens : *Et justum Loth oppressum a nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit; aspectu enim et auditu justus erat : habitans apud eos, qui de die in diem animam justi in quis operibus cruciabant* (*II Petr.* II). Hinc Joannes Pergami Ecclesiæ scribit, dicens : *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, et habes nomen meum, et non negasti fidem meam* (*Apoc.* II); Paulus quoque discipulos laudat et roborat, dicens : *In medio nationis pravæ et perversæ inter quos lucetis quasi luminaria in mundo. Verbum vitæ continentes* (*Philip.* II).

Istis auctoritatibus satis constat, quantæ sit virtutis pravos hominum mores tolerare, quando ex majori reproborum malitia majora electis crescunt meritorum lucra quia scriptum est : *Quanto plus Pharao populum Dei premebat, tanto plus multiplicabatur* (*Exod.* I).

Quæ autem sint filiæ, inter quas Ecclesia sive sancta anima *sicut lilium inter spinas* commorari dicitur, ex ipsa comparatione colligitur quia quæ spinis comparantur, constat **87** quod in adversam partem recipiantur, quæ ideo filiæ nuncupantur, quia ex semine nequam perversæ doctrinæ, sive ex mala animi conceptione generantur. At Ecclesia sive quævis fidelis anima, quæ Christi per fidem et operationem est sponsa, ut lilium inter spinas esse possit, se regenti et protegenti, gratiosa laude per aliam comparationem occurrit, dicens : *Sicut malus inter ligna silvarum*, etc.

Vers. 3. — *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.*

Dilectus, inquit, meus comparavit me lilio inter spinas, virtutem suam servanti, quod quamvis mihi suo munere concesserit, tamen ut hoc fierem proprio me exemplo docuit. Quia *sicut malus arbor* fructifera tria in se habens utilia quibus reficit, A hoc esse fructum, odorem et umbram; *inter ligna silvarum* quoque, quæ utique infructuosa sunt, incomparabilis habetur, *ita dilectus meus* fructu et odore sanctitatis, et justitiæ, et doctrinæ, atque umbra protectionis suæ, quibus in se credentes reficit, docet et defendit; *inter filios*, id est Judæos exstitit, qui primo quidem filii fuerunt et nunc esse volunt, sed non sunt quia de eis Deus dixit : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I); et alibi : *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* XVII) : qui jactant se filios esse Abrahæ, sed non sunt quia opera non habent (*Joan.* VIII), et ideo sunt ligna infructuosa et inutilia, atque ob hoc succidenda et in ignem mittenda. Nam inter talia B ligna æterno incendio capta in arbore crucis pependit, de qua dulcissimum sui corporis et sanguinis fructum mihi profudit, quo sibi credentes quotidie reficit : ipsi autem quasi ligna silvestria, non solum nullum boni operis protulerunt fructum, sed etiam amarissimum suæ malitiæ et impietatis profuderunt succum, clamantes : *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX.), et : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XVII).

Sub hujus ergo arboris umbra, hoc est Novi Testamenti refrigerio et defensione consolatoria quam desiderabam multo jam tempore, in antiquis patribus, magno desiderio tempora lenientis et refrigerantis gratiæ suspirantibus, jam tandem post Christi adventum, passionem, resurrectionem et ascensionem sedi fide inconcussa et stabili. Lex enim æstu quodam inclementiæ et incurabilis pœnæ, quando dicebat : *Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur* (*Exod.* XIX), me diu affecerat; gratia vero talem æstum umbra misericordiæ et remedio pœnitentiæ movit, sub qua umbra desiderabili non ambulavi, non steti, sed potius sedi et requievi, quia **88** hoc pietatis decretum ipsius Domini mei auctoritate confirmatum immutabiliter tenendum suscepi.

Hæc nimirum arbor lignum est vitæ, cujus umbra et protectio divina quam fundant rami illius, rami honoris et gratiæ, qui videlicet sunt diversarum oppositiones virtutum contra mundanarum fervores tentationum : utpote contra superbiam, necessaria est humilitatis oppositio; contra iram, patientiæ; contra luxuriam, castitatis et continentiæ; contra contumaciam, obedientiæ; contra avaritiam, largitatis et misericordiæ; contra lites et contentiones, pacis et concordiæ; contra invidiam et odium, dilectionis, utque breviter comprehendamus, contra omnes certe mundi hujus oblectationes et tentationes opponenda est recordatio futuræ miseriæ malorum et gloriæ justorum.

Talium nempe umbrarum effusiones protegunt animam ab æstu carnalium suggestionum et delectationum, sub quibus, quia desiderabam, *sedi*, hoc est requievi, quoniam quidem gratum et salubre in eis protegentis gratiæ refrigerium inveni.

Et fructus ejus, haud dubium quin illius mali id

Digitized by Google

est Christi, sponsi et Domini mei, *dulcis gutturi meo*, quia utilitas et suavitas præceptorum ejus, dulcis et placens est palato cordis mei, et capacitati mentis meæ. Sive fructus hujus mali pendentis in arbore crucis dulcis est gutturi meo, quia corporis et sanguinis Christi perceptio dulcedinem, et sanitatem infundit pectori meo, et ipsa plane est perfecta corporis et animæ meæ refectio.

Aliter quoque filii inter quos dicitur sponsus commorari, *sicut malus inter ligna silvarum*, accipiuntur electi qui filii Dei nuncupative dicuntur propter observantiam mandatorum ejus pro quibus æternæ vitæ hæreditatem ab ipso Patre suo cœlesti consequentur, inter quos Christus *velut malus inter ligna silvarum* moratur, quia sicut malus omnia ligna silvarum pulchritudine et fructuum odore et suavitate præcellit, ita Christus omnes sanctos virtutum decore, et doctrinæ dulcedine antecedit, sicut de ipso scriptum est : *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis ; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV).

Sub cujus umbra seu Ecclesia, quia sive sacramentorum, sive mandatorum, sive donorum, illius rami per totam mundi latitudinem diffusis, mirabiliter protegitur et consolatur ab omni æstu tristitiæ et perturbationis, secura et immobilis permanens, per spem futuræ retributionis, *cujus fructus dulcis est gutturi* ejus, quia omnia eloquiorum ejus mystica, sacramentorumque venerabilia instituta, quæ ex occulta divinitatis suæ protulit sapientia, dulcia et grata sunt menti ea devote complectenti et veneranti, 89 propter eam quæ inde ei confertur salutem, sine fine vegetantem et reficientem.

Quem vero effectum hujus fructus dulcedo et suavitas habeat, quid sublimius et perfectius pariat subdendo manifestat.

VERS. 4. — *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.*

Effectus introductionis hujus processit ex causa bene placentis et ideo magno mentis studio susceptis fructus, quia quo plus Dei præcepta appetuntur, tanto amplius ad majora semper appetenda, amore divino intromittuntur. Fructum quidem illum qui profluxit, et adhuc profluit de illa gloriosa et excellentissima arbore Domino Jesu Christo non omnes æqualiter accipiunt : quia alius istum, alius illum, juxta quod sapit et diligit accipit.

Isti enim magis sapit et placet virtus patientiæ, illi obedientiæ ; isti humilitatis, illi continentiæ ; istum magis oblectat sedulitas orationis, illum lectionis, jejuniorum ; et in toto virtutum gratiarum divino munere comparant species.

Est autem quoddam quasi singulare et quasi seorsum in quodam secreto consistens repositorium, quod cella nuncupatur, præ sui quadam angustia, eo quod paucos in suos admittat recessus, ubi est illius fructus dulcedo et suavitas recondita quæ *lætificat cor hominis* (*Psal.* CIII), et omnem vitiorum excoquit humorem, evangelicum videlicet præceptum de charitatis utilitate. Quod vini nomine recte appellatur, quia sicut vinum se purgando, omnem a se rejicit pestiferum et suo naturali colore omnem noxium excoquit humorem ; ita charitatis præceptum, omnem a corde vitiorum fugat pestem, et omnes animi expellit passiones, quia nemo potest et charitatem habere et malus esse ; atque ideo hujus plena intelligentia merito nuncupatur cella vinaria.

Illi ergo qui sub illius salutiferæ arboris ramis delectantur requiescere et dulcissimum sanctitatis fructum sine fastidio colligere, ad hanc quandoque perfectionem pervenient, ut sine obstaculo cellam vinariam intrent, quia non est eis hæc via angusta, quibus occlusa funditus est mundanæ voluptatis via, lata et spatiosa. Angusta enim est hujus præcepti via, quia difficilis videtur multis et laboriosa cum dicitur : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* V).

Sed quia a multis sanctis legimus observatum, non est difficile hoc præceptum nisi his, qui nondum perfecto gustaverunt dulcedinem fructuum, id est mandatorum divinorum. Hæc est ergo cella vinaria perfectio, et angustam viam libere intrantibus, suaviter sapiens et ob hoc perfectibilis divini præcepti intelligentiæ de charitatis excellentia.

Verum quia ipsa charitas in diversa respicit, necessarius est in ea 90 ordo attendendus ut scire possit quo loco sit ponendus quivis affectus et quis prior, quis posterior accipiendus. Unde cum præmisisset : *Introduxit me rex in cellam vinariam*, subdit, *et ordinavit in me charitatem.* Iste enim est ordo sanctæ dilectionis, ut primo Deum, deinde proximum, postremo et ipsum inimicum diligamus. Necessarius nempe est ordo iste, quia impossibile est ut quis diligat proximum, vel, quod difficilius est, inimicum, nisi diligat Deum, dum istorum dilectionis causa sit dilectio Dei, fiatque hoc modo possibile quod fuit impossibile. Quod enim necesse est esse, impossibile est non esse, et quod necesse est non esse impossibile est esse. Est autem necesse esse amorem Dei ubi est amor proximi, quia nemo diligit proximum propter Deum, nisi diligat Deum : necesse est autem non esse amorem Dei, ubi non est amor proximi, juxta Joannis vocem quia : *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere ?* (*I Joan.* IV.) Non vero semper necesse est non esse amorem Dei, ubi non est amor inimici, quia potest contingere ut diligens Deum, non habeat inimicum quem diligat propter Deum : si autem habet, tunc necesse est non esse amorem Dei, ubi non est amor inimici quia probat se non diligere Deum qui non vult diligere inimicum propter Deum.

Videtur ergo ordo iste, ut dictum est, esse necessarius, quando decernitur impossibilem esse dilectionem proximi nisi præcedat dilectio Dei, secundum illum tamen amorem qui est secundum Deum, non qui secundum sæculum. Amor quippe

Digitized by Google

sæculi est absque amore Dei quia ille secundum carnem, iste secundum spiritum.

Est autem duplex modus dilectionis secundum carnem; unus qui omnino contra Deum est, sicut est malorum pro iniquitatis communione invicem se diligentium; alter vero qui non est contra Deum sicut est parentum cognatorum, et amicorum, cui tamen amori præponendus est semper amor Dei, et propter Deum amor cujusque proximi. Sed primus modus secundum carnem omnino a præsenti alienus est loco, quia inordinatus est totus Deoque contrarius; alter vero qui non est contra Deum, a præsenti non abhorret loco, si tamen sit ordinatus, quia si plus in Deo diligitur homo quam Deus, tunc est inordinatus.

Potest autem non absurde accipi, ut dicamus geminum esse ordinem charitatis, unum in Deo, alterum in proximo: scriptum est enim: *Deus charitas est* (*I Joan.* IV): in hac autem charitate quæ Deus est, ordinem debet discere, scire et intelligere Ecclesia, sive quælibet sancta anima ut primo loco dicat Patrem quasi vocem, secundo Filium quasi ex voce verbum, tertio Spiritum sanctum quasi ex voce et verbo procedentem rationem. Non autem eo sensu dicat, quasi aliquis sit gradus in Trinitate, **91** quod impium est dicere, sed ut charitatem illam, id est Deum, quem debet diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute, unum idemque in substantia, distinguat in personis isto ordine vocabulorum.

Ipsa vero dilectio hoc ordine distinguitur, ut primo toto corde, deinde tota anima, postremo tota virtute Deus diligatur credendo, tota anima confitendo, tota virtute operando.

In proximi vero dilectione per singula præcepta legalia, quæ sequuntur, charitas ordinatur: nam non adulterari, non homicidium facere, non falsum testimonium dicere, honorare patrem et matrem, etc., per ordinem Decalogi, ordinata suo quoque loco charitas est. Quomodo etiam vel quo affectu, diversæ in Ecclesia personæ diligi debeant, charitas ordinatur, quia alio ordine diligi debet fidelis amicus, alio ordine charissimus filius, alio ordine parentes, alio ordine frater germanus, alio ordine conjux, alio ordine a Domino servus, alio ordine a servo Dominus, alio peregrinus, alio agnitus, alio sacerdos, alio propinquus et proximus. Nam largiri necessaria egentibus, visitare infirmos, vel carceri mancipatos, consolari indigentes et injusto judicio oppressos, sepelire mortuos, corrigere prave agentes, adjuvare in aliquo labore fratres, erudire minus scientes, vel si qua alia utilitati proximorum sunt necessaria impendere, omnia profecto sunt ordinabilia sanctæ charitatis officia.

Merito ergo mens sancta a rege sponsoque suo in cellam introducitur vinariam, hoc est divinorum præceptorum intelligentiam, quando dulcedine gratiæ ipsius debriata intelligit, tam multipliciter ordinatam impendendæ charitatis diligentiam. Unde A cum tanta hujus vini inebriantis fortitudine affecta est, ut ab omni mundana delectatione quasi insensibilis remaneat, et pro immenso taliter ordinatæ charitatis desiderio, non tantum obstupescat, sed etiam langueseat, quoddam sibi solatium hujus languoris efflagitans subsequitur dicens: *Fulcite me floribus*, etc.

Vers. 5. — *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*

Quid sunt flores, nisi animæ boni operis primordia proferentes et cœlesti desiderio redolere incipientes? Quid vero sunt mala nisi animæ de initiis bonorum operum divinæ gratiæ nutrimento perfectionem jam tenentes, quasi de floribus ad fructum proficientes? Quæ ergo amore divino languet, B quærit fulciri floribus, stipari malis, quia cum nondum eum quem tam ordinate toto corde, tota anima, tota virtute, hoc est fide, confessione, operatione diligit, videre sicuti est non prævalet, magna ei tamen consolatio est, quod proximorum nunc inchoantium, nunc perfectorum piis provectibus lætatur.

92 Habet enim sancta Ecclesia quosdam in se minores quos erudiat verbo et exemplo, ut sint quasi flores primitias sanctitatis arripientes. Habet etiam quosdam majores in quibus erudiatur, et quorum doctrinis et exemplis quotidie ædificetur, qui sunt quasi mala maturitate jam et perfectione bonorum operum complacentes. Tales ergo scilicet et minores et majores hujusmodi studio pietatis C succrescentes valde sanctam Ecclesiam consolantur, quæ certe cum magna lætitia cordis videt, hoc suos filios parvos et magnos, rudes et perfectos diligere quod ipsa vehementer diligit, et hæc magna est languoris sui consolatio, in hujus peregrinationis exsilio, ad hoc eos secum ex desiderio tendere, ad quod se credit quandoque ex præmio pervenire.

Hoc etiam modo quilibet sanctus, qui amore Dei languet potest dicere: *Fulcite me floribus, stipate me malis*, quando magnum hujusmodi languoris æstimat remedium, quod videt in bono opere suorum, quos in Deo diligit, profectum proximorum, horum quidem ad pia studia pullulantium, illorum vero in ipsis studiis fructificantium. Nonne ille qui D tali amore languebat ut diceret: *Cupio dissolvi et esse cum Christo*, proximorum tamen utilitatem desiderabat dicens, *manere autem in carne necessarium propter vos?* (*Philipp.* I.) Quorum profectum videre pro magna interim reputat consolatione, quando Dei faciem quam tantopere desiderat videre, perfecte prævalet comprehendere. Licet valde cupiat dissolvi et cum Christo esse, nunquid iste qui divino amore languebat, hoc quod amabat, quandoque consequi non posse timebat? Minime; sed hoc dispensatione Dei fiebat, ut hujus præmii dilatio major virtutum fieret exercitatio, amplior quoque pro eorum quos diligebat utilitate, laboris remuneratio, nam qui dissolvi cupiebat utique de præmio certus erat, sicut ipse alibi dicit: *Scimus*

Digitized by Google

quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis (II Cor. v).

Quocirca dilationis hujus pœnam levius ferebat, quia eos quos diligebat ad idem præmium percipiendum secum tendere gaudebat.

Unde quibusdam suis discipulis consolatoria mittit, verba dicens : *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu, quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita ut nihil desit vobis in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi (I Cor. i).* Ecce qui dissolvi et cum Christo esse cupiebat, quantum gaudebat, et gratias agebat, quod quia hoc nondum consequi poterat, filiorum tamen quos in Christo genuerat profectibus, valde hujus dilationis incommodum relevabat.

93 Allo quoque modo, utilitatem et profectum filiorum Ecclesia desiderat per fidem et operationem, ut tunc dicatur fulciri floribus, quando ornatur credentium fide, quæ est religionis exordium et quasi primo exsurgens flos sanctitatis. Sed quia *fides sine operibus mortua est (Jac. ii)*, stipari dicitur malis, quando ipsorum dicitur credentium multipliciter fructificantium, piis gaudere operibus quasi maturis jam fructibus.

Cumque hæc duo ita sibi jungantur, ut altera sine altera utilis esse non possit; scriptum est enim quia *sine fide impossibile est quemquam Deo placere (Hebr. xi)*, fides autem si non habeat opera, mortua est in semetipsa (*Jac. ii*), magna certe consolatio languentis in amore Dei animæ, quando videt proximos proficere fide et operatione.

Verum quoniam hæc sponsa Christi quæ amore illo tam magnifice, ut diximus, ordinato debilis et languida efficitur, non profectu et utilitate proximorum consolatur, verum etiam re præsentium bonorum et spe futurorum sublevatur, subjungit dicens : *Læva ejus sub capite meo.*

Vers. 6. — *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me.*

Læva Christi, id est sinistra, sunt bona temporalia, dextera vero ejus bona æternalia; quædam autem bona temporalia in hoc mundo pro exspectatione futurorum bonorum Deus suis concedit electis ut dum ejus præsentia munera suscipiunt ardentius et securius ad æterna appetenda præparantur.

Sed *læva* Christi *sub capite* ejus est, quia hæc ipsa temporalia bona summi amoris intentione premit, ut hæc quasi inferiora aspiciat, et æterna bona semper superiora attendat. Sub capite enim, id est sub mente, non supra debent omnia hæc temporalia esse, videlicet ut nunquam ista amori divino præponat, sed ita eis utatur, ut non ad voluptatem, sed ad necessitatem potius rationabili mentis æquitate moderetur et ea magis semper quæ supra mentem esse debent, amando et suspirando miretur. Hæc est enim *dextera ejus* quæ eum amplexetur, videlicet bona illa perennia, quæ eum adepta fuerit, secura beatitudine et beata securitate requiescere possit.

Dicit ergo : *Læva ejus sub capite meo et dextera illius amplexabitur me*, quia omnia quæ in creaturis ad meam ordinavit utilitatem, habebo in cogitatione pro gratiarum actione, ea vero propter quæ hæc mihi ad tempus præstita sunt, tota mentis devotione, utpote æternaliter mecum mansura, diligere et optare studebo.

Sive *læva ejus sub capite meo*, quia quod natus et passus est, quod resurrexit et in cœlum ascendit, in memoria mea erunt ; *et dextera illius amplexabitur me*, quia istorum memoria ad futuræ resurrectionis et **94** gloriæ insignia, me animabit diligenda et appetenda.

Sive sinistra Dei est ejus in hoc sæculo, parva quædam cognitio, *dextera* vero *illius*, post hanc vitam plenaria et vera ipsius cognitio, sed *sinistra sub capite* nostro est, *dextera* vero *illius amplexabitur* nos, quia *videmus nunc quidem per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (I Cor. xiii)*. *Sinistra* enim *sub capite* est quia conceditur nobis in hac vita aliquid de Deo cogitare et mente videre, *dextera* vero *illius amplexabitur* nos, quia in futura vita, tanta nos sui complebit et circumdabit visione, ut quale hoc sit, *nec oculus* videre, *nec auris* audire, *nec in cor hominis* possit ascendere (*I Cor. ii*).

Hæc ergo in sponsa ordinantis gratiæ dignatione charitas ordinata capiti læva supponit et dextera sub eam amplexatur, ut omnibus temporalibus donis secundo loco positis, principaliter in æternæ vitæ desiderio requiescat, sitque hoc modo præsentium concessio, etiam futurorum certitudo, mentis in amore Dei debilis et languidæ consolatio.

Et vos, dilectæ Christo sorores, quæ mundum contemnendo amore Dei languetis, tale signum hujusmodi dilectionis dare debetis ut fulcitæ sitis floribus credendo, stipatæ malis operando. Læva Christi sit sub capite vestro et dextera illius amplexetur vos ut temporalia bona a Deo vobis aliquomodo concessa, quasi inferiora, æterna vero quasi superiora semper attendatis. *Longitudo quippe dierum in dextera ejus, in sinistra ejus divitiæ et gloria (Prov. iii)* ; quia in hac præsenti vita nonnunquam concedit electis suis divitias bonitatis suæ prægustare, in futura vero vita æternaliter sine fine possidere. *Delectationes in dextera* ejus sunt *usque in finem (Psal. xv)*, quas profecto adipisci potestis, si in ejus amore ita languetis, ut in eo firmæ ac stabilis usque in finem perseveretis. Dextera nempe ejus amplexabitur vos quia non ex parte ut nunc, sed integram et perfectam sui dabit cognitionem et pro brevi et transitorio labore, concedet vobis requiem et vitam et longitudinem dierum in sæculum sæculi. Amen.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

95 PROOEMIUM.

Quomodo, inquit Psalmista, *cantabimus canticum Domini in terra aliena? (Psal.* CXXXVI.) Quid vero est *canticum Domini?* Primo, ut simpliciter dicamus: *Canticum Domini* est quidquid secundum ecclesiasticæ doctrinæ vel sanctionis modum concordi modulatione sensuum et verborum componimus, scribimus et dicimus. *Canticum Domini* est tota Veteris et Novi Testamenti pagina, quam bene decantamus quando hanc recta et plena fide annuntiamus, nunc rerum gestarum seriem, nunc ipsarum rerum significationem in Domini exponentes laudem. Sed hujusmodi *Canticum* potest quilibet cantare per modum scientiæ non tantum in sua, sed etiam *in aliena terra*; quia non aufert locus corporalis potestatem cantandi, licet auferat voluntatem et voluptatem, propter aliquam tristitiæ passionem: sicut illi populo in captivitatis mœrore constituto, quibus cum diceretur: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*, responderunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Siquidem ut in figura accipiamus, illorum non posse cantare *canticum Domini in terra aliena*, fuit nos non posse Dominum perfecte laudare in loco peregrinationis nostræ; quæ est nobis quasi terra aliena; *Quia non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII), quæ est patria nostra et terra æternæ hæreditatis nostræ. Nam Dei opera narrare, mandata ejus edicere, scribere et exponere, est, ut diximus, quoddam canticum Domini cantare: hoc etiam possibile in isto loco peregrinationis nostræ, dum dicat Psalmista: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ* (*Psal.* CXVIII).

Verum ut altius aliquid consideremus, est et aliud canticum Domini, quod non est possibile in terra aliena cantare. Quodnam vero est illud? Nimirum quod modulatur Spiritus sanctus sua septiformi gratia, quasi per septem vocum discrimina; quia aliter resonat vox illa interioris hominis per spiritum sapientiæ, aliter per spiritum intellectus, aliter per spiritum consilii atque aliter per spiritum fortitudinis; alio vero modo per spiritum scientiæ et alio per spiritum pietatis, alio quoque per spiritum Domini (*Isa.* XI).

His enim gratiarum distributionibus, quasi quibusdam diversis vocibus constituitur tota modulatio, cantici 96 Domini, cantici illius dulcissimi, quæ canit virtutum fidibus, vita honesta, sancta, Deo placens et perfecta.

Nulla quippe ibi est dissonantia inter carnem et spiritum quia tam concorditer succinit caro spiritui ut perfectam construant harmoniam spiritualis cantici, quod est in loco peregrinationis nostræ optimum genus cantici divini. Sed istud *canticum* non potest cantari in terra aliena, hoc est in corpore subdito peccatis; quod tunc est terra aliena, quando peccando existens in potestate diaboli indignum est habitatione Christi: sive a nobis tunc alienatur quando spiritui et mentis rationi male agens reluctatur. Aliena est terra. Homo terrena semper diligendo, et ob hoc alienus a Deo, atque ideo impotens cantare canticum Domini, quia *animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei* (*I Cor.* II).

Sed quorum ista? Ad hoc plane ut ostendam vobis, sanctissimæ sorores, supra vires meas esse hoc quod mihi injunxistis officium, quia dum nihil aut parum aptus sim cantare *Canticum Domini*, longe minus aptus ero cantare *Canticum Domini canticorum*. Hujusmodi enim materia debet esse oratorum eloquenter et sapienter declamantium quorum est officium dicere apposite ad persuadendum, finis vero persuadere dictione, sed cum in me sint neque sapientia neque eloquentia, cui deest officium apposite dicendi, minus profecto adest finis dictione persuadendi. Tunc enim vobis utiliter scriberem si ea quæ dico vel dicturus sum ita apposite dicerem, ut vobis ad vitæ honestatem et animæ utilitatem persuadere possem. Nam terra mea aliena est, repugnans spiritui serviens Domino peccati, atque ideo non sum idoneus in ea cantare *Canticum Domini*, quanto minus *Cantica canticorum*. Sed ut quidam fuit, liceat sperare timenti, ut qui præ parvitate sensus mei tam sublimem materiam timeo prosequi, sperem tamen per orationes vestras ad ea quæ cœpi exsequenda pro divinitatis respectu adjuvari.

SEQUITUR CAPUT II.

VERS. 7. — *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.*

Igitur dilectus dilectæ delectatus dormitione, cujus capiti, id est menti sinistram suam, hoc est temporalem utilitatem supposuerat, dextra vero sua, hoc est æternæ vitæ dilectione amplexatus fuerat, taliter filias Jerusalem, hoc est animas fideles alloquitur, dicens: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.*

Quæ est ista tam suavis tamque salubris dormitio ut propter eam talis fiat dilecti adjuratio! Nonne illa est in qua dulci et optabili quiete dilecta requiescens dixerat, *læva ejus sub capite meo et dexte* abitur me? 9 temporalia postposuerat,

Digitized by Google

æternalia vero et indeficientia bona illo contemplatorio concupiscibilis animæ oculo intendebat et in hac desiderabili mentis visione delectabiliter quasi dormiebat. Non enim potest leviter hujusmodi provenire dormitio in mente jam omnibus actis exoccupata et magna sibi quiete in amore Dei constrata. Unde per Psalmistam monens Dominus : *Vacate*, inquit, *et videte quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV). Duæ istæ dictiones in hoc proposito sunt inseparabiles, quia nequaquam poterit quispiam intimæ contemplationis oculo Deitatis essentiam videre, nisi prius studuerit ab omni exteriori impedimento vacare : præmisso ergo *vacate*, subdit *videte*, quatenus insinuet prius vacandum in mente, ab omni mundanarum rerum cogitatione ut inde fiat possibile, quasi clauso in terrenis oculo perspicatiori et subtiliori visione in divinitatis amore dormire.

Sed cum non sit æqualiter adveniens et manens hujus dormitionis gratia, quando constat alium majori, alium minori contemplationis virtute sublevari (plus enim Maria Petro vel Joanne, isti autem plus alio quolibet sancto in divina profecerunt visione) : certum est, diverso sanctos quosque modo dormitionis hujus habere sanctitatem, multiplicem propter quietis disparitatem, ut suo quisque loco juxta collatam sibi quietis gratiam, specialem in contemplativa vita habeat dormitionem. Unde propheta in persona uniuscujusque fidelis hoc modo dormientis dicit : *Quiescam et considerabo in loco meo* (*Isa.* XVIII) : ac si patenter dicat : Quia iste est ordo dormitionis ut non liceat prius dormire quam quietem habere ; quiescam, hoc est omnis a me terrenæ sollicitudinis causas auferam, et tunc demum mente ab his dormiendo divinæ contemplationis adhærebo in loco collatæ mihi specialiter gratiæ. Hoc ergo quocunque modo vel loco dormiente dilecta, adjurantur a dilecto filiæ Jerusalem, ne suscitent eam neque evigilare faciant, quoad ipsa velit.

Quæ vero sunt *filiæ Jerusalem* nisi animæ ad supernæ pacis visionem tendentes, sed adhuc præpudiente mentis infirmitate minus pervenire valentes ?

Quid autem dilecti est adjuvare, nisi præceptorum suorum decretali conscripto obligare ? Porro ipsa præcepta quæ sunt, nisi veluti capreæ cervique camporum ad cœlestia sublevantes alacresque et fortes in bono opere facientes, doctrinæ sanctarum Scripturarum.

Sive per *capreas et cervos* intelligere possumus Patres veteris et novi Testamenti quorum ingenia, virtutes et studia naturali gestione denotantur. Quatuor enim naturæ notabilia dicitur habere capreas quod cum vulnerata fuerit gustato **98** dictamno sanatur, quod herbas salubres visus acumine discernit, quod ruminat, quod in montuosis pascitur et semper altiora petit. Et hæc est vita et doctrina sanctorum, excessus suos humili confessione sanare, sententias meliores sanctarum Scripturarum sensus sui acumine discernere, divinorum mandatorum cibaria legendo sumere et tenaci memoriæ commendando resumere, de virtutibus, ad virtutes profectu quotidiano assurgere.

In cervo quoque tria attenduntur naturæ probabilia, quod scilicet serpentem deglutiens potato fonte cum pilis totius corporis omne venenum deponit ; quod a canibus agitatus in densissimis silvis viam sibi fugiendi cornibus aperit ; quod in mutandis pascuis facto agmine alter alterius dorso capite imposito invicem propter pondus cornuum sustentantur.

Hæc quoque fidelibus convenit agere et docere, ut qui aliquo peccati veneno infectus fuerit, ad fontem misericordiæ Christum recurrat, cujus pietatis et gratiæ infusione, possit et illo peccato, et cæteris animi vitiis carere. Si a malignis spiritibus veluti quibusdam canibus in silvis sæcularium negotiorum, quæ plena sunt peccatis et vitiis, animo agitatur, viam sibi aufugiendi ea faciat forti repulsione spiritus sive abrenuntiatis omnibus hujusmodi occupationibus soli Deo vacare studeat in contemplativæ vitæ amore, quod est etiam cornibus viam sibi salutis aperire. Cornu quippe cum de carne nascatur, carnem excedit, et ille qui contemplativæ vitæ inhæret, quamvis in carne sit, extra carnem tamen mente sublevatur. Infirmitates morum sive corporum studeant invicem æquanimiter tolerare, et officiosa sibi obsequi charitate ; sicut dicit Apostolus : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI).

Adjurantur ergo a sponso *filiæ Jerusalem*, hoc est obligantur animæ pacem sequi cupientes, *per capreas cervosque camporum*, hoc est per præcepta et documenta sanctorum Patrum, *ne* suscitent *neque evigilare* faciant dilectam, hoc est ne inquietent a proposito hujus intimæ quietis et dormitionis ; *donec ipsa velit*, hoc est donec ei aspiret ille ejus intimus habitator, cui per amorem colligatur ut velit proximorum infirmitati interdum condescendere, et eorum necessariis utilitatibus providere. Hoc enim velle in ejus cuncta providentis est dispositione qui ei per occultam inspirationem manifestat, quando sit utile et honestum contemplationi inhærere et quando proximorum necessitatibus providere **99** pro loco et tempore.

Denique hujus admirationis talis est vis, qua constringuntur filii obedientiæ, ut exhibeant prælatis suis honestatem reverentiæ, quia scriptum est : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris* (*Hebr.* XIII). Inde est quod non audent eos suscitare quasi vicarios Christi officio, sponsus vero sanctæ conversationis studio ne perturbent eos, si compellent eos aliqua sui improbitate, sive importunitate ab internæ quietis secreto avelli et frequentius exterioribus occupari. Ipsi quoque subjecti hujus admirationis verbum inter se invi-

cem suscipere debent, ne pia fratrum studia inquietent sive in lectione, sive in oratione, sive in aliquo spirituali officio quandiu eos in hoc detinet Divinitatis inspiratio.

Verum hujus contemplatoriæ dormitionis quietem dilecta semper flagrans, gaudeat se confirmari et defendi tali adjuramento dilecti et quasi jure non debeat inquietari, securior facta proclamat : *Vox dilecti mei.*

VERS. 8. — *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.*

Vox, inquit, prædictæ admirationis non est vox alicujus prophetæ, non legislatoris, non doctoris, quasi ex semetipso aliquid annuntiantis vel docentis; sed potius ipsius *dilecti*, et per se ipsum; et per eos mysteriorum et mandatorum suorum decreta constituentis, quia omnis Scriptura *dilecti mei vox* est spiritu oris ejus prolata, et divinitatis ipsius digito in cordibus nostris descripta. Et ideo hanc vocem non parvi pendere debetis, filiæ Jerusalem, ut me causa rerum exteriorum suscitetis et frequentius evigilare cogatis.

Nam hæc est etiam quædam species vocis dilecti, vocis adjurantis et quasi juridicialis : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI), ut hoc æquum esse debeat ipso dilecto dictante, quatenus Deo adhærentibus necessarius creaturæ consequenter deserviat usus. Docuit plane et confirmavit proprio ipse dilectus testimonio, quando hujus mei comparem studii, talem extulit præconio, *Maria*, inquiens, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X). Nempe et hæc *vox dilecti*, ut merito hoc meæ dormitionis studium præponere debeam omnium vigiliis negotiorum. Sed quid est, quod ex hac voce dilecti mei, hoc est ex sancta Scriptura audivi et didici, quando per mentis quietem in ejus contemplatione dormivi? Istud nimirum quod vobis nunc, o filiæ Jerusalem, de ipsius dilecti mei virtute narrabo. *Ecce iste venit saliens in* **100** *montibus transiliens colles. Ecce*, inquit, *iste venit.* Venire ejus dicitur non secundum divinitatem sed secundum humanitatem. Ille enim qui secundum divinitatem incirconscriptus et illocalis est, quomodo venire diceretur, qui immobilis et incommutabilis existens, sicut semper in se ipso unus idemque permanet, ut nec loco mutetur, nec aliqua varietate in diversa feratur. Sed quoties in corda sanctorum venire dicetur, hoc non secundum sui aliquam motabilitatem, sed secundum illorum aptitudinem, qua se minus aut majus ejus amori applicant, per inspirationem suam venire afferetur. Secundum humanitatem ergo venit, cum passibilis propter nos factus pati voluit humanæ consuetudinis localem translationem : nam ut visibilis fieret de cœlo venit et humanam naturam assumpsit, in qua passus et mortuus resurrexit; et in cœlum ascendit, quod totum fecit moveri, et quasi de uno ad aliud venire. Hoc itaque modo venit *saliendi venit dilectus, saliens in montibus*, quando in tempore dispensationis multis et magnificis emicuit saltibus in sublimium virtutum montibus.

Montes enim quidam sunt præcipuæ et eminentes virtutes in quibus dilectus iste saltus fecit, quando de virtute in virtutem quosdam progressus fecit : Excelsus enim super cœlos Deus ad terram humilis nascendo venit, de quo humilitatis monte in alium montem obedientiæ ascendit, *factus est enim obediens Deo Patri usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II); quam suscipiendo in montem patientiæ saltum fecit; de quo postremo in montem gloriæ conscendit, ubi victoriosæ mortis triumphum resurgendo et in cœlum ascendendo collocavit.

Iste ergo dilectus venit saliens in montibus, transiliens colles; quia quidquid sapientiæ et intellectus, quidquid consilii et fortitudinis, quidquid scientiæ et pietatis, quidquid divini timoris, quidquid denique alicujus honestatis, justitiæ et sanctitatis esse unquam potuit vel potest, in isto dilecto veluti in capite præ omnibus ejus membris, hoc est sanctis, qui colles dicuntur, sublimius et præclarius effulsit. Hoc ex parte in libris Evangeliorum aspicere quilibet intelligens potest, qualiter iste dilectus salierit in montibus, hoc est in virtutibus verbo et exemplo, transiliens omnium sanctorum exempla et documenta suo singulari et incomparabili operationis et doctrinæ prædicamento : *exsultavit ut gigas ad currendam viam quia a summo cœlo egressio ejus et occursus ejus usque ad summum ejus* (*Psal.* XVIII).

101 VERS. 9. — *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum : en iste stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*

Unde *similis* dicitur *capreæ hinnuloque cervorum :* capreæ enim naturale est semper ascensus quærere, et cum sanctis gratiarum distributio diverso tribuatur modo : *Alii quidem sic, alii vero sic,* soli unigenito *non ad mensuram dat Deus spiritum, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*I Cor.* VII; *Joan.* III; *Coloss.* II). Sancti enim in virtutum studio nunc ascendunt, nunc non ascendunt quia in eorum meritis gratia illa quam habent nunc operatur nunc quiescit, quatenus hoc eis sit ad humilitatis custodiam quod non semper in promptu habent collatæ virtutis gratiam. Isti autem dilecto non ad tempus, neque per intervalla, sed sine intermissione virtutum constat gratia, sicut de eo scriptum est, quia *descendit Spiritus sanctus in columbæ specie et mansit super eum* (*Luc.* III; *Joan.* I).

Hinnulo quoque cervorum assimilatur propter velocitatem, quia sicut hinnulus propter juvenilis corporis levitatem multo velocior cervo est; sic dilectus iste quasi hinnulus cervorum, hoc est filius patriarcharum de quorum stirpe processit, longe

Digitized by Google

præstantior et agilior virtutum efficacia et verborum sapientia et ipsorum antiquorum Patrum studiis et documentis.

Cum ergo omnes iste dilectus exhortando et præsiliendo ad virtutum studia provocet, quidam autem pro posse suo sequantur, quidam fragilitate obstante sequi se posse desperent, nonnulli peccatorum mole depressi ad ea resurgere diffidant, aufert eis omnem occasionem diffidendi dilectæ prætendens dilecti hujus pietatem ineffabilem omnes ad sui gratiam misericorditer invitantem et subdit : *Ecce ipse stat post parietem nostrum*, etc. Unus est paries generalis, peccati scilicet originalis; sed iste paries in multos diffunditur parietes speciales actualis peccati. Ex originali namque peccato quasi ex quadam massa processerunt multa et diversa actualia peccata, quia postquam per originale peccatum primi parentis lapsi sunt, genus infirmitatis hujus in posteros transfunditur, videlicet ad peccata semper esse proclives. Verum iste generalis paries destrui cœpit veniente per carnem Dei filio, cujus sanguine tandem submotus et dissipatus est, quando *solvens inimicitias inter Deum et hominem reconciliavit nos Deo* (*Eph.* II); et ne possit reformari, quotidie destruitur in Ecclesia per gratiam baptismi.

Specialis vero paries in diversis diverso constituitur modo, quia in alio est vitium superbiæ, in alio avaritiæ, **102** in isto luxuriæ, in illo impudicitiæ, in aliquo obedientiæ, in nonnullo impatientiæ, sive aliud quodcunque vitium, quod juxta ipsius vitii qualitatem, et modum et numerum, facit qualemcunque parietem inter hominem et Deum quoque vitium majus vel crebrius sive numerosius et in homine, eo gravius et immobilius pondus est in pariete.

Sed post istum parietem sive generalem peccati originalis, sive specialem actualis stat dilectus iste, quia paratus est misericorditer suscipere, quicunque aliquo tali remoto pariete, in eodem destruendo per pœnitentiam ei studuerint repropinquare. Stare quippe est adjuvantis, sedere judicantis. *Post parietem stat*, quia dum ad nos per gratiam suam disponit venire, obstante pariete peccati, quasi compellitur stare. Primo namque diu stetit ne veniret ad amovendum illum parietem peccati originalis, propter multa prohibendo adventum ejus, multis afflictionibus et adversitatibus quibus insequebatur eos qui adventum ejus desiderabant et exspectabant, quo veniente sciebant hunc parietem destruendum per sanguinem ipsius et Deo se reconciliandos.

Stetit ergo hac de causa et venire distulit *respiciens* interim *per fenestras, prospiciens per cancellos*. Quid enim erant fenestræ in pariete nisi prophetæ aliique doctores legis divinæ quorum doctrina et prædicatione quasi quosdam exitus respiciendi Deus inveniret per quos aliquod gratiæ suæ lumen profunderet quo illuminatum et admonitum genus humanum, desisteret retardare hujus dilecti adventum saluti suæ profuturum, tantæ malitiæ quasi cujusdam parietis interpositione

Cancelli verò, id est anterior pars ædificii, fuerunt præcedentes antiqui patres, videlicet patriarchæ ante legem Christum annuntiantes, per quos longe post venturus ex parte prospiciebat signis et portentis et quibusdam rationum documentis; admonendo ne impediret pariete malorum suorum futura tantæ salutis suæ tempora.

Tamdiu ergo stetit post parietem nostrum misericorditer prospiciendo et verbo, lege, signis, atque prodigiis consulendo, donec tandem per motus afflictione suorum crebro clamantium : *Veni, Domine, et noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ*, compressis omnium terrarum motibus sub Cæsare Augusto, et firmissima verissimaque pace Dei ordinatione disposita, quasi concusso jam pariete obstantis malitiæ cœpit desideratam diu faciem dilectus **103** iste nascendo ostendere, atque deinceps prædicando, moriendo, resurgendo, in cœlum ascendendo, sicque per totum orbem Evangelii sui legem spargendo, diu oppositum quotidie per gratiam baptismi destruere peccati originalis parietem.

Porro fenestræ et cancelli in pariete actualis peccati, per quas quotidie prospicitur dilectus iste, sunt Evangeliorum et apostolorum, cæterorumque sanctorum patrum exempla et documenta; ibi quidem fenestræ ubi scientiæ et intelligentiæ lumen cordibus nostris infundunt, ut videre possimus qualiter cujusque peccati parietem inter nos et Deum positum amoveamus; cancelli vero eo loco ubi ex eorum scriptis Deum ad nos respicientem per contemplationis virtutem *ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus* (*I Cor.* XIII), ut dum futuræ vitæ gloriam vel pœnam attendimus, peccati parietem a Deo nos separantem, quotidie destruere laboremus.

Amplius. Veniens in carne Dei Filius, stetit post parietem mortalitatis nostræ, prospiciens ad nos per fenestras et cancellos divinitatis suæ; qui etiam Deus claruit ex miraculorum potentia et tamen latuit ex humanæ passibilitatis natura. Qui enim per fenestras et cancellos prospicit, nec totus videtur, nec totus non videtur : sic nimirum et redemptor noster in carne veniens Deum se ex miraculis ostendit, ex passionibus vero occultavit. Post parietem ergo humanæ passibilitatis stetit, quia ex humanitate occultus inter homines, non ut Deus venit; per fenestras vero et cancellos prospexit, quia miseratione divina toti generi humano perennia salutis dona dictavit. Et quia dilectam quam intus misericordiæ suæ intuitu attraxit, foris quoque prædicationis verbo instruxerit eamdem, subdendo manifestat :

VERS. 10 — *En dilectus meus loquitur mihi : Sur-*

Digitized by Google

ge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

Locutio ista dilecti tripliciter distinguitur pulchritudine appellationis, adhortationis et causæ: appellationis quidem, dum dicit: *amica mea, columba mea, formosa mea*, adhortationis vero dum dicit: *Surge, propera, veni*; causæ dum dicit: *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt, tempus putationis advenit.* Pulchritudo quippe appellationis est, dicere: Amicam, columbam, formosam; pulchritudo adhortationis, *surge, propera, veni*; pulchritudo causæ, hiemem et imbrem recessisse, flores apparere, tempus putationis adesse, vocem turturis auditam esse, ficus protulisse grossos suos, vineas florentes odorem dedisse.

104 Ordo vero non sine consideratione disponitur in hac appellatione, adhortatione et causa. In appellatione quidem, dum primo dicit amicam, deinde columbam, postremo formosam; in adhortatione vero primo *surge*, dein *propera*, postremo *veni*. Porro in causa primo loco *hiems transiit*, secundo *imber recessit*, tertio *flores apparuerunt*, quarto *tempus putationis advenit*, quinto *vox turturis audita est in terra nostra*, sexto *ficus protulit grossos suos*, septimo *vineæ florentes odorem dederunt*. Causa adhortationis hujus qua monetur dilecta surgere, properare, venire, sunt hiemis et imbris recessus, florum apparitio, et tempus putationis; vox turturis et ficus proferentes grossos suos, vineæque florentes.

Sed videndum unde locutio ista procedat: supra dixerat, *vox dilecti mei*, quam vocem Scripturam sanctam diximus, tota enim divina pagina vox Dei est, per quam legendo dilecta saltus induti pariete mortalitatis nostræ, et loquentis ad se per fenestras et cancellos miraculorum et doctrinarum, nam quoties Scripturas sanctas videmus vel legimus, Deus ad nos vel nobiscum loquitur. Hoc ergo modo loquentem ad se dilectum, dilecta, id est Ecclesia sive quævis fidelis anima advertit, quando divinæ dispensationis ordinem, sacramentorum religionem, præceptorum divinorum utilitatem audit, legit, intelligit.

Verum ipse dilectus veluti e salute dilectæ sollicitus in hujus modi locutione assumunt sibi officium boni oratoris, ut audientem tribus attrahat modis hoc est ut faciat attentam, docilem, benevolam: nam dum non semel, sed ter inclamitat, dicens, *surge, propera, veni*, ac si dicat non segniter sed celeriter et studiose te offer, veluti aliquid ratum et insolitum auditura attentam facit; cum vero vocabulo dilectionis et gratiæ frequenter appellat dicens: *Amica mea, columba mea, formosa mea*, benevolam reddit ut majorem pariat voluntatem præparandi et audiendi.

Porro causam hujus advocationis eum docet distincte per numerum dicendo: *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt, tempus putationis adven t, vox turturis audita est, vineæ florentes odorem dederunt*, docilem facit ut agnoscat tempus magnæ salutis et gratiæ quod debeat cum magna veneratione et gaudio suscipere.

Et hoc est magnæ pietatis indicium, qua ad nos frequenter intendit dilectus iste per *fenestras* et *cancellos*, infinitæ clementiæ suæ *stans post parietem* malorum nostrorum *quasi nubem ne transeat oratio oppositam* (*Thren.* III), loquens quotidie et admonens quatenus istum parietem vel hanc nubem ariete virtutum et afflatu sancti Spiritus dissipemus.

Quid ergo loquitur dilectus dilectæ? *Surge*, inquit, *propera, amica mea* **105** *columba mea, formosa mea, et veni:* surge per fidem, propera per spem, veni per charitatem: sive, surge per intentionem, propera per operationem, veni per contemplationem: hæc est enim totius tui cultus et religionis perfectio, credere, sperare, diligere; nam reliqua tria, videlicet intentio, operatio, contemplatio ex his constituuntur. Si enim recte credis, recte quoque ad bona agenda intendis; operaris vero propter spem præmii consequendi, subtilius autem contemplaris, quo magis ad Deum per charitatem sublevaris.

Et hoc facere poteris, si amica fueris, hoc est si abjecto errore infidelitatis mihi per fidem reconciliari; si columba fueris, hoc est si simpliciter vixeris, neminem læseris et tuis tantum contenta fueris, spe futuræ remunerationis, vel si fragilitate aliqua compellente de arca, hoc est de Ecclesia male agendo exieris, non in sæculo remaneas, sed citius revertas ferens ramum olivæ in ore, hoc est spem habens misericordiæ per confessionem et modum pœnitentiæ.

Si formosa fueris, hoc est dilectione Dei sola servans omnes mundi curas, vel si qua pulchritudinem mentis tuæ inficere possunt, postposueris, ut non lippientes Liæ oculos, sed formosam et pulchram Rachelis faciem habens in illam supernæ beatitudinis majestatem, quæ Deus est, purgato mentis oculo intendere possis.

VERS. 11, 12. — *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.*

Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra.

Cur autem ad hæc tantopere se invito? Quia frigus infidelitatis et tempestas cæcitatis et ignorantiæ, quæ totam mundi obduxerat faciem, recesserunt; et *flores apparuerunt*, id est initia bonorum operum jam pullulare cœperunt, et *tempus putationis advenit*, hoc est consilium et regula, vitia et peccata amputandi tempore gratiæ jam habentur. *Vox* quoque *turturis audita est*, id est sonus prædicationis, ex qua resonant consilia, præcepta et exempla castitatis, solitariæ conversationis, supernæ speculationis et pœnitentiæ quæ omnia exprimit turtur castus et gemebundus, amator solitudinis et

Digitized by Google

nidificans in excelsis. In ipso namque principio evangelicæ vocis clamat turtur verbis et moribus, sive ipse Dominus Jesus Christus virginitatis illius, sive ipsa ejus genitrix beata virgo Maria, sive præcursor ipsius beatus Joannes Baptista. Denique ipse Dominus de Virgine natus castitatis est prænuntius, solitudinem consecrat in desertum ductus, contemplationi monet studendum in monte orans, ad pœnitentiam hortatur quasi gemebunda voce proclamans: **106** *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* x). Beata quoque Dei genitrix singulare est speculum castitatis, quæ solidaria et in divina contemplatione posita ab angelo salutatur, et Christi mater futura prædocetur, moxque divinæ animadversionis sententiam pœnitentia mutata denuntiat, cum *misericordiam ejus in progenie et progenies* futuram proclamat (*Luc.* II). Sanctus vero Joannes Baptista castitatis filius mente et corpore virgo, quo magis fuit ab hominibus remotus, tanto magis Deo per contemplationem exstitit proximus; *fuit enim in deserto prædicans baptismum pœnitentiæ* (*Matth.* III), et clamans gemebunda turturis voce: *Facite fructus dignos pœnitentiæ* (*ibid.*).

Vers. 13. — *Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, propera, amica mea, speciosa mea, et veni.*

Ficus, inquit, *protulit grossos suos*, hoc est Judæa hactenus sterilis carnalis cœpit intelligere cæremonias et *corde* credendo *ad justitiam, ore autem* confitendo *ad salutem* (*Rom.* x), quod carnaliter sapiebat, hoc jam spiritualiter sapit et fide atque opere ostendere gestit.

Vineæ etiam florentes odorem dederunt, quia gentes audito verbo fidei jam incipiunt boni operis ubique spargere odorem.

Non ergo ordo locutionis hujus sine ratione attenditur, in qua tria ista fides, spes et charitas; sive alia tria, intentio, operatio, contemplatio considerantur, cum ista horum sint consequentia, ut qui credit, speret et diligat; et nemo sperare et diligere possit, nisi qui crediderit; nemo etiam operatur nisi prius intendat quid, et quomodo, et quando, et quare operatur, subtilitatem vero contemplandi nemo consequi possit, nisi ad hanc bonorum operum sublimitate profecerit.

Non autem erit, ut credimus, ineptum notare septenum causæ numerum, ut ostendamus ipsius causæ effectum septiformis Spiritus semper fuisse dignationem et beneplacitum: Nam hiemis, id est infidelitatis transitio; imbris, id est persecutionis transitio; florum, id est bonorum operum apparitio; vitiorum amputatio; turturis, id est Evangelii proclamatio; grossorum ficus prolatio, id est legalium observationum in veritatem mysteriorum revelatio; vinearum, id est gentium ad fidem conversarum suaviter redolens operatio, quid sunt nisi septiformis Spiritus beneplacitum et dignatio?

Causas enim hujusmodi, et quod ex his efficiebatur, sive efficitur causas, hoc est credere, sperare, diligere, operabatur ab initio, et adhuc operatur quotidie Spiritus Dei, quia omnis infidelitatis et malitiæ remotio, fideique et salutis collatio constant ipsius dono qui omnem **107** in sancta Ecclesia æquitatis, honestatis et utilitatis provident, componit et ordinat statum. Unde etiam sponsus cum loquitur sponsæ: *Vox turturis audita est*, subdit, *in terra nostra*, ut videlicet insinuat nullum effectum sacramentorum, nullam spem salutis esse extra catholicam Ecclesiam: sed omnem evangelicæ prædicationis vocem, in observatione præceptorum, in ordine et reverentia sacramentorum infra sanctam Ecclesiam tenendam, in qua datur et accipitur ipse Spiritus sanctus. *In principio* enim, ut scriptum est, *terra erat inanis et vacua*, quia antequam mens humana spiritu fecundaretur divino, nullo virtutum flore vel germine componebatur, sed postquam *spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* I), hoc est super fluentia et instabilia hominum corda, dum demum lux veritatis et fructus justitiæ per totum effunditur mundum, ut terra illa primo inanis et vacua Dei fieret Ecclesia, in qua ipse per gratiam suam inhabitaret, et suam faceret terram jam florentem et fructificantem, et quoddam vitale et rationale honestatis et disciplinæ quasi hominis specimen præferentem per gratiam inhabitantem.

Igitur cum propriæ salutis dilectus dilectam fecerit sollicitam, proximorum quoque salutis negligentem non esse admonet, ut hanc insinuet charitatem, quæ proximis sicut et sibi studio pietatis providet, quatenus merito *amica*, *columba*, *formosa*, gratiæ vocantis et justificantis appellatione honoretur.

Sequitur enim cum dilectus repetito superiori appellationis numero, *surge*, *propera*, *amica mea*, *speciosa mea*, *et veni*. Quia, inquit, ad hoc mea gratia profecisti, ut tuimet curam gerere possis, mundum contemnendo, et meæ dilectioni per contemplativæ vitæ studium inhærendo, debes quoque interdum per activæ vitæ laborem proximis prodesse verbo et exemplo, quia cum te talem effecerim, ut habeas gratiam docendi et operandi, non sine tui periculo defossо reddes rationem talento. Sed surge ad laborem istum aliquando de illo quietis tuæ dulcissimo somno pro causa fraternæ necessitatis, et propera docendo, et ab hujus mundi amore proximos retrahendo, ut ipsos quoque tecum in illud solitarium quietis tuæ deducas domicilium. Hoc autem facies velut amica mea per fidem, speciosa mea per operationem, columba mea per Spiritus sancti infusionem.

Vers. 14. — *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis et facies tua decora.*

Quia te columbæ comparavi **108**. *Columba* autem refugia sua habet *in foraminibus petræ*, in *caverna maceriæ*; quænam quoque tua erunt refugia

Digitized by Google

in quibus omnem salutis tuæ spem constituas, ut ab hujus mundi multimoda tentatione confugias ? nimirum *in foraminibus petræ*, de qua scriptum est : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* x) ; foramina enim ista sunt passionis meæ vulnera, quæ sunt omni Christiano quasi quædam in cunctis adversitatibus refugia. Quinque enim mea vulnera sunt quinque tuorum sensuum tuta refugia, ut cum hoc numero signum passionis meæ prætenderis, in omnium sensuum tuorum integritate secura persistere possis. Hæc namque integritas sensuum necessaria tibi erit docenti et operanti, quia si ea quæ doces et operaris in nomine meo cum honestate et utilitate, rationabiliter ordinate et moderate protuleris, audientium sive inspicientium animos magis attrahere valebis. Plerumque enim honestum genus causæ, si indigne profertur, offendit sicut et humile genus causæ interdum si rationabiliter profertur, partem honestatis obtinebit.

In passione ergo mea amica, speciosa, columba effecta es quia ad hoc animam meam pro te posui, sanguinem fudi, *ut* te mihi exhiberem sponsam *gloriosam non habentem maculam, neque rugam* (*Ephes.* v). Nam cum fœda ejus per te ipsam, pro te ipsa non suffecisti neque tota pro te sufficere potuit creatura, mea vero passio cui totus non adæquatur mundus pro te satisfecit Deo, ut inde reconciliata mihique conjuncta, dicaris *amica*, *speciosa*, *columba*.

Sive foramina petræ sunt quatuor Evangelia, in quibus mea perspiciuntur gesta et dicta, sive etiam virtutum studia, videlicet humilitatis, patientiæ, obedientiæ, orationum, vigiliarum, lectionum sanctarum, cæterarumque quæ sunt quasi quidam aditus ad me veniendi, et regna cœlorum introeundi, de quibus omnibus proximis prædicare debes et ostendere, quia sine his salutem consequi non possunt.

Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Christus petra (*I Cor.* x), Christus et maceria. Maceria quidem ante passionem, quia adhuc ex humana infirmitate fragilis et passibilis erat ; petra vero post resurrectionem, quando deposita omni corruptione impassibilis ex firmitate glorificati corporis factus est. *Columba* vero *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ* dilecta esse debet, quia cum multa virtutum, operationum et virtutum insignia, quæ ex fortitudine divinitatis erant in Christo, considerat; specialiter tamen debet considerare, illud charitatis insigne, quod in sua exhibuit carne, quam pro ejus morti tradidit salute : nam magnæ hujus dilectionis erga hominem **109** ostendit judicium cum pro eo redimendo, non aliud quam seipsum, valuit offerre.

Caverna ergo maceriæ charitas est Christi in carne morientis, in qua videlicet charitate Ecclesiæ quidem generaliter, specialiter vero quævis sancta anima columba est, quia per charitatem invenit locum manendi in Christo, ubi spiritualiter bonorum operum pullos nutriat et antiqui serpentis insidias effugiat : scriptum est enim, quia *Deus charitas est et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* iv).

Columba quoque est *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Columba autem pro cantu gemitum habet ; et gemere debet anima fidelis quando recolit passionem Redemptoris, perpendens quid pro ea Deus fecerit, quando ille *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* ii), pro peccatoribus mori voluit et quod homo debuit, Deus homo exsolvit. Gemat quoque pro suis excessibus, *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, quia *advocatum* habet *apud Patrem Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis* ejus (*I Joan.* ii), qui quotidie salutem confert omni pœnitenti, passionis suæ sacramento et singulari charitatis hujus exemplo. Quotidie namque nobis Redemptor noster sua renovat foramina, hoc est passionis signa, in corporis et sanguinis sui immolatione; et cavernam in qua protegamur ab hostium insidiis, ostendit in tantæ charitatis assignatione.

Potest etiam maceria accipi doctrina apostolorum, sive apostolicorum virorum, quia sicut maceria ex multis construitur lapidibus, ita doctrina sanctorum ex plurimis virtutum constituitur documentis. In qua est cuique fideli animæ caverna, id est vitæ custodia, quia ex eorum dictis et scriptis discit, qualiter peccata fugiendo et bonorum operum pullos nutriendo malignorum spirituum insidias effugere possit.

Monetur ergo dilecta quietem contemplationis interdum relinquere et ad activæ vitæ laborem causa proximorum exire, ut quod ipsa per quietem ex divinis præceptis, et sanctorum exemplis didicit, hoc proximorum mentibus prædicando inferat, et sicut ipsa horum suavitate contemplationis assiduitatem affecta est, ita quoque proximorum animos ipsorum desiderio per virtutem prædicationis afficiat.

Unde et dilectus eam admonendo subdit : *Ostende mihi faciem tuam.* Quæ est enim facies dilectæ, nisi ex consortio dilecti quædam refulgens imago sanctitatis ? Nam quanto divinæ contemplationi quisque sedulus inhæret, tanto pulchrior ex sanctitatis jubare facies mentis resplendet. Hinc est, quod Moyses in monte cum Domino quadraginta diebus **100** conversatus splendidam faciem scribitur protulisse ex consortio sermonis Domini (*Exod.* xxxiv). Qui enim in monte supernæ contemplationis commoratus fuerit, ab ipso Spiritu Dei cum quo unum sit, quamdam sanctitatis faciem producit ; unde Apostolus : *Revelata*, inquit, *facie Domini gloriam speculantes in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* (*II Cor.* iii). Qui ergo Spiritu Dei aguntur, ab ipso Spiritu transformantur in imaginem Christi secundum interiorem hominem, a claritate in claritatem, ut qui aliquid claritatis ex co[illegible]ciem interioris hominis

Digitized by Google

traxerint, qua eum lucidius agnoscant, quanto ei plus appropinquant, contemplatoria claritate, tanto plus claritatis sibi ex eo contrahant, per quam cum semper clarius et verius agnoscant. Unde et Ezechiel, cum sanctorum animalium visionem describeret, dixit: *Similitudo hominis in eis* (*Ezech.* I). Quidquid enim justitiæ et mansuetudinis, quidquid modestiæ et humilitatis, quidquid patientiæ et pietatis, quidquid postremo unquam sanctitatis habere potuerunt vel possunt electi Dei, ab illo singulari homine Domino Jesu Christo traxerunt, et ab illa principali sanctitatis facie illustratam, ipsi quoque quamdam suo modo sanctitatis faciem conceperunt.

Talem, inquit, dilectus *faciem tuam* a mea gratia spiritualiter deductam, *o dilecta, ostende mihi*, hoc est ad laudem mei nominis in publicum procede, pulchra actionis et sermonis specie, ut proximi tui videntes *opera tua, glorificent Patrem* tuum *qui in cœlis est* (*Matth.* V), ipsique ex recte composito actionis et sermonis tui vultu suæ quoque mentis et intentionis vultum componant.

Sonet vox tua in auribus meis, tum in auribus Domini vox prædicantis sonat quando voci meæ concordat, ut quod foris ad aures hominis per vocem sonat; hoc in Dei auribus per fidem loquatur. Et pulchre cum præmisisset, *ostende mihi faciem tuam*, subdit, *sonet vox tua in auribus meis*, ut ostendat quod *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio sit ad salutem* (*Rom.* X); per faciem enim notitia fidei, per vocem vero sonus prædicationis exprimi [potest].

Amplius: *Ostende*, inquit, *mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*, hoc est tali intentione ex illo angelico sanctæ solitudinis tuæ dormitorio in publicum procede actione et prædicatione, ut me solum conscientiæ tuæ testem admittas, non ut humanis te exponas favoribus, sed ut meis tantum placeas conspectibus. *Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Ideo enim, procedere debes, quia hoc in pulchritudine morum et sermonum tuorum dulcedine proximi tui attendere possunt, unde et suorum pravitatem morum corrigant, et rectæ fidei integritatem capiant.

111 Plerumque autem et ipsa vultus et habitus ostensio vox quædam mentis est et ut quidam dicit:

Sæpe tacens vocem verbaque vultus habet.

Unde de illa quæ tristitiam mentis vultus diversitate prætendebat, post ablatum sterilitatis opprobrium scribitur, quia: *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati* (*I Reg.* I). Diversitas quippe vultus diversitatem animi ostendebat, sed ablata causa diversitatis hujus, rectum et compositum animum rectus quoque et compositus loquebatur vultus. Sed hæc vox honestatis in exterioris hominis vultu et habitu constituta, tunc in Dei auribus sonat, quando hanc pro sola æternæ vitæ gloria promerenda immutabiliter servat. *Vox*, inquit, *tua dulcis et facies tua decora: vox*, inquit *tua* quæ interpres animi est et vel moribus, vel lingua loquitur, A prædicat enim et docet, sive bene agendo, sive bene loquendo; hæc, inquit, *vox quæ est dulcis, sonet in auribus meis*, quia valde mihi placet illa vita, quæ et agit et docet bona, hoc in se dilectione Dei et proximi agente ut et Deo placeat, et proximum ædificet. *Et facies tua decora*, quia hoc ex intentione et fide tua quæ utraque mihi soli cognita est, perficit, ut quod agis vel dicis dignum sit laude meæ approbationis. Hac ergo specie et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna, ut quia tali mihi virtutum dote conjungeris, sponsi tui qui Rex est, non incongrue Regina dicaris, cum me regente et instruente, et te ipsam rationabiliter regere, et aliis regimen animarum noveris impendere.

B Sed quia hanc suavitatem et pulchritudinem rectæ fidei et rectæ prædicationis plerumque hæretici perversa doctrina depravant, ut simplicium corda pervertant, vox dilecti facit apostropham ad ipsius fidei et prædicationis hujus magistros cum subdit, *capite nobis vulpes parvulas.*

Vers. 15. — *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas; nam vinea nostra floruit.*

Vulpes sunt hæretici, propter dolositatem et astutiam qui decipiunt incautos argumentis verborum, qui semper quærunt latebras in quibus doceant, eaque perverse sentiunt, facientes seorsum conventicula, ne eorum pravitatem sancta et catholica deprehendat Ecclesia. Dicuntur autem vulpes parvulæ, C sive propter ipsorum hæreticorum fictam humilitatem, sive propter argutissime exquisitarum sententiarum subtilitatem, quibus maxime mentes demirantium sed minus intelligentium, pravis suis cogunt favere doctrinis. *Capite*, inquit, *nobis;* tunc enim hæretici Deo capiuntur quando a Catholicis doctoribus per rectæ rationis assertionem, quam nullis argumentis destruere possunt, divina præcurrente gratia ad matris suæ sanctæ Ecclesiæ sinum de **112** quo errando recesserant reducuntur, et fidem quam prius impugnabant, verbis et exemplis confirmant. *Capite*, inquit, *nobis vulpes parvulas*, ac si aliis verbis dicat subtiles et callidos rectæ fidei corruptores, propriis convincite sententiis, et probabili ratione quam non possint omnino refellere, in D nostræ partis compellite transire contubernium: *Comprehendam* enim *sapientes in astutia sua, perdamque sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*I Cor.* I, III), ut cum rationem recte vivendi sive docendi agnoverint, sua eis sapientia displiceat, et quod per eam prius astruere nitebantur, agnita veritate destruant, atque cum meis fidelibus unum fiant.

Vinea enim nostra floruit, hoc est vel Ecclesia universalis vel particularis, vel aliquis fidelis individuus et singularis initium recte vivendi vel credendi arripuit, et ideo removendi vel capiendi sunt, si qui inter eos non recte viventes, vel credentes surrexerint, ne teneram fidem pietatis opera, et pravi dogmate et pravis exemplis suffocent.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

95 PROŒMIUM.

Quomodo, inquit Psalmista, *cantabimus canticum Domini in terra aliena ?* (*Psal.* CXXXVI.) Quid vero est *canticum Domini ?* Primo, ut simpliciter dicamus : *Canticum Domini* est quidquid secundum ecclesiasticæ doctrinæ vel sanctionis modum concordi modulatione sensuum et verborum componimus, scribimus et dicimus. *Canticum Domini* est tota Veteris et Novi Testamenti pagina, quam bene decantamus quando hanc recta et plena fide annuntiamus, nunc rerum gestarum seriem, nunc ipsarum rerum significationem in Domini exponentes laudem. Sed hujusmodi *Canticum* potest quilibet cantare per modum scientiæ non tantum in sua, sed etiam *in aliena terra ;* quia non aufert locus corporalis potestatem cantandi, licet auferat voluntatem et voluptatem, propter aliquam tristitiæ passionem : sicut illi populo in captivitatis mœrore constituto, quibus cum diceretur : *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*, responderunt : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ?* Siquidem ut in figura accipiamus, illorum non posse cantare *canticum Domini in terra aliena*, fuit nos non posse Dominum perfecte laudare in loco peregrinationis nostræ ; quæ est nobis quasi terra aliena ; *Quia non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII), quæ est patria nostra et terra æternæ hæreditatis nostræ. Nam Dei opera narrare, mandata ejus edicere, scribere et exponere, est, ut diximus, quoddam canticum Domini cantare : hoc etiam possibile in isto loco peregrinationis nostræ, dum dicat Psalmista : *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ* (*Psal.* CXVIII).

Verum ut altius aliquid consideremus, est et aliud canticum Domini, quod non est possibile in terra aliena cantare. Quodnam vero est illud ? Nimirum quod modulatur Spiritus sanctus sua septiformi gratia, quasi per septem vocum discrimina ; quia aliter resonat vox illa interioris hominis per spiritum sapientiæ, aliter per spiritum intellectus, aliter per spiritum consilii atque aliter per spiritum fortitudinis ; alio vero modo per spiritum scientiæ et alio per spiritum pietatis, alio quoque per spiritum Domini (*Isa.* XI).

His enim gratiarum distributionibus, quasi quibusdam diversis vocibus constituitur tota modulatio, cantici **96** Domini, cantici illius dulcissimi, quæ canit virtutum fidibus, vita honesta, sancta, Deo placens et perfecta.

Nulla quippe ibi est dissonantia inter carnem et spiritum quia tam concorditer succinit caro spiritui ut perfectam construant harmoniam spiritualis A cantici, quod est in loco peregrinationis nostræ optimum genus cantici divini. Sed istud *canticum* non potest cantari in terra aliena, hoc est in corpore subdito peccatis ; quod tunc est terra aliena, quando peccando existens in potestate diaboli indignum est habitatione Christi : sive a nobis tunc alienatur quando spiritui et mentis rationi male agens reluctatur. Aliena est terra. Homo terrena semper diligendo, et ob hoc alienus a Deo, atque ideo impotens cantare canticum Domini, quia *animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei* (*I Cor.* II).

Sed quorum ista ? Ad hoc plane ut ostendam vobis, sanctissimæ sorores, supra vires meas esse hoc quod mihi injunxistis officium, quia dum nihil B aut parum aptus sim cantare *Canticum Domini*, longe minus aptus ero cantare *Canticum Domini canticorum*. Hujusmodi enim materia debet esse oratorum eloquenter et sapienter declamantium quorum est officium dicere apposite ad persuadendum, finis vero persuadere dictione, sed cum in me sint neque sapientia neque eloquentia, cui deest officium apposite dicendi, minus profecto adest finis dictione persuadendi. Tunc enim vobis utiliter scriberem si ea quæ dico vel dicturus sum ita apposite dicerem, ut vobis ad vitæ honestatem et animæ utilitatem persuadere possem. Nam terra mea aliena est, repugnans spiritui serviens Domino peccati, atque ideo non sum idoneus in ea cantare *Canticum Domini*, quanto minus C *Cantica canticorum*. Sed ut quidam fuit, liceat sperare timenti, ut qui præ parvitate sensus mei tam sublimem materiam timeo prosequi, sperem tamen per orationes vestras ad ea quæ cœpi exsequenda pro divinitatis respectu adjuvari.

SEQUITUR CAPUT II.

VERS. 7. — *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.*

Igitur dilectus dilectæ delectatus dormitione, cujus capiti, id est menti sinistram suam, hoc est temporalem utilitatem supposuerat, dextra vero sua, hoc est æternæ vitæ dilectione amplexatus fuerat, taliter filias Jerusalem, hoc est animas fideles D alloquitur, dicens : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.*

Quæ est ista tam suavis tamque salubris dormitio ut propter eam talis fiat dilecti adjuratio ! Nonne illa est in qua dulci et optabili quiete dilecta requiescens supra dixerat, *læva ejus sub capite meo et dextera illius amplexabitur me ?*

97 Omnia enim temporalia postposuerat,

Digitized by Google

æternalia vero et indeficientia bona illo contemplatorio concupiscibilis animæ oculo intendebat et in hac desiderabili mentis visione delectabiliter quasi dormiebat. Non enim potest leviter hujusmodi provenire dormitio in mente jam omnibus actis exoccupata et magna sibi quiete in amore Dei constrata. Unde per Psalmistam monens Dominus : *Vacate*, inquit, *et videte quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV). Duæ istæ dictiones in hoc proposito sunt inseparabiles, quia nequaquam poterit quispiam intimæ contemplationis oculo Deitatis essentiam videre, nisi prius studuerit ab omni exteriori impedimento vacare : præmisso ergo *vacate*, subdit *videte*, quatenus insinuet prius vacandum in mente, ab omni mundanarum rerum cogitatione ut inde fiat possibile, quasi clauso in terrenis oculo perspicatiori et subtiliori visione in divinitatis amore dormire.

Sed cum non sit æqualiter adveniens et manens hujus dormitionis gratia, quando constat alium majori, alium minori contemplationis virtute sublevari (plus enim Maria Petro vel Joanne, isti autem plus alio quolibet sancto in divina profecerunt visione) : certum est, diverso sanctos quosque modo dormitionis hujus habere sanctitatem, multiplicem propter quietis disparitatem, ut suo quisque loco juxta collatam sibi quietis gratiam, specialem in contemplativa vita habeat dormitionem. Unde propheta in persona uniuscujusque fidelis hoc modo dormientis dicit : *Quiescam et considerabo in loco meo* (*Isa.* XVIII) : ac si patenter dicat : Quia iste est ordo dormitionis ut non liceat prius dormire quam quietem habere ; quiescam, hoc est omnis a me terrenæ sollicitudinis causas auferam, et tunc demum mente ab his dormiendo divinæ contemplationis adhærebo in loco collatæ mihi specialiter gratiæ. Hoc ergo quocunque modo vel loco dormiente dilecta, adjurantur a dilecto filiæ Jerusalem, ne suscitent eam neque evigilare faciant, quoad ipsa velit.

Quæ vero sunt *filiæ Jerusalem* nisi animæ ad supernæ pacis visionem tendentes, sed adhuc præpudiente mentis infirmitate minus pervenire valentes ?

Quid autem dilecti est adjuvare, nisi præceptorum suorum decretali conscripto obligare ? Porro ipsa præcepta quæ sunt, nisi veluti capreæ cervique camporum ad cœlestia sublevantes alacresque et fortes in bono opere facientes, doctrinæ sanctarum Scripturarum.

Sive per *capreas et cervos* intelligere possumus Patres veteris et novi Testamenti quorum ingenia, virtutes et studia naturali gestione denotantur. Quatuor enim naturæ notabilia dicitur habere capreas quod cum vulnerata fuerit gustato **98** dictamno sanatur, quod herbas salubres visus acumine discernit, quod ruminat, quod in montuosis pascitur et semper altiora petit. Et hæc est vita et doctrina sanctorum, excessus suos humili confessione sanare, sententias meliores sanctarum Scripturarum sensus sui acumine discernere, divinorum mandatorum cibaria legendo sumere et tenaci memoriæ commendando resumere, de virtutibus, ad virtutes profectu quotidiano assurgere.

In cervo quoque tria attenduntur naturæ probabilia, quod scilicet serpentem deglutiens potato fonte cum pilis totius corporis omne venenum deponit ; quod a canibus agitatus in densissimis silvis viam sibi fugiendi cornibus aperit ; quod in mutandis pascuis facto agmine alter alterius dorso capite imposito invicem propter pondus cornuum sustentantur.

Hæc quoque fidelibus convenit agere et docere, ut qui aliquo peccati veneno infectus fuerit, ad fontem misericordiæ Christum recurrat, cujus pietatis et gratiæ infusione, possit et illo peccato, et cæteris animi vitiis carere. Si a malignis spiritibus veluti quibusdam canibus in silvis sæcularium negotiorum, quæ plena sunt peccatis et vitiis, animo agitatur, viam sibi aufugiendi ea faciat forti repulsione spiritus sive abrenuntiatis omnibus hujusmodi occupationibus soli Deo vacare studeat in contemplativæ vitæ amore, quod est etiam cornibus viam sibi salutis aperire. Cornu quippe cum de carne nascatur, carnem excedit, et ille qui contemplativæ vitæ inhæret, quamvis in carne sit, extra carnem tamen mente sublevatur. Infirmitates morum sive corporum studeant invicem æquanimiter tolerare, et officiosa sibi obsequi charitate ; sicut dicit Apostolus ; *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI).

Adjurantur ergo a sponso *filiæ Jerusalem*, hoc est obligantur animæ pacem sequi cupientes, *per capreas cervosque camporum*, hoc est per præcepta et documenta sanctorum Patrum, *ne* suscitent *neque evigilare* faciant dilectam, hoc est ne inquietent a proposito hujus intimæ quietis et dormitionis ; *donec ipsa velit*, hoc est donec ei aspiret ille ejus intimus habitator, cui per amorem colligatur ut velit proximorum infirmitati interdum condescendere, et eorum necessariis utilitatibus providere. Hoc enim velle in ejus cuncta providentis est dispositione qui ei per occultam inspirationem manifestat, quando sit utile et honestum contemplationi inhærere et quando proximorum necessitatibus providere **99** pro loco et tempore.

Denique hujus admirationis talis est vis, qua constringuntur filii obedientiæ, ut exhibeant prælatis suis honestatem reverentiæ, quia scriptum est : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris* (*Hebr.* XIII). Inde est quod non audent eos suscitare quasi vicarios Christi officio, sponsus vero sanctæ conversationis studio ne perturbent eos, si compellent eos aliqua sui improbitate, sive importunitate ab internæ quietis secreto avelli et frequentius exterioribus occupari. Ipsi quoque subjecti hujus admirationis verbum inter se invi-

Digitized by Google

cem suscipere debent, ne pia fratrum studia inquietent sive in lectione, sive in oratione, sive in aliquo spirituali officio quandiu eos in hoc detinet Divinitatis inspiratio.

Verum hujus contemplatoriæ dormitionis quietem dilecta semper flagrans, gaudeat se confirmari et defendi tali adjuramento dilecti et quasi jure non debeat inquietari, securior facta proclamat : *Vox dilecti mei.*

VERS. 8. — *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.*

Vox, inquit, prædictæ admirationis non est vox alicujus prophetæ, non legislatoris, non doctoris, quasi ex semetipso aliquid annuntiantis vel docentis; sed potius ipsius *dilecti*, et per se ipsum; et per eos mysteriorum et mandatorum suorum decreta constituentis, quia omnis Scriptura *dilecti mei vox* est spiritu oris ejus prolata, et divinitatis ipsius digito in cordibus nostris descripta. Et ideo hanc vocem non parvi pendere debetis, filiæ Jerusalem, ut me causa rerum exteriorum suscitetis et frequentius evigilare cogatis.

Nam hæc est etiam quædam species vocis dilecti, vocis adjurantis et quasi juridicialis : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI), ut hoc æquum esse debeat ipso dilecto dictante, quatenus Deo adhærentibus necessarius creaturæ consequenter deserviat usus. Docuit plane et confirmavit proprio ipse dilectus testimonio, quando hujus mei comparem studii, talem extulit præconio, *Maria*, inquiens, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X). Nempe et hæc *vox dilecti*, ut merito hoc meæ dormitionis studium præponere debeam omnium vigiliis negotiorum. Sed quid est, quod ex hac voce dilecti mei, hoc est ex sancta Scriptura audivi et didici, quando per mentis quietem in ejus contemplatione dormivi? Istud nimirum quod vobis nunc, o filiæ Jerusalem, de ipsius dilecti mei virtute narrabo. *Ecce iste venit saliens in* **100** *montibus transiliens colles. Ecce*, inquit, *iste venit.* Venire ejus dicitur non secundum divinitatem sed secundum humanitatem. Ille enim qui secundum divinitatem incirconscriptus et illocalis est, quomodo venire diceretur, qui immobilis et incommutabilis existens, sicut semper in se ipso unus idemque permanet, ut nec loco mutetur, nec aliqua varietate in diversa feratur. Sed quoties in corda sanctorum venire dicetur, hoc non secundum sui aliquam motabilitatem, sed secundum illorum aptitudinem, qua se minus aut majus ejus amori applicant, per inspirationem suam venire afferetur. Secundum humanitatem ergo venit, cum passibilis propter nos factus pati voluit humanæ consuetudinis localem translationem : nam ut visibilis fieret de cœlo venit et humanam naturam assumpsit, in qua passus et mortuus resurrexit; et in cœlum ascendit, quod totum fecit moveri, et quasi de uno ad aliud venire. Hoc itaque modo veniendi *venit dilectus, saliens in montibus*, quando in tempore dispensationis multis et magnificis emicuit saltibus in sublimium virtutum montibus.

Montes enim quidam sunt præcipuæ et eminentes virtutes in quibus dilectus iste saltus fecit, quando de virtute in virtutem quosdam progressus fecit : Excelsus enim super cœlos Deus ad terram humilis nascendo venit, de quo humilitatis monte in alium montem obedientiæ ascendit, *factus est enim obediens Deo Patri usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II); quam suscipiendo in montem patientiæ saltum fecit; de quo postremo in montem gloriæ conscendit, ubi victoriosæ mortis triumphum resurgendo et in cœlum ascendendo collocavit.

Iste ergo dilectus venit saliens in montibus, transiliens colles; quia quidquid sapientiæ et intellectus, quidquid consilii et fortitudinis, quidquid scientiæ et pietatis, quidquid divini timoris, quidquid denique alicujus honestatis, justitiæ et sanctitatis esse unquam potuit vel potest, in isto dilecto veluti in capite præ omnibus ejus membris, hoc est sanctis, qui colles dicuntur, sublimius et præclarius effulsit. Hoc ex parte in libris Evangeliorum aspicere quilibet intelligens potest, qualiter iste dilectus salierit in montibus, hoc est in virtutibus verbo et exemplo, transiliens omnium sanctorum exempla et documenta suo singulari et incomparabili operationis et doctrinæ prædicamento : *exsultavit ut gigas ad currendam viam quia a summo cœlo egressio ejus et occursus ejus usque ad summum ejus* (*Psal.* XVIII).

101 VERS. 9. — *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum : en iste stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*

Unde *similis* dicitur *capreæ hinnuloque cervorum* : capreæ enim naturale est semper ascensus quærere, et cum sanctis gratiarum distributio diverso tribuatur modo : *Alii quidem sic, alii vero sic*, soli unigenito *non ad mensuram dat Deus spiritum, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*I Cor.* VII; *Joan.* III; *Coloss.* II). Sancti enim in virtutum studio nunc ascendunt, nunc non ascendunt quia in eorum meritis gratia illa quam habent nunc operatur nunc quiescit, quatenus hoc eis sit ad humilitatis custodiam quod non semper in promptu habent collatæ virtutis gratiam. Isti autem dilecto non ad tempus, neque per intervalla, sed sine intermissione virtutum constat gratia, sicut de eo scriptum est, quia *descendit Spiritus sanctus in columbæ specie et mansit super eum* (*Luc.* III; *Joan.* I).

Hinnulo quoque cervorum assimilatur propter velocitatem, quia sicut hinnulus propter juvenilis corporis levitatem multo velocior cervo est; sic dilectus iste quasi hinnulus cervorum, hoc est filius patriarcharum de quorum stirpe processit, longe

Digitized by Google

præstantior et agilior virtutum efficacia et verborum sapientia et ipsorum antiquorum Patrum studiis et documentis.

Cum ergo omnes iste dilectus exhortando et præsiliendo ad virtutum studia provocet, quidam autem pro posse suo sequantur, quidam fragilitate obstante sequi se posse desperent, nonnulli peccatorum mole depressi ad ea resurgere diffidant, aufert eis omnem occasionem diffidendi dilectæ prætendens dilecti hujus pietatem ineffabilem omnes ad sui gratiam misericorditer invitantem et subdit : *En ipse stat post parietem nostrum*, etc. Unus est paries generalis, peccati scilicet originalis; sed iste paries in multos diffunditur parietes speciales actualis peccati. Ex originali namque peccato quasi ex quadam massa processerunt multa et diversa actualia peccata, quia postquam per originale peccatum primi parentis lapsi sunt, genus infirmitatis hujus in posteros transfunditur, videlicet ad peccata semper esse proclives. Verum iste generalis paries destrui cœpit veniente per carnem Dei filio, cujus sanguine tandem submotus et dissipatus est, quando *solvens inimicitias inter Deum et hominem reconciliavit nos Deo* (*Eph.* II); et ne possit reformari, quotidie destruitur in Ecclesia per gratiam baptismi.

Specialis vero paries in diversis diverso constituitur modo, quia in alio est vitium superbiæ, in alio avaritiæ, **102** in isto luxuriæ, in illo impudicitiæ, in aliquo obedientiæ, in nonnullo impatientiæ, sive aliud quodcunque vitium, quod juxta ipsius vitii qualitatem, et modum et numerum, facit qualemcunque parietem inter hominem et Deum quoque vitium majus vel crebrius sive numerosius et in homine, eo gravius et immobilius pondus est in pariete.

Sed post istum parietem sive generalem peccati originalis, sive specialem actualis stat dilectus iste, quia paratus est misericorditer suscipere, quicunque aliquo tali remoto pariete, in eodem destruendo per pœnitentiam ei studuerint repropinquare. Stare quippe est adjuvantis, sedere judicantis. *Post parietem stat*, quia dum ad nos per gratiam suam disponit venire, obstante pariete peccati, quasi compellitur stare. Primo namque diu stetit ne veniret ad amovendum illum parietem peccati originalis, propter multa prohibendo adventum ejus, multis afflictionibus et adversitatibus quibus insequebatur eos qui adventum ejus desiderabant et exspectabant, quo veniente sciebant hunc parietem destruendum per sanguinem ipsius et Deo se reconciliandos.

Stetit ergo hac de causa et venire distulit *respiciens* interim *per fenestras*, *prospiciens per cancellos*. Quid enim erant fenestræ in pariete nisi prophetæ aliique doctores legis divinæ quorum doctrina et prædicatione quasi quosdam exitus respiciendi Deus inveniret per quos aliquod gratiæ suæ lumen profunderet quo illuminatum et admonitum genus humanum, desisteret retardare hujus dilecti adventum saluti suæ profuturum, tantæ malitiæ quasi cujusdam parietis interpositione

Cancelli verò, id est anterior pars ædificii, fuerunt præcedentes antiqui patres, videlicet patriarchæ ante legem Christum annuntiantes, per quos longe post venturus ex parte prospiciebat signis et portentis et quibusdam rationum documentis; admonendo ne impedirent pariete malorum suorum futura tantæ salutis suæ tempora.

Tamdiu ergo stetit post parietem nostrum misericorditer prospiciendo et verbo, lege, signis, atque prodigiis consulendo, donec tandem per motus afflictione suorum crebro clamantium : *Veni, Domine, et noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ*, compressis omnium terrarum motibus sub Cæsare Augusto, et firmissima verissimaque pace Dei ordinatione disposita, quasi concusso jam pariete obstantis malitiæ cœpit desideratam diu faciem dilectus **103** iste nascendo ostendere, atque deinceps prædicando, moriendo, resurgendo, in cœlum ascendendo, sicque per totum orbem Evangelii sui legem spargendo, diu oppositum quotidie per gratiam baptismi destruere peccati originalis parietem.

Porro fenestræ et cancelli in pariete actualis peccati, per quas quotidie prospicitur dilectus iste, sunt Evangeliorum et apostolorum, cæterorumque sanctorum patrum exempla et documenta; ibi quidem fenestræ ubi scientiæ et intelligentiæ lumen cordibus nostris infundunt, ut videre possimus qualiter cujusque peccati parietem inter nos et Deum positum amoveamus; cancelli vero eo loco ubi ex eorum scriptis Deum ad nos respicientem per contemplationis virtutem *ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus* (*I Cor.* XIII), ut dum futuræ vitæ gloriam vel pœnam attendimus, peccati parietem a Deo nos separantem, quotidie destruere laboremus.

Amplius. Veniens in carne Dei Filius, stetit post parietem mortalitatis nostræ, prospiciens ad nos per fenestras et cancellos divinitatis suæ; qui etiam Deus claruit ex miraculorum potentia et tamen latuit ex humanæ passibilitatis natura. Qui enim per fenestras et cancellos prospicit, nec totus videtur, nec totus non videtur : sic nimirum et redemptor noster in carne veniens Deum se ex miraculis ostendit, ex passionibus vero occultavit. Post parietem ergo humanæ passibilitatis stetit, quia ex humanitate occultus inter homines, non ut Deus venit; per fenestras vero et cancellos prospexit, quia miseratione divina toti generi humano perennia salutis dona dictavit. Et quia dilectam quam intus misericordiæ suæ intuitu attraxit, foris quoque prædicationis verbo instruxerit eamdem, subdendo manifestat :

Vers. 10 — *En dilectus meus loquitur mihi : Sur-*

Digitized by Google

ge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

Locutio ista dilecti tripliciter distinguitur pulchritudine appellationis, adhortationis et causæ : appellationis quidem, dum dicit : *amica mea, columba mea, formosa mea*, adhortationis vero dum dicit : *Surge, propera, veni* ; causæ dum dicit : *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt, tempus putationis advenit.* Pulchritudo quippe appellationis est, dicere : Amicam, columbam, formosam ; pulchritudo adhortationis, *surge, propera, veni* ; pulchritudo causæ, hiemem et imbrem recessisse, flores apparere, tempus putationis adesse, vocem turturis auditam esse, ficus protulisse grossos suos, vineas florentes odorem dedisse.

104 Ordo vero non sine consideratione disponitur in hac appellatione, adhortatione et causa. In appellatione quidem, dum primo dicit amicam, deinde columbam, postremo formosam ; in adhortatione vero primo *surge*, dein *propera*, postremo *veni*. Porro in causa primo loco *hiems transiit*, secundo *imber recessit*, tertio *flores apparuerunt*, quarto *tempus putationis advenit*, quinto *vox turturis audita est in terra nostra*, sexto *ficus protulit grossos suos*, septimo *vineæ florentes odorem dederunt*. Causa adhortationis hujus qua monetur dilecta surgere, properare, venire, sunt hiemis et imbris recessus, florum apparitio, et tempus putationis ; vox turturis et ficus proferentes grossos suos, vineæque florentes.

Sed videndum unde locutio ista procedat : supra dixerat, *vox dilecti mei*, quam vocem Scripturam sanctam diximus, tota enim divina pagina vox Dei est, per quam legendo dilecta saltus induti pariete mortalitatis nostræ, et loquentis ad se per fenestras et cancellos miraculorum et doctrinarum, nam quoties Scripturas sanctas videmus vel legimus, Deus ad nos vel nobiscum loquitur. Hoc ergo modo loquentem ad se dilectum, dilecta, id est Ecclesia sive quævis fidelis anima advertit, quando divinæ dispensationis ordinem, sacramentorum religionem, præceptorum divinorum utilitatem audit, legit, intelligit.

Verum ipse dilectus veluti e salute dilectæ sollicitus in hujus modi locutione assumunt sibi officium boni pratoris, ut audientem tribus attrahat modis hoc est ut faciat attentam, docilem, benevolam : nam dum non semel, sed ter inclamitat, dicens, *surge, propera, veni*, ac si dicat non segniter sed celeriter et studiose te offer, veluti aliquid ratum et insolitum auditura attentam facit ; cum vero vocabulo dilectionis et gratiæ frequenter appellat dicens : *Amica mea, columba mea, formosa mea*, benevolam reddit ut majorem pariat voluntatem præparandi et audiendi.

Porro causam hujus advocationis eum docet distincte per numerum dicendo : *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt, tempus putationis advenit, vox turturis audita est, vineæ florentes odorem dederunt*, docilem facit ut agnoscat tempus magnæ salutis et gratiæ quod debeat cum magna veneratione et gaudio suscipere.

Et hoc est magnæ pietatis indicium, qua ad nos frequenter intendit dilectus iste per *fenestras* et *cancellos*, infinitæ clementiæ suæ *stans post parietem* malorum nostrorum *quasi nubem ne transeat oratio oppositam* (*Thren.* III), loquens quotidie et admonens quatenus istum parietem vel hanc nubem ariete virtutum et afflatu sancti Spiritus dissipemus.

Quid ergo loquitur dilectus dilectæ ? *Surge*, inquit, *propera, amica mea* **105** *columba mea, formosa mea, et veni :* surge per fidem, propera per spem, veni per charitatem : sive, surge per intentionem, propera per operationem, veni per contemplationem : hæc est enim totius tui cultus et religionis perfectio, credere, sperare, diligere ; nam reliqua tria, videlicet intentio, operatio, contemplatio ex his constituuntur. Si enim recte credis, recte quoque ad bona agenda intendis ; operaris vero propter spem præmii consequendi, subtilius autem contemplaris, quo magis ad Deum per charitatem sublevaris.

Et hoc facere poteris, si amica fueris, hoc est si abjecto errore infidelitatis mihi per fidem reconciliari ; si columba fueris, hoc est si simpliciter vixeris, neminem læseris et tuis tantum contenta fueris, spe futuræ remunerationis, vel si fragilitate aliqua compellente de arca, hoc est de Ecclesia male agendo exieris, non in sæculo remaneas, sed citius revertas ferens ramum olivæ in ore, hoc est spem habens misericordiæ per confessionem et modum pœnitentiæ.

Si formosa fueris, hoc est dilectione Dei sola servans omnes mundi curas, vel si qua pulchritudinem mentis tuæ inficere possunt, postposueris, ut non lippientes Liæ oculos, sed formosam et pulchram Rachelis faciem habens in illam supernæ beatitudinis majestatem, quæ Deus est, purgato mentis oculo intendere possis.

VERS. 11, 12. — *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.*

Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit : vox turturis audita est in terra nostra.

Cur autem ad hæc tantopere se invito ? Quia frigus infidelitatis et tempestas cæcitatis et ignorantiæ, quæ totam mundi obduxerat faciem, recesserunt ; et *flores apparuerunt*, id est initia bonorum operum jam pullulare cœperunt, et *tempus putationis advenit*, hoc est consilium et regula, vitia et peccata amputandi tempore gratiæ jam habentur. *Vox* quoque *turturis auditu est*, id est sonus prædicationis, ex qua resonant consilia, præcepta et exempla castitatis, solitariæ conversationis, supernæ speculationis et pœnitentiæ quæ omnia exprimit turtur castus et gemebundus, amator solitudinis et

Digitized by Google

nidificans in excelsis. In ipso namque principio evangelicæ vocis clamat turtur verbis et moribus, sive ipse Dominus Jesus Christus virginitatis filius, sive ipsa ejus genitrix beata virgo Maria, sive præcursor ipsius beatus Joannes Baptista. Denique ipse Dominus de Virgine natus castitatis est prænuntius, solitudinem consecrat in desertum ductus, contemplationi monet studendum in monte orans, ad pœnitentiam hortatur quasi gemebunda voce proclamans: **106** *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* x). Beata quoque Dei genitrix singulare est speculum castitatis, quæ solidaria et in divina contemplatione posita ab angelo salutatur, et Christi mater futura prædocetur, moxque divinæ animadversionis sententiam pœnitentia mutata denuntiat, cum *misericordiam ejus in progenie et progenies* futuram proclamat (*Luc.* II). Sanctus vero Joannes Baptista castitatis filius mente et corpore virgo, quo magis fuit ab hominibus remotus, tanto magis Deo per contemplationem exstitit proximus; *fuit enim in deserto prædicans baptismum pœnitentiæ* (*Matth.* III), et clamans gemebunda turturis voce: *Facite fructus dignos pœnitentiæ* (*ibid.*).

Vers. 13. — *Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, propera, amica mea, speciosa mea, et veni.*

Ficus, inquit, *protulit grossos suos*, hoc est Judæa hactenus sterilis carnalis cœpit intelligere cæremonias et *corde* credendo *ad justitiam, ore autem* confitendo *ad salutem* (*Rom.* x), quod carnaliter sapiebat, hoc jam spiritualiter sapit et fide atque opere ostendere gestit.

Vineæ etiam florentes odorem dederunt, quia gentes audito verbo fidei jam incipiunt boni operis ubique spargere odorem.

Non ergo ordo locutionis hujus sine ratione attenditur, in qua tria ista fides, spes et charitas; sive alia tria, intentio, operatio, contemplatio considerantur, cum ista horum sint consequentia, ut qui credit, speret et diligat; et nemo sperare et diligere possit, nisi qui crediderit; nemo etiam operatur nisi prius intendat quid, et quomodo, et quando, et quare operatur, subtilitatem vero contemplandi nemo consequi possit, nisi ad hanc bonorum operum sublimitate profecerit.

Non autem erit, ut credimus, ineptum notare septenum causæ numerum, ut ostendamus ipsius causæ effectum septiformis Spiritus semper fuisse dignationem et beneplacitum: Nam hiemis, id est infidelitatis transitio; imbris, id est persecutionis transitio; florum, id est bonorum operum apparitio; vitiorum amputatio; turturis, id est Evangelii proclamatio; grossorum ficus prolatio, id est legalium observationum in veritatem mysteriorum revelatio; vinearum, id est gentium ad fidem conversarum suaviter redolens operatio, quid sunt nisi septiformis Spiritus beneplacitum et dignatio?

Causas enim hujusmodi, et quod ex his efficiebatur, sive efficitur causas, hoc est credere, sperare, diligere, operabatur ab initio, et adhuc operatur quotidie Spiritus Dei, quia omnis infidelitatis et malitiæ remotio, fideique et salutis collatio constant ipsius dono qui omnem **107** in sancta Ecclesia æquitatis, honestatis et utilitatis providet, componit et ordinat statum. Unde etiam sponsus cum loquitur sponsæ: *Vox turturis audita est*, subdit, *in terra nostra*, ut videlicet insinuat nullum effectum sacramentorum, nullam spem salutis esse extra catholicam Ecclesiam: sed omnem evangelicæ prædicationis vocem, in observatione præceptorum, in ordine et reverentia sacramentorum infra sanctam Ecclesiam tenendam, in qua datur et accipitur ipse Spiritus sanctus. *In principio* enim, ut scriptum est, *terra erat inanis et vacua*, quia antequam mens humana spiritu fecundaretur divino, nullo virtutum flore vel germine componebatur, sed postquam *spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* I), hoc est super fluentia et instabilia hominum corda, dum demum lux veritatis et fructus justitiæ per totum effunditur mundum, ut terra illa primo inanis et vacua Dei fieret Ecclesia, in qua ipse per gratiam suam inhabitaret, et suam faceret terram jam florentem et fructificantem, et quoddam vitale et rationale honestatis et disciplinæ quasi hominis specimen præferentem per gratiam inhabitantem.

Igitur cum propriæ salutis dilectus dilectam fecerit sollicitam, proximorum quoque salutis negligentem non esse admonet, ut hanc insinuet charitatem, quæ proximis sicut et sibi studio pietatis providet, quatenus merito *amica*, *columba*, *formosa*, gratiæ vocantis et justificantis appellatione honoretur.

Sequitur enim cum dilectus repetito superiori appellationis numero, *surge*, *propera*, *amica mea*, *speciosa mea*, *et veni*. Quia, inquit, ad hoc mea gratia profecisti, ut tuimet curam gerere possis, mundum contemnendo, et meæ dilectioni per contemplativæ vitæ studium inhærendo, debes quoque interdum per activæ vitæ laborem proximis prodesse verbo et exemplo, quia cum te talem effecerim, ut habeas gratiam docendi et operandi, non sine tui periculo defosso reddes rationem talento. Sed surge ad laborem istum aliquando de illo quietis tuæ dulcissimo somno pro causa fraternæ necessitatis, et propera docendo, et ab hujus mundi amore proximos retrahendo, ut ipsos quoque tecum in illud solitarium quietis tuæ deducas domicilium. Hoc autem facies velut amica mea per fidem, speciosa mea per operationem, columba mea per Spiritus sancti infusionem.

Vers. 14. — *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis et facies tua decora.*

Quia te columbæ comparavi **108**. *Columba* autem refugia sua habet *in foraminibus petræ*, in *caverna maceriæ*; quænam quoque tua erunt refugia

Digitized by Google

in quibus omnem salutis tuæ spem constituas, ut ab hujus mundi multimoda tentatione confugias ? nimirum *in foraminibus petræ*, de qua scriptum est : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* x) ; foramina enim ista sunt passionis meæ vulnera, quæ sunt omni Christiano quasi quædam in cunctis adversitatibus refugia. Quinque enim mea vulnera sunt quinque tuorum sensuum tuta refugia, ut cum hoc numero signum passionis meæ prætenderis, in omnium sensuum tuorum integritate secura persistere possis. Hæc namque integritas sensuum necessaria tibi erit docenti et operanti, quia si ea quæ doces et operaris in nomine meo cum honestate et utilitate, rationabiliter ordinate et moderate protuleris, audientium sive inspicientium animos magis attrahere valebis. Plerumque enim honestum genus causæ, si indigne profertur, offendit sicut et humile genus causæ interdum si rationabiliter profertur, partem honestatis obtinebit.

In passione ergo mea amica, speciosa, columba effecta es quia ad hoc animam meam pro te posui, sanguinem fudi, *ut* te mihi exhiberem sponsam *gloriosam non habentem maculam, neque rugam* (*Ephes.* v). Nam cum fœda ejus per te ipsam, pro te ipsa non suffecisti neque tota pro te sufficere potuit creatura, mea vero passio cui totus non adæquatur mundus pro te satisfecit Deo, ut inde reconciliata mihique conjuncta, dicaris *amica*, *speciosa*, *columba*.

Sive foramina petræ sunt quatuor Evangelia, in quibus mea perspiciuntur gesta et dicta, sive etiam virtutum studia, videlicet humilitatis, patientiæ, obedientiæ, orationum, vigiliarum, lectionum sanctarum, cæterarumque quæ sunt quasi quidam aditus ad me veniendi, et regna cœlorum introeundi, de quibus omnibus proximis prædicare debes et ostendere, quia sine his salutem consequi non possunt.

Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Christus petra (*I Cor.* x), Christus et maceria. Maceria quidem ante passionem, quia adhuc ex humana infirmitate fragilis et passibilis erat ; petra vero post resurrectionem, quando deposita omni corruptione impassibilis ex firmitate glorificati corporis factus est. *Columba* vero *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ* dilecta esse debet, quia cum multa virtutum, operationum et virtutum insignia, quæ ex fortitudine divinitatis erant in Christo, considerat; specialiter tamen debet considerare, illud charitatis insigne, quod in sua exhibuit carne, quam pro ejus morti tradidit salute : nam magnæ hujus dilectionis erga hominem **109** ostendit judicium cum pro eo redimendo, non aliud quam seipsum, valuit offerre.

Caverna ergo maceriæ charitas est Christi in carne morientis, in qua videlicet charitate Ecclesiæ quidem generaliter, specialiter vero quævis sancta anima columba est, quia per charitatem invenit locum manendi in Christo, ubi spiritualiter bonorum operum pullos nutriat et antiqui serpentis insidias effugiat : scriptum est enim, quia *Deus charitas est et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* iv).

Columba quoque est *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Columba autem pro cantu gemitum habet ; et gemere debet anima fidelis quando recolit passionem Redemptoris, perpendens quid pro ea Deus fecerit, quando ille *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* ii), pro peccatoribus mori voluit et quod homo debuit, Deus homo exsolvit. Gemat quoque pro suis excessibus, *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, quia *advocatum* habet *apud Patrem Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis* ejus (*I Joan.* ii), qui quotidie salutem confert omni pœnitenti, passionis suæ sacramento et singulari charitatis hujus exemplo. Quotidie namque nobis Redemptor noster sua renovat foramina, hoc est passionis signa, in corporis et sanguinis sui immolatione; et cavernam in qua protegamur ab hostium insidiis, ostendit in tantæ charitatis assignatione.

Potest etiam maceria accipi doctrina apostolorum, sive apostolicorum virorum, quia sicut maceria ex multis construitur lapidibus, ita doctrina sanctorum ex plurimis virtutum constituitur documentis. In qua est cuique fideli animæ caverna, id est vitæ custodia, quia ex eorum dictis et scriptis discit, qualiter peccata fugiendo et bonorum operum pullos nutriendo malignorum spirituum insidias effugere possit.

Monetur ergo dilecta quietem contemplationis interdum relinquere et ad activæ vitæ laborem causa proximorum exire, ut quod ipsa per quietem ex divinis præceptis, et sanctorum exemplis didicit, hoc proximorum mentibus prædicando inferat, et sicut ipsa horum suavitate contemplationis assiduitatem affecta est, ita quoque proximorum animos ipsorum desiderio per virtutem prædicationis afficiat.

Unde et dilectus eam admonendo subdit : *Ostende mihi faciem tuam.* Quæ est enim facies dilectæ, nisi ex consortio dilecti quædam refulgens imago sanctitatis ? Nam quanto divinæ contemplationi quisque sedulus inhæret, tanto pulchrior ex sanctitatis jubare facies mentis resplendet. Hinc est, quod Moyses in monte cum Domino quadraginta diebus **100** conversatus splendidam faciem scribitur protulisse ex consortio sermonis Domini (*Exod.* xxxiv). Qui enim in monte supernæ contemplationis comporatus fuerit, ab ipso Spiritu Dei cum quo unum sit, quamdam sanctitatis faciem producit ; unde Apostolus : *Revelata*, inquit, *facie Domini gloriam speculantes in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* (*II Cor.* iii). Qui ergo Spiritu Dei aguntur, ab ipso Spiritu transformantur in imaginem Christi secundum interiorem hominem, a claritate in claritatem, ut qui aliquid claritatis ex eo in faciem interioris hominis

Digitized by Google

traxerint, qua eum lucidius agnoscant, quanto ei plus appropinquant, contemplatoria claritate, tanto plus claritatis sibi ex eo contrahant, per quam eum semper clarius et verius agnoscant. Unde et Ezechiel, cum sanctorum animalium visionem describeret, dixit: *Similitudo hominis in eis* (*Ezech.* I). Quidquid enim justitiæ et mansuetudinis, quidquid modestiæ et humilitatis, quidquid patientiæ et pietatis, quidquid postremo unquam sanctitatis habere potuerunt vel possunt electi Dei, ab illo singulari homine Domino Jesu Christo traxerunt, et ab illa principali sanctitatis facie illustratam, ipsi quoque quamdam suo modo sanctitatis faciem conceperunt.

Talem, inquit, dilectus *faciem tuam* a mea gratia spiritualiter deductam, *o dilecta, ostende mihi*, hoc est ad laudem mei nominis in publicum procede, pulchra actionis et sermonis specie, ut proximi tui videntes *opera tua, glorificent Patrem* tuum *qui in cœlis est* (*Matth.* V), ipsique ex recte composito actionis et sermonis tui vultu suæ quoque mentis et intentionis vultum componant.

Sonet vox tua in auribus meis, tum in auribus Domini vox prædicantis sonat quando voci meæ concordat, ut quod foris ad aures hominis per vocem sonat; hoc in Dei auribus per fidem loquatur. Et pulchre cum præmisisset, *ostende mihi faciem tuam*, subdit, *sonet vox tua in auribus meis*, ut ostendat quod *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio sit ad salutem* (*Rom.* X); per faciem enim notitia fidei, per vocem vero sonus prædicationis exprimi [potest].

Amplius: *Ostende*, inquit, *mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*, hoc est tali intentione ex illo angelico sanctæ solitudinis tuæ dormitorio in publicum procede actione et prædicatione, ut me solum conscientiæ tuæ testem admittas, non ut humanis te exponas favoribus, sed ut meis tantum placeas conspectibus. *Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Ideo enim, procedere debes, quia hoc in pulchritudine morum et sermonum tuorum dulcedine proximi tui attendere possunt, unde et suorum pravitatem morum corrigant, et rectæ fidei integritatem capiant.

111 Plerumque autem et ipsa vultus et habitus ostensio vox quædam mentis est et ut quidam dicit:

Sæpe tacens vocem verbaque vultus habet.

Unde de illa quæ tristitiam mentis vultus diversitate prætendebat, post ablatum sterilitatis opprobrium scribitur, quia: *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati* (*I Reg.* I). Diversitas quippe vultus diversitatem animi ostendebat, sed ablata causa diversitatis hujus, rectum et compositum animum rectus quoque et compositus loquebatur vultus. Sed hæc vox honestatis in exterioris hominis vultu et habitu constituta, tunc in Dei auribus sonat, quando hanc pro sola æternæ vitæ gloria promerenda immutabiliter servat. *Vox*, inquit, *tua dulcis et facies tua decora: vox*, inquit *tua* quæ interpres animi est et vel moribus, vel lingua loquitur, A prædicat enim et docet, sive bene agendo, sive bene loquendo; hæc, inquit, *vox quæ est dulcis, sonet in auribus meis*, quia valde mihi placet illa vita, quæ et agit et docet bona, hoc in se dilectione Dei et proximi agente ut et Deo placeat, et proximum ædificet. *Et facies tua decora*, quia hoc ex intentione et fide tua quæ utraque mihi soli cognita est, perficit, ut quod agis vel dicis dignum sit laude meæ approbationis. Hac ergo specie et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna, ut quia tali mihi virtutum dote conjungeris, sponsi tui qui Rex est, non incongrue Regina dicaris, cum me regente et instruente, et te ipsam rationabiliter regere, et aliis regimen animarum noveris impendere.

B Sed quia hanc suavitatem et pulchritudinem rectæ fidei et rectæ prædicationis plerumque hæretici perversa doctrina depravant, ut simplicium corda pervertant, vox dilecti facit apostrophem ad ipsius fidei et prædicationis hujus magistros cum subdit, *capite nobis vulpes parvulas.*

Vers. 15. — *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas; nam vinea nostra floruit.*

Vulpes sunt hæretici, propter dolositatem et astutiam qui decipiunt incautos argumentis verborum, qui semper quærunt latebras in quibus doceant, eaque perverse sentiunt, facientes seorsum conventicula, ne eorum pravitatem sancta et catholica deprehendat Ecclesia. Dicuntur autem vulpes parvulæ, sive propter ipsorum hæreticorum fictam humilitatem, sive propter argutissime exquisitarum sententiarum subtilitatem, quibus maxime mentes demirantium sed minus intelligentium, pravis suis cogunt favere doctrinis. *Capite*, inquit, *nobis;* tunc enim hæretici Deo capiuntur quando a Catholicis doctoribus per rectæ rationis assertionem, quam nullis argumentis destruere possunt, divina præcurrente gratia ad matris suæ sanctæ Ecclesiæ sinum de **112** quo errando recesserant reducuntur, et fidem quam prius impugnabant, verbis et exemplis confirmant. *Capite*, inquit, *nobis vulpes parvulas*, ac si aliis verbis dicat subtiles et callidos rectæ fidei corruptores, propriis convincite sententiis, et probabili ratione quam non possint omnino refellere, in D nostræ partis compellite transire conturbernium: *Comprehendam* enim *sapientes in astutia sua, perdamque sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*I Cor.* I, III), ut cum rationem recte vivendi sive docendi agnoverint, sua eis sapientia displiceat, et quod per eam prius astruere nitebantur, agnita veritate destruant, atque cum meis fidelibus unum fiant.

Vinea enim nostra floruit, hoc est vel Ecclesia universalis vel particularis, vel aliquis fidelis individuus et singularis initium recte vivendi vel credendi arripuit, et ideo removendi vel capiendi sunt, si qui inter eos non recte viventes, vel credentes surrexerint, ne teneram fidem pietatis opera, et pravi dogmate et pravis exemplis suffocent.

Digitized by Google

Neque absurdum est, ut credimus, si unam quamque fidelem animam, vineam Domini dicimus, sicut universalem vel particularem Ecclesiam propter consimilem virtutum propaginem, et *vinum* spirituale quod *lætificat cor hominis* (*Psal.* CIII), quæ in unoquoque individuo fideli possunt exuberare per gratiam Spiritus sancti, sicut et in universali vel particulari Ecclesia. Debet enim unusquisque cultro spiritualis exercitii sacramenta vitiorum præcidere, terram cordis sui sarculo intimæ considerationis evertere, et si quod terrenum vel sordidum cogitatione, vel opere admiserit, radici cordis in memoria habendo circumponere, crebrisque lacrymarum fontibus pœnitendo irrigare, omnem boni propositi sui intentionem, ad Christum, qui est lignum vitæ, ne iterum ad terrena defluat, alligare, atque in ejus semper adjutorio et sustentatione sperare, sive in ligno crucis Christi hærere, mortificationem ejus in corpore suo circumferendo, talique modo, Spiritus sancti gratia mens assidue culta et curata semper fructuosior fiat, dicaturque juxta prophetam vinea Sorec, quod electam et pulchram sonat. Unde Domini in Evangelio sententia est de vinea sterili, et vinea fructum faciente, ubi se vineam, et discipulos palmitem, Patrem vero agricolam vocat : *Omnem*, inquit, *palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum* Pater, *et omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat* (*Joan.* XV). Si ergo Salvator vitis est et nos palmites, et Deus Pater agricola, quandiu præcepta Dei servamus semper excolimus et cultura nostra purgatio est, ut fructum plus afferamus : *Non enim est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX), cujus adjutorio semper indigemus, ut ad finem boni propositi perveniamus.

113 VERS. 16, 17.—*Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.*

Non simili modo neque pari ratione constituitur dilectio divina et humana, quæ quamvis æquivoce dicatur, diffinitionis tamen ratione valde diversa est, dum inter hujusmodi affectiones carnis et spiritus nulla prorsus sit comparatio. Habet enim dilectio divina semper quoddam relativum, porro dilectio humana non semper, quia plerumque diligens non diligitur, nec est eadem utrobique consequentia. Consequitur enim ut homo diligens Deum diligatur a Deo, dum non sit aliud Deum diligere, quam juste et pie vivere, sitque consequens ut justos et pios Deus justus et pius diligat, quando talis affectio ex ipsius gratiæ proveniat dono : non autem consequitur ut homo diligens semper ab homine diligatur, quia licet plerumque non tamen semper istud relativum carnalis affectio operatur; semper autem hoc operatur divinitatis affectio, juxta Salvatoris sententiam qui dicit, *qui diligit me, diligetur a Patre meo et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum* (*Joan.* XIV). Nam hujus dilectionis relativum convertitur, ut quia diligit diligatur, A et quia diligitur diligat, hoc operante in electorum cordibus præcedente gratia, ut videant dilectione divina quæ et in unoquoque sua diligit dona. Unde hic dilecta loquitur de dilecto, *dilectus meus mihi et ego illi*. Proprium est enim relativorum ad conversionem dici, quod enim prædicatur de dilecto e converso prædicatur de dilecta : nam dilectus alicujus dilectus est et dilecta alicujus dilecta. Fit ergo hoc modo ista relatio ut dicatur dilectus dilectæ, dilectus et dilecta, dilecti dilecta : dicat ergo *dilectus meus mihi et ego illi*; ac si dicat : Quia hoc mihi dilectus suam contulit gratiam ut ei placeam recta fide et operatione, idcirco mihi dilectus est et quia cum mihi liberum dederit arbitrium vocanti gratiæ obedio præcepta ejus servando, ideo sum ei dilecta : B nisi enim me diligeret ex misericordia, ego eum diligere non possem ex gratia, ipse me non diligeret ex misericordia. Siquidem quidquid boni mihi adjacet velle, posse agere, perficere totum ex ejus habeo munere (*Rom.* IV).

Qui pascitur inter lilia. Ecce causa cur ei sim dilecta, pascitur enim, id est delectatur candore, hoc est munditia et castitate mentis et corporis et suavissimo odore virtutum, quæ quoniam per gratiam suam ex meo respirant amore, ideo me dignam sua fecit dilectione.

Donec aspiret dies et inclinentur umbræ, hoc est donec die illo vero et æternali futuræ beatitudinis clarescente, et hujus mundanæ miseriæ et tribulationis nocte recedente **114**. C Cum erit *Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV) plenam et perfectam et incommutabilem suæ visionis mihi dabit remunerationem ubi ipse in me suorum pulchritudine donorum et ego in eo æterna corporis et animæ incorruptione pascantur.

Quia vero hæc mutua quam posuimus dilectio semper convenit cuique patri et filio, hoc proprium est eorum quæ dicuntur ad aliquid, ut hoc ipsum quod sunt aliorum dicantur, vel quomodolibet aliquid ad aliud. Quidquid enim in natura relationis agnoscitur, id cum alio necesse est consideretur : nam cum dicitur pater, necesse est ut sit filius cujus pater dicatur, eodemque modo per conversionem dicendum de filio. Si ergo sancti filii sunt Dei, D per dilectionem et mandatorum ejus observationem, necesse est ut ipse Deus pater eorum dicatur per gratiam, per conditionem et per gubernationem, et e converso, si Deus pater, ipsi filii. Unde et hic non absurdum est dicere, *dilectus meus mihi* in patrem, *et ego illi* in filium vel filiam; dicit enim ipse Deus quodam loco de suis : Ego ero illis in patrem et ipsi erunt mihi in filios et filias (*II Reg.* VII).

Sive alio modo dicamus, prope consimilem videtur habere sensum relationis, ut cum dicitur *dilectus meus mihi*, subaudiatur adjutor et protector est; *et ego illi*, subaudiatur obediens sum. Hæc quoque sibi conferuntur ut quia mihi adjutor et protector est, ideo illi obediens sim, et quia illi obediens sum, ille mihi suum impendat adjutorium.

Digitized by Google

Qui pascitur inter lilia, quia delectatur candore virtutum et munditia cogitationum et operum, sicut dicit quodam loco : *Et ego mundis intersum cogitationibus* (*Prov.* VIII); et sicut scriptum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V), tandiu gratiæ suæ in me operatur effectum, donec dies intelligentiæ et scientiæ spiritualis elucescat fugato caligine ignorantiæ, vel carnalis intelligentiæ. Quo enim magis mens Deo in virtutum profectibus jungitur, eo altius in divinæ contemplationis subtilitate elevatur.

Sive *donec dies est*, hoc est lux et splendor bonorum operum qui in mea mente per divinæ gratiæ inhabitationem effulsit, ad aliorum corda verbo et exemplo resplendeat, et ab eis omnem pravitatis et malitiæ umbram sive noctem removeat : fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia et veritate.

Revertere : similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bethel.

Dum pasceretur dilectus inter lilia candentis et virtutibus redolentis animæ, tantum ipsam animam charitatis suæ dulcedine reficit, ut terrena despiciens tota in cœlestibus suspenderetur, nec tamen sicuti est incircumscriptam divinitatem **115** comprehendere posset. Unde cum omnem sensum excedentem et quasi quodammodo fugientem dilectum persequitur toto mentis conatu, quia incomprehensibilis et ineffabilis est, tam immensæ claritatis jubare repercutitur, nec ultra eum persequendum existimat, quem nullo modo comprehendi posse considerat. Huic enim de sanctis animalibus scriptum est, quia cum fieret vox supra firmamentum, stabant et submittebant alas suas (*Ezech.* I). Firmamenti quippe nomine virtutes supernæ designantur, quæ aliis angelorum cœtibus de cœlo cadentibus ipsæ in amore Dei firmiter perstiterunt. Vox vero in mente est quidam sonus intelligentiæ; sed vox alia fit sub firmamento, alia de firmamento, atque alia super firmamentum. Sanctis quippe mentibus de terrenis ad superna se sublevantibus vox fit sub firmamento, quando aliqua de visibilium natura, ordine, qualitate, subtiliter intelligunt, vox autem fit de firmamento, quando illorum supernorum spirituum ineffabilia et æterna gaudia pensant; vox vero super firmamentum fit, quando aliquid de Divinitatis celsitudine contemplando cogitant, de qua quia nihil ad plenum sicuti est, comprehendere possunt, stantes et ultra progredi non valentes, humiliter alas contemplationis deponunt et eum quem incomprehensibilem esse intelligunt obstupescunt, obstupescentes venerantur et expavescunt, expavescentes diligunt, diligentes quandoque sicuti est conspiciunt.

Quia ergo in Divinitatis contemplatione dilecta deficit, quasi jam avolantem dilectum diu consequi non potest, revocat et ut saltem humanitatis suæ sacramenta, quoquo modo revelare dignetur, imA plorat dicens : *Revertere, dilecte mi, similis esto capreæ aut hinnulo cervorum super montes Bethel;* ac si aliis verbis dicat : Quoniam divinitatis tuæ sublimitatem perfecte capere non valeo, *videmus enim nunc per speculum in ænigmate* (*I Cor.* XIII), saltem concede mihi humanitatis tuæ scrutari et intelligere veritatem, veritatis rationem, rationis utilitatem; veritatem in fide, rationem in causa, utilitatem in causæ fine. Credimus enim te hominem factum hac ratione ut salvares genus humanum, cujus finis vita æterna est.

Sed in hujusmodi causæ actione similis fuisti capreæ aut hinnulo cervorum, quia de stirpe patriarcharum natus, veluti servorum hinnulus velociter humanæ salutis ordinem dispensasti; nam B postquam prædicare cœpisti, tribus et semis annis tam celebris et mirabilis negotii universale bonum peregisti, passus vero cito post triduum surrexisti; et post quadraginta dies cœlos ascendisti, talisque excursus et recursus fuit quasi capreæ aut hinnuli cervorum salientis in montibus.

116 Sed iste excursus sive recursus tuus fuit super montes Bethel, id est domus Dei quæ est Ecclesia, cujus profectus et institutio agebatur in excursu et recursu isto, super cujus montes, hoc est apostolos cæterosque sanctos prædicatores quasi velox hinnulus prompto tuæ gratiæ munere concurristi, quando eos repentino Spiritus sancti adventu docuisti, ut quod alii per longa temporum spatia vix capere possunt, isti uno momento attingerent. C Quo enim velocior potuit saltus tuus super hos montes esse, quam una hora omnium linguarum scientiam dare.

Harum ergo rerum omnium sacramenta concede ut intelligam, intelligens in his meditare valeam, ab his fide et opere non recedam, fide credendo, opere pro posse imitando. Similis enim es capreæ aut hinnulo cervorum in corde meo, quando ista dispensationis tuæ sacramenta revolvo, quomodo scilicet ad hæc instituenda de cœlo in uterum virginis, de utero in crucem, de cruce in sepulcrum de sepulcro denuo in cœlum quasi quibusdam saltibus cucurristi. Similitudo autem ista mihi apparet *super montes Bethel*, hoc est in Scripturis quas te- D net et veneratur sancta Ecclesia, quæ videlicet Scripturæ montes sunt propter altitudinem sensuum qui continentur in eis, ex utilitatibus præceptorum divinorum sive ex sacramentis et rebus sacramentorum.

Sed quia tota vis dilectionis hujus inter dilectum et dilectam pendet ex fide sacramentorum et observantia divinorum mandatorum omissa intentione illa quærendi, qua Deum in sua natura comprehendere voluit, sed minime potuit, cœpit intendere qualiter Deum per fidem et justitiam comprehendere posset. Si enim juxta Joannis vocem *Deus charitas est* (*I Joan.* IV), fidem vero et justitiam habere Deum est diligere, profecto charitatem istam habere est Deum habere.

Digitized by Google

Quid autem charitatem istam dicimus, nisi omne illud bonum, quod potest animo concipi, corde credi, ore confiteri, opere exerceri? nempe omne istud nemo consequitur bonum, nisi qui perfecte diligit Deum, et nemo diligit Deum, nisi qui hoc consequitur bonum, sicut paulo superius positum est, *dilectus meus mihi et ego illi.*

Hoc etenim bonum quædam est via, quæ ducit ad meliora comprehendenda, cujus vitæ terminus et clausula est vita æterna. Verum quoniam non parva difficultas est hujusmodi bonum inveniendi, dum sint perpauci qui perfectam Dei charitatem habeant, subdit dilecta, enarrans ordinem inquisitionis et inventionis hujus non facile provenientis :

CAPUT TERTIUM.

117 Vers. 1. — *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea ; quæsivi illum, et non inveni.*

Lecluli nomine requies et tranquillitas mentis designari potest; quia dum a sæculari strepitu, per cogitationem quiescimus, subtilius appetendi boni qualitatem et modum investigare possumus, cujus boni finem intelligere, Deum est invenire : finem autem dicimus, non quo desinat esse, sed quo perfecte incipiat esse. *In lectulo* ergo suo dilecta dilectum quærit, quando in requie mentis suæ, bonitatis et disciplinæ et scientiæ rectam regulam intelligere cupit.

Sed per noctes quærit, quia in subtilium rerum consideratione mentis oculus caligat, ne statim per se quod quærit videre prævaleat. Unde dilectum quem quærit minime invenit, quia ipsa difficultas intelligendi quamdam efficit moram inveniendi.

Vers. 2. — *Surgam et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea : quæsivi illum et non inveni.*

118 Quid ergo agendum est? profecto ut ab illa quiete mentis in qua sola proprio sensu jacet, surgat ad studium requirendo etiam aliorum sensus, actiones et conscriptiones, ut quod per se intelligere non prævale., ex illorum dictis et scriptis percipiat.

Hoc est enim civitatem circuire, et per vicos et plateas dilectum quærere, Ecclesiam percurrere et sanctorum doctorum sententias perquirere, per latam et angustam gradientes investigare, et si qua in eis vestigia sanctitatis sint considerare, quia nonnunquam sæculares aliquid de bono opere habent quod sit imitandum et etiam pro posse imitandum. Lata quippe via est sæcularium, angusta sanctorum, quia multi sunt qui per latam, pauci vero qui per angustam viam gradiuntu (*Matth.* vii).

Vers. 3. — *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem : Num quem diligit anima mea vidistis?*

Circumeuntem autem civitatem et vicos et plateas, vigiles inveniunt, quia studiosæ menti Ecclesiæ documenta investiganti historiam quoque quæ est via quasi lata, quia aperta et ad intelligendum facilis, allegoriam quoque quæ est quasi angusta via, quia subtilis et ad intelligendum difficilis inspicienti, et si qua in eis fidei et operationi utilia ac necessaria sint perquirenti, sancti doctores sententiis suis et auctoritatibus occurrunt, atque dilectum quem quærebat intelligenti et imitari cupienti ostendunt. Vigiles namque dicuntur, de quibus Dominus dicit in Evangelio : *Beati servi illi quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes* (*Luc.* xxii). Sancti quippe doctores in corpore constituti vigilabant, et adhuc vigilant doctrina et operatione suæ et proximorum utilitati, corpore vero exuti vigilant et vigilabunt scriptis et exemplis, in sui quidem remunerationem, in proximorum autem salutem. Qui videlicet vigiles, custodiunt civitatem, quia sancti doctores sanctam universalem Ecclesiam testimoniorum et exemplorum suorum rationibus et auctoritatibus confirmant et protegunt, et sanctæ fidei hostibus inexpugnabilem faciunt.

Tales ergo vigiles dilecta cunctabunda suscitatur, dicens : *Num quem diligit anima mea vidistis?* Num, inquit, in vestris scriptis et gestis potestis ostendere et probare Deum vos ita dilexisse, ut sane vitam vestram et doctrinam imitari dilectum sit invenire?

Vers. 4.—*Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea ; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.*

119 Sed quia effectum inventionis non elongat perseverantia inquisitionis, subjungit : *Paululum cum pertransissem eos inveni quem diligit anima mea :* cum enim sanctorum Patrum facta et scripta aliquandiu pertransit legendo seu audiendo, tandem dilectum invenit intelligendo et imitari cupiendo.

Quia vero hic quod intellexerit quasi inventum dilectum fide atque opere observare deliberat, subsequitur dicens, *tenui illum nec dimittam donec introducam eum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.* Quod autem cum desiderio et aviditate studiose quæritur, inventum charius habetur et fortius tenetur. Unde dilecta, id est sancta anima, postquam Ecclesiam circuendo et sanctorum Patrum dicta et facta frequenter inspiciendo recte vivendi seu docendi normam, quasi ipsum Deum intelligens dilectum invenit. Siquidem recte vivere et docere est Deum habere, tenet firmiter memoria, nec dimittit, donec aliis quoque eum docendo et agendo insinuet et in eorum sensum per fidem et dilectionem introducat, non quod post hanc introductionem tenere illum desinat, sed quod aliis quoque hujus gratiæ participium, et virtute diffusæ, in se per Spiritum sanctum charitatis secum sempiternaliter conferri cupiat. Nam dictio ista *donec* pro determinatione, sed pro sempiterno posita esse intelligi debet, ac si dicat : Tam diu illorum tenaci memoriæ commendabo, meo illum et aliorum sensui miserendo, donec ita firmetur in nobis fide et actione, ut ultra a mente nostra decidere non possit.

Digitized by Google

Loca autem introductionis hujus non putandum quod absque ratione ita distincte et differenter ponantur, hoc est *domus Matris et cubiculum genitricis*. Cum enim universitas Ecclesiæ propter diversitatem sensuum et studiorum in tria dividatur, hoc est in parvos, mediocres et magnos, domus quidem omnes recipit, cubiculum autem non omnes; sed magnos tantum, et qui aliquid specialitatis differentius ab aliis consequuntur : domus namque quæque evidentior et amplior locus est; in qua non tantum Dominus, sed et tota familia intrat, publicus universalis Ecclesiæ locus est; cubiculum vero quidam singularis et quasi privatus in Ecclesia locus, ad quem nullis nisi ecclesiastica dignitate et ordine sublimatis patet accessus et introitus quorum est professio specialiter Deo adhærere. Nomina vero relativa ut pater et mater quæ hoc quod sunt aliorum semper dicuntur tribus modis accipiuntur, hoc est **120** natura, affectu, adoptione, quorum primo omisso duo reliqui modi ad hujus loci matrem vel genitricem aptari possunt. Mater enim cujusque fidelis est sancta Ecclesia affectu et adoptione, quia ei quem sibi per fidem adoptaverit, in filium, sancte et juste viventi semper suum pandit affectum. Et ut aliquid hic distinguamus, dicamus genitricem quoque ejus esse, secundum hoc quod eum generat, ad sanctæ vitæ honestatem et utilitatem informando, vel sacræ Scripturæ paginis instruendo, sicque in virum perfectum virtute et scientia juxta mensuram quæ adjutrici placet gratiæ educando.

Introducit igitur dilecta dilectum in domum matris suæ, quando Deum quem agnoscit fide et opere, sanctæ matris suæ Ecclesiæ filiis, hoc est parvis, mediocribus et magnis ostendit, et sanctorum exemplis actuum et divinarum documentis Scripturarum, quas nunc ad solam profert litteram, nunc ad mysticum interpretatur sensum, ut eas omnes, hoc est parvi, mediocres et magni pro sua quique capacitate attingant; parvi quidem ad litteram tantum, mediocres et ad litteram et ad mysticum sensum, sed ex parte et non perfecte; magni et ad litteram et ad mysticum sensum, non ex parte sed perfecte, et qui adhuc altera, et aliis quasi inscrutabilia investigare, et intelligere possunt. Unde eis tantum dilectus in cubiculo genitricis ostenditur, quia eis subtilitas et discretio præceptorum et quædam arcana discussio sacramentorum divinorum ex secreto erudientis Ecclesiæ operitur.

Post autem ista dilectæ inquisitio, inventio et introductio, hoc etiam modo accipi, ut ad præcedentem sensum, in quibusdam aliter, in quibusdam uniformiter dicantur. Aliter enim lectuli nomine carnalis voluptatis dissolutio secura, et securitas dissoluta intelligi potest, ubi quia peccati nox est, Christus non invenitur; quocirca de hac inutili et misera quiete, peccator prompti animi studio surgat, et ut uniformiter juxta superiorem sensum dicamus, sanctam Ecclesiam pia intentione percurrat, cujus vigiles, id est doctores pertransiens, legendo et audiendo discat qualiter mores corrigat, Deumque quem in lectulo malæ securitatis, invenire non poterat, in civitate virtutum inveniat, atque tamdiu proficiendo crescat, quousque eum introducat in domum matris suæ, quam est aliter dicere mundum istum qui est locus et habitatio humanæ propaginis, veluti matris universalem hominem procreantis. Aperte enim omnibus prædicat, quanta sibi fecerit Deus, et ad sui exemplum provocans hortatur, quatenus carnali voluptate contempta, obliviscantur domus hujus matris suæ sæculum relinquendo.

Cumque hoc modo introduxerit **121** dilectum in domum matris suæ per activam vitam, postremo tantum proficit, ut eum introducat per contemplativam vitam in cubiculum, hoc est in secreta solitudinis sive eremi, sive monasterii, quod est uniformiter dicere genitricis, id est Ecclesiæ, quæ eum generat, nutrit et informat ad honestatem monasticæ vitæ, quam ipse postmodum tanta virtutum excellentia præcellit, ut ejus exemplo et doctrina magis ipsa Ecclesia proficiat, quam ipse antea ejus eruditione profecerit, hocque sit dilectum introducere in cubiculum genitricis suæ.

Cujus studium et propositum diligens et laudans dilectus filias Jerusalem, id est simplices in Ecclesia animas alloquitur quæ ideo dicuntur filiæ non filii, quia præ infirmitate mentis nondum possunt ad ea conscendere ad quæ perfecti quique virilitate animi pervenere. *Adjuro vos*, inquit, *filiæ Jerusalem*, etc.

Vers. 5. — *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas, cervosque camporum ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

In cubiculo enim monasticæ conversationis quiescentibus mente et corpore, sæpe talis causa provenit ut necesse sit illum contemplatorium oculum aliquantisper deponere et proximorum utilitati vel necessitati in aliquibus providere; sed quia sunt aliquæ infirmæ mentes quæ hoc a præpositis suis frequentius fieri volunt et magis ut ad exteriorem suscitentur et evigilent exigunt, quasi quibusdam adjurationibus prohibentur, sententiis et auctoritatibus Patrum per latitudines sanctarum Scripturarum discurrentium, sed ut potius eorum arbitrio relinquant, qui per spiritum discretionis intelligunt, quo loco et tempore ad hoc officium debeant evigilare.

Quasi enim quædam capreæ et cervi sunt sanctarum sententiæ Scripturarum, sive ipsarum auctores sententiarum quia dum terrena relinquenda et cœlestia appetenda proponunt, quasi quosdam saltus de terris ad cœlos ostendunt, dumque ferventes et sollicitos in bono opere esse præcipiunt, quamdam mentis agilitatem eis habendam prætendunt; scriptum est enim : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens;* et alibi : *Nostra autem conversatio in cœlis est;* et in alio loco : *Festinate ingredi in illam requiem;* et iterum : *Festinantes et*

Digitized by Google

properantes in occursum Domini ; et alibi : *Sic currite ut comprehendatis* ; et Dominus in Evangelio: *Currite dum lucem habetis ne vos tenebræ comprehendant* ; et alibi : *Levate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra* ; et in Psalmo : *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum* (*Col.* III. — *Phil.* III. — *Heb.* IV. — *Amos.* IV. — *1 Cor.* IX. — *Joan.* XII. — *Luc.* XXI. — *Psal.* LXXXIII).

Ecce capreæ et cervi divinorum **122** camporum, quæ ostendunt utilius esse, in cubiculo contemplationis dormire, quam ad exteriora negotia vigilare, non quod omnino ista omitti debeant, quando proximorum exigit utilitas vel necessitas, sed quod melior sit pars Mariæ, quam Marthæ.

His ergo aliisque similibus sententiis quasi quibusdam percantationibus adjurat dilectus filias Jerusalem, ne leviter et sine causa compellant proximos de intima quiete descendere, et ad exteriores actiones migrare. Unde vos, o filiæ Jerusalem, quæ visionem pacis videtis, ita tamen, *si Spiritu ambulatis, et facta carnis mortificastis* (*Rom.* VIII), *caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* (*Gal.* V), quorum bellis carere, est visionem pacis videre, semper sanctæ contemplationis secretum diligite, semper dilectum istum, hoc est Dominum Jesum Christum in cubiculum mentis vestræ introducere studete, ut cum vos Spiritus divinæ charitatis assumpserit, et omnia terrena despicere docuerit, audiatis cum propheta *post vos vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco suo* (*Ezech.* III).

Locus enim gloriæ Dei estis, quando eum per amorem sanctitatis in cordibus vestris suscipitis, et si quid virtutis et gratiæ per humilitatem, patientiam, obedientiam et castitatem, aliaque pietatis opera ex vobis respergitis, gloria Dei est, ex quo et per quem id habetis, atque idem ipse benedicitur, in cujus laudem et gloriam proficit totum quod in vobis honestatis et disciplinæ conspicitur.

Hæc est enim vox commotionis magnæ, quia qui per spiritum sublevantur, tanta compunctionis gratia commoventur, ut gravibus se lamentis afficiant, vel quod adhuc peccatis suis obligantur, vel quod tamdiu a cœlestis vitæ gaudiis differuntur.

Post vos quoque vocem commotionis magnæ auditis, quando hujus sæculi tumultus et gaudia fugitiva attenditis, sed ex amore æternorum gaudiorum animo postponitis, atque ea quæ retro sunt obliviscentes, et in futurum vos extendentes, sequimini ad palmam supernæ vocationis, ut hujus vocis auditio sit vestra non parva consolatio, dum dicitur: *Benedicta gloria Domini de loco suo.*

123 LIBER TERTIUS.

Cap. III. — *Continuatio.*

Legimus in historia Regum, quia cum Eliseus propheta interrogatus esset a rege Israel dicente : *Quare congregavit hos tres reges ut traderet eos in manus Moab ?* post aliqua : *Adducite*, inquit, *mihi psaltem ; cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, et dixit : Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas* (*IV Reg.* III). Patet in hac re spiritum prophetæ, prophetis non semper adesse ideoque propheta quiescente in se spiritu adduci fecit psalten, ut canente psalte spiritus qui in eo quodammodo quiescebat concessus (*an.* concussus ?) suscitaretur et videret sibi super quo interrogabatur.

Sed quorsum hujus exempli prolatio? profecto ad vestram, o dilectæ sorores, et ad meam spectat intentionem. Nam quia humilitati vestræ videbatur, quod Spiritus sanctæ dilectionis in vobis requiesceret, et quasi otiosus esset : utile ac necessarium indicatis aliquem vobis adducere psalten, quo canente ille qui in mente vestra quasi obdormierat spiritus excitaretur duplicem, ut reor, ob causam sive ut quemadmodum Saulis furorem David canens mitigavit, ita si quid subito inæqualitatis menti vestræ subriperet canentis dulcedine componeretur, sive si quid minus fervoris in divina dilectione vester haberet animus, quadam intima vi carminis accenderetur.

Cum ergo hæc vestra esset intentio, nescio quo spiritu meam parvitatem nihil tale canere scientem adduxistis, et hujus psaltis mihi officium injunxistis. Quid agerem? in una parte affectus vester impellebat, in altera parte ingenii mei periculum repellebat. Tandem de adjutorio Dei et orationum vestrarum suffragio præsumens, psaltes vester esse quamvis indoctus non refugi, quoniam apud dilectionem vestram excessum meum facilem fore æstimavi, et quod juxta magni oratoris sententiam, virtus quam charitas sequitur, minime repudianda est ; sed quæ est virtus mea ? Parva certe et quæ pene nullius sit potentiæ in tanti officii arduo opere. Si quid tamen aliquo modo potest charitas, hoc administrat.

Sed hæc quidem vestra fuit intentio, porro mea fuit intentio parere rogantibus, et aliquid canere unde vester excitaretur spiritus. Ecce autem imperitia obstat benevolentiæ dum hoc periti cantoris esse debeat, ut sciat et prodesse et delectare juxta illud Flacci :

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Digitized by Google

124 Ferunt sæculares litteræ, quod quidam Orpheus cantu suo lenierit tigrides et leones, per similitudinem scilicet, eo quod bestiales et silvestres hominum mores rationabili orationis suæ sententia edomuerit. Amphion quoque dictus est saxa movere sono testitudinis et prece blanda ducere quo vellet, eo quod duros et incompositos hominum mores recte et suavi rationis modo composuerit. Magna ergo est peritia canentis carminis sui modo mutare animos audientium. Sed ego non æstimo hujus meæ inchoatæ cantionis modum apud vestram sanctitatem ad hoc valuisse, non propter vestri ingenii tarditatem, sed propter meæ inscitiæ densitatem. Nam imperitus cantor est, qui nescit proprietatem vocum et modorum,

Et cytharœdus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.
(Horat., *De arte poetica*, v. 356.)

Unde post aliquam decantatam hujus excellentissimi cantici partem decreveram potius silere, quam ultra tantas meas ineptias detegere.

Sed quia nonnunquam ab imperito artifice factam de eadem materia formam peritus artifex operose reformatam facit quasi alteram, et peritus cantor carmini dissono et quasi discolorato reddit proprium, perpurum et integrum colorem : ego quoque ex hoc animatus causa dilectionis vestræ, ad ea quæ relinquere cogitavi cum adjutorio Dei reaccingar, ut si aliquod detortum et incompositum opus fecero, doctus aliquis et peritus materiam inveniat, unde ingenium suum meliorem illi et utiliorem, sive vivaciorem acquirendo formam et colorem exerceat, si tamen ipsum opus rasuram vel meritam effugerit flammam.

Vers. 6. — *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii?*

Jam dilecta dilecti cubiculum intravit, jam aliquantulum osculo illius appropinquare cœpit, quia ab illecebris et curis vitæ sæcularis evolavit, a quibus fugiens se elongavit, et in solitudine sui corporis et animi mansit. Solitudo autem corporis est, quietum esse in loco sibi deputato, neque vagari per exteriores sensus circa mundi hujus negotia vel locutione, vel actione. Solitudo vero animi est nullis exterioribus occupari vel cogitatione vel voluntate.

Quæ nimirum solitudo magna est mentis ascensio. Miratur autem filiæ Jerusalem mirabilem dilectæ ascensum per desertum, quia infirmæ mentes valde stupent et laudant singularem vitam soli Deo vacantium et nullam curam mundialis honoris et commodi habentium. Ait ergo : *Quæ est ista quæ ascendit?* Sed prinsquam hujusmodi describamus ascensum, consideremus quod et quale sit desertum per quod fit iste ascensus. Primoque intelligamus et ascensum et desertum utrumque, æquivoce appellari, quia uno nomine diversa significare possunt. Ascensus quippe est corporis ascensus et cordis

125 Desertum Ecclesia gentium ; desertum Synagoga Judæorum, desertum mundus, desertum separatus aliquis locus, desertum excerptus omnibus mundi curis animus.

Desertum autem dicitur a *deserendo*, eo quod deserat et deseratur; quia et deserit continentem et deseritur a continente : vere gratia mundus deseret se continentem, quia nullo modo potest accidere sui affectione ad animam sanctam, omnia hujus mundi pro nihilo reputantem, deseritur a continente quia nulla ratione consentit anima sancta mundi voluptatibus vel actionibus communicare, ne ab eo forte retenta, difficile aut nunquam possit evadere.

Continentiam vero istam appellamus et secundum generalem corporis situm, qui est bonorum et malorum et secundum animi situm qui est specialiter bonorum, et specialiter malorum juxta affectionem boni et mali.

Situs corporis locus est exterior : situs animi locus interior : et nonnunquam prodest vel obest locus exterior loco interiori. Diximus autem paulo superius desertum mundum sive aliquem locum sepositum, sive exemptum a mundi curis animum. Exempto autem a mundi curis animo, obest mundus non secundum substantiam sui, sed secundum malitiæ suæ affectionem ; prodest vero sepositus locus non secundum naturam sui, at secundum quietem et mundam ab eo strepitus remotionem. Prodest ergo secundum hoc et obest exterior loco interiori. Dicamus ergo quare singula illa quæ supra posuimus deserti nomine noncupentur.

Ecclesia quippe gentium quamdiu in gentilitate mansit desertum quoddam fuit, quia nondum in ea religionis alicujus cultus et sacrarum legum vel sanctionum frequentia erant, sed quasi bestiarum cubilia propter bestiales hominum mores, in quibus ipsa ratio et lex naturalis ita fuerunt sopita ut non possint discernere, quid honestatis propriæ vitæ, vel quid reverentiæ et subjectionis Creatori deberent. De hoc enim deserto dicit Psalmista *pinguescent speciosa deserti* (*Psal.* lxiv). Quid namque sunt speciosa hujus deserti, nisi sacramentorum sanctionumque venerabilium saluberrima et decentissima instituta, quæ tunc pinguescere cœperunt, quando sanctorum Patrum documentis et auctoritatibus ad majora honestatis et reverentiæ incrementa profecerunt? De quo deserto, per Isaiam Dominus dicit, *ponam desertum in stagnum aquæ et terram inviam in rivos aquarum* (*Isa.* xli): desertum quippe in stagnum aquæ et terram inviam in rivos aquarum posuit, quando gentilitati, quæ præ ariditate mentis nullos bonorum operum fructus ferebat, fluenta prædicationis dedit et ad quam præ asperitate suæ siccitatis via prædicatoribus non patebat, doctrinæ postmodum rivos emanere fecit. Cui et in alio loco per eumdem prophetam repromittit dicens : *Lætabitur deserta, et invia et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium* (*Isa.* xxxv): **126**

Digitized by Google

lætabitur fide, exsultabit actione, florebit virtutum decore, ut quasi lilium odore bonæ vitæ redoleat, candore munditiæ niteat, medicina intimæ salutis valeat.

Judæa quoque desertum dicitur, a quibus testamentum et legislatio et omne jus sacrificiorum et cæremoniarum migravit, ita ut templo destructo et civitate desolata, tota in eis regalis et sacerdotalis dignitas, omnisque ritus solemnis cessaverit, ipsi autem per diversas regiones dispersi desolationis hujus signum portent. Quod Dominus eis in Evangelio futurum prænuntiavit dicens : *Relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII); et in Jeremia scriptum est : *Præcipitavit Dominus, nec pepercit ; omnia speciosa Jacob destruxit in furore suo* (*Thren.* II).

Mundus quoque desertum nuncupari potest non corporaliter, sed spiritualiter, quia quanto plus peccatorum sordibus cumulatur, tanto plus divinæ gratiæ præsentia desolatur; scriptum est enim: *Terra in solitudine redigetur* (*Jer.* L) ; terra quippe in solitudine, quia mens terrenis curis et voluptatibus occupata, virtutum conventu desolatur.

Sepositus quoque locus desertum dicitur, quia ubi nullus sæcularium negotiorum vel forensium actionum accessus est, illud quædam solitudo non incongrue nuncupatur. Unde cum Psalmista, tribulationes inimicorum et molestias iniquitatum, et conturbationes cordis tales præmitteret, ut etiam mortem exinde formidaret, tandem inde reversus : *Dixi*, inquit, *quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam* (*Psal.* LIV). Demumque salubri reperto consilio: *Ecce*, inquit, *elongavi fugiens, et mansi in solitudine ; exspectabam eum qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate* (*ibid.*) Et Dominus post baptismum jejunaturus in desertum deductus est ubi a diabolo tentatus (*Matth.* IV), nostras in se tentationes triumphavit, ostendens eos qui vitam quietam diligunt, tentationibus quidem fatigandos sed Dei adjutorio per jejunia et orationes liberandos.

Desertum quoque est animus ab omnibus mundi curis remotus, quia quanto minus ea quæ mundi sunt cogitat, tanto magis a carnalibus desideriis cor solitarium portat. Unde Dominus in Evangelio : *Cum*, inquit, *orabis, intra in cubiculum , et clauso ostio ora Patrem tuum* (*Matth.* VI) ; orantes quippe cubiculum intramus, quando in secreto cordis nostri soli stamus et Deo tantum quæ rogamus sine voce aperimus ; ostium quoque claudimus , quando sensuum nostrorum exteriorum aditum obstruimus, ne per eos ad cor aliquid, quod preces nostras impedire possit introducatur. Et hæc est solitudo animi valde necessaria unicuique Deum quærenti et invenire cupienti.

Diximus autem superius ascensum esse et corporis et mentis, sed hoc solummodo de ascensu mentis considerandum, qui non fit nisi per desertum.

127 Quamdiu enim mens mundi hujus curis et tumultibus implicatur, ad altitudinem virtutum minime valet ascendere, sed primo quærenda est solitudo corporis et mentis, ut, dum nulla exteriori vel interiori inquietudine mens abducitur, liberius ad studium boni operis sublevetur.

Sancta itaque Ecclesia quæ ex duobus populis ex præputio et circumcisione venientibus collecta est per desertum perfidiæ ascendit quando infidelibus utroque populo in perfidia remanentibus, ipsa inter eos fide, spe, charitate, admiranda virtutum culmina excrevit. Et quanto gravius eis persequentibus contrita et quasi comminuta est, tanto altius ex sancti Spiritus igne fumum sanctitatis rectitudine et rigore vitæ et doctrinæ produxit. Unde subditur : *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii.*

Quasi virgula fuit, quia recta et rigida in fine et operatione permansit : virgula autem fumi fuit, quia ipsa rectitudo et fortitudo ex divini amoris igne fumuit. Quænam vero fuit materia in qua iste divinus concaluit ignis? nimirum fides, spes et charitas quæ per species signantur aromatum myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii. Myrrha autem succum amarum habet et ea etiam mortuorum corpora condiuntur ne putrescant, thus vero in sacrificium Deo offertur, porro ex universo pulvere pigmentarii pretiosissimum conficitur unguentum. Novem facti, cum pro orthodoxa fidei integritate servanda, ab infidelibus et hæreticis ipsius fidei corruptoribus persecutiones et mortes multas et varias perpessi sunt, myrrham fumantis fidei quasi in cœlum emiserunt ; nam per totum orbem iste fidei et passionum fumus ascendit, qui incredulos et persecutores miraculorum acerbitate excæcavit et fugavit, credentes vero quam suavi odore et illuminavit et confirmavit. Cum autem in cultu Dei et facta religione ferventes pro statu Ecclesiæ et adipiscenda quam sperabant æterna beatitudine, orationibus jugiter instabant, nonne etiam thus fumantis et redolentis spei protulerunt? nisi enim firmam spem futurorum bonorum haberent, nequaquam pro his assequendis Deo assidue supplicarent. Cum vero fide et spe fortes, cum Apostolo dicere poterant : *Certus sum quod neque vita, neque mors, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit nos seperare a charitate Dei* (*Rom.* VIII). Nonne universi pulveris pigmentarii odorem in sublime sparserunt? Quid enim est charitas nisi universus pigmentarii pulvis? Charitas nempe virtus est universalis, quia omnes ejus radice prodeunt virtutes, atque ideo ubicunque est aliqua virtus, ibi est charitas.

Quis vero iste pigmentarius nisi Spiritus sanctus, quia gratia sua hunc universalem componit pulverem? *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V).

128 Videamus ad quantam subtilitatem quasi in pulverem Apostolus redegit charitatem, dum

Digitized by Google

ejus partes enumerans : *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (*I Cor.* XIII). Ecce in quot partes dividit charitatem, quatenus per has determinatas partes insinuet quod quæcunque ultima, et de toto corpore boni munitissima fuerit virtus, hæc sit charitatis atomus. Ubi autem omne dicitur, nihil excipitur; omne ergo bonum charitas est; igitur sicut universus pulvis pigmentarii ex universis pretiosis speciebus conficitur, ita charitas ex universis animi virtutibus componitur, ut non incongrue universi pulveris pigmentarii significatione notetur; ubi enim aliqua virtus deest, perfecta charitas non est.

Unaquæque etiam dilecta Deo anima per desertum hujus mundi ascendit, quando spretis et postpositis omnibus ejus curis et negotiis atque oblectamentis, ad cœlestia semper tendit virtutum progressibus, et quamvis in mundo detineatur corpore, in cœlestibus tamen versatur mente. Per desertum quoque animi ascensiones facit, quia quanto animus circa exteriora occupatur, et quanto magis cogitationum inutilium frequentia deseritur, tanto magis divinitatis amore et bonorum actuum delectatione subvehitur. Et hoc *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii*, ut juxta superiorem sensum ipsa quoque virgam æquitatis habeat, fide, spe et charitate, per gratiam Spiritus sancti. In hac etiam valle lacrymarum myrrha laboris et patientiæ in conspectu Dei fumet, perpendens : *quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Thus quoque purissimum orationum instantia accendat, cujus suavi odore delectatus Deus benedictionis suæ gratiam ei conferat, per quam prole virtutum crescat et multiplicetur. Universo vero pulvere pigmentarii redoleat, ut spiritu humilitatis et animo contrito, omne sanctitatis officium Deo exhibeat, *sacrificium enim Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L): quasi enim in minutissimum pulverem cribratur, quando per valde humiliati cordis confractionem in summis virtutibus positus ante Dei oculos extenuatur. Minutissimo namque hujus confractionis et humilitatis pulvere sancti Spiritus igne succensus David fumigabat, cum dicebat : **129** *Ego sum vermis et non homo* (*Psal.* XXI), et cum in alio loco canem se mortuum et pulicem commemorabat (*I Reg.* XXIV, XXVI), et in Psalmo dicitur Moyses stetisse *in confractione in conspectu Dei ut averteret iram ejus* (*Psal.* CV). Quanta enim contritione spiritus et compassionis virtute conterebatur, quando pro peccato populi orans, dicebat ad Deum : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti ?* (*Exod.* XXXII.) Paulus quoque humilitatis dejectione comminutus, minimum se apostolorum (*II Cor.* XV) nominat, pietatis autem et compassionis confractione contritus optat pro fratribus, anathema fieri (*Rom.* IX).

Ascensus autem iste *sicut virgula fumi* fuisse dicitur; fumus autem cum ascendit, ita paulatim ascendendo deficit, ut omnino videri non possit, quia tanta est in sanctis contemplativæ vitæ subtilitas, tanta sanctæ conversationis per desertum intimæ solitudinis sublimitas, ut magis effugiat animos demirantium quam teneatur consideratione imitari ut dum comprehendere sequendo non prævalet in ipsa sui consideratione deficiat.

VERS. 7. — *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.*

Non repugnat, ut reor, rationi si *lectulum Salomonis* hujus tripliciter accipiamus, sive universalem Ecclesiam, sive sancti cujusque animam, sive sanctam utriusque testamenti Scripturam, non quod locis comprehendatur qui incircumscriptus est, sed quod gratiarum et salutarium effectuum concessio et conservatio sit ipsius in aliquo supradictorum, salvans, custodiens et gubernans requietio.

Ecclesia nempe universalis hujus Salomonis, id est viri pacifici nostri Domini Jesu Christi lectulus est quia in ea requiescit per salutiferam mandatorum suorum observantiam et vivificatricem sacramentorum suorum concorporationem, quam ei exhibet sub specie sacramentalium rerum, pacificans ea, quæ in cœlo et in terra sunt, ut fiat quasi una respublica hujus magnifici imperatoris, una videlicet Ecclesia, et quæ gaudet in patria, et quæ adhuc peregrinatur in terra. *Caput enim Ecclesiæ Christus, ipsa vero corpus Christi* (*I Cor.* XI) ; et sicut corpus sine capite non vivit, nec aliquid potest ; et sicut caput non est vitale sine corpore ; sic et Christus nulli confert vitam sine unitate corporis Ecclesiæ. Unum ergo sunt Christus et Ecclesia, qui cum caput a corpore suo sit indivisum, quisquis pacem et unitatem Ecclesiæ non habet, nec Christum habet : unde et in ipso sacramentorum corpore scilicet et sanguine Christi capiti corpus, hoc est **130** Christo Ecclesia consacramentalis et concorporalis efficitur, suo et illius mysterio, quando mysterium Christi in veritate corporis sui sumptum nulli prodest, nisi mysterium Ecclesiæ, societatem scilicet ecclesiasticam eodem sacramento assumpserit ; quia cum, sicut diximus, Christus a corpore suo, hoc est Ecclesia sit indivisus, in sacramento suo idem Christus veraciter sumi non dicitur, nisi sumatur universus suo et Ecclesiæ mysterio eidem Ecclesiæ concorporatus, ipse enim dicit : *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI).

Ubi ergo magis requiescit Christus, quam in Ecclesia, quæ quotidie corpori et sanguini ejus in participando ipsi concorporatur et quasi unum efficitur ? Unde qui se ab unitate Ecclesiæ male vivendo vel prave docendo præcidunt, quia in Ecclesia non manent, cum Christus et Ecclesia unum sint, in

Digitized by Google

Christo non manent, atque ideo cum corpori ejus participant, sumunt quidem eum in veritate substantiæ, sed non sumunt ad effectum salutis suæ. Hoc enim est eum non veraciter sumere, quia non sumitur universus, quoniam quidem cum in altari, Ecclesia, ut dictum est, concorporalis et consacramentalis sit in Christo, universum corpus Christi, caput scilicet cum membris non sumit, qui cum extra Ecclesiam sit, seipsum Christo et Ecclesiæ in utriusque sacramento non unit. Sumit quidem ipsum sacramentum secundum essentiam sui, quod aliquibus ad vitam, aliquibus ad exitum provenit; virtutem vero et rem sacramenti non sumit, quia cum hæc sit virtus, et res sacramenti ut invicem se diligendo, de unitate corporis Ecclesiæ sint, quicunque de eo participantur, quod nulli ad exitum, sed omni credenti proficit ad salutem, quicunque tantæ societatis conformante et uniente Christo, vere participes non fuerint, Christum veraciter non sumunt, dum non ad salutem sui, sed ad judicium, sumere comprobentur: nam cum ipse Christus præcipiat dicens: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* v); ostendit munus non accipiendum ubi offerentis animus vinculum pacis et charitatis non habuerit. Quod si hæc unitas, singulariter inter commembra non conservata, offerentium munera repellit, quanto magis totius corporis Ecclesiæ unitatem deserens, nec munus offerre, nec oblato participari poterit?

Sed lectulus iste est Salomonis, id est *pacifici* qui dixit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* xiv), confœderantis quæ in cœlo sunt et in terra, quia cum unum sit corpus Christi Ecclesia, quæ partim in cœlo cum Christo **131** regnat, partim adhuc peregrinatur in corpore, quicunque ab unitate hujus peregrinæ partis recedit, illius supernæ partis consortium non meretur, quoniam quidem cum unum sint secundum virtutem et rem sacramenti, hoc est ecclesiasticæ unitatis, quamvis nondum uno socientur loco, ita tamen junguntur spiritu, ut quisquis unam non habet, alteram non habeat. Unde in lectulo isto hujus pacifici, hoc est in Ecclesia in qua adhuc Christus per sacramentorum velamina requiescit, quisquis per pœnitentiam amissam receperit unitatem illi quoque quæ in supernis est sociari meretur, illo veniente, et re incorporante qui reconciliavit nos Deo per sanguinem suum.

Sancti, quoque, cujusque anima lectulus est hujus veri pacifici nostri, quia cum *anima justi dicatur sedes sapientiæ* (*Sap.* vii), ibi nimirum suaviter quiescit Deus, ubi sapienter, rationabiliter et honeste, ipsa sapientia gubernante ejusdem requietionis disponitur locus, ubi mens per gratiam ita Deo copulatur, ut cum eo unus spiritus efficiatur, cujus unitatis sacramentum omnem confert salutis effectum, sicut ipse Salvator dicit: *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum quia sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv). Cum enim ad omnem bonitatis et disciplinæ fructum mens impotens sit sine cooperante gratia, tantum hujus conjunctionis ei confertur virtus, ut cum omnipotens sit cui per unitatem spiritus copulatur, omnipotens quoque et ipsa per gratiam efficiatur, sicut ipse dicit, *omnia possibilia credenti* (*Marc.* ix). Si enim sancti Deo conjuncti dii dicuntur, ille quidem essentialiter, isti vero nuncupative, non videtur inconsequens, ut cum omnipotenti per unitatis sacramentum concorporentur, omnipotentiæ quoque ejus quodam suo modo participes efficiantur, qui possunt cum Apostolo dicere, *omnia nobis cum illo donavit* (*Rom.* viii). Nam quibus omnia cum illo donavit, quando omnipotentem non habent, nihil est quod in ipso et per ipsum non possint. Sed talis mens lectulus determinate dicitur Salvatoris, id est pacifici, quia ubicunque iste pacificus per gratiæ suæ dignationem quieverit et mansionem fecerit, omnis sopitur carnalis affectionis spiritui repugnans adversitas.

Porro, lectulus iste Salomonis hujus divina quoque non absurde accipitur Scriptura, quia in ea Christus requiescit per præceptorum suorum documenta et virtutum exempla, ubi prædicatur hujus pacifici testamentum quod in morte sua confirmavit, videlicet pacis et dilectionis præceptum, cum dicit: *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos* (*Joan.* xiii); cujus dilectionis plenitudo gemina constat relatione, Dei videlicet et proximi, in qua tota *lex pendet et prophetæ* (*Matth.* xxii), quam quia **132** tota utriusque sacramenti continet pagina, quæ nihil utile vel honestum absque ea discernit, non immerito sacra Scriptura hujus pacifici lectulus nuncupari potest. Ibi enim a legente et in ea meditante invenitur Christus, ibi potest intelligere quid credere, quid sperare, quid amare debeat; et hanc triplicem virtutem habere, Deum est habere, ad quem æternaliter habendum, fide, spe, charitate ducitur et confirmatur. Ibi Christus latens et quasi quiescens agnoscitur et suscitatur, quia in mentibus legentis postquam intelligitur, si fidei et bonorum operum gressibus animus movetur, quasi Christus quiescens suscitatur. In Evangelio namque scriptum est, quod Christus in fractione panis est agnitus, qui in forma peregrini latebat (*Luc.* xxiv), quia Scriptura divina quæ est cœlestis ille et vivus panis Christus non intelligentibus peregrina est, sed cum fuerit per expositionis confractionem distributa, Christus qui in ea latebat, intelligentis mente agnoscitur.

Sed videndum quid sit, quod hunc lectulum pacifici hujus dicuntur ambientes sexaginta fortes, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi. Multi enim hunc lectulum dissipare, et istum pacificum auferre conati sunt, quidam variis

Digitized by Google

et irreligiosis cultibus, quidam perversis moribus, nonnulli pravorum dogmatum erroribus, quibus isti fortes fortissime restiterunt factis, dictis et scriptis, tenentes gladios verbi Dei, et ad hujusmodi hostes depellandos doctissimi, primo quidem sancti apostoli atque apostolici viri, deinde sancti martyres, denique sacerdotes, qui omnes fuerunt ex fortissimis mente Deum videntium, et ex ipso invictæ fortitudinis robur trahentium, suo quoque tempore et loco hunc lectulum ambientes et custodientes, non quod ipsi huic pacifico necessarii fuerint, sed quod ipse eis admodum necessarius fuerit quem timebant amittere malorum perversitate, qui fidem catholicam subvertere omnimodis laborabant.

Cur autem istorum fortium, sive fortissimorum numerositas sexagenario numero determinatur. non enim nihil rationis habet ut cum istorum fortium innumerabilis fuerit multitudo, isto numero finito comprehendatur : poterat quidem esse, ut ille realis Salomon plures haberet sui corporis custodes, vel rerum suarum diversis in locis repositarum, suis quoque officiis certos et designatos tutores ; sed cum tantam ei pacem Deus concesserit, ut nulla ejus tempore bella moverentur, mirum videtur si juxta litteram accipiendum est, cur solo ejus corpori custodiendo tot fortes deputati erant. Verum quia magis hæc ad spiritualem sensum referri ratio postulat, videamus quid iste numerus **133** sexagenarius innuat; sexagenarius namque ex senario et denario altero per alterutrum multiplicato componitur. Senarius autem qui partibus suis insimul collectis nec minuitur nec distenditur perfectionem significare dicitur. Denarius vero qui ex quinario bis ducto componitur, Decalogum legis insinuat, pro quo observato vel contempto propter quinque sensus corporis quorum officio sive ad bonum sive ad malum mens ducitur, universitas hominum, in decem virginum quinque prudentium et fatuarum ordine vel remuneratur vel damnatur. Senarius autem qui perfectionem significat et denarius qui Decalogum demonstrat invicem se multiplicantes et sexagenarium perficientes ostendunt istos sexaginta fortes, ita perfecte in divinis præceptis custodiendis sensus suos exteriores aptasse, ut merito in quinque prudentium sorte computentur.

Solent autem mihi qui Arithmeticæ artis scientiam habent, talem numerum ut sint sexaginta dicere superfluum, qui cum sint quidam numeri qui ita partium suarum collectione æquantur, ut nec minus nec majus toto corpore recipiant, atque ideo perfecti dicantur, quidam quia suarum partium compositione toto corpore minus reponunt diminuti nuncupentur isti qui partibus propriis insimul collectis totum corpus aliqua numerositate transcendunt superflui appellantur. Sed nos qui hunc numerum fortium istorum in bonam referimus partem transcensionem istam non superfluitatem, sed spiritualis lucri quod de virtute ad virtutem proficit incrementum accipere debemus, ut dicamus fortes istos in creditis sibi quinque sensuum talentis, ita magnifice operatos fuisse pro sui et proximorum utilitate, ut studio illorum in bonis operibus semper augmentum capiente, de fortibus fortissimi efficerentur.

Videamus autem quid hujus numeri sexagenari i partes apportent, ut cognoscere possimus, utrum ad istorum Christi fortium perfectionem pertineant ; sexagenarii igitur numeri altera pars sunt triginta, tertia viginti, quarta quindecim, quinta duodecim, sexta decem, decima sex, duodecima quinque, quinta decima quatuor, vicesima tres, tricesima duo, sexagesima unum. Quæ partes simul collectæ centum et octo complent, totum corpus sexagenarii quadragesimo octavo transcendentes. Quæ est autem omnium perfectorum remuneratio, nisi omnis laboris eorum centupliciter melior recompensatio in futura regeneratione quando in corporum immortalitatem renascentur ad illam vitam octavæ ætatis quæ nunquam finietur.

Bene ergo istorum fortium sive fortissimorum collectio sexagenario comprehenditur numero cujus partes in unum redactæ, in centum et octo **134** excrescunt, ut non hoc ad superfluitatem, sed ad virtutum referamus augmentationem, quando recte agendo et docendo, sui et aliorum lucrati sunt profectum, pro quo consequantur perfectam beatitudinem, quæ centenario numero designatur, et in octava, ut diximus, ætate sine fine mansura complebitur.

Vers. 8. — *Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi : uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.*

Isti vero sexaginta fortes ex fortissimis Israel, lectulum Salomonis ambientes quid faciunt? *Omnes*, inquit, *tenentes gladios, et ad bella doctissimi :* non dicit habentes, sed *tenentes*, quia potuerunt quidem habere secreto quodam animæ scientis et intelligentis repositorio, sed non tenere publico quodam prædicantis voce et opere gestatorio. Tenent ergo gladios quia semper parata gestant scientiarum et actionum documenta, quibus videntes et audientes ad spiritualia instruant certamina, sed quid sunt isti gladii nisi sermones Dei : *Verus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum* (*Hebr.* IV): hujusmodi enim gladium dividentem et separantem, misit Deus in terram, quando venit *separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus* (*Matth.* X). Hoc nimirum gladio sermonis Dei, quo præcipitur fieri separatio et omnimoda discretio inter bonum et malum, inter virtutes et vitia debent uti inclyti bellatores Dei, quibus propositum est hujus pacifici lectulum ambire doctrina et operatione, sive hunc lectulum ad Ecclesiam referamus, sive ad propriam cujusque sancti men-

Digitized by Google

tem, in qua divinitas gratiæ suæ dignatione requiescere creditur, quatenus utrobique et Ecclesiam ab infidelium defendant pravitate, et seipsos a malignorum spirituum suggestione vel deceptione tueantur.

Quæ vero sunt bella in quibus tales debent dimicare, et ad quæ doctissimi memorantur? profecto virtutum et vitiorum magna lis et discordia, ubi in causa est repugnantia duorum sibi adversantium videlicet carnis et spiritus, *caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* (*Gal.* v). Et recte non ad bellum sed plurali numero ad bella doctissimi prædicantur, quia aliud est bellum humilitatis contra superbiam, aliud castitatis contra libidinem, aliud patientiæ contra iram, aliud obedientiæ contra contumaciam, aliud sobrietatis contra luxuriam, aliud avaritiæ contra liberalitatem, vel si cujus virtutis, quæ sibi opposito reluctatur vitio, ad quæ bella feliciter peragenda isti sexaginta **135** fortes doctissimi memorantur, quia in eorum gestis et scriptis est ratio et consilium ad apparatum istorum bellorum bene et honeste consummandorum.

Unde et subditur : *Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Diversorum enim vitiorum diversa est ratio reprimendorum, quia alio modo reprimitur superbia, alio modo luxuria, atque alio modo avaritia, singulaque vitia singula exposcunt remediorum contraria, ut in uno quoque contrario quasi ense pugnetur diverso. Ensis autem est vigilans mentis custodia, de qua Scriptura præcipit : *Omni custodia serva cor tuum* (*Prov.* IV) : *qui ensis super femur* ponitur quando suggestio delectantis carnis vigilanti custodia reluctantis animi reprimitur.

Dicamus a simili in femore et seminarium propaginis, de quo conceptione data homo formatur, qui singulis in utero discretis membris tandem nascendo producitur, paulatimque per ætatum momenta in hominem perfectum deducitur. Quid est autem in unoquoque homine delectantis carnis suggestio, nisi quædam vitii subito irruentis conceptio? Quæ si non statim ense fortiter reluctantis animi comprimitur, formam in mente per delectationem accipit, deinde per consensum quasi nascitur, sicque pedetentim per actionem crescendo damnabile et mortiferum per consuetudinem vitium efficitur; sunt enim in unoquoque vitio propagando istæ progressionis partes videlicet suggestio, delectasio, consensus, actio, consuetudo, sicut et in homine istæ quoque natalis sunt processionis partes, hoc est conceptio, formatio, nativitas, corporis protractio et ætatis plenitudo. Ensis ergo uniuscujusque super femur suum esse debet, ut præcito capite malæ suggestionis et quasi quodam seminario concipiendæ malitiæ debilitato totum corpus nasciturі vitii propulsetur, et quare hoc? *Propter timores*, inquit, *nocturnos*. Quid namque timent nocte, qui custodiunt civitatem, vel domum, nisi subitos aut hostes aut fures, nisi maligni spiritus qui thesauros animæ nostræ prædari vel furari conantur? Hi nempe per noctem pravæ suggestionis sive delectationis qua mentem cujusque involvunt ne mali ipsius periculum discernere possit, irruunt repente et irrepunt, et tantis tentationum jaculis mentem vulnerant ut a suæ rectitudinis statu eam quandoque dejiciant. Hoc autem nonnisi nocte facere possunt, quando calore pii studii recedente frigus torporis et negligentiæ animum occupaverit, quando in eo sol justitiæ propter desidiam occubuerit et lumine suæ gratiæ non illuxerit, quia tunc parant sagittas suas ut sagittent pauperem in abscondito (*Psal.* X).

Propter hos ergo timores nocturnos, hoc est occultas tentationum insidias, debet unusquisque armis justitiæ succinctus stare, omnesque aditus **136** interioris domus suæ tam vigilanter observare, ut nullus introeundi locus hosti possit patere. Ostendit hujusmodi studium qui sint fortes vel fortissimi, qui veri Salomonis lectulum ambiendo custodiant vel custodire valeant, et qui doctissimi in sancti propositi præcinctu existant, tenentes semper providentiæ et promptæ vigilantiæ gladios, propter subitos irrepentis vitii timores nocturnos.

Verum hujus spiritalis militiæ scientiam et audaciam, ubi et quo isti fortissimi accipiant sequentia insinuant ; nam subditur : *ferculum sibi fecit rex Salomon*, etc.

VERS. 9. — *Ferculum fecit sibi Salomon de lignis Libani.*

Unde enim accipiunt ut fortes sint, nisi a sanctæ Ecclesiæ doctoribus, quorum facta et dicta imitari cupiunt, vel a sanctarum Scripturarum canonicarum testimoniis et auctoritatibus.

Ferculum autem hujus veri regis Salomonis sancta Ecclesia est, sive ipsius Ecclesiæ tota canonica Scriptura, sive in individuo justi cujuscunque anima ; nam cum ferculum a *ferendo* dicatur, nimirum unumquodque ipsorum non absurde ferculum æquivoce nuncupatur; Ecclesia quidem propter divinorum quæ in ea continentur sacramentorum lationem ; sancta Scriptura propter divinorum eloquiorum, sive præceptorum, quorum mysteria et utilitatem continet, susceptionem ; justi vero anima propter divinæ scientiæ, per quam honestatis et disciplinæ capax efficitur, perceptionem, quæ omnia spiritualium deliciæ sunt epularum.

Quomodo vero singula membra unicuique capiti eorum, quæ proposuimus adhærere possint expedire curabimus, hoc est quomodo columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus, et istorum medium charitate constratum, sive Ecclesiæ sive canonicæ Scripturæ, sive justi animæ competant, assignabimus.

Primo tamen considerandum qualiter ex lignis Libani unumquodque istorum ferculorum dicatur exstructum : Libanus *candidatio* interpretatur. Quid autem per ligna Libani, quæ naturaliter imputribilia esse memorantur, nisi sancti et electi acci-

runtur, qui per spiritus fortitudinem et mundanæ vitæ candorem incorruptam cogitatione, locutione et opere servaverunt et servant sanctitatem ?

Ex lignis ergo Libani rex Salomon ferculum sibi instituit, quia Christus ex sanctorum suorum venerabilibus et incorruptis gestis et documentis, et Ecclesiam suam decentissime nobilitavit et sanctam Scripturam suam composuit, et cujusque justi animam erudivit, ut 131 unumquodque horum cœlestium foret ferculum epularum et fidelium refectio animarum.

Vers. 10. — *Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum et ascensum purpureum : media charitate constravit propter filias Jerusalem.*

Argentum vero et aurum in singulis competenter intelligitur propter eloquiorum nitorem et puritatem, atque sensuum qui in ipsis fulgent eloquiis majestatem. Si enim ad Ecclesiam referas, columnæ ejus sunt argenteæ, quia sancti patriarchæ et prophetæ, apostoli quoque sive apostolici viri in prædicatione sua, vel utriusque testamenti expositione qua Ecclesiam sublevant et sustentant, quæ dicunt vel scribunt fideli et luculento perorant sermone.

In quo sermone reclinatorium est aureum, quia ipsa eorum prædicatio, vel expositio pretioso sensuum fulgore rutilat, in quo se quilibet, qui prius ignorando et quærendo laborabat, jam intelligens quasi requiescendo redimat, et ad internæ refectionis epulas quasi fatigatam ignorantia mentem appodiat.

Hujus quoque ferculi ascensus est purpureus, quia altissima est in Ecclesiæ pace professio, quæ contemptu sæculi, mortificatione carnis et propriæ voluntatis abjectione, martyrio mentis purpuratum disponit ascensum, quando mens se ipsam *Deo* offert *hostiam viventem in odorem suavitatis* (*Ephes.* v). Nemo quippe nisi ab omnibus mundi curis et desideriis liber ad summum divinæ charitatis gradum per contemplationem ascendere valet, quia cum multi et diversi sanctorum virtutibus ascendentium sint gradus, sicut de eis scriptum est: *Ibunt de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII); Altissimus tamen, ut discimus, ascensus est, ubi mens se supra se contemplatoria erigit charitate. In isto namque ascensu purpureo diversi sunt gradus, quia alter altero est eminentior; plus est enim orare, jejunare, vigilare quam meditari tantum et legere ; plus est pro justitia contumelias et opprobria vel qualescunque persecutiones sustinere, quam ab injustitia tantum abstinere : attamen in omnibus hujusmodi ascensionibus labor corporis et animi, et vitæ continentia quasi quædam pretiosa mentis est purpura.

Sed hujus ferculi *media* rex Salomon *charitate constravit propter filias Jerusalem*, quia in medio horum tam sublimium in Ecclesia meritorum, multæ nimirum quasi fragilitate et infirmitate constratæ deponuntur mentes, quia quamvis mundum perfecte relinquere non valeant, tamen mundi contemptores diligunt et venerantur; quamvis propter Deum laborare jejunando, vigilando et orando, sive carnem mortificando non possint, tamen hæc in agentibus dum diligunt, quasi sua efficiunt, et quod ipsæ in se 132 per infirmitatem non habent, hoc in aliis per charitatem habent. Tales utique ad hoc ferculum pertinent, et suo modo in hoc reficiuntur, quia quod sancti et perfecti in re et virtute, hoc istæ sola charitate assequuntur.

Porro si totum canonicæ Scripturæ corpus respicias, *columnæ ejus argenteæ*, *reclinatorium* quoque *aureum*, sunt divinorum eloquiorum sententiæ et auctoritates, verborum claritate perspicuæ, et sensuum singulari excellentia fulgidæ, quarum lectio suavissima est animæ refectio, quoniam ibi fides sustentat, spes sublevat, charitas per contemplationem reclinat. Unde et reclinatorium est aureum, quia fide et spe major est charitas contemplatoria, sicut argento pretiosius est aurum. Cum enim ex hujusmodi ferculo legendo vel audiendo quisque fidelis didicerit, quid credere, quid sperare debeat, postpositis omnibus transitoriis, in solo Dei amore, quasi in quodam aureo contemplationis reclinatorio per quietem mentis ad æternam vitam pascitur, et nutritur.

In hoc ferculo ascensus est purpureus, quia inibi recitantur passio Redemptoris, et gloriosi triumphi martyrum pro ipsius Redemptoris amore morientium, in quibus passionibus aliqui fuerunt ascensus : nam ut in ipso capite martyrum videre possumus, primo flagellatus, deinde sputis illitus, alapis cæsus, spinis coronatus, postremo cruci affixus, quasi quemdam purpureum, in sua passione fecit ascensum, cujus vestigia martyres secuti multimodi laboris habuerunt ascensus, quia *ludibria et verbera experti*, *insuper vincula et carceres*, *lapidati sunt*, *secti sunt*, *tentati sunt*, ad ultimum *in occisione gladii mortui sunt* (*Hebr.* XI), ut per hos passionum ascensus ad summum æternæ beatitudinis pertingerent gradum. Sed hunc ascensum cum legunt et audiunt, piæ mentes imitari satagunt, ut sicut temporalium passionum sic et æternarum participes fiant consolationum.

Media quoque hujus ferculi charitate constrata sunt, quia in tota divina pagina charitas quasi medium obtinet locum, dum ad eam veluti ad quemdam optimum et certum fieri omnes sanctarum respiciant sententiæ Scripturarum, sicut dicit Apostolus, quia *finis præcepti charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta* (*I Tim.* I). Et cum duo præcepta charitatis Dei videlicet et proximi ostenderet Dominus, *in his*, inquit, *duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII), id autem ex quo cætera omnia pendent, summum et principalem quodammodo locum videtur habere. *Media* ergo hujus ferculi rex Salomon *charitate constravit*, quia in medio sanctarum Scripturarum charitatis constituit principatum.

Et quare hoc? *propter filias Jerusalem*, id est propter animas ad cœlestem Jerusalem, id est vi-

Digitized by Google

sionem pacis pertinentes, ut intelligant neque columnas argenteas, neque reclinatorium aureum, neque 133 ascensum purpureum sine charitatis virtute aliquid virtutis habere, sed omnia et charitate tanquam multos ramos ex una arboris radice debere procedere. Apostolus enim dicit quia *si linguis hominum loquar et angelorum*, quod est columnas argenteas habere, *charitatem autem non habeam*, *factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens; et si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam*, quod est reclinatorium aureum esse, *et si tradidero corpus meum ita ut ardeam*, quod est ascensum purpureum habere, *charitatem autem non habeam*, *nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII).

Ecce quomodo istud suum ferculum rex noster Salomon *media charitate constravit*, cum per totum corpus sanctæ Scripturæ charitatem quasi in quodam centro constituit, ut omnia circa eam, et in eam revolvantur. Et sicut sol altissimus est dum in centro figitur nec ultra progreditur, sic sancta Scriptura de virtutibus disputans altissima est in charitatis prædicamento, nec ultra eam progreditur alicujus virtutis præjudicio.

Tertio vero loco si cujusque justi animam attendas, columnæ ejus argenteæ sunt quatuor virtutes cardinales, quarum omnes aliæ appendices sunt, videlicet prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Sed quomodo argenteæ? probatæ fidei puritate et vera evangelicæ doctrinæ prædicatione ab omni scoria hæreticæ falsitatis exhausta de qua scriptum est : *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Ps.* XI). Unde de hæreticis dicit per prophetam Dominus : Dedi eis argentum et aurum, ipsi vero ex argento et auro fecerunt Baal (*Ose.* II); aurum autem ad mentem, argentum ad eloquium pertinet : aurum quippe et argentum sanctæ animæ tribuit Deus, quando ei et sensum divinum et sapientiam concedit habere, et id quod mentem concipit, eloquii venustate proferre. Quem sensum quia hæretici depravant et depravatum docendo enuntiant, quasi ex auro et argento idola falsitatis fabricant.

Qui ergo vult ut virtutes si quas habet sint columnæ quæ animæ structuram substineant, hoc satagere debet, ut sint argenteæ, quia nisi fidei et doctrinæ puritate resplendeant, timendum valde est ne structuram ipsam portare non valentes tortitudinis suæ infirmitate subsidant. Sed columnæ cujus sunt argenteæ, reclinatorium quoque aureum est, quia *ex abundantia cordis os loquitur* (*Matth.* XII), quoniam ubi abundat in sensu sapientia, ibi laudabilis foris profluit eloquentia. Scriptum est : *Sapientia requiescit in corde justi et prudentia in sermone oris ejus* (*Prov.* XIX). Cum enim mens sapientiæ fulgore resplendet, sequitur ut id quo quid intelligit, prudenter enuntiet. Sed quare mens justi reclinatorium dicitur? Nimirum quia divinitas in mente quæ sibi placet, humilitatis, patientiæ, castitatis et obedientiæ pulchritudine per aurum inhabitantis gratiæ suæ donum dicitur se reclinare 134 quo contra de reproborum mentibus dicitur, quia *Filius hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* VIII).

Quis vero est hujus ferculi ascensus purpureus? Fides et memoria passionis Dominicæ, quam credere et in qua omnem spem salutis suæ constituere, et ad cujus formam seipsum quoque mundo, vitiis et concupiscentiis crucifigere, ut possit cum Apostolo dicere : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI), procul dubio est per ascensum purpureum mentis ascendere.

Quomodo vero hujus ferculi *media charitate* constrata sint *propter filias Jerusalem*, Apostolus hoc ostendit qui dicit : *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem* (*I Cor.* IX) ; unde hoc nisi ex charitate? nam cum sit gemina dilectio, Dei videlicet et proximi, et una ex altera pendeat, quisquis summis virtutibus præditus est, hoc debet habere medium, ut cum necessitas vel utilitas fraterna exegerit, ab illa rigoris sui altitudine paululum descendat, et proximorum infirmitati condescendendo provideat.

Hoc enim modo nisi diligat proximum, minime probatur diligere Deum, cum una dilectio ex altera constituatur : *Qui enim non diligit proximum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* (*I Joan.* IV.)

Sive ergo Ecclesia, sive sancta Scriptura, sive justi cujuslibet anima, hujus veri Salomonis ferculum dicatur, sequentia non repugnant, quin unicuique capiti membra non inconvenienter adhæreant. Sed si diligenter mentis obtutus adhibeantur, non erit, ut æstimo, tædiosum considerare quam pulchre ultimum hujus ferculi membrum charitatis conclusione signetur. Quid enim est in Ecclesia religionis, quid rei sacramentalis, quid in tota divina pagina scientiæ vel eloquentiæ, quid in sancti anima sanctitatis et justitiæ, quod totum principium sive finem in charitatis respectu non constituat? Quid porro sunt Ecclesiæ sacramenta, quid totius sanctæ Scripturæ eloquia, quidve est quod credere, quod sperare et diligere debet justi anima, nisi Christi incarnatio, passio, resurrectio et ascensio, atque omnium quæ pro humana salute gessit rerum exhibitio? Quid vero omnium istorum sancta præconia, nisi divinæ charitatis sunt signa? *propter nimiam enim charitatem suam qua dilexit nos Deus, misit Filium suum in similitudinem carnis, factus propter nos maledictum, ut nos a maledicto redimeret* (*Ephes.* II). Sive ergo Ecclesia dicatur hoc ferculum, sive sancta Scriptura, sive justi anima, ubique charitas ista medium tenet locum, quia de ea cuncta procedunt, et ad illam cuncta respiciunt. Tota enim summa charitatis hujus est, *Deus homo factus*, hocque totum est quod in Ecclesia per divinam Scripturam sancti docent, videlicet ut hujus divinæ charitatis et misericordiæ

Digitized by Google

135 magnitudinem summopere attendamus, quia per hanc sumus a morte liberati et ad æternam vitam quam peccando amiseramus reparati.

Unde nunc in sequentibus filiæ Sion admonentur, quatenus divinæ bonitatis gratiam, non tantum in re sed etiam in rei ipsius efficientia diligenter attendant, et admirandam salutis suæ dispositionem advertant.

VERS. 11.—*Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis illius et in die lætitiæ cordis ejus.*

Sion dicitur *speculatio*, *filiæ* autem *Sion*, id est *speculationis* quæ sunt nisi animæ credentium, quæ per contemplationis gratiam cœlestium mysteriorum secreta subtiliter speculantur? Quibus ut egrediantur dicitur, quia minime debent in carnalibus occupari, qui cupiunt in spiritualibus mentis oculo detineri. *Egredimini*, inquit, *et videte*, non enim potestis videre, nisi prius egrediamini: *Egredimini* ergo, hoc est ex corporalium et visibilium rerum consideratione exite et in divinæ magnificentiæ gloriam et in ipsam universalis redemptionis causam, et in totam prorsus humanæ salutis incorporalitatem mentis intuitum figite. Quare? Ideo videlicet ut videatis *regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua*: quo autem oculo videre debetis? nimirum interiori magis quam exteriori, quia fide corporalitatis ad corporalitatem exire debetis, oportet ut spiritualiter non carnaliter ea quæ videtis vel auditis intelligatis: sic enim dicitur *videte*, ac si dicatur intelligite.

Vos ergo *filiæ Sion* quæ non filii propter fortitudinem, sed filiæ appellamini propter infirmitatem; quia nondum in robur spiritualis intelligentiæ profecistis, quandoquidem ferculum vobis fecit rex Salomon, ad cujus epulas quotidie residetis Ecclesiæ sacramenta perspiciendo, scripturam canonicam legendo et audiendo, sanctorum quoque doctorum sententias perscrutando, *egredimini* altiore sensu *et videte* ipsum *regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.*

Quid vel quale est hoc diadema regis Salomonis *quo coronavit eum mater sua?* possumus quidem singulariter dicere unum passionis signum, spineam scilicet coronam qua eum irridendo coronavit mater sua Synagoga, quæ eum secundum carnem genuit, sed melius videtur, ut istud diadema accipiamus, totam duplicis passionis summam, quæ sicut diadema ex multis pretiosorum lapidum generibus ita ex multis diversarum passionum signis composita est; quam **136** postquam in corpore suo pertulit, gloria et honore quasi quodam diademate coronatus est, sicut dixit Apostolus: *Vidimus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem* (*Hebr.* II). Unde vos, o *filiæ Sion*, nolite considerare tantum exteriora et contemptibilia passionum istarum signa, hoc est flagella, sputa, alapas, spineam coronam, crucem, sepulturam, sed de hac consideratione *egredimini*, et quid inde gloriæ et honoris, remedii et sanitatis, omni procreverit mundo, oculis mentis aspicite. Hoc est enim diadema quod admirari et venerari debetis, et hæc principalitas charitatis quam in medio ferculi sui constituit, talique diademate splendet excellentia suæ circa vos misericordiæ. Nonne gloria et honore coronatus est, resurgens de hac corporis passibilis corruptione in impassibilitatem et incorruptionem, et corpori suo quod est Ecclesia, hujus gloriæ et honoris coronam imposuit, quando et secum futuræ incorruptionis participium confirmavit in æternum?

Sive istud diadema dicamus generaliter totum humanæ dispensationis ordinem, *quo eum coronavit mater sua*, beata scilicet virgo Maria, ex cujus utero eamdem suscepit humanitatem, rationi non videtur repugnare, nam in hujus diadematis compositione, quo humanitus Christus est coronatus quasi quædam insignium sunt ornamenta gemmarum, nativitas, circumcisio, baptismus, jejunium, tentatio, passio, resurrectio, ascensio, quæ omnia includuntur auro misericordiæ ejus. Aurum namque omnibus metallis pretiosius est, *et miserationes Dei super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV). Ex auro ergo fulgidissimo infinitæ misericordiæ Dei, et ipsius misericordiæ operibus et signis, quæ supra memoravimus, quasi quibusdam gemmis fabricatum est hoc diadema regis Salomonis, veri videlicet pacifici Domini Jesu Christi: *Qui reconcilians nos Deo, pacificavit omnia quæ in cœlis sunt et in terris* (*Colos.* I). Unde admonentur filiæ Sion quæ gratiam divinæ contemplationis habent, ut hæc omnia sensu interiori perspicientes, quanta inde eis salus profluxerit intelligant.

Quando autem tali diademate est coronatus? *In die*, inquit, *desponsationis ejus, in die lætitiæ cordis ejus.* Quænam fuit dies desponsationis Christi, nisi tempus incarnationis, quando processit de Virginis utero *tanquam sponsus procedens de thalamo* (*Psal.* XVIII), ad copulandam sibi Ecclesiam, propter quam redimendam dignatus est incarnari? sive potius dies desponsationis tempus fuit passionis ejus, quando sanguinis sui pretio redemptam exhibuit *sibi Ecclesiam sponsam gloriosam, non habentem maculam, neque rugam* (*Ephes.* V). Hanc enim isto inæstimabilis ponderis pretio subarrhavit, huic in dotem æternum Patris sui regnum conscribi fecit, a qua et ipse sponsalia exigit, **137** exigit fidei scilicet et virtutum merita, sine quibus nulla Deo copulari potest anima, quarum partes quasdam paulo post in subsequentibus enumerat.

Quæ ergo fuit dies lætitiæ cordis ejus? Tempus profecto resurrectionis quando superata omni tristitia passionis et corruptionis festivum se ac gloria et honore coronatum cum tropæo completæ redemptionis exhibuit. Non autem ista cordis affectio ita in eum cecidit, ut ante dubius quid futurum erat nescierit, et tunc quasi

Digitized by Google

dubietate subnota lætitiam animo conceperit (nullum enim divinitati tempus ascribitur), sed hujusmodi locutio humanitati ejus tantum competit, quo dicitur propter gloriam resurrectionis et propositum atque ordinem redemptionis expletum diem lætitiæ habuisse, quamvis et hoc magis ad Ecclesiam quæ est corpus ipsius referri possit, juxta illum modum locutionis, quo frequenter in sancta Scriptura, quod de capite dicitur, ad corpus refertur, sicut e converso de corpore ad caput propter concorporationem et unitatem qua unum efficiuntur Christus et Ecclesia; Christi enim passio, resurrectio et ascensio maxima et specialis est Ecclesiæ lætitia, quando se meminit de captivitate ad libertatem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem hoc mirabili transisse suffragio.

Quia vero ad hujus desponsationis mirabile spectaculum, totum istud respicit sponsi et sponsæ epithalamium, quod hoc loco pro sui excellentia dicitur *Canticum canticorum;* videamus quam pulchre et jocunde alternantia invicem sponsus et sponsa decantant sanctæ dilectionis præconia. Supra enim exposuit sponsa dignitatem et excellentiam sponsi sibi spiritualiter copulandi, in lectuli reverentia, in ferculorum affluentia, in ornamentorum splendore et gloria, et quod his omnibus majus est, in singulari charitatis prærogativa, et ad istarum nuptiarum pulchritudinem perspiciendam et admirandam filiam Sion egredi hortabatur, quatenus et ipsæ pro posse suo his nuptiis sociari studentes, quem nunc viderent per speculum in ænigmate, postmodum penitus jam purgato mentis oculo facie ad faciem viderent regem in decore suo.

Cui mox occurrit sponsus, cantabili pulchritudinis testimonio, plurimasque ipsius pulchritudinis partes quasi pro sponsalibus sponsæ sibi oblatas enumerat, quæ tamen ex gratia sunt ejusdem sponsi dantis ut itidem accipientis ostendat merito sibi copulandam quam tot pulchritudinum præconiis suo munere fecerit gloriosam, cui præsignati quoque lecluli et ferculi nomen aptaverit, et quam ornamentorum sibi impositorum causam effecerit. Ait ergo, *quam pulchra es, amica mea.*

138 CAPUT IV.

Vers. 1. — *Quam pulchra es, amica mea! quam pulchra es! oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet; capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad.*

Quoniam Spiritus sancti gratia omnis virtutum benedictio in ecclesiastico profluit agro, congrue nunc sponsus septenis pulchritudinum attollit præconiis, quas attendit in decore et gratia oculorum, capillorum, dentium, labiorum, genarum, colli et uberum, quia nimirum **139** Christus Ecclesiam suo judicat consortio dignam, quam pro gratiarum affluentia, omnium in facie membrorum commendat elegantia.

Facies enim Ecclesiæ est ejus publicus conventus, in quo considerantur, disponuntur, et præciA piuntur semper necessariæ et utiles causæ quibus informentur, et ad unitatis decorem instituantur ipsius membra, ut nulla in eis deformitatis macula appareat sive in fide, sive in actione, sive in aliqua canonicarum sanctionum constitutione. Ipse namque publicus Ecclesiæ conventus, varia distinguitur professionum, dignitatum, et ordinum qualitate, quia alia est professio monachorum, alia clericorum, alia laicorum: in his autem alia professio virginum, alia continentium, alia conjugatorum, dignitatum vero alia imperialis, alia pontificalis, alia præfecturalis, sive aliud quid quod dignitatis nomine appellari potest. Porro ordinum alius sacerdotalis, alius leviticus, alius sublevitico, vel alius quilibet ecclesiasticus ordo, quæ omnia significant B illæ præscriptæ particulæ sponsi testimonio in sponsæ corpore laudabiliter positæ. Oculi enim Ecclesiæ sunt custodia et prudentia præpositorum, capilli, numerositas subditorum, dentes sacræ Scripturæ expositores, labia prædicatorum elegantia, sive lectorum divinam Scripturam recitantium, genæ verecundia disciplinatorum, collum sublimis eloquentia doctorum, ubera diligentia magistrorum minores erudientium, quorum omnium distinctam varietatem in corpore Ecclesiæ Psalmista colaudans: *Astitit*, inquit, *regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate* (*Psal.* XLIV). Sed de his singulis plenius suo loco dicendum.

Quam pulchra es, inquit, *amica mea, quam pulchra es!* quam dicit pulchram etiam appellat amiC cam ut insinuet alterum alterius esse effectivum; nam quæ tot pulchritudinum speciebus quas subinfert decoratur, merito amica efficitur, et quæ amica probatur, profecto pulchra indicatur: non enim veluti amicam secreti sui consciam faceret, nisi hanc virtutum pulchritudine placentem sibi per gratiam copulasset. Repetita vero laude pulchritudinis geminatam approbat virtutem fidei et operationis, quæ ita sibi inseparabiliter sociantur ut una sine altera semper inutilis comprobetur.

Subdens autem primum septenæ pulchritudinis membrum, *oculi tui*, inquit, *columbarum, absque eo quod intrisecus latet.* Sicut supra prænotatum, oculi Ecclesiæ sunt custodia et providentia præpoD sitorum erga utilitatem subditorum, quia sicut oculi duces quidam et custodes sunt subjecto corpori (*cæcus enim in tenebris ambulat et nescit quo ea* (*Joan.* XII); **140** ita prælati cura sua et vigilantia custodiunt sibi subjectos, et ducunt in electam viam prædicatione et actione, utrobique speculatores positi, et ad animarum et ad corporum necessitatem et utilitatem. Sed isti *oculi* sunt *columbarum, absque eo quod intrinsecus latet*, quia innocenter et simpliciter carnalia provident, et prudenter subditorum periculum spiritualia administrando prævident et cavent: nam cum in terrenis aliquando pro subditorum utilitate occupantur, ipsa terrena non corvino sed columbino oculo intuentur, quia absque cupiditate et carnali desiderio simpliciter pro sola

Digitized by Google

necessitate expetunt et habent, de quibus dicit propheta, *et quasi columbæ ad fenestras suas* (*Isa.* LX), quid enim sunt fenestræ nostræ, nisi sensus exteriores per quos ad ista visibilia, vel ea cupiendo, vel parvipendendo prospicimus? Sancti autem *quasi columbæ ad fenestras suas* sunt, quia quidquid in exterioribus per sensus corporeos sapiunt, simpliciter et innocenter suis usibus exponunt, nihil in his cum aviditate et delectatione rapiunt, sed tantum communem in eis suam suorumque necessitatem attendunt.

Est ergo laudabile hoc modo tenere studium activæ vitæ, sed longe laudabilius est id quod intrinsecus latet, habere virtutem scilicet vitæ contemplativæ, foris enim exteriora honeste dispensant, sed divinæ tantum patet cognitioni qua intentione id faciant, dum plerumque ab humanis oculis qui corda non vident aliqui religiosi exteriora interdum tractantes judicantur.

Sequitur secunda pars septenæ pulchritudinis, qua dicitur: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascendunt de monte Galaad.*

Capillis, ut prænotatum est, numerositas subditorum designatur, qui quamvis perfectionem majorum consequi non valeant, conventum tamen Ecclesiæ sicut capilli caput ornant, capitibus suis, hoc est majoribus pro suo modo et posse obediendo et constitutam sibi legem servando adhærentes. Unamquamque enim professionem suo quique loco et ordine juxta præfixam sibi a patribus communiter conservandi regulam, licet diverso modo, decorant et ornant. Nam quamvis in Ecclesia universali sive particulari non omnes æqualiter vivant, non omnes æqualiter suo quique privato officio constituti observent regulam et eamdem plerumque excedant, publico tamen et communi religionis et ordinis teguntur ornamento, sicut econtrario nihil confert honoris aut honestatis toti corpori Ecclesiæ unius devotio, si ipsa tota irreligiositatis deformetur institutio. Denique religiosa ejus communitas ipsius est pulchritudo et nobilitas, sicut et irreligiosa unanimitas ipsius est turpitudo et ignobilitas.

141 Unde et dicitur, quia *capilli* isti sunt *sicut greges caprarum* quia in singulis professionibus sunt quidam greges coadunatæ multitudines, greges quidem quantum ad ordinum diversitates, sive ad Ecclesias particulares, unus autem grex, quantum ad fidei unitatem et Ecclesiam universalem. Greges vero sunt caprarum quia omnes ecclesiasticæ professiones, licet inter se differentes propter varias ordinum qualitates, semper tamen pari intentione ad unum spectant finem dum omnes cœlestia appetentes, suo quique modo adhærent Deo.

Qualium vero caprarum? *quæ ascenderunt*, inquit, *de monte Galaad.* Galaad dicitur *acervus testimonii*; quis autem est iste acervus testimonii, nisi collectio quædam et summa divinarum Scripturarum sive institutionum a sanctis Patribus ad utilitatem et honestatem Ecclesiæ conscriptarum? Quid enim est sacra Scriptura nisi quidam acervus testimonii ubique prædicantis et testificantis de Christo? de quo testimonio canitur in Psalmo: *Testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis* (*Psal.* XVIII). Parvuli quippe, id est humiles testimonium sanctæ Scripturæ intelligunt, cui dum credendo et bene vivendo obaudiunt, sapientes sunt, summa enim philosophia est optimus vivendi modus. Institutio quoque sanctorum Patrum quidam est acervus testimonii, quia dum hoc legitime observatur, observatoribus suis ad vitæ honestatem certificatur.

Capilli ergo sanctæ Ecclesiæ *sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad*, quia multitudines subditorum quotidie proficiunt testimoniis sanctarum Scripturarum et suorum præpositorum institutis ad communem vivendi ordinem sibi præfixis.

VERS. 2. — *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas.*

Tertio loco ponitur, *dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis.*

Dentes, ut præscriptum est, non absurde possunt accipi sacræ Scripturæ expositores, quia sicut dentes cibos conterunt, ita sancti expositores in divinis Scripturis, litteræ grossitudinem in spiritualis sensus redigunt subtilitatem, ut quæ in superficie intelligi non poterat, per hos dentes quasi commolita, facilius in ventrem intelligentiæ transeat.

Sed quare isti *dentes sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro?* videlicet propter expeditum a sæculi negotiis animum, et a terrenæ actionis pulvere divini spiritus fonte ablutum. Neque enim possunt ad tantæ intelligentiæ **142** subtilitatem proficere nisi hujusmodi curis quasi quibusdam oneribus depositis et toto corpore interioris hominis toto fonte illo divinitatis, de quo dicit Psalmista Deo: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ* (*Psal.* XXXV). Et quid ista ablutio sive potatio conferat utilitatis, insinuat dum subdit, *et in lumine tuo videbimus eum* (*ibid.*), ac si patenter dicat, te lumen scientiæ nobis infundente, obscura divinæ Scripturæ intelligemus.

Dentes ergo sanctæ Ecclesiæ sunt *quasi greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro*, quia sacræ Scripturæ tractatores quo magis fuerint a terrenis actionibus expediti, et lavacro divinæ inspirationis expurgati, eo fortius frangere et subtilius terere valent totam Veteris et Novi Testamenti litteralem soliditatem.

Allegoricus enim sive moralis sensus competenter et utiliter profluens ex litterali superficie sanctarum Scripturarum decens candor et quasi alliciens pulchritudo istorum est dentium.

Unde et subditur: *Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas.* Quid sunt enim istorum ge-

Digitized by Google

melli fetus, nisi aut sanctarum Scripturarum, quæ expositione quasi confringuntur, duplex sensus videlicet allegoricus et moralis, aut duorum Testamentorum cognitio aut geminæ charitatis exhibitio? Nam cum triplex sit sensus in toto corpore divinæ Scripturæ, historicus scilicet, allegoricus et moralis, ubicunque historicus exponitur, in aliquam istarum duarum partium, allegoriam scilicet aut moralitatem resolvitur, plerumque in utrarumque partium sensus, unius ejusdemque historiæ redigitur intellectus, ita ut nonnunquam quod historia sonat, non nisi mystice intelligi debeat. De quo triplici sensu divinæ Scripturæ dicitur: *Scribe ea tripliciter in corde tuo* (*Prov.* XXII). Duorum vero testamentorum quasi gemellis ditantur fetibus, quia quidquid exponunt vel de Veteri, vel de Novo Testamento assumunt. Porro geminæ charitatis fetibus multiplicantur, quia ad laborem exponendæ sacræ Scripturæ trahit eos amor Dei, quem in ipsa Scriptura delectabiliter sapiunt; amor quoque proximi ad cujus utilitatem hanc sibi occupationem libenter assumunt.

In quibus est nulla horum gemellorum fetuum sterilitas, quia omnes quos terrenæ actionis pondus non gravat, et divini Spiritus fons saluberrimus lavat, possunt delectabiliter hac gemina intentione, materna dilectione in exponendorum librorum negotiis vacare; intentione ad allegoriam et moralitatem, materia ad Vetus et Novum Testamentum, dilectione ad Deum et proximum respicientes.

143 VERS. 3. — *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce; sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.*

Quarum septenæ pulchritudinis prædicamentum est *sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce*: labia dici possunt, divini eloquii prædicatores, sive ipsa eloquia eleganter legendo vel cantando pronuntiantes et Dei populum sensus vel vocis suavitate ad timorem et amorem divinum accendentes. Unde et vittæ coccineæ comparantur, quia sicut vitta capillos ne dispergantur constringit et componit, ita prædicatores sancti, sive in Ecclesia suaviter cantantes vel legentes audientem populum vinculo pacis et unanimitatis conjungunt et sibi invicem fidei et dilectionis harmonia consonare faciunt. Nam vitta subjectorum a vitta sanctorum prædicatorum quasi dissonat et discordat, quando nec recte credunt nec recte operantur, sed cum illorum prædicatione ad veritatem et rectitudinem perducuntur, quasi eis fide et dilectione conjunguntur; dum idem quod ipsi credunt et diligunt, atque eis in lege Dei consentiunt. Cumque eamdem veritatem pronuntiantes, vel pulchro concentu, vel probabili rationi assertione audiunt et attendunt, per gratiam compunctionis fortius se in amore Dei constringunt.

Unde et vitta cui comparantur dicitur *coccinea* esse. Coccus quippe ignei coloris est, et quid est charitas nisi ignis? Quando enim aliqui de illo summo bono quod Deus est audientes causæ ipsius boni percipiendi ad bene agendum compunguntur, profecto divinæ charitatis igne accenduntur.

Labia ergo Ecclesiæ, hoc est sancti prædicatores, sive ipsam prædicationem officiose componentes, *sicut vitta coccinea* sunt, quia animos audientium ipsarum rerum quas prædicant dulcitate et suavitate ad æternæ vitæ amorem succendunt.

Unde subditur, *eloquium tuum dulce*: leniori bus enim præceptis infirmi attrahuntur, austeriori bus repelluntur, in lege autem peccantes puniri præcipiebantur et nocentes talionem accipiebant quando *oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* XXI) dare jubebantur, sed in tempore gratiæ dulce est eloquium Ecclesiæ, quia peccatoribus culpas suas confitentibus, non pœna sed misericordia promittitur, et nocentes si respiciant, non talione mulctantur, sed pœnitentia absolvuntur. Sive ideo vitta coccinea sancti prædicatores sunt, quia prædicatione sua superflua cogitationum et operum constringunt, ut per sanctæ operationis studium divinæ charitatis igne ardeant et per contemptum sæculi quodam **144** mentis martyrio rubeant; coccus enim et igneus et rubeus est, et qui divina charitate fervent, omnia pro Deo pati adversa non timent.

Porro quanta species septiformis pulchritudinis disciplinatorum in Ecclesia verecundiam prædicat, dum dicitur, *sicut fragmen mali punici ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.* Malum punicum dicitur, eo quod ex Punica regione sit genus ejus, translatum, quod etiam dicitur malum granatum, quod multitudinem in se contineat granorum; fragmen autem mali punici exterius rubet, interius candet, et magis fractum quam integrum redolet. Genæ ergo Ecclesiæ *sicut fragmen mali punici* dicuntur esse, quia disciplina religiosorum in domo disciplinæ honestatis habitum prætendentium exterius verecundiam in facie rosea præfert pulchritudine, quæ ex interiori procedit mentis gratiose candentis operositate. Candor enim pudicitiæ qui fulget in mente, ruborem verecundiæ gignit in facie, quando tale quid timet anima religiosa committere, quod honestati suæ deroget vel disciplinæ. Unde per contrarium reprobæ menti, et audaciter peccare non erubescenti per prophetam dicitur: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, et noluisti erubescere* (*Jer.* III).

Vultus ergo demissio, et gloriosa oculorum compositio, religiosæ et pudicæ mentis est signum, atque ideo congrue *sicut fragmen mali punici* dicuntur esse moribus honeste compositi, qui decorem sanctitatis, quem intentione et cogitatione interius gestant, exterius habitu et moribus reverenter insinuant. Et cum exterior gestus religiose compositus laudabilis sit, longe tamen laudabilior est ille, interior animi habitus qui soli Deo est cognitus, dum vix aut nunquam sufficit sancta anima foris est ostendere quanta intus divina ardeat charitate.

Unde cum de sponsa sponsus præmitteret, *sicut*

Digitized by Google

fragmen mali punici ita genæ tuæ, subdidit, *absque* A *eo quod intrinsecus latet.*

Quid est enim quod intrinsecus latet, nisi vis charitatis quæ soli Deo paret, et quidquid honestatis vel sanctitatis, extrinsecus operatur.

Sanctæ ergo Ecclesiæ disciplinata corda quasi *fragmen mali punici* sunt, *absque eo quod intrinsecus latet*, quia candorem quidem virtutum quam interius habent per Dei gratiam, hanc exterius exhibent per patientiæ et verecundiæ formam, sed ipsam vim quæ totam in se efficientiam vegetantem et confirmantem sancti Spiritus operatione continet, solius Dei judicio relinquunt, dum in magna quidem spe consistunt. Sed in ipsa sua spe sine metu non sunt. Vim quidem in se divinæ charitatis sentiunt, sed quæ ex ipsa charitate moribus et vita B prædicant, quo apud Deum examine pensentur ignorant.

145 Vers. 4. — *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Sexto vero loco enumeratæ pulchritudinis hoc ponitur prædicamentum, *sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Superius prænotavimus per collum significari sublimem doctorum eloquentiam quæ idcirco turri comparatur, quia verborum et sensuum profunditate sublimatur. Sed hæc *turris David* dicitur, id est *manu fortis*, quia videlicet quidquid venustatis vel C sublimitatis in se continent doctorum eloquia, sive verbo, sive scripto, ipsius profecto gratiæ est, qui spiritualiter manu fortis dicitur, quia ejus est

Parcere subjectis, et debellare superbos.

(Virg., *Æneid.*, IV, 654.)

Sicut de eo scriptum est, quia *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV). In corde enim humilium requiescit, et suæ eis scientiæ dona, prout sibi placuerit, competenter distribuit, alii quidem sic, alii vero sic.

Quæ vero sunt propugnacula, quibus hæc turris est ædificata, nisi fortium et sublimium sententiarum munimenta? Auctoritatibus enim sententiarum quibus doctores intonant, Ecclesia munitur et roboratur contra perversorum dogmata et gesta, ne D supra petram fidei fundata, ulla possit timere contrariæ et adversæ patris molimina. In hac enim conspiciuntur consilia et præcepta virtutum et mirifica sanctorum Patrum facta atque miracula.

Unde et subditur, *mille clypei pendent ex ea*; quid enim millenario numero qui pro perfectione ponitur, nisi universitas designatur? Mille namque clypei sunt universa virtutum documenta, quæ nos muniunt contra oppugnantia vitiorum machinamenta: Nam si

Ferret avaritia, miseroque cupidine pectus?
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? Sunt certa piacula, quæ te,
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est qui non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

(Horat., *Ep.* I, 1, 39.)

Si enim te hujus mundi gloria delectat, audi apostolum Joannem dicentem: *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt; si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in eo* (*I Joan.* II): si vitio inanis gloriæ tentaris, audi Apostolum dicentem: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi* (*Gal.* VI): si avaritia tentaris, audi eumdem dicentem: *Quia hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX): si libidine tentaris, audi iterum dicentem: *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti? Si quis violaverit templum hoc, disperdet illum; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* VI). **146** Si ira animum pulsat, audi quod dicitur: *Irascimini, et nolite peccare*; et quia *ira viri justitiam Dei non operatur* (*Ps.* IV). Si peccatum inobedientiæ mentem corrumpit, audi scriptum *quia melior est obedientia quam victimæ et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV): si impatientia mentem gravat, attende scriptum quia *patiens melior est expugnatore urbium* (*Prov.* XVI). Si superbia animum instat, audi scriptum, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Pet.* V).

Ecce isti sunt clypei, qui pendent ex turri et propugnaculis eloquentissimorum doctorum quorum sententiæ et auctoritates fortissimum sunt Ecclesiæ munimentum, præcepta vero et consilia sunt unicuique animæ contra vitia et peccata et documentum et munimentum. *Mille* ergo *clypei pendent ex ea*, quia nullum est vitium contra quod non inveniatur munimentum ex universis dictis et scriptis sanctorum Catholicorum Patrum. Sed quia in eisdem scriptis recitantur et fortia sanctorum gesta et divinæ legis præcepta ab ipsis constantissime servata, bene subditur, *omnis armatura fortium*. Ibi enim invenies, quam fortiter contra vitia et peccata armis militiæ spiritualis pugnaverint quorum armatura fuit divinorum mandatorum observatio et præcedentium Patrum imitatio. *Mille* ergo *clypei et omnis armatura fortium pendent ex ea*, quia quidquid fortitudinis contra hostes animæ quærere libet, in doctissimis patrum sententiis et magnificis gestis invenire licet.

Sed cum idem officium habeant muniendi propugnacula et clypei, in hoc tamen differunt, quod propugnacula immobiliter subsistant, clypei vero manu teneri et moveri possint. Quid autem dici possunt propugnacula, nisi sanctorum miracula? Quid vero clypei, ni sanctarum virtutum cultus eximii. In Scriptura ergo sacra quam doctorum proferunt et commendant eloquia, mirifica narrantur sanctorum miracula, quæ nos quidem agere et quasi movere non possumus, opera vero virtutum exercere

Digitized by Google

et quasi manu tenendo diversis studiis movere pro modulo nostro quique possumus, si Dei amore ardemus.

Ex collo ergo sanctæ Ecclesiæ *mille clypei pendent et omnis armatura fortium*, quia in sacra Scriptura quam doctorum retegit et ornat eloquentia, generaliter contra vitiorum jacula et protegentia tutamenta, et repellentia invenit armamenta.

Vers. 5. — *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.*

147 Septimum vero prædicatæ pulchritudinis tale præconium est: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies et inclinentur umbræ.* Sicut supra probatum est, per duo ubera potest accipi diligentia magistrorum, minores erudientium, gemina pietatis et scientiæ doctrina: pietatis quidem quando eos informant activæ et contemplativæ vitæ honestate, sive Dei et proximi dilectione; scientiæ vero, quando eos instruunt Veteris et Novi Testamenti lectione, sive ejusdem Scripturæ historica et allegorica expositione. Quæ *duo ubera sicut duo hinnuli capreæ gemelli* sunt, quia ipsi eruditores minorum in Ecclesia pavi sunt in oculis suis, juxta doctrinam majorum agentes et docentes, et nihil de propria scientia præsumentes, sanctos patres vita, moribus, doctrina, veluti filii matres sequendo ad superna tendentes, atque in his quotidie ingenio et intellectu proficientes, secumque eos quos docent ad altiora intelligenda et appetenda ducentes. Qui bene non absolute hinnulis, sed gemellis comparantur, propter easdem sibi inseparabiliter cohærentes geminas pietatis et scientiæ doctrinas, ut veluti uno momento generatæ neutra parte sui priores existant. Nam semper Ecclesia Christi, utriusque vitæ, hoc est activæ et contemplativæ alumnos habuit, semper et Dei et proximi dilectione viguit, semper utriusque Testamenti scientia claruit. Utrumque autem testamentum ita sibi inseparabiliter est conjunctum ut alterum alterius sit significativum sive expositivum, nam Vetus Novum significat, Novum Vetus exponit. Sic et dilectio Dei sine dilectione proximi, nec proximi sine dilectione Dei esse ullatenus potest, quia altera alterius est probativa. Nam qui proximum diligit, Deum diligere probatur quia ut proximum diligat, Dei amore invitatur. Neque contemplativæ vitæ amator esse potest qui activam vitam ignorat, neque activam tenet qui contemplativam non desiderat.

Duo ergo uno tempore unum idemque facientes, quia subsistendi consequentia convertuntur, consequitur enim, ut qui Vetus intelligit Testamentum, intelligat Novum, dum unum sunt, hoc in figura, illud in veritate, et qui diligit proximum, diligat Deum, et e converso quod semper simul esse oportet, contemplari autem Deum non potest qui bene agere nescit. Hæc ergo duo utrobique indiviso existentes modo quasi sub una generatione gemelli dicuntur, et in duobus uberibus Ecclesiæ septimo et ultimo pulchritudinis loco prædicantur.

Porro historica et allegorica expositio non ita semper inseparabiliter junguntur, quia plerumque sola pura historia est tenenda, nonnunquam sola allegoria quando pleraque juxta litteram stare possunt, **148** quæ juxta spiritum minime possunt, et juxta spiritum quædam intelliguntur, quæ juxta litteram nullo modo accipiuntur.

Verum ubi simul congrue conveniunt, non inconvenienter prædicta gemellorum similitudo attenditur, ut in duobus uberibus Ecclesiæ, quasi duo hinnuli capreæ gemelli indivise prædicentur. Sed quia omne pietatis studium ad certum spectat finem, nihil enim boni, nisi pro æterna adipiscenda vita docetur, et discitur, subdit:

Qui pascuntur in liliis donec aspiret dies et inclinentur umbræ; omnium enim superius positarum specierum qualitates, quæ in pulchritudine uberum Ecclesiæ prædicatæ sunt in liliis pascuntur, hoc est in candore et odore virtutum nutriuntur, quia nemo activæ et contemplativæ vitæ honestate, sive Dei et proximi dilectione, sine utriusque testamenti pagina proficit nisi per munditiam mentis, et exercitium bonæ actionis.

Et quandiu? *donec aspiret dies et inclinentur umbræ*, hoc est donec dies æternæ felicitatis illucescat, et nox hujus mortalitatis deficiat, tumque videatur perfecte in veritate, quod hic videbatur per speculum in ænigmate, et quod hic tenebatur in spe ibi teneatur in re. Ibi duo ubera illa quæ supra quadrifariam distinximus, in illo die æternali videbuntur, non in labore, sed in præmio, quod significant diei aspiratio, et umbræ inclinatio, umbra enim laborem, dies præmium significat.

Dictio vero ista *donec*, non pro determinatione, sed pro sempiterno ponitur, ut intelligamus tamdiu in hac vita laborandum bene operando donec æternam comprehendamus vitam feliciter quiescendo.

Vers. 6. — *Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.*

Postquam dilectus in corpore dilectæ, id est Ecclesiæ egregia varietate distinctus pulchritudinis enumeravit species, subdit generalem omnium membrorum decorem quem debent habere, qui ad ejus corpus volunt pertinere. Sed istum decorem duplici modo, hoc est carnis mortificatione et devoti spiritus postulatione: nam qui secundum carnem ambulat, et spiritu facta carnis non mortificat, non est de illo pulchro corpore Ecclesiæ, quæ non habet maculam neque rugam; *qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal* v); devoti quoque spiritus postulatio ex divini Spiritus nascitur afflatu clementissimo, quia *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* viii). Postulat quippe dictum est postulare facit, quia cujus mu-

Digitized by Google

tem replet, in compunctionis gratiam **149** movet, ut aut ex peccatorum suorum consideratione, aut profuturi regni dilatione gemat, gemens exoret, exorans quandoque accipiat, sive peccatorum veniam, sive desideratæ beatitudinis coronam.

Carnis ergo mortificatio per myrrham exprimitur, propter laboris et passionis amaritudinem; porro devoti spiritus postulatio per thus accipitur, propter quodammodo fumigantem exiguæ compunctionis vel pœnitentiæ mœrorem, vel charitatis ardorem, ex quo dirigitur ad Deum pura mentis supplicantis oratio. Sed cum utræque virtutes, videlicet carnem mortificare et frequenter orare, summæ honestatis et utilitatis sint in corpore sanctæ Ecclesiæ, ea tamen excellentior comprobatur, quæ majori labore animi et corporis acquiritur.

Quocirca ut earum meritum distinguatur, myrrha montis, thus collis nomine prædicatur: dicit ergo, *vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris*, ac si aliis verbis apertius dicat, ad eorum mentes, qui ea intentione laborant, ut se vitiis et peccatis mortificent, et hoc assiduis orationibus obtinere student, vadam per cooperatricem et collatricem gratiam, ut probem eas mea inhabitatione dignas, quas harum pulchritudo virtutum delectat, dum sum paratus et subvenire laborantibus, et annuere supplicantibus.

Vers. 7. — *Tota pulchra es amica, et macula non est in te.*

Cum, inquit, te superius septennis pulchritudinum extulerim præconiis, ac deinde montem myrrhæ collemque thuris in te dignanter attenderim, magna quippe eminentia mentis est mortificatæ carnis subjectio, unde nascitur liberi spiritus contemplatoria ad Deum interpellatio, sed mortificatione carnis ita sopiuntur vitia et peccata, ut nihil sit quod spiritui repugnet, sed tanta et animi puritas et æqualitas ut nullas in tuo corpore sordes possis admittere, quæ decoris tui gratiam valeant obliterare.

Tota ergo pulchra es amica mea, et macula non est in te; macula, inquam, non est in te, hoc est nullam habet essentiam, quia etsi aliqua parumper et humana fragilitate accesserit, cito cordis compunctione et humili confessione atque quotidiana oratione repellitur.

Vers. 8. — *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum?*

Quapropter *veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano*, hoc est quia devicta jam et mortificata omnis carnis concupiscentia, cordis et corporis munditia candida es effecta; *veni de Libano*, hoc est de hac candidatione tua, Libanus enim *candidatio* interpretatur, veni autem non semel, sed iterum, quia non **150** tantum debes placere cogitatione, sed et opere, veni, inquam, de hac candidatione tua; venire quippe non potes, nisi sis candida, et veluti mea Sponsa, quæ jam per hanc candidationem meis amplexibus es digna, in regni quoque mei transi consortium, ut immutabilem deinceps teneas candidatæ animæ statum et habitum. Veni et tertio quia non prodest tantum placere cogitatione et opere, nisi et placeas ipsius boni operis perseverantia, quæ est futuræ felicitatis certitudo representativa.

Sive ut fidem sanctæ Trinitatis denunties, veni prædicando Patrem, veni prædicando Filium, veni prædicando Spiritum sanctum et unum Deum in his tribus distinguendo personis, sancta religionis constitue sacramenta, totumque orbem hujus fidei immutabili veritate confirma.

Sive veni fide, veni spe, veni charitate, hoc est omnem boni operis perfectionem, fide assume, spe repone, charitate amplectere. Sive corporis et sanguinis mei sacramentum et rem sacramenti, veni fideliter credendo, veni reverenter tractando, veni salubriter sumendo, ut per hoc meum animæ remedium mihi incorporata, vere mea dicaris sponsa et amica.

Sed ad hujusmodi incorporationem venire non potes, nisi de Libano, hoc est vel candida baptismate; vel si ob culpam tui de meo fueris præcisa corpore pristinum recipiens candorem fonte pœnitentiæ.

Hæc autem omnia veritatis et fidei documenta, per totius mundi sparge climata, ut laus mea annuntietur per te usque in fines terræ; quærentes mea sacramenta quærant, agnoscant et suscipiant, earumque conversio tua fiat remuneratio. Hoc est enim quod sequitur, *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

Per hæc tria nomina montium designantur tres species altitudinum mundanarum, quarum destructione sancta Ecclesia perfectam consecuta est pacem, humiliatione perpetuam meruit coronam.

Prima altitudo fuit in cultoribus idolorum, qui cum bonum insitæ sibi rationis et visibilium rerum pulchritudinem ipsarum omnium Creatorem cognovissent, *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et servierunt creaturæ magis quam Creatori* (*Rom.* 1): hocque modo Deum contemnere, quædam fuit altitudo superbiæ.

Altera altitudo fuit reproborum persecutio, qui Deo perversis moribus contradicentes, veritatis et justitiæ præcones magnis persequebantur injuriis, multis affligentes pœnis et ad mortem usque compellentes, sicque ipsi Deo in electis ejus repugnare, fuit etiam quædam altitudo superbiæ.

151 Porro tertia altitudo fuit hæreticorum per-

Digitized by Google

versa locutio sive conscriptio, qua fidem veram A destruere conabantur per humanam rationem, et simplicitatem sacræ Scripturæ quodam fastu dialectici sermonis corrumpere laborabant; qui dum sapientes videri appeterent, stulti facti sunt, quadam mentis superbia scientiam tantum suam ostentare cupientes.

Amana autem interpretatur *nocturna avis*, Sanir *dens vigiliarum*, Hermon *anathema*: quæ significationes nominum primo quidem ipsi capiti omnium iniquorum, de quo scriptum est: *Ipse enim est rex super omnes filios superbiæ* (*Job* XLI), aptari possunt ut dicatur nocturna avis, et dens vigiliarum et anathema. *Nocturna* quippe *avis*, quæ alio nomine noctua vel lucifuga dicitur, diabolus recte nuncupatur, qui odit lucem, id est opera bona, et diligit B peccata, quæ sunt opera tenebrarum, et sicut scriptum est: *Dormit in umbra, in secreto thalami* (*Job* XL), quia mentes quas tentando circumvolat, dum per consensum subjugat, quasi in umbra peccati sibi requiem parat. Ipse et *dens vigiliarum* dicitur, quia de eo scriptum est quod *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (*1 Petr.* V), cujus vigilare est nunquam a mala voluntate quiescere. *Anathema* quoque non incongrue dicitur, quia sequestratus et quasi excommunicatus a consortio bonorum spirituum; alios quoque secum in interitum trahere festinat, ut sicut ipse, ita illi quoque a Deo fiant anathema.

Quæ ergo capiti conveniunt, non inconvenienter et membris convenire possunt: diximus autem paulo C superius, tribus his nominibus *montium* significari posse tres species altitudinum mundanarum, quas constituimus in tribus qualitatibus hominum perversorum, videlicet in idolorum cultoribus, et sanctorum persecutoribus et hæreticis.

Sed videndum quomodo istorum nominum interpretationes talibus conveniant: cultores nempe idolorum non absurde *nocturna avis* dici possunt, propter mentis cæcitatem et levitatem: cæcitatem quidem, quod sicut hæc avis diem fugit, et nocte magis vagatur, ita ipsi lumen veritatis et fidei recipere nolentes, tenebras infidelitatis magis amplectebantur, quandiu gratia Dei ab hac infidelitate non liberabantur. Porro propter levitatem avi comparantur, quia tanta erroris incertitudine vagabantur, ut nihil veri, nihil stabilis in suo cultu comprehendere possent. Persecutores vero sanctorum *dens vigiliarum* dici possunt propter feritatem et immanitatem persecutionum, ut dens **152** ipsa sit feritas, vigiliæ vero persecutiones quietem non habentes: nam et in Jeremia scriptum est, quia cum dixisset Dominus: *Quid tu vides, Jeremia?* respondit: *Virgam vigilantem ego video; et Dominus: Bene*, inquit, *dixisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud* (*Jer.* I). Quo modo ergo hoc loco virga vigilans accipitur correptio, propter peccata populi non quiescens donec compleatur, sic potest dici *dens vigiliarum* feritas persecutionum vigilans in pœna et nece sanctorum.

At vero hæretici *anathema* dicuntur, id est separati a Deo, quia dum ab Ecclesiæ communione propter fidei perversitatem ferro abscisionis, hoc est excommunicationis, separantur, profecto a capite, hoc est Christo, separantur. Apostolus autem dicit: *Si quis vobis aliud prædicaverit quam quod a nobis accepistis, anathema sit* (*Gal.* I); sed hæretici aliud prædicaverunt, quam quod ab apostolis prædicatum fuerat: ergo anathema fuerunt, ideoque anathematizati et excommunicati ab Ecclesia profecti sunt.

Igitur sponsus sponsæ ter *Veni* inclamitat, ut ex istorum capite vel vertice ter coronandam ostendat; *coronaberis*, inquit, *de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon*. Quomodo autem coronaberis? primo *de capite Amana*, hoc est de cultoribus idolorum, qui ad prædicationem tuam conversi, fide et actione velut bonæ arbores procreverunt, quorum conversio et profectus tui profecto fuit capitis ornatus. Deinde etiam *coronaberis de vertice Sanir*, hoc est de persecutoribus sanctorum qui tuis exhortationibus et miraculorum terroribus, deposita feritate, Christi se jugo submiserunt, quorum etiam conversio et humiliatio coronæ tuæ pro labore est amplificatio.

Tertio *coronaberis de vertice Hermon*, hoc est superba eloquentia hæreticorum, qui postquam tua rationabili et cum sapientia sanæ doctrinæ eloquentia, a suæ falsæ scientiæ pravitate demutati sunt, fidem quam prius impugnabant, fortissima veritatis assertione defendebant, quorum ad rectam fidem reformatio tua est corona et laboris remuneratio.

Et quoniam e contrario, sicut *anima justi sedes est Dei* (*Sap.* VII), ita anima perversi habitatio est Spiritus immundi, sequitur: *A cubilibus leonum, a montibus pardorum*: quos sub trium montium vocabulis distinximus, recte dici potuerunt cubilia leonum, quia dum ea sibi maligni spiritus per malitiam subdiderunt, ipsam in eis malitiam per suggestionem suam et consensum illorum nutriendo quasi in quibusdam cubilibus quieverunt. Leones namque maligni spiritus sunt, qui ad decipiendum **153** humanum genus circumquaque rugiunt, sanguinem animæ sitientes, hoc est, virtutum nu- D trimenta auferre ab anima cupientes. Sicut enim in sanguine hominis vita ipsius est, ita in nutrimentis virtutum vita animæ est.

Montes vero pardorum super superbiam eadem sunt corda reproborum, pardi autem idem sunt spiritus maligni propter ferocitatem et multiplices species quasi varios colores fraudium millenarum. *A cubilibus* ergo *leonum et montibus pardorum* Ecclesia coronatur, quia dum illorum mentes, qui terrenis et perversis actibus incubantes cubilia dæmonum fuerant, prædicatione sua divinæ gratiæ efficit sedes; illorum etiam corda qui superbam quasi singularem vitam vel scientiam prætendentes varios sectarum et hæresium colores protulerunt, divina inhabitatione in spiritu humilitatis digna efficit; ex

Digitized by Google

illorum nimirum conversione et profectu majore pii laboris cumulatur fructu.

VERS. 9. — *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum et in uno crine colli tui.*

Adhuc amplius sponsus sponsæ, id est Christus Ecclesiæ, sive cujusque fidelis animæ studium et profectum, et ipsius profectus decorem et meritum approbat et miratur, ut cum superius septem pulchritudinis ejus partes, quasi in exteriori ejus habitu primo enumeraverit, deinde duplicem interioris habitus qualitatem exposuerit, tertio triplicem et aliorum profectibus coronam obtulerit, in quibus omnibus magnum suæ dignationis beneplacitum ostenderit; nunc inferat eminentiorem, et quasi præ cæteris maximam pulchritudinis partem bipartitam, in qua soror et sponsa præ ipsius dignitatis magnitudine cor sponsi in eodem suo beneplacito non tantum permoverit, sed etiam vulneraverit, soror per fidem, sponsa per sanctum et verum amorem. Sed quæ est pars ista bipartita: *Unum oculorum et unum crinis colli?* Si in cujusque sensu geminos tanquam in uno corpore oculos attendimus, unum in dextera, alterum in sinistra parte ponemus. Sed sinistræ partis oculus est omnium rerum visibilium mirabiliter et ordinabiliter dispositarum demiratio; ex quarum consideratione, aliquam licet per speculum et in ænigmate Creatoris colligat magnitudinem, pulchritudinem atque potentiam, et in administratione earum atque gubernatione sapientiam ejus atque bonitatem. Porro dextræ partis oculus extra hæc visibilia supra seducitur quando omni mundanæ hujus cupiditatis contagio absolvitur, et in ipsam Creatoris faciem contemplatoriæ charitatis intuitu defigitur. Hoc ergo uno oculorum sponsæ **154** sponsi cor vulneratur, quia dum sancta mens tantum sibi per vim divinæ charitatis supernam gratiam copulat, ut Seraphim, id est ardentis, nomen accipiat, ex ipso suo ardore unitæ sibi divinitati quasi quoddam amoris vulnus importat.

In uno vero *crine colli* subtilitatem prædicationis intelligimus: sed cum plures sint subtilitates prædicationis, quæ est tamen una et singularis ejus subtilitas quasi unus crinis colli? Secundum partes fidei et in Trinitatis deitate, et in Christi incarnatione. Quis vero unus crinis in Trinitatis deitate? unus Deus in tribus personis cujus incomprehensibilem Divinitatis rationem credere jubemur, discutere non permittimur; quis autem unus crinis colli in Christi incarnatione? *Deus homo factus.* Quis enim ullatenus investigare potest quomodo corporatur verbum, quomodo summus et vivificator Spiritus intra uterum matris animatur, quomodo is qui initium non habet existit et concipitur?

Sed in hoc uno utrobique crine colli cor dilecti vulneratur, quia dum hoc quisque credit, quod humana ratione non colligitur, valde in omnipotentis Dei amore per fidei meritum colligatur, *fides autem non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Non enim fides contra rationem, sed supra rationem, et ideo qui nihil vult credere nisi quod ratione comprehendit, ut philosophi, non habet meritum fide sua, sed qui illud quod rationi non est contrarium, et tamen supra rationem est, credit: unde ait Apostolus: *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo, hoc est verbum fidei.* (*Rom.* x.) Christus quoque contra rationem non est, sed supra rationem; *in uno* ergo *oculorum* dilectio, *in uno crine colli* fides exprimitur. Sed quia fides per dilectionem operans fundamentum est omnium bonorum, sine dilectione autem in ipsa fide nulla virtus est, *dæmones enim credunt et contremiscunt* (*Jac.* II), atque ob hoc duo hæc distingui nequeant, ubi perfectæ virtutis mentem Deo conjungunt: uno ergo speculativæ dilectionis oculo, et uno crine, id est fidei subtilitate quæ duobus maxime constat, mysterio scilicet divinitatis et sacramento incarnationis cor dilecti vulneratur, quia mentis fide et dilectione abundantis vi quodammodo ad magis cognoscendum penetratur, unde non semel sed iterum repetendo dicit: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Valde enim commendabile est ante omnipotentis Dei oculos et fides per dilectionem operans, et dilectio per fidem proficiens: fides nempe totius boni fundamentum, dilectio superædificans ipsius fundamentum decus et ornamentum.

Alio quoque modo intelligi potest **155** unus oculorum et unus crinis colli, videlicet identitas et immutabilitas, quantum ad animi statum in proposito boni, ut in uno oculorum sit eadem semper et indeficiens spiritualium intentio actionum; in uno vero crine colli idem semper et perseverans habitus humilitatis et dejectio mentis; unde scriptum est: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, stultus autem ut luna mutatur* (*Eccli.* XXVII), et de vaccis arcam Dei portantibus scriptum est, quia *ibant in directum et uno itinere gradiebantur, et non declinabant ad dexteram, neque ad sinistram.* (*I Reg.* VI.) Quid enim est arca Dei, nisi mens sancti, in qua per diversarum dona gratiarum divinitas continetur; sed qui hanc portat, necesse est ut a via justitiæ non declinet, ne perverso itinere gradiens, recedente gratia divina a mente, jam Dei arcam minime dicatur ferre. Unum ergo oculorum una est via coram se recte gradientium, sicut de sanctis animalibus scribitur, quia *unumquodque ante faciem suam gradiebatur:* unus oculorum idem est animi vultus semper *ea quæ retro sunt obliviscens, et ad ea quæ sunt ante se extendens* (*Philip.* III). Unus crinis colli eadem semper humilitatis parvitas et tenuitas tanta, ut cum magni sit apud Deum meriti vir sanctus tantum se apud homines despiciat, ut quid sit vix in se videri permittat, sicut crinis unus cum aliquid sit, vix tamen videtur et tenetur. Unus crinis colli est identitas mentis Dei se per obedientiam humiliantis in cujus propositi statu ita perseverat, ut neque elevetur prosperis, neque deficiatur adversis e contra de re-

Digitized by Google

proba mente dicitur, quia *ambulabat extenso collo et erecta cervice* (*Isa.* III); et de Judæis Deo se per obedientiam non humiliantibus, *dura cervice et indomabili corde.* (*Act.* VII) *In uno* ergo *oculorum et in uno crine colli* dilectus vulneratur, quia valde ei placet una eademque perseverans spiritualium intentio et discretio actionum, una quoque et stabilis semper humilitas inclinatæ Deo per obedientiam mentis.

VERS. 10. — *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

Considerandum diligenter quænam sit ista prædicabilis pulchritudo mammarum, sive uberum sponsæ, id est Ecclesiæ sive sanctæ cujuslibet animæ; nam sicut in mammis sive uberibus nutrimenta sunt parvorum, et noviter procreatorum corporum, ita possunt esse quædam spiritualia nutrimenta, quibus teneræ et infirmæ adhuc animæ incrementa aliqua sanctitatis accipiant, vel ipsæ a se ipsis, vel aliæ ab ipsis; ipsæ a se ipsis **156** per exercitationem, aliæ ab ipsis per eruditionem.

Primo autem videndum quæ sint istæ mammæ, sive ista ubera, deinde quæ sit earum pulchritudo sic a sponso laudata : non puto rationi contrarium, si has mammas sive hæc ubera dicamus cognitionem veritatis et amorem virtutum. Sed cum duæ sint creaturæ, una spiritualis, et altera corporalis, non abs re esse credimus, si utrique duas incrementorum qualitates quasi duas mammas, sive duo ubera constituamus. Sicut enim duæ sunt creaturæ, sicut jam diximus, una spiritualis et altera corporalis, ita duplex quoque bonum creaturæ, aliud spiritualis, aliud corporalis; bonum enim spiritualis creaturæ maxime consistit in duobus quæ supra posuimus, in significatione mammarum sive uberum, hoc est in cognitione veritatis et amore virtutis. Bonum vero corporeæ creaturæ, vel in ipsa, vel extra ipsam : bonum in ipsa integritas est sensuum et affectionum secundum quinque sensus; bonum extra ipsam ordinata distributio in creaturis : quidquid enim corrumpitur vel emendatur pro homine est, et quidquid est bonum vel malum, homini bonum est vel malum. Cumque omnia bona, sive interiora sive exteriora, Dei omnipotentis sint dona, utrorumque privatio Dei est ira, et hominis pœna, sicut e contrario, illorum collatio Dei est gratia et hominis salus : cognitio autem veritatis et amor virtutis particulariter sunt considerandæ; in unaquaque anima semper accipiunt incrementa, quasi ex quibusdam exercitationum mammis et uberibus, quia ipsæ exercitationes quidem magis et minus suscipiunt, magis si permanent, minus si desinunt, videlicet ut magis vel minus cognoscant veritatem et ament virtutem. Hæc enim duo sunt sibi invicem ita colligata, quasi in uno corpore naturaliter duo ubera, quia non potest amare virtutem nisi qui veritatem cognoverit, et qui veritatem cognoscit, non potest nisi amare virtutem

Si vero universaliter totum corpus Ecclesiæ inspiciamus, quantum ad se, in cognoscenda veritate vel amanda virtute non suscipit magis et minus, quæ imperfectam cognitionem veritatis et amorem virtutis habet. Quantum vero ad alios quos credit in Christo incrementa illi quotidie sanctitatis ex cognitione veritatis et amore virtutis accrescunt.

Utrobique autem sunt primo mammæ, deinde ubera; quia sicut mammæ sunt puellarum quæ nondum possunt nutrimenta lactis habere, spem tamen habendi tenent; ubera vero feminarum, quæ hujusmodi nutrimenti copiam habent, ita Ecclesia in his quas nutrit, vel unaquæque anima in seipsa, primo quidem habet quamdam spem per **157** habilitatem animi ad bona se applicantis et ad meliora semper proficiendi, deinde jam fide et dilectione quasi adulta tam plenam incipit habere cognitionem veritatis et amorem virtutis, ut omnes sensus suos et interiores et exteriores enutrire et ad perfectionem possit per Dei gratiam deducere : exteriores autem sensus dicimus hic enutriendos, non ut corporaliter melius possint, sed spiritualiter, ne male custoditi fiant instrumenta peccati sicut propheta de his peccatores arguit dicens : *Intravit mors per fenestras vestras* (*Jer.* IX).

Tripliciter autem Ecclesia istorum uberum suorum nutrimenta porrigit, videlicet rebus, factis et dictis : rebus, ut in sacramentis sine quibus nulla potest animæ provenire salus; factis, ut in sanctorum gestis, quorum provocatur et invitatur exemplis; dictis, ut in sacræ Scripturæ præceptis et monitis, quibus quotidie ad vitam nutritur æternam

Diximus quidem quid sunt mammæ, sive ubera sponsæ; nunc dicendum quæ sit earum pulchritudo sic a sponso laudata : pulchritudo ista non est accidentalis quæ adesse et abesse possit præter subjecti corruptionem, sed essentialis quæ in suæ naturæ proprietate consistit : nam cognitionem veritatis et amorem virtutis pulchras esse, quid est aliud quam earum esse? Pulchrum est enim veritatem cognoscere et amare virtutem, sicut pulchrum est castum esse, vel justum, sive humilem, sive patientem, sive obedientem, et est quædam pulchritudo castitas et justitia, humilitas, patientia et obedientia, et hæc, ut diximus, non accidentaliter quidem pulchræ sunt in subjectis quæ eis participant, per se autem essentialiter; nam si sunt, pulchræ sunt; si pulchræ non sunt, neque sunt, quia dum corrumpantur, nec pulchræ sunt; quia desinunt esse quod fuerunt. Castitas enim vel alia quælibet virtus dum corrumpitur, quomodo pulchra est quia jam non est cujus corruptio malum est?

Cum ergo in duobus præcipue bonum animæ consistat, quibus quasi ab uberibus ad vitam nutritur æternam, quæ sunt cognitio veritatis et amor virtutis, cognitionis corruptio ignorantia dici potest, de qua dicit Apostolus : *Qui ignorat, ignorabitur* (*I Cor.* XIV), amoris corruptio *cupiditas, quæ est radix omnium malorum* (*I Tim.* VI). Et quanto ma-

Digitized by Google

gis crescit hæc ignorantia et cupiditas, tanto magis bonum animæ corrumpitur : anima enim cum sit incorporea substantia, secundum substantiam suam corrumpi non potest, sed secundum bonum quod participat, quod tanto amplius **158** in ea deteriitur et minoratur, quanto amplius ipsa peccatis deformatur.

Pulchræ sunt ergo mammæ sive ubera sanctæ Ecclesiæ generaliter, sive sanctæ cujusque animæ specialiter, quia et hæc filiis suis, et illa in se ipsa, tam copiosa bonorum sensuum ubertate refulgent in cognitione veritatis et amore virtutis, ut ex eis omnium spiritualium bonorum nutrimenta profluant, naturalia etiam bona, ut sunt ratio, ingenium, memoria, magis vigeant, atque ita integra animæ pulchritudo horum participatione informetur.

Sed quid est, quod hæc *ubera vino* dicuntur *pulchriora*, cum in vino sit luxuria (*Ephes.* v), in his autem uberibus sancta et sobria animæ delectatio, atque ob hoc nulla prorsus istorum recta possit esse comparatio? Sane per figuram tapinosin, quæ est magnæ rei humiliatio, dicuntur hæc vino pulchriora, non quod in vino aliqua sit prædicabilis pulchritudo, sed quod prædicta, scilicet cognitio veritatis et amor virtutis, meliora et pulchriora propter utilitatem et suavitatem sui sint omnia animæ rationali, quam omnia mundi oblectamenta quæ vino significantur, cum hæc corrumpunt animam sui participatione, illa reficiant. Eo denique modo quod sequitur : *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, si odorem unguentorum accipimus bonam famam virtutum, quæ comparatio spiritualium et corruptibilium rerum? Si quidem potest esse et corruptio boni quæ sit in spirituali creatura ; et corruptio boni quæ sit in corporali creatura, quia cum sint duæ creaturæ, spiritualis et corporalis sicut quoque supra jam diximus, duo quoque bona sunt, unum in spirituali, alterum in corporali creatura. Bonum spiritualis creaturæ virtus est, bonum corporalis creaturæ ordinata distributio in creaturis : corruptio ergo boni quod fit in spirituali creatura, sicut in anima peccatum est et culpa, sed vel pœna, vel ad pœnam. Si ergo incorruptione spiritualis boni uniunt Deo, incorruptione vero corporalis boni, non tantum non uniunt Deo, sed plerumque separantur, quando ipsa ejus delectatione plerumque nostri obliviscimur, et a bono propositi abducimur, corruptione vero illius dum affligimur nonnunquam ad bona reducimur, quæ comparatio potest esse in tanta dissimilitudine.

Sed in hac comparatione argumentum est a minori ad majus, hoc modo : Si corporalia bona, hoc est odor aromatum, tantæ sunt suavitatis, quanto magis bona spiritualia, id est odor virtutum : incomparabile, incorruptibile bonum corruptibili, sicut anima quæ est incorruptibilis corruptibili corpori.

159 Incorruptibilem autem dico animam secundum substantiam sui quæ simplex et incorporea est, sicut incorruptibile bonum quod in anima consistit, dicitur secundum substantiam, non secundum adjectionem. Duobus enim modis dici potest bonum, substantive et adjective : per se enim bonum non corrumpitur, sed privatione boni dicitur corrumpi, quando recedit ab anima et in malum permutatur, sicut et ipsa anima per se non corrumpitur, sed privatione boni dicitur corrumpi, quia privatio boni malum est.

Dicitur ergo : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, ac si dicatur : Fama et opinio tuarum virtutum, melior et utilior tibi est quam omnia hujus mundi delecta, quia hæc occidunt, illa vivificant.

At si alio modo utramque partem, scilicet *odorem unguentorum* et *omnia aromata* ad spiritualem intellectum referre voluerimus, videndum quis sit odor iste specialis unguentorum dilectæ, et quæ sint omnia aromata quibus ille odor tantopere præfertur. Si enim *omnia aromata* omnes virtutes accipimus, quæ erunt illæ singulares virtutes quæ universitati virtutum præferantur? Videtur nobis non absurdum esse, si has virtutes dicamus fidem, spem, charitatem ; nempe absque istis virtutibus cæteræ omnes virtutes quasi otiosæ sunt; scriptum est enim quia *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* xi). Quod si nemo sine fide Deo placere potest, constat nulla bona opera sine fide salutem posse conferre ; qui autem credens bene operatur, profecto id facit spe futurorum bonorum ; sed ea quisque diligit quæ se sperat adepturum, et quidquid boni operatur, per dilectionem operatur; quia nisi diligeret, pro his consequendis non laboraret.

Cum ergo omnia bona opera sine istis, hoc est fide, spe, charitate, esse non possint, merito hæc cunctis virtutibus præferuntur; atque ita dicitur: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, ac si dicatur : Super omnes virtutes in te redolent fides, spes, charitas, quæ te perfecte in sponsam et dilectam efficiunt.

Sed quare hæc dicuntur unguenta? quia sicut multæ species herbarum cum in unum collectæ fuerint, ut quamdam compositionem unguenti efficiant, inde nomen ipsius unguenti sumunt, unde majorem virtutem habent, ita principaliter dicuntur unguenta Ecclesiæ, sive cujusque sanctæ animæ, quæcunque bona opera fidei, spei et charitatis condimento fuerint composita, quia non aliter efficacia, nisi fuerint horum adjectione denominata, ut dicatur : Hoc unguentum est fidei, spei, et charitatis compositivum ; verbi gratia, aliquis habet humilitatem, castitatem, patientiam, obedientiam, aliasque virtutes aliquas, quarum compositio quoddam spirituale **160** dici potest unguentum. Sed omnino erit inefficax, nisi ibi fuerint fides, spes et charitas. Est iterum aliquis, qui prædictas virtutes non habet omnes, habet autem alias ; sed nec iste de his probatum poterit habere unguentum absque

Digitized by Google

adjectione harum trium virtutum. Qualescunque ergo vel quantascunque virtutes quilibet habuerit, oportet ut his tribus nunquam careat; si salutis suæ sufficientiam habere desiderat. Cum itaque sint in Ecclesia alii istis, alii illis, aliqui pluribus, aliqui pancioribus præditi virtutibus, semper tamen illis fide, spe et charitate cohærentibus, recte potest dici, non singulari numero odor unguenti, sed plurali numero *odor unguentorum tuorum;* sed iste *odor super omnia aromata*, quia istis intermistæ virtutes redolent, et valent; carentes et si redoleant, inefficaces manent. Sequitur: *Favus distillans labia tua.*

Vers. 11.—*Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

Quid labia sponsæ, nisi prædicationem utriusque Testamenti debemus accipere? Sicut enim in corpore labia ita sunt constituta, ut unum superius, alterum inferius: ita Vetus Testamentum prius, Novum est posterius; et quia per labia sermo exprimitur, prædicatio horum duorum Testamentorum per labia non inconvenienter accipitur. Sed quid est quod hæc labia dicuntur *favus distillans?* favus namque mel in cera est. Quid autem est mel in cera, nisi Divinitas in humanitate? Prædicatio vero utriusque Testamenti quid aliud sonat quam Deum hominem factum pro humani generis redemptione, una per figuram significans, altera significatum in veritate repræsentans? Quidquid autem Ecclesia de Christo prædicat, et de divinitate, et de humanitate ipsius est. Quis vero nesciat quod mel dulce, cera mellis est? Christus autem per miracula et prædicationem suam ex divinitate dulcis fuit, per corporis passionem ex humilitate mollis atque tractabilis: unde et comprehendi et occidi potuit, quia Deus immensus, incomprehensibilis et invisibilis, per humilitatem se **161** visibilem et humilem et quasi ceram mollem atque flexibilem exhibuit: quasi enim mel in cera fuit, quia dulcedinem misericordiæ et compassionis suæ, de cœlo se ad terras inclinando et veritatis suæ lucem administrando, per totum distillavit mundum. *Favus* ergo *distillans* sanctæ Ecclesiæ *labia* dicuntur, quia omnis divinæ dispensationis, quæ circa genus humanum acta est, et nunc quotidie in sacramentis et rebus sacramentorum agitur dulcedo et gratia ipsius prædicatione cognoscitur. De qua adhuc subditur, *mel et lac sub lingua tua*, hoc est et in voce et in corde, quia videlicet mel fortium cibus est, lac infantium, et hæc in prædicatione sive Ecclesia pronuntiat loquendo vel scribendo, quibus et fortes roborentur et infirmi nutriantur, et quia prædicationem suam bonis operibus confirmat, verbo et exemplo filios suos instruendo, subditur:

Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris; quod vestimenta bona opera intelligi debeant, sacræ Scripturæ auctoritas docet; scriptum est enim: *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus* (*Apoc.* xvi). Et in proverbiis Salomonis. *Omni tempore vestimenta tua sint candida* (*Eccle.* ix); custodire enim vestimenta est bona opera habere, ne turpem in judicio patiatur repulsam si nudus virtutum tegmine appareat, quo peccatorum suorum deformitatem tegat. Candida vero vestimenta habere est opera sua vitiorum sordibus non inquinare, quia ante Dei oculos virtutum opera sordent, quæ vitiorum commistione fœdantur.

Quid autem est odor vestimentorum, nisi fama et opinio bonarum actionum? Sed iste *odor vestimentorum* est *sicut odor thuris*, quia nullius efficaciæ est aliquod opus bonum nisi redoleat ex igne charitatis. Sicut enim thus incensum fumat et redolet, sic mens alicujus sancti Spiritus igne accensa fumat ex compunctionis gratia, sive peccata sua deflendo, sive ad supernam patriam suspirando. Cumque per compunctionis gratiam præteritam recognoverit culpam, sive spe futurorum bonorum hujus vitæ brevem optaverit moram, ardentius exsequitur lucra pietatis quandò et interius magis ardet per charitatem et exterius redolet per bonam opinionem. Dum enim proximi ejus proficiunt exemplo, illorum lucra facit etiam sua, quia in ejus actionibus discunt unde sibi bonorum operum merita acquirant.

Dicit ergo sponsus sponsæ, hoc est Ecclesiæ sive fideli animæ, **162** *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*, ac si dicat: Ideo mihi bonus odor virtutum placet, quia ex igne charitatis meæ incensus redolet, et ita ad me ille odor quasi quædam oratio dirigitur, quemadmodum thus mihi soli pro devotione precum incenditur et offertur.

Vers. 12. — *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

Per figuram metaphoram quæ quatuor modis fit, id est ab animato ad animatum, ab inanimato ad inanimatum, prosequitur sponsus prædicare pulchritudinem sponsæ, duobus modis supradictæ locutionis intermistis, id est ab animato ad animatum, et ab inanimato ad inanimatum: nam cum superius *oculo et crine*, *mammis sive uberibus et labiis*, quæ sunt partes animati corporis, *odore* quoque *vestimentorum* quæ est pars inanimati corporis, variam sponsæ pulchritudinem enuntiasset, nunc per eum solum modum, qui est ab inanimato ad animatum, alia quoque pulchritudinis suæ dignitatis ipsius prædicamenta enumerat per similitudines *horti et fontis et emissiones ipsius horti*, quæ per septem species describuntur; videlicet *cypri*, *nardi et croci*, *fistulæ et cynammomi*, *myrrhæ et aloe*, de quibus singulis dicendum est.

Cur autem Ecclesia dicitur *hortus?* nimirum propter pullulantia in ea assidue virtutum germina, quæ sicut ideo dicitur hortus, eo quod ibi semper aliquid oriatur, ita dicitur Ecclesia hortus, quia semper in ea oriuntur virtutum opera, per profectum filiorum ejus, quos quotidie in baptismo acquirit, et in fide nutrit, et operibus fidei prove-

Digitized by Google

hit. Sed quare *hortus iste conclusus?* Vel propter sacramentorum invisibilem virtutem et singularem dignitatem, sive propter sanctorum Scripturarum mirabilem profunditatem, seu propter inexpugnabilem divinæ defensionis firmitatem. Nam cum ex sacramentorum invisibili virtute quotidie salus credentium pullulet, non tamen omnibus patet quomodo unoquoque sacramento virtutem et rem sacramenti interius operetur Spiritus sanctus? quare ipsa sacramenta instituta sint? quomodo et a quibus eadem sacramenta danda et accipienda sint? quæ fides, quod fidei meritum, quis ordo, quæ ordinis causa, quæ postremo ipsorum sacramentorum reverentia, quæ et quanta irreverentiæ culpa, quæ omnia, quia ita sunt occulta et clausa, ut nemini pateant, nisi his qui possunt dicere cum Apostolo: *Nobis autem* **163** *ea revelavit Deus per Spiritum suum* (*I Cor.* II), recte Ecclesia in qua hæc sacramenta continentur, *hortus conclusus* dicitur, unde et ipsorum sacramentorum officiales non admittuntur in hortum hujusmodi nisi per illum introeant, qui dicit: *Per me si quis introierit salvabitur* (*Joan.* X).

Sed quia plures illorum sacramentorum officia per dignitates ecclesiasticas pretiis consequuntur, quamvis ante humanos oculos hunc hortum videantur ingredi, tamen ante divinos oculos omnino eis occluditur, et licet dicantur officiales Christi, tamen non sunt, quia non per ostium intraverunt, sed aliunde ascenderunt. Quid vero sunt, Salvator docet qui cum diceret se esse ostium, subjungit: *Qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro* (*ibid.*).

Ecce quantum *conclusus* est *hortus* iste, ut nemini ad eum concedatur accessus, nisi per *ostium*, hoc est scriptum; qui vero per eum non accesserit, ille fur et latro prædicetur. Unde Gregorius: *Cur non perpenditur quod benedictio illi in maledictionem convertitur qui ad hoc promovetur ut hæreticus fiat? sacerdotium illic subsistere non arbitror.* Ergo talibus *hortus* iste vere *conclusus* est. Qui quamvis sacramenta habeant, rem tamen sacramentorum non habent, quia hæc non ad salutem, sed ad damnationem sui habere probantur, atque ideo quod ante humanos oculos esse videntur, ante divinos oculos perdunt.

Porro propter sanctarum Scripturarum profunditatem Ecclesia Dei dicitur *hortus conclusus*, quia nemini in earum sensum plenus patet ingressus, nisi illo introducente, *qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (*Apoc.* III). Qui vero per Dei gratiam in hunc hortum meruerunt ingressum, quot, et quantas, et quam salubres putas inveniet in eo spiritualium herbarum species, quibus morbos animæ repellere et sanciam mentem valeat refovere? Iste *hortus* Judæis et hæreticis conclusus est, quia sacramenta in eo abscondita non intelligunt, sed solam litteram attendunt, quibus convenit illud Isaiæ: *Et dabitur liber scienti litteras et dicetur ei: Lege, et respondebit: Non possum, signatus est enim* (*Isa.* XXIX). Iste autem *liber*, id est tota series divinæ Scripturæ, in hoc horto concluso, id est Ecclesia, continetur, *scriptus intus et foris*, hoc est litterali et mystico sensu, *signatus sigillis septem* (*Apoc.* V), hoc est septem sacramentis, quæ fides Ecclesiæ continet, videlicet nativitate Domini, circumcisione, baptismo, passione, resurrectione, ascensione, judicio futuro.

Conclusus est ergo *hortus* iste, præ hujus libri signata profunditate **164** quem nemo aperire potest, *nisi Agnus qui occisus est, qui solus dignus inventus est solvere hunc librum, et aperire septem signacula ejus* (*Apoc.* V), quia ejus solius gratiæ est, mysteria divinæ Scripturæ, quæ illorum septem sacramentorum virtutem prædicant, humano sensu aperire.

Propter inexpugnabilem autem divinæ protectionis firmitatem Ecclesia *hortus conclusus* dici potest, quia quæ divino semper munitur præsidio, nequaquam malignorum spirituum, sive hominum poterit labefactari incursu; quamvis enim multos et frequentes in eam impetus faciant, minime tamen in eam aliqua malæ voluntatis suæ potentia intrant, quia ita divinæ protectionis concluditur septo, ut nullam penitus ad eam ex adverso intrandi facultatem inveniant. Unde magna securitate accepta fiducialiter in Psalmo proclamat dicens: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* (*Psal.* XXVI.) *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo; Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos* (*Psal.* CXVII).

Hortus ergo *conclusus* est Ecclesia sub protectione divina, quia tanto eam Deus sua confirmavit gratia, ut nec fidem ejus perversi corrumpere, nec sacramentorum institutiones auferre, neque ab intimæ pacis eam statu possint dejicere. Quibus si conceditur ad tempus eam exterius affligendo tentare, tentatio hæc non ad damnationem ei provenit, sed ad coronam.

Unde et *hortus conclusus* non semel, sed iterum dicitur, quia non tantum eam Deus exterius, sed et interius conclusit, dum eam ita sanctificat et custodit per omnia, ut integra corpore et anima usque in diem Domini nostri Jesu Christi conservetur (*I Thess.* V); hic quidem temporaliter, postmodum vero æternaliter.

Non solum autem *hortus conclusus* dicitur Ecclesia, sed etiam *fons signatus* et propter baptismi uniformitatem, et propter sanctæ prædicationis puritatem: sicut enim per fontem sordes corporis abluuntur, ita per baptismum sordes animæ, id est peccata, lavantur, et sicut fonte fessum corpus reficitur, ita prædicatione sancta deficiens a Deo anima relevatur. Dicitur autem *fons* iste *signatus*; sed videndum, unde, a quo, et quare signatus.

Unde ergo *signatus?* In baptismi quidem sacramenti forma, re, et intentione; in prædicatione

Digitized by Google

vero, veritate, suavitate et utilitate ; inde enim Ecclesia recte in his duobus, hoc est baptismo et prædicatione *fons signatus* dicitur, quia baptismus nihil adjuvat, nisi ibi adsint et forma sacramenti, hoc est invocatio sanctæ Trinitatis, et res sacramenti, hoc est virtus et efficacia sacramenti ; intentio quoque, hoc est voluntas catholice baptizandi. Porro prædicatio, **165** nihil confert, nisi sit vera ut fidem excitet, suavis ut attrahat, utilis ut informet. His enim partibus sacramenti quasi quibusdam signaculis fons iste recluditur, ut specialis ejus virtus et puritas atque salubritas insinuetur.

A quo autem *signatus?* nimirum a Spiritu sancto, qui eum sigillo septiformis gratiæ suæ consignavit, quia ex institutione et virtute sacramentorum, et utilitate sanctarum prædicationum profluunt in Ecclesia omnium spiritualium irrigua charismatum : ibi enim accipit mens sancta quid, et qualiter sapiat et intelligat, quo consilio, qua fortitudine roboretur, qua scientia et pietate ornetur, quove timore Domini repleatur. Nempe istis spiritualibus donis *fons* Ecclesiæ, ita est *signatus*, ut nullus ipsius fontis particeps esse possit, qui harum septem gratiarum nullam habuerit.

Quare vero *signatus?* quia nulli committenda sunt sacramenta Ecclesiæ, nisi fidem habeat et opera; fidem, ut ea quæ in sacramentis exterius visibiliter agi conspicit, interius invisibiliter salutem operari intelligat et credat; opera vero, ut in ipsis sacramentis participandis dignum se exhibeat. Nulli quoque prædicandi officium committitur, nisi ei qui hujus scientiæ gratiam habere probatur, sicut dicit Apostolus : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur* (*Rom.* x)? officii gratiam a Deo consequitur.

Vers. 13. — *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.*

Quid autem *hortus* iste *conclusus et fons signatus* tanta divinatione providentia custoditi emittunt? *Emissiones*, inquit, *tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus ;* mirabiles enim emissiones hujus horti necesse est, qui tam suaviter et salubriter fluentis, tamque caute signati fontis irrigatione redditur fecundus. Nam constituitur velut paradisus spiritualiter prodeuntibus diversarum virtutum, seu florum et herbarum gloriosis emissionibus, quæ cum per multimodas orationum species universitatem virtutum prætendentes infra enumerentur, in duas tamen finales causas dividuntur propter geminam temporis qualitatem, videlicet persecutionis et pacis. Omnis quippe consummatio sanctorum, aut in persecutione martyrio est celebrata, aut in pace confessione peracta.

Unde bene hujus horti, id est sanctæ Ecclesiæ, *emissiones, paradisus* dicuntur *malorum punicorum cum pomorum fructibus*, quia vel martyrii, vel confessionis gloria ubique vernant et redolent sancta ejus præconia. Quid enim per *mala punica* nisi gloriosa martyrum **166** purpura, quid per *fructus pomorum*, nisi bonis actibus candens vita confessorum? O quantæ deliciæ hujus paradisi, quantæ abundanter et feliciter profluentes virtutum emissiones, ubi et fortes nutriuntur, et infirmi reficiuntur! quia ibi qui imitari cupiunt, mirantur, prædicant, et venerantur constantiam martyrum ; ibi qui martyres esse non possunt, attendunt, approbant et æmulantur probabilem vitam in pace gloriose viventium sanctorum.

Vers. 14. — *Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis.*

Unde et sequitur hujus *horti conclusi*, sive *fontis signati* designata venustas, salubritas et utilitas, per septem species herbarum aromaticarum, non solum quia istas ejus sanctitatis emissiones septiformis Spiritus efficit gratia, verum etiam quia hoc septenario specierum numero virtutum universitas exprimitur. In toto quippe corpore Ecclesiæ nulla virtus potest deesse, quia cum caput Ecclesiæ sit Christus, corpus autem Christi Ecclesia, quidquid sanctitatis, honestatis, et utilitatis unquam esse potuit, vel potest, in universo Christo, hoc est capite et membris considerare licebit.

Inspiciamus ergo ipsas species, per quas universitas virtutum, ut diximus, denotatur, et quod in partibus intelligimus, in toto intelligendum sciamus. *Cypri*, inquit, *cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis.*

Cyprus est arbor aromatica, significans spiritualis gratiæ benedictionem, et interpretatur *mœror* vel *tristitia*. *Cyprus* ergo in Ecclesia est quævis sancta anima velut arbor aromatica, quæ habet ex Dei gratia, ut mundi hujus transitoria contemnet gaudia, habens eam tristitiam, *quæ est secundum Deum, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur* (*II Cor.* vii); memor illius Evangelii : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v); et illius apostolici : *Miseri estote et lugete, risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem* (*Jac.* iv).

Nardus frigus repellere dicitur, *crocus* autem ardentibus inferre refrigerium : quid autem per nardum nisi charitas, quid per crocum nisi castitas figuratur? Charitas namque tepidos in bono opere suscitat, et ardentes facit ; castitas vero mentem ab æstu malæ concupiscentiæ temperat et restringit.

Fistula est arbor aromatica brevis et modica, duri autem corticis, qui contritus bibitur et sanat viscera : porro cinnamomum cinereum habet colorem, et diu retinet vim suam. Per fistulam, autem quæ, ut diximus, brevis et modica, non incongrue humilitas accipitur, duro **167** vero ejus cortice contrito et potato viscera sanantur, quia dum humilitatis virtute duræ et superbæ carnis exsultantia frangitur, vulnus animæ contriti et humiliati cordis medicina sanatur. Per *cinnamomum* vero quæ cineris coloris est, et diu vim suam retinet, abjectus pœnitentium habitus designatur, qui possunt dicere

cum Propheta : *Cinerem tanquam panem manducabam* (*Psal.* CI), et cum beato Job : *Idcirco ipse me reprehendo et ago pœnitentiam in favilla et cinere* (*Job* XLII). Sed hæc abjectio vim suam diu retinet, quia vera est ea pœnitentia, quæ sic conversi cordis rectitudinem servat, ut ulterius pœnitenda non admittat.

Cum universis lignis Libani, hoc est cum omnibus vitæ baptismo candidatæ et recta fide solidatæ, bonisque operibus sublimatæ virtutibus. Nam cum præmitteret particulariter eas quas supra posuimus virtutes, per prænominatas arborum species, subdit universaliter per omnia ligna Libani omnes virtutes, ut intelligamus hortum Domini, hoc est Ecclesiam, omnem quidem ex se emittere virtutem, per variam sanctorum vitam, sed illas prænominatas capita esse omnium virtutum, ita ut cætera virtutum membra sine his jaceant infirma.

Myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis. Subdit adhuc duas septenarum virtutum species, videlicet carnis mortificationem et patientiam ; per myrrham autem qua corpora mortua a corruptione vermium et putredine servantur illæsa mortificatio carnis, qua putredo vitiorum et carnalium voluptatum restringitur, intelligi debet; per aloe qui quidem suavem habet odorem, sed gustum amarum, et purgat stomachum, patientiam accipere possumus, quæ quia propter futura perennis vitæ bona, mundi sustinet mala, bene quidem redolet ex causa propter quam patitur, amara autem ex causa qua patitur : si quis vero morbus peccati animam gravat, ipsius mali quod patitur amaritudo purgat.

Cum omnibus, inquit, *primis unguentis*, hoc est pretiosis et probatis spiritualium charismatum donis, quæ Apostolus enumerat dicens : *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (*I Cor.* XII). Ecce hæc dici possunt prima unguenta, quæ divina conficiuntur gratia, quibus non sine ratione præmittuntur duæ superius per myrrham et aloe præsignatæ virtutis species, videlicet mortificatio et patientia, ut intelligamus eos tantum his unguentis spiritualibus imbuendos, *qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* V), qui possunt dicere cum Apostolo : *Et gloriamur in tribulationibus* (*Rom.* V).

Libet ergo hic attendere et mirari **168** hortum Domini per has emissiones suas vere esse quasi pulcherrimum paradisum, hoc est hortum deliciarum, ubi æterna salus animæ, et omnis suavitas vigent, ubi omnis pulchritudo et spiritualis delectatio florent, ubi vita perennis et requies sempiterna manent, non quod hic in præsenti vita conferantur, sed quod per illas, quas supra diximus, virtutum et gratiarum emissiones ad ista perveniatur, et illarum temporalis exercitatio, istorum sit æternalis exhibitio. Unde rectissime *hortus* iste, vel paradisus, *conclusus* esse memoratur, quia nulla malignorum spirituum adversitate sancta Ecclesia superatur, quæ spiritualium hujus horti emissionum gratia confortatur.

Sed quoniam sicut generaliter Ecclesia hortus Domini dicitur, ita quoque specialiter sancta quæque anima, quæ virtutum germine et gratiarum multiplicium decore vernat, idem appellari potest, considerandum tamen cum Ecclesia totum quoddam sit, una vero anima pars totius sit, quantum differat pars a toto. Quod enim parti inest toti inesse necesse est, sed non convertitur, ut quod toti inest, parti quoque æqualiter inesse necesse sit. Ecclesia quippe universalis in suis partibus, hoc est in singularibus et individuis hominibus, quorum in unum collectione constituitur, totum quoddam est, quia dum multi diversis florent virtutibus, et in hac diversitate omnes virtutum continentur species, totum quidem omnes continet in partibus, pars autem non omnes, sed quosdam.

Differunt ergo in hoc totum et pars, quod totum longe continentius est quam pars, dum omnia simul confluunt in toto, in parte vero non omnia sed quædam. Dum ergo generaliter sancta universalis Ecclesia hortus Domini dicatur, eo quod infra eam omnium virtutum germina celebrentur; quævis quoque sancta anima quæ aliqua virtutum profert germina, hortus Domini dici potest, juxta aliquem suum modum quem ei divina contulit gratia.

VERS. 15. — *Fons hortorum; puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.*

Sed quia quicunque instruitur, aut verbo instruitur aut exemplo; pars autem id quod habet, de toto habet, verba vero et exempla universaliter in toto sunt, non absque ratione sequitur, ut ille principalis hortus Domini, hoc est universalis Ecclesia, *fons hortorum* particularium, hoc est singularum animarum dicatur. Unde enim est quod dicunt, quod agunt, quod docent, nisi ex sanctæ universalis Ecclesiæ doctrinis et institutis? Unde autem ipsæ doctrinæ, nisi ex sanctorum apostolorum, apostolicorumque virorum verbis, scriptis et exemplis? Quocirca recte Ecclesia *fons* dicitur *hortorum* istorum, hoc est sanctarum animarum. **169** Quia quidquid sanctitatis vel honestatis habent, ex prædicationis ecclesiasticæ irrigatione concipiunt et proferunt omnia quæ eorum profectus est ecclesiasticæ disciplinæ regula et status. Fons enim (*Gen.* II) egreditur de paradiso Domini, hoc est de Ecclesia Dei, qui dividitur in quatuor flumina, hoc est in quatuor Evangelia, quæ irrigant universam faciem terræ, hoc est omnem intentionem aridæ mentis, ut eorum doctrina per Dei gratiam debriata, possit dicere cum Psalmista : *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (*Psal.* LXXXIV) : nisi enim benignitas Dei cor humanum visitaverit, nullum bonorum operum fructum ferre valebit

Sed cum eadem Ecclesia omnibus istis hortis di-

Digitized by Google

verse fructificantibus pronter diversas scientiæ et operum qualitates, communiter *fons* dicatur, quia omnes irrigat vel scientiæ vel pii studii infusione, quibusdam tamen singulariter dicitur, *puteus aquarum viventium*, propter latentem in eis specialiter divinæ scientiæ profunditatem, quæ exipsius Ecclesiæ emanat fonte. Fons quidem aperte super terram fluit, aqua vero putei in terra occultatur, quia alia scientia est quam simplices et infirmi præ sui facilitate assequuntur, alia quam docti et fortes præ sui subtilitate vix rimantur. Ecclesia ergo omnibus electis *fons* est, sed non omnibus *puteus* est, quia omnes quidem superficiem litteralem legunt vel audiunt et intelligunt, sed pauci admodum absconditam intrinsecus spiritualis sensus profunditatem aspiciunt.

Sed puteus iste aquas habet viventes, quia Ecclesia dum profunditatem divinorum eloquiorum legentibus sive audientibus aperit, et a pravitate eos corrigit, et ad bona opera accendit, sicque eos qui in peccatis mori debuerant, per vitalem doctrinam quasi per viventes aquas reficit.

Qualium vero aquarum? *quæ fluunt*, inquit, *impetu de Libano*: quis namque est istarum aquarum impetus, nisi vehemens sanctarum Scripturarum cum magna auctoritate profluens decursus? Quid vero per Libanum, nisi sublimium doctorum scientia et virtus exprimitur? Aquæ ergo cum impetu de Libano fluunt, quia sanctæ Scripturæ ex sanctorum Patrum scientia et virtute magnam vim suæ auctoritatis ostendunt. Necessarius sane fuit Ecclesiæ impetus iste, quia ab hæreticis et perversis hominibus fidei et sanæ doctrinæ cursus prohibitus esset, nisi sanctorum doctorum torrens eloquii obstantia falsitatis molimina veræ rationis et eloquentia impetu propulisset.

Quia vero contra sanctam Ecclesiam, vel quamlibet sanctam animam semper adversarius gemina constitit acie, aut enim minis aut blandimentis eam tentat, ut a status sui rectitudine dejiciat, volens ostendere sponsus quantum ex hac tentatione proficiat, permissivo modo locutionis subdit dicens: *Surge, aquilo*, etc.

170 Vers. 16. — *Surge, aquilo; et veni, auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.*

Per aquilonem qui ventus asper et frigidus est, asperitas minarum, quæ ex frigore perversæ mentis descendit, intelligitur; per austrum vero qui calidus est, blandimentorum lenitas, quæ quasi suavitate quadam dolosi cordis procedit, accipitur. Cum ergo his duobus modis Ecclesia sive aliqua sancta anima fatigatur, ad majora virtutum exercitia eruditur, ut quanto hosti fortius reluctatur, tanto gloriosius post victoriam sponsi sui amplexibus conjungitur. Hoc enim gemino bello martyrum constantia est probata, hoc quoque quotidie fidelium probatur et coronatur conversatio. Quæ enim mens non tentetur hujus mundi prosperitatibus et adversitatibus? sed ea mens probata coronatur, quæ nec elevatur prosperis, nec dejicitur adversis. Unde Joannes a Domino commendatur in Evangelio, quia arundo a vento agitata non esse memoratur (*Matth.* xi): arundo quippe dum vento impellitur, in quamlibet partem flectitur, sed ille arundo vento agitata non est, qui in neutram partem, scilicet ad dexteram vel sinistram, reflectitur: quia nec terrore concutitur, nec blandimento seducitur. *Surgit* enim *aquilo*, quando detractione, seu aliqua asperitate impellitur, *venit auster* quando favore vel aliqua prosperitate tentatur.

His autem hortum Domini perflantibus, *fluunt aromata illius*, quia quanto magis Ecclesia, sive sancta anima, adversitatibus vel prosperitatibus tangitur, tanto magis bono virtutum odore per profectum repletur. Hæc enim qualitas vitæ probativa est sanctitatis et justitiæ, ut merito *hortus* Domini dicatur, qui talis virtute patientiæ, humilitatis et longanimitatis decoratur: ubi vero fuerit hujus boni privatio, non potest esse spiritualis boni appellatio.

Amplius: Per aquilonem sæpe diabolus, per austrum Spiritus sanctus designatur, quia et ille constringit in frigore, et iste relaxat in calore. Propheta enim attestante diabolus dixisse perhibetur: *Sedebo in monte Testamenti, in lateribus aquilonis* (*Isa.* xiv). Suggerente autem et afflante diabolo abundavit iniquitas et malitia in mundo. Veritate enim attestante: *Ubi abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* xxiv). Et propheta asserit de Judæa dicens: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam* (*Jer.* vi). At vero austri nomine Spiritus sanctus accipitur, quia ejus gratia torpor mentis relaxatur, sicut Psalmista testatur: *Converte*, inquit, *Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro* (*Psal.* cxxv): **171** captivitas enim nostræ quæ torporis frigore ad sequendum Deum pigra remanserat, per calorem Spiritus sancti relaxatur, ut incurrat in amorem Dei.

Sponsus ergo cœlestis sponsam suam, hoc est Ecclesiam sive sanctam animam, dignanter visitans, aquilonem jubet recedere, et austrum venire, quia profectus justus et consequens est ordo, ut prius infidelitatis et malitiæ frigore depulso, sancti Spiritus adventu, mens fidei et bonæ operationis calorem suscipiat. *Surge*, inquit, *aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius*: ac si aliis verbis dicat: Quia in mentes mihi designatas non potest venire gratia Spiritus sancti nisi fugato infidelitatis frigore, quicunque torpor, quæcunque pigritia ipsis mentibus, seu per ignorantiam, seu per negligentiam insedisti, surge et recede et veni, sancte Spiritus, qui easdem mentes torpore constrictas tui afflatus calore resolvas, ut concepto bonæ voluntatis et piæ intentionis vigore, perfluant sanctitatis fructibus et fructum odoribus, longe, lateque manantibus ad sui consortium multos circumquaque trahentibus.

Digitized by Google

Porro ad istam vocem sponsi, sponsa jam quasi animata et quodammodo resuscitata, aspiranti gratiæ prompto assurgit animo, et quia consequens fit, ut flante Spiritu sancto fructum bonæ operationis producat, ostendit dicens : *Veniat dilectus meus in hortum suum*, etc.

172 CAPUT V.

Vers. 1. — *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis : comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo : comedite et bibite, amici, et inebriamini, charissimi.*

Bene dicit dilectum venire in hortum suum, quia causa adventus ejus est, quod dilectus est, quod ejus est hortus, nisi enim diligeretur non veniret. *Si quis diligit me, mandata mea servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). Sed qui dicit se Deum diligere, opere debet probare, nam hoc est hortum illius esse : ubi enim diversi virtutum flores vernant, et fructus exuberant, non immerito hortus Domini spiritualiter appellatur, talemque hortum esse Deum est diligere. *Venit* ergo *dilectus in hortum suum*, quando mentem bonis actibus deditam gratia suæ visitationis illustrat. In quo horto *fructum pomorum suorum comedit*, quia delectatur et pascitur odore et dulcedine virtutum in mente quam sua gratia repleverit. Unde ipse dilectus quasi congratulando dilectæ respondet : *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Quid per myrrham nisi mortificatio carnis accipitur? Sed quia sicut delectatione carnis vitia nutriuntur, ita mortificatione virtutes generantur, recte specialiter myrrham præponit, atque postea generaliter aromata subjungit : nisi enim caro spiritui per mortificationem vitiorum subjiciatur, ad virtutes animus non assurgit, quia in sua suggestione spiritus carni non contradicit; sed cum semper spiritus carni resistit, **173** ad virtutum culmina, subjecta quandoque jam carne mens proficit : cumque per quotidianum boni operis profectum, ad quamdam perfectionis maturitatem pervenerit, quasi jam ei tempus messionis venit.

Bona ergo ejus opera dilectus metit, quando eam a terrenæ habitationis agro falce mortis abscissam in horrea regni cœlestis remuneranda colligit : messio quidem ista vel est animæ a carne, vel electorum a reprobis separatio : qui autem metit, partem assumit, partemque relinquit; in separatione vero animæ a corpore anima assumitur et corpus relinquitur. Porro electi dum separantur a reprobis, ipsi quidem quasi bona seges ad vitam assumuntur, ut reprobi quasi remanens stipula æterno incendio relinquuntur. Sed dilectus myrrham metit cum dicit : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam* (*Matth.* XI); aromata metit cum dicit : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). Myrrham ergo cum aromatibus metit, quando eos qui per contemptum sæculi et afflictionem carnis ad virtutum opera profecerunt, a malorum consortio dividit, et in regni sui conditorio reponit.

Quos bene myrrham suam et aromata sua dicit, quia quidquid boni habent ex ipsius gratiæ munere possident : fit vero messio ista, ut dictum est, falce judicialis sententiæ in hoc tempore et per resolutionem et per prædestinationem. Per resolutionem quidem, cum anima quasi pars superior et dignior ad cœlum assumitur, corpus vero quasi pars inferior et vilior in terra relinquitur. Per prædestinationem vero, quia quos in præscientia sua habet in bonis perseveraturos ad æternam vitam prædestinando quasi segetem eligit; quos vero in malis permansuros, quasi stipulam terrenis actibus infixam ad æternam mortem prædestinando relinquit. Dicat ergo dilectus : *Veni in hortum meum, messui myrrham meam cum aromatibus meis*, quia postquam per gratiam meam, Ecclesiam sive fidelem animam visitando, virtutibus germinare feci, mundo mortuos et piis actionibus deditos mihi specialiter aptavi, quos quia a reprobis per electionem separavi, in regni mei consortium annumeravi. Unde mox subjungit : *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Adhuc amplius dilectus adgaudet profectui germinantis horti sui, in studiis et virtutibus electorum eumdem hortum mire decorantium. Favus mel et cera est, mel vero dulcis, cera est mollis et flexibilis, luminisque ministra : porro in vino est austeritas, in lacte vero candor et lenitas. Quid autem in his rerum speciebus significari potest, nisi diversa qualitas sermonum in sanctis prædicatoribus, propter diversas mentium qualitates in auditoribus? Sicut enim uni eorum, quem ad prædicationem erudiebat, dicit Apostolus : *Argue, obsecra, increpa* (*II Tim.* IV), sancti doctores **174** vim suæ prædicationis temperant, quando personam, locum, tempus considerant, atque ubi et quando, vel quos arguere, obsecrare, increpare debeant, utiliter pensant.

Nam juxta diversitates mentium, sunt aliqui qui verbum sanctæ prædicationis, ut audierint, libenter accipiunt; et sunt nonnulli qui hoc nec audire, nec suscipere volunt; porro sunt plerique qui quod hoc loco vel tempore suscipere et audire nolunt vel non possunt, alio loco et tempore audiunt et suscipiunt. Item sunt aliquæ mentes quæ molli et suavi prædicatione emendantur. Aliquæ vero quæ nonnisi dura increpatione reprimuntur, nonnullæ autem pia obsecratione ad majora virtutum opera exercentur. Propter has ergo diversas qualitates animorum valde discreti in prædicatione sua debent esse doctores animarum, quia quid, et quando, et ubi, quibusve prædicent, debent subtiliter pensare, ne videantur incassum verba jactare. Cum ergo delinquentes corripiunt quos molles et flexibiles vident, leni et

Digitized by Google

suavi admonitione arguere debent, juxta dictum viri sapientis : *Responsum mollius frangit iram* (*Prov.* xv) : eos autem quos duros et intractabiles aspiciunt, aspera increpatione, et divinæ animadversionis terrore debent ferire ; bonis vero actibus deditos ut in melius semper proficiant, obsecrare.

Cum ergo his tribus modis prælati subjectos instruere debeant, profecto quando bonos piæ exhortationis dulcedine fovent, et cœlestis regni suavitatem prædicando consolantur, *favus cum melle* sunt ; quando vero delinquentes nunc modesto sermone compescunt, nunc dura increpatione redarguunt, inferni pœnas annuntiando, *vinum cum lacte* sunt.

Dilectus ergo *favum cum melle suo comedit, vinum cum lacte suo bibit ;* quia sanctæ Ecclesiæ præpositos, quos sua gratia supra dicto modo in prædicatione componit, sibi incorporando membra sua elicit, quorum studiis atque profectibus delectatur, et quasi reficitur. Quos quia de suo corpore esse probavit, per conformationem et unitatem qua sibi eos incorporavit, ad eos qui eorum doctrinis et exemplis possunt erudiri facit apostropham dicens :

Comedite et bibite, amici, et inebriamini, charissimi : ac si aperte dicat : Quia vobis refectionem animarum in factis et dictis doctorum præparavi, quos meo Spiritu replevi, vos qui horum doctrinis instrui debetis, quæ ab his auditis et videtis, in ventrem memoriæ reponite, et tanta mentem vestram virtutum suavitate replete, ut ab omni vitiorum motu insensibiles remaneatis : *amici* quidem mihi per fidem et operationem, *charissimi* per intimam dilectionem. Comestio enim ista et bibitio divinorum præceptorum **175** plena perceptio : unde Psalmista de his qui hac plenitudine debriantur, dicit : *Inebriamur ab ubertate domus tuæ* (*Psal.* xxxv). Quæ enim est domus Dei, nisi Ecclesia, sive mens cujuslibet justi? Quæ autem est hujus domus ubertas, nisi quædam plenitudo divinorum præceptorum et sacramentorum, qua repletur et ditescit sancta Ecclesia, sive sancti alicujus anima ? Sed ab hac ubertate replentur et inebriantur, quicunque ex institutione Ecclesiæ vel eruditione sancti cujusque plenam percipiunt cognitionem, in ipsorum præceptorum et sacramentorum necessaria utilitate et honestate. Hac ubertate repletus erat, qui dicebat : *Etsi imperitus sermone, non tamen scientia* (*II Cor.* II) : hujus ubertatis plenitudinem optabat Psalmista cum dicebat : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII).

Sed quia sponsi hortantis vocem sponsa audierat et præceptorum ejus suavitatem cordis palato gustaverat, atque hujus boni plenitudine audiendo, legendo, credendo et operando inebriata fuerat, qualem effectum hæc plenaria effusio habuerit, vel quid inde utilitatis consecuta sit denuntiat, dicens : *Ego dormio*, etc.

VERS 2. — *Ego dormio et cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis : Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea ; quia caput meum plenum est rore et cincinni mei guttis noctium.*

Actus hujus dormitionis et vigilantiæ, si ad exteriora respicias, minime potest in uno eodemque simul esse, uno eodemque tempore, quia nemo potest simul et dormire et aliquid vigilando cogitare uno eodemque momento vel tempore : si vero ad interiora respicias, et ritu hujus dormitionis et vigilantiæ attendas ita sibi hæc duo inseparabiliter adhærent, ut uno eodemque tempore aut non esse, aut simul esse debeant.

Quid enim est hæc dormitio, nisi ab omnibus mundi curis et actionibus exoccupatio et quasi quædam mentis requies et pausatio? Quid autem est cordis vigilantia, nisi ad Deum cum sinceritate jugiter intendens amor contemplatorius, sive contemplatio amatoria ? Sed dum certum sit nullum sanctæ contemplationis virtutem posse habere, nisi studuerit ab omnibus mundi negotiis liber et expeditus esse ; et e converso nullum se a mundi negotiis expedire posse, nisi Deum diligere et desiderare incipiat pura et simplici intentione, constat hæc duo, ut dictum est, ita sibi adhærere, ut uno eodemque tempore in uno eodemque **176** ab omnino non esse, aut simul esse debeant. In hoc ergo modo, simul dormire et vigilare possibile est, nec ulla ibi est contrarietas, ubi ista est in affecto animo habitus identitas, nam idem est vigilare hoc modo quod dormire, et idem est dormire quod vigilare ; quia contemplationi inhærere et dormire mundo, et vigilare Deo, et nisi mundo dormiat non vigilat, et nisi vigilet Deo, non dormit mundo.

Sed quæri potest cur dicat sponsa : *Ego dormio, et cor meum vigilat*, quasi totus homo dicatur dormire, et pars hominis, hoc est cor, vigilare. Ad quod dicendum quod totus homo dicitur corpus et anima, pars vero aliqua totius cor est ; pars autem ista ad solum hominem interiorem respicit, hoc est animam ; totus vero homo ad hominem exteriorem simul et interiorem intendit. Totus vero homo dormire debet, quando pars ista, scilicet cor, in contemplatione vigilare studet, hoc est corpore et animo, quod est voluntate et actione ab omnibus exterioribus cessare, et quasi quiescere, ut interioribus possit liberius vacare ; quia ergo sponsa consideravit perfecte se visioni cœlestis sponsi inhærere non posse, nisi omnes sensus suos interiores et exteriores liberos et expeditos habeat, recte dicit : *Ego dormio, et cor meum vigilat :* ac si aliis verbis potenter dicat : Quia a terrenarum rerum strepitu, cogitatione et opere funditus quiesco, idcirco subtilius in divina contemplatione mente vigilo.

Ad superiora autem ita continuandum est, ut quia sponsus dixerat de suis prædicationibus, quod tanta eos sanæ doctrinæ suavitate et auctoritate replesset, ut eos sibi incorporatos nemo dubitare deberet, atque ideo in eorum prædicatione inebriari

Digitized by Google

et vacare utile et honestum esse; sponsa quasi hoc monitu excitata fuerit, et sanctorum prædicatione, verbis et exemplis valide profuerit, respondet : Quoniam, inquit, o dilecte, tuis monitis te aspirando perveniente et adjuvando prosequente parui, et prædicatorum tuorum doctrinis; per fidem, spem et charitatem ita animum applicui, ut non solum quasi comederim et biberim, sed tota inebriata sim, ita sensus mei carnales hac ebrietate sopiti sunt, quod ecce jam ab omnibus præsentis vitæ curis et desideriis penitus dormio, et in sola divinitatis contemplatione per intimum amorem corde vigilo.

Ego quidem, inquit, licet sanctorum Patrum dictis, scriptis et gestis edocta, qualiter et in activa et in contemplativa proficere debeam vita, meliorem tamen partem elegi; quoniam contemplativa vita toto corde et corpore soli Deo vacare deliberavi; sed quia dilectus per gratiam suam *cibavit me pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit* (*Eccli.* xv), ut ad prædicationis officium idonea existere **177** possim, pulsat et excitat, et ut non tantum mei solius in contemplatione quiescendo, sed et proximorum in prædicatione laborando curam geram, imperat. *Aperi*, inquit, *mihi*, nam *vulpes foveas habent et volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* viii; *Luc.* ix) : præter paucos enim, quorum fide susceptus sum, totus pene mundus vel incredulitate, vel fidei pravitate me repellit, Judæis quidem et paganis non credentibus, hæreticis vero fidem orthodoxam depravantibus. Unde mihi sub divo constituto caput rore perfunditur, quia divinitas mea perversis sententiis hæreticorum quasi de cœlo propter sermonum elegantiam cadentibus, sed veritatis et rectæ fidei calore calentibus, inhonoratur. *Cincinni* quoque *mei pleni sunt guttis noctium*, quia fideles, qui mihi quasi capiti suo per fidem et operationem adhærere deberent, illorum perversis dogmatibus in noctibus pravorum sensuum cadentibus, inficiuntur et a veritatis amore frigidi efficiuntur.

Sive : *Caput meum plenum est rore et cincinni mei guttis noctium*, quia ab amore Dei et proximi frigida sunt corda infidelium : per caput enim Deus, per cincinnos proximi possunt intelligi. *Aperi* ergo *mihi*, quia nisi te prædicante et docente in illorum corda non potero intrare : quocirca surge interdum de illo dulci internæ solitudinis tuæ dormitorio et officium prædicationis assume, ut postquam tua edocti prædicatione pristinos errores abdicaverint, et sua mihi mentis hospitium recta fide et operatione præparaverint; libens introeam et salutiferum eis gratiæ meæ munus impendam.

Soror, inquit, *mea, amica mea, columba mea, immaculata mea* : quid sibi vult istarum quatuor appellationum probatio? Nihil attendit Spiritus sanctus in hac quatuor tam distincta positione vocabulorum? minime. Nam si interioris hominis oculos adhibeas, non contemnendam in hoc numero appellationum rationem et rationis utilitatem respicies : forma quippe spiritualis quadraturæ necessaria est omni animæ in culmine perfectionis volentis stare; quadratum enim quocunque vertitur stabit. Et hæc debet esse perfectorum constantia, ut nec eventus prosperis, nec dejiciantur adversis, sed uno semper modo in sancti propositi persistant ordine et loco.

Sed quæ est ista spiritualis quadratura? Nimirum fides, spes, charitas et operatio. *Fides* enim, sicut dicit Apostolus, *per dilectionem operatur* (*Gal.* v), et, *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa* (*Jac.* ii); charitatis autem probatio est operatio : qui vero non credit, nec sperat; et qui non sperat, nec habet quod diligat : porro qui non credit, nec sperat, nec diligit quod est **178** pro quo operetur. Hæc est totius boni operis in unoquoque intentio, ut hoc quod credit, sperat, et diligit, quandoque consequi mereatur. In mensura autem quadri non aliud latus majus est, atque aliud minus, sed cuncta simul quatuor latera æquali spatio tenduntur, quia et in ipsas easdem virtutes, quas diximus, fidem scilicet, spem, charitatem atque operationem, quandiu in hac vita vivimus, æquales esse apud nosmetipsos inveniemus. Unusquisque enim qui in activæ vitæ exercitio versatur, tantum credit quantum sperat; quantum credit, operatur, et amat; tantum amat quantum credit, sperat et operatur; tantum operatur, quantum credit, sperat et amat.

Sed dicamus istam quoque animæ quadraturam in quatuor constare principalibus virtutibus, scilicet prudentia, fortitudine, justitia, temperantia; istæ enim virtutes ita in quadro sunt ut una aliam non excedat. Magna quippe prudentia est; sed si minus est in periculis fortis, minus in operationibus justa, minus a voluptatibus temperans, profecto minus est prudens.

Magna est fortitudo, sed si minus intelligit quæ bona custodiat, quibus malis resistat, si minus tenet opera justitiæ, atque aliquando injustitiæ dominatione superatur; si minus a voluptatibus appetitum temperat, sed vincitur delectatione, minus est fortis. Magna est justitia, sed si minus quam desiderat inter justa et injusta opera discernit, si minus se contra adversa confortat, si minus carnem in delectatione temperat, minus est justa. Magna est temperantia, sed si minus intelligit unde se temperet, si adversa sustinere per fortitudinem minus valet, atque in timore animum dejicit, si per præcipitationem suam aliquando ad injustitiæ opera prorumpit, minus est temperans.

Si ergo perfectorum fidelium vita per quadrum mensuretur, tantum habet latus unum, quantum latera singula; quia unusquisque tantum prudens est, quantum fortis, justus et temperans; tantum fortis, quantum justus, prudens et temperans; tantum justus, quantum prudens, fortis, temperans; tantum temperans, quantum prudens, fortis et justus fuerit.

Digitized by Google

Sed quia Doctor gentium dicit : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX), hoc studere semper prædicator debet, ut recta quæ ore prædicat, ipse quoque in suis actibus ostendat.

Necessaria est ergo omni prædicatori virtutum istarum quas posuimus quadratura, scilicet ut fidem, spem, charitatem atque operationem ipse in se habeat, et aliis habendam prædicet ; prudentia quoque, fortitudine, justitia, temperantia fulgeat, et ad hæc quoque alios docendo erudiat.

179 Quia ergo dilectus iste dilectam in contemplatione secure quiescentem ad prædicationis officium excitat, quadriformis eam gratiæ nomine vocat, quatenus per hoc ei insinuet, quod is qui ad prædicandum mittitur, his semper quatuor virtutibus quadratus esse debeat. *Sororem* quippe appellat propter fidem, *amicam* propter spem, *columbam* propter charitatem, *immaculatam* propter operationem. Sancta nempe Ecclesia sive quælibet sancta anima, quæ sponsæ et dilectæ nomen sortita est credendo in Omnipotentem, consequitur æternam hæreditatem ut fiat hæres Dei, cohæres autem Christi, quia filiationem Dei meretur per gratiam, quam ille habet per naturam.

Sponsus ergo iste cœlestis dilectam sibi animam sanguinis sui pretio redemptam *sororem* nuncupat, quia quod ipse essentialiter est, hoc ipsa nuncupative dici potest ; dicit enim Joannes in Evangelio suo, quia *quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I) : de quibus et ipse Dominus dicit : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est* (*Matth.* XII).

Amicam nuncupat, quia dum ei arcana quædam scientiæ suæ et immensitatem ineffabilis bonitatis suæ manifestat, in magnam eam spem futuræ beatitudinis sublevat; veræ quippe signum amiticiæ est, secreti sui quempiam conscium facere ; unde Dominus discipulis, quibus divinæ voluntatis mysteria revelaverat : *Jam non dicam vos*, inquit, *servos, sed amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo nota feci vobis* (*Joan.* XV).

Columbam nominat, quia simplicem, innocentem et pacificam, Dei quoque ac proximi dilectione præditam approbat, sicut columba simplex est animal et innocens ab omni se laniatu abstinens et nonnunquam alienos pullos tanquam suos fovens.

Qui enim vere innocens est, charitatem Dei et proximi habere dignoscitur, quia vera innocentia est quæ sic definitur : Innocentia vera est, quæ nec sibi, nec aliis nocet : sibi namque nocet, dum Deum male agendo offendit ; aliis nocet, dum malæ actionis exempla præbet ; qui ergo male operari devitat, Deum se diligere probat, quia inde semetipsum quoque servat, unde laborat ne Deum perdat; proximum se diligere probat, quia inde eum ad bene agendum invitat, unde seipsum custodit ne Deum offendat. Recta ergo diffinitio est vera innocentiæ, quæ nec sibi nec aliis nocet, quia per hanc dilectio Dei et proximi exprimitur, in qua tota plenitudo legis versatur.

180 Nam quid sit plenitudo legis, pulchre per quintam speciem definitionis, qua Græce κατὰ ἀνταλλαγήν, Latine ad verbum dicitur, declaratur, quando id quod quæritur, uno verbo ostenditur, hoc modo : *Plenitudo legis, dilectio* (*Rom.* XIII). Si ergo plenitudo legis charitas est, *charitas autem non agit perperam* (*I Cor.* XIII), profecto qui charitatem habere dignoscitur, totam legem servare probatur : et quia ipsa charitas in cordibus electorum per Spiritum sanctum diffunditur (*Rom.* V), consequens est ut qui charitatis donum possidet, sancti Spiritus donis se illustratum confirmet. Si enim nulla virtus sine charitate valet, charitas autem per Spiritum sanctum confertur, nimirum qui charitatem habet, Spiritum sanctum habere probatur, in quo omnium virtutum dona tribuuntur. Unde nunc recte sponsus sponsam quam ad prædicationem invitat, columbam nuncupat, ut ei insinuat quia charitatem habere debeat, quæ per Spiritum sanctum datur, qui in columbæ specie visus esse astruitur.

Immaculatam vocat, ut quidquid operatione ostenderit, pura id intentione facere meminerit, non ut laudem humanam inde recipiat, sed ut soli divinitati placeat, quia coram Deo sordent illa opera, quæ pro mundi favore fuerint exhibita.

Sive ideo *immaculatam* nuncupat, ut munditiam mentis et corporis diligendam insinuet, sive ut eam præmoneat quatenus in prædicatione sua omnem hæreticæ pravitatis maculam diligenter evitet.

Porro propter quatuor virtutes principales, quibus pulcherrima mentis quadratura consistit, quatuor istis nominibus dilectus dilectam appellat, ut quam ad prædicationem surgere hortatur, prudentem, fortem, justam et temperantem esse debere demonstrat, utpote *sororem, amicam, columbam et immaculatam*.

Qui enim per fidei integritatem ad summi Patris festinat hæreditatem, prudenter nimirum intelligit quid vel quale est quod credit : qui vero divinorum præceptorum et sacramentorum mysteria Deo revelante cognoscit, dum fortiter adversa pro Deo tolerat, dum etiam fortiter blandientia mundi gaudia contemnit, profecto quid speret ostendit ; at qui Spiritus sancti gratia plenus, simplicitatis et innocentiæ bonum amplectitur, quia justus esse studet, profecto quod Deum diligit, ipsa sua justitia loquitur. Porro qui talem sibi modum vivendi constituit, ut in omnibus suis actibus sanctæ discretionis moderamina habere noverit, dum se et a mundi voluptatibus per virtutum studia temperat, et justitiæ bonum non indiscrete tractet, quam mundus et rectus in omni sua operatione sit, demonstrat.

181 Bene ergo sponsus sponsam, quam ad officium prædicationis suscitat, *sororem, amicam*,

Digitized by Google

columbam et immaculatam vocat, ut ei insinuet in omnibus suis officiis et actibus quam quadrata mente consistere debeat. Sed illa pulsanti respondet et ab illo deliberato intimæ quietis otio surgere detrectat, dicens : *Exspoliavi me tunica mea*, etc.

VERS. 3. — *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Impedimenta, inquit, sæculi et curas actualis vitæ, quibus hactenus implicita eram, ab animo meo rejeci, ut in divina contemplatione liberius vacare possim, quomodo nunc iterum per officium prædicationis a quiete ista me surgere et actualis vitæ studiis deservire hortaris? *Lavi pedes meos*, hoc est negligentias operum meorum, quas ex cogitationum et rerum mundanarum pulvere contraxi, aqua compunctionis ex divina charitate surgentis perlui, quomodo iterum eas contraham ex illuvione strepitus terreni? Nam valde est difficile inter sæculi hujus homines conversari et nulla humanæ fragilitatis contagione maculari. Facile quippe materia exterius corporeis sensibus adhibita, interius animæ pulchritudinem inficit.

Sed dum ista mecum revolverem, et a proposito meo decedere non totum arbitrarer, dicam, o filiæ Jerusalem, quid dilectus meus fecerit.

VERS. 4. — *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus.*

Quid enim est *manus* ejus, quid *foramen*, quid *venter* ejus? Profecto manum dilecti debetis intelligere virtutem omnipotentiæ et occultæ inspirationis illius. Cum vero mens hominis et voluptatibus sæculi dedita, nihil de Deo, nihil de salute animæ cogitat, quasi muto quodam et maceria perversitatis circumclusa et obsita, nullum jam habet aditum vel foramen, per quod divinæ gratiæ lumen dignetur intrare.

Sed quia nonnunquam tales divina virtus aspirando prævenit ut de peccatis suis compungantur, quasi rupta prædamnatæ mentis maceria, foramen et quædam scissura aperitur, unde effluant compunctionis lacrymæ, ex pœnitentis et quasi scissi cordis dolore excitatæ. De quali scissura monet propheta : *Scindite*, inquit, *corda vestra et non vestimenta vestra* (*Joel.* II).

Cumque duo sint genera compunctionis, **182** quia mens ad Deum conversa prius timore, post amore compungitur, quando aliquis pertimescens gehennæ supplicia, abdicatis mundi desideriis, peccata quæ fecerat plangit, quasi foramen et scissuram in corde ejus divina gratia fecit. Processu vero bonæ conversationis, postquam securitatem aliquam ex divina misericordia conceperit, tanto in Deum amore ardescit, ut qui prius flebat ne duceretur ad supplicium, postmodum amarissime flere incipiat, quia differtur a regno.

Tunc ergo per foramen, quod dolor fecit cordi pœnitentis, piissimus Dominus mittit manum gratiæ et misericordiæ lenientis, tamque suavissimo attactu mentem relicit, ut tota in Dei amore succensa nihil terrenum quærat et concupiscat, ipsa etiam visibilia omnia parvipendat, solaque cœlestia et æterna toto animo adipisci contendat.

Ad cujus tactus suavitatem venter contremiscit, quia mens contemplativæ vitæ dulcedinem hauriens, virtute aspirantis gratiæ commovetur, ut intelligat dilectionem Dei sine dilectione proximi esse non posse, sed hanc esse plenitudinem perfectæ dilectionis, ut qui diligit Deum propter se, proximum quoque diligat propter Deum. Hoc ergo modo, o filiæ Jerusalem, *dilectus meus misit manum*, hoc est auxilium virtutis et gratiæ suæ, *per foramen*, compuncti mei cordis, insinuans et admonens, ut quia ego ei in corde meo amori ejus inhærendo aditum fecerim, non dubitem etiam in proximorum cordibus ei per prædicationis officium ingressum parare, quandoquidem ipse semper præsto sit per auxiliatricem gratiam, et mihi quid, vel qualiter doceam prærogare, et audientibus mentium aures aperire soleat.

Unde et hanc eamdem sententiam quam ad memetipsam retuli, non absurde ad auditores quoque meos referre possum, ut dicatur dilectus manum suam per foramen mittere, quoties ad aures auditorum exteriores per vocem prædicationis sonando ad aures interiores manum auxiliatricis gratiæ immittendo ingreditur. Ad cujus tactum venter meus intremiscit, quia infirmiores quique mei, quæ prius præ imbecillitate ingenii non intelligebant, intelligunt, et cum divini judicii terrorem audientes contremiscunt, ad boni quoque operis fructum moveri discunt.

VERS. 5. — *Surrexi igitur ut aperirem dilecto meo : manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.*

Quia enim suum mihi promisit auxilium, quo laboris mei consequerer **183** fructum, dignum fuit ut prædicationis officium non refugerem, sed sicut ei meum cor gratia ipsius aperueram, sic illi quoque proximorum corda eadem gratia per prædicationem aperirem

Manus autem *meæ distillaverunt myrrham*, quia juxta Doctoris gentium vocem, castiga i corpus meum et servituti subjeci, ne forte dum aliis prædicarem, ipsa reproba efficerer (*I Cor.* IX). Manus enim meæ sunt opera mea, quæ semper myrrham distillare debent, quia mortificationem carnis, vitiorum abstinentiam et virtutum affluentiam semper redolere debent.

Digiti vero *mei pleni myrrha probatissima*, quia ipsa mea, si qua sunt, virtutum opera, magna quidem debent habere discretionis moderamina, sed ipsa discretio redundare debet charitate divina atque fraterna. Quid enim est myrrha probatissima, nisi charitas omnium virtutum electissima? Quare autem myrrha, nisi quia *fortis est ut mors dilectio et dura sicut infernus æmulatio?* (*Cant.* VIII.) *Majorem enim nemo*

Digitized by Google

charitatem habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* xv).

Digiti ergo *mei*, id est actus in una mente quasi in uno corpore decem præceptis discreti, *pleni sunt myrrha* charitatis, quia cum dilectum meum fortiter diligo, pro ejus legibus servandis et prædicandis usque ad mortem laborare non detrecto.

Pro fratrum quoque salute vel necessitate hanc discretionem habere studeo, ut cum magis in divina contemplatione suspendi cupiam, fraterna tamen charitas interdum me compellat descendere et myrrham laboris ad eorum utilitatem colligere.

Igitur cum exhortatione dilecti mei jam surrexissem, ut verbum vitæ proximis prædicando, illorum quoque clausa corda aperirem ei, manibus meis myrrham distillantibus, digitis etiam myrrha probatissima plenis, ad officium prædicationis me accinxi.

Vers. 6. — *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo : at ille declinaverat atque transierat. Anima liquefacta est ut dilectus locutus est : quæsivi et non inveni illum; vocavi et non respondit mihi.*

Solvi, inquam, ad tempus rigorem propositi mei, sive clausuram silentii mei, et procedens in publicum, *os meum aperui et attraxi spiritum* (*Psal.* cxviii). Rejecto etiam a me ipsa omni obstaculo mentis, cœpi diligentius perscrutari mirabilia testimonia dilecti, quæ et opere ostenderem et sermone enuntiarem. Sed cum optarem ut ad me totus intraret diceremque ei cum Moyse : *Domine, ostende mihi faciem tuam* (*Exod.* xxxiii), *ille jam declinaverat atque transierat* et tantum posteriora sua aliquatenus videnda reliquerat.

184 Quid enim fuit ejus declinare atque transire? Utique ejus declinare fuit de illa sublimitate cœlorum ad nostra infirma nascendo et moriendo se deponere, quod quia fecit cum tempore, hoc fuit ejus transire : nam cuncta illa in transitu fuerunt, *Christus enim resurgens jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* vi). Cum ergo intenderem ut eum sicuti est aliquatenus comprehenderem et aliis audire cupientibus quoquo modo ostenderem, abscessit, declinavit, et transiit, quia incomprehensibilis est, et in hac vita nemo divinam illam substantiam sensu perfecte capere potest. Cumque transilisset, sola posteriora ejus vidi, quia de humanitate illius intelligere aliqua, et prædicare potui.

Cumque ita dilecti mei dicta et facta prædicarem, et ad ejus præcepta servanda et vestigia sequenda animos audientium provocarem, major me compunctionis vis dissolvit, ita ut tota in ejus amore effluerem, quia ille qui ex me aliis foras per vocem prædicationis, mihi quoque per gratiam inspirationis intus loquebatur. Quotiescunque enim eum prædicamus, ipse in nobis et per nos loquitur, sicut et in Evangelio dicit : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* x). Ubi autem Spiritus Patri loquitur, A loquitur et Filius, quia quorum una est substantia, una est et operatio. Tanta autem dulcedine locutionis ejus capta sum, ut illum interius audiendo anima mea ab omni duritia non tantum mollesceret, sed etiam liquesceret, et ad bonorum operum quotidiana exercitia deliberato consilio convalescens, cum Psalmista diceret : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* lxxxiv). Bene quippe in se loquentem Deum attendit, qui inspiranti gratiæ et liberum præeunti arbitrium prompta voluntate obedit : loquentem etiam in se Deum audit, quisquis ea quæ in Scriptura sacra legit, ipsa revelante intelligit. Cumque frequentius in ea meditando Deum quærit, quo eum subtilius rimatur, eo altius in corde ipsius Deus elevatur ; unde Psalmista : *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* lxiii) : et in Ezechiele scriptum est, quia cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ juxta ea (*Ezech.* i) : quo enim attentius sacræ Scripturæ intenditur, eo sublimius ipsa in spiritualem sensum subtiliter consideranti sublevatur.

Cum ergo ad hujusmodi locutionem dilecti anima mea per ignem charitatis liquesceret, vehementius illum legendo, meditando, prædicando quæsivi, et qualis esset cognoscere desideravi, quæsivi eum orando, jejunando, vigilando, carnem macerando, sed in hac vita illum sicuti est invenire **185** non potui. *Quæsivi* ergo *illum et non inveni*, quia neque ipsa eum legendo perfecte cognoscere, neque prædicando aliis ostendere potui ; *videmus enim per speculum in ænigmate* (*II Cor.* xiii). *Vocavi et non respondit mihi* : cum putarem eum jam mihi quasi præsentem, quamvis quodammodo longiuscule positum et veluti mox comprehensura, vocarem aliqua subtilis intelligentiæ voce, non respondit mihi, quia retractanti mihi quæ putabam me perfecte intellexisse, per reciprocam gratiæ suæ vocem ad plenum non aperuit. Scriptum namque est in visione Ezechielis prophetæ, quia *cum fieret vox super firmamentum, stabant animalia et submittebant alas suas* (*Ezech.* i.) Jam enim alas intimæ contemplationis expanderant, jam divinitatis quantamcunque cognitionem, quamvis tamen in ænigmate mente volando conceperant, sed cum vox non sub firmamento neque de firmamento, sed supra firmamentum fieret, substiterunt ultra progredi non valentes, submissisque alis inchoatæ contemplationis, quia supra se esset incomprehensibilem comprehendere animadverterunt. Æstimantibus quippe tam præsentem ut eum comprehendere possent, vocaverunt, sed ipse eis non respondit, quia quod de Deo se intellexisse putabant, hoc ita esse interioris voce allocutionis non ostendit. *Vocavi* ergo *et non respondit mihi*, quia dum supra me aliquid conari vellem, quantum infra hoc essem agnovi, dum nullam incomprehensibilis substantiæ perfectam cognitionem assequi potui.

Vers. 7.— *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem : percusserunt me et vulneraverunt me;*

Digitized by Google

tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

Quid ergo? deposui alas quas frustra ultra posse meum expanderam et ad scripta sive dicta sanctorum Patrum conversa audivi : *Ne progrediaris terminos quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII), qui utique *Spiritu sancto inspirati locuti sunt* (*II Petr.* I) et viam modumque credendi sive de Deo disputandi ostenderunt. Ipsi nimirum sunt custodes civitatis, hoc est sanctæ Ecclesiæ, de qua scriptum est : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI), quia custodiunt eam ab incursu malorum spirituum et hominum verbis et exemplis et orationum suarum præsidiis.

Isti ergo *invenerunt me*, quia me ab intentione mea priori recedentem et eorum me dictis et scriptis **186** contentum esse volentem probaverunt : *invenerunt*, inquam, quia tantum me suorum dulcedine sermonum allexerunt, ut omnia alia intentione postposita, ad solam finalem et supernam causam intenderem, vitam videlicet æternam, quæ ipse Deus est; ejus visio omnis nostri laboris plena atque perfecta requies est et consummatio. Illi ergo, dum scripta legerem vel audirem, *percusserunt me* jaculo divini amoris, et non tantum percusserunt, sed etiam *vulneraverunt*, quia ita mentem meam cœlestis desiderii compunctione transfixerunt, ut de ea fons lacrymarum quasi quidam animæ sanguis effluere t.

Tulerunt quoque *pallium meum custodes murorum.* Muri autem hoc loco non inconvenienter accipi possunt divinæ Scripturæ, quia sicut murus ex multis et diversis lapidibus construitur, ita divina Scriptura ex multis et diversis sanctorum Patrum sententiis et documentis constituitur. Quemadmodum vero muri civitatem muniunt, ita divinæ Scripturæ sanctam Ecclesiam custodiunt, quia omne ejus munimentum sive ornamentum scientia et observatio est sanctarum Scripturarum. Porro *custodes* horum *murorum* possunt intelligi simplices quique in Ecclesia, de quibus scriptum est : *Simplicitas justorum diriget eos* (*Prov.* XI), qui quamvis scientiam Scripturarum aut parvam aut nullam habeant, tamen dum ipsarum Scripturarum præcepta observanda operibus prædicant, proximos quoque non mediocriter ædificant. Isti ergo *custodes* spiritualium *murorum tulerunt pallium meum*, quia exemplo bonorum operum abstulerunt a me impedimenta superfluæ cogitationis, quæ mentem meam velaverunt complexione indiscretæ indagationis, mihique suaserunt non alta sapere, sed humilibus consentire (*Rom.* XII), et in simplicitate Deo servire.

VERS. 8. — *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo*

Quapropter *adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei quia amore langueo.* Sed quid est meum adjurare? profecto fidei et operationis sacramento constringere, alio- A quin *filiæ Jerusalem* non estis, quia ad supernæ pacis visionem non pertinetis, nisi Deo fide et opere placeatis. *Si* ergo *dilectum inveneritis*, hoc est si in tantum mea prædicatione profecistis, ut recte credendo et bene operando eum habeatis, tunc *adjuro vos*, hoc est, sicut dixi, fidei et operationis sacramento obligo, quæ violare, salutem perdere est; *ut annuntietis ei*, videlicet signa et quasi characterem quemdam studii et laboris mei, quo in prædicatione **187** vestræ salutis causa desudavi præferendo, sicut ad suos discipulos dicit Apostolus : *Signa autem apostolatus mei vos estis in gentibus* (*II Cor.* XII).

Quid autem ei annuntiare debetis? scilicet *quia amore langueo*, hoc est, tantum ejus charitate et dilectione detineor, ut ad omnem sæculi voluptatem B et pulchritudinem, infirma et languida et quasi jam insensibilis remaneam. Vos itaque vita et moribus annuntiate, quam vera, recta et utilis fuerit prædicatio mea, ut vester profectus mei quoque fiat laboris fructus.

Ad hanc vocem dilectæ dilecto obedientis et ad prædicationem surgentis ejusdemque prædicationis studium et utilitatem prædicantis, *filiæ Jerusalem*, hoc est sanctæ animæ ad visionem supernæ pacis pertinentes, causas tantæ adjurationis percunctanter atque hoc modo dilectum alloquuntur : *Qualis est dilectus tuus ex dilecto*, etc.

VERS. 9. — *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum ! qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?*

C Non parvam, inquiunt, vim adjurationis hujus attendimus, in qua omnem salutis nostræ summam pendere didicimus, atque ideireo scire cupimus potentiam et dignitatem hujus dilecti, cujus causa sic nos adjurasti.

Qualis est ergo *dilectus ex dilecto*, hoc est Filius ex Patre, Deus ex Deo, lumen de lumine? magnum quippe est illum cognoscere quem tantopere studes commendare, summæque prudentiæ illum intelligere, pro cujus tantum langues amore. Sed cum perfecte comprehendi non possit *dilectus ex dilecto*, id est Filius ex substantia Patris, unius essentiæ, unius potentiæ, unius voluntatis, uniusque operationis, *ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus* (*I Cor.* XIII), quidquid tamen illud est, quod D de Deo cogitari, intelligi, vel dici potest, tu, *o pulcherrima mulierum*, id est animarum spirituales Deo filios procreantium, docere potes, quia hoc tua specialis prærogativa pulchritudinis promeruit, ut quia dilecta dilecti hujus diceris, vicinius ei mentis oculo appropinquare possis. Omnis enim gloria et compositio tua ab intus est (*Psal.* XLIV), et mundus Deus, cujus munditiæ nihil comparari potest, non nisi a mundis cordibus cernitur, quia *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V).

Pulchræ quidem sunt cæteræ mulieres, id est animæ fideles quæ suo modo et loco et tempore spirituales Deo filios gignunt, sed tu pulcherrima omnium, Ecclesia universalis, quæ quotidie filios

Digitized by Google

generas in spiritu per baptismi sacramentum et sanctæ prædicationis documentum. Tu ergo nobis insinua *qualis sit dilectus ex dilecto*, hoc 188 est, quid de divinitate ejus juxta humanam possibilitatem intelligendum sit et credendum. Sive etiam *qualis sit dilectus ex dilecto*, hoc est, qui tibi olim dilectus factus est, pro te nascendo et moriendo, qualiter nunc dilectus est, suæ tibi gratiæ abundantiam infundendo, et in dilectionis suæ divinam dulcedinem attrahendo. Sive qui quondam priori tempore in antiquis patribus per figuras et ænigmata divinitatis suæ majestatem plurimis miraculorum signis ostendendo dilectus fuit, qualiter nunc in novissimo tempore carnem assumendo, et totius mundi salutem operando dilectus est. Quod vero fit ejusdem verbi repetitio, studiosa est animi scire affectantis exploratio.

Porro dilecta ut percunctantium animas ad majorem dilecti sui accendat amorem et reverentiam, qualitatem ejus tropologice exponit, dum divinitatis et humanitatis ejus cantabilem pulchritudinem decem præconiis, quasi in decachordo decantat psalterio (*Psal.* xci). Denarius quippe numerus perfectus est et vel Decalogi, vel quatuor Evangeliorum continetur sacramento; qui ab uno incipiens ita ad quatuor pervenit, ut denarium compleat numerum; nam si super unitatem tres sequentes numeros, hoc est binarium, ternarium et quaternarium aggregaveris, decem habebis, atque ita per quaternarium complebis denarium numerum.

Psalterium autem est instrumentum musicum in modum Deltæ litteræ formatum, quod in Græco quatuor exprimit. Pulchre ergo dilecta dignitatem et pulchritudinem dilecti quasi in decachordo decantat psalterio, decem præconiorum testimonio, ut ostendat omne sibi ex dilecti gratia profluens sacramentum, Vetus et Novum resonare Testamentum, uno exhibendum in figura præcinente, altero jam exhibitum in veritate decantante. Ait ergo: *Dilectus meus candidus et rubicundus.*

Vers. 10. — *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.*

Si aure cordis diligenter appropinquamus, interiori auditu percipere poterimus, harmoniæ hujusmodi quam in hoc decachordo dilecta modulari intendit, principalem esse materiam geminæ pulchritudinis prædicabilem gratiam, castitatis videlicet atque martyrii, quæ primo in ipso capite considerata, postmodum nunc alternatim, nunc intermista dulcedine per ipsius diffunditur membra.

Dilectus, inquit, *meus candidus et rubicundus*: geminus iste color, 189 candor scilicet et rubor principaliter quidem et singulariter atque plenarie in capite Ecclesiæ, hoc est Christo, apparet, quia ejus castissimæ atque sanctissimæ carnis candori, quam de castissima Virgine ineffabilis Spiritus sancti operatione suscepit, nullus candor comparari potest. Et de sapientia Dei Patris quæ ipse est scribitur: *Super omnem pulchritudinem stellarum luci comparata invenitur prior; candor est enim lucis æternæ et speculum sine macula Dei majestatis* (*Sap.* vii).

Candidus ergo est divinitate, propter indicibilem divinæ naturæ splendorem, quo *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* i): *candidus* vero ex humanitate propter immaculatam, ut diximus, et omnis peccati immunem carnis susceptionem. Porro *rubicundus* ex passione specialiter fuit, quia nulla charitas ejus charitati æquari potest, quia in tantum suam dilexit factūram, ut pro ea mori eligeret, non dedignatus fieri carnis peccatum, crucisque maledictum (*Rom.* viii; *Gal.* iii). De qua singulari passione sua ipse in propheta loquitur: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* (*Isa.* lxiii). Nulla enim passio huic passioni conferetur, quæ sola totius mundi operata est salutem, sola servum captivum de servitute peccati in veram perduxit *libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* viii).

Unde cum præmisisset, *dilectus meus candidus et rubicundus*, subjunxit, *electus ex millibus*: millenarius quippe numerus, quia pro perfectione ponitur universitatem significat. *Electus* ergo *ex millibus* dicitur, quia universitati fidelium solus virtutum et gratiarum singularitate præponitur: de ipso quippe scriptum est, quia *unxit* eum *Deus oleo exsultationis præ participibus* suis (*Psal.* xliv). Et cum omnes electi divisam accipiant gratiam, *alius quidem sic, alius vero sic* (*I Cor.* vii), soli Unigenito *non ad mensuram dat Deus Spiritum sanctum* (*Joan.* iii), *et de ejus plenitudine omnes* accipiunt (*Joan.* i), *in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss* ii), quia *ipse est caput super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem* (*Ephes.* i).

Iste ergo *dilectus* Dominus Jesus Christus singulariter *candidus et rubicundus* in sui personali causa divinitatis et humanitatis; *electus* est *ex millibus*: in ipsis vero millibus, hoc est universitate electorum, non uno modo, neque æquali mensura candor sanctitatis et rubor passionis enitent; quia in quibusdam utrumque, in quibusdam non utrumque, sed nunc isti candor munditiæ et rubor martyrii simul; nunc illi vel solus candor, vel solus rubor tribuitur, ut in 190 conspectu Dei ille candidus et rubicundus, iste vel totus candidus vel totus rubicundus; alter majori, alter vero minori nonnunquam æquali ipsarum virtutum præcedat. In corpore itaque suo, hoc est Ecclesia, Christus etiam candidus est et rubicundus, juxta modum quem cuique electorum tribuere ipsius placet benignitati et gratiæ.

Vers. 11. — *Caput ejus sicut aurum optimum. Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.*

Unde mox in sequentibus per partes enumerantur ipsius geminæ pulchritudinis donationes, nunc simul, nunc solæ in eodem Christi corpore præfulgentes, ut post præmissum in capite singularem præ omnibus sanctis dignitatem, subinferantur di-

Digitized by Google

versarum in corpore ipsius dignitatum colores, per unientem et concorporantem sibi gratiam suo modo et loco proficientes. Dicit enim : *Caput ejus sicut aurum optimum.* Quid per aurum nisi divinitas ejus accipitur? Sicut enim aurum omnibus metallis pretiosius est, ita divinitas Christi omnibus supereminet creaturis; et quidquid in ipsis creaturis gloriæ suæ dignitatis esse potest, ad comparationem divinitatis nihil est. *Caput* ergo *dilecti*, hoc est divinitas ejus, *sicut aurum* est, et non absolute aurum, sed aurum *optimum*, quia substantia divinitatis bonum est, et non tantum bonum, sed etiam supremum et generalissimum bonum, et, ut ita dictum, fit bonum bonorum, quia ipse est fons et origo totius boni a quo bona cuncta procedunt. Vel quia in sancta Scriptura principale mentis caput dicitur, Christus autem virtus et sapientia Dei Patris est (*I Cor.* I), et Verbum ex corde Patris genitum, quo Verbo et qua sapientia omnia facta sunt et sine quo vel qua nihil est factum. *Aurum* ergo *optimum* est ipsa virtus et sapientia, quæ est *splendor gloriæ Dei et figura substantiæ ejus* (*Hebr.* I).

Quidquid vero pulchritudinis et honestatis in corpus capitis hujus diffunditur, ex ipsa divinitate et sapientia profluit, ut digne de hoc corpore prædicetur gratia comarum, oculorum, genarum, cæterorumque membrorum, quæ mox in sequentibus numerabuntur.

Quorum primum est, *comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus :* comæ hujus capitis dupliciter intelligi possunt, videlicet sancti prophetæ et apostoli, sive sanctæ Scripturæ quæ per eos Deo inspirante profluxerunt. Ipsi etenim Deo quasi capiti suo contemplatoriæ charitatis dulcedine adhæserunt, atque ideo magnam mentis subtilitatem in illo divino verbo perspiciendo, ex ipsa Dei virtute et sapientia perceperunt.

191 Unde dicuntur : *Quasi elatæ palmarum*, quia cum eorum conversatio in cœlis esset (*Philip.* III), mente quoque per contemplationem in cœlum suspendebantur, devicta et calcata omni terrenæ delectationis molestia, cujus spiritualis triumphi gloria per palmam significatur, quæ est signum victoriæ. Sed quia pro hac victoria adipiscenda non parvis afflicti sunt malis, sive a pravis hominibus adversa perferendo, sive in se ipsis carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo (*Gal.* V), recte dicuntur *nigræ quasi corvus.* Contemptores siquidem mundanæ gloriæ a mundi amatoribus quasi viles et obscuri reputabantur, sed eo magis ad gloriam et decorem divini capitis veluti subtiles comæ aptabantur, quo magis a sæcularibus pro divinitatis amore despiciebantur.

Porro Scripturæ sanctæ quæ per eos depromptæ sunt, ob hoc divini capitis comæ dici possunt, quia sicut comæ de capite nascuntur, ita sanctæ Scripturæ ex divina sapientia producuntur; et sicut illæ caput ornant, ita Scripturæ sanctæ Ecclesiæ Dei eminentiam et principatum decorant. Quæ *sicut palmæ elatæ* dicuntur, qui a fidelium mentes illarum commonitione vel consolatione, a terrenis ad cœlestia diligenda et appetenda sublevantur, et ub spiritualem armaturam contra vitia atque peccata profitentur, usque ad finem quoque bene certantibus æternæ beatitudinis palmam pollicentur. Sed istæ *comæ sicut corvus* dicuntur *nigræ*, quia sanctæ Scripturæ multis sunt obscuritatibus involutæ, *tenebrosa enim aqua in nubibus aeris* (*Psal.* XVII), quia profunda est scientia in Scripturis sanctis. Quia vero nigredo ista afflictionem sive voluntariam sive coactam significat, idcirco dum in ea passio quædam animi vel corporis attenditur, dilectus in hac parte vinicolor, id est rubicundus tantum in corpore suo prædicatur.

VERS. 12. — *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ et resident juxta fluenta plenissima.*

Quid per oculos dilecti, nisi præpositi sive angeli Ecclesiarum intelliguntur, qui quasi speculatores super domum Dei, hoc est sanctam Ecclesiam, præponuntur : unde uni eorum dicit Deus : *Speculatorem dedi te domui Israel, et audies verbum ex ore meo et annuntiabis eis ex me* (*Ezech.* III). Speculator quippe ex alto contemplatur, ut adventum hostium quo longius, eo melius præcavendum annuntiare possit ; unde hujusmodi speculatori dicit Dominus per prophetam : *In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Dei* (*Ose.* VIII). Speculator namque in gutture tubam habet, quando aperte et publice, longe lateque verbum Dei prædicat et quis finis **192** virtutibus vitiisque sit sublimi voce et mente annuntiat · qui est quasi aquila super domum Dei, quia subtilis intelligentiæ acumine divinitati intendens, ad contemplativæ vitæ subtilitatem sibi commissos provocat, expandens super eos alas defensionis suæ, quibus eos et doctrinæ studio et orationum suffragio, a malignorum spirituum insidiis conservet.

Sed isti *oculi* dilecti sunt *sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ*, quia sancti speculatores super domum Dei intendentes, si vere oculi Dei sunt, habent opera simplicitatis et innocentiæ, cum cordis et corporis castitate, quibus et se et sibi subjectos ad vitam nutriunt æternam. Et unde hoc? quia morantur *super rivulos aquarum, et resident juxta fluenta plenissima.* Hæc nempe est naturalis consuetudo columbarum, ut super rivos aquarum sedentes adventum præcaveant accipitrum : quia ergo speculatores isti *super rivulos aquarum*, hoc est sententias Scripturarum, commorantur, idcirco sciunt et sibi et subjectis providere, mores componendo sive corrigendo, atque hostis antiqui insidias præcavendo. *Resident* quoque *juxta fluenta plenissima*, quia quotidie ante oculos habent utriusque Testamenti documenta, quæ revera non tantum plena, sed et plenissima sunt omnium sacramentorum scientia, quæ et in uno per figuras et ænigmata proponun-

Digitized by Google

tur, et in altero in veritate exhibita prædicantur. Et in hoc tertio membro, unus gemini coloris in corpore dilecti superius prædicanti considerandus est, videlicet candor, ut animæ lacteo colore lotæ castitatis et munditiæ præferant insigne.

VERS. 13. — *Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis. Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.*

Genæ dilecti non inconvenienter accipi possunt continentes, diversarum pluritate virtutum veluti multitudine pilorum virilitatem animi prætendentium, propositum suum decorantes, qui dum a voluptate oculorum sive aurium, cæterorumque sensuum, ciborum quoque et vestium, aliarumque rerum hujus mundi delectabilium pro Deo abstinent, quot de se continentiæ odoramenta spargunt, quasi tot aromatum areolas construunt.

Nam, verbi gratia, oculorum reverenda compressio, sive reflexio, pulchra quædam est areola, in qua quot continentiæ refulgent merita, quasi tot aromata redolent odoramina. Auris **193** quoque, et os et nares et manus quædam possunt dici areolæ, quæ quia bonarum malarumve rerum sunt perceptibiles, quædam autem res, cum in sui natura bonæ sint, plerumque abusione participantium malæ fiunt. Quotiescunque ipsarum rerum irrationabiles appetitus virtutis amore franguntur, redoleant istæ spiritualium aromatum speciebus quibus conseruntur, ut unumquodque aroma secundum id redoleat, secundum quod qualitas continentiæ generat, quia quo magis eo oblectat, eo magis ipsius rei continentia Deo commendat.

Sed quia istæ continentiæ discretionis virtute competentem debent habere statum, ut neque naturalis necessitudo vertatur in vitium, neque virtutis rigor honestum excedat modum, recte *areolæ* istæ *a pigmentariis* dicuntur *consitæ*, quia non passim, non indiscrete et quasi confuse, sed ordinabiliter et composite et cum ratione hujusmodi continentiæ in suis sunt areolis consitæ, ab illis videlicet, qui hujus consitionis scientiam habuisse probantur. Isti nempe pigmentarii sancti sunt apostoli sanctique doctores qui in suis dictis et scriptis virtutum species quasi quædam pigmenta ostendunt, ex quibus contra vitia et peccata veluti contra morbos animæ quoddam saluberrimum componunt antidotum. *Genæ* ergo *dilecti sicut areolæ aromatum*, quæ *consitæ* sunt *a pigmentariis*, quia profecto hi qui diversos continentiæ odores ex se emittunt, ex sanctorum Patrum dictis et gestis colligunt quidquid in suis moribus diligentiæ et honestatis conficiunt.

Considerandum vero quod in hoc quoque membro superius prælibatæ pulchritudinis geminus color, scilicet rubor et candor refulgeat, ut in exteriori habitu interior denotetur, quia, dum istæ genæ rubent et candent, testimonium dant et castitatis pudori et continentiæ labori, ubi non facile dijudicari possit quis color sit eminentior, vel in martyrio rubor, vel in virginitate candor, quia et virginitas in martyribus reperitur et ipsa martyres facit. Nempe in his genis una in se duo attenduntur, quia in uniuscujusque virtute continentiæ et castitatis refulget meritum et martyrii pro labore speratur præmium.

Labia ejus lilia distillantia myrrham primam. Ecce pigmentarii quorum industria in genis pudicitiæ præfulget gratia, prædicatores scilicet sancti, qui ideo per labia designantur, quia eorum prædicatione diversa virtutum pigmenta **194** conficiunt. Qui sunt quasi *lilia*, quia et ad integritatem munditiamque vitæ secundam dant præceptum et ad vulnera animarum dant consilium, et possunt dicere cum Apostolo: *Christi bonus odor sumus Deo in his qui salvi fiunt* (*II Cor.* II). Lilii enim natura candorem simul et odorem præfert, et curandis vulneribus plurimum sanitatis profert.

Qui *lilia* sunt *distillantia myrrham primam*, id est optimam, quia, dum pro integritate et munditia cordis et corporis servanda vitia atque peccata in semetipsis mortificant, aliisque eadem facienda verbo et exemplo incessanter prædicant, profecto ostendunt quantam erga Deum et proximum charitatem habeant.

Charitas enim dici potest myrrha prima, id est optima et probata, quia, ubi vera et perfecta est, omnia exstinguit in homine vitiorum incentiva; sicut enim myrrha mortuorum corpora condiuntur, ne putrescant, ita charitate divina animæ roborantur, ne putredinem vitiorum incurrant.

Et in hoc quoque corporis sui membro, dilectus candidus est et rubicundus, quia in sanctis prædicatoribus suis pro lilio castitatis candidus dicitur, per myrrham vero passionis, *Omnes enim qui in Christo pie volunt vivere, persecutionem patientur*, (*II Tim.* III), rubicundus prædicatur.

VERS. 14. — *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus distinctus sapphiris.*

Si ipsum caput respiciamus, *manus* ejus profecto *tornatiles* et *aureæ* sunt, quia de eo scriptum est: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII): qui enim torno operatur, citius et perfectius atque planius operatur. Qui vero unquam citius, et perfectius, sive planius est operatus, quam ipse Deus? Valde enim cito fecit quæ facere disposuit, quia solummodo *dixit, et facta sunt* (*Psal.* XXXII), atque uno eodemque tempore, licet diverso modo, diversa quoque forma ejus dixisse fecisse fuit. Perfectius eo nemo operatus est, quia non diminuta, vel per partes, et quæ adhuc melioranda essent, sed omnia perfecta fecit, et semel fecisse totum et integrum fecisse fuit. Porro planius nihil ejus opere fuit, quia nullo impedimento natura rerum retardari potuit, sed quem semel accipit cursum modumque, pro perpetua lege servavit: nihil in ejus operibus distortum et inæquale, diminutum vel superfluum, quia *omnia in mensura, et numero, et pon-*

Digitized by Google

dere constituit (*Sap.* II). Bene ergo *manus ejus tornatiles* fuerunt, quia tanta, ut dictum est, velocitate, **195** perfectione et pulchritudine omnia operatus est, ut ex ipsis operibus consideranti clarescat quantæ pulchritudinis, quantæve majestatis ipse conditor existat, non quod ista consideratio deitatis ipsius sit plenaria comprehensio, sed quod sit quædam a creaturæ dignitate proficiscens et quantum humanæ menti possibile est sublucens Creatoris speculatio.

Unde et ipsæ *manus* dicuntur *aureæ*, quia hoc quod sunt, quod vivant, quod vigent et florent ex divinitatis constat dispositione : auro quippe quod omnibus metallis pretiosius, divinitas qua nihil supra designatur.

Sed quid est quod *plenæ hyacinthis* dicuntur, cum et alii sint lapides valde etiam competentes ad ornatum manuum sive digitorum? Omnia quidem visibilia, quædam mira et pulchra operum divinorum sunt ornamenta, sed in his magis sunt miranda, quia et subtiliora cœlestium mirabilium secreta; quorum consideratio primo loco est in incorporea creatura, supernorum videlicet spirituum sive sanctarum mentium solis cœlestibus semper intendentium, quarum conversatio divina bonitatis est operatio; secundo loco incorporea creatura rerum superiorum, quæ sunt quædam nutrimenta inferiorum quarum rationabilis dispositio divinæ quoque sapientiæ est mirabilis operatio. Hyacinthus enim aerii coloris est, atque ideo *manus* dilecti *hyacinthis plenæ* dicuntur, quia opera Creatoris magis in cœlestium decore et ornatu prædicantur.

Porro si ad membra capitis respicias, *manus ejus tornatiles aureæ et plenæ hyacinthis sunt*, quia bonis operibus intenti et semper futuram requiem ingredi festinantes, non tarde neque pigre, sed velociter et studiose viam mandatorum currunt, quidquid in suis moribus pravum et inæquale cernunt, rectæ operationis tornatura repellunt et planum faciunt et in oculis sui Conditoris, ipso tamen opifice, perfectum reddunt, cujus efficientiæ causa est sensus in eis auro sapientiæ divinitus collatæ respondens et semper cœlestium bonorum felicitatibus contemplativæ vitæ dulcedine intendens.

Qui ideo *manus* ejus dicuntur, quia quidquid boni faciunt, non propriæ virtutis, sed Dei gratiæ est, cujus et hoc quoque quod *tornatiles* morum perfectione, quod *aureæ* sensuum claritate, quod *plenæ hyacinthis* angelicæ conversationis sublimitate.

Sane et in hujus membris consideratione duplex color in corpore dilecti speciali laude prædicatus apparet, quia in eo quod *tornatiles* sunt *manus*, laboris sive passionis est signum quo ab omni morum superfluitate et inæqualitate, in vas **196** honoris et divinis spectabile oculis sunt tornatæ. Quod vero *aureæ et hyacinthis plenæ*, fulgida virtus cælibis vitæ, qua castitatis et pudicitiæ claritate rutilant, designatur; hocque modo et in ista parte dilectus *candidus et rubicundus* decantatur.

Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris. Si personam ipsius dilecti distincte inspiciamus, humanitatem ipsius ventris nomine designari non absurde accipimus, quia fragilior pars corporis venter est, et humanitas illa omnem humani corporis fragilitatem præter peccatum experta est. Sed quid est quod iste *venter eburneus* dicitur? Ebur quippe os elephantis est, quod animal castissimum esse perhibetur : quid autem castius humanitate Christi, quæ ex castissima Virgine absque ullo virili opere, per solam Spiritus sancti operationem assumpta sit? *Venter* ergo dilecti *eburneus*, quia cum omnes homines in iniquitatibus et peccatis concipiuntur, solus ipse in humanitate, singulariter sine peccato de castissima, ut dictum est, Virgine conceptus est.

Quid porro est quod ipse venter *sapphiris distinctus* esse memoratur? Sapphirus quippe cærulei coloris est; sapphiris autem venter dilecti distinctus dicitur, quia, etsi ex humanitate terrena pertulit esuriem, sitim, lassitudinem cæteraque secundum quod homo pati potuit, patiendo tamen cœlestia ex divinitate ostendit miracula faciendo.

Ac si multitudinem fidelium quæ ipsi personæ velut capiti membra per fidem adhærent, consideremus, quæ pro majore sui fragilitate ventri comparari potest : sunt enim in Ecclesia aliqui vinculo conjugali dediti, sunt aliqui mire se continentes in sexu fragili : sed *qui uxores habent, tanquam non habentes* (*1 Cor.* VII), recte *venter eburneus* dici possunt, quia, etsi foris fragiles videntur, tamen fortes sunt per sanctæ et castæ vitæ honestatem. Unde et de sanctis conjugatis scriptum est, quia *erant incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela* (*Luc.* III): hoc est enim ventrem distinctum esse sapphiris, quia inter curas rerum mundanarum, quas conjugalis fragilitas exposcit, cœlestium præceptorum devota observatione refulgent. Porro mire se continentes in sexu fragili laudabiliorem in hoc propositi sui ostendunt conservationem, quia, cum sint infirmi et fragiles corpore, fortiter tamen ad sanctitatis merita assurgunt animi virtute. Unde et in his *venter eburneus* dicitur, quia magis in sexu fragili virtus castitatis prædicatur.

Distinctus vero *sapphiris* memoratur, quia virtus castitatis aliarum quoque virtutum ornamentis decoratur : aliter namque castitas corporis virtus esse non potest, nisi **197** ornetur castitate mentis, quæ constat humilitate, patientia, sobrietate et contemptu sæcularis vitæ, cæterorumque cœlestium præceptorum observatione. Nam, ut de corpore hujus dilecti esse possit, *venter eburneus, sapphiris* debet esse *distinctus*, quia nihil prodest castitas corporis sine bono opere, nec opus bonum sine castitate (Gregorius). » Quia ergo fragilis sexus castitatis virtutem forti animo tenet, *venter* dilecti *eburneus* est, quia vero et aliis virtutibus pro cœlesti gloria studet, *sapphiris distinctus* est, quia in

Digitized by Google

venire eburneo color castitatis nitet, in sapphiro quamvis cæruleo, tamen pro labore virtutum color passionis rubet. Ipsa quoque castitas quæ exterius in corpore mundo candet, interius per mentis martyrium rubet : nam naturali carnis motui repugnare, quæ jam nimirum passio mentis est.

Præsentis sane decantatio particulæ ad vestræ professionis normam non modice spectat, sorores dilectissimæ, quia, cum revera de corpore hujus dilecti sitis, tale ejus membrum decentissimum esse potestis. Nam, cum in tam fragili corporis vestri vasculo, candido castitatis et pudicitiæ indumento resplendetis, profecto *venter* dilecti hujus *eburneus* dici et esse potestis; quia vero cum ista castitate, aliis quoque virtutum ornatibus refulgetis, nimirum *sapphiris distinctæ* relucetis. Sed summopere vobis attendendum est, ne per solam castitatem Deo vos placere posse putetis, si alia bona opera non habueritis, atque idcirco semper et castitatem bono operi, et opus bonum castitati jungere debetis, ut Deo perfecte placere possitis.

Vers. 15. — *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut libani, electus ut cedri.*

Octavo loco quasi octavam tangit chordam decachordi psalterii attenta spectatrix dilecti, veluti symphoniam illam διαπασων reddens, cui proprium est eamdem habere vocem octavam quam primam. Nam, cum supra prima chorda sonuerit caput dilecti aurumesse optimum, nunc dicit *crura super bases aureas* posita, ut sit eadem vox gravis et acuta, resonans supremum et infimum dilecti aureum ornamentum. Sed considerandum quænam sint hujus dilecti crura, curve ipsa comparentur columnis marmoreis super bases aureas ædificatis.

Cum Deus in sui natura immobilis atque incommutabilis sit, quippe qui est illocalis, omnia enim complet et continet, ipse autem a nullo continetur qui totus semper ubique est ; cumque localis sit qui de loco ad locum movetur, Deus autem non moveatur, atque ideo illocalis sit, quia immobilis, movere tamen dicitur, **198** non in se, sed in his quos suo nutu et voluntate movet per virtutem omnia disponentem, sive secundum justitiam, sive secundum misericordiam, *cujus enim vult miseretur et quem vult indurat* (*Rom.* IX), quorum unum est misericordiæ, alterum justitiæ. Cum ergo omnem creaturam suam quasi præambulet hac gemina suæ dispositionis via, videlicet justitia et misericordia, recte possunt dici ejus crura, justitia et misericordia : *universæ enim viæ ejus*, sicut dicit Psalmista, *misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV). Veritas autem et justitia idem est : quod enim verum est, justum est; et quod justum est, verum est.

Cur autem *crura* ista dicuntur *columnæ marmoreæ*, nisi quia recta sunt et fortia ? nam in columna est rectitudo, in marmore duritia ; justitia enim Dei occulta, nunquam tamen injusta. Quis enim scire potest quare hunc misericorditer eligat, illum judicialiter repellat? ideo clamat Apostolus : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !* (*Rom.* II.)

Porro quænam sunt bases aureæ, super quas columnæ istæ, quæ crura illa intelliguntur, sunt fundatæ? nimirum si recte perpendas, sunt sapientia ejus et bonitas, quia omnia quæ facit, sapienter et bene ordinat et disponit : *bases* nempe sunt quia omnia continent et sustentant, *aureæ*, quia in ipsis rerum efficientiis mirabiliter claruerunt. *Crura* ergo dilecti, si ad ipsum caput intendas, sunt, ut dictum est, misericordia et veritas, quæ *super bases*, id est pedes sapientiæ et bonitatis illius fundata, aut stant, aut ambulant, secundum mensuram et qualitatem eorum quæ facta sunt : omnia enim quæ facta sunt, aut æterna sunt, aut temporalia. Stant autem in his quæ æternaliter mansura secundum gratiam et misericordiam suis ipse Deus præfinivit, ambulant in his quæ temporaliter aut confert, aut aufert, sive misericorditer, sive judicialiter.

Porro si ad membra ipsius capitis respicias, quid putas crura dilecti hujus dicenda sunt? In illo antiquo Dei populo, in quo tunc tantum notus erat Deus, duas præcipue dignitates posuit Deus, quibus ipse populus muniretur et ornaretur, regnum videlicet et sacerdotium, in exterioribus quidem regia fortitudine armabatur contra eos qui auctore diabolo laborabant destruere propositum Dei, quod pro totius mundi salute habebat, et eidem populo in typo præmonstrabat, quatenus in tota sua republica cum pace et honore præcurrerent in figura divinæ promissionis fideliter adimplenda negotia. Porro in interioribus sacerdotali officio erudiebatur, ad ipsa negotia prudenter per figuram intelligenda et reverenter tractanda, ut ipsi proposito Dei quandoque adimplendo allaboraret fide et dilectione, in spe futuræ salutis.

199 In quibus videlicet dignitatibus tantum erat ejusdem populi firmamentum, ut postmodum cum eidem populo peccanti iratus Deus multas comminaretur pœnas, postremo minime se corrigenti hanc finalem proponeret pœnam ut, ablato et destructo regno et sacerdotio, omnis eorum funditus migraret honor et religio. Dicitur enim sic per Jeremiam prophetam : *Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum; et in opprobrium, in indignationem furoris sui regem et sacerdotem* (*Thren.* II). Regem quippe et sacerdotem non esse, hoc fuit omnem ritum cæremoniarum defecisse.

Nonne et in hoc tempore, quo promissio illa jam impleta est, hujusmodi duabus dignitatibus sancta subsistit Ecclesia ? Pugnat enim contra infideles et incredulos materiali gladio exterius regalis judicii potestas, pugnat etiam interius contra eosdem spirituali gladio sacerdotalis officii majestas. Vide cum Dominus pro defendenda hujus novæ, quæ nunc est, reipublicæ universali salute, gladium permitteret, duosque parate[illegible]ret, sat esse respondit

Digitized by Google

(*Luc* II), quia duas in Ecclesia sententias peremptorias constituit, unam gladio materiali, alteram gladio spirituali. Etenim hoc exterius agitur regni timore, ut Ecclesia serviat Deo cum pace et honore, interius eruditur sacerdotio, ut sciat servire Deo cum reverentia et amore. Quid ergo? Nunquid cum hæ duæ dignitates sint Ecclesiæ Dei omni religione propaganda quasi quoddam firmamentum et, ut recte dicam, totius corporis dilecti hujus fortissimum sustentaculum, non recte possunt dici crura ejusdem dilecti regnum et sacerdotium?

Et hæc propter sui fortitudinem et eminentiam *columnæ* dicuntur *marmoreæ*, quando et ipsæ virtute et potestate eriguntur et in eis tota domus sanctæ Ecclesiæ sustentatur. Quid vero sunt bases aureæ super quas istæ columnæ sunt ædificatæ? Plane oportet ut in ipso regno sive sacerdotio, quia causa debet esse communis utilitatis et honestatis, magna resplendeat vis rationis et virtus discretionis, ut in omni sua dispensatione et judicio semper sit ratio et discretio. Sed cum hæc ex magna debeant sensus et sapientiæ claritate procedere, nonne recte dici possunt harum columnarum bases aureæ?

Crura ergo ista dilecti hujus columnæ sunt marmoreæ super bases aureas collocatæ, quia in sancta Ecclesia regnum et sacerdotium vigent dispensationis et judicii ratione et discretione.

Hujus quoque octavæ chordæ cantui succinit præcentus ille juxta introitum ipsius decachordi carminis positus, quo dilectus decantatur candidus et rubicundus, quando hoc agit pars ista regni cum labore et periculo vitæ ut in se dilectus iste rubicundus prædicetur : porro **200** altera pars sacerdotii in pace et tranquillitate hoc agat, ut in se dilectus candidus pronuntietur, in sanctitate et castitate, conversatione, mandatorum Dei observatione et prædicatione. *Species ejus ut Libani, electus ut cedri.* Sicut, inquit, mons Libani montibus cæteris præstantior est, decore et pulchritudine, miroque ordine arborum inibi positarum, sic dilectus meus omnibus sanctis eminentior, et longe pulchrior est potentia virtutum, sapientia quoque et scientia, atque omni decore mundanarum actionum, omnique plenitudine divinarum gratiarum. *Non enim ei ad mensuram dat Deus Spiritum* (*Joan.* III). Sed *habitat in eo omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II); et de hac ejus plenitudine sancti accipiunt *gratiam pro gratia* (*Joan.* I); quodque ipse universaliter habet, isti particulariter consequuntur, et hoc non semper pro cujusque voluntate, quia et interdum prompta est, et interdum quasi sopita segniter jacet in eis eadem particula gratiæ, quam suscitare oportet non sine aliquo labore. Unde Paulus ad Timotheum : *Propter quam causam*, inquit, *admoneo te ut resuscites gratiam quæ in te est per impositionem manuum mearum* (*II Tim.* I). Suscitatur autem multis modis, maxime tamen orando et psallendo ; exempli gratia, cum diceret rex Israel ad Eliseum : *Quare congregavit Deus tres reges istos, ut tradat eos in manus Moab?* respondit : *Vivit Dominus in cujus conspectu sto, quia nisi vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, nec attendissem utique, nec respexissem ; nunc autem adducite mihi psaltem : et factum est dum caneret psaltes, facta est super eum manus Domini*, et reliqua. (*IV Reg.* III.)

Excepto ergo dilecto isto de quo scriptum est : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu* (*Joan.* I) : cæteri omnes sancti divisam vel particularem accipiunt gratiam Spiritus sancti prout ipsi Spiritui sancto placet, qui *ubi* et quando *vult spirat* (*Joan.* III). Merito ergo hujus dilecti *species ut Libani* dicitur, quia *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV), et nulla species ejus speciei, nulla virtus ejus virtuti, nulla gratia ejus gratiæ comparari potest.

Electus ut cedri : cur præ cæteris arboribus Libani electi sunt cedri, nisi quia quædam speciales naturæ suæ habent virtutes? Est enim cedrus imputribilis, est odorifera, est serpentibus contraria ; quis autem sine corruptione esse potuit, nisi solus ipse dilectus, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus?* (*I Petr.* II.) Nullus unquam tam sanctus, tam innocens esse potuit, quin aliquid corruptionis contraxerit, cum scriptum sit, quia et in angelis suis Deus iniquitatem reperit (*Job* IV). Peccatum nempe quædam putredo, quædam corruptio est, et cum in alio major, in alio minor sit, in nullo tamen quamvis valde sancto, valde justo, potest non esse, licet etiam parvissima ; porro in solo isto dilecto, nulla prorsus hujusmodi putredinis sive corruptionis **201** vel tenuissima existere potuit macula.

Bene ergo dicitur *electus ut cedri*, quia hoc unus specialiter habet ex natura, quod nullis sanctorum concessum est ex gratia. Hæc quidem de solo capite dicta sint.

Cæterum, si ad corpus respicias, quod capiti conjunctum unum sit secundum incorporationem, quia ipsi capiti per gratiam ipsius incorporatur, congrue species ejus Libano comparatur, quando totus dilectus iste in se et in corpore suo discrete attenditur. Quid enim in facie sive specie Ecclesiæ considerari potest, nisi præsentia divinitatis in exsecutione sacramentorum, in enuntiatione divinorum eloquiorum, in dispositione et ordinatione convenientium et rationabilium causarum? Quis vero iste Libanus est, cui species hujus dilecti in toto suo corpore assimilatur? Si ipsam rem sicuti est attendas, Libanus mons Phœnicis est, abundans cedris et in ipso radicatis et in altum porrectis : sicut autem iste mons cedrorum multitudine decoratur, ac per hoc magnam sui pulchritudinem aspicientibus offert, ita dilectus iste in corpore suo multitudine electorum suorum sibi in fide radicantium et in charitate cohærentium decoratus mirabile profecto toti mundo præbet sanctitatis et honestatis spectaculum.

Digitized by Google

Si autem metaphorice intelligas, Libanus iste est de quo propheticus sermo clamat : *Aperi*, inquiens, *Libane, portas tuas et comedat ignis cedros tuas* (*Zach.* II). Templum enim Dei, quod in illa terrestri Jerusalem constructum fuerat et habebat tabulata intrinsecus per circuitum de lignis Libani, lignis cedrinis, idcirco Libani nomine appellatum est, quia in eo fuit Sanctum sanctorum, quod erat decus quoddam, et eminens pulchritudo non tantum illius civitatis, sed et totius populi ejusdem per multos terminos dilatati. Species ergo dilecti ut species Libani, quia sicut hoc templum fuit quondam caput et singulare monumentum religionis illi antiquo Dei populo; ita nunc conventus Ecclesiæ ubi Christus honoratur in suo corpore caput quoddam et eminentia quædam sanctitatis est omni populo Christiano, quia in eo attenditur via quædam et perventio ad illius summi boni sublimitatem et futuræ salutis æternitatem. Adhuc nunc conventum quasi ad quemdam montem Dei, currit quotidie fidelis populus prospicere in spe terram promissionis illius, quam Deus suis dabit electis, in qua est templum supernæ illius Jerusalem, quod inhabitat ipse Sanctus sanctorum, in quo multiplicantur sancti ut cedri Libani, imputribiles facti participatione illius æternæ beatitudinis et summi boni quod est Deus.

Electus ut cedri. quomodo dilectus iste in corpore suo, hoc est **202** Ecclesia, electus dicitur ut cedri? Si naturas cedri quas supra memoravimus attendas, videlicet quod imputribilis est, quod odorifera, quod serpentes fugat, nimirum perpendere potes quanta sit utilitas sanctæ Ecclesiæ unitas, et quantum omni animæ eligenda, quantumque rebus cæteris sit præferenda. Nam ibi incorruptio animi adipiscitur, odor virtutum sentitur, vitia et peccata, quasi serpentes venenati fugantur. Quid hac re præstantius? Merito ergo Christus in corpore suo *electus ut cedri* dicitur, quia in omni ejus actione sive dispositione canonica, vel dispensativa, ipse est omnis spiritualis efficientiæ causa.

Hoc autem loco dilectus qui supra, ut sæpe diximus, dupliciter coloratus inducitur, candidus videlicet et rubicundus, sola corporis pulchritudine in corporis sui, hoc est Ecclesiæ, splendet facie, quam sibi elegit *non habentem maculam neque rugam* (*Ephes.* V), quod ipsius partis probat decantatio de specie Libani, qui interpretatur *candidatio*.

VERS. 16. — *Guttur ejus suavissimum et totus desiderabilis : talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.*

In gutture vox, in voce sonus est, in sono si vox articulata est, alicujus rei certa expressio. Quid per *guttur*, nisi sanctæ Scripturæ sonus accipitur? Totam vero Scripturam sacram, aut ipsius Domini voce, aut sanctorum quibus ipse Deus quasi quibusdam organis utebatur constitutum novimus. Quid enim divinæ Scripturæ sonant, nisi aut per seipsum aut per suos loquentem Deum? Quid porro loquentem? nimirum futuræ promissionis qualitatem, juxta propositum ipsius prædestinantis, vocantis, justificantis et glorificantis electos suos, cujus glorificationis dulcedinem et suavitatem concelit eis prægustare nunc per spem sublevantem, et ad ipsum toto desiderio anhelantem, et quasi quoddam jam experimentum suavitatis ejusdem quodammodo capientem.

Ipsum nempe experimentum *guttur* quoque dilecti hujus dici potest, quia in mente cujusque sanctæ animæ, divinæ bonitatis dulcedinem prægustantis, delectabiliter sapit suavitas illa quam ex sacræ Scripturæ prædicatione intelligit, de qua dicitur, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*Isa.* LIV ; *I Cor.* II). Unde et ipsius suavitatis experimento proficientibus dicit Psalmista : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus! beatus vir qui sperat in eo* (*Psal.* XXXIII). Guttur ergo dilecti, vel vox est sacræ Scripturæ, divinæ pietatis suavitatem enarrantis, vel experimentum ejusdem pietatis animum cujusque fidelis suaviter reficientis.

203 Quod *guttur suavissimum* est, quia tantæ memoriam abundantiæ divinæ sanctitatis eructat, ut attento adjutori nihil dulcius in aure cordis videatur sonare, quam futuræ beatitudinis perennia bona non tantum sperare, sed et firma certitudine tenere, ideoque toto ea animo desiderare.

Unde cum superius singulæ partes alicui comparentur rei, utpote caput auro, comæ elatis palmarum, oculi columbis, genæ aromatum areolis, cæteræque, sicut supra digestum est, rebus sibi competentibus, hæc ultima sola nulli comparatur, quia bonum illud supremum et generalissimum, sicut indicibile ita et incomparabile.

Enumeratis autem per partes hujus dilecti præconiis, sive in se ipso sive in corpore suo, quasi singulis in hujusmodi decachordo expensis nervis, finalem quodammodo decantatæ laudis reponit vocem, dicens : *Et totus desiderabilis* : ac si dicat: Quid est quod per partes pulchritudinem et dignitatem ejus prædico? Nihil est in eo quod excipere possim : nam *totus est desiderabilis*, sive divinitatis ejus celsitudinem attendas, sive humanitatis humilitatem respicias. Hæc est enim summa totius laudis, quæ in fine canitur et quemdam in se colorem totius cantionis exprimit.

Quid enim brevius et magis definite ad summam laudis dici potest de Christo Deo et homine, quam ut dicatur, *totus desiderabilis!* Si enim totum quod in eo est, vel de eo dici potest, desiderabile est, ab omni parte beatum est, profecto concluditur supremum et finalem modum laudis esse, totum desiderabilem dicere.

Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. Quæsistis, inquit, a me qualis esset dilectus meus, pro quo vos tantopere adjuraverim, ecce ostendi vobis qualis sit dilectus meus, cujus habitum per singula membra expressi. Sed quod

Digitized by Google

dicendum de habitu isto? Nunquid dilectus iste per A dispositionem sive affectionem sortitus est habitum istum et susceptibilis est intentionis et remissionis? In sui quidem natura minime, qui essentialiter bonus, sapiens, pulcher, sanctus est et justus; porro in corpore suo, hoc est Ecclesia, per dispositionem sive affectionem transit in habitum istum, suscipiens magis et minus, secundum quod suæ placet gratiæ in singulo suo, membro disponere. Ista qualitas sive iste habitus natura ejus est, quia ipse est bonitas, sapientia, pulchritudo, sanctitas et justitia.

Et iste dignus meo quæsitu est, non quod ego sim ei necessaria, sed quod ipse mihi valde sit necessarius. Quare? quia *ipse est amicus* **204** *meus, o filiæ Jerusalem;* mei quippe interioris hominis B habitus ex illo informatur, quasi ex imagine in imaginem, per participationem gratiæ habitantis in corde meo, cujus illuminatione aperiuntur mihi arcana illa invisibilium rerum, quæ continentur in sublimitate et significatione præceptorum et sacramentorum divinorum, juxta quod me instruunt et ducunt intellectus et ratio, quæ sunt ipsius mei interioris habitus maxima pulchritudo. *Iste amicus meus* custodit me in hujusmodi scientiam per humilitatis gratiam : nam ipse Patri dicit : *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI) : humilitas nempe custos virtutum est. Dicitur autem *amicus* quasi *animi custos;* ut enim istum amicum non perdam, debeo eum per humilitatem habere C quasi animi mei custodiam. Si enim animus ad divinam scientiam affectus sive dispositus, quandoque per cooperantem gratiam suscipit habitum, hoc est permanentem in se hujusmodi scientiam, quasi unum cum Deo efficitur ipse animus participatione ipsius, ut et ipse quoque ex Dei consortio dicatur Deus. Unde quidam sapiens dicit ad filium :

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

Ac si aperte dicat : Cum animus sit nobis Deus, hoc est vera et spiritualis vita, hunc præcipue bene vivendo glorifica. Auribus quippe per insitam sibi vim rationis et intellectus, recte discernendo et bene vitam suam agendo Deum in se retinens, Deus est, non quidem essentialiter, sed nuncupative, D sicut de sanctis dicit Propheta : *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI), talisque enuntiationis virtus magnæ est amicitiæ fœdus; sed hujus amicitiæ bonum attendentes, non filii sed *filiæ Jerusalem*, hoc est infirmæ adhuc animæ et nondum perfectionem virtutum assequi valentes, et hoc in dilecta, dilecti hujus magnam pulchritudinem spiritus constituisse, amore sancti desiderii et ipsæ accensæ, cupiunt etiam hujus amicitiæ bono perfrui, quo et eamdem spiritus pulchritudinem valeant adipisci. Dicunt enim : *Quo abiit dilectus tuus*, etc.

VERS. 17. — *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum! quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum.*

Quid *abire* Dei, vel *declinare* est, qui loco non capitur, et apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio? (*Jac.* II.) Dupliciter dicitur Deus *abire* vel *declinare*, scilicet et per appropinquationem et per recessionem gratiæ suæ juxta perfectum, sive defectum animi cujuscunque, vel ad Deum appropinquantis, **205** vel ab eo recedentis. Sed in hoc loco dilecti hujus abire, est misericordia bonitatis suæ quempiam moveri, declinare quoque ejus est gratiæ suæ munere menti cujuslibet illabi.

Dic, inquiunt, nobis, *o pulcherrima mulierum*, quonam *dilectus tuus* abeundo et declinando per misericordiam et gratiam suam exemplum nobis bene vivendi sive in qualibet virtute amplius studendi, in aliquo fidelium suorum proposuit. *Dic*, hoc est ostende vel lectione qua eorum vitam quotidie pronuntias, vel actione qua eos quotidie in tui consortium annumeras, et nos quoque eorum exemplo inducti, *quæremus tecum* dilectum istum, orando, jejunando, aliisque bonis operibus eum vocando, quatenus ad nos etiam declinare dignetur, suæ nos gratiæ munere visitando. Ipse enim dicit : *Si quæsieritis me in toto corde vestro, inveniar a vobis* (*Jerem.* XXIX) : nam eum quærere non est sola oratione, sed etiam bona actione, sicut et alibi de se quærentibus dicit : *Me etenim de die in diem quærunt et scire vias meas volunt* (*Isa.* XXXVIII). Quos enim dicit vias ejus scire velle, profecto ostendit bona eos actione quærere.

Quæremus ergo *tecum* dilectum hoc modo, *o pulcherrima mulierum*. Qualium vero mulierum? Nimirum vel in seipsis Deo boni operis fructus, veluti sanctitatis filios fide et dilectione gignentium, vel alios quasi lucis filios verbo et exemplo ad æternæ vitæ diem generantium. Quia ergo tantam in te pulchritudinem miramur, *o pulcherrima mulierum*, quam tibi attraxisti quærendo et inveniendo dilectum tuum, idcirco et nos tantæ et tam generosæ pulchritudinis tuæ aliquod vestigium adipisci cupientes, ad quos moveatur vel ad quos declinet dilectus tuus per misericordiam et gratiam scire cupimus, ut eum quoque tuo exemplo quærentes, postquam invenerimus et si non pulcherrimæ, aliquatenus tamen pulchræ existimemur. Ad hæc Ecclesia sive dilecta Deo anima locum motionis sive declinationis dilecti hujus demonstrans, actum quoque simul in ipsa declinatione ejus insinuat dicens : *Dilectus meus descendit in hortum suum*, etc.

CAPUT VI.

206 VERS. 1. — *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.*

Quid nempe fuit dilectum quærere, nisi ad eum per contemplationis virtutem ascendere? quia enim in sanctorum cordibus *fides per dilectionem operatur* (*Gal.* V), dilectio vero mentem semper ad superna trahit, bonum ergo operari est ad Deum mente descendere. Sed cum omne bonum a Deo sit, sine

Digitized by Google

quo mihil boni existit, ab illo quempiam in bono adjuvari, profecto est ejus ad eum descendere; scriptum quippe est in Exodo, quia Moyses in montem ascendit, et Dominus ad eum descendit (*Exod.* XIX). Quantum enim quisque ad Deum ascendit cogitatione, et actione illum quærendo, tantum ad illum Deus descendit, sive sua ei mysteria per intellectum aperiendo, sive adjutorium suæ gratiæ per virtutem animi conferendo. Ubi enim per liberum arbitrium voluntate et opere quilibet ad Deum ascendit, ibi ad eum Deus per auxiliatricem gratiam misericordia et dignatione sua descendit

Unde et hic dilecta dilectum quærere cupientibus congrue respondit, quia *dilectus meus descendit in hortum suum :* ac si diceret: Quia scire desideratis quonam abierit, vel declinaverit dilectus meus, ecce dico tibi quia *dilectus meus descendit in hortum suum.* Quis est hortus dilecti, nisi aut sancta Ecclesia aut sancta quævis anima diversa virtutum specie germinans? in quam dilectus descendit, quia bonis actibus germinanti suæ adjutorium gratiæ impendit. Sed postquam in hortum descendit, quonam se inclinavit? *ad areolam*, inquit, *aromatum.* Quæ est *areola aromatum*, **207** nisi mens variis virtutum suaviter redolentium speciebus consita, sive diversarum gratiarum opinione quasi bono odore respersa? qui enim possunt dicere cum Apostolo : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II), isti profecto in horto Domini, hoc est in sancta Ecclesia, singuli quique suo modo possunt dici *areola aromatum*, quia mentibus proximorum spargunt odorem bonæ opinionis per exempla bonorum operum.

Cur vero non aream, sed per diminutionem, dicit *areolam*, nisi quia mens sancta quæ virtutum sublimitate fulget, parva debet esse in oculis suis et magnopere ostendere, quia *excelsus Dominus et humilia respicit et humiles spiritu salvabit?* (*Psal.* CXII, XXXIII.) Ad hanc ergo *areolam* dilectus in hortum suum descendens declinat, quia sanctæ menti per incrementa sanctitatis et scientiæ facilem se et quasi tractabilem præstat. Omne enim studium inchoanti difficile, assuescenti facile videtur : et viam mandatorum Dei, sive sanctæ Scripturæ scientiam ingredienti angusta videtur porta et difficilis introitus, longa vero exercitatione terenti, et quasi frequentes obices repellenti lata et spatiosa panditur via sanctitatis et intellectus atque ideo facilis deinceps patet ingressus et egressus.

Subdit vero causam cur descenderit : *Ut pascatur*, inquit, *in hortis, et lilia colligat :* pascitur quippe in hortis, quia delectatur odore illo qui spargitur ex areola spiritualium aromatum, id est operum bonorum. Ipse enim in Evangelio dicit : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV); voluntas quippe Patris est, omnes homines salvos fieri (*I Tim.* II). Porro homines salutem appetere et ad eam pervenire, opus est illius. Quæ autem Pater operatur, hæc eadem operatur et Filius, quia quod vult Pater, vult et Filius, et una et amborum voluntas et operatio. Lilia vero colligit, quia magis eos qui integritate et munditia cordis et corporis candent, eligit, sive fide et opere perfectos in æternam beatitudinem remunerandos assumit.

VERS. 2. — *Ego dilecto meo et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.*

Dilectus, inquit, meus supra mihi præceperat dicens : *Surge, aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*, cui ego obediens *pessulum ostii mei aperui* (*Cant.* V), cunctis eum prædicando et quantus qualisve sit rationabiliter ostendendo. Sed quid ad hæc dilectus meus? *nimirum* vicem rependit obedientiæ meæ gratulabundæ mihi decantans laudem dignationis suæ, non meam sed suam in me beatificans gratiam. Ejus enim fuit quod volui, quod potui, quod perfeci, atque ideo sua in me ipse dona prædicat, ut mihi et omnibus gratiæ suæ obedientibus **208** quanti sit apud Deum meriti vita sanctitati et honestati obediens ostendat.

Qualis vero dilectus? *Qui pascitur*, inquit, *inter lilia*, hoc est munda cogitatione et operatione delectatur, non quod in aliquid ex accidenti accrescat, qui nullum unquam recipit augmentum vel detrimentum. Cum semper in una eademque essentia et proprietate incommutabilis permaneat, sed quod per aliquem modum locutionis a creatura translatum, affectus bonitatis ejus exprimatur erga eos quos sua dilectione et gratia dignatus fuerit. Pasci namque dicitur quando in mente cujusque quam sua gratia inhabitat, virtutum profectus augetur.

Quali vero cantico vel cantici modo insonuit mihi vox hujus dilecti? cantico certe suavi, cantico non mediocriter attendendo, modo quidem octochordo, sed in singulis chordis propter vim cujusque soni proprio theoremate insigniter hoc modo disposito.

VERS. 3. — *Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem : terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Spectabiliter hic intueri libet qualiter præsentis cantici modulatio octo partibus veluti octo decursis vocibus, ut proprietas ejus symphoniæ quam διαπασῶν musici dicunt, hic attendatur, cujus ultima vox eadem est quæ prima, sicut et in harum dispositione partium videre licet ubi cum prima pars hoc modo deponatur, *terribilis ut castrorum acies ordinata*, ultima pars nihilominus eodem modo terminetur, scilicet *terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Sed singulæ partes singulas deposcunt rationes, quæ hoc modo distinguuntur. Prima est, *pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Pulchra es, inquit, *amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem : pulchra*, intentione, *suavis* locutione, *decora* operatione ac ideo mihi sanctæ amicitiæ inviolabili fœdere copulanda. Et quomodo ista

Digitized by Google

pulchritudo, vel suavitas, sive decor apparent? *Sicut Jerusalem.* Quid autem Jerusalem interpretatur, nisi *visio pacis?* Tres autem qualitates hujus visionis sub nomine Jerusalem denotantur: una terrestris, altera spiritualis, tertia cœlestis; et media quidem ad similitudinem extremorum constituitur, cum tamen ipsa sit primæ supergressio, ultimæ vero præparatio. Quomodo autem media ad similitudinem extremarum constituitur? in mente cujusque sunt virtutes, quasi animæ cives et domestici, quibus opponuntur vitia et peccata, quasi **209** ipsius animæ hostis amarissimi. Datur autem ei similitudo a terrenæ pacis visione, ut quomodo civitas de victis et expulsis hostibus in pace floret, lætatur et proficit, ita mens superatis vitiis et peccatis in delectatione virtutum suaviter quiescit et in Dei gratia pacifice crescit subjecta carne spiritui, eoque magis ad divinitatis contemplationem erigitur, quo minus a terrenis desideriis impugnatur.

Porro alteram similitudinem accipit a supernæ pacis visione, sed non omnino comparabilem, quia hæc in ænigmate, illa autem in veritate, ut sicut ibi anima ab omni miseria et labore libera jugiter Deum contemplatoria aspicit charitate; ita hic mens ab omni carnis impugnatione liberata ad ejusdem contemplativæ vitæ dulcedinem quotidiano proficit incremento. Unde ista media recte, ut dictum est, illius ultimæ et æternæ potest esse præparatio, quia per istam pervenitur ad illam: porro primæ est supergressio, quia licet aliqua in eis sit ex ratione similitudo, nulla tamen est in dignitate comparatio, dum illa sit mundanæ pacis momentanea susceptio, ista supernæ æterna speculatio, quæ hic quidem incipit sed ibi perficitur.

Cui ergo istarum trium visionum pacis pulchritudo dilectæ comparatur? Si dicamus primæ, quæ erit comparatio carnis ad spiritum, lucis ad tenebras, temporis ad æternitatem? Si vero dicamus ultimæ, quæ comparatio ejus quæ adhuc cum timore tenetur, et illius quæ ab omni timore libera et secura sine fine conceditur? Mediæ ergo comparari potest, ut ista pulchritudo, ista suavitas, iste decor ex intimæ pacis visione colligantur, et hæc ibi oriantur, proficiant et maneant, ubi nullæ animum delectationes rerum temporalium fatigant, sed cessante pugna carnis et Spiritus, secundum Apostolum: *Pax Christi quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda et intelligentias* (*Philip.* IV), in amore contemplativæ vitæ quiescentis. *Pulchra es* ergo, *dilecta, suavis et decora sicut Jerusalem*, quemadmodum visio pacatæ mentis, quam nulla inquietudinis injuria, nulla adversitatis molestia in sanctæ contemplationis jucunditate disturbat.

Quem vero effectum partitur hujus contemplationis jucunditas? profecto magnum, quia totam mentem in Dei et proximi charitate succendit, et malignis spiritibus, animæ videlicet suæ hostibus, nam subdit, *terribilis ut castrorum acies ordinata*; acies namque castrorum quando ita ordinatur, **210** ut ex unanimitate et concordia exercitus insimul dispositi, nullus hosti aditus irrumpendi parere possit, tunc profecto ipsi hosti terribilem se ostendit. Ubi autem hosti aditus irrumpendi ex inordinatione exercitus tribuitur, ibi certe nullo modo terribilis videtur.

Sancta ergo Ecclesia, sive dilecta Deo anima, dum contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponit, summopere necesse est ut per charitatem semper unita atque constricta, et nunquam per discordiam interrupta inveniatur, quia, etsi quælibet bona habuerit, si charitas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendum hostis valeat intrare. Antiquus enim hostis, neque castitatem, neque abstinentiam, neque distributionem terrenarum rerum, si sine charitate fuerint, timet, quia ipse carne non premitur, ut vel ejus luxuria dissolvatur, vel necessitate ipsius in sumendo cibo, sive divitiarum subsidiis acquirendis urgeatur.

Valde autem charitatem veram, id est amorem humilem, quem sibi fideles vicissim impendunt, timet: et nimis concordiæ eorum invidet, quia hanc ipsi tenent in terra, quam ipse tenere nolens amisit in cœlo.

Bene ergo dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata*, quia electorum multitudinem eo maligni spiritus amplius pertimescunt, quo magis eos per charitatis concordiam unitos contra se et conglobatos aspiciunt.

VERS. 4. — *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui, sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.*

Secunda et tertia pars hoc versu continentur. Dicit ergo, *averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt*; quia, inquit, ædificium tuæ mentis a fundamento fraternæ charitatis honeste et utiliter surgit intra Jerusalem, id est *visionem pacis*, pulchritudinem suam longe ostendens, cogitatione, locutione et opere; hoc nimirum ejusdem ædificii summum et supremum, et quasi quædam conclusio est, ut in uno consummetur cubito, videlicet totam intentionem tuam in Dei solius amore constituendo: unde et istud, o amica, adhuc abundantius mea habes ex gratia, ut aliquid de mei potentia et claritate purgatæ mentis penetrare possis subtilitate. Attamen quantum coneris, quantum animi tui acumen prætendas, labor tuus frustratur, quia incomprehensibilem et incircumscriptum impossibile est aliquo ingenio vel ratione definire.

Qua de re *averte oculos tuos a me*, hoc est noli divinitatis meæ substantiam velle perfecte cognoscere, quod nulli in hac vita conceditur, quin potius ad te ipsam convertere, et memor esto fragilitatis humanæ: **211** nam oculi tui, hoc est sensus mentis tuæ, in me nimis defixi, ipsi me avolare fecerunt, quia quanto plus in me tenderis, tanto amplius incomprehensibilem probabis, juxta quod scriptum est: *Accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus*

Digitized by Google

(*Psal.* LXIII) · quanto quippe ad me accesserisaltiusatque subtilius substantiæ meæ proprietatem discutiendo, tanto sublimius avolo, omnem sensus tui considerationem et subtilitatem excedendo. Quapropter *averte oculos tuos a me*, quia valde quidem perspicaces sunt sensus tui meæ gratiæ largitate in mentis contemplatione, sed me quasi avolantem præ rei profunditate, prorsus deficiunt in mei consideratione. Sed cum tanta sit gratia oculorum tuorum, quænam quoque est gratia capillorum ?

Capilli, inquit, *tui sicut grex caprarum quæ apparuerunt de Galaad.* Paulo superius laus dilectæ iisdem decantata est modis, quos ideo nunc repetit, vel ut ostendat eamdem debere eam habere habitus et animi decorem et pulchritudinem in verbi Dei prædicatione, pro auditorum eruditione, quam habuit in contemplationis solitudine pro suimet utilitate; vel quod commendabilior est sancta Ecclesia sive universalis sive particularis in suo gemino ordine ex quo constituitur, videlicet præpositorum et subjectorum, in quibus omnis ejus pulchritudo, decus et honestas consideratur, ex illorum quidem vita et doctrina, ex istorum vero obedientia et disciplinæ reverentia.

Nam quemadmodum capilli de capite nascentes capiti adhærent, ita subjecti prælatis, qui eos verbo vitæ genuerunt, fide et moribus adhærent; quasi de Galaad ascendentes, quia, dum eis docentibus acervum testimonii, hoc est sacræ Scripturæ ferunt, vitam suam ad cœlum bene conversando sustollunt.

Vers. 5. — *Dentes tui sicut grex ovium quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis.*

Hic quarta pars attingitur. Quid vero per *dentes* nisi doctores intelliguntur, grossitudinem litteræ in subtilitatem spiritualis sensus traducentes et simplicitate candidi, tanquam lavacro sanctæ compunctionis loti, unde et ipsi gemina sunt charitate fecundi, sive duplici testamento instructi, et sibi subjectos eadem charitate eodemque testamento reddunt fecundos, ita instruendo ut nullus inter eos, hoc est præpositos vel subjectos, virtutum sterilitate detorpeat.

Particularis vero animæ capilli de principalitate mentis quasi de **212** capite nati, sunt cogitationum subtilitates acervum divinarum sententiarum intendentes : porro *dentes* ejusdem mentis tractantis et retractantis vehementes cum studio applicationes duras et fortes Scripturarum propositiones sive oppositiones infringentes, et plurima earum involucra expedientes. In quibus nulla est sterilitas, quia quanto studiosius animum et diutius applicant Scripturis, tanto vehementius ad amorem Dei et proximi compunguntur, tantoque plenius utriusque Testamenti scientiam assequuntur, sive custodientes præceptum superaddunt consilium : præceptum quippe est aliena non rapere, consilium sua tribuere.

Isti nempe sunt *gemelli fetus*, quibus anima fecundatur, amor videlicet Dei et proximi, scientia Veteris et Novi Testamenti, observatio præcepti cum superadditione consilii. Horum profecto intentione et studio omnis interior sterilitas propulsatur, ut merito in cogitatione, operatione, prædicatione *pulchra, suavis et decora* dilecta pronuntietur.

Vers. 6. — *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ, absque occultis tuis.*

Si universaliter ad totam Ecclesiam referamus, *genæ* ejus possunt dici spiritualiter in ea conversantes, qui dum verbis et factis memorabilibus et mirandis nitens, miraculis quoque stupendis fulgent, quasi in facie Ecclesiæ venerabiles apparent; pulchritudo namque genarum in rubore consideratur earum. Sed si tanta est decoris ejus gloria in his quæ apparent, quæ pura gloria ejus erit in his quæ nondum apparent? de quibus scriptum est : quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II).

Genæ ergo Ecclesiæ, *cortici mali punici* comparantur, sed occulta ejus quia ineffabilia, ideo et incomparabilia sunt.

At si specialiter ad sanctæ animæ referamus honestatem, plerumque pulchritudo ipsius interior signis quibusdam exterioribus declaratur; nam dum pudor virginalis pudicitiæ rubet in facie, hoc foris ostenditur, quod intus in animo tenetur. *Genæ* ergo ejus sunt *sicut cortex mali punici absque occultis ejus*, quia foris quidem ex verecundia signum quoddam sanctitatis profert, sed quantum in occulto mentis ejus ipsa sanctitas vigeat, illi soli patet, quem nihil latere potest. Atque hoc genarum.

213 Vers. 7. — *Sexaginta sunt reginæ et octoginta concubinæ et adolescentularum non est numerus.*

Sexta et septima pars præsenti describitur versu. Nam cum in præcedentibus pulchritudinem Ecclesiæ per partes in prælatis et subjectis et spiritualiter conversantibus, qui per capillos, dentes et genas designati sunt, prædicasset, nunc a toto perfectum ejus decorem in unitate fidei celebri laude prosequitur : nam cum sancta Ecclesia aliquo modo pro diversitate meritorum diversa videatur, tamen propter unam eamdemque fidem diversa non invenitur; tres quippe qualitates conversantium in ea considerari possunt, quia sunt in illa et perfecti et minus perfecti et imperfecti: perfecti quidem sunt illi, qui omnia sua reliquerunt, et Deo soli tota mente adhæserunt; minus perfecti, qui non quidem omnia sua reliquerunt, sed de his quæ habere possunt, Deo in suis membris ministrare satagunt; imperfecti, qui fide quidem superioribus adhærent, sed quasi in tenera adhuc conversatione, nondum perfectæ bonum discretionis sunt assecuti.

Unde hic non inconvenienter trium numerorum summa inducitur? videlicet senarii, octonarii atque denarii. Denarius quippe per senarium multiplicatus, in sexagenarium surgit, octonarius vero per denarium ductus, octogenarium efficit. Senarius autem perfectus arithmetica lege dicitur, quia cum omnibus suis partibus, quæ sunt tres, duo, et unum,

Digitized by Google

altera quippe pars ejus sunt tres, tertia duo, sexta unum insimul aggregatur, in priorem summam absque aliquo augmento, vel detrimento reparatur. Porro octonarius diminutus nuncupatur, quia cum ejus altera pars sint quatuor, quarta duo, octava unum, eisdem partibus aggregatis septenarius conficitur, minor scilicet summo priori quantitate. Denarius vero qui Decalogum legis insinuat, quia ex septenario et trinario constat, septiformem Spiritus sancti gratiam et fidem sanctæ Trinitatis confessio, qui numerus perfecti, qui imperfecti demonstrant (3). Ipse enim Spiritus sanctus in donorum suorum effectibus ostendit qui Deum perfecte, qui minus diligant, qui adhuc neque timorem neque amorem Dei habeant.

Duo quippe sunt quæ nos omnino Deo subjectos efficiunt, timor videlicet et amor : cujus potentia quidem et sapientia maxime timorem **214** incutiunt, cum eum quem esse scimus, et cuncta quæ voluerit punire posse, et nihil latere cognoscimus; benignitas autem ejus specialiter ad amorem pertinet, ut quem benignissimum habemus potissimum diligamus. Ex qua etiam certum est eum ulcisci impietatem velle, quia quo plus ei placet æquitas, magis displicet iniquitas, sicut scriptum est : *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem* (*Psal.* XLIV).

Sexagenario ergo numero qui per senarium, perfectus, denario multiplicatum conficitur, perfectorum vita exprimitur, qui perfecte præcepta divina non observarent, nisi primo timorem initialem, postea amorem filialem ipsum timorem excludentem haberent. Et tales animæ bene *reginæ* nuncupantur, quia divina cooperante gratia sciunt et possunt se per rationem et intellectum regere, quando discernunt utilitatem, gloriam, et honorem in boni exsecutione, porro damnum, miseriam, et horrorem in mali perpetratione, ideoque bonum fortiter affectant, malum fortiter declinant.

Octogenario vero numero, qui denario per octonarium, qui diminutus dicitur, ducto completur, minus perfectorum vita denotatur, qui præcepta quidem divina observant, sed non ita perfecte Deum amant, ut omnia terrena relinquere valeant. Istæ vero animæ *concubinarum* nomine designantur, quia, quamvis per bona opera Deo jungantur, nondum tamen jus illud divinum adepti sunt de quo dicitur, *Qui adhæret Deo unus cum eo Spiritus efficitur* (*I Cor.* VI): hæc est enim plenaria spiritualis dotis conscriptio, ut qui funditus renuntiant sæculo, nunquam a divino separentur consortio. *Adolescentularum* vero *numerus* non definitur, quia infinitus est numerus imperfectorum, qui adhuc sub primitiis fidei constituti, majorum eruditione indigent ad concipiendum timorem Dei, per quem quandoque ad ipsius proficiant amorem.

In quibus nonnulli sunt de quibus plerumque dubia est æstimatio, dum non omnes ad electorum sortem pertineant, juxta vocem Dominicam quæ dicit : *Multi sunt vocati pauci vero electi* (*Matth.* XX).

(3) Deest aliquid.

VERS. 8. — *Una est columba mea, perfecta mea : una est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ et beatissimam prædicaverunt : reginæ et concubinæ laudaverunt eam.*

Cum vero tam diversæ sint qualitates meritorum in Ecclesia; num ideo diversa esse dicitur? minime; sed sicut sequitur, *una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.* Unde *una?* videlicet **215** propter unam eamdemque fidei et sacramentorum susceptionem, et propter unius Dei cultum, similemque religionis ritum : *una est enim fides*, sicut dicit Apostolus, *unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui super omnes est in omnibus nobis* (*Ephes.* IV).

Una est, inquit, *columba mea, perfecta mea :* nam aliter non est columba mea nisi pacis et misericordiæ signum ferens in ore unitatem spiritus servet in corde et virtutem misericordiæ exerceat in opere : *Misericordia enim et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV), misericordiam quippe et judicium semper cantare debet (*Psal.* C), in concessa sibi a me potestate ligandi atque solvendi. Neque aliter *perfecta mea* erit nisi plenam habeat scientiam discretionis, ut sciat quis juste et digne ligandus sit sive solvendus. *Una est* autem *columba et una perfecta mea*, quia extra illam non datur remissio peccatorum, neque distributio donorum, ideoque excluduntur, qui unam, sanctam, catholicam et universalem Ecclesiam non confitentur. In una enim domo agnus comeditur et ejus carnes extra non efferuntur, quia nulla est sacramentorum efficacia, nisi in una catholica Ecclesia.

Una est matri suæ, id est Jerusalem supernæ, quia quæ hic in terris una est in fide et sacramentorum dignitate, ibi in cœlis una erit in æternæ vitæ beatitudine : una enim est beatitudo sanctorum, quamvis non uno modo ea fruantur, propter diversorum meritorum qualitates. *Electa genitrici suæ*, id est Ecclesiæ antiquorum Patrum, videlicet patriarcharum et prophetarum, quorum imitata fidem hæreditavit promissionem : nam ipsa electa est, cui exhiberetur illa promissio proposita Dei quæ in primis diebus facta ad Patres in novissimis diebus impleta est, eadem fide eam justificante de præteritis et futuris, quæ Patres antiquos justificavit solummodo de futuris. Fides enim est tam de præsentibus et futuris quam de præteritis ; licet abusive et non proprie dicatur fides de præsentibus : cum enim Apostolus fidem definiens dicit : *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI), profecto liquet, quia fides illarum rerum est argumentum, quæ apparere non possunt, quæ enim sunt apparentia fidem non habent, sed agnitionem.

Sed quia agimus de Canticis canticorum, num

Digitized by Google

aliquid ad ea attinet duorum numerorum supra positorum, sexagenarii scilicet et octogenarii, musica speculatio? Non sane extra rem videtur esse, si ubi de canticis agitur, modos canendi interdum speculemur. Etenim cum tota animæ corporisque nostri compago musica coaptatione conjuncta sit, perspicuum est et exemplis probatum, ex auctoritate divinæ et humanæ Scripturæ ad componendos, **216** vel ad commovendos, sive ad pacandos animos multum valuisse vim musicæ harmoniæ. Nunquid et in hoc *Cantico canticorum*, quod totum intendit ad amorem cœlestis sponsi animos accendere, non debet valere ad compositionem vel commotionem animæ aliqua speculatio musicæ consonantiæ? Certe et in hoc loco ad modicum suffragari poterit imperfectioni *concubinarum et adolescentularum*, quatenus incitentur aliquo modo ad assequendam perfectionem, quam eas nondum constat habere.

Sed quia omnis concinna dispositio numerorum proportionibus assignatur, videndum quæ consonantia in horum duorum numerorum sexagenarii et octogenarii proportionalitate consistat. Est ergo octogenarii ad sexagenarium habitudo ἐπίτριτα sive sesquitertia, quia octogenarius totum in se habet sexagenarium, et ejus tertiam partem, id est viginti, qua proportio in musica διατέσσαρον consonat; dicitur διατέσσαρον de quatuor, eo quod quatuor vocibus resonet, constans duobus tonis et semitono.

Si quæritur quid ad rem hoc in loco per istorum numerorum proportionem hujus symphoniæ consideratio? respondemus satis competentem in hujusmodi consideratione esse rationem, quia tota universalis Ecclesia per quatuor mundi partes diffusa, quæ, ut dictum est, tribus qualitatibus in ea conversantium, hoc est perfectorum, minus perfectorum, imperfectorum distinguitur, per fidem et sacramenta Novi Testamenti, quod quatuor Evangeliorum perfectione institutum est, omnem quæ salutis summam consequitur, ut quasi quidam suavis concentus διατέσσαρον symphoniæ evangelistarum consonantia quatuor libris velut quatuor constans vocibus quibus omnium Christianorum animus ad sacræ religionis commovetur et componitur cultus.

Viderunt eam filiæ Sion et beatissimam prædicaverunt, reginæ et concubinæ laudaverunt eam. Talem, inquit, Ecclesiam, ut dictum est, meritorum qualitate distantem, sed fidei et sacramentorum unitate similem, *viderunt filiæ Sion*, hoc est animæ mentis speculatione non carnali visione intendentes et compensantes totius Ecclesiæ pulchritudinem et honestatem, in spiritualium dignitatum excellentia, et virtutum gratia, ipsius quoque pulchritudinis necessariam utilitatem, dum in ea consistant et temporalium largior et salubrior concessio, ut æternorum incomparabilis et nunquam terminabilis attributio: proinde *eam beatissimam prædicaverunt*, quia nihil beatius quam Deum semper habere, hic temporaliter eo in suis donis utendo, ibi æternaliter fruendo.

217 *Reginæ quoque et concubinæ laudaverunt eam*, quia sanctis animabus quæ sciunt ratione sensus suos interiores et exteriores regere, valde placet ista sanctæ Ecclesiæ honestas et honestatis utilitas, multumque laudant, hoc est approbant operationum ejus spiritualia insignia et rerum sacramentalium pia suffragia.

Vers. 9. — *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*

Unde et istæ filiæ Sion, sive ipse dilectus, hanc ejus pulchritudinem prædicantes, non interrogative quasi ignorantes, sed affirmative quasi demirantes, quam bene quidem agnoscunt, tali præconio, quasi octava attollunt voce et dicunt:

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Non transeunter sed diligenter hic inspicientibus in hujusmodi laudis modulo offertur prælibatæ symphoniæ, quam διατέσσαρον diximus, non contemnenda modulatio, qua subinnuitur fidei, spei, charitatis, et sacramentorum confirmatio et per quatuor partes mundi Evangelii prædicatio, quatuor quoque virtutum principalium utilis et necessaria assecutio. Cur enim hic non attendatur quasi quatuor vocum distinctio, rerum diversarum quatuor comparatio, videlicet auroræ progressio, lunæ pulchritudo, solis electio, aciei ordinatæ fortitudo. Nam quid amplius est in decore totius Ecclesiæ? Denique si desint fides, spes, charitas et sacramenta, si non recipitur Evangelii prædicatio, si non adsint quatuor virtutum fundamenta, de quibus omnium aliarum virtutum surgunt ædificia, quæ erit Ecclesiæ, sive cujusque sanctæ animæ pulchritudo?

Sed videndum quid insinuent istæ similitudines rerum, qualiter competant ad supra dicta, videlicet fidem, spem, charitatem et sacramenta. *Aurora* initium est diei, porro fides initium est sanctitatis et religionis veluti cujusdem diei, *quia* nomine diei et luminis sanctitas accipitur sicut et nomine noctis ac tenebrarum peccatum. Ecclesia ergo sive quælibet sancta anima *quasi aurora progreditur*, quia divina vocante gratia primo ad fidem venit et per eamdem gratiam quotidie ejusdem fidei incrementa capit. *Luna* vero a sole semper lumen accipit, atque in alia parte hemispherii contra solem posita plenum sui orbis lumen terris infundit; sed cum deficere incipit, ad solem revertitur, ut iterum ab eo reaccendatur, demumque sui luminis **218** plenitudine mundo suffragetur. Unde autem sancta Ecclesia, sive sancta quælibet anima lumen scientiæ, lumen quoque sanctitatis et justitiæ, et sanctæ spei accipit, nisi ab illo vero sole justitiæ Domino Jesu Christo, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* (*Joan.* I.) Sed quia valde differt pulchritudo ejus ab illius

Digitized by Google

pulchritudine, a quo accipit ut pulchra sit, non absolute pulchra, sed per comparationem *pulchra* dicitur *ut luna* : nam quemadmodum luna soli comparata, sive cum sole lucens non lucet : quidquid tamen luminis habet a sole habet, ita et sancti Sancto sanctorum comparati non sunt, quidquid tamen sanctitatis habent, ab ipso habent. Quid autem est Ecclesia, nisi sanctorum collectio ? cumque a divina contemplatione causa fraternæ dilectionis, vel objectu propriæ fragilitatis, plerumque recedens a lumine subtilis intelligentiæ paululum defecerunt, se ad se quandoque recolligentes, ad illum tota mente recurrunt, de quo scriptum est : *Accedite ad eum et illuminamini* (*Psal.* XXXIII), ut illum quasi per quoddam mentis oppositum respicientes, suam qualemcunque plenitudinem recipiant ab eo, de quo dicitur : *Et de plenitudine ejus omnes nos accepimus* (*Joan.* I).

Quid ergo isti fide fideique operibus progredientes nisi spem concipiunt? Qui enim non sperent futura bona, quorum opera sunt luminis plena ; ut merito in eis Ecclesia dicatur *pulchra ut luna ?*

Sed cum fides sit *quasi aurora progrediens*, hoc est primum religionis et sanctitatis suæ lumen effundens, per fidem utique ad spem acceditur, quia quod credimus, quandoque nos adepturos speramus. Unde Apostolus (*Rom.* V) : *Accessum*, inquit, *habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriam in spe gloriæ filiorum Dei ;* ac si aliis verbis dicat : Per fidem quæ est principium et quasi quidam introitus totius boni operis, quemadmodum aurora diei accedimus et proficimus in gratiam pleni luminis, id est sanctitatis, juxta modum quem ipsa nobis gratia concesserit, in cujus luminis gratia stamus, hoc est perseveramus, quia spem habemus per hanc associari futuræ gloriæ filiorum Dei : statimque subinfert : *Non solum autem*, subauditur in hac spe gloriamur, *sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Et ut ostenderet causam efficientem hujus spei certitudinem, subdit, *quia charitas diffusa est in cordibus nostris per sanctum qui datus est nobis.* Hæc est enim anchora totius bonæ intentionis et operationis, quia, ut idem dicit Apostolus : *Charitas nunquam excidet* (*I Cor.* XIII).

219 Hoc est autem quod sequitur, *electa ut sol*, videlicet propter charitatem, quia sicut sol omnibus astris clarior est, ita charitas omnibus virtutibus excellentior est, quamvis secundum divinitatem prorsus incomparabilis. Sancta vero Ecclesia in his qui perfecta charitate ardent et operatione lucent, *electa ut sol* dicitur, quia, cum stella ab stella differat in claritate (*I Cor.* XV), ea pars sanctorum soli comparatur quæ cæteris sanctitate clarior invenitur, nempe in his qui adhuc debiles et teneri sunt in fide et opere, *quasi aurora progreditur* ; in illis vero qui processu conversationis jam aliquantulum profecerunt, *pulchra ut luna* dicitur : porro in illis qui perfecti sunt, et per charitatem quæ perfecta foras mittit timorem, in summorum spirituum, qui seraphim, id est ardentes nuncupantur, transeuntes vero soli vicinius conjunguntur, recte *electa ut sol* memoratur, sive *electa ut sol*, id est, prædestinata in adoptionem, ut ipsa hoc sit per gratiam, quod ille verus sol est per naturam, qui *dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I).

Quid vero ad sacramenta pertinet, dicet aliquis, quartum hoc membrum quasi quarta vox præscriptæ διὰ τεσσάρων symphoniæ : *terribilis ut castrorum acies ordinata?* Plane, inquam, satis pertinet et hoc ex ipsorum sacramentorum effectibus constat, nam quid terribilius est hostibus animæ, hoc est malignis spiritibus, quam virtutes sacramentorum, quibus eorum virtus debilitatur, omnisque potestas et audacia fugatur ?

Ubi enim quodcunque sacramentum ita peragitur, ut res quoque sacramenti adesse possit, hoc est in pace et unitate Ecclesiæ, extra quam non est locus salutarium sacramentorum, ibi profecto valde *terribilis* et importabilis est ipsis malis spiritibus ejusdem sacramenti effectus, sive hoc sit in baptismate, sive in Dominico corpore, sive in ordinum distributione, sive in quarumcunque rerum ordinatione, quæ ecclesiasticis peraguntur institutis ; hoc enim insinuare videtur comparatio ista, qua dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata :* quia sicut bene vincta acies, et ordinatim constipata nullam sui irruptionem patitur, ita Ecclesia unitatis sacramento colligata nulla malignorum spirituum incursione dissipatur. Hæretici vero qui se ab hac unitate præciderunt, quia in hac acie non continentur, foris positi nullas ipsorum spirituum adversitates repellere valent, quando quidem sacramenta Ecclesiæ quæ videntur habere, non habent in re, sed tantum in specie. Ipsa tamen sacramenta recte ab eis celebrata, si fideles accipiunt, et **220** sacramentum et rem sacramenti, hoc est virtutem interius operantem accipiunt : dum ipsi hæretici sacramentum quidem, non autem rem sacramenti sumere comprobentur, ideoque illorum collectio non est terribilis ut castrorum acies ordinata, quia quantum ad eos non hoc operantur sacramenta, quæ nulla eis conferunt remedia.

VERS. 10. — *Descendi in hortum nucum ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruissent vineæ, et germinassent mala punica.*

Postquam dilectus pulchritudinem dilectæ sanctæ, videlicet Ecclesiæ, gratiosa prosecutus est laude, cujus tamen eadem laus ex ipso est, qui sua gratia illam sibi exhibuit, *non habentem maculam aut rugam* (*Ephes.* V), ostendit in sequentibus, propter incredulitatem Judaici populi istam promeruisse donum et meritum fidei, sicut dicit Apostolus : *Illorum delicto salus gentibus, et delictum eorum deliciæ*

Digitized by Google

mundi, et diminutio illorum divitiæ gentium (*Rom.* xi). Qui enim istam admirativo modo extulit, eodem modo illam deprimit, quia ista credente et verbum Dei suscipiente, illa neque credere neque ipsum verbum suscipere voluit: unde scriptum est de ea in Evangelio : *Et mirabatur*, haud dubium quin Jesus, *super incredulitate illorum* (*Marc.* vi). Dicit ergo, *descendi in hortum nucum*. Quid fuit ejus descendere, nisi de divinitatis suæ celsitudine in mundum istum nascendo venire, deinde omnia humanitatis infirma tolerare? Nonne hæc omnia suo ordine completa quidam descensus fuerunt? Ubi autem descensus isti celebrati sunt? Nonne in Judæa? Denique ipse Dominus dicit: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* xv), hoc est enim quod hic dicit, *descendi in hortum nucum ;* hortus enim nucum non inconvenienter dici potest gens Judæorum : sicut enim in nuce sub cortice et testa nucleus tegitur, ita apud Judæos spiritualis intelligentiæ dulcedo sub duritia litteralis superficiei absconditur. Illa ergo gens *hortus nucum* dicitur, quia quamvis propter legalium utilitatem præceptorum et observationum, quæ suo tempore florebant, suisque observatoribus usque ad tempus gratiæ proderant, *hortus* dicatur, omnia tamen futura Ecclesiæ sacramenta, in eo sub figura, quasi sub nucis cortice latebant. In hunc itaque hortum Dominus descendit, quia in primis Judaico populo suæ carnis præsentiam prædicando et miracula faciendo exhibuit.

Quare autem in hunc hortum descendit? *Ut viderem*, inquit, *poma convallium*, hoc est, ut cognoscerem utrum aliquæ fructum fidei et justitiæ fecissent, atque ratione ostendente intelligerent quod ex **221** operibus legis justificari non possint, sed ex fide quam proposui credentibus per gratiam Novi Testamenti. Dico autem ut cognoscerem, non quod hoc vel aliud quid in præsentia mea ab æterno non habuerim, qui ubique sum, et cui omnia præterita et futura præsentia sunt, sed humano more loquens, eorum opera mundo ostenderem utrum sequenda essent an non. Cur vero dico *convallium?* Propter humilitatem litteræ quam carnaliter exsequuntur, sive propter umbram legis qua circumdatur, ne veritatis suæ luce illustrentur.

Et inspicerem si floruissent vineæ, hoc est si saltem aliquem saporem spiritualis intelligentiæ concepissent, si aliquo initio boni operis fidei se applicuissent: vineæ enim dicuntur domus Israel, quæ per tribus duodecim distinctæ sunt; quæ cum vineæ dicantur propter distinctionem tribuum, una tamen dicuntur vinea, propter unam legis observantiam; sicut cum multæ nunc dicantur Ecclesiæ propter diversitatem locorum, una tamen dicitur Ecclesia propter unitatem fidei. Quod vero universitas illius populi vinea Domini dicatur, Propheta testatur. *Vinea*, inquit, *Domini domus Israel est* (*Isa.* v) ; de qua dicit et Psalmista : *Vineam de Ægypto transtulisti* (*Psal.* lxix); sed *cum exspectarem ut hæc vinea floreret et uvam faceret, fecit labruscas* (*Isa.* v). nam postquam gentes crediderunt, ipsi in incredulitate permanserunt.

Descendi etiam, *ut inspicerem si germinassent mala punica*, hoc est, ut non tantum in me crederent, sed etiam pro me patiendi voluntatem haberent: at illi neque credere, neque aliquid propter me pati voluerunt, quin imo me eis prædicantem, et viam salutis ostendentem occiderunt.

Alio quoque modo per similitudinem nucis hanc particulam præsentis cantici exponere non videtur onerosum, quatenus lector eligat quod in his melius et rectius pensat. Hortum nucum universitatem generis humani accipere non videtur absurdum, in nuce enim tria considerantur, cortex, testa et nucleus; in humano autem genere constat homo carne, osse et anima; carnis namque materies est quasi cortex, virtus vero ossea est quasi testa, porro animæ dulcedo est quasi nucleus : et sicut nucleus cortice et testa tegitur, ita anima carne et ossibus vestitur. Unde his tribus hominem constare Job considerans dicit: *Pelle et carne vestisti me, ossibus et nervis compegisti me* (*Job* x). Et ut tertium quod duo illa vivificat et vegetat, hoc est animam, ostenderet, subdit: *Vitam et misericordiam tribuisti mihi* (*ibid.*). In hortum ergo nucum Christus descendit, quando humanam naturam in hunc *mundum* veniendo suscepit.

Et quare? *Ut videret poma convallium* **222**, hoc est, ut visitaret humiles fructum justitiæ habentes, eosque sibi eligeret, videre quippe ejus eligere est, quatenus humilis veniens, insinuaret se humiles et obedientes suscipere, sicut scriptum est: *Et humiles spiritu salvabit* (*Psal.* xxxiii). Descendit quoque ut inspiceret *si floruissent vineæ, et germinassent mala punica*, hoc est, si fidelium Ecclesiæ recte vivendi sive docendi studium inchoassent, et usque ad mortem in ejus dilectione perseverare contenderent, quatenus suum eis adjutorium impendendo ipse et inspirator et cooperator exsisteret, quemadmodum eis promittens dicit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* xxviii).

Vers. 11. — *Nescivi : anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab.*

Causam ignorantiæ et cæcitatis suæ prætendit populus Judæorum, quod postquam lex data fuerat, quæ eos justificaret et salvaret, et hanc Deus multis signis et magnis sanctorum Patrum auctor talibus confirmasset, impossibile foret hanc aliqua novitate evacuari cum Deus sit immutabilis, nec humano more aliquid in uno tempore dicat, præcipiat et instituat, quod alio tempore prohibeat et destruat. Si enim, inquiunt, hoc in futuro displicet quod nunc placet, mutabilis est, quod absurdissimum est dicere, nec aliqua ratione potest constare, Deum mutabilem esse. Si autem ipse incommutabilis est, verba quoque ejus atque præcepta incommutabilia sunt: sed quia ipse est omnino incommutabilis, quidquid

Digitized by Google

dixit vel constituit, fixum et incommutabile esse necesse est, nullam ergo legem secundam et novam posuit, ut primam et antiquam destrueret.

Quibus respondetur, concedendum esse quid proposuerint, videlicet Deum incommutabilem esse, unde in nova lege nihil constituisse quod priori derogarit, quin potius eamdem esse legem novam et antiquam, sed illam in littera, hanc in spiritu; illam in figura, istam in veritate. Quod ita esse, olim in visione Ezechielis prophetæ præmonstratum est, ubi *rota in medio rotæ* (*Ezech.* x) visa esse memoratur. Rota quippe in medio rotæ est Testamentum Novum inter Testamentum Vetus, quia quod Vetus Testamentum designavit, hoc Novum exhibuit: nihil ergo Deus incommutabilis in hoc mutavit, qui alterum altero ita supposuit, ut unum esset significans, aliud significatum.

Hoc ergo primo populus iste nescivit, quia significans legit, sed significatum non intellexit: postquam vero divina visitatus gratia cœpit cognoscere et credere litteram esse occidentem, spiritum vero **223** vivificantem, pœnitens erroris sui expavit dicens: *Nescivi: anima mea turbavit me propter quadrigas Aminadab.* Ac si diceret: Ideo credere non potui, quia gratiam Evangelii minime adhuc intellexi, nam *turbavit me anima mea*, quia mirabar quidnam esset, quod quatuor libros Evangeliorum nunc deberem recipere qui prius quinque libros Moysi receperam, quasi hæc mutatio in Deum caderet, ut ei hoc modo non placeret quod prius placuerat, qui novam conderet legem vetere translata. At postquam mirabilem Dei providentiam intellexi, qui me per carnalia ad spiritualia erudiebat, ut non prius spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale, facilius et veracius comprehenderem, deposita omni dubietate veritatem quam prius impugnabam, postea defendebam, non tantum ipsam veritatem credendo et docendo, sed etiam pro ea moriendo.

Cur autem dico *quadrigas Aminadab?* nimirum propter quatuor libros Evangelii, in quibus prædicantur quatuor sacramenta ejusdem Aminabad, qui interpretatur *spontaneus populi mei.* Quis est autem iste *Aminabad*, nisi Christus qui sponte posuit animam suam, ut me sibi faceret populum spontaneum Deoque acceptabilem? Quæ porro ejus sunt quatuor sacramenta nisi incarnatio, passio, resurrectio et ascensio illius? *Quadriga* ergo *Aminabad* hujus liber est quatuor Evangeliorum continens et conferens quatuor prædictorum sacramentorum cognitionem, aurigante Spiritu sancto, cujus inspiratione compositæ et ordinatæ sunt hujusmodi quadrigæ.

Cumque eumdem populum qui ex circumcisione crediderat, tetra ignorantiæ caligine excussa, ad se revertentem benignus Pater susciperet, quasi consolatoria et exhortatoria voce ei occurrens, ad pœnitentiam provocat dicens: *Revertere, revertere, Sunamitis*, etc.

A Vers. 12. — *Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te.*

Ecce, inquit, occurrit sibi vox quadrigæ meæ, quæ resonat causam et ordinem atque necessariam utilitatem sacramentorum meorum, videlicet nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis meæ, quam vocem quidem prius ignorans neque audire, neque recipere voluisti, sed nunc, o *Sunamitis*, id est captiva quæ adhuc captiva teneris eo quod nondum per baptismi ablutionem corporisque et sanguinis mei, participationem originalis sive actualis peccati nexus deposuisti, *revertere*, quia spem habes veniæ. Recessisti enim a me per incredulitatem et ingratitudinem, oblitus beneficiorum quæ erga te operatus fui, quando te de Ægypti
B servitute liberavi, quando te **224** cœlesti pane pavi, quando tibi legem meam dedi, et præ omnibus gentibus te mihi in populum peculiarem elegi. Sed nunc *revertere* ad me per vocem quadrigæ meæ, per quatuor Evangelia, quasi per quatuor rotas ad te clamantis et te ad pœnitentiam quater adhortantis, *revertere*, *revertere*, *revertere*, *revertere*. Revertere per fidem, revertere per operationem, revertere per rectam intentionem, revertere per dilectionem: primo namque debes credere, deinde operari, quia *fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II); porro operatio tua debet ex bona intentione procedere, ea videlicet, ut fides per dilectionem operetur; nam operatio tua si non est ex dilectione divina, vanæ
C gloriæ subjacet, atque ideo mercede caret, quia meritum sanctitatis non habet.

Revertere autem *ut intueamur te*, hoc est, ut decorem animæ tuæ quem per fidem accepisti, approbemus, et aliis te sequendam pro exemplo ponamus: hæc est enim tua laudabilis pulchritudo quæ placet oculis nostris, ut errore deposito veritatem sequaris, et quæ per errorem et umbram legis, deformis et obscura videbaris, per reversionem, per veritatem et lucem Evangelii formosa et clara conspiciaris. Quandiu enim sub umbra latebas, despicabilis eras, postquam vero ad veritatis lucem existi conspicabilis apparuisti, et nunc *concupivit rex decorem tuum* (*Psal.* XLIV), ille videlicet Rex cœ-
D lestis qui te fecit sponsam per Spiritus sancti gratiam, postquam ad eum reversa es fide, operatione, recta intentione, dilectione; hæc quidem dicta sunt specialiter, quantum ad illum antiquum Dei populum, qui Aminadab nostri quadrigam, quanto minus primo intellexit, tanto amplius postquam intellexit venerata suscepit.

Ut autem ad moralitatem revertamur, potest non inutiliter referri ad humani generis universitatem hujus quadrigæ significatio, ita ut de toto duas constituamus partes, quarum uni eam demus quadrigam cujus auriga sit diabolus. Homo namque constans ex quatuor elementis, et quatuor humoribus, quatuor quoque ætatum incrementis, quasi quamdam materialem videtur habere quadrigam

Digitized by Google

ex parte corporis : porro ex parte animæ dum constat quatuor affectionibus, quatuor etiam virtutibus quibus ad bonum ducitur, ipsius animæ vis et profectus videntur spiritualem habere quadrigam.

Videamus ergo primo quantulæcunque animo occurrerint per quaternarium dispositas in homine secundum corpus complexiones, deinde secundum animam etiam quadriformiter designatas affectuum qualitates, ut ex his, sicut diximus, **225** duas constituamus quadrigas, materialem scilicet et affectualem, quæ utræque ad duos respicientes quadrigas, Christum videlicet et diabolum, alteri eorum subjiciantur, dum non possint *duobus servire dominis* (*Matth.* VI), et aut per Dei gratiam spiritualis recte ac feliciter currens dicatur quadriga Christi, aut per privationem ejusdem gratiæ carnalis perverse ac infeliciter currens dicatur quadriga diaboli.

Quatuor itaque ut diximus sunt elementa, quibus constat homo, ignis, aer, aqua, terra ; quæ quatuor intermiscentur qualitatibus, videlicet calore, frigiditate, humiditate, siccitate. Ignis quippe calidus est et siccus, aer calidus et humidus, aqua frigida et humida, terra frigida et sicca : ipse autem homo his quatuor constans elementis, elementorumque qualitatibus, dum habet calorem ex igne, spiritum ex aere, sanguinem ex aqua, carnem ex terra, in quatuor temporibus, quatuor permutatur humoribus per quatuor ætatum incrementa.

Ver quippe qui est quasi primus flos et principium anni : tunc enim terra florere incipit et germinare, et est calidus et humidus ; pueritiam prætendit quæ est calida et humida, quia in puero sanguis est calidus et humidus ; æstas vero quæ est calida et sicca adolescentiam ostendit, quæ est calida et sicca, colera habens rubea quæ abundant in adolescentibus sicca et calida. Porro autumnus qui est frigidus et siccus juventutem denuntiat, quæ est frigida et sicca, habens melancolica, id est colera nigra, quæ sunt in juvenibus frigida et sicca. Hiems autem quæ est frigida et humida senectutem insinuat, quæ est frigida et humida, habens flegma, quod in senibus abundat frigidum et humidum.

Hujusmodi nempe complexiones quando in homine bene et ordinate vigent, hominem sanum ostendunt, quando vero inordinate vagantur, hominem perturbant et infirmum efficiunt : sed quia hæc quadriformis constitutio materialiter in corpore hominis est, ex qua trahitur ipse homo ad amorem carnis et mundi hujus desideria, quæ contraxit ex traduce peccati originalis, nascuntur quoque ex hac materiali constitutione quatuor affectuales qualitates, quæ principaliter vim et naturam trahunt ex quatuor membris intrinsecis, videlicet felle, splene, jecore et corde. Denique homo habet ex felle ut sit irascibilis, ex splene ut sit risibilis, ex jecore ut sit concupiscibilis, ex corde ut sit rationabilis : porro ex ipso corde sive mente seu animo procedunt quasi quædam quatuor conceptiones, quæ omnem præcedunt actionem, videlicet **cogitatio, intentio, voluntas, deliberatio. 226 Nam aliquid** aciuri prius cogitamus, deinde intendimus **quare** et qualiter id faciamus, post in voluntate **faciendum** disponimus, postremo perficere deliberamus. **At vero** ipsa vis rationis quadrifariam diffunditur : **qui habet** ingenium, memoriam, intellectum, **discretionem**, habet quippe per ingenium ignota et **abscondita** quærendo et investigando invenire, per **memoriam** inventa retinere, per intellectum retenta prudenter, viriliter et honeste disponere, per discretionem bene disposita modeste locis sibi competentibus assignare.

Quatuor quoque affectiones habet sibi insitas ipsa anima rationalis : hoc est timorem, spem, gaudium atque tristitiam, de quibus dicit poeta :

. . . *Hi metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque.*

Et philosophus cuidam suo alumno quem ab istarum passionum affectionibus relevare cupiebat, dicit :

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.

Et hæ quidem affectiones ab eis qui de physica tractant, dicuntur secundum complexiones materialium qualitatum, quæ supra posuimus, in quibusdam magis, in quibusdam minus dominari : sed præest omnibus his animus ratione vigens, qui ea cum se inordinate ingerunt, componat et ad aliquem modum honestatis vel utilitatis Spiritu regente divino deflectat. Ad hujusmodi vero studium vel disciplinam necessario adhibendæ, et a Deo flagitandæ sunt quatuor virtutes principales, hoc est prudentia, fortitudo, justitia, temperantia, quæ quia in omni spiritualis ædificii structura, quasi quidam angulares ponuntur lapides quibus cæteræ virtutes includuntur et retinentur, majora in eis divinæ gratiæ dona considerantur.

Quia ergo duas constituimus quadrigas, materialem scilicet et affectualem, ponamus quoque quasi duos utrique præsidentes spiritum et carnem, aurigantes vero Deum et diabolum : nam illa affectualis tantum plus vel minus movetur ad rationem et honestatem, quantum plus minusve impellitur ab illa materiali per carnis curam ad temporalis vitæ amorem ; et quantum utrique præsidens superior fuerit vel inferior, spiritus scilicet et caro, quæ duo semper sibi invicem adversantur ; quia *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* (*Gal.* V). Etenim idcirco utrique præsidere dicimus spiritum et carnem, quia sunt in eis quædam partes, quæ de carne tendunt ad spiritum, vel de spiritu labuntur ad carnem.

Namque in illa materiali quadriga plerumque aliqui qui naturali **227** carnis calore et humore incitantur tanta per Dei gratiam spiritus fortitudine decertant, ut omnem illum naturalem carnis impe-

Digitized by Google

tum per ignem divini amoris et impetu spiritus frangunt, et funditus quandoque excoquant, atque ita ad Deum incalescunt, ut ad sæculum omnino frigidi remaneant. Econtra aliqui frigidæ naturæ sicut ad omnem actionem intrinsecus in Dei amore frigent, ideoque ad nullum opus bonum laborando student. In illa quoque affectuali quadriga sunt qui irascuntur pro temporali incommodo, sunt et qui irascuntur pro justitia; sunt quoque, qui concupiscunt bona, sunt qui concupiscunt mala; sunt qui rident et gaudent propter hujus vitæ miseram prosperitatem, sunt etiam qui gaudent et rident in adversitatibus propter spem et securitatem futuræ beatitudinis; sunt etiam qui bono rationis bene utuntur, et recte agunt et sapiunt; sunt qui male utuntur et perverse sapiunt et agunt. Sunt nihilominus aliqui qui ingenio naturali ad bonum utuntur, sunt qui ad malum; sunt qui bonum recte, sunt qui male intelligunt, sunt qui recte offerunt, sed non recte dividunt, hoc est discernunt; et sunt qui et recte offerunt et recte dividunt, hoc est discernunt; sicut econtra quidam neque recte offerunt neque recte dividunt, hoc est discernunt.

Unde ambabus quadrigis istis quatuor cohærent species quæ utrasque in plenos proprii studii deducunt motus, videlicet suggestio, delectatio, consensus, consuetudo. Deducitur quippe animus cujusque sive ad bonum sive ad malum, istis quatuor modis, ad bonum quidem suggestione Spiritus sancti, sicut de eo dicitur : *Ipse enim suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis* (*Joan.* XIV); delectatione animæ, consensu spiritus, et consuetudine boni ipsius : ad malum vero suggestione diaboli, delectatione carnis consensu spiritus, consuetudine mali ipsius.

In medio ergo istarum quadrigarum, quæ ex materia carnis et affectu mentis formantur, quatuor virtutes principales, quas supra posuimus, scilicet prudentia, fortitudo, justitia, temperantia constituantur necesse est, ut ex earum quadam quasi circumpositione tota concretio introrsus positi corporis regatur et ad aliquem modum rationabilis formæ componatur. Nam sicut quidam dicit :

Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum,
(Hor., *Ep. I*, XVIII, 9.)

hoc est ab utroque parte remotum : verbi gratia hebetem esse vel male callidum vitiosum esse, sed horum in medio vitiorum, scilicet hebetudinis et male calliditatis, prudentiæ virtus constituitur, cujus moderamine ista inæqualitas corrigatur : fortitudo quoque inter timiditatem et audaciam ponitur, ut hoc sit vere fortem esse **228** qui nec timidus in bono nec audax in malo invenitur. Similiter et in cæteris videri potest virtutibus, ex quarum consideratione juxta se positarum intelligitur qualitas vitiorum.

Ex tota ergo materia hujusmodi, carnali scilicet et spirituali, quadrifariam distincta, unum quoddam fit materiatum, quod in se quasi geminam præfert quadrigam carnis et spiritus, cui præsit aurigans vel Deus vel diabolus : sed Deus regens, salvans et vivificans ; diabolus subvertens, damnans et occidens.

Nomen quidem æquivocum est, quod cum utrobique *quadriga* appelletur, definitione tamen diversum est : nam per suggestionem diaboli et delectationem carnis, consensum quoque spiritus, et consuetudinem mali operis a Deo deficere, est quadrigam diaboli esse ; et e converso per suggestionem Dei, et delectationem animæ, consensum quoque spiritus, et consuetudinem boni operis ad Deum proficere, est quadrigam Dei esse : et e converso quadriga quoque Dei est mens, quatuor virtutibus quas supra posuimus, hoc est prudentia, justitia, temperantia, fortitudine quadrata ; cui opponitur quadriga diaboli, mens scilicet quatuor vitiis ipsis virtutibus contrariis, hoc est, stultitia, iniquitate, luxuria, formidine enervata.

Clamat ergo Ecclesia, sive ipse sponsus per Ecclesiam Sunamiti, *Revertere*, *revertere*, *revertere*, *revertere*, ut quæ quatuor his modis deliquerat, quatuor quoque pœnitentiæ fructus ad Deum revertendo, et hæc in se per Dei gratiam et virtutem animi mortificando offerat. *Revertere*, inquit, per pœnitentiam et satisfactionem præteritorum malorum, *revertere* per contemptum sæculi, *revertere* per mortificationem carnis, *revertere* per virtutum constantiam. *Revertere* autem *ut intueamur te*, hoc est ut postquam pœnitentiam egeris misereamur tui. Videre enim Dei est misereri : unde Psalmista ad Deum : *Respice*, inquit, *in me et miserere mei* (*Psal.* LXXXV); et contra aversio vultus ejus, ira est illius, sicut idem Psalmista dicit : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*Psal.* XXIX).

Quod autem pluraliter dicit : *Ut intueamur te*, modus ille locutionis est in Deo, quo alibi dicit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* III), qui modus inducitur propter pluralitatem personarum in sancta Trinitate.

229 CAPUT VII.

VERS. 1. — *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum ? Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis ! juncturæ femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.*

Quandiu Judæa erroris sui vinculo sive quælibet anima peccati jugo tenebatur captiva, nulla in ea jucunditas, sed miseria videri poterat, quia et illa inter pugnam litteræ et spiritus et ista inter pugnam carnis et spiritus meliore parte semper inferior erat : nam illa solam litteram sequebatur, ista carnem ; at ubi per pœnitentiam illa sensum spiritualem agnovit et recepit, ista carnis amore calcato secundum spiritum vivere cœpit, benignus pater utrumque misericorditer suscipiens ostendit suum ei adjutorium impensurum ut veram jam et plenam libertatem adepta et quasi victoriam de parte sibi adversa consecuta, devotas ei laudes carne et spiritu lætabunda persolvat. Hoc enim ipse per prophetam promittit dicens :

Digitized by Google

Revertimini ad me, et ego revertar ad vos. (*Malach.* v). Unde et eorum conversioni congaudens dicit Ecclesiæ: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* In choris quippe concorditer resonantia melodiæ alternatio ostenditur; in castris vero bellatorum societas pro tuitione colligitur. Quid ergo sunt *chori castrorum*, nisi laudes bellatorum? et est sensus: Quia Sulamitis ista de captivitate, sub qua per **230** culpam detinebatur, ad me conversa est, tantam ei libertatis et securitatis gratiam conferam, ut nihil aliud in ea, o dilecta, videre et mirari debeas, quam pro devictis ac depressis vitiorum motibus, et concessis virtutum profectibus lætas gratiarum actiones et quotidiana laudum præconia.

Jam quasi in unum conjunctis duobus parietibus, ex adverso venientibus Judaico videlicet atque gentili populo, quibus ostendit totam universalem constare Ecclesiam, dirigitur rursus in laudem ipsius, ut prædicet in uno corpore tam diversas suæ dignationis gratias insigniter constitutas, et ob hoc juste et digne sibi gratiarum actiones persolvendas. Dicit ergo: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!*

Quid per *gressus*, nisi actionum cursus exprimitur? quid per *calceamenta*, quæ ex mortuorum animalium pellibus fiunt, nisi præcedentium patrum, et ex hac vita subtractorum exempla signantur? sicut enim calceamentis pedes tuentur, ita sanctorum patrum exemplis mores eos sequentium defenduntur.

Quæ vero *filia principis*, nisi aut Ecclesia, aut sancta quælibet anima illi per adoptionis gratiam dedita, qui est princeps regum terræ? Pulchros ergo gressus habet Ecclesia, sive sancta quælibet anima in calceamentis, quia pulchros et reverendos habet actus ex sanctorum patrum gestis et documentis. Quare non inconvenienter subjungit: *Junctura feminum tuarum sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.*

Per *junctura feminum* concordia duorum Testamentorum accipitur, quia tam æqualiter junguntur Vetus et Novum Testamentum, ut quod unum annuntiat in figura, hoc aliud repræsentet in veritate. Sed quid est quod hæc testamenta *monilibus* comparantur? Monile enim componitur ex auro et argento pretiosisque lapidibus, et in pectore matronarum ponitur, ut sit eis et pro munimento et pro ornamento. Utrumque autem Testamentum constructum est ex divini sensus fulgore et eloquii nitore quasi ex auro et argento, diversarum quoque virtutum prædicamentis, quasi quibusdam pretiosis gemmis. Et sicut matronarum pectus monile munit et ornat, ita utrumque Testamentum sanctæ Ecclesiæ, sive cujusque sanctæ animæ pectus spiritualiter munit et ornat, munit quidem a vitiorum hostilitate, ornat vero virtutum pulchra varietate.

Junctura ergo *feminum ejus, sicut monilia*, quia concordia duorum Testamentorum, quibus quotidie sancta Ecclesia, vel quævis sancta anima instruitur, magnum ei conferunt tutamentum et ornamentum; tutamentum **231** quidem contra pervertitates hæreticorum, ornamentum autem propter decorem et pulchritudinem sensuum et eloquiorum, sive quæ in ea celebrantur virtutem sacramentorum, et honestatem ordinum ecclesiasticorum.

Quis vero est iste artifex, cujus manu ista monilia, hoc est Testamenta, fabricata sunt, nisi omnipotens Deus, cujus voluntate, potestate, operatione hæc honeste composita, utiliter exposita, feliciter sunt suscepta? Quare dignitas horum Testamentorum valde est commendabilis, quando tali sunt auctore constituta, cujus artificium non est humanum, sed divinum, non inventum, sed voluntarium et potestativum, *omnia* enim *quæcunque voluit fecit* (*Psal.* XIII), semperque ejus velle, fuit etiam ejus fecisse.

Omnem ergo decorem et pulchritudinem interioris hominis sui sancta Ecclesia, sive quælibet sancta anima ex istorum Testamentorum consideratione colligit, quid credendum, quid sperandum, quid amandum necessaria sibi utilitas proponat. Unde vero *junctura feminum* ejus, a sponso laudatur? quia concordia duorum Testamentorum, sive duorum populorum, sive geminæ *charitatis* maximam et totam bene vivendi constituunt regulam, et certissimam pro conservata regula reponunt remunerationis gloriam; et bene junctura non femorum, sed *feminum* dixit, quia ex his concipitur, nascitur et proficit omnis sanctæ Ecclesiæ, vel cujuslibet fidelis animæ honestas et utilitas.

Vers. 2. — *Umbilicus tuus sicut crater tornatilis; nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.*

Umbilicus ventris meditullium est: quid ergo est *umbilicus* Ecclesiæ, nisi sancti prædicatores et doctores, qui in medio populi versantur eumdem populum sibi colligentes doctrina et operatione? Sicut enim umbilico omnia adhærent viscera, ita populus suis adhæret prædicatoribus, ad eorum verba et exempla semper quasi ad quoddam meditullium circa se positum respiciens, ut in eorum moribus et sermonibus firmamentum sibi quoddam bene vivendi constituat.

Sed iste umbilicus *sicut crater tornatilis* dicitur, quia ut superflua et inæqualia morum resecent, sancti doctores semper ad idem versantur, quando pro hoc adipiscendo quod semper est immutabile et idem in sui qualitate perseverat, currunt, laborant, et alios secum trahere festinant. Qui crater *nunquam indigere poculis* dicitur, quia iidem prædicatores semper abundant divinorum **232** sententiis eloquiorum, quibus et ipsi per gratiam sancti Spiritus debriantur et sitibunda populorum pectora sufficienter reficere student.

Alio quoque modo, si ad cujusque fidelis animam

Digitized by Google

intendimus, spiritualiter umbilicus mentis sancta dici charitas potest, quæ veluti in centro quodam posita, omnes quasi per circumferentiam virtutes tangit, quia dum nulla virtus sine charitate esse potest, omnes profecto virtutes ad eam respicientes quasi charitatis appendices esse videntur.

Sed quomodo hæc dicitur *crater tornatilis?* Apostolus dicit, quia *finis præcepti charitas ad justitiam omni credenti* (*I Tim.* I), ergo, omnis perfectio in charitate consistit, quia est tornatilis, nihil in se superfluitatis et obstantis vitii retinens, atque ideo perfecta et plana, *perfecta quippe charitas foras mittit timorem, quia timor non est in charitate* (*I Joan.* IV). Ista etenim perfectio finis est præcepti, id est consummatio, ut dicit propheta, verbum consummatum quod fecit Dominus super terram (*Isa.* X; *Rom.* IX).

Quomodo autem *nunquam indigens poculis?* musto pleni dicebantur apostoli quando Spiritu sancto, hoc est igne divinæ charitatis ardebant : ebrii enim erant poculo illo calicis spiritualis, de quo dicit Psalmista : *Et calix meus inebrians quam præclarus est!* (*Psal.* XXII.) Qui ergo divina charitate replentur, quomodo non semper illo indeficienti Spiritus sancti madent, et calent poculo? Econtra terra siti arere dicitur, quæ divinæ charitatis infusione non respergitur : unde Dominus hac siti arentibus clamat, dicens : *Qui sitit veniat ad me et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Igitur *crater iste tornatilis nunquam indiget poculo*, quia perfecta charitas nunquam eget rore cœlesti, et illius summi boni desiderio. Quia vero sunt in Ecclesia prælati et subjecti, fortes et infirmi, prudentes et simplices, postquam in prælatorum virtutibus Christus Ecclesiam suam laudavit, subdit quoque laudabile testimonium ex obedientia et disciplina subjectorum, *venter tuus*, inquiens, *sicut acervus tritici.* Quia enim venter pars est corporis fragilis et mollis, *per ventrem* fragilitas subjectorum, qui nondum perfectionem magistrorum consequi possunt, designatur; sed quia et ipsi quoque ad Ecclesiam pertinent, et de sorte sunt electorum, quos ille summus Pater familias *triticum suum* appellat, et in horreum suum congregari jubet, non incongrue *acervo tritici* comparatur. Acervus autem inferius dilatatur, superius acuitur, tota vero congeries est granorum, quasi invicem se complectentium et portantium collatio.

233 Quid ergo per *acervum tritici*, nisi multitudo fidelium prælatis obedientium exprimitur, qui quamvis per infirmitatem carnis et curas rerum sæcularium, circa latam et spaciosam viam aliquantulum deprimantur, tamen per obedientiam et humilitatem, fraternam quoque charitatem fide et spe ad superna erigantur? nam invicem se complectentes et adjuvantes, atque infirmitates morum et corporum tolerantes implent illud Apostoli; *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI).

Sed iste *acervus tritici vallatus liliis* dicitur, quia per rectæ fidei odorem et peccatorum confessionem multum proficit ad æternæ vitæ candorem, in lilio enim est et odor et candor et medicina : odor enim est in fide et operatione, medicina in peccatorum confessione, candor in vitæ æternæ retributione.

VERS. 3. — *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.*

Per duo ubera non absurde accipi possunt duo charitatis præcepta, per quæ anima cujusque fidelis per teneritudinem intimi lactis nutritur et in spiritualis exercitii robur perducitur, ut possit cum Apostolo dicere : *Omnia possum in eo qui me confortat* (*Philipp.* IV); nam *fortis est ut mors dilectio* (*Cant.* VIII); et a charitate nulla sanctos separat tribulatio (*Rom.* VIII). Per hanc enim eunt *de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII) : unde et recte ipse charitatis præcepta *duobus gemellis hinnulis capreæ* quæ naturaliter semper alta petit comparantur.

Sed quare *gemellis?* nimirum propter ipsius geminæ charitatis, Dei videlicet et proximi, concordiam et unitatem, quia ita insimul in mente sanctorum concipiuntur et crescunt, ut neutra possit esse prior altera, sed cum diligit Deum, diligit et proximum et cum diligit proximum, diligit Deum. Utrumque enim alterius et probativum, quia sicut dicit Joannes : *Qui dicit se diligere Deum et non diligit fratrem suum mendax est* (*I Joan.* IV) : atque ideo ista duo charitatis præcepta quasi duo gemelli sunt capreæ, quia et uno geruntur loco et tempore, et semper ad altiora quotidiano virtutum profiuiunt incremento.

Sive, *duo ubera* duo sunt Testamenta quibus sancta Ecclesia quotidie ad pietatis enutritur opera, quod etiam sunt *quasi duo hinnuli gemelli capreæ*, quia ita unum sunt significans et significatum, ut quamvis non uno fuerint tempore in exhibitione, uno tamen sint tempore in significatione et tanta est ipsorum Testamentorum majestas, ut de eis disputantibus semper major et altior occurrat subtilitas.

234 VERS. 4.—*Collum tuum sicut turris eburnea : oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.*

Quia per colli fistulam vox egreditur, et cibus ventri ministratur, recte per *collum* sancti prædicatores designantur, qui per prædicationis officium conservis ministrant cibaria doctrinarum. Sed considerandum quare dicatur *turris*, et quare *eburnea*. *Turris*, inde primo, quia prædicatio sanctorum alta est propter sensus sublimitatem; deinde quia ex alta mentis speculatione, veluti ex quadam turri, adventus hostis prospicitur, ut eorum insidiæ præcaveantur, et hæc mentis speculatio ex sanctorum sumitur doctrina prædicatorum : *eburnea* propter candorem interius refulgentis sapientiæ; castam vero pronuntiationem exterius resonantis eloquentiæ, sicut in Psalmo canitur, quia *eloquia*

Digitized by Google

Domini casta et præceptum Domini lucidum, illuminans oculos (*Psal.* XVIII).

Collum ergo sanctæ Ecclesiæ, sive sanctæ cujusque animæ, est *sicut turris eburnea*, quia illius prædicatio alta, et firma, et pulchra est, et dum mentem ad Deum erigit, ab hostium insidiis defendit, atque nulla hæreticæ pravitatis macula corrumpi permittit; econtra Synagoga per prophetam dicitur *turris nebulosa* (*Mich.* IV), quia obscura et involuta est carnali Judæorum scientia, quæ quidem *turris* est, propter sublimium sacramentorum quæ in ea teguntur continentiam, sed *nebulosa* propter carnalem solius intelligentiam litteræ. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.*

Oculi sanctæ Ecclesiæ, sive potius cujusque fidelis animæ, non inconvenienter accipi possunt duæ in mente quasi in capite considerationes dextra lævaque intendentes, videlicet ad parvitatem et miseriam temporalis vitæ, ad æternitatem et felicitatem perpetuæ et incommutabilis vitæ.

Quæ recte dicuntur *quasi piscinæ in Hesebon*, quod interpretatur *cingulum mœroris*, quia profecto ex mœrore et tristitia peccatorum, sive ex desiderio æternorum bonorum profluunt per compunctionem veluti piscinæ fontes lacrymarum. Istæ siquidem piscinæ profluunt ex duplici compunctione, quæ nascuntur ex istorum duorum oculorum consideratione, quia dum mens futura supplicia pensat, et suorum reminiscitur malorum, ad pœnitentiam compungitur, quasi ex altera piscina irrigatur.

Sed istæ *piscinæ* sunt *in Hesebon*, quia ex hac gemina compunctione, ex una parte pœnitentiæ, ex altera dilationis cingitur mœrore, ut et ad priora vitia ex futurorum malorum recordatione non defluat, et ad **235** virtutum studia ex futurorum bonorum desiderio se fortiter stringat, Dominicum præceptum adimplens : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII).

Piscinæ autem istæ dicuntur esse *in porta filiæ multitudinis*. Sed quæ est ista porta? nimirum exitus vitæ hujus et introitus vitæ futuræ; unde dicitur in Psalmo de viro beato : *Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta* (*Psal.* CXXVI) : nulla quippe confusio erit viro sancto in exitu hujus vitæ, cum ei pars adversa obstare et nocere voluerit, quia illi in vita sua servivit in quo nihil suum princeps mundi hujus invenit.

Quæ est autem filia multitudinis, cujus illa porta dicitur esse, nisi sancta cujusque fidelis anima, illius videlicet multitudinis filia, cujus *erat cor unum et anima una* (*Act.* IV)? Quæ tunc quidem in terris rudis erat et primitiva Ecclesia, sed illius præfigurabat unitatem, quæ nunc in cœlis vera et perfecta concordia, cum Christo regnat per ineffabilem et immutabilem charitatem.

Hujus nimirum multitudinis filia piscinas illas geminæ compunctionis in sua habet porta, quia per pœnitentiam præteritorum malorum, et desiderium futurorum bonorum confidenter et feliciter de hac vita exiens intrat regna cœlorum. Pulchre ergo *oculi* Ecclesiæ sive sanctæ animæ dicuntur esse veluti *piscinæ in Hesebon quæ sunt in porta filiæ multitudinis*, quia dum ex peccatorum recordatione, vel ex æternæ vitæ amore, per geminam compunctionem madent lacrymarum fonte, introitum sibi regni cœlestis aperiunt in exitu vitæ.

Aliter *oculi* Ecclesiæ possunt non inconvenienter dici provisores et doctores ejusdem, quibus ista similitudo quoque aptari potest, ut sicut *piscinæ in Hesebon* civitatem cingunt et muniunt, ita isti cingunt et muniunt Ecclesiam *cingulo mœroris*, quod Hesebon interpretatur, dum sua doctrina et prædicatione quasi quodam salutari fonte provocant ad compunctionem, ad confessionem, ad satisfactionem, dicentes illud evangelicum : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Pœnitentia quippe recte dici potest cingulum mœroris, quia sic undique cingi et muniri debet vita pœnitentis, ut et commissa lugeat, et lugenda ulterius non admittat. Ea namque vera pœnitentia est qua sic retroacta peccata conspiciuntur, ut futura timeantur habeatque mœrorem ex præteritis, timorem ex futuris. Sed quia timor iste pœnam habet dum ex recordatione præteritorum et timore futurorum mœrorem animi contrahit, recte pœnitens cingulo mœroris vitam constringit.

Sed *piscinæ* istæ *in Hesebon* sunt *in* **236** *porta filiæ multitudinis* : quæ autem est filia multitudinis, vel quæ est ista multitudo? Nonne sanctam Ecclesiam genuerunt apostoli, et eorum successores, apostolici viri? Quorum dignitatem intuens Psalmista, *Nimis*, inquit, *honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum* (*Psal.* CXXXVIII); quos non paucos, sed multos fuisse considerans, *Dinumerabo*, inquit, *eos et super arenam multiplicabuntur* (*ibid.*) Hujus ergo *multitudinis filia* est sancta Ecclesia, quam, ut diximus, sua genuerunt doctrina, quæ habet *portam*, discretionis videlicet januam, per quam discernit quos vel quales in suo corpore repellat. Nam cum semper tritico mista sint zizania, bonos quidem sibi quasi dulces cibos incorporat, malos vero veluti malos humores in corpore suo tolerat, hæreticos vero quasi venenum mortiferum a se prorsus alienat.

In hac ergo discretionis porta stant quotidie provisores sive doctores sanctæ Ecclesiæ; quasi quidam oculi in capite discernere sciunt per spiritum sapientiæ, qui pertineant, vel non pertineant ad corpus Ecclesiæ, qui pisces eligendi quive rejiciendi sint in ultimæ stationis littore : denique fidelibus apertas vitæ januas ostendunt, peccatoribus vero pœnitentibus clausas aperiunt, porro impiis et non pœnitentibus æternaliter claudunt.

Sive *porta filiæ multitudinis* fides dicitur, quæ est initium et quasi quidam introitus ad viam salutis, sine qua impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI), quam prima fronte proponunt sancti doctores viam vitæ quærentibus, et ad cœlestem patriam

Digitized by Google

pervenire cupientibus; quia primo debet quisque recte credere, ac deinde recte credens bene operari.

Sed quia *portam* istam *filiæ multitudinis* diximus discretionis gratiam, qua sancti provisores et doctores Ecclesiæ vel pœnitentes admittere, vel non pœnitentes excludere sciunt, qualis ipsa discretio sit vel esse debeat, subditur, cum dicitur: *Nasus tuus sicut turris Libani*, etc.

Per *nasum* quippe quo odores fœtoresque discernimus, sanctorum discretio designatur per quam norunt discernere odores virtutum, fœtoresque vitiorum, ut intelligant quid eligere et quid reprobare debeant. Qui nimirum *nasus sicut turris Libani* esse dicitur, quia videlicet præpositorum discretio et munita semper debet esse ex circumspectione, et in altitudine semper vitæ consistere, id est, in valle infirmi operis non jacere. Sicut enim turris in montem idcirco ad speculum ponitur, ut hostes qui veniunt longius videantur, sic prædicatoris vita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium discernat fœtores **237** vitiorum, odoresque virtutum, incursus malignorum spirituum longe prospiciat, et commissas sibi animas per suam prudentiam cautas reddat. Et quia ipsa discretio mater virtutum esse dicitur, recte turri Libani qui *candidationem* sonat comparatur, quatenus per eam omnium virtutum pulchritudo custodiri intelligatur.

Sed hæc turris *contra Damascum* respicere dicitur, quia sanctorum vita contra vitiorum tentamenta per altam discretionis considerationem forti custodia munitur. Damascus, quippe *sanguinem bibens* interpretatur, quo mundus iste recte designatur, qui quotidie vitiis et peccatis inebriatur; sanguine enim peccata designari propheta indicat, dicens: *Et sanguis sanguinem tetigit* (*Ose.* IV), hoc est peccato peccatum accessit; et Psalmista: *Libera me*, inquit, *de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ* (*Psal.* L).

Turris ergo ista *contra Damascum* dirigitur, quia sanctorum vita virtutibus alta et munita, contra mundi hujus voluptates forti et discreta consideratione præmunitur.

Vers. 5. — *Caput tuum sicut Carmelus: et comæ capitis tui sicut purpura regis juncta canalibus.*

Per *caput* principale mentis designatur. Carmelus autem *sciens circumcisionem* sive *mollis fluvius* interpretatur.

Recte ergo mens sancta Carmelo comparatur, quia et in divina contemplatione alta est, et a se carnalitatem morum sive cogitationum spirituali circumcisione abscidere novit, atque divini Spiritus infundente gratia, suavi doctrina quasi molli fluvio audientium corda irrigare studet. *Et comæ capitis tui sicut purpura regis, juncta canalibus.*

Comæ capitis cogitationes mentis accipi possunt, quæ *sicut purpura regis juncta canalibus* dicuntur, quia quanto magis junguntur, et intendunt Scripturis quasi quibusdam canalibus, tanto magis accenduntur ad imitationem passionis Christi carnem suam mortificando, cum vitiis et concupiscentiis, sive ipsam carnem, si necesse fuerit, pro Christo persecutionibus offerendo, pretiosam Deo purpuram cordis et corporis martyrio sacrificantes.

Possumus et alio modo hanc orationis particulam ipsi capiti Ecclesiæ, hoc est Domino Jesu Christo, aptare, ut videlicet ex persona sua eidem Ecclesiæ sponsæ suæ seipsum inducat loquentem: *Caput tuum sicut Carmelus, et comæ capitis tui sicut purpura regis juncta canalibus.* Ego, inquit, o sponsa, qui dicor et sum caput tuum, monti Carmelo, propter altitudinem et nominis interpretationem, comparari possum; quia cum sim bonum generalissimum, nihil est quod mea natura excellentius esse possit secundum divinitatem, porro secundum humanitatem **238** nihil vita et conversatione mea sanctius, et in mea doctrina vera et perfecta cordis circumcisio discitur, atque omnis mea prædicatio vere quasi mollis fluvius decurrit, ut audientium mentes sui salubritate reficiat, et ad boni operis studia informet. Hujus *capitis tui comæ*, mei sunt apostoli, cæteri quoque mei sancti, qui mihi charitate, sicut comæ capiti adhærent, quibus *purpura* bene congruit, quia sicut purpura quæ vicinior canalibus est, melius tingitur, ita illorum mens quæ magis meis vel meorum prophetarum verbis et institutionibus vicina efficitur, eo magis ad amorem mei virtute accenditur, et in tabernaculo meo, hoc est in Ecclesia mea, pretiosa et regalis *purpura*, coccus scilicet bis tinctus (*Exod.* XXVIII) Dei et proximi dilectione refulgere conatur.

Igitur quia *caput viri Deus* (*I Cor.* II), si hujus capitis sui *coma* quisque fidelis virtute animi esse desiderat, sacris Scripturarum *canalibus* necesse est ut sedulius scrutator inhæreat, quia ibi invenit unde tingatur, ut Regis sui cœlestis per amorem intimum *purpura* mortificatione carnalis vitæ efficiatur. Notandum autem quod pulchre respondet dilectus dilectæ hujusmodi laudis præconio decem partibus quasi decem chordis, uno resonans spiritualiter decachordo, quod ita superiori decachordo, quod in laude sponsi sponsa decantaverat, decenter opponitur, ut illud a superioribus, istud ab inferioribus modum gratissimæ melodiæ imponant. Quia enim sponsa ad sponsum recta intentione et perfecto amore semper ascendere debet, justum est ut de minoribus ad majora assurgat, atque ideo a sponso proficientis et quasi crescentis ad virtutes animi ejus præconium dignanter decantatur; non quod iste profectus, virtus et potentia sit accipientis, sed potius quia laus est sponsi dantis et hanc ei virtutem atque potentiam suo munere tribuentis.

At vero sponsa intendens venerabiliter immensam sponsi benignitatem de cœlo descendentis, et ad nostram se infirmitatem propter nos humiliantis, laudis ejus præconia a summo corporis præconio, hoc est a capite, quasi a superiori orditur chorda, ut ostendat se inferius positam, semper se respicere debere ad vitam et doctrinam sui sponsi superius sibi e regione oppositam, et ad illum per imita-

Digitized by Google

tionem ascendere, quem cognoscit ad se per compassionis pietatem descendisse.

239 Vers. 6.—*Quam pulchra es, et quam decora, charissima, in deliciis!*

Postquam sponsus in sponsa per partes prædicavit varietatem membrorum ex habitu mentis bone et honeste compositorum, unum quiddam totum exinde procrevisse ostendens, universitatem virtutum staturæ nomine appellat, doctrinæ vero abundantiam uberum significatione declarat. Quæ enim pulchritudo morum sive eloquiorum deest in toto corpore sanctæ Ecclesiæ? nam cum istæ ista, ille illa, alius alia virtute resplendeat, quidam plura, quidam pauciora virtutum genera possideat, quid potest esse speciei pulchritudinis et decoris quam in suo corpore sancta Ecclesia non habeat? Cumque diversi diversa sanctarum doctrinarum eruditione clarescant, quæ potest esse veritatis vel sanctitatis scientia, qua sancta non exuberet Ecclesia? Nam cum secundum Apostolum, *alii detur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum; alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (*1 Cor.* xii), omnis profecto pulchritudo atque ornatus operum sive sermonum interiori statura sanctæ Ecclesiæ spiritualiter refulget.

Unde merito *pulchra et decora*, et *in deliciis charissima* pronuntiatur; quia profecto magnæ sunt deliciæ animæ virtutum abundantia, et sapientiæ salutaris doctrina; sed quo magis anima his delectatur, tanto amplius divinæ dilectionis dulcedine repletur.

Vers. 7. — *Statura tua assimilata est palmæ et ubera tua botris.*

Cur autem hujusmodi statura assimilata est palmæ? Palma namque victoriæ signum est; quæ autem major et gloriosior victoria quam de vitiis et peccatis triumphare? Unde autem ejusmodi mirabilis et gloriosa succrevit statura, nisi ex victoria virtutum et destructione vitiorum? Non incongrue ergo *statura* Ecclesiæ *palmæ assimilatur*, quia omnis ejus morum honestas et probitas insignes loquitur victorias.

Porro ubera ejus botris assimilantur, quia doctrina et prædicatio ejus dulci et suavi abundat sapore sapientiæ et spiritualis intelligentiæ, et auditores suos ita inebriat, ut a mundi hujus voluptatibus velut insensibiles faciat. Ut autem ostendat ipse sponsus quod pulchritudo hujus staturæ maxime et principaliter proficiat et succrescat ex mortificatione carnalis vitæ, passionis suæ ei prætendit exemplum et ipsius passionis emolumentum : *Dixi*, inquiens, *ascendam in palmam.*

240 Vers. 8. — *Dixi : Ascendam in palmam et apprehendam fructum ejus : et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odor oris tui sicut odor malorum.*

Ac si eidem sponsæ suæ patenter dicat : Unde habes vincere, unde habes proficere? Estne tuæ virtutis et industriæ, quod tantæ pulchritudinis decus tibi potes comparare? Si recte consideres, nequaquam tuæ fortitudini vel prudentiæ alicujus boni meritum ascribes. Ego enim *dixi*, hoc est ante tempora sæcularia decrevi et determinate disposui, quia per signi prævaricationem occubuisti et impotens esse cœpisti, et inimicum tibi ipsi peccando invenisti, cui postmodum prævalere non potuisti, sed quasi captiva ejus dominio subjacuisti, ut rursus per ligni oppositionem perditum tibi bonum recuperarem, et ab inimici potentia, et a captivitate qua detinebaris eriperem, redditaque libertate inimicum tibi substernerem et contra ejus insidias providentiam tibi præcavendo et virtutem resistendi darem : idcirco *dixi : Ascendam in palmam*, hoc est in crucem, in quam postquam de hoste triumphavero, et fructus hujus passionis meæ apprehendero, atque in signum victoriæ resurgendo protulero, omnibus mihi obedientibus et in mea virtute spem habentibus hujus consolationis oraculum proferam : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* xvi). Tu ergo debes pugnare, et quia secura es de victoria me victoriam jam adepto, crucem mecum carnem mortificando ascende ut omnis *statura* tuæ animæ assimiletur *palmæ*, et perseverantiæ titulo æternæ mancipetur victoriæ.

Sed veneranda et adoranda omni animæ hujus ascensio palmæ. Quare? quia magnus profecto et incomparabilis fructus ejus : quid enim? nonne per hunc fructum refectum et reparatum est totum genus humanum? Quis aliter aut qualis fructus iste fuit et est? Nimirum generis humani redemptio, inimicitiæ erga Deum reconciliatio, quotidiana peccatorum remissio, contra insidias inimici firma defensio, mundanæ miseriæ exitus, et regni cœlestis introitus. Omnis enim profectus Ecclesiæ ex tempore passionis et resurrectionis Christi cœpit, atque exinde sanctitatis ejus præconia et Spiritus sancti bona abundantissime profluxerunt. Unde et sequitur : *Et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odor oris tui sicut odor malorum.* Nam prædicatio et doctrina ejus post remotionem umbræ per exhibitionem veritatis suavior et uberior emanavit, et post passionem et resurrectionem Christi, multos **241** divina charitate ita ebrios fecit, ut omnem in eis mundanæ voluptatis humorem calore sancti Spiritus excoxerit, et ad cœlestis vitæ amorem accenderit.

Ex gutture vero vox egreditur, et idcirco per guttur memoria præceptorum divinorum, per vocem ipsorum præceptorum prædicatio, non incongrue accipitur; nisi enim primo in mente per memoriam teneantur, minime foras per sermonem proferentur; sed hujusmodi vox sermonis *malorum odori* comparatur, quia sicut per odorem res non tantum præsens, sed etiam absens sentitur, sic a tempore passionis et resurrectionis Christi per prædicationem Ecclesiæ, non tantum præsentia

Digitized by Google

Domini ipsius sive sanctorum ejus facta et dicta, sed etiam præterita cognita sunt et quotidie legendo et audiendo cognoscuntur. Futura quoque bona seu mala ex his colliguntur, quando et justorum præmia et peccatorum supplicia longe quasi ex quodam intimi tactus odore pensantur. Non autem ad odorem florum, sed *malorum* vox ista refertur, quia prædicatio Ecclesiæ quæ nunc per totum resonat mundum non rudis vel tenera, sed matura et perfecta unam fidem credentibus ostendit.

VERS. 9. — *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.*

Guttur vero *sicut vinum optimum* dicitur, quia memoria præceptorum divinorum mentem sui dulcedine inebriat, et quod suaviter interius meditando bibit, utiliter exterius eloquendo profundit. *Dignum dilecto meo ad potandum.* Christus in corpore suo, hoc est in Ecclesia, quæ cum eo per Spiritum unum efficitur, sicut justitia, fide et sanctitate refici, ita et potari dicitur; quemadmodum e contrario in infidelibus justitiam, fidem et sanctitatem esurire atque sitire prædicatur. Nam in cruce pendens cum diceret: *Sitio* (*Joan.* XIX), fidem et sanctitatem infidelis populi sitiebat, quia propter eum quasi quodam æstu laboris fatigatus fuerat, quem de Ægypto multis signis et portentis duxerat, ante quorum faciem gentes contriverat, ad quos testamenti sui et legis pactum confirmaverat, quibus terram repromissionis, urbem templumque delegaverat, pro quorum salute postremo ipsam mortem suscipere non dedignatus fuerat.

Cum ergo sancta Ecclesia, sive sancta quælibet anima, legem Domini die ac nocte meditatur, in mente ipsius Christus quodam dulci meditationis vino potatur, et illius sancta meditatio est quasi suavis et digna Deo potatio. Unde cum sponsus *guttur dilectæ*, hoc est meditationem mandatorum **242** Dei, quasi *vinum optimum* prædicaret, illa laudantis vocem interrumpens, et cooperatrici gratiæ adgaudens, *dignum*, inquit, *dilecto meo ad potandum*, hoc est, dignum quod ipse sua gratia provehat, et ad effectum perducat.

Quomodo? *Labiis et dentibus ruminando:* quod enim secum frequenter meditando intelligit, debet aliis docendo impendere, exponendo tractare, et discutiendo retractare, quod est quasi mundi animalis proprium ruminare. In uno enim corpore Ecclesiæ quod universus Christus intelligitur, *guttur* est divinæ Scripturæ meditatio, *labia* ipsius Scripturæ pronuntiatio, *dentes* ejusdem explanatio veluti grossæ litteræ confractio, et ad spiritualis intelligentiæ subtilitatem diminutio. Quare ipsi sponso *dignum* dicitur *ad potandum* sive *ruminandum*, quia omnis profectus Ecclesiæ sive cujuslibet sanctæ animæ ejus muneris est et gratiæ.

VERS. 10. — *Ego dilecto meo, et ad me conversio illius.*

Quandoquidem, inquit, præeunte ipsius dilecti mei gratia, placeo illi sanctarum Scripturarum meditatione, ergo volo et jure debeo magis ei appropinquare obediendo, bonis actibus studendo, cæterisque præcepta illius annuntiando, ut fiat hoc quod scriptum est: *Appropinquate Deo et appropinquabit vobis* (*Jac.* IV). Si enim me ad ipsum convertero, tunc *ad me conversio illius*, sicut ipse dixit: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I): nulla autem mutabilitas in Deo est, ut humano more averti vel converti posse dicatur, sed quidem motus venientis sive recedentis gratiæ in homine, quædam conversio sive adversio Dei appellatur. *Conversio illius* ad nos, est gratiæ vocantis, justificantis et glorificantis miseratio, per quam liberum juvatur arbitrium, et bonæ voluntatis intentio ad boni propositi perducitur effectum. Unde bene primo dicit: *Ego dilecto meo*, ac deinde, *et ad me conversio illius*, quia nostrum est primo bonæ voluntatis intentionem ad boni operis studium assumere, illius bona intentione conceptum opus per cooperatricem gratiam ad bonum usque finem perducere. Quodcirca quia promptam in se sentiens voluntatem de cooperantis sibi adjutorio fiduciam assumit, continuo ad operationis studium accingitur dicens: *Veni, dilecte mi.*

243 VERS. 11. — *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

Egrediamur, inquit, quia postquam ad me conversio tua facta fuerit per cooperantem gratiam libere et secure possum exire, et ad prædicationis officium et ad bonæ actionis studium, ut omnis mea operatio et a te semper incipiat et per te cœpta finiatur: nihil enim boni sine te possumus facere.

Sed quo primo egrediemur? *in agrum* videlicet, hoc est gentem Judæorum quæ jam habilis est ad suscipiendum semen verbi Dei, quia jam exarata habet corda per legem scriptam et etiam naturalem, atque ideo magis intelligere potest ex lege et prophetis divinæ bonitatis propositum quo decrevit restituere genus humanum. Illis enim primo oportet *loqui verbum Dei* (*Act.* XIII), *quorum adoptio filiorum est gloria, et testamentum et legislatio, et obsequium, et promissa; quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX). *In* hunc ergo *agrum* divini verbi semine conspergendum, *egrediamur* per prædicationis officium, et *quia* primo *credita sunt eis eloquia Dei* (*Rom.* III), prima quoque in eis fidei et divinorum sacramentorum seminaria jaciamus.

Deinde progredientes, *in villis commoremur*, hoc est in gentibus, quæ a civitate Dei, id est Ecclesia, remotæ sunt, in quibus quia tardiores sunt ad credendum propter insolitam et inauditam fidei prædicationem, necesse erit moram facere et frequentius verbum vitæ annuntiando ad urbanæ consuetudinis elegantiam, hoc est ecclesiasticæ legis observantiam reducere. *Commoremur* ergo inter eas, tu, o dilecte, per gratiam inspirans, ego per præ-

Digitized by Google

dicationem adjuvans, ut ingenitam eis ignorantiam, et rudis animi simplicitatem crebra eruditione atterentes, nostram civilem honestatem et veram sapientiam infundamus, per quam illius supernæ civitatis felices accolæ ascribi mereantur.

Cum autem hos duos parietes e diverso venientes, Judæos scilicet et gentiles, in una fide conjunxerimus; non duo, sed unus erit populus, una Domini Sabaoth vinea, quæ Spiritus sancti opere exculta, non jam labruscas, sed dulces faciet uvas.

VERS. 12. — *Mane surgamus ad vineas, videamus si vinea floruit, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica : ibi dabo tibi ubera mea.*

244 *Ad* has autem *vineas* ex circumcisione et præputio plantatas, *mane surgamus*, in exortu scilicet fidei, quando verus sol in cordibus credentium oriri cœperit et suæ sapientiæ charitate irradiare ea et virtutis calore accendere : *videamus si vinea floruit*, hoc est si jam unus christianorum populus factus initia bonorum operum protulit; *si flores fructus parturiunt*, hoc est si ipsa initia ad integritatem et perfectionem aliquam assurgere conantur; *si floruerunt mala punica*, hoc est si tanto Dei amore flagrent, ut non solum mente sed et corpore pro eo pati desiderent.

Ibi dabo tibi ubera mea : postquam enim hos duos populos per unitatem fidei unum fecerimus, et ad boni operis studium promoverimus, tunc ad laudem tui nominis, o dilecte, sacramenta quæ ex subtilitate duorum Testamentorum tuo munere cognovimus, eis quoque committemus, quatenus in eis semper et ad majora virtutum opera nutriantur, et contra mundi tentamenta roborentur, et ad futura beatudinis bona appetenda magis accendantur. Confidenter quippe prædicabo, et præceptorum tuorum præcepta (*sic*) reserabo, quoniam habeo spem fructificandi, et effectum boni operis consequendi. Unde? quia *mandragoræ dederunt odorem.*

VERS. 12. — *Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.*

Ipse nempe odor spem mihi affert prædicandi, quia credo ex odore illo consequenter provenire utilitatem fructus percipiendi. Sed considerandum diligenter quæ sit ista *mandragora*, quive hujus *mandragoræ odor*. Si ad litteram respicias, *mandragora* est herba aromatica quæ ad similitudinem humanorum membrorum formata solo capite caret, cujus virtus est ut in potum data his quos vigiliæ premunt, somnum adducat et requiem; porro steriles si ea utantur, concipere faciat.

Si vero spiritualem sensum attendas, *mandragora* non absurde accipi potest gentilitatis conversio, quæ quandiu in sui erroris pravitate agebatur, non inani tantum, sed etiam exitiabili labore fatigabatur; sed postquam conversa Deum agnoscere cœpit, et curis et voluptatibus rerum sæcularium minus vigilare imo magis quam dormire, et a pravo labore hujus mundi quiescere didicit; et quæ prius a bono opere sterilis erat, postmodum fecunda virtutibus exstitit, impleta prophetia quæ dicit : *Lætare, sterilis, quæ non paris : erumpe et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Isa.* LIV; *Gal.* IV).

245 *Mandragora* vero ut diximus cum habeat humani corporis similitudinem, capite caret, quia gentilis populus cum naturaliter ratione vigeret ad discretionem boni et mali, tamen ipsa vis rationis hac in parte in eo hebetata erat, qua Creatorem suum cognoscere non valebat, quem quia in sui cognitione non habebat, quasi capite carebat. Judaicus quoque populus per *mandragoram* significari potest, qui dum ratione per observantiam legis uteretur, caput tamen non habebat, quia Christum suscipere recusabat; sed *mandragora* ista postmodum *odorem dedit*, quia quæ prius per infidelitatem sterilis fuerat, postea credens multos Deo filios generabat. *Mandragoræ* ergo *odorem dederunt in portis nostris*, quia Judaicus et gentilis populus, te, o dilecte, in cœlum ascendente, per tuam gratiam et meam prædicationem fidei sacramenta susceperunt. Quænam autem sunt istæ portæ, in quibus credentem populum dicit dilecta odorem dedisse? Nimirum si diligenter consideres, agnoscere poteris per quas portas anima Deum invenire cupiens paulatim usque ad ipsa cubilis secreta progrediatur : primo namque in homine est animi conceptio, qua concipit id cujus summam adipisci desiderat, quo concepto quid vel quale sit investigat, donec ipsius cognitionem habeat. Cognito autem eo amplectitur, et sic eo ad utilitatem sui utitur, ut omnem ejus integritatem ad se quandoque convertere conetur. Est ergo in unoquoque credituro quædam porta et quasi primus ad Deum introitus, prima fidei in animo conceptio qua voluntatem credendi accipit, deinde ipsius fidei investigatio ut cognoscat quid vel qualiter credere debeat; post quam secundam investigationis portam aperitur ei tertia porta, fidei scilicet cognitio, post cognitionem sequitur operatio, sine qua fides otiosa esse decernitur, bene autem operantem Deo conjungit mundi cordis contemplatio.

Per has ergo *portas* ad Deum venire contendentes, in ipsarum portarum introitu, bonæ voluntatis *odorem spargunt;* sed iste odor per secundam portam investigatæ fidei transiens, tertiam quoque cognitæ fidei jam portam attingens, ac deinde quartam operationis portam percurrens, per quintam demum contemplativæ dulcedinis portam ad ipsa interiora cœlestis sponsi secreta illabitur. Cum ergo *mandragoræ dant odorem in* his *portis*, evidens est quod Deum quærentes animæ ad fructum boni operis jam maturescunt. Digna ergo gratulatione sponsa **246** dilecto alludit dicens : *Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris*, quia dum Ecclesia filiorum suorum profectum intendit, competentes Deo gratiarum actiones persolvit. Unde magis ad

Digitized by Google

prædicationem accingitur, quia in eorum cordibus proficere se sperat, quos ad Deum toto corde conversos esse considerat. Ipsum vero profectum suum non suo labori et industriæ, sed divinæ gratiæ imputat dicens : *Omnia poma nova et vetera*, etc., *dilecte mi, servavi tibi.* Ad tuum, inquit, honorem servavi, o dilecte, omnem fructum sanctitatis, quem ex Veteris vel Novi Testamenti institutione cognovi, sive quem ex præceptorum informatione didici, sive quem ex Patrum vita et floribus informando collegi. Tui enim hoc est muneris, non mei laboris, vel quod ipsa bene vivendo et docendo profeci, vel quod alii meo exemplo sive doctrina proficere potuerunt. Sive, ut alio modo dicam, *Omnia poma nova et vetera servavi tibi*, quia omnia quæ in Veteri Testamento mysterialiter facta et dicta, in Novo autem realiter exhibita leguntur, de tua nativitate, passione, resurrectione, et ascensione, scripta docui et exposui, cunctisque legentibus et audientibus fructum in eis fidei et bonæ operationis ostendi.

247 CAPUT VIII.

VERS. 1. — *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer, et jam me nemo despiciat.*

Si sensum allegoricum inspiciamus, potest vox ista referri ad illos sanctos, qui ante adventum Domini magno desiderio æstuabant videre quod a patriarchis et prophetis diu prædictum noverant et ipsi in spiritu prævidebant futurum, videlicet incarnationem Christi per quam universalem mundi salutem provenire non dubitabant. Dicat ergo antiquus ille sanctorum populus desiderativo locutionis modo : *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ : fratrem*, inquam, *meum* propter humanæ carnis susceptionem, sive generis cognationem, *sugentem ubera matris meæ*, hoc est natum et nutritum in synagoga Judæorum. Et quare hoc desiderio? *ut inveniam te*, inquit, *foris et deosculer*, hoc est ut in carne te aperte videam et amplectar, quem in divinitatis secreto videre non possum : *et jam me nemo despiciat*, imo potius veneretur et diligat propter specialem tam generosæ sobolis de mea carne nascentis nobilitatem; *apprehendam* autem *et ducam in domum matris meæ*, quia hoc tuæ dignationi placuit, ut in sola gente Judæorum carnis tuæ præsentiam exhiberes et miraculorum tuorum potentiam demonstrares. *Ubi* ergo *me docebis* et verbis et factis, quid in figura, quid in veritate intelligere debeam et quod ipse sis *finis præcepti ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x). Sed quantum doctrinæ tuæ suavitate proficiam! *Dabo tibi poculum ex vino condito*, quia quasi potaberis delectatione fidei et operationis meæ, quam tibi offeram ex nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et virtute fidei, spei et charitatis. Sicut enim vinum conditum ex tribus principaliter constat, hoc est vino, melle, atque pigmentis, ita mens mea ex tuorum doctrina sermonum conditur fide sanctæ Trinitatis, sive, ut dictum est, virtute fidei, spei 248 et charitatis. *Dabo quoque mustum malorum granatorum meorum*, quia prædicatio tua sive operatio pariet in me animæ a vitiis expurgatæ novitatem et suavitatem ex fervore charitatis et studio multiplicium virtutum.

Porro si moralem sensum consideremus, unicuique fideli animæ vocem istam optabimus, quæ sanæ Scripturæ interita se ipsam scientia et alios verbo exhortationis ædificat : quæ enim sacræ Scripturæ scientiam habere desiderat tota animi aviditate his verbis ad Deum clamat : *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ?* Ut quid te *fratrem* appello, nimirum et propter participationem humanitatis, et propter gratiam adoptionis, qua te ipsum *fratrem* nominas dicens : *Ite, nuntiate fratribus meis* (*Matth.* xxviii), et : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror et mater est* (*Matth.* xii). *Quis* ergo *mihi det te fratrem meum*, ut mecum sis, et mecum labores per cooperatricem gratiam, *te* dico *sugentem*, hoc est sugere facientem, *ubera matris meæ*. Hoc enim eo locutionis modo dictum fit, quo et alio loco Scriptura utitur : *Ipse enim postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* viii) : *postulat* dicens, pro eo quod est postulare faciens.

Quæ autem sunt *ubera matris meæ*, et cujus matris meæ? Profecto *ubera matris meæ* dogmata sunt sanctæ Ecclesiæ, quæ ex utriusque Testamenti paginis mentis meæ infantiam nutriunt, et in robur virilis intelligentiæ producunt. Utquid vero tantopere te mecum esse desidero? *ut inveniam te foris et deosculer :* quid est hoc? Ubi enim lates quando foris non es? nimirum in nube diei, hoc est in obscuritate et subtilitate spiritualis intelligentiæ, quam postquam illuminatione ignis tui, id est Spiritus sancti, accepero, profecto te qui intus latebas, foris invenio, cum autem te invenero, *deosculor*, hoc est totis mentis meæ lacertis amplector, quia tantum in percepto munere intelligentiæ delector, ut libeat cum Propheta dicere : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo!* (*Psal.* cxviii.)

Jam vero tuis amplexibus sic me inhærentem et sanctæ Scripturæ mysteria sapienter eloquentem, *nemo me despiciet*, quia, sicut Scriptum est : *Sapiens implebitur benedictionibus et viventes illum laudabunt* (*Eccli.* xxxvii), et : *Sapiens in populo hæreditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum* (*Ibid.*); et iterum : *Os prudentis quæritur in Ecclesia et verba illius cogitabunt in cordibus suis* (*Eccli.* xxi). *Nemo* ergo *me despiciet*, quia audiunt quod unctio tui Spiritus docet me de omnibus (*I Joan.* ii), imo cadentes in terram adoraverunt Dominum, pronuntiantes quod vere Deus in nobis sit (*I Cor.* xiv).

VERS. 2. — *Apprehendam te et ducam in domum matris meæ. Ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.*

Digitized by Google

249 Tantum autem placet hæc dulcedo palato cordis mei ut te hoc modo inventum, sola ad meam utilitatem tenere nolim, verum potius, *apprehendens ducam te in domum matris meæ*, familiam scilicet sanctæ Ecclesiæ, ut quod ex tua gratia intelligo, hoc fratribus meis audire et discere cupientibus cum benevolentia communicem.

Ibi ergo *me docebis*, quia quo plus alios docuero, tanto amplius cum eis disco : plus enim confert collatio, quam lectio. *Et dabo tibi poculum ex vino condito*, quia sic docendo, vel conferendo, exponam figuram legis cum veritate et gratia Evangelii sive sensum historicum cum allegoria et moralitate conditum, et hoc *poculum* tibi dabo, quia omnem hanc scientiam ad tuum honorem et gratiam conferam.

Dabo tibi quoque *mustum malorum granatorum meorum*, quia dum sanctorum patientiam, et multiplicem virtutum laborem prædico, ipsa quoque exemplum laboris et patientiæ ipsorum accipio, quæ tamen omnia nec ipsorum, nec meæ potentiæ, sed tuæ pietati et gratiæ ascribo.

Igitur tanta dilecti mei et fratris mei præsentia, mecumque commorantis dulcedine et gratia, quasi ab omnibus mundi hujus voluptatibus et curis abrepta, ad vos, o filiæ Jerusalem, convertor, et quid in me habeam proposito denuntio quantave ei charitate cohæream ostendo. Quid, inquiunt, hoc est? *Læva*, inquit, *ejus sub capite meo.*

Vers. 3. — *Læva ejus sub capite meo, et aextera illius amplexabitur me.*

Bona enim omnia temporalia ab eo mihi concessa amore æternorum bonorum postpono, ipsa vero æterna tota mente concupisco, et ad illa pervenire tota animi virtute propono. Licet enim *in sinistra ejus* sint *divitiæ et gloria* (*Prov.* III), quantum ad utilitatem et pulchritudinem creaturæ qua homo ad cognitionem sui Creatoris ducitur, ut non sit inexusabilis, *longitudo* tamen *dierum in dextera ejus est* (*ibid.*), non quæ finiatur, sed quæ immutabiliter in sui beatitudine consistat.

Læva ergo *ejus sub capite meo* erit, sed *dextera* ejus *amplexabitur me*, quia temporalium memoria me tenebit, non tamen ad sui delectationem et unum perpetuum, æternorum vero desiderium totam me circumdabit, adeo ut omnes sensus meos in sui studium convertat, et ea quæ retro sunt oblivisci, atque in ea quæ ante sunt totam me extendere compellat. (*Phil.* III).

250 Verum quia hæc agit sponsus, qui piis animi studiis atque profectibus gaudet, atque ejus devotionis et puræ intentionis dulcedine delectatur, *adjuro vos*, inquit, *filiæ Jerusalem*, etc.

Vers. 4. — *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Nolite, inquit, filiæ Jerusalem, dilectam a tam utili et honesto proposito suo abducere, aliqua rerum transeuntium cura, importune ei suggerendo vestram vel sui ipsius necessitatem circa exteriora, quæ non permittunt liberum esse animum ad appetenda et perfecte conservanda sanctæ contemplationis otia, sed hoc magis ejus judicio relinquite, quæ ex unctione mei Spiritus docetur (*1 Joan.* II) ; hanc habete discretionem, ut sciat quando sit utile nunc divinis rebus insistere, nunc vestræ infirmitati condescendere. Sive *dilectam* futuram nullo modo *suscitetis, neque evigilare faciatis*, compellendo minis vel promissionibus, quia Deus coacta servitia non approbat, quin potius eam suæ relinquite voluntati, quia scriptum est : *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII), et, *Qui sponte se offerunt Domino, benedicuntur a Domino* (*Lev.* XXII) : *Nemo autem venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI). Si enim trahitur venit, si non venit non trahitur : ergo non compellatis eam *donec ipsa velit* : tunc enim acceptabile Deo erit boni operis sacrificium, si bonæ voluntatis condimento fulciatur.

Vos autem, dilectissimæ sorores, quas aliquantulum morosius et prolixius pars Cantici hujus sua modulatione tenuit, istam quasi extremam in depositione vocem attendite, considerantes quam acceptum Deo et dulce sit animæ in sanctæ conversationis proposito quiescere et in divina contemplationis studio dormire ; et e contrario quam periculosum, quamque Deo adversum, de hoc vos proposito aliqua occasione abducere, et ad rerum temporalium curam detorquere.

LIBER QUARTUS.

251 Si tantum parvitatis meæ studium in hoc præcipuo genere Cantici apud vestram dilectionem profecisset, ut toto spiritu concitatæ, postpositis temporalium curis cum Apostolo dicere possetis : *Orabo spiritu, orabo et virtute; psallam spiritu, psallam et virtute* (*1 Cor.* XIV), multum profecto cor meum exsultaret in Domino, quia non parva hæc mea esset gratulatio dicere cum Apostolo : *Gaudium et corona mea vos estis in Domino* (*Philip.* V). Si enim ad modum cantationis meæ, tam anquantulum frondetis in Domino, bene collaudatis canticum, quia hoc nimirum est laudare canticum, canticum experiri et modum. Quæ autem vis est cantici hujus? secundum nomen ejus quod dicitur *Canticum canticorum*, præcellentius et sublimius ferre mentem ad amorem sui Conditoris et perfecte ab ea deponere quidquid ad hujusmodi speculationem ex mundi potest rebus obstare. Si ergo istam

Digitized by Google

aliquantulum expertæ estis, dicat vobis concordia et harmonia carnis et spiritus quos invicem sibi non adversari, est pulchre canere et recte modulari. Si ancilla servit liberæ, hoc est, si caro consentit rationi, non est melior, neque suavior concentus, qui summæ placeat Divinitati, hoc nempe est cantare *canticum novum* et hujusmodi *laus* est *in Ecclesia sanctorum* (*Psal.* CXLIX). Siquidem *laus Dei* est pia vita et conversatio sanctorum, quia hoc suum tale vivere habent ex Dei gratia et benignitate : inde Deus laudandus est, non ipse homo, quia non hoc est opus hominis, sed opus Dei ipsum hominem justificantis.

Quid enim est *canticum novum*, nisi venerabile Novi Testamenti mandatum ? Quid est *canticum novum* cantare, nisi veterem hominem exuere et novum induere ? *Exuite*, inquit Apostolus, *veterem hominem, et induite novum qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate* (*Ephes.* IV) : ergo justum et sanctum esse profecto est canticum novum cantare, omnis enim sanctitatis perfectio ex evangelicæ institutionis agnoscitur instrumento. Nam cum lex dicat : *Non occides*, Evangelium docet sine causa non irascendum; et cum lex **252** dicat non mœchandum, Evangelium docet, nec in concupiscentia peccandum (*Exod.* XX; *Matth.* V). Talis utique sanctitatis perfectio nimirum novi cantici est modulatio. Hoc canticum novum cantat Ecclesia sanctorum, et hujusmodi decantatione frequenti pervenit ad decantandum *Canticum canticorum*. Quid nempe est Canticum canticorum cantare, nisi Dominum tota mente, tota anima, tota virtute diligere ? Sicut enim Canticum canticorum dicitur, quod omnia alia sua dignitate superet cantica, ita charitas dici potest virtus virtutum, quod omnes sui excellentia superat virtutes.

Si ergo vos, o dilectæ sorores, vere et sincere Dominum diligitis, profecto Canticum canticorum cantatis; et quia *laus est in Ecclesia sanctorum*, in vobis certe laus Dei erit, quæ, ut credimus, Ecclesia sanctorum estis. Benedicite ergo Dominum in operibus suis et cantate illi *in canticis labiorum vestrorum, et cytharis* (*Eccli.* XXXIX). Quæcunque enim in vobis religionis et sanctitatis insignia sunt, ejus profecto opera sunt, in quibus eum benedicitis quando hæc omnia non vestræ industriæ sed ejus gratiæ ascribitis.

Unde illi cantare debetis *in canticis labiorum et cytharis*, ne de vobis dicatur : *Populus hic me labiis honorat, cor autem illorum longe est a me* (*Isa.* XXIX). Quid enim est cantare *in canticis labiorum et cytharis* ? Nonne cum Dominum laudat vox et vita? tunc enim bene concinunt labia et cythara. In cythara autem extenduntur chordæ de mortuorum animalium visceribus factæ, quæ ita in ligno diverso aptantur modo ut diversam reddant vocem secundum tensionem et mensurarum diversitatem. Quid ergo in cythara, nisi mens justi potest designari? in qua ex mortuorum animalium visceribus factæ extenduntur chordæ, quia in ea vitiorum mortificationes, quas ex sanctorum Patrum de hac vita subtractorum dictis et scriptis, sive gestis didicit, præsentantur, quibus ita sensus suos interius exteriusque castigat, ut in auribus Domini Sabaoth dulci modulatione carnis et Spiritus concordiam deprimat. Diversitas autem quædam vocum ibi quodammodo denotatur, quandiu alio modo mortificatio superbiæ, alio modo luxuriæ, alio iracundiæ atque alio avaritiæ agitur, recte pulcherrima quadam harmonia mens Domino Deo suo *canticum novum*, imo *Canticum canticorum*, delectabiliter personare videtur : *in canticis* ergo *labiorum et cytharis* canitis, quando et voce et opere Domino Deo vestræ sanctitatis officium impenditis. Si ergo ad vocem cantici hujus mens vestra aliquandiu excitata est, ut credimus, ad amorem cœlestis sponsi, et si aurem cordis promptam habetis, ad hujusmodi concentum magis ad ea quæ restant vestra nos devotio animabit. Nemo enim invito auditori libenter refert.

Extremam ergo partem quasi finalem hujus Cantici chordam Spiritu sancto digitos mentis regente tangere incipiam et in ea totam **253** promissi tetrachordi consonantiam, Domino adjuvante, deponam.

VERS. 5. — *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum ? Sub arbore malo suscitavi te ; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.*

Si vocem istam Ecclesiæ admirantis de conversione Judææ ascribam, absurdum non erit ; quia profecto fuit mirandum populum duræ cervicis et indomabilis cordis, post passionem Domini cui credere multis signis Divinitatem ejus attestantibus noluit, quin potius post multas ei illatas injurias cruci affixit, subito prædicantibus apostolis viam salutis arripuisse et novæ legis dogma suscepisse.

Miratur autem et non sine causa quia magnopere attendit, quod *de deserto ascendit*, quod *deliciis affluens*, quod *innixa super dilectum* ascendit. Desertum enim quoddam Synagoga fuit propter infidelitatem a Deo derelicta, sicut de ea per prophetam comminatur, *Et derelinquetur*, inquiens, *filia Sion sicut umbraculum in vinea et sicut tugurium in cucumerario, sicut civitas quæ vastatur* (*Baruch* VI). Et Dominus in Evangelio : *Relinquetur*, inquit, *vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII). De hoc ergo *deserto* Judæa, quando credidit, per fidem *ascendit*, quia de illo valloso et infirmo carnalis observantiæ intellectu ad spiritualem et sublimem evangelicæ institutionis formam transivit. Ascendere autem non potuit nisi *deliciis affluens*, quia ad illam novæ intelligentiæ et gratiæ sublimitatem pervenire non potuit, nisi per virtutum affluentiam, et sanctæ charitatis abundantiam. Sed his virtutum deliciis affluere non potuit, nisi *super dilectum* sanctæ Ecclesiæ, hoc est Christum inniteretur, quia sine cooperante ejus gratia, nulla po-

Digitized by Google

Revertimini ad me, et ego revertar ad vos. (*Malach.* v). Unde et eorum conversioni congaudens dicit Ecclesiæ: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* In choris quippe concorditer resonantia melodiæ alternatio ostenditur; in castris vero bellatorum societas pro tuitione colligitur. Quid ergo sunt *chori castrorum*, nisi laudes bellatorum? et est sensus: Quia Sulamitis ista de captivitate, sub qua per **230** culpam detinebatur, ad me conversa est, tantam ei libertatis et securitatis gratiam conferam, ut nihil aliud in ea, o dilecta, videre et mirari debeas, quam pro devictis ac depressis vitiorum motibus, et concessis virtutum profectibus lætas gratiarum actiones et quotidiana laudum præconia.

Jam quasi in unum conjunctis duobus parietibus, ex adverso venientibus Judaico videlicet atque gentili populo, quibus ostendit totam universalem constare Ecclesiam, dirigitur rursus in laudem ipsius, ut prædicet in uno corpore tam diversas suæ dignationis gratias insigniter constitutas, et ob hoc juste et digne sibi gratiarum actiones persolvendas. Dicit ergo: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!*

Quid per *gressus*, nisi actionum cursus exprimitur? quid per *calceamenta*, quæ ex mortuorum animalium pellibus fiunt, nisi præcedentium patrum, et ex hac vita subtractorum exempla signantur? sicut enim calceamentis pedes tuentur, ita sanctorum patrum exemplis mores eos sequentium defenduntur.

Quæ vero *filia principis*, nisi aut Ecclesia, aut sancta quælibet anima illi per adoptionis gratiam dedita, qui est princeps regum terræ? Pulchros ergo gressus habet Ecclesia, sive sancta quælibet anima in calceamentis, quia pulchros et reverendos habet actus ex sanctorum patrum gestis et documentis. Quare non inconvenienter subjungit: *Junctura feminum tuarum sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.*

Per *juncturam feminum* concordia duorum Testamentorum accipitur, quia tam æqualiter junguntur Vetus et Novum Testamentum, ut quod unum annuntiat in figura, hoc aliud repræsentet in veritate. Sed quid est quod hæc testamenta *monilibus* comparantur? Monile enim componitur ex auro et argento pretiosisque lapidibus, et in pectore matronarum ponitur, ut sit eis et pro munimento et pro ornamento. Utrumque autem Testamentum constructum est ex divini sensus fulgore et eloquii nitore quasi ex auro et argento, diversarum quoque virtutum prædicamentis, quasi quibusdam pretiosis gemmis. Et sicut matronarum pectus monile munit et ornat, ita utrumque Testamentum sanctæ Ecclesiæ, sive cujusque sanctæ animæ pectus spiritualiter munit et ornat, munit quidem a vitiorum hostilitate, ornat vero virtutum pulchra varietate.

Junctura ergo *feminum ejus, sicut monilia*, quia concordia duorum Testamentorum, quibus quotidie sancta Ecclesia, vel quævis sancta anima instruitur, magnum ei conferunt tutamentum et ornamentum; tutamentum **231** quidem contra perversitates hæreticorum, ornamentum autem propter decorem et pulchritudinem sensuum et eloquiorum, sive quæ in ea celebrantur virtutem sacramentorum, et honestatem ordinum ecclesiasticorum.

Quis vero est iste artifex, cujus manu ista monilia, hoc est Testamenta, fabricata sunt, nisi omnipotens Deus, cujus voluntate, potestate, operatione hæc honeste composita, utiliter exposita, feliciter sunt suscepta? Quare dignitas horum Testamentorum valde est commendabilis, quando tali sunt auctore constituta, cujus artificium non est humanum, sed divinum, non inventum, sed voluntarium et potestativum, *omnia* enim *quæcunque voluit fecit* (*Psal.* XIII), semperque ejus velle, fuit etiam ejus fecisse.

Omnem ergo decorem et pulchritudinem interioris hominis sui sancta Ecclesia, sive quælibet sancta anima ex istorum Testamentorum consideratione colligit, quid credendum, quid sperandum, quid amandum necessaria sibi utilitas proponat. Unde vero *junctura feminum* ejus, a sponso laudatur? quia concordia duorum Testamentorum, sive duorum populorum, sive geminæ charitatis maximam et totam bene vivendi constituunt regulam, et certissimam pro conservata regula reponunt remunerationis gloriam; et bene juncturam non femorum, sed *feminum* dixit, quia ex his concipitur, nascitur et proficit omnis sanctæ Ecclesiæ, vel cujuslibet fidelis animæ honestas et utilitas.

Vers. 2. — *Umbilicus tuus sicut crater tornatilis; nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.*

Umbilicus ventris meditullium est: quid ergo est *umbilicus* Ecclesiæ, nisi sancti prædicatores et doctores, qui in medio populi versantur eumdem populum sibi colligentes doctrina et operatione? Sicut enim umbilico omnia adhærent viscera, ita populus suis adhæret prædicatoribus, ad eorum verba et exempla semper quasi ad quoddam meditullium circa se positum respiciens, ut in eorum moribus et sermonibus firmamentum sibi quoddam bene vivendi constituat.

Sed iste umbilicus *sicut crater tornatilis* dicitur, quia ut superflua et inæqualia morum resecent, sancti doctores semper ad idem versantur, quando pro hoc adipiscendo quod semper est immutabile et idem in sui qualitate perseverat, currunt, laborant, et alios secum trahere festinant. Qui crater *nunquam indigere poculis* dicitur, quia iidem prædicatores semper abundant divinorum **232** sententiis eloquiorum, quibus et ipsi per gratiam sancti Spiritus debriantur et sitibunda populorum pectora sufficienter reficere student.

Alio quoque modo, si ad cujusque fidelis animam

Digitized by Google

intendimus, spiritualiter umbilicus mentis sancta dici charitas potest, quæ veluti in centro quodam posita, omnes quasi per circumferentiam virtutes tangit, quia dum nulla virtus sine charitate esse potest, omnes profecto virtutes ad eam respicientes quasi charitatis appendices esse videntur.

Sed quomodo hæc dicitur *crater tornatilis?* Apostolus dicit, quia *finis præcepti charitas ad justitiam omni credenti* (*I Tim.* I), ergo, omnis perfectio in charitate consistit, quia est tornatilis, nihil in se superfluitatis et obstantis vitii retinens, atque ideo perfecta et plana, *perfecta quippe charitas foras mittit timorem, quia timor non est in charitate* (*I Joan.* IV). Ista etenim perfectio finis est præcepti, id est consummatio, ut dicit propheta, verbum consummatum quod fecit Dominus super terram (*Isa.* X; *Rom.* IX).

Quomodo autem *nunquam indigens poculis?* musto pleni dicebantur apostoli quando Spiritu sancto, hoc est igne divinæ charitatis ardebant : ebrii enim erant poculo illo calicis spiritualis, de quo dicit Psalmista : *Et calix meus inebrians quam præclarus est!* (*Psal.* XXII.) Qui ergo divina charitate replentur, quomodo non semper illo indeficienti Spiritus sancti madent, et calent poculo? Econtra terra siti arere dicitur, quæ divinæ charitatis infusione non respergitur : unde Dominus hac siti arentibus clamat, dicens : *Qui sitit veniat ad me et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Igitur *crater iste tornatilis nunquam indiget poculo*, quia perfecta charitas nunquam eget rore cœlesti, et illius summi boni desiderio. Quia vero sunt in Ecclesia prælati et subjecti, fortes et infirmi, prudentes et simplices, postquam in prælatorum virtutibus Christus Ecclesiam suam laudavit, subdit quoque laudabile testimonium ex obedientia et disciplina subjectorum, *venter tuus*, inquiens, *sicut acervus tritici.* Quia enim venter pars est corporis fragilis et mollis, *per ventrem* fragilitas subjectorum, qui nondum perfectionem magistrorum consequi possunt, designatur; sed quia et ipsi quoque ad Ecclesiam pertinent, et de sorte sunt electorum, quos ille summus Pater familias *triticum suum* appellat, et in horreum suum congregari jubet, non incongrue *acervo tritici* comparatur. Acervus autem inferius dilatatur, superius acuitur, tota vero congeries est granorum, quasi invicem se complectentium et portantium collatio.

233 Quid ergo per *acervum tritici*, nisi multitudo fidelium prælatis obedientium exprimitur, qui quamvis per infirmitatem carnis et curas rerum sæcularium, circa latam et spaciosam viam aliquantulum deprimantur, tamen per obedientiam et humilitatem, fraternam quoque charitatem fide et spe ad superna eriguntur? nam invicem se complectentes et adjuvantes, atque infirmitates morum et corporum tolerantes implent illud Apostoli; *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI).

Sed iste *acervus tritici vallatus liliis* dicitur, quia per rectæ fidei odorem et peccatorum confessionem multum proficit ad æternæ vitæ candorem, in liliis enim est et odor et candor et medicina : odor enim est in fido et operatione, medicina in peccatorum confessione, candor in vitæ æternæ retributione.

VERS. 3. — *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.*

Per duo ubera non absurde accipi possunt duo charitatis præcepta, per quæ anima cujusque fidelis per teneritudinem intimi lactis nutritur et in spiritualis exercitii robur perducitur, ut possit cum Apostolo dicere : *Omnia possum in eo qui me confortat* (*Philipp.* IV); nam *fortis est ut mors dilectio* (*Cant.* VIII); et a charitate nulla sanctos separat tribulatio (*Rom.* VIII). Per hanc enim eunt *de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII) : unde et recte ipse charitatis præcepta *duobus gemellis hinnulis capreæ* quæ naturaliter semper alta petit comparantur.

Sed quare *gemellis?* nimirum propter ipsius geminæ charitatis, Dei videlicet et proximi, concordiam et unitatem, quia ita insimul in mente sanctorum concipiuntur et crescunt, ut neutra possit esse prior altera, sed cum diligit Deum, diligit et proximum et cum diligit proximum, diligit Deum. Utrumque enim alterius et probativum, quia sicut dicit Joannes : *Qui dicit se diligere Deum et non diligit fratrem suum mendax est* (*I Joan.* IV) : atque ideo ista duo charitatis præcepta quasi duo gemelli sunt capreæ, quia et uno geruntur loco et tempore, et semper ad altiora quotidiano virtutum proficiunt incremento.

Sive, *duo ubera* duo sunt Testamenta quibus sancta Ecclesia quotidie ad pietatis enutritur opera, quod etiam sunt *quasi duo hinnuli gemelli capreæ*, quia ita unum sunt significans et significatum, ut quamvis non uno fuerint tempore in exhibitione, uno tamen sint tempore in significatione et tanta est ipsorum Testamentorum majestas, ut de eis disputantibus semper major et altior occurrat subtilitas.

234 VERS. 4.—*Collum tuum sicut turris eburnea : oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.*

Quia per colli fistulam vox egreditur, et cibus ventri ministratur, recte per *collum* sancti prædicatores designantur, qui per prædicationis officium conservis ministrant cibaria doctrinarum. Sed considerandum quare dicatur *turris*, et quare *eburnea*. *Turris*, inde primo, quia prædicatio sanctorum alta est propter sensus sublimitatem; deinde quia ex alta mentis speculatione, veluti ex quadam turri, adventus hostis prospicitur, ut eorum insidiæ præcaveantur, et hæc mentis speculatio ex sanctorum sumitur doctrina prædicatorum : *eburnea* propter candorem interius refulgentis sapientiæ; castam vero pronuntiationem exterius resonantis eloquentiæ, sicut in Psalmo canitur, quia *eloquia*

Digitized by Google

Domini casta et præceptum Domini lucidum, illuminans oculos (*Psal.* xviii).

Collum ergo sanctæ Ecclesiæ, sive sanctæ cujusque animæ, est *sicut turris eburnea*, quia illius prædicatio alta, et firma, et pulchra est, et dum mentem ad Deum erigit, ab hostium insidiis defendit, atque nulla hæreticæ pravitatis macula corrumpi permittit; econtra Synagoga per prophetam dicitur *turris nebulosa* (*Mich.* iv), quia obscura et involuta est carnali Judæorum scientia, quæ quidem *turris* est, propter sublimium sacramentorum quæ in ea teguntur continentiam, sed *nebulosa* propter carnalem solius intelligentiam litteræ. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.*

Oculi sanctæ Ecclesiæ, sive potius cujusque fidelis animæ, non inconvenienter accipi possunt duæ in mente quasi in capite considerationes dextra lævaque intendentes, videlicet ad parvitatem et miseriam temporalis vitæ, ad æternitatem et felicitatem perpetuæ et incommutabilis vitæ.

Quæ recte dicuntur *quasi piscinæ in Hesebon*, quod interpretatur *cingulum mœroris*, quia profecto ex mœrore et tristitia peccatorum, sive ex desiderio æternorum bonorum profluunt per compunctionem veluti piscinæ fontes lacrymarum. Istæ siquidem piscinæ profluunt ex duplici compunctione, quæ nascuntur ex istorum duorum oculorum consideratione, quia dum mens futura supplicia pensat, et suorum reminiscitur malorum, ad pœnitentiam compungitur, quasi ex altera piscina irrigatur.

Sed istæ *piscinæ* sunt *in Hesebon*, quia ex hac gemina compunctione, ex una parte pœnitentiæ, ex altera dilationis cingitur mœrore, ut et ad priora vitia ex futurorum malorum recordatione non defluat, et ad **235** virtutum studia ex futurorum bonorum desiderio se fortiter stringat, Dominicum præceptum adimplens : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* xii).

Piscinæ autem istæ dicuntur esse *in porta filiæ multitudinis*. Sed quæ est ista porta? nimirum exitus vitæ hujus et introitus vitæ futuræ; unde dicitur in Psalmo de viro beato : *Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta* (*Psal.* cxxvi) : nulla quippe confusio erit viro sancto in exitu hujus vitæ, cum ei pars adversa obstare et nocere voluerit, quia illi in vita sua servivit in quo nihil suum princeps mundi hujus invenit.

Quæ est autem filia multitudinis, cujus illa porta dicitur esse, nisi sancta cujusque fidelis anima, illius videlicet multitudinis filia, cujus *erat cor unum et anima una* (*Act.* iv)? Quæ tunc quidem in terris rudis erat et primitiva Ecclesia, sed illius præfigurabat unitatem, quæ nunc in cœlis vera et perfecta concordia, cum Christo regnat per ineffabilem et immutabilem charitatem.

Hujus nimirum multitudinis filia piscinas illas geminæ compunctionis in sua habet porta, quia per pœnitentiam præteritorum malorum, et desiderium futurorum bonorum confidenter et feliciter de hac vita exiens intrat regna cœlorum. Pulchre ergo *oculi* Ecclesiæ sive sanctæ animæ dicuntur esse veluti *piscinæ in Hesebon quæ sunt in porta filiæ multitudinis*, quia dum ex peccatorum recordatione, vel ex æternæ vitæ amore, per geminam compunctionem madent lacrymarum fonte, introitum sibi regni cœlestis aperiunt in exitu vitæ.

Aliter *oculi* Ecclesiæ possunt non inconvenienter dici provisores et doctores ejusdem, quibus ista similitudo quoque aptari potest, ut sicut *piscinæ in Hesebon* civitatem cingunt et muniunt, ita isti cingunt et muniunt Ecclesiam *cingulo mœroris*, quod Hesebon interpretatur, dum sua doctrina et prædicatione quasi quodam salutari fonte provocant ad compunctionem, ad confessionem, ad satisfactionem, dicentes illud evangelicum : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* iii). Pœnitentia quippe recte dici potest cingulum mœroris, quia sic undique cingi et muniri debet vita pœnitentis, ut et commissa lugeat, et lugenda ulterius non admittat. Ea namque vera pœnitentia est qua sic retroacta peccata conspiciuntur, ut futura timeantur habeatque mœrorem ex præteritis, timorem ex futuris. Sed quia timor iste pœnam habet dum ex recordatione præteritorum et timore futurorum mœrorem animi contrahit, recte pœnitens cingulo mœroris vitam constringit.

Sed *piscinæ* istæ *in Hesebon* sunt *in* **236** *porta filiæ multitudinis* : quæ autem est filia multitudinis, vel quæ est ista multitudo? Nonne sanctam Ecclesiam genuerunt apostoli, et eorum successores, apostolici viri? Quorum dignitatem intuens Psalmista, *Nimis*, inquit, *honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum* (*Psal.* cxxxviii); quos non paucos, sed multos fuisse considerans, *Dinumerabo*, inquit, *eos et super arenam multiplicabuntur* (*ibid.*) Hujus ergo *multitudinis filia* est sancta Ecclesia, quam, ut diximus, sua genuerunt doctrina, quæ habet *portam*, discretionis videlicet januam, per quam discernit quos vel quales in suo corpore repellat. Nam cum semper tritico mista sint zizania, bonos quidem sibi quasi dulces cibos incorporat, malos vero veluti malos humores in corpore suo tolerat, hæreticos vero quasi venenum mortiferum a se prorsus alienat.

In hac ergo discretionis porta stant quotidie provisores sive doctores sanctæ Ecclesiæ; quasi quidam oculi in capite discernere sciunt per spiritum sapientiæ, qui pertineant, vel non pertineant ad corpus Ecclesiæ, qui pisces eligendi quive rejiciendi sint in ultimæ stationis littore : denique fidelibus apertas vitæ januas ostendunt, peccatoribus vero pœnitentibus clausas aperiunt, porro impiis et non pœnitentibus æternaliter claudunt.

Sive *porta filiæ multitudinis* fides dicitur, quæ est initium et quasi quidam introitus ad viam salutis, sine qua impossibile est placere Deo (*Hebr.* xi), quam prima fronte proponunt sancti doctores viam vitæ quærentibus, et ad cœlestem patriam

Digitized by Google

pervenire cupientibus; quia primo debet quisque recte credere, ac deinde recte credens bene operari.

Sed quia *portam* istam *filiæ multitudinis* diximus discretionis gratiam, qua sancti provisores et doctores Ecclesiæ vel pœnitentes admittere, vel non pœnitentes excludere sciunt, qualis ipsa discretio sit vel esse debeat, subditur, cum dicitur: *Nasus tuus sicut turris Libani*, etc.

Per *nasum* quippe quo odores fœtoresque discernimus, sanctorum discretio designatur per quam norunt discernere odores virtutum, fœtoresque vitiorum, ut intelligant quid eligere et quid reprobare debeant. Qui nimirum *nasus sicut turris Libani* esse dicitur, quia videlicet præpositorum discretio et munita semper debet esse ex circumspectione, et in altitudine semper vitæ consistere, id est, in valle infirmi operis non jacere. Sicut enim turris in montem idcirco ad speculum ponitur, ut hostes qui veniunt longius videantur, sic prædicatoris vita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium discernat fœtores **237** vitiorum, odoresque virtutum, incursus malignorum spirituum longe prospiciat, et commissas sibi animas per suam prudentiam cautas reddat. Et quia ipsa discretio mater virtutum esse dicitur, recte turri Libani qui *candidationem* sonat comparatur, quatenus per eam omnium virtutum pulchritudo custodiri intelligatur.

Sed hæc turris *contra Damascum* respicere dicitur, quia sanctorum vita contra vitiorum tentamenta per altam discretionis considerationem forti custodia munitur. Damascus, quippe *sanguinem bibens* interpretatur, quo mundus iste recte designatur, qui quotidie vitiis et peccatis inebriatur; sanguine enim peccata designari propheta indicat, dicens: *Et sanguis sanguinem tetigit* (*Ose.* IV), hoc est peccato peccatum accessit; et Psalmista: *Libera me*, inquit, *de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ* (*Psal.* L).

Turris ergo ista *contra Damascum* dirigitur, quia sanctorum vita virtutibus alta et munita, contra mundi hujus voluptates forti et discreta consideratione præmunitur.

VERS. 5. — *Caput tuum sicut Carmelus: et comæ capitis tui sicut purpura regis juncta canalibus.*

Per *caput* principale mentis designatur. Carmelus autem *sciens circumcisionem* sive *mollis fluvius* interpretatur.

Recte ergo mens sancta Carmelo comparatur, quia et in divina contemplatione alta est, et a se carnalitatem morum sive cogitationum spirituali circumcisione abscidere novit, atque divini Spiritus infundente gratia, suavi doctrina quasi molli fluvio audientium corda irrigare studet. *Et comæ capitis tui sicut purpura regis, juncta canalibus.*

Comæ capitis cogitationes mentis accipi possunt, quæ *sicut purpura regis juncta canalibus* dicuntur, quia quanto magis junguntur, et intendunt Scripturis quasi quibusdam canalibus, tanto magis accenduntur ad imitationem passionis Christi carnem suam mortificando, cum vitiis et concupiscentiis, sive ipsam carnem, si necesse fuerit, pro Christo persecutionibus offerendo, pretiosam Deo purpuram cordis et corporis martyrio sacrificantes.

Possumus et alio modo hanc orationis particulam ipsi capiti Ecclesiæ, hoc est Domino Jesu Christo, aptare, ut videlicet ex persona sua eidem Ecclesiæ sponsæ suæ seipsum inducat loquentem: *Caput tuum sicut Carmelus, et comæ capitis tui sicut purpura regis juncta canalibus.* Ego, inquit, o sponsa, qui dicor et sum caput tuum, monti Carmelo, propter altitudinem et nominis interpretationem, comparari possum; quia cum sim bonum generalissimum, nihil est quod mea natura excellentius esse possit secundum divinitatem, porro secundum humanitatem **238** nihil vita et conversatione mea sanctius, et in mea doctrina vera et perfecta cordis circumcisio discitur, atque omnis mea prædicatio vere quasi mollis fluvius decurrit, ut audientium mentes sui salubritate reficiat, et ad boni operis studia informet. Hujus *capitis tui comæ*, mei sunt apostoli, cæteri quoque mei sancti, qui mihi charitate, sicut comæ capiti adhærent, quibus *purpura* bene congruit, quia sicut purpura quæ vicinior canalibus est, melius tingitur, ita illorum mens quæ magis meis vel meorum prophetarum verbis et institutionibus vicina efficitur, eo magis ad amorem mei virtute accenditur, et in tabernaculo meo, hoc est in Ecclesia mea, pretiosa et regalis *purpura*, coccus scilicet bis tinctus (*Exod.* XXVIII) Dei et proximi dilectione refulgere conatur.

Igitur quia *caput viri Deus* (*I Cor.* II), si hujus capitis sui *coma* quisque fidelis virtute animi esse desiderat, sacris Scripturarum *canalibus* necesse est ut sedulius scrutator inhæreat, quia ibi invenit unde tingatur, ut Regis sui cœlestis per amorem intimum *purpura* mortificatione carnalis vitæ efficiatur. Notandum autem quod pulchre respondet dilectus dilectæ hujusmodi laudis præconio decem partibus quasi decem chordis, uno resonans spiritualiter decachordo, quod ita superiori decachordo, quod in laude sponsi sponsa decantaverat, decenter opponitur, ut illud a superioribus, istud ab inferioribus modum gratissimæ melodiæ imponant. Quia enim sponsa ad sponsum recta intentione et perfecto amore semper ascendere debet, justum est ut de minoribus ad majora assurgat, atque ideo a sponso proficientis et quasi crescentis ad virtutes animi ejus præconium dignanter decantatur; non quod iste profectus, virtus et potentia sit accipientis, sed potius quia laus est sponsi dantis et hanc ei virtutem atque potentiam suo munere tribuentis.

At vero sponsa intendens venerabiliter immensam sponsi benignitatem de cœlo descendentis, et ad nostram se infirmitatem propter nos humiliantis, laudis ejus præconia a summo corporis præconio, hoc est a capite, quasi a superiori orditur chorda, ut ostendat se inferius positam, semper se respicere debere ad vitam et doctrinam sui sponsi superius sibi e regione oppositam, et ad illum per imita-

Digitized by Google

tionem ascendere, quem cognoscit ad se per compassionis pietatem descendisse.

239 Vers. 6.—*Quam pulchra es, et quam decora, charissima, in deliciis!*

Postquam sponsus in sponsa per partes prædicavit varietatem membrorum ex habitu mentis bone et honeste compositorum, unum quiddam totum exinde procrevisse ostendens, universitatem virtutum staturæ nomine appellat, doctrinæ vero abundantiam uberum significatione declarat. Quæ enim pulchritudo morum sive eloquiorum deest in toto corpore sanctæ Ecclesiæ? nam cum istæ ista, ille illa, alius alia virtute resplendeat, quidam plura, quidam pauciora virtutum genera possideat, quid potest esse speciei pulchritudinis et decoris quam in suo corpore sancta Ecclesia non habeat? Cumque diversi diversa sanctarum doctrinarum eruditione clarescant, quæ potest esse veritatis vel sanctitatis scientia, qua sancta non exuberet Ecclesia? Nam cum secundum Apostolum, *alii detur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum; alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (*1 Cor.* xii), omnis profecto pulchritudo atque ornatus operum sive sermonum interiori statura sanctæ Ecclesiæ spiritualiter refulget.

Unde merito *pulchra et decora*, et *in deliciis charissima* pronuntiatur; quia profecto magnæ sunt deliciæ animæ virtutum abundantia, et sapientiæ salutaris doctrina; sed quo magis anima his delectatur, tanto amplius divinæ dilectionis dulcedine repletur.

Vers. 7. — *Statura tua assimilata est palmæ et ubera tua botris.*

Cur autem hujusmodi statura assimilata est palmæ? Palma namque victoriæ signum est; quæ autem major et gloriosior victoria quam de vitiis et peccatis triumphare? Unde autem ejusmodi mirabilis et gloriosa succrevit statura, nisi ex victoria virtutum et destructione vitiorum? Non incongrue ergo *statura* Ecclesiæ *palmæ assimilatur*, quia omnis ejus morum honestas et probitas insignes loquitur victorias.

Porro ubera ejus botris assimilantur, quia doctrina et prædicatio ejus dulci et suavi abundat sapore sapientiæ et spiritualis intelligentiæ, et auditores suos ita inebriat, ut a mundi hujus voluptatibus velut insensibiles faciat. Ut autem ostendat ipse sponsus quod pulchritudo hujus staturæ maxime et principaliter proficiat et succrescat ex mortificatione carnalis vitæ, passionis suæ ei prætendit exemplum et ipsius passionis emolumentum : *Dixi*, inquiens, *ascendam in palmam.*

240 Vers. 8. — *Dixi : Ascendam in palmam et apprehendam fructum ejus : et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odor oris tui sicut odor malorum.*

Ac si eidem sponsæ suæ patenter dicat : Unde habes vincere, unde habes proficere? Estne tuæ virtutis et industriæ, quod tantæ pulchritudinis decus tibi potes comparare? Si recte consideres, nequaquam tuæ fortitudini vel prudentiæ alicujus boni meritum ascribes. Ego enim *dixi*, hoc est ante tempora sæcularia decrevi et determinate disposui, quia per signi prævaricationem occubuisti et impotens esse cœpisti, et inimicum tibi ipsi peccando invenisti, cui postmodum prævalere non potuisti, sed quasi captiva ejus dominio subjacuisti, ut rursus per ligni oppositionem perditum tibi bonum recuperarem, et ab inimici potentia, et a captivitate qua detinebaris eriperem, redditaque libertate inimicum tibi substernerem et contra ejus insidias providentiam tibi præcavendo et virtutem resistendi darem : idcirco *dixi : Ascendam in palmam*, hoc est in crucem, in quam postquam de hoste triumphavero, et fructus hujus passionis meæ apprehendero, atque in signum victoriæ resurgendo protulero, omnibus mihi obedientibus et in mea virtute spem habentibus hujus consolationis oraculum proferam : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* xvi). Tu ergo debes pugnare, et quia secura es de victoria me victoriam jam adepto, crucem mecum carnem mortificando ascende ut omnis *statura* tuæ animæ assimiletur *palmæ*, et perseverantiæ titulo æternæ mancipetur victoriæ.

Sed veneranda et adoranda omni animæ hujus ascensio palmæ. Quare? quia magnus profecto et incomparabilis fructus ejus : quid enim? nonne per hunc fructum refectum et reparatum est totum genus humanum? Quis autem aut qualis fructus iste fuit et est? Nimirum generis humani redemptio, inimicitiæ erga Deum reconciliatio, quotidiana peccatorum remissio, contra insidias inimici firma defensio, mundanæ miseriæ exitus, et regni cœlestis introitus. Omnis enim profectus Ecclesiæ ex tempore passionis et resurrectionis Christi cœpit, atque exinde sanctitatis ejus præconia et Spiritus sancti bona abundantissime profluxerunt. Unde et sequitur : *Et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odor oris tui sicut odor malorum.* Nam prædicatio et doctrina ejus post remotionem umbræ per exhibitionem veritatis suavior et uberior emanavit, et post passionem et resurrectionem Christi, multos **241** divina charitate ita ebrios fecit, ut omnem in eis mundanæ voluptatis humorem calore sancti Spiritus excoxerit, et ad cœlestis vitæ amorem accenderit.

Ex gutture vero vox egreditur, et idcirco per guttur memoria præceptorum divinorum, per vocem ipsorum præceptorum prædicatio, non incongrue accipitur; nisi enim primo in mente per memoriam teneantur, minime foras per sermonem proferentur; sed hujusmodi vox sermonis *malorum odori* comparatur, quia sicut per odorem res non tantum præsens, sed etiam absens sentitur, sic a tempore passionis et resurrectionis Christi per prædicationem Ecclesiæ, non tantum præsentia

Digitized by Google

Domini ipsius sive sanctorum ejus facta et dicta, sed etiam præterita cognita sunt et quotidie legendo et audiendo cognoscuntur. Futura quoque bona seu mala ex his colliguntur, quando et justorum præmia et peccatorum supplicia longe quasi ex quodam intimi tactus odore pensantur. Non autem ad odorem florum, sed *malorum* vox ista refertur, quia prædicatio Ecclesiæ quæ nunc per totum resonat mundum non rudis vel tenera, sed matura et perfecta unam fidem credentibus ostendit.

Vers. 9. — *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.*

Guttur vero *sicut vinum optimum* dicitur, quia memoria præceptorum divinorum mentem sui dulcedine inebriat, et quod suaviter interius meditando bibit, utiliter exterius eloquendo profundit. *Dignum dilecto meo ad potandum.* Christus in corpore suo, hoc est in Ecclesia, quæ cum eo per Spiritum unum efficitur, sicut justitia, fide et sanctitate refici, ita et potari dicitur; quemadmodum e contrario in infidelibus justitiam, fidem et sanctitatem esurire atque sitire prædicatur. Nam in cruce pendens cum diceret: *Sitio* (*Joan.* xix), fidem et sanctitatem infidelis populi sitiebat, quia propter eum quasi quodam æstu laboris fatigatus fuerat, quem de Ægypto multis signis et portentis duxerat, ante quorum faciem gentes contriverat, ad quos testamenti sui et legis pactum confirmaverat, quibus terram repromissionis, urbem templumque delegaverat, pro quorum salute postremo ipsam mortem suscipere non dedignatus fuerat.

Cum ergo sancta Ecclesia, sive sancta quælibet anima, legem Domini die ac nocte meditatur, in mente ipsius Christus quodam dulci meditationis vino potatur, et illius sancta meditatio est quasi suavis et digna Deo potatio. Unde cum sponsus *guttur dilectæ*, hoc est meditationem mandatorum **242** Dei, quasi *vinum optimum* prædicaret, illa laudantis vocem interrumpens, et cooperatrici gratiæ adgaudens, *dignum*, inquit, *dilecto meo ad potandum*, hoc est, dignum quod ipse sua gratia provehat, et ad effectum perducat.

Quomodo? *Labiis et dentibus ruminando:* quod enim secum frequenter meditando intelligit, debet aliis docendo impendere, exponendo tractare, et discutiendo retractare, quod est quasi mundi animalis proprium ruminare. In uno enim corpore Ecclesiæ quod universus Christus intelligitur, *guttur* est divinæ Scripturæ meditatio, *labia* ipsius Scripturæ pronuntiatio, *dentes* ejusdem explanatio veluti grossæ litteræ confractio, et ad spiritualis intelligentiæ subtilitatem diminutio. Quare ipsi sponso *dignum* dicitur *ad potandum* sive *ruminandum*, quia omnis profectus Ecclesiæ sive cujuslibet sanctæ animæ ejus muneris est et gratiæ.

Vers. 10. — *Ego dilecto meo, et ad me conversio illius.*

Quandoquidem, inquit, præeunte ipsius dilecti mei gratia, placeo illi sanctarum Scripturarum meditatione, ergo volo et jure debeo magis ei appropinquare obediendo, bonis actibus studendo, cæterisque præcepta illius annuntiando, ut fiat hoc quod scriptum est: *Appropinquate Deo et appropinquabit vobis* (*Jac.* iv). Si enim me ad ipsum convertero, tunc *ad me conversio illius*, sicut ipse dixit: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* i): nulla autem mutabilitas in Deo est, ut humano more averti vel converti posse dicatur, sed quidem motus venientis sive recedentis gratiæ in homine, quædam conversio sive adversio Dei appellatur. *Conversio illius* ad nos, est gratiæ vocantis, justificantis et glorificantis miseratio, per quam liberum juvatur arbitrium, et bonæ voluntatis intentio ad boni propositi perducitur effectum. Unde bene primo dicit: *Ego dilecto meo*, ac deinde, *et ad me conversio illius*, quia nostrum est primo bonæ voluntatis intentionem ad boni operis studium assumere, illius bona intentione conceptum opus per cooperatricem gratiam ad bonum usque finem perducere. Quodcirca quia promptam in se sentiens voluntatem de cooperantis sibi adjutorio fiduciam assumit, continuo ad operationis studium accingitur dicens: *Veni, dilecte mi.*

243 Vers. 11. — *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

Egrediamur, inquit, quia postquam ad me conversio tua facta fuerit per cooperantem gratiam libere et secure possum exire, et ad prædicationis officium et ad bonæ actionis studium, ut omnis mea operatio et a te semper incipiat et per te cœpta finiatur: nihil enim boni sine te possumus facere.

Sed quo primo egrediemur? *in agrum* videlicet, hoc est gentem Judæorum quæ jam habilis est ad suscipiendum semen verbi Dei, quia jam exarata habet corda per legem scriptam et etiam naturalem, atque ideo magis intelligere potest ex lege et prophetis divinæ bonitatis propositum quo decrevit restituere genus humanum. Illis enim primo oportet *loqui verbum Dei* (*Act.* xiii), *quorum adoptio filiorum est gloria, et testamentum et legislatio, et obsequium, et promissa; quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* ix). *In* hunc ergo *agrum* divini verbi semine conspergendum, *egrediamur* per prædicationis officium, et *quia* primo *credita sunt eis eloquia Dei* (*Rom.* iii), prima quoque in eis fidei et divinorum sacramentorum seminaria jaciamus.

Deinde progredientes, *in villis commoremur*, hoc est in gentibus, quæ a civitate Dei, id est Ecclesia, remotæ sunt, in quibus quia tardiores sunt ad credendum propter insolitam et inauditam fidei prædicationem, necesse erit moram facere et frequentius verbum vitæ annuntiando ad urbanæ consuetudinis elegantiam, hoc est ecclesiasticæ legis observantiam reducere. *Commoremur* ergo inter eas, tu, o dilecte, per gratiam inspirans, ego per præ-

Digitized by Google

dicationem adjuvans, ut ingenitam eis ignorantiam, et rudis animi simplicitatem crebra eruditione atterentes, nostram civilem honestatem et veram sapientiam infundamus, per quam illius superuæ civitatis felices accolæ ascribi mereantur.

Cum autem hos duos parietes e diverso venientes, Judæos scilicet et gentiles, in una fide conjunxerimus; non duo, sed unus erit populus, una Domini Sabaoth vinea, quæ Spiritus sancti opere exculta, non jam labruscas, sed dulces faciet uvas.

VERS. 12. — *Mane surgamus ad vineas, videamus si vinea floruit, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica : ibi dabo tibi ubera mea.*

244 *Ad* has autem *vineas* ex circumcisione et præputio plantatas, *mane surgamus*, in exortu scilicet fidei, quando verus sol in cordibus credentium oriri cœperit et suæ sapientiæ charitate irradiare ea et virtutis calore accendere : *videamus si vinea floruit*, hoc est si jam unus christianorum populus factus initia bonorum operum protulit; *si flores fructus parturiunt*, hoc est si ipsa initia ad integritatem et perfectionem aliquam assurgere conantur; *si floruerunt mala punica*, hoc est si tanto Dei amore flagrent, ut non solum mente sed et corpore pro eo pati desiderent.

Ibi dabo tibi ubera mea : postquam enim hos duos populos per unitatem fidei unum fecerimus, et ad boni operis studium promoverimus, tunc ad laudem tui nominis, o dilecte, sacramenta quæ ex subtilitate duorum Testamentorum tuo munere cognovimus, eis quoque committemus, quatenus in eis semper et ad majora virtutum opera nutriantur, et contra mundi tentamenta roborentur, et ad futura beatudinis bona appetenda magis accendantur. Confidenter quippe prædicabo, et præceptorum tuorum præcepta (*sic*) reserabo, quoniam habeo spem fructificandi, et effectum boni operis consequendi. Unde? quia *mandragoræ dederunt odorem.*

VERS. 12. — *Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.*

Ipse nempe odor spem mihi affert prædicandi, quia credo ex odore illo consequenter provenire utilitatem fructus percipiendi. Sed considerandum diligenter quæ sit ista *mandragora*, quive hujus *mandragoræ odor*. Si ad litteram respicias, *mandragora* est herba aromatica quæ ad similitudinem humanorum membrorum formata solo capite caret, cujus virtus est ut in potum data his quos vigiliæ premunt, somnum adducat et requiem; porro steriles si ea utantur, concipere faciat.

Si vero spiritualem sensum attendas, *mandragora* non absurde accipi potest gentilitatis conversio, quæ quandiu in sui erroris pravitate agebatur, non inani tantum, sed etiam exitiabili labore fatigabatur; sed postquam conversa Deum agnoscere cœpit, et curis et voluptatibus rerum sæcularium minus vigilare imo magis quam dormire, et a pravo labore hujus mundi quiescere didicit; et quæ prius a bono opere sterilis erat, postmodum fecunda virtutibus exstitit, impleta prophetia quæ dicit : *Lætare, sterilis, quæ non paris : erumpe et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Isa.* LIV; *Gal.* IV).

245 *Mandragora* vero ut diximus cum habeat humani corporis similitudinem, capite caret, quia gentilis populus cum naturaliter ratione vigeret ad discretionem boni et mali, tamen ipsa vis rationis hac in parte in eo hebetata erat, qua Creatorem suum cognoscere non valebat, quem quia in sui cognitione non habebat, quasi capite carebat. Judaicus quoque populus per *mandragoram* significari potest, qui dum ratione per observantiam legis uteretur, caput tamen non habebat, quia Christum suscipere recusabat; sed *mandragora* ista postmodum *odorem dedit*, quia quæ prius per infidelitatem sterilis fuerat, postea credens multos Deo filios generabat. *Mandragoræ* ergo *odorem dederunt in portis nostris*, quia Judaicus et gentilis populus, te, o dilecte, in cœlum ascendente, per tuam gratiam et meam prædicationem fidei sacramenta susceperunt. Quænam autem sunt istæ portæ, in quibus credentem populum dicit dilecta odorem dedisse? Nimirum si diligenter consideres, agnoscere poteris per quas portas anima Deum invenire cupiens paulatim usque ad ipsa cubilis secreta progrediatur : primo namque in homine est animi conceptio, qua concipit id cujus summam adipisci desiderat, quo concepto quid vel quale sit investigat, donec ipsius cognitionem habeat. Cognito autem eo amplectitur, et sic eo ad utilitatem sui utitur, ut omnem ejus integritatem ad se quandoque convertere conetur. Est ergo in unoquoque crediturο quædam porta et quasi primus ad Deum introitus, prima fidei in animo conceptio qua voluntatem credendi accipit, deinde ipsius fidei investigatio ut cognoscat quid vel qualiter credere debeat; post quam secundam investigationis portam aperitur ei tertia porta, fidei scilicet cognitio, post cognitionem sequitur operatio, sine qua fides otiosa esse decernitur, bene autem operantem Deo conjungit mundi cordis contemplatio.

Per has ergo *portas* ad Deum venire contendentes, in ipsarum portarum introitu, bonæ voluntatis *odorem spargunt;* sed iste odor per secundam portam investigatæ fidei transiens, tertiam quoque cognitæ fidei jam portam attingens, ac deinde quartam operationis portam percurrens, per quintam demum contemplativæ dulcedinis portam ad ipsa interiora cœlestis sponsi secreta illabitur. Cum ergo *mandragoræ dant odorem in* his *portis*, evidens est quod Deum quærentes animæ ad fructum boni operis jam maturescunt. Digna ergo gratulatione sponsa **246** dilecto alludit dicens : *Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris*, quia dum Ecclesia filiorum suorum profectum intendit, competentes Deo gratiarum actiones persolvit. Unde magis ad

Digitized by Google

prædicationem accingitur, quia in eorum cordibus proficere se sperat, quos ad Deum toto corde conversos esse considerat. Ipsum vero profectum suum non suo labori et industriæ, sed divinæ gratiæ imputat dicens : *Omnia poma nova et vetera*, etc., *dilecte mi, servavi tibi.* Ad tuum, inquit, honorem servavi, o dilecte, omnem fructum sanctitatis, quem ex Veteris vel Novi Testamenti institutione cognovi, sive quem ex præceptorum informatione didici, sive quem ex Patrum vita et floribus informando collegi. Tui enim hoc est muneris, non mei laboris, vel quod ipsa bene vivendo et docendo profeci, vel quod alii meo exemplo sive doctrina proficere potuerunt. Sive, ut alio modo dicam, *Omnia poma nova et vetera servavi tibi*, quia omnia quæ in Veteri Testamento mysterialiter facta et dicta, in Novo autem realiter exhibita leguntur, de tua nativitate, passione, resurrectione, et ascensione, scripta docui et exposui, cunctisque legentibus et audientibus fructum in eis fidei et bonæ operationis ostendi.

247 CAPUT VIII.

VERS. 1. — *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer, et jam me nemo despiciat.*

Si sensum allegoricum inspiciamus, potest vox ista referri ad illos sanctos, qui ante adventum Domini magno desiderio æstuabant videre quod a patriarchis et prophetis diu prædictum noverant et ipsi in spiritu prævidebant futurum, videlicet incarnationem Christi per quam universalem mundi salutem provenire non dubitabant. Dicat ergo antiquus ille sanctorum populus desiderativo locutionis modo : *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ : fratrem*, inquam, *meum* propter humanæ carnis susceptionem, sive generis cognationem, *sugentem ubera matris meæ*, hoc est natum et nutritum in synagoga Judæorum. Et quare hoc desiderio? *ut inveniam te*, inquit, *foris et deosculer*, hoc est ut in carne te aperte videam et amplectar, quem in divinitatis secreto videre non possum : *et jam me nemo despiciat*, imo potius veneretur et diligat propter specialem tam generosæ sobolis de mea carne nascentis nobilitatem ; *apprehendam* autem *et ducam in domum matris meæ*, quia hoc tuæ dignationi placuit, ut in sola gente Judæorum carnis tuæ præsentiam exhiberes et miraculorum tuorum potentiam demonstrares. *Ubi* ergo *me docebis* et verbis et factis, quid in figura, quid in veritate intelligere debeam et quod ipse sis *finis præcepti ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x). Sed quantum doctrinæ tuæ suavitate proficiam! *Dabo tibi poculum ex vino condito*, quia quasi potaberis delectatione fidei et operationis meæ, quam tibi offeram ex nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et virtute fidei, spei et charitatis. Sicut enim vinum conditum ex tribus principaliter constat, hoc est vino, melle, atque pigmentis, ita mens mea ex tuorum doctrina sermorum conditur fide sanctæ Trinitatis, sive, ut A dictum est, virtute fidei, spei 248 et charitatis. *Dabo quoque mustum malorum granatorum meorum*, quia prædicatio tua sive operatio pariet in me animæ a vitiis expurgatæ novitatem et suavitatem ex fervore charitatis et studio multiplicium virtutum.

Porro si moralem sensum consideremus, unicuique fideli animæ vocem istam optabimus, quæ sanæ Scripturæ interita se ipsam scientia et alios verbo exhortationis ædificat : quæ enim sacræ Scripturæ scientiam habere desiderat tota animi aviditate his verbis ad Deum clamat : *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ?* Ut quid te *fratrem* appello, nimirum et propter participationem humanitatis, et propter gratiam adoptionis, qua te ipsum *fratrem* nominas dicens : *Ite, nuntiate fratribus meis* (*Matth.* XXVIII), et : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror et mater est* (*Matth.* XII). *Quis* ergo *mihi det te fratrem meum*, ut mecum sis, et mecum labores per cooperatricem gratiam, *te* dico *sugentem*, hoc est sugere facientem, *ubera matris meæ*. Hoc enim eo locutionis modo dictum fit, quo et alio loco Scriptura utitur : *Ipse enim postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII) : *postulat* dicens, pro eo quod est postulare faciens.

Quæ autem sunt *ubera matris meæ*, et cujus matris meæ? Profecto *ubera matris meæ* dogmata sunt sanctæ Ecclesiæ, quæ ex utriusque Testamenti paginis mentis meæ infantiam nutriunt, et in robur virilis intelligentiæ producunt. Utquid vero tantopere te mecum esse desidero? *ut inveniam te foris et deosculer :* quid est hoc? Ubi enim lates quando foris non es? nimirum in nube diei, hoc est in obscuritate et subtilitate spiritualis intelligentiæ, quam postquam illuminatione ignis tui, id est Spiritus sancti, accepero, profecto te qui intus latebas, foris invenio, cum autem te invenero, *deosculor*, hoc est totis mentis meæ lacertis amplector, quia tantum in percepto munere intelligentiæ delector, ut libeat cum Propheta dicere : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo!* (*Psal.* CXVIII.)

Jam vero tuis amplexibus sic me inhærentem et sanctæ Scripturæ mysteria sapienter eloquentem, *nemo me despiciet*, quia, sicut Scriptum est : *Sapiens implebitur benedictionibus et viventes illum laudabunt* (*Eccli.* XXXVII), et : *Sapiens in populo hæreditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum* (*Ibid.*) ; et iterum : *Os prudentis quæritur in Ecclesia et verba illius cogitabunt in cordibus suis* (*Eccli.* XXI). *Nemo* ergo *me despiciet*, quia audiunt quod unctio tui Spiritus docet me de omnibus (*I Joan.* II), imo cadentes in terram adoraverunt Dominum, pronuntiantes quod vere Deus in nobis sit (*I Cor.* XIV).

VERS. 2. — *Apprehendam te et ducam in domum matris meæ. Ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.*

Digitized by Google

249 Tantum autem placet hæc dulcedo palato cordis mei ut te hoc modo inventum, sola ad meam utilitatem tenere nolim, verum potius, *apprehendens ducam te in domum matris meæ*, familiam scilicet sanctæ Ecclesiæ, ut quod ex tua gratia intelligo, hoc fratribus meis audire et discere cupientibus cum benevolentia communicem.

Ibi ergo *me docebis*, quia quo plus alios docuero, tanto amplius cum eis disco : plus enim confert collatio, quam lectio. *Et dabo tibi poculum ex vino condito*, quia sic docendo, vel conferendo, exponam figuram legis cum veritate et gratia Evangelii sive sensum historicum cum allegoria et moralitate conditum, et hoc *poculum* tibi dabo, quia omnem hanc scientiam ad tuum honorem et gratiam conferam.

Dabo tibi quoque *mustum malorum granatorum meorum*, quia dum sanctorum patientiam, et multiplicem virtutum laborem prædico, ipsa quoque exemplum laboris et patientiæ ipsorum accipio, quæ tamen omnia nec ipsorum, nec meæ potentiæ, sed tuæ pietati et gratiæ ascribo.

Igitur tanta dilecti mei et fratris mei præsentia, mecumque commorantis dulcedine et gratia, quasi ab omnibus mundi hujus voluptatibus et curis abrepta, ad vos, o filiæ Jerusalem, convertor, et quid in me habeam proposito denuntio quantave ei charitate cohæream ostendo. Quid, inquiunt, hoc est? *Læva*, inquit, *ejus sub capite meo.*

Vers. 3. — *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.*

Bona enim omnia temporalia ab eo mihi concessa amore æternorum bonorum postpono, ipsa vero æterna tota mente concupisco, et ad illa pervenire tota animi virtute propono. Licet enim *in sinistra ejus* sint *divitiæ et gloria* (*Prov.* III), quantum ad utilitatem et pulchritudinem creaturæ qua homo ad cognitionem sui Creatoris ducitur, ut non sit inexusabilis, *longitudo* tamen *dierum in dextera ejus est* (*ibid.*), non quæ finiatur, sed quæ immutabiliter in sui beatitudine consistat.

Læva ergo *ejus sub capite meo* erit, sed *dextera* ejus *amplexabitur me*, quia temporalium memoria me tenebit, non tamen ad sui delectationem et A unum perpetuum, æternorum vero desiderium totam me circumdabit, adeo ut omnes sensus meos in sui studium convertat, et ea quæ retro sunt oblivisci, atque in ea quæ ante sunt totam me extendere compellat. (*Phil.* III).

250 Verum quia hæc agit sponsus, qui piis animi studiis atque profectibus gaudet, atque ejus devotionis et puræ intentionis dulcedine delectatur, *adjuro vos*, inquit, *filiæ Jerusalem*, etc.

Vers. 4. — *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Nolite, inquit, filiæ Jerusalem, dilectam a tam utili et honesto proposito suo abducere, aliqua rerum transeuntium cura, importune ei suggerendo B vestram vel sui ipsius necessitatem circa exteriora, quæ non permittunt liberum esse animum ad appetenda et perfecte conservanda sanctæ contemplationis otia, sed hoc magis ejus judicio relinquite, quæ ex unctione mei Spiritus docetur (*1 Joan.* II); hanc habete discretionem, ut sciat quando sit utile nunc divinis rebus insistere, nunc vestræ infirmitati condescendere. Sive *dilectam* futuram nullo modo *suscitetis, neque evigilare faciatis*, compellendo minis vel promissionibus, quia Deus coacta servitia non approbat, quin potius eam suæ relinquite voluntati, quia scriptum est : *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII), et, *Qui sponte se offerunt Domino, benedicuntur a Domino* (*Lev.* XXII) : *Nemo autem venit* C *ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI). Si enim trahitur venit, si non venit non trahitur : ergo non compellatis eam *donec ipsa velit* : tunc enim acceptabile Deo erit boni operis sacrificium, si bonæ voluntatis condimento fulciatur.

Vos autem, dilectissimæ sorores, quas aliquantulum morosius et prolixius pars Cantici hujus sua modulatione tenuit, istam quasi extremam in depositione vocem attendite, considerantes quam acceptum Deo et dulce sit animæ in sanctæ conversationis proposito quiescere et in divina contemplationis studio dormire ; et e contrario quam periculosum, quamque Deo adversum, de hoc vos proposito aliqua occasione abducere, et ad rerum temporalium curam detorquere.

LIBER QUARTUS.

251 Si tantum parvitatis meæ studium in hoc præcipuo genere Cantici apud vestram dilectionem profecisset, ut toto spiritu concitatæ, post positis temporalium curis cum Apostolo dicere possetis : *Orabo spiritu, orabo et virtute; psallam spiritu, psallam et virtute* (*I Cor.* XIV), multum profecto cor meum exsultaret in Domino, quia non parva hæc mea esset gratulatio dicere cum Apostolo : *Gaudium et corona mea vos estis in Domino* (*Philip.* V). Si D enim ad modum cantationis meæ, tam anquantulum frondetis in Domino, bene collaudatis canticum, quia hoc nimirum est laudare canticum, canticum experiri et modum. Quæ autem vis est cantici hujus? secundum nomen ejus quod dicitur *Canticum canticorum*, præcellentius et sublimius ferre mentem ad amorem sui Conditoris et perfecte ab ea deponere quidquid ad hujusmodi speculationem ex mundi potest rebus obstare. Si ergo istam

Digitized by Google

aliquantulum expertæ estis, dicat vobis concordia et harmonia carnis et spiritus quos invicem sibi non adversari, est pulchre canere et recte modulari. Si ancilla servit liberæ, hoc est, si caro consentit rationi, non est melior, neque suavior concentus, qui summæ placeat Divinitati, hoc nempe est cantare *canticum novum* et hujusmodi *laus* est *in Ecclesia sanctorum* (*Psal.* CXLIX). Siquidem *laus Dei* est pia vita et conversatio sanctorum, quia hoc suum tale vivere habent ex Dei gratia et benignitate : inde Deus laudandus est, non ipse homo, quia non hoc est opus hominis, sed opus Dei ipsum hominem justificantis.

Quid enim est *canticum novum*, nisi venerabile Novi Testamenti mandatum ? Quid est *canticum novum* cantare, nisi veterem hominem exuere et novum induere? *Exuite*, inquit Apostolus, *veterem hominem, et induite novum qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate* (*Ephes.* IV) : ergo justum et sanctum esse profecto est canticum novum cantare, omnis enim sanctitatis perfectio ex evangelicæ institutionis agnoscitur instrumento. Nam cum lex dicat : *Non occides*, Evangelium docet sine causa non irascendum; et cum lex **252** dicat non mœchandum, Evangelium docet, nec in concupiscentia peccandum (*Exod.* XX; *Matth.* V). Talis utique sanctitatis perfectio nimirum novi cantici est modulatio. Hoc canticum novum cantat Ecclesia sanctorum, et hujusmodi decantatione frequenti pervenit ad decantandum *Canticum canticorum*. Quid nempe est Canticum canticorum cantare, nisi Dominum tota mente, tota anima, tota virtute diligere ? Sicut enim Canticum canticorum dicitur, quod omnia alia sua dignitate superet cantica, ita charitas dici potest virtus virtutum, quod omnes sui excellentia superat virtutes.

Si ergo vos, o dilectæ sorores, vere et sincere Dominum diligitis, profecto Canticum canticorum cantatis; et quia *laus est in Ecclesia sanctorum*, in vobis certe laus Dei erit, quæ, ut credimus, Ecclesia sanctorum estis. Benedicite ergo Dominum in operibus suis et cantate illi *in canticis labiorum vestrorum, et cytharis* (*Eccli.* XXXIX). Quæcunque enim in vobis religionis et sanctitatis insignia sunt, ejus profecto opera sunt, in quibus eum benedicitis quando hæc omnia non vestræ industriæ sed ejus gratiæ ascribitis.

Unde illi cantare debetis *in canticis labiorum et cytharis*, ne de vobis dicatur : *Populus hic me labiis honorat, cor autem illorum longe est a me* (*Isa.* XXIX). Quid enim est cantare *in canticis labiorum et cytharis* ? Nonne cum Dominum laudat vox et vita? tunc enim bene concinunt labia et cythara. In cythara autem extenduntur chordæ de mortuorum animalium visceribus factæ, quæ ita in ligno diverso aptantur modo ut diversam reddant vocem secundum tensionem et mensurarum diversitatem. Quid ergo in cythara, nisi mens justi potest designari? in qua ex mortuorum animalium visceribus factæ extenduntur chordæ, quia in ea vitiorum mortificationes, quas ex sanctorum Patrum de hac vita subtractorum dictis et scriptis, sive gestis didicit, præsentantur, quibus ita sensus suos interius exteriusque castigat, ut in auribus Domini Sabaoth dulci modulatione carnis et Spiritus concordiam deprimat. Diversitas autem quædam vocum ibi quodammodo denotatur, quandiu alio modo mortificatio superbiæ, alio modo luxuriæ, alio iracundiæ atque alio avaritiæ agitur, recte pulcherrima quadam harmonia mens Domino Deo suo *canticum novum*, imo *Canticum canticorum*, delectabiliter personare videtur : *in canticis* ergo *labiorum et cytharis* canitis, quando et voce et opere Domino Deo vestræ sanctitatis officium impenditis. Si ergo ad vocem cantici hujus mens vestra aliquandiu excitata est, ut credimus, ad amorem cœlestis sponsi, et si aurem cordis promptam habetis, ad hujusmodi concentum magis ad ea quæ restant vestra nos devotio animabit. Nemo enim invito auditori libenter refert.

Extremam ergo partem quasi finalem hujus Cantici chordam Spiritu sancto digitos mentis regente tangere incipiam et in ea totam **253** promissi tetrachordi consonantiam, Domino adjuvante, deponam.

VERS. 5. — *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum ? Sub arbore malo suscitavi te ; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.*

Si vocem istam Ecclesiæ admirantis de conversione Judææ ascribam, absurdum non erit ; quia profecto fuit mirandum populum duræ cervicis et indomabilis cordis, post passionem Domini cui credere multis signis Divinitatem ejus attestantibus noluit, quin potius post multas ei illatas injurias cruci affixit, subito prædicantibus apostolis viam salutis arripuisse et novæ legis dogma suscepisse.

Miratur autem et non sine causa quia magnopere attendit, quod *de deserto ascendit*, quod *deliciis affluens*, quod *innixa super dilectum* ascendit. Desertum enim quoddam Synagoga fuit propter infidelitatem a Deo derelicta, sicut de ea per prophetam comminatur, *Et derelinquetur*, inquiens, *filia Sion sicut umbraculum in vinea et sicut tugurium in cucumerario, sicut civitas quæ vastatur* (*Baruch* VI). Et Dominus in Evangelio : *Relinquetur*, inquit, *vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII). De hoc ergo *deserto* Judæa, quando credidit, per fidem *ascendit*, quia de illo valloso et infirmo carnalis observantiæ intellectu ad spiritualem et sublimem evangelicæ institutionis formam transivit. Ascendere autem non potuit nisi *deliciis affluens*, quia ad illam novæ intelligentiæ et gratiæ sublimitatem pervenire non potuit, nisi per virtutum affluentiam, et sanctæ charitatis abundantiam. Sed his virtutum deliciis affluere non potuit, nisi *super dilectum* sanctæ Ecclesiæ, hoc est Christum inniteretur, quia sine cooperante ejus gratia, nulla po-

Digitized by Google

tuerunt ei provenire sanctitatis et fidei præconia.

Porro alio modo si ad unamquamque sanctam animam respicias, superiora diligenter attende, *ubi dilectus filias Jerusalem adjurat, ne suscitent neque evigilare faciant dilectam donec ipsa velit.* Quid enim putas in hac sua dormitione dilectam consecutam fuisse, ut tantopere dilectus prohibeat jam suscitari et evigilari? Quid, inquam, omnipotens Deus, tam pulchrum, tam delectabile, tamque gratiosum sibi in hac ejus dormitione attendit. Nimirum si recte consideres, magnum quiddam et honestum ac admiratione dignum dulcissimus iste dilectus placabili dignationis suæ vultu intendit. Miratur enim ascendentem, loeum quoque ascensionis, ascendentis habitum et ascendendi præsidium. Quæ est ista quasi dormientis et quiescentis ascensio, nisi de terrenis ad cœlestia, de mundo ad Dominum contemplativa sublevatio? Verum quia multum juvat ascensionem istam animi et corporis solitudo, nam alia ab alia juvatur, quandoquidem mentis defenditur solitudine corporis, parumque prodest solitudo corporis, si circa mundi strepitum **254** versatur animus omnipotens Pater sereno pietatis intuitu, de deserto ascendentem animam miratur dicens: *Quæ ista quæ ascendit de deserto? Quæ est ista?* inquit, « *quæ ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum* (*Psal.* LXXXIII), » *ascendens de deserto*, hoc est solitudine mentis mundi hujus strepitum contemnentis et in quiete Spiritus dormientis meorumque mandatorum solummodo observantiam eligentis? Ex hoc enim sequitur ut eum concipiat habitum, quo videatur *deliciis affluere*, quia hoc confert observantia mandatorum meorum, ut virtutum deliciis affluat, nec est aliud virtutibus affluere, quam mea præcepta servare. Quidquid enim virtutis esse vel dici potest, hoc totum in meorum præceptorum catalogo continetur. Sed unde habet hoc posse, videlicet *ascendere, deliciis affluere?* Nunquid a se ipsa? Minime, quia infirma et debilis est omnis anima sine cooperatrice gratia. Quis est autem iste dilectus? Filius, inquam, meus de quo vobis dixi: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III). Quia ergo *super eum innixa* fuit, quia ejus vestigia secuta est, servando et pro posse imitando quæ ille per carnem exhibuit et docuit agendo et loquendo, ideo mente ascendere, et deliciis virtutum affluere potuit.

Alio quoque modo intelligere absurdum non erit, videlicet ut *desertum* præsentem vitam, *delicias* vero istas quibus *dilectus affluens ascendit*, sacram Scripturam accipiamus. Cur enim sacra Scriptura *deliciæ* non dicantur, in qua tantæ diversitates intelligentiæ ad profectum animæ veluti una mensa diversa ciborum fercula inveniuntur: sicut enim inter diversa fercula, cibus cibo delicatior est, ita in sacra Scriptura inter diversas intelligentias sensus sensu subtilior est: ibi enim legentes, modo A velut grossior cibus nuda pascit historia, modo sub textu litteræ medullitus quasi subtilior cibus moralis reficit allegoria, modo ad altiora suspendens velut singularis et electus cibus suaviter mentem afficit contemplatio. Quisquis enim *deliciis affluit*, in quadam sui remissione resolvitur, atque a laboris studio quasi ex lassitudine relaxatur: quia nimirum anima cum interius deliciis abundare cœperit, terrenis jam desideriis incubare minime consentit, sed amore Conditoris capta, et suavi captivitate libera ad contemplandam speciem ejus deficiendo suspirat, et quasi lassescendo convalescit, quia dum sordida opera portare jam non valet, ad illum per quietem properat quem amat interius. *De deserto* ergo vitæ præsentis sæculi *anima deliciis* B *affluens ascendit*, quia dum sanctarum Scripturarum **255** mysticis intelligentiis pascitur, ad superna quotidie contemplanda sublevatur.

Quæ tamen *super dilectum innixa* describitur, quia nisi ipsa sacræ Scripturæ studiose investigando adhæreat, minime ad illa sublimia Spiritualis intelligentiæ capienda ascensionis suæ gradum sublevat: super dilectum quippe suum mens sacræ Scripturæ intenta *innititur*, quia dum in ipsa Scriptura Deus invenitur et agnoscitur, quasi super ipsum mens agnoscentis et diligentis inclinatur.

Vox ergo ista potest esse Ecclesiæ de profectu cujusque sanctæ animæ exsultantis et dicentis: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Ac si aliis verbis dicat: C Quæ est ista quæ tanto studio dilecto meo Domino Jesu Christo meditatione sanctarum Scripturarum intenta adhæret, ut earum mysticis intelligentiis, veluti quibusdam deliciis affluens, ad amorem vitæ æternæ per contemplationem potens sit ascendere.

Quare mox subjungit: *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.*

Postquam dilectus dilectam, hoc est fidelem animam, pro virtutis statu et habitu ipsius munere collato approbavit, repente ad eam ipsam facit apostropham, reducens in memoriam boni status victoriam, quatenus in majorem divinæ charitatis coD lescat gratiam. *Sub arbore*, inquit, *malo suscitavi te*: ac si diceret: Si animadvertis quid in primo parente fueris, unde cum toto humano genere quasi ex traduce contraxisti culpam, non frustra mihi studiosius adhærebis, cum attendis qualem te modo fecerim, vel quantam contulerim gratiam. *Sub arbore* enim *malo suscitavi te*, quia ut in mea perseverares gratia, conditionis tuæ tibi formam prætendi, et ut sub mea disceres esse potestate, obedientiæ te lege constrinxi. Quando enim dixi ad Adam: *De omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni ac mali ne comedas* (*Gen.* II); quasi adhuc tepidum et ignarum suscitavi, et monui ad rationis bene utendæ officium, ut disceret se aptare ad disciplinæ et obedientiæ studium; sed quid?

Digitized by Google

transgressus est præceptum et contempsit disciplinæ et obedientiæ bonum.

Ibi ergo *corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Quomodo? Eva seducta et violata est, persuasit viro et præsumpserunt ambo de ligno vetito. *Corrupta est* ergo *et violata sub arbore malo mater* sive *genitrix tua : corrupta* in exteriorum sensuum incontinentia, violata per consensum spiritus et animæ, in inobedientiæ culpa ; vidit enim et concupivit, obedivit serpentis persuasioni et tangens de fructu vetito comedit et viro comedendum porrexit (*Gen.* III). **256** Hoc ergo peccatum postquam consummatum fuit, mortem generavit (*Jac.* I), et hujus mortis pœna quasi de hac priorum tuorum parentum radice progressa, in totius humani generis posteritatem est diffusa.

Igitur in primis parentibus tuis te suscitavi, et ad virtutum studia provocavi, sed tui in ipsis parentibus tuis magis ad vitia declinasti, et morti obnoxia fieri non timuisti.

Verum cum tali modo perdita esses, quis te saluti restituit? quis te talem qualis modo videris fecit? Nonne ego pro te mortem suscepi et te ab illa morte redemi? Nonne iterum *te sub arbore malo*, hoc est sub crucis ligno, *suscitavi*, et ad tantam vitæ honestatem et pulchritudinem erexi?

Sed ut hanc vitæ honestatem et pulchritudinem inviolatam custodias, necesse habes ut in mea charitate forti animo persistas.

Vers. 6. — *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum : quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio ; lampades ejus lampades ignis atque flammarum.*

Duo hic signacula proponit dilectus dilectæ, unum videlicet super cor ponendum, alterum super brachium. Quid enim sunt hæc duo signacula, cordis scilicet et brachii, nisi custodia cordis et custodia operis? De *signaculo* enim, hoc est de custodia cordis scriptum est : *Omni custodia custodi cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV) : de *signaculo* vero, hoc est de custodia operis, scriptum est : *In omnibus operibus memorare novissima tua et in æternum non peccabis* (*Eccle.* VII).

Et bene hæc duo homini in omni vita sua necessaria sunt, primaque custodia si neglecta fuerit altera perit ; nam sicut *bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum*, ita *malus homo, de malo thesauro cordis sui profert malum* (*Luc.* VI). Quidquid enim foras in opus procedit in corde prius conceptum est, atque ideo si cordis custodia negligitur, ne ratione regatur, quidquid foris in opere ostenditur, irrationabile judicatur. Si cor ratione componitur, honestum est quod inde in opus profertur, quia secundum statum vel qualitatem mentis, omnis actio vel bona vel mala intelligitur agentis.

Quid est ergo quod dicit sponsus sponsæ : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum?* Quæ custodia potest esse tuta et secura sine Deo? *Nisi* enim *Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (*Psal.* CXXVI) : ideoque Psalmista precatur : *Custodi me, Domine, ut pupillam oculi ; sub umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* XVI). Quia vero sicut nihil boni operis absque eo inchoari, **257** sic nec perfici potest, dicit idem Psalmista : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam* (*Psal.* CXXVI) : Ideirco etiam necesse est, ut *signaculum Dei super brachium* ponatur, ne boni operis ædificatio destruatur.

Recte ergo sponsæ dicitur : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, quia non potest recta cogitare vel facere, nisi divina gratia aspirante et gubernante ; neque hæc ad finem perseverando producere, nisi eadem gratia se custodiente. Quando enim clausa et quasi signata sunt opera sanctitatis, ne aliqua pravitate corrumpantur, tunc revera *signaculum Dei super cor et brachium* animæ cujusque *positum* non inconvenienter accipitur.

Sive dicamus *signaculum Dei* sanctitatis impressionem quæ super cor et brachium cujusque animæ sancte et juste cupientis vivere ponenda est. Quando enim vita et conversatio sive doctrina Domini Jesu Christi imitanda, sive observanda sanctæ animæ proponitur, recte *signaculum ejus super cor et brachium* ejus igitur, ut sicut portavit *imaginem terreni* portet *et imaginem cœlestis* (*I Cor.* XV). Nonne cum Dominus diceret discipulis suis : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI), quasi dicere videtur : Ponite *me ut signaculum super cor vestrum?* Ibi enim quasi figuram mansuetudinis et humilitatis cordibus eorum impressam relinquere voluit ; at vero cum diceret : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis* (*Joan.* III), nonne visus est dicere : Ponite me ut *signaculum super brachium vestrum?* Ibi enim eis relinquere voluit figuram quamdam et imaginem bonæ operationis et officiosæ charitatis, quam et ipsi postea suis auditoribus docendo et operando imprimerent. Unde et Apostolus ad Philippenses scribens, et signaculum sive sigillum sanctitatis ex sua mente eorum mentibus imprimere volens : *Fratres*, inquit, *quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum* (*Philip.* IV).

Dicit ergo sponsus, id est Christus, sponsæ suæ, hoc est fideli animæ : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum ;* ac si ei aliis verbis dicat : Quidquid in mea doctrina, quidquid in meis operibus legis, in mente tua repone, et actibus comple, ut ex eis formam et imaginem sanctitatis accipias, per quam **258** omnem veteris hominis figuram, quam *sub arbore*

Digitized by Google

mato peccando assumpsit, deponas. Et quare ? *quia fortis est ut mors dilectio.*

Bene et congrue cum præmisisset dilectus dicens : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, continuo subdit, *quia fortis ut mors* est *dilectio*, *dura sicut infernus æmulatio*, quia cum ipse *Deus* sit *charitas*, sicut Joannes dicit (*I Joan.* IV), Deum super cor ponere, est ejus charitatem habere, super *brachium* vero ponere, est per eamdem charitatem bonum operari, quia sicut scriptum est : *Fides per dilectionem operatur* (*Gal.* V). Charitas autem est radix omnium virtutum, quia sicut de una radice multi rami prodeunt, ita de una charitate multæ virtutes generantur. Si ergo sola charitas multas virtutes generat, et nemo virtutes in se nutrit nisi qui Deum diligit, profecto charitatem habere, Deum est habere, atque idcirco ipsius super cor et brachium posito signaculo, bona et honesta est per dilectionem operatio.

Quid est autem quod Deum incarnari et mori fecit, nisi charitas ? *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III) : itaque, *ut signaculum super cor et brachium suum*, unaquæque fidelis anima Deum ponit, quando ad imitationem ipsius sicut ipse pro ea animam posuit, ita ipsa pro eo laborare, et si causa poposcerit, mortem quoque subire non dubitet. Unde bene ipsa *dilectio fortis ut mors* dicitur, quia mentem quæ vere Deum diligit tanta vi accendit, ut pro eo mori non dubitet, quem aliquo amore rei sæcularis offendere timet. Ipsa enim charitas quem perfecte possederit, ab amore rerum sæcularium funditus occidit. *Fortis* ergo est *ut mors dilectio*, quia sicut mors vitam temporalem perimit, ita dilectio Dei in mente justi amorem hujus mundi interficit, et quem intus perfecte charitas imbuerit, ad exteriora omnia carnaliter appetenda velut insensibilem reddit.

Dura quoque *sicut infernus æmulatio* est, quia imitatio operum Christi tam valida est a peccatis hominem absolvere et justificare, sicut infernus validus est peccatores cruciare : quæ tamen *æmulatio* ex ardore charitatis procedit, quæ tantam vim doloris ex desiderio supernæ [felicitatis] importat, sicut infernus ex recordatione malorum suorum peccatoribus quos cruciat.

Unde subditur quia *lampades ejus lampades ignis atque flammarum*, ut in electorum cordibus ipsa charitas non simpliciter calor sed ignis et flamma esse intelligatur.

VERS. 7. — *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam ; si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

Quia tanta vis ejus est in mente cujusque sancti, ut sicut **259** immensum ignem aquæ non possunt extinguere, ita fervorem charitatis a mente sancti multæ tribulationes mundi non possunt auferre. Unde quidam qui hoc igne charitatis ardebat dicit : *Quis nos separabit a charitate Christi, tribulatio an angustia, persecutio an fames, an nuditas, an periculum, an gladius ? Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque vita, neque mors, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque dominationes, neque creatura aliqua poterit nos separare a charitate quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VII).

Unde recte subditur, quia *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

Cur enim sancta anima pro amore Dei omnem substantiam suam non despiceret, quæ semetipsam ita despicit, ut propter eamdem charitatem Dei, mortem non timeat? Si enim omnia illa quæ Deus non est, causa dilectionis ejus despicit, quid est quod eidem dilectioni præponere possit? Cumque nihil sit in cœlo quod charitati quæ Deus est, ipsa præponat, profecto non parum sed nihil est si omnem substantiam propter eam despiciat. Sequitur ergo summum bonum esse charitatem, si nullum bonum ei præponi potest.

VERS. 8. — *Soror nostra parvula est et ubera non habet ; quid faciemus sorori nostræ in die quo alloquenda est ?*

Supra dilectus charitatis eminentiam commendaverat, et quale vel quantum bonum ipsa charitas esset, ostenderat ; quomodo ad eam pertingi possit nunc demonstrare intendit : quia cum tantæ sit excellentiæ, tantæ dignitatis, non facilis est via apprehendere illam, et tenere in pace perpetuæ securitatis. Necessariæ ergo sunt ad eam obtinendam constantia vel fortitudo animi, scientia Scripturarum, et perseverantia boni operis. Quare dicit dilectus de dilecta, hoc est Ecclesia, sive qualibet sancta anima quam sororem appellat, propter fidem et bonam operationem, quia *parvula sit et ubera non habeat ;* datque protinus consilium, quid pro hac imperfectione sit agendum.

Soror, inquit, *nostra parvula est :* unde parvula est? Quia adhuc tenera est in fide, in sensu, in verbo et ratione, in mentis fortitudine et bonæ vitæ actione. *Et ubera non habet.* Quomodo *ubera non habet?* intellectum sacræ Scripturæ, quæ in duobus Testamentis continetur, nondum habet, quia quamvis legat et audiat quod **260** littera ostendit et sonat, nondum tamen scientiam spiritualis intelligentiæ accepit, in qua omnis vis et ratio recte loquendi et disputandi consistit, sine qua nec docendi, nec prædicandi virtus obtineri potest. Quapropter prius *evacuare debet quæ sunt parvuli* (*I Cor.* XIII), et ad perfectionem tendere credendo et operando, ut postquam ubera habuerit per integram cognitionem duorum Testamentorum, tum demum officium docendi et prædicandi congrue arripere possit.

Quid ergo faciemus, inquit, *sorori nostræ, in die*

Digitized by Google

quando alloquenda est? Cum soror nostra adhuc parvula sit, atque ideo alloqui non possit, crescat tamen quotidie, et ad perfectionem cupiat pervenire, quando tempus eam alloquendi venerit ut dicatur ei: *Surge, propera, amica mea, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis* (*Cant.* II), quale inveniemus consilium in die discretionis jam habitæ, intelligentiæ quoque et scientiæ, ac vitæ honestæ?

VERS. 9. — *Si murus est, ædificemur super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.*

Duæ sunt prælatorum qualitates, una eorum qui publicæ prædicationis officio intenti, contra hæreticos et quosque reprobos, *se quasi murum pro domo Israel*, id est Ecclesia, *opponunt* (*Ezech.* XIII). Altera eorum qui solum officium doctoris gerentes et contemplativæ vitæ inhærentes subjectos suos ad bonæ actionis studium verbo et exemplo accendunt, quibus sunt quasi ostium, quando eis introitum regni cœlestis recte docendo et bene operando ostendunt.

Quid ergo faciamus sorori nostræ, in die tali *quando alloquenda est*, et admonenda ut jam surgere incipiat ad prædicandum sive docendum? Duo eam oportet habere huic officio necessaria, *murum* videlicet et *ostium*, ut sit constans et docta, hæreticis resistens et populum Dei erudiens: murum enim habebit pro defensione, ostium pro introductione.

Si ergo *murus est*, quid faciemus? *Ædificemus*, inquit, *super eum propugnacula argentea:* propugnacula enim sunt necessaria contra hostium insidias; sed quare *argentea?* quia *eloquia Domini argentum igne examinatum* (*Psal.* XI). Propugnacula ergo argentea divinorum eloquiorum sunt munimenta, quæ in mente prædicatoris per scientiam sanctarum Scripturarum sunt ædificanda. *Si*, inquit, *murus est, ædificemus super hunc murum propugnacula argentea;* si, inquit inter adversa et prospera spiritum habet fortitudinis **261** et tantæ constantiæ ut quasi murus stet pro justitiæ defensione, demus ei etiam sanctarum scientiam Scripturarum, ex quarum sententiis velut quibusdam propugnaculis, contra hæreticorum sive perversorum hominum pravitates dimicare et veritatis rationem defendere possit.

Porro *si ostium est*, et ad hoc studiosa invigilat, ut auditores suos verbo vitæ erudiat, et ad bonum vivendi modum introducat, quid faciemus? *Conpingamus*, inquit, *illud ostium tabulis cedrinis;* pictura enim litteras nescientibus pro lectione est. Quæ est ergo materia picturæ hujus, quæ in hoc ostio ponenda est; nisi vita et conversatio sanctorum? Quando enim quisque prælatus, causa ædificationis subjectis suis proponit exempla sanctorum, profecto in eorum mentibus quasi pingit quid amare, quid timere, vel qualiter vitam suam ad eorum imitationem componere debeant.

A Unde et ipsa pictura *tabulis cedrinis* dicitur componenda; cedrus quippe imputribilis est naturæ, et idcirco *tabulæ cedrinæ* recte sancti intelliguntur, quia nulla vitiorum putredine corrumpuntur, imo bono odore replent Ecclesiam, quia *Christi bonus odor* sunt *in omni loco* (*II Cor.* II).

Tabulis ergo cedrinis ostium compingitur quando quisque prædicatorum, prædicationem suam virtutibus sanctorum quos pro exemplo inducit, confirmat, ut æternæ vitæ januam vel imitantibus aperiat, vel contemnentibus claudat.

Igitur sancta Ecclesia sive sancta quælibet anima, quæ ad sponsi sui dilectionem tendit, dum adhuc parvula et tenera est in fide et scientia, in moribus et disciplina, si perfectionem illam adi- B pisci desiderat, quæ plenam in se Dei charitatem pariat, necesse erit cum animi constantia divinorum eloquiorum habere propugnacula, in doctrina quoque et bona vita, felici stare perseverantia. Cum enim ubera prædicationis et doctrinæ habuerit, ut alios quoque nutrire et ad perfectionem perducere possit, quasi ex debito videtur debere, ut hoc quod ex Dei gratia habet, proximis etiam communicet, sicut dicit Apostolus, quia *Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum, ita, quod in me, promptum est et vobis qui Romæ estis evangelizare* (*Rom.* I). Unde mox post adeptam scientiæ gratiam, ad ostium prædicationis sponte se exhibens sponso suo constanter respondet: *Ego murus et* C *ubera mea sicut turris.*

262 VERS. 10. — *Ego murus, et ubera mea sicut turris ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

Causam enim collatæ sibi gratiæ ostendit, videlicet repertionem pacis per quam ad profectum sui et aliorum constanter prædicando et operando tendere satagit; cum enim *militia* sit *vita hominis super terram* (*Job* VII), quando est in pugna et adversantium vim patitur, quomodo pro aliorum defensione staret, qui pro sua adhuc laborat? Necesse ergo habet primo in se ipso sentire pacem et quietem, ei intimam adipisci securitatem, et tunc primum ad defensionem aliorum murum esse, primo scire seipsum instruere, regere et docere, deinde D ad aliorum profectum ubera suæ doctrinæ extendere, quod etiam cujusdam pacis signum est, quia cum mens propter ignorantiam laborat, et pro scientia adipiscenda secum confligit, adepta jam scientia, postquam diu secum pugnabat, magnæ profecto fructum pacis et quietis assecuta esse comprobatur.

Quam ergo pacem dicit se reperisse, et ubi? nimirum pacem illam *quæ exsuperat omnem sensum* (*Philip.* IV), quam ipse sponsus suis amatoribus reliquit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV); quæ enim pax isti paci præferri potest, quæ hic quidem incipit, sed ibi æternaliter manet? Ipse namque Christus pax est, de quo dicit Apostolus: *Ipse enim est pax nostra, qui*

Digitized by Google

fecit utraque unum (*Ephes.* II); unde et hanc dicit se reperisse coram eo. *Ex quo*, inquit, *facta sum coram eo quasi pacem reperiens* : ibi enim pacem reperit, ubi eum qui vera pax est, præsentem agnovit. Quomodo autem eum reperit præsentem et agnovit? quomodo vero eo præsente pacem invenit? Tali nimirum modo, quo ipse docuit qui suis dicit : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX). Docturus enim de pace habenda, non sine causa præmisit, *habete sal in vobis* ; nullo quippe modo pacem istam consequi quis potest, nisi mentem habuerit sale sapientiæ conditam; ut enim quidam dicit. Sapientia est stultitia caruisse, quia sicut sal aufert putredinem a carne, sic sapientia stultitiam a corde. Condimento autem sapientiæ ablata stultitia a corde, quæ generat putredinem vitiorum, cito ad pacem istam perstringitur, qua inter carnem et spiritum omnis pugna sopitur, nihilque caro desiderat quod spiritui repugnet; sicque pace ista in hac terra reperta, ad illam quandoque perveniet, quæ nullo est fine auferenda. Quomodo autem pugna ista aufertur, ut **263** pax concedatur, nisi coram eo, nisi præsente ipso, qui suos sic pugnaturos consolans, dicit : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI); ac si diceret : Quia ego vici, per me et vos vincetis?

Recte ergo sponsa dicit: *Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens, ego murus, et ubera mea sicut turris* ; quia ex quo ejus gratia vici carnales affectus, et spirituali sum pace confortata, possum pro aliorum quoque salute stare, et verba exhortationis constanter edicere. *Ubera* nempe *mea sicut turris*, quia tantum ex divina gratia in verbo exhortationis excrevi, ut possim juxta prophetam, montem excelsum ascendere et exaltare in fortitudine vocem meam ut evangelizem Jerusalem (*Isa.* XL) Nempe *murus sum*, ad defendendum et custodiendum populum Dei, *et ubera mea sicut turris*, ut possim ex alto prospicere, et a longe futura annuntiare.

VERS. 11. — *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos : tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos.*

Magnopere considerandum quis iste pacificus, vel quæ sit vinea pacifici, qui vero populi, vel qui custodes, sive quis fructus vineæ istius.

Pacificus iste Dominus est Jesus Christus : propter causas superius prænotatæ pacis, pacificus appellatur, *cujus in pace factus est locus* (*Psal.* LXXV), quique nos in pace vocavit, *solvens inimicitias in carne sua, legem mandatorum in decretis evacuans ut duos conderet in semetipso, in unum novum hominem faciens pacem, ut reconciliaret utrosque in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso, et veniens evangelizavit pacem his qui longe et pacem his qui prope* (*Ephes.* II).

Illuminato oculo interioris hominis diligenter inspiciendum quam congrue, quam vere, et unice pacificus iste sit, qui tales et tantas tamque longas inimicitias solvit in carne sua, facta reconciliationis miranda et adoranda majestas tunc magis agnoscitur, quando inimicitiæ qualitas et quantitas pensatur; quantam enim inimicitiam primus homo contraxit erga Deum per inobedientiæ malum, ut non solum felicitatem illam paradisi, in quo positus erat amitteret, verum etiam mortem prævaricationis ultricem susciperet? Sed hujus inimicitiæ pondus per successionem humanæ propaginis ex augmento malitiæ et nequitiæ succrevit, ut ipse conditor, sicut dicit Scriptura, *tactus dolore cordis intrinsecus* diceret : *Pœnitet me fecisse hominem* (*Gen.* VI), et idcirco data judiciali sententia, excepto Noe qui tunc solus cum uxore et filiis salvatus est, vindice aqua totus consumptus sit mundus.

Quis autem hujus tantæ inimicitiæ pondus resolveret? Nunquid **264** angelus? Sed angelus, æque ut homo creatura Dei, gratia Dei indigebat, et creatura creaturam ab hujusmodi necessitate liberare non poterat. Venit ergo ipse Conditor creaturæ, nullius indigens, omnipotens, et hujus inimicitiæ parietem destruere, reconciliationis autem et pacis veræ æternum pactum statuere sine aliquo obstaculo omnimodis sufficiens. Qui quoniam per divinitatem videri non potuit, ut visibilis fieret, per humanitatem venit, cui nascenti signo temporalis pacis totus occurrit mundus, annuntians et prædicans insigne illius summæ et æternæ pacis per eum constituendæ. Unde et in ejus nativitate clamabant angeli : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II).

Quis ergo magis et vere pacificus, quam iste talis et tantæ pacis conditor æternus? Salomon quidem qui ex nomine suo dictus est *pacificus*, Salomon quippe interpretatur *pacificus*, temporalem pacem rex temporalis, concedente Deo, habuit, quatenus domum Deo nullo impediente ædificaret, sed suo nomine, et opere, et tempore hunc verum pacificum præcessit, sicut nox diem, umbra veritatem, qui ut sibi domum, sanctam videlicet Ecclesiam, conderet, signum hujus mirandæ et conservandæ pacis quasi in fundamento posuit, *Pacem* inquiens, *relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV).

Huic *pacifico fuit vinea*, sancta videlicet Ecclesia, quæ idcirco *vinea* non incongrue nuncupatur, quia si cultura sive natura vineæ attenditur, non parvam sui profectus utilitatem ex ejus similitudine sibi attrahere videtur. Quis nempe modus est culturæ qui vineæ adhibetur? putationis tempore recisis inutilibus sarmentis quasi purgatur, deinde circumfossa erigitur et ad palos religatur : porro si naturæ ejus qualitatem attendas, videbis quia primo vivam defigit radicem, deinde quia flexibilis et caduca est, quasi brachiis quibusdam, ita claviculis quidquid comprehendit, stringit, hisque se erigit et attollit. Quænam est in Ecclesia sive in qualibet anima putatio, nisi vitiorum de cordibus amputatio? quæ autem circumfossio, nisi per compunctionem et confessionem peccatorum, ad mentem

Digitized by Google

reductio? Quasi enim sarculo quodam compunctionis moles terrenorum operum ad memoriam reducitur, ut per confessionem et satisfactionem mens exonerata, melius in bonis actibus fructificare possit. Quid autem agit hujus officii minister qui pœnitentem suscipit, eique confitenti modum pœnitentiæ imponit? manu certæ consolationis et spe divinæ miserationis erigit, et quale 265 deinceps vitæ propositum teneat, per sanctorum exempla proponit, quibus se quasi ad palos religatus, ne cadat, sustentare debeat.

Porro juxta naturam vitis, Ecclesiæ sive cujuslibet animæ profectus consideratur, quia postquam fidei radice plantata et fixa fuerit, repressa humilitatis propagine, ne aliquibus procellis vel tempestatibus sæculi possit reflecti sive deduci, quasi claviculis et circulis, amplexibus charitatis proximos quosque complectitur, et in eorum compunctione requiescit.

Talis ergo *vinea fuit* vero *pacifico* Domino nostro Jesu Christo, non quod modo non sit, vel in futuro esse non debeat, sed *fuit* dictum accipere debemus in præscientia et prædestinatione ipsius, sicut alibi scriptum est de omni creatura: *Quod factum est in ipso vita erat* (*Joan.* I), quia in ejus præscientia omnia jam erant et vivebant, quemadmodum in mente alicujus artificis rei faciendæ forma vel exemplar est, cujus similitudinem manus operantis imitantur, ut rem in apertum producat.

Vinea autem *fuit in ea*, subauditur pace, *quæ habet populos*, quia Ecclesia non de una gente Judæorum, sed de omnium est nationum populis collecta, in unitatem fidei, dilectionis et pacis, sicut scriptum est: *Erat eis cor unum et anima una* (*Act.* IV). Porro notandum quod non dicit, *in ea* pace quam habent populi, sed *quæ habet populos*, ut magis attendatur gratia vocantis, justificantis, glorificantis, quam labor et studium volentis, currentis, comprehendere nitentis, quia sicut dicit Apostolus: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX). *Ipse est enim pax nostra qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II), et ex ea *pax quæ exsuperat omnem sensum* (*Phil.* IV). Cum ergo ista pax *habet populos*, non potest aliquod schisma, sive aliqua dissensio, unitatem fidei illorum irrumpere, quin firmiter in ea pace ita cohæreant, ut electissima *vinea* vero *pacifico* Domino nostro Jesu Christo fiant: nam si ipsi haberent pacem sine habente eos pace, non firma radice tenerentur, quia illi paci complantati non essent, in qua in idipsum dormirent et requiescerent (*Psal.* IV). Quæ dormitio et requies post hanc vitam datur in idipsum, *quia videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III), et *non est* ibi *transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I), sed pacem quam semel acceperimus, in æternum sine aliqua permutatione servabimus.

Sed hos *populos* quos *habet* ista pax quamvis primo loco accipere debeamus universalem Ecclesiam ex Judæis et gentibus congregatam, secundo tamen loco non incongrue accipere possumus particularem Ecclesiam per diversa professionum 266 genera in ipsa universali constitutam, quæ etiam *vinea* Domini potest dici, et eadem pace et unanimitate debet colligari. Porro si ad individua descendamus, potest non absurde dici *vinea* Domini aliqua fidelis et Deo serviens anima, cujus cultor Spiritus sanctus est per gratiam, quoniam secundum formam superius positam, quam universitati diximus congruere, singulari quoque videtur non inconvenienter competere, videlicet ut hoc ejus sit studium vitia et peccata veluti inutilia sarmenta manu pii operis per cooperatricem gratiam rescindere, terrena opera per compunctionem et confessionem, quasi per circumfossionem ad mentem reducere, sicque pœnitendo et bona opera agendo acceptum Deo fructum offerre.

Tradidit eam custodibus: custodes hujus vineæ, hoc est sanctæ Ecclesiæ, fuerunt sancti apostoli sive eorum successores apostolici viri, quorum studii et diligentiæ fuit, eam in sanctitate et justitia erudire, et a malorum operum atque pravorum dogmatum peste, verbo et exemplo defendere, non quod eorum proprii fuerit operis, quidquid in hac custodia consecuti sunt profectus, sed quod ministri et officiales fuerint divinæ operationis et efficientiæ, sicut dicitur a Domino in Numeris ad Aaron: *Vos ponite nomen meum super filios Israel, ego Dominus benedicam eos* (*Num.* VI) · ac si aliis verbis dicat: Vos per ministerium vobis traditum gratiam meam verbo et opere transfundite hominibus, meum erit ipsius gratiæ bonum in eis ostendere et ad effectum perducere.

Verbum autem traditionis quod hac enuntiatione prolatum est, non absque formidine attendendum omnibus Ecclesiarum prælatis atque eorum subjectis, quia et illos ad prudentiæ et istos ad obedientiæ virtutem cautos et sollicitos esse præmonet. Loquitur autem prælatis Apostolus: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (*Act.* XX); porro subjectis: *Obedite*, inquit, *præpositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes, hoc enim non expedit vobis* (*Hebr.* XIII). Vos ergo, hoc est prælatos, cum sollicitudine, providentia, et istos, hoc est subjectos, cum humilitate, patientia attentos facere debet, propter verbum traditionis hujus, quo dicitur: *Tradidit eam custodibus.*

Si ergo Deus Ecclesiam suam tradidit custodibus, valde timendum est ne, si custodes custodiam negligunt, et custodiendi custodes despiciunt, vel custodiæ repugnant et detrahunt, illum qui custodes posuit et custodiam statuit, graviter offendant. Isti nempe custodes Deus speculatores appellat, sicut ipse prophetа loquitur: *Speculatorem dedi te domui Israel; quæ vides, annuntiabis eis ex me*

Digitized by Google

(*Ezech.* III); **267** *quæ vides*, inquit, *annuntiabis eis ex me*, hoc est quæ oculo mentuali intelligis, sive oculo corporali aspicis, corrigenda vel emendanda, *annuntiabis eis*, exhortatione, consilio et præcepto, *ex me*, hoc est secundum rationem et modum quem tibi aspirando præmonstravero. Et in hujus custodiæ traditione ipsis custodibus, sive speculatoribus periculum, et modum evadendi periculum Deus proposuit dicens : *Si dicente me ad impium : Morte morieris, et non annuntiaveris ei, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram*, ecce periculum. Modus vero evadendi periculum istud, sequitur in eo quod dicit : *Si autem annuntiaveris impio, ut ab iniquitate sua convertatur et ille te non audierit, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti* (*ibid*). Hoc ergo custodibus, hoc est prælatis in Ecclesia, periculum pro negligentia, securitas pro vigilantia proposita est, unde major eos cura et sollicitudo erga officium sibi creditum tenere debet.

Porro, privatorum sive subjectorum non minus, imo gravius est periculum pro contemptu et inobedientia ; quia cum prælati infirmitate et negligentia plerumque peccent, isti ex superbia et temeritate delinquunt, et illorum contemptus et irreverentia, Dei est contemptus sive irreverentia. Sic ipse dicit : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* X); et ad prophetam, quem dicit se speculatorem domui Israel dedisse : *Ideo* inquit, *te non audiunt quia domus exasperans est* (*Ezech.* III). Mala et metuenda appellatio, ut domus indisciplinatorum et inobedientium, *domus exasperatrix* nuncupetur, et alio loco *dura cervice et incircumciso corde* dicantur, quia Spiritui sancto resistant (*Act.* VII). Qui enim verbo disciplinæ et honestatis resistunt, Dei verbo resistunt. *Verba* autem *Dei spiritus et vita sunt* (*Joan.* VI), atque ideo Spiritui sancto resistunt. Unde Propheta quia verbo Dei resistere damnabile vidit, bonitatem et disciplinam se doceri a Deo postulavit, eo quod mandatis ejus crediderit et obediens fuerit (*Psal.* CXVIII).

Præcepit autem sermo divinus in sacra lege de filio contumaci et protervo atque inobediente, ut apprehensum parentes ducant *ad seniores civitatis et ad portam judicii* (*Deut.* XXI), ne scilicet suam præcipitent sententiam, sed sapientes adhibeant in testimonium ; nam scire debent, quia prima generis nostri quam omnes luimus culpa est inobedientia, et quia contumacibus et protervis nullam justitia Dei reponit veniam, sed, sicut scriptum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*1 Petr.* V).

Semper enim tales ad portam judicii examinandi sunt, ut si in sua contumacia vel temeritate permanserint, et obedire noluerint, a consortio fratrum ejiciantur ; si vero pœnituerint et humiles et quieti fuerint, **268** denuo recipiantur. Hæc est etiam porta judicii in civitate Dei, hoc est sancta Ecclesia, ut contumaces et rebelles si corrigi nolunt, ferro excommunicationis tanquam putrida membra a corpore Ecclesiæ præcidantur, de quibus scriptum est : *Ex nobis quidem exierunt, sed non erant ex nobis* (*1 Joan.* II); porro pœnitentes et suæ malitiæ finem imponentes, tanquam curata et sancta membra in corpus Ecclesiæ reponantur. Igitur cætera quidem peccata toleranda sunt in domo Dei, contumaces autem et protervos filios severitas patrum sapientum obruit, ut auferat malum de medio sui, cum auctoritate legis Domini quam memoravimus ; imo proprio exemplo Dei, qui inobedientes primos homines de paradiso expulit (*Gen.* III).

Verbum igitur *traditionis* quod de domino vineæ pronuntiatur, non negligenter sed diligenter et cum timore cogitandum et pensandum est, quia utrobique neglectum vel contemptum, sive a prælatis sive a subjectis, ad tradentis respicit judicium.

Vir affert pro fructu ejus mille argenteos. Diligens et studiosus inspector hujus capituli attendere debet quis vel qualis, aut quantus sit hujus vineæ *fructus*, qui tanti pretii æstimatur, ut pro ejus assecutione, non decem, aut viginti, aut triginta, sed determinate *mille* sunt *argentei* deferendi, et qui hos deficiens, comparare hunc fructum possit non quilibet potens et dives, sive officialis vel privatus, sed absolute *vir* dici et esse debeat.

Quis igitur *fructus* est iste? nimirum quidem ille qui velut tribus pulchritudinis coloribus depingitur, videlicet potentia, sapientia, bonitate : potentia quidem qua nihil efficacius, sapientia qua nihil rationabilius, bonitate qua nihil dulcius. Nam potentia nulla impossibilitatis vel infirmitatis lege constringitur, sapientia nihil admittit quod rationis virtute careat, bonitas tanta dulcedinis multitudine affluit, ut nihil supra. Præterea hujusmodi fructus attactus et usus efficax et saluberrimum sanitatis toti homini præbet experimentum. Sed ubi hoc in creaturis et visibilibus invenitur? Nunquid in angelis? Scriptum est autem, quia *et in angelis suis* iniquitatem *reperit* (*Job* IV). Creatura enim corruptioni et mutabilitati subjacere potest, quod autem non potest, immutabile et incorruptibile esse necesse est.

Porro tres pulchritudines hujus fructus diximus tales esse, ut nihil supra se suscipere possunt ; potest tamen aliquid infra esse, quod ex earum affectione vel participatione dicatur aliquo modo potens, sapiens et bonum esse, **269** sed non substantialiter, potentia, sapientia, bonitas. Quod enim susceptibile et participabile est, non idem est quod suscipiens et participans, nam suscipiens et participans est, quando nec suscipit, nec participat, atque ideo mutabilitati subjacet et potest corrumpi : porro susceptibile et participabile in sui semper essentia immutabiliter consistens, nunquam potest corrumpi, nulla autem creatura susceptibilis et participabilis est, Deus igitur est. Cum ergo quærimus quisnam *fructus* hujus vineæ sit, et omnes ejus virtutis et pulchritudinis circumstantias attendimus.

Digitized by Google

procul dubio Deum esse postremo concludimus. Susceptione autem et participatione hoc consequitur rationalis creatura, ut quandoque transeat in incorruptionem et immutabilitatem, non natura sed gratia, atque ita ex homine operante et Deo cooperante, quasi nascitur et crescit fructus iste, qui est præmium omnium ad Dei regnum pertinentium, et appellatur vera beatitudo. Vera autem beatitudo ipse est Deus quem habere et quo frui æternaliter est vere beatum esse. *Fructus* igitur iste Deus est.

Porro de qualitate hujusmodi fructus quid dicemus, cum de ea scriptum sit, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit ?* (*I Cor.* II.) Verumtamen superius eumdem fructum tribus distinximus coloribus, quod magis ad qualitatem pertinet, non quod differentia colorum diversum faciat fructum, sed quod hæc diversitas ita inseparabiliter uni substantiæ cohæreat, ut nullam proprietatis virtutem et efficaciam aliquo modo adimat. Sicut enim, verbi gratia, in uno aliquo subjecto tres conveniunt colores, et unus nomen habet ut dicatur rubeus, alter albus, tertius viridis, una tamen substantia et eadem est, quæ hos continet; sic in isto fructu, cum aliud non sit potentia, aliud sapientia, atque aliud bonitas, unus tamen et idem est fructus, et unam atque eamdem virtutem et efficaciam ubique habet, videlicet posse, sapere, vegetare, quæ tamen efficiunt ut nihil boni sit, quod ejus plenitudini desit.

De quantitate vero hujus fructus quid dicendum est, cum tantæ immensitatis sit ut nullo circumscribatur loco, nullo concludatur termino? Videtur tamen quædam spatia habere, non secundum se, sed secundum participans : nullum autem hujus rei participans esse potest, nisi rationalis creatura. Porro rationalis **270** creatura, altera spiritualis est, ut angelus et anima, altera corporalis ut elementa, et quæ ex his composita sunt. Sed quia non est hujus loci de corporalis rei dimensionibus disputare, quæ linea, superficie, vel solido corpore constituuntur, fructus autem iste de cujus quantitate dicere cœpimus, non corporalis sed spiritualis est; *Deus enim spiritus est* (*Joan.* IV), de cujus quantitate quia incomprehensibilis et incircumscriptus est, nec cogitare, nec dicere aliquis potest, videamus tamen nunc quæ sint spatia quæ habere potest non secundum se, sed secundum participans. Quidquid enim bonitatis, honestatis, sanctitatis, disciplinæ vel scientiæ habere potest participans anima, de participabili Deo quasi profluentem in se gratiæ sumit vigorem ; atque per hoc videtur habere participans aliquid longius vel brevius, latius vel angustius, altius vel inferius, secundum quod illi placet distribuere, qui dat *unicuique* gratiam secundum *mensuram fidei* (*Rom.* XII). Unde Apostolus ad illos loquens quos ad hujusmodi dimensiones suscipiendos hortabatur : *In charitate*, inquit, *radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit longitudo, latitudo, altitudo et profundum* (*Ephes.* II).

Quia vero fructus iste, de quo loquimur, de radice charitatis nascitur et crescit, et ad maturitatem quasi ad perfectionem pervenit, non quantum ad capabilem Deum, qui semper perfectus, sed quantum ad capacem hominis mentem, qui augmento et detrimento subjacet, ut hoc modo proficiendo Deum quandoque comprehendat, cum quo suo modo perfectus et incommutabilis fiat, primo videamus de ipso nostro Domino Jesu Christo, quomodo juxta humanitatem de radice charitatis omnes has in se susceperit dimensiones, longitudinem videlicet, latitudinem, altitudinem et profundum : quis enim majorem eo charitatem habuit, qui animam suam pro ovibus suis posuit ? (*Joan.* XV.)

Si autem ponamus oculos mentis in genere et qualitate passionis ejus, videbimus omnes has dimensiones venerabiliter contineri, et hoc exemplo omnem Christianam animam viriliter promoveri. In figura quippe crucis, notandæ sunt quatuor dimensiones istæ, scilicet longitudo, altitudo, latitudo et profundum, quæ ex radice charitatis Christi in totum protenduntur mundum, significantis et monentis omnem animam quæ ejus passione redempta fuerit, si prædictum fructum, hoc est si æternam beatitudinem consequi voluerit, ejusdem charitatis dimensionibus, juxta modum et naturam sibi concessam, ad eam pertingere debere.

271 Lata enim debet esse charitas, quia usque ad dilectionem inimicorum extendi debet, sicut Christus in cruce pendens pro inimicis oravit dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Longa debet esse, quia non horaria, sed usque ad finem vitæ, sicut de Christo scriptum est : *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos* (*Joan.* XIII), tantam quippe perseverantiam debet habere charitas, ut pro nulla tribulatione vel angustia deficiat. Alta debet esse, propter causam finalem, ut scilicet attendat propter quid agat vel patiatur, hoc est propter æternam beatitudinem, quæ est fructus iste, de quo loquimur, propter quem semper sursum intendere, et in cœlo conversationem habere monetur ; profundum debet habere, quia nunquam absque timore debet esse, sed semper attendere quod quidquid ex latitudine, longitudine, et altitudine consequitur, non ex suis meritis, sed ex Dei misericordia habet; et ideo quia ignorat occultum et profundum Dei judicium, quare unum eligat et alterum repellat, et semper finis incertus est dum *multi* vocantur, *pauci* eliguntur (*Matth.* XX), nunquam sine timore debet esse.

Itaque *quoniam in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II), et ei *non ad mensuram dat Deus spiritum* (*Joan.* III), *omnes* autem sancti *de plenitudine ejus* accipiunt, *gratiam pro gratia* (*Joan.* I), videntur ad harum dimensionum spatia, suo quique modo vel mensura pertingere, secundum quod eis dat qui plenarie habet et de sua plenitudine dare potest, quantum voluerit.

Google

Porro quia charitas veluti centrum in medietullio posita omnes quasi per circumferentiam virtutes tangit, omnis enim virtus ex radice charitatis descendit; cumque omnis motus sex species habeat, sit namque ante et retro, sursum et deorsum, dextrorsum sinistrorsum; ad quamcunque partem mens hominis intentionem dirigit pro consequendo ejusmodi fructu, semper originem omnis boni motus a charitatis vigore accipit. Et quia ipse homo minor mundus dictus, ad instar majoris mundi quatuor constat elementis, quatuor quoque mensuratur partibus, quibus continetur totus, si ad Dei similitudinem conservandam fuerit institutus, videlicet prudentia, justitia, temperantia, fortitudine.

His quatuor partibus a centro mentis, hoc est charitate, æqua distantia porrectis, quidquid virtutis in anima potest esse, quasi circulum et circumferendo tangis et concludis.

Hæc ergo aliquo modo esse potest mensura sive dimensio, quam potest habere fructus iste participans, non secundum se ut dictum est, sed secundum participans, ut quandoque a participante sicuti est **272** adeptus, omnem deinceps adimat dimensionis in crescendo passibilitatem sive mutabilitatem, et conferat perfecte æternam impassibilitatem, immutabilitatem, immortalitatem (4).

Igitur iste fructus vera est beatitudo, vera autem beatitudo est Deus cujus qualitas et immensitas incomprehensibilis est. Sed quia jam cognovimus qui sit fructus præscriptæ vineæ, videamus nunc de offerente, qui sit, quia *vir* dicitur esse, nec aliter nisi *vir* sit, offerre possit. *Vir* quippe a virtute dicitur, et qui pro tanto fructu offerre debet, oportet ut virtutum pulchritudine et gratia resplendeat, quia non erit accepta oblatio, quam nulla virtutum commendat claritudo. In ratione enim dati et accepti ea debet esse forma ut talis sit in dante habitus compositio, et honestatis atque disciplinæ gratia, ut in accipiente pariat beneplacitum et hilaritatem vultus, et munus reddat acceptius. Et si hoc disciplinæ et honestatis bonum mortales inter se affectant, et approbant homines, quid putamus Deum omnipotentem et immortalem velle et quærere a nobis, cujus natura bonitas, sanctitas, honestas singularis et disciplina est? Ergo qui tali Domino offert, *indutus* debet esse *fortitudine* et præcinctus virtute (*Psal.* xcii): fortitudine quidem mentis ad coercenda et repellenda vitia et peccata, virtute animi ad bona opera agenda et exercenda. Non enim recta est oblatio quam culpæ repellit obfuscatio, quia et Cain Dominus dixit: *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti* (*Gen.* iv). Recte quidem obtulit, qui fruges terræ Deo dedit, sed non recte divisit, qui cor in malo detinuit, et oblationem suam invidiæ peste maculavit: secernere enim debuit bonum a malo, quia nulla participatio lucis ad tenebras, nec possunt in conspectu Dei simul esse veritas et falsitas, æquitas et malitia. Recte quidem obtulit, quia cui debuit Deo obtulit; sed non recte divisit, quia quod erat melius Deo recte negavit, quod vilius dedit: non enim satis Deo charus est, imo Deo indignus est, qui rem suam illi quidem offert, seipsum autem sibi retinet.

Talem ergo virum Propheta describit in primo psalmo, ubi hujusmodi habitum viri et propositum repræsentat, quem psalmum quia intelligentibus notus est, quicunque hunc virum assumere cupit, jugiter meditetur et opere exerceat: alio quoque loco hunc eumdem virum breviter commemorat dicens: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis* (*Psal.* cxi), et cætera, hoc est enim quod hunc virum efficit, et beatum, quia virtutis est timere Deum, et mandata ejus considerare et servare; beatitudinis vero quod propter hoc, *potens in terra erit semen ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*ibid*).

273 Descripto offertore quem virum decet esse, videndum nunc quid pro tali fructu vir affert et afferre debet. *Mille*, inquit, *argenteos*. Millenarius numerus pro perfectione ponitur, argentum autem castorum eloquiorum purum et lucidum designat sensum, sicut scriptum est: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* xi). Sed quid possumus dicere *argenteum* de hoc argento formatum et inscriptum? Si diligenter inspiciamus, quid est quod format, vel inscribit in mente hominis imaginem Dei, imaginem sanctitatis et justitiæ; nisi *præceptum Domini lucidum illuminans oculos* (*Psal.* xviii), oculos videlicet hominis interioris? ubi autem præceptum Domini audimus, et unde cognoscimus, nisi ex sancta Scriptura quæ est eloquium Domini? Hæc ergo Scriptura bene intellecta format, et quasi quamdam inscriptionem facit in mente hominis, ut cum ex lectione sanctæ Scripturæ charitatem perfecte assumpserit, *de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta* (*II Tim.* ii), argentei cujusdam monetam suscipiat, hoc modo inscriptam, *ad imaginem et similitudinem Dei*, hanc enim formam ipse rerum Conditor homini creando imprimendam instituit dum diceret: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* i), quod est dicere: Faciamus hominem viventem, rationabilem, Deo similem: cuncta etenim animantia duplici honore præcellit hominis conditio, dum dicitur *ad imaginem et similitudinem nostram; ad imaginem* videlicet, ut sit rationalis, ad *similitudinem nostram*, ut rectus sit sectando justitiam Dei. Horum altero, scilicet rationalitate, carere non potest; alterum, hoc est divinæ rectitudinis vel justitiæ similitudinem, nisi per gratiam assequi non potest: sed ea qua carere non potest homo facultas rationalitatis instrumentum est, sive oculus quidam ad quærendam similitudinem Dei. Est ergo inexcusabilis, cum ad Dei similitudinem non pervenerit,

(4) Locus obscurus.

Digitized by Google

quia videlicet bono instrumento ad hoc, propter quod sibi datum est, uti noluit.

Verum cum primum fecit Deus hominem, non solum rationalem, sed et similitudinis suæ fecit honore pollentem, *Deus enim*, inquit Scriptura, *fecit hominem rectum, ipse vero implicuit se multis quæstionibus* (*Eccle.* VII). Nunc autem seductus perdidit quidem honorem similitudinis Dei, sed facultas rationis in eo permansit, per quam revocantem audire et ad restaurationem sui ducem ac præceptorem valeat sequi. Argentum ergo hujusmodi divinus et summus ille trapezeta in anima hominis inscripsit, quando eam rationalem et suæ sanctitatis participem fecit.

274 Quocirca debitor est homo Deo, ut, quia Deus eum hoc duplici honore insignivit, intelligat debitum suum, videlicet ut rationis capax, ipsa ratione duce, semper ad Dei similitudinem per sanctitatem proficiat, ne, si non intelligat, compararetur *jumentis insipientibus, et similis* fiat *illis* (*Psal.* XLVIII). Hoc denique debitum quia homo debeat Deo ostendit Dominus in Evangelio, quia cum tentaretur a Scribis et Pharisæis dicentibus: *Si licet censum dare Cæsari an non*, respondit: *Ostendite mihi numisma census;* qui cum ostendissent, dixit: *Cujus est imago et superscriptio?* Quibus respondentibus: *Cæsaris: Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII).

Hac ergo sententia sua demonstrat Dominus et demonstrando docet, ut sicut justum est homini mortali ea quæ illius sunt; et quæ ab illo donata sunt, tributaria subjectione reddi, ita justum, imo justissimum est, Deo omnipotenti et immortali ea quæ illius sunt, et quæ ab illo concessa sunt, homini summa devotione et humili subjectione deferri. Sunt autem homini a Deo concessi ratio et intellectus, quibus ita uti debet, ut ad Dei similitudinem bene vivendo proficiat, atque hanc superscriptionem argentei in anima et mente sua ex sanctitatis fulgore suscipiat, *ad imaginem et similitudinem Dei.*

Igitur hujuscemodi argenteum, unum vel duos sive tres aut plures, secundum mensuram donationis Dei, aliquis fidelis offert, ut comparet fructum illum, hoc est vitam æternam quæ per dilectionem operatur, tendit et proficit ad Dei similitudinem. Sed *mille affert argenteos*, qui perfectæ sanctitatis claritate Dei adeptus est imaginem et similitudinem.

Sive millena unitas unam significat fidem, unum baptisma, unum Deum qui operatur omnia in omnibus, et qui *fructum* illum, hoc est æternam desiderat vitam, oportet ut veram et rectam fidem teneat et doceat, unum Deum et unum hominem habeat et colat, nomen Christianitatis quod in baptismo suscepit, fide et operibus exornet, veram, catholicam, et unam divinam Scripturam legat, doceat, amplectatur et sequatur. Igitur cum hæc de semetipsa dilecta ad gratiam et gloriam dilecti dicit, continuo respondens ait: *Vinea*, etc.

Vers. 12. — *Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructum ejus.*

Vinea, inquit, *mea coram me est*, hoc est cognosco et approbo meam **275** vineam, ex hoc quod gratiam plantationis meæ in ea invenio, quam si non invenirem, coram me esse non posset, nec mea vinea dici posset. Nam de vobis qui vinea mea dici et esse potestis, per prophetam locutus sum, quia *aspiciam vos et crescere faciam, multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum* (*Levit.* XXVI): qui enim coram me sic sunt, ut præsentia mea et visione digni sint, bonorum operum claritate fulgentes illos agnosco et custodio; quia *oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII), sicut econtrario, qui me postponunt contemnendo, illos quoque et ego postpono reprobando, atque ideo adjutorium gratiæ meæ non impendendo.

Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ejus; ex opposito illius vineæ, quæ in pravum conversa est, de qua dicitur, quia *exspectavi ut faceret uvam, fecit autem labruscas* (*Isa.* V), melius hujus capituli sensus patebit. Dicit enim Dominus per Osee de ea sub specie meretricis: *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, et coro hordei et dimidio coro hordei* (*Ose.* III): sacramentum autem, in his numeris absconditum est pulcherrimum; hic *in mille argenteis*, illic *in quindecim argenteis, et coro hordei et dimidio coro hordei;* cujus videlicet hæc summa est, quod ista et virgo sit et viro conjuncta, illa autem neque virgo neque viro conjuncta, hujus namque virginitatem unitas millena; conjunctionem vero sive nuptias binarius centenus significat. Arithmetici vero sive abacistæ melius norunt quod dicitur, et qua ratione unitas virgo pronuntietur, usu habent in suis tractatibus, quod videlicet in semetipsa multiplicata nihil creat, quia semel unus, unus est, quod nulli alii numero contingit: nam cæteri numeri in semetipsos ducti alios creant, ut bis duo quatuor, et tertia novem: porro *nuptias hujus centenus designat binarius*, et hoc felicissimum est, quia dilecta hæc quæ ex fide est, et semper viro conjuncta est, et semper virgo permanet, semper generat, semper tamen virgo permanet.

E contra illius viduitatem simul et corruptionem illius designat, quod pretium ejus neque in unitate mansit, neque ad binarium pervenit, cum dicitur: *Fodi eam mihi quindecim argenteis et coro hordei et dimidio coro hordei.* Si argenteos attendas, neque decem sunt argentei, quæ esset unitas decena, neque viginti qui esset binarius decenus, sed sunt *quindecim*, in quo videlicet numero plus unitate, minus est binario: similiter neque unus tantum corus hordei, neque duo sunt cori, sed corus et dimidius hordei, plus monade, minus binario. Itaque et illi hoc infelicissimum est, quia neque virgo est, neque virum habet. Igitur *mille tui pacifici* argentei, **276** hoc est omnes sermones in una fide consonantes; numerus enim iste, millena

Digitized by Google

unitas est, et pacem, hoc est remissionem peccatorum facientes vel acquirentes sunt tibi; quandoquidem unum Dominum, unam fidem, unum baptisma habere, est in catholica Ecclesia esse, ubi datur remissio peccatorum per pacem, id est Christum, *qui est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II). Sancta etenim Scriptura, quæ hæc tria resonat et docet, totam hujus pacis summam in se continet, quia quidquid legis, de Deo, de fide, de Christianitatis religione est, et omnia Ecclesiæ sacramenta ex his sunt constituta, et qui ea habet, sicut habere debet, pacem illam consequitur, quæ sentit bella vitiorum; cumque hac pace ad virtutum abundantiam profecerit, data sibi remissione peccatorum, ad illam perpetuam atque nunquam finiendam pacem pertinget, ubi nullus labor, nullus dolor, nihil omnino erit, quod ei adversari possit.

Sunt igitur tria ista hujus pacis instrumenta, quia omni animæ ad hanc tendenti semper considerandum cui credat, quid credat, quomodo credat. Si enim quæras cui vel in quem credere debeas, Deus tibi proponitur; si vero quæris quid credere, Ecclesiæ tibi sacramenta ostenduntur; porro si quæras quomodo credere debeas, Christianitatis tibi religio præscribitur. *Fides enim sine operibus* otiosa, imo *mortua est* (*Jac.* II), et: *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI). Proinde, ut diximus, propter istarum trium rerum unitatem, quæ veram æternamque constituunt et acquirunt pacem, recte quidem huic vineæ *mille* dicatur esse *pacifici*.

Sed *ducenti his qui custodiunt fructus ejus*, cur esse dicuntur? Primo quidem videndum qui sunt hujus *fructus custodes*, deinde quid velit eis datus numerus iste binarius centenus de quo supra paululum prædicavimus. Custodes hujus *fructus* primo loco dicere possumus eos, qui in Ecclesia Dei præsunt verbo et opere, et ne per hæreticos aliosque perversos homines fructus iste a fidelium mentibus rapiatur, linguæ manuque, hoc est doctrina et operatione, student obsistere, nunquam steriles esse, sed in seipsis et in aliis semper virtutum sobolem procreare. Secundo vero loco generaliter omnes Christiani hujus *fructus* custodes esse debent, quia hoc ab eis exigit Christiana religio, ne male vivendo vitam æternam perdant, sed semper cum Deo unus Spiritus existentes, ex hac spirituali conjunctione bonorum operum fecunditate cumulentur, sicque tandem virginali conjugio in cœlestibus nuptiis quas hic significat binarius centenus, cum Deo in sempiternum perfruantur. Cujus conjugii dos erit **277** duplex stola, videlicet beatitudo corporis et animæ, quam etiam potest significare binarius centenus, quia et centenarius in dextera manu ejusdem beatitudinis exprimit coronam.

VERS. 13. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.*

Post multa et diversa pulchre et laudabiliter prolata dilecti et dilectæ colloquia, quasi summam et finalem epithalamii hujus deponens vocem idem dilectus, tanquam erudit jam, et ex consortio sermonis ejus ad plenum edoctæ proclamat, atque ut specie sua et pulchritudine quam ex hac eruditione assumpsit, procedat in exemplum aliorum denuntiat. *Quæ habitas*, inquit, *in hortis*. Qui sunt horti, nisi amœnitas Scripturarum vel delectatio virtutum? nihil enim jucundius floret, vel dulcius olet, quam circa rivos et fluenta sive germina sanctarum Scripturarum, et pulchram delectabilemque ac salubrem varietatem virtutum. Utrobique enim laudabilis et cœlestis est disciplina, hic in dicendo, ibi in faciendo. Quid autem est in his *hortis* habitare, nisi sanctæ legis frequenti meditatione et virtutum exercitatione requiescere? Cujus enim voluntas in lege Domini est, et in lege ejus meditatur die ac nocte, simpliciter cum Jacob domi habitat (*Gen.* XXV), hoc est in mentis suæ tranquillitate secura stabilitate moratur, nihil varium, nihil mutabile in fidei, vel morum identitate recipiens. At contra in his hortis non habitat, qui cum Esau rerum sæcularium venationi intendens (*Gen.* XXV), circa mundi strepitum per silvas cogitationum vagatur, neque unitatem fidei, neque morum integritatem conservans.

Igitur, o dilecta, *quæ in* his *hortis* simpliciter ac salubriter *habitas*, *fac me audire vocem tuam*. Qualem vocem? vocem pii sermonis, vocem *virtutis*, vocem bene et recte docentis, vocem juste et pie viventis. Sicut enim vox magna est prædicatio vera et recta, sic et vox magna est conversatio pia et sancta. Vox magna est humilitas, vox magna est obedientia, vox magna est castitas, vox magna est patientia, vox magna et sonora est charitas, et quot virtutibus sancta anima radiat, quasi tot magnis vocibus ad Deum clamat.

Et quare volo *audire vocem tuam*? videlicet ut te verbo et opere clamantem audiam, sicut scriptum est: *Filii qui nascentur et exsurgent, audiant et narrent ea filiis suis, ut ponant in Deo spem suam et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant* (*Psal.* LXXVII). Et quid est meum *audire*? nimirum approbare, acceptare, et meo adjutorio **278** dignam judicare, cum enim audio approbo, cum exaudio adjuvo. Tu autem *fac me audire vocem tuam*. Quomodo facies? honeste et pie conversando, vera et pia docendo. Siquidem rationem et intellectum, memoriam et ingenium tibi concessi; ut sis inexcusabilis, neque dicas te nec scire, nec posse, omnem tibi impossibilitatis exemi necessitatem, quatenus ut debito habeas et facias: ego autem debitor tibi esse volo, ut cum feceris quod jure facere debes, vincar cum judicor (*Psal.* L); tuo, inquam, judicio vinci volo, quia valde delector si meo bene uteris dono, et idcirco tuum est facere ut velim *vocem tuam audire*: attamen tuum facere non est tuum, sed meum, quia ut velis et possis, munus est gratiæ meæ.

Fac me, inquit, *audire vocem tuam*. Quare? quia *amici auscultant*: cujus amici? Et mei et tui: mei per charitatem, quia me diligunt sermonem meum

Digitized by Google

servando; tui, quia te diligunt salutem tibi optando. Sunt enim amici quos corporalibus oculis non vides qui de profectu tuo et salute, sive de conversione tua gaudent, de quibus scriptum est, quia: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* xv). *Hi nempe administratorii spiritus sunt in omnem terram propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* i): hi enim solliciti sunt et agunt pro salute hominum, sicut a quodam istorum amicorum invisibilium cuidam amicorum visibilium dicitur, quia *in tempore illo consurget Michael qui stat pro filiis populi tui* (*Dan.* xii), ac subinde, *et nemo est adjutor meus in omnibus his nisi Michael princeps vester* (*Dan.* x).

Isti ergo *amici auscultant*, quia valde delectantur *audire vocem tuam*, ad me clamantem sive orando, sive psallendo, sive prædicando, sive optando. Sunt et alii amici, quos præ oculis habes, qui etiam hujusmodi quadrifidam concentorum veluti pulchrum διατέσσαρον symphoniam audire delectantur, et idcirco aures adhibent et auscultant atque optant audire te canentem et dicentem: *Ego autem sicut oliva fructificavi in domo Domini, speravi in misericordia Dei mei, et exspectabo nomen tuum ante conspectum sanctorum tuorum* (*Psal.* li). Hi, inquam, sancti et tales amici auscultant, optativo et desiderativo modo, ut fias quales ipsi sunt, ut unus eorum optabat *anathema* fieri pro fratribus suis (*Rom.* ix), quorum salutem desiderabat; et quia ipse in hortis virtutum sapientiæ quoque et scientiæ jam habitabat, sollicitus erat sic vocem suam in auribus meis temperare, ut et Deo et hominibus placeret, et quid saluti hominum competeret, vita et doctrina ostenderet. Unde hæc vox ejus est ex hortis sapientiæ et virtutis resonans, et mihi audibilis: *Castigo corpus meum et servituti redigo*, subjicio, *ne forte dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* ix). Hoc **279** modo dum caro ita spiritui subjicitur, ut nihil infra se cupiat, solum quod supra se est quærat, hæc est vox quæ delectabiliter sonat in auribus meis, imo hoc est *Canticum canticorum* quo nihil dulcius in hac mortali vita cantare potest homo mortalis et passibilis, quali voce et quali cantico semper rapitur ad illam ineffabilem dulcedinem capiendam, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit* (*I Cor.* ii), cujus assecutio perficiet hominem immortalem et impassibilem. Hanc nempe vocem et hoc canticum, dum angeli et omnes sancti mei auscultant et audire desiderant, ad eamdem gloriam quam isti, hoc est angeli adepti sunt, et illi hoc est homines, sancti per fidem, spem et charitatem se adepturos, non dubitant, te quoque quæ nondum adepta es, secum adipisci peroptant, atque pro hoc mihi incessabiliter supplicant. Quid tandem ad hanc vocem dilecta respondet? *Fuge, dilecte mi*, etc.

Vers. 14. — *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Si attente inspiciamus, magna hæc vox humilis corde, sive ad totam Ecclesiam referamus, sive ad quamlibet Deo devotam animam: cur enim sancta Ecclesia sive quælibet sancta anima hæc ad Deum non utatur voce in præsenti vita? Dicit nempe unus sanctorum: *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* xiii). Quid iste persensit, qui cognoscendi et prophetandi imperfectionem in hac vita præsenti pronuntiavit? quod enim ex parte est, perfectum non est; sed hanc imperfectionem dicit evacuandam, quando in futura vita venerit quod perfectum est; cujusmodi autem imperfectionem si recte consideres, nimirum hujus dilecti fuga est.

Porro quidquid in sacramentis Ecclesiæ agitur, magna et profunda mysteria continet, quæ omnia hujus dilecti potentiam, virtutem et gratiam prædicant, sed quis est qui de his ad plenum disputare valeat? unde dilecta præ hujusmodi magnitudinis attonita, ex parte cognoscit et ex parte prophetat, sed quia ad plenum comprehendere non valet, deficit, et dilecto ut fugiat non pro neglectu, sed pro defectu proclamat: fuge enim subtilium rerum in discussione sacramentorum, dilecti hujus fuga est. Nam quando vim eorum et efficaciam ad plenum enarrare, vel discutere non possumus, fugit nos iste dilectus: item cum sacræ Scripturæ faciem intendimus, sed eam plene pervidere et arcana thesaurorum ejus introire non possumus, profecto fugit nos iste dilectus.

280 Sed fugientem non temere retineamus, verum quidquid in sacramento vel sanctarum Scripturarum subtilitate comprehendere non possumus, igni comburamus, hoc est sancto Spiritui reservemus, et ne in sensum hæreticum nimis discutiendo incidamus, fugere dilectum sinamus. Nempe secundum exemplum beati Jacob qui cum angelo luctatus est, nos quidem cum verbo Dei luctari monemur, sed postquam, data benedictione, tactu nervi claudicamur, fugere Dei verbum permittamus. Quid namque est luctari cum verbo Dei, nisi infatigabiliter sensum sacræ Scripturæ investigare? Quid denique victorem a victo benedictionem postulare et suscipere, nisi ipsius sensus intelligentiam quærere et invenire? Sed victor a victo benedictione accepta femore emarcente claudicat, quia is qui sacram Scripturam, Deo inspirante, bene intellexerit, omni carnis voluptate restincta, in activa et contemplativa vita proficit, et grandi quidem spiritus commodo, sed magno carnis suæ vincit detrimento. Denique is claudicat qui vicit, quia tetigit qui victus est, nervum femoris ejus et emarcuit; quomodo claudicat? videlicet uno pede terræ innitens, alterum a terra suspendens, id est activam vitam pro cura subditorum non omnino relinquens, et contemplativæ præ ejus dulcedine totis viribus inhærens.

Iste claudus salit vel ascendit sicut cervus, terramque vix tangere dignatur, nam *conversatio ejus in cœlis est* (*Philip.* iii): verumtamen *ex parte*, uno

Digitized by Google

enim tantum pede nunc interim illuc suspensus est, donec veniat *quod perfectum est*. Et ideirco quia nunc perfecte comprehendere non potest, recte dicit : *Fuge, dilecte mi*. Cum ergo verbi Dei sensum in monte cum Domino loquentes, mente percipimus, illud Apostoli attendamus : *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI), ne dum dilectum fugientem incaute prosequimur, in perversi dogmatis foveam dilabamur. Item hoc modo dilectum fugere dicimus, quia semper est incomprehensibilis; nam istud concedendum majestati ejus ut non possit comprehendi, semperque sit desideratus ac desiderabilis, nosque lateat, quandiu simus in hoc corpore, *quam magna* sit *multitudo dulcedinis ejus, quam abscondit timentibus se* (*Psal.* XXX).

Dicamus ergo ei : *Fuge, fuge*, cautus nobis ac providus, ne unquam dum vivimus, nos comprehendisse arbitremur, sequentes ut comprehendamus. Sive hoc modo dicat quævis fidelis anima et sapiens Deo humili et devota mente : *Domine, non sum digna ut intres sub tectum meum* (*Matth.* VIII), non sum digna ut in me ostendas aliquod frequens præsentiæ, vel visitationis tuæ miraculum. *Fuge*, inquit, *dilecte mi*, non quæro in præsenti vita gloriam, sed desidero gratiam, non quæro claritatem miraculorum, sed opto remissionem peccatorum. *Fuge*, inquam, *dilecte mi*, et **281** saltus hujusmodi similes saltibus *capreæ* aut *hinnulo cervorum* effice, non super me, sed *super montes aromatum*, super excelsa merita sanctorum atque perfectorum. Non est meum de divinitatis tuæ arcano, de altissimis præceptorum tuorum documentis, de profundis sacramentorum tuorum mysteriis tractare, vel disputare, sed illorum potius qui montes excelsi possunt dici propter eminentiam sapientiæ et virtutum, qui tacti Spiritu tuo sancto fumigant tuum bonum odorem, ut possint dicere cum Apostolo : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II), atque ideo recte dicuntur *montes aromatum*.

Et quid mirum si te ego infirmitatis meæ conscia, fugere dico, cum ipsi montes magni et docti, in ipsorum tuorum operum, sive præceptorum, vel etiam sacramentorum consideratione obstupescant, et te nonnunquam fugere sinant? Nam unus istorum montium, qui usque ad tertium cœlum porrectus fuerat, et *quæ non licet homini loqui* audierat, (*II Cor.* XII), fugientem te dilectum persequi timens, *O altitudo*, inquit, *divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi* honor et *gloria in sæcula sæculorum* (*Rom.* XI).

Ideirco, *dilecte mi*, *fuge*, non ut me omnino derelinquas, sed quod hic, qui incomprehensibilis es, adipisci non valeo, in futura mihi vita, vera et æterna beatitudine sine fine concedas. Similis esto *capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum*. Hoc est, etiam perfectorum sanctorum intellectum incomprehensibili divinitatis tuæ cognitione transcende; sive in eorum cordibus tales fac saltus, ut *de virtute in virtutem* proficiant (*Psal.* LXXXIII), quia quoties electi de bonis ad meliora, *de virtutibus* ad virtutem proficiunt, quasi quosdam in eorum mentibus saltus Deus facit, quatenus his paulatim gradibus sive saltibus, ad illum summum et perfectum perveniant statum, *in quo videtur Deus Deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII), ubi possint incessabiliter dicere et cantare in auribus Domini Sabaoth, non simpliciter canticum, sed Canticum canticorum, hoc est cognoscere et percipere illud summum et optimum bonum in sæcula sæculorum. Amen.

---

282 EPILOGI LOCO

AUCTORIS PARÆNESIS

Ad sacras virgines quibus hæc commentaria scripsit et inscripsit.

Ecce, dilectæ sorores, ut potuimus vobis cantavimus, et quantum ille noster summus præceptor donavit, sub cujus disciplina omnes sunt qui recte et bene canendi scientiam quærunt. Sed quia bene et recte canendi scientia triplici constat instrumento, videlicet, *corde*, *ore* et *opere*, convincor peritus non esse cantor. Ore quidem cantare possum, sed si reliqua duo defuerint, omnis mei cantionis species coram Domino inanis erit : siquidem corde et opere cantare, potest Deo placere, etiam si non cantet ore; ore autem solummodo cantare, non autem corde et opere, impossibile est Deo placere posse. Porro qui vult perfectam habere canendi scientiam, et summam ipsius nosse dignitatem, trium istorum oportet semper habere facultatem. Quam Apostolus se nosse et habere ostendens : *Psallam*, inquit, *spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* XIV). Nam spiritu psallere est et verba spiritualia memoriter proferre, quod est ore cantare; et ad opera spiritu concepta procedere, quod est opere cantare; mente psallere est vitalem verborum sensum mente percipere, quod est corde cantare.

Digitized by Google

Dato autem instrumento ad recte et bene canendi scientiam consequendam opus est, ut etiam sciamus quid primum sit in cancudo sciendum, et quale canticum, ut perveniamus ad canticum canticorum. Primo quippe discere et cantare nos oportet canticum illud novum, de quo cantando hortatur nos Spiritus sanctus in Psalmo : *Cantate*, inquit, *Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum* (*Psal.* CXLIX). Si relativorum qualitatem consideres, ubi dicitur *novum*, consequitur ut et vetus sit. Sed primo videamus quid sit vetus canticum, ut ex ejus agnitione melius *novum* intelligamus.

Vetus illud canticum vetus homo Adam cantavit et docuit, sed novo cantico quod postea auditum est, valde oppositum et contrarium et ea distantia distans, quæ est inter mortificans et vivificans. Et quod est illud canticum? nimirum illud, quo vetus ille homo Factori suo reclamavit, et contra justitiam et pietatem vociferatus est, videlicet superbia, inobedientia et peccati sui excusatio. Justum quippe fuit ut factori et rectori suo subditus esset, et obediret, miserum autem fuit, quod post culpam se non recognovit **283** neque de pietate Dei præsumpsit, sed contemptor culpæ suæ pœnam in omnem suam posteritatem exsul paradisi transfudit. Hujus cantici flebilem tragœdiam multi quanto plus cantant, illius præsumptionem et negligentiam imitando, tanto majorem impositæ mortis exsolvunt vindictam.

Huic autem cantico oppositum est illud *novum canticum*, canticum pacis et lætitiæ, canticum vitæ et justitiæ, canticum virtutis et salutis quod præcinuit ille novus homo, et non tantum simpliciter homo, sed Deus et homo; hujusmodi nempe præcentore qui dixit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI), monemur novum utilitatis cantare canticum. Porro exemplo ipsius Domini, de quo dicit Apostolus : Christus *factus est obediens* Deo *Patri usque ad mortem* (*Philip.* II), monemur suavis obedientiæ cantare canticum; ad vocem quoque ejusdem novi præceptoris qui dicit : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV), monemur non declinare *cor nostrum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis* (*Psal.* CXLVI); quia hæc est gravissima, imo miserrima vox veteris hominis impœnitentis. vox, inquam, veteris et dolore pleni cantici, quin potius converso modo ejusmodi cantici et in novum mutato, laboriosam quidem quantum ad corpus sed salubrem quantum ad animam spiritus contribulati melodiam, quatuor modorum genere, hoc est compunctione, confessione, satisfactione, perseverantia Deo concinamus; et in quatuor ipsorum modorum finalis videlicet cogitationem, locutionem, actionem et consuetudinem quotidie deponamus.

Siquidem utriusque cantici, hoc est veteris et novi, isti sunt finales, cogitatio, locutio, actio, et consuetudo, et secundum præcedentis speciem modi depositionem suscipiunt; sive et elegiacam quantum ad vetus, sive suavem et musicam quantum ad novum. Musica nempe depositio est, quæ fit rationabile vocum sive tonorum, conjunctione, dispositione, tenore, et hanc magis, imo semper suscipit novum canticum, propter rationabilem motum mentis, bene et pulchre canentis, et ad bonum finem cogitando, loquendo, agendo, consuescendo semper tendentis. E contra elegiaca hæc est tristis et misera depositio est, quæ fit irrationabili et inæquali motu mentis; et quia confusa est hujusmodi cantionis species, in suavem et immitem depositionis generat qualitatem.

Est ergo inter hujusmodi duo cantica ea distantia, quæ est inter vitam et mortem; quia vetus occidit, novum autem vivificat, et hoc a simili, nam dicuntur quædam marinæ bestiæ, quæ syrenæ nuncupantur, quæ dum navigantes dulcedine cantus sui alliciunt et attrahunt, **284** subito incautos et negligentes submergunt : hoc autem modo dum carnales quique in hujus mundi pelago, quasi navigantes carnalis vitæ dulcedine, peccati delectatione tenentur, repente salutem animæ suæ negligentes, et converti per pœnitentiam nolentes ab immundis spiritibus ad æternam mortem rapiuntur. Et hic est veteris cantici modus, quia a spiritu superbiæ et inobedientiæ inchoans, in æternæ damnationis barathrum, gravissimo et miserrimo cordis impœnitenti sono extremam deponit vocem.

Porro ex alia parte ea similitudo est, quæ nobis ostenditur ex divina et humana Scriptura. Ex divina quidem qua scribitur David cithara sua furorem Saulis mitigasse (*I Reg.* XVI) : ex humana vero qua scribitur Orpheus cantu suo lenisse tigres et leones; et Amphion sono testitudinis saxa movisse, quod significat novi cantici hanc esse virtutem, ut contra salutem suam furentes mitiget bestiales hominum mentes et dura mortalium corda, rationali verborum et sensuum motu, ad bonum vivendi modum et rationabilem morum honestatem componat. Et iste est novi cantici modus, qui a spiritu humilitatis et obedientiæ inchoans, in æternæ beatitudinis gaudium altissimo et lætissimo cordis innocentis sive pœnitentis sono ultimam deponit vocem.

Sicut ergo contraria sibi sunt vita et mors, ita sibi contraria sunt vetus et novum canticum juxta qualitates personarum quarum auctoritate utrumque canticum initium accipit et finem. Veteris siquidem cantici auctor est diabolus, novi vero cantici auctor est Christus. Quocirca, contempto auctore mortis, auctorem vitæ sequamur, cujus delectabilem et suavissimum sanctitatis concentum jugiter attendentes, ineptas sirenarum voces, hoc est stultas malignorum spirituum persuasiones, surda pertranseamus aure.

Officinæ autem et mansiones, in quibus instrumenta hujus novi et salubris cantici parentur et servantur, et in quibus ipsum canticum audiamus et discamus, et cantandi consuetudine et exercitio

Digitized by Google

perveniamus ad illud Canticum canticorum, cujus suavitas et dulcedo nunquam deficiet, sunt dilecta Domini tabernacula, de quibus quondam divinus ille, qui dixit se auditorem sermonum Dei, et visionem Dei intuentem, qui cadit, et sic apertos habet oculos, percunctaturus est :

Quam dilecta, inquit, *tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel ; ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui ; ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri propter aquas multas* (*Num.* XXIV). Veri autem Israel ac spiritualis Jacob peregrinantis vel militantis in præsenti sæculo, tabernacula sunt religiosi, et secundum **285** disciplinam Christi bene dispositi, ordines videlicet conjugatorum, continentium, viduarum atque virginum secundum utrumque sexum, hæc plane tabernacula singula in suo proposito pulchra sunt.

Quam pulchra tabernacula, quam pulchra tentoria ? ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui. Ista similitudo ex aliis Scripturæ locis perspicua est : siquidem in Isaia Dominus derelictæ quondam gentilitati spiritualium virtutum merita tanquam deserto arbusta promittens : *Dabo*, inquit, *in solitudine cedrum et spinam, myrtum et lignum olivæ : ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul, ut videant, et sciant et recogitent et intelligant pariter* (*Isa.* XLI). Ergo *pulchra tabernacula ut valles nemorosæ. Valles* propter humilitatem, *nemorosæ* propter diversarum pulchritudinem virtutum.

In his enim tabernaculis Dei, hoc est professionibus sanctis, sunt cedri, hoc est sancti fide et opere incorrupti et imputribiles, atque odore virtutum redolentes : sunt *spinæ* verbo et exemplo alios compungentes et ad bona opera provocantes : sunt *myrtus* proximorum tribulationes per compassionem verbo consolationis temperantes : sunt *olivæ* misericordiæ et pietatis actibus perfluentes; sunt *abietes* contemplationi virtute ad alta semper surgentes : sunt *ulmi* quamvis sæculares et minus fructificantes alios tamen bene vivèntes suis facultatibus sustentantes et adjuvantes : sunt *buxus* quamvis ad alta virtutum non surgentes, neque fructum facientes, parentum tamen fide semper viventes : sunt ergo hæc tabernacula Domini *ut valles nemorosæ*, quia hoc ex humili corde, actu quoque et habitu infimo contrahunt, ut tantarum ubertate virtutum virescant atque florescant.

Sunt etiam *ut horti juxta fluvios irrigui*, sicut alibi dicitur: *Et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum cujus non deficient aquæ* (*Isa.* LVIII). Et in eisdem canticis : *Hortus conclusus, fons signatus, fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano* (*Cant.* IV). Ecce *tabernacula pulchra ut horti juxta fluvios irrigui.* Quia ex humore Spiritus sancti semper sunt virentes et florentes sermone et actione, et assidua divinorum præceptorum meditatione.

Sunt quoque *cedri* propter aquas; quod Psalmista ostendit, qui cum dixisset : *Rigans montes de superioribus suis*, etc., continue subsecutus : *Saturabuntur*, inquit, *campi et cedri Libani quas plantavit* (*Psal* CIII). Ergo *pulchra tabernacula ut cedri propter aquas*, id est juxta aquas, videlicet in quibus passeres nidificant (*Psal.* CIII, quorum abundantia cum sunt divites homines, pauperum supplet inopiam.

Igitur, hæc tabernacula sunt **286** ut *tabernacula quæ fixit Dominus*, quia omnis ista eorum pulchritudo, ornatus et compositio, opus est Dei omnipotentis, sua gratia illa collocantis, promoventis, decorantis et sustentantis.

Fluet aqua de situla ejus, et semen ejus erit in aquas multas (*Num.* XXIV). Quæ est *situla ejus ?* Imo, *quæ* est *aqua ejus ?* Nimirum *veri Jacob*, hoc est *supplantatoris*, sive veri Israel, hoc est *mentis Dominum videntis*. Quorum nonnulli in his tabernaculis, hoc est professionibus, habitant. Cujus *situla* est Christus de quo hauritur aqua, id est sancta Scriptura. Per eum quippe sancta Scriptura aperitur, imo ab illo sitis excitatur, ut hæc aqua desideretur, ab illo sensus aperitur, ut Scripturæ intelligantur. *Fluet* ergo *aqua de situla ejus*, id est vera manabit intelligentia Scripturarum de Christo ejus. Quid deinde ? *Et semen ejus erit in aquas multas.* Quod est *aqua de situla ejus*, hoc est multitudo aquarum de semine illius. Nam *semen illius*, *semen patris ejus Abrahæ* (*Gen.* XVII), illius videlicet, qui vere *Pater excelsus*, sive *Pater multarum gentium* Christus est.

Hoc *semen* illius *erit in aquas multas*, id est hoc semen fundit aquas multas. Bibendo experti sumus quod vere *in aquas multas* sit *semen* illius. *Qui in me credit*, inquit, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Item : *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV). Hoc, inquam, gratia ejus bibendo experti sumus. Ecce enim de hac situla, quæ est Christus ipse, multa sancti Spiritus in una Ecclesia dona percepimus, multa et largissima Scripturarum mente possidemus.

Igitur in his tabernaculis Domini, novum illud semper resonat canticum quod cantant horum tabernaculorum habitatores septem vocum differentiis, regente cantum Spiritu sancto sua septiformi gratia, videlicet sapientia et intellectu, consilio et fortitudine, scientia et pietate atque timore Domini. Porro ex his septem vocum differentiis diversæ fiunt beatitudines quasi octo modorum species; videlicet humilitas, mansuetudo, luctus, sive tria secundum Dominum, pax, misericordia, munditia, justitiæ appetitus, patientia.

Et iste cantus sive laus Dei non est nisi in Ecclesia sanctorum, quia quod sancti sunt et quod sciunt et possunt hoc unde sancti sunt, Dei solius gratiæ munus est. Et tales quotidie exeuntes de Ægypto hujus mundi, contemptu propriæ voluntatis tenentes citharas Dei, hoc est carnis mortificationem, non solum cantant *canticum novum*, sed et

Digitized by Google

canticum canticorum, quia hoc modo ad illam inefabilem Dei charitatem proficiunt, quæ est virtus virtutum, et ex qua procedit, et in qua continetur omnium virtutum plenitudo.

Vos itaque, dilectæ sorores, quia tabernaculum Dei estis, sive in tabernaculis Dei habitatis, hoc novum semper concinite canticum humilitate, castitate, patientia, obedientia, carnis mortificatione, Dei et proximi dilectione. Cantabiles vobis sint justificationes Domini in loco peregrinationis vestræ, (*Psal.* CXVIII), ut quandoque de Ægypto hujus sæculi exeuntes et ad terram promissionis pervenientes atque bonis ipsius terræ, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II, *Isa.* LXIV), æterna liter perfruentes, cum omni suavitate et dulcedine sine intermissione cantetis non solum canticum novum, sed et canticum canticorum, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

INDEX RERUM, VERBORUM

ET

SENTENTIARUM MEMORABILIUM

AD WOLBERONIS COMMENTARIUM IN CANTICA.

A

Aaron interpretatur *mons fortitudinis* 11. — Aaronis virga florida quid præfiguraverit? 33. Aaronis vestimenta omnia fideles novissimi temporis sunt, 12.

Abies significat contemplationis virtutes ad alta semper surgentes, 285.

Accubitus regis quis sit, 66. Accubitus regis et sinus Patris vel humanæ naturæ assumptio vel sanctæ mentis inhabitatio, 68. Ad accubitum regis pervenire volenti quæ necessaria sunt, 69.

Acervus testimonii SS. Patrum institutio est, 141.

Adjurare dilecti quid sit, 97.

Adolescentularum nomine fideles accipiuntur animæ, 283.

Æstas alius corporis, alius cordis, 39.

Affirmationis simplicem negationem sequitur affirmatio armatoria, 61.

Agar ancilla et Sara libera figura fuerunt civitatis terrestris et cœlestis, 26.

Agni paschalis immolatio, 48.

Agni sanguis super utrumque postem et super liminaribus quando ponatur, 49.

Agri, lecti, molæ nomine ex quibus unus dicitur assumendus et alter relinquendus quid significetur, 16.

Aloe et myrrha carnis mortificatio signatur, 167.

Altare. — In altari cor nostrum figuratum est, 12.

Altitudinem mundanarum tres species per tria nomina montium designantur, 150.

Amana nocturna avis sonat, 151.

Amaræ cur Ecclesiæ comparetur et dicatur pulchra ut luna, etc., 217, 218.

Amica formosa columba quæ sit, 103, 139.

Amicus et sodalis in quo differant, 73. Amicus quasi amici custos dicitur, 204. Amicus nuncupatur, Deus dicitur et est,. 204. Amici et charissimi quos dilectus invitat ad comedendum, bibendum et inebriandum qui sunt, 211. Amicorum ad vocem sponsæ auscultantium alii visibiles, alii invisibiles, 151.

Angelus non potest sed solus Deus pro peccatis Adæ satisfacere, 264.

Anima non debet se ignorare, 47. Anima fidelis quando per desertum ascendat, 128. Anima rationalis quatuor habet affectiones, 226. Anima sponsæ ad locutionem sponsi quomodo liquefacta sit, 184. Anima fidelis deliciis affluens et super dilectum immixa quomodo dicatur ascendere de deserto, 253, 254. Animam fidelem parvulam esse et ubera non habere, 239. Animæ simplices in Ecclesia cur filiæ non filii Jerusalem appellentur, 121. Animæ quales reginæ apellentur, 214. Quæ concubinæ, 214.

Animus a mundi cujus remotus desertum nuncupatur, 126.

Antichristi tyrannis quanta, 15.

Apostolus Paulus quam vocem dederit ex hortis, 278. Apostoli barba sunt Aaron, 33. Apostoli montibus comparantur, 116. Apostoli pigmentarii fuerunt, 193. Apostoli contra matrem qualiter pugnaverint, 30. Apostoli martyres, sacerdotes, significantur per doctissimos Israel ambientes lectulum Salomonis, 132.

Aquæ viventes quæ sunt et quare dicantur fluere impetu de Libano, 169.

Aquilo asperitatem minarum lenitatem blandimentorum auster significat, 170. Aquilo diabolum, auster S. Spiritum significat, 170. Aquilone vel austro perflante hortum Domini, quomodo aromata illius dicuntur fluere, 170.

Ascensus mentis non fit nisi per desertum, 117. Ascensus palmæ fuit ascensus Christi in crucem, 240.

Aspiratio Dei pro æterna felicitate et inclinatio umbrarum, pro indeficiente nocte hujus mortalitatis accipitur, 148.

Auster advenire et hortum Domini perflare nequit, nisi surgat et recedat aquilo, 171.

Avola aromatum et mens humilis virtutibus redolens, 207.

Avolare Dei quale sit, 211.

Axa filia Calebs petens irriguum inferius et superius, quod figuraverit, 61.

B

Baptismus duplex est, 74. Baptismo et pœnitentia incorporamur Christo, 180.

Bases aureæ sunt sapientia et bonitas, quibus columnæ marmoreæ, id est misericordia et veritas, 198.

Beata Virgo cur campo comparetur, 83.

Beatitudo, fructus vineæ Dei est, 271 Beatitudo corporis et animæ duplici stola exprimitur, 13.

Bellatoris spiritualibus utile considerare, proportionem inter veritatem et figuram pugnam et pugnæ causam, victorem et victum, 52.

Bibere vinum cum lacte, et comedere favum cum melle dilectus quando dicatur, 174.

Binarius centenus nuptias cœlestes significat, 175

Bona opera sine fide, spe et charitate esse non possunt, 157.

Bonum quod ducit ad summum bonum a paucis apprehenditur, 116. Bonum animæ consistit in duobus, 159. Bonum substantive et adjective dicitur, 159.

Botrus dulcedinem resurrectionis Christi significat, 70, 74. Botrus per exploratores de terra promissionis portatus, figura Christi fuit, 71. Christus botrus Cypri in vineis Engaddi, 72.

Buxum. — Per buxum significantur, qui quamvis ad alta virtutum non surgant neque fructum faciant, parentum tamen fide semper virent, 285.

C

Cæcus coloris ignei charitatem significat, 143.

Cain recte obtulit sed non recte divisit, 271.

Cancelli per quos dilectus in pariete generali prospicit, antiqui Patres fuerunt, 102. Cancelli item et fenestra sunt Evangeliorum et apostolorum documenta, 103.

Canendi recte scientia triplex requirit instrumentum, 282 Quale canticum sciendum ante Canticum canticorum.

Digitized by Google

(*Ezech.* III); **267** *quæ vides*, inquit, *annuntiabis eis ex me*, hoc est quæ oculo mentuali intelligis, sive oculo corporali aspicis, corrigenda vel emendanda, *annuntiabis eis*, exhortatione, consilio et præcepto, *ex me*, hoc est secundum rationem et modum quem tibi aspirando præmonstravero. Et in hujus custodiæ traditione ipsis custodibus, sive speculatoribus periculum, et modum evadendi periculum Deus proposuit dicens : *Si dicente me ad impium : Morte moreris, et non annuntiaveris ei, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram*, ecce periculum. Modus vero evadendi periculum istud, sequitur in eo quod dicit : *Si autem annuntiaveris impio, ut ab iniquitate sua convertatur et ille te non audierit, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti* (*ibid*). Hoc ergo custodibus, hoc est prælatis in Ecclesia, periculum pro negligentia, securitas pro vigilantia proposita est, unde major eos cura et sollicitudo erga officium sibi creditum tenere debet.

Porro, privatorum sive subjectorum non minus, imo gravius est periculum pro contemptu et inobedientia ; quia cum prælati infirmitate et negligentia plerumque peccent, isti ex superbia et temeritate delinquunt, et illorum contemptus et irreverentia, Dei est contemptus sive irreverentia. Sic ipse dicit : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* X); et ad prophetam, quem dicit se speculatorem domui Israel dedisse : *Ideo* inquit, *te non audiunt quia domus exasperans est* (*Ezech.* III). Mala et metuenda appellatio, ut domus indisciplinatorum et inobedientium, *domus exasperatrix* nuncupetur, et alio loco *dura cervice et incircumciso corde* dicantur, quia Spiritui sancto resistant (*Act.* VII). Qui enim verbo disciplinæ et honestatis resistunt, Dei verbo resistunt. *Verba* autem *Dei spiritus et vita sunt* (*Joan.* VI), atque ideo Spiritui sancto resistunt. Unde Propheta quia verbo Dei resistere damnabile vidit, bonitatem et disciplinam se doceri a Deo postulavit, eo quod mandatis ejus crediderit et obediens fuerit (*Psal.* CXVIII).

Præcepit autem sermo divinus in sacra lege de filio contumaci et protervo atque inobediente, ut apprehensum parentes ducant *ad seniores civitatis et ad portam judicii* (*Deut.* XXI), ne scilicet suam præcipitent sententiam, sed sapientes adhibeant in testimonium ; nam scire debent, quia prima generis nostri quam omnes luimus culpa est inobedientia, et quia contumacibus et protervis nullam justitia Dei reponit veniam, sed, sicut scriptum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* V).

Semper enim tales ad portam judicii examinandi sunt, ut si in sua contumacia vel temeritate permanserint, et obedire noluerint, a consortio fratrum ejiciantur ; si vero pœnituerint et humiles et quieti fuerint, **268** denuo recipiantur. Hæc est etiam porta judicii in civitate Dei, hoc est sancta Ecclesia, ut contumaces et rebelles si corrigi nolunt, ferro excommunicationis tanquam putrida membra a corpore Ecclesiæ præcidantur, de quibus scriptum est : *Ex nobis quidem exierunt, sed non erant ex nobis* (*I Joan.* II); porro pœnitentes et suæ malitiæ finem imponentes, tanquam curata et sancta membra in corpus Ecclesiæ reponantur. Igitur cætera quidem peccata toleranda sunt in domo Dei, contumaces autem et protervos filios severitas patrum sapientum obruit, ut auferat malum de medio sui, cum auctoritate legis Domini quam memoravimus ; imo proprio exemplo Dei, qui inobedientes primos homines de paradiso expulit (*Gen.* III).

Verbum igitur *traditionis* quod de domino vineæ pronuntiatur, non negligenter sed diligenter et cum timore cogitandum et pensandum est, quia utrobique neglectum vel contemptum, sive a prælatis sive a subjectis, ad tradentis respicit judicium.

Vir affert pro fructu ejus mille argenteos. Diligens et studiosus inspector hujus capituli attendere debet quis vel qualis, aut quantus sit hujus vineæ *fructus*, qui tanti pretii æstimatur, ut pro ejus assecutione, non decem, aut viginti, aut triginta, sed determinate *mille* sunt *argentei* deferendi, et qui hos deficiens, comparare hunc fructum possit non quilibet potens et dives, sive officialis vel privatus, sed absolute *vir* dici et esse debeat.

Quis igitur *fructus* est iste? nimirum quidem ille qui velut tribus pulchritudinis coloribus depingitur, videlicet potentia, sapientia, bonitate : potentia quidem qua nihil efficacius, sapientia qua nihil rationabilius, bonitate qua nihil dulcius. Nam potentia nulla impossibilitatis vel infirmitatis lege constringitur, sapientia nihil admittit quod rationis virtute careat, bonitas tanta dulcedinis multitudine affluit, ut nihil supra. Præterea hujusmodi fructus attactus et usus efficax et saluberrimum sanitatis toti homini præbet experimentum. Sed ubi hoc in creaturis et visibilibus invenitur? Nunquid in angelis? Scriptum est autem, quia *et in angelis suis* iniquitatem *reperit* (*Job* IV). Creatura enim corruptioni et mutabilitati subjacere potest, quod autem non potest, immutabile et incorruptibile esse necesse est.

Porro tres pulchritudines hujus fructus diximus tales esse, ut nihil supra se suscipere possunt; potest tamen aliquid infra esse, quod ex earum affectione vel participatione dicatur aliquo modo potens, sapiens et bonum esse, **269** sed non substantialiter, potentia, sapientia, bonitas. Quod enim susceptibile et participabile est, non idem est quod suscipiens et participans, nam suscipiens et participans est, quando nec suscipit, nec participat, atque ideo mutabilitati subjacet et potest corrumpi : porro susceptibile et participabile in sui semper essentia immutabiliter consistens, nunquam potest corrumpi, nulla autem creatura susceptibilis et participabilis est, Deus igitur est. Cum ergo quærimus quisnam *fructus* hujus vineæ sit, et omnes ejus virtutis et pulchritudinis circumstantias attendimus.

Digitized by Google

procul dubio Deum esse postremo concludimus. Susceptione autem et participatione hoc consequitur rationalis creatura, ut quandoque transeat in incorruptionem et immutabilitatem, non natura sed gratia, atque ita ex homine operante et Deo cooperante, quasi nascitur et crescit fructus iste, qui est præmium omnium ad Dei regnum pertinentium, et appellatur vera beatitudo. Vera autem beatitudo ipse est Deus quem habere et quo frui æternaliter est vere beatum esse. *Fructus* igitur iste Deus est.

Porro de qualitate hujusmodi fructus quid dicemus, cum de ea scriptum sit, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit?* (*I Cor.* II.) Verumtamen superius eumdem fructum tribus distinximus coloribus, quod magis ad qualitatem pertinet, non quod differentia colorum diversum faciat fructum, sed quod hæc diversitas ita inseparabiliter uni substantiæ cohæreat, ut nullam proprietatis virtutem et efficaciam aliquo modo adimat. Sicut enim, verbi gratia, in uno aliquo subjecto tres conveniunt colores, et unus nomen habet ut dicatur rubeus, alter albus, tertius viridis, una tamen substantia et eadem est, quæ hos continet; sic in isto fructu, cum aliud non sit potentia, aliud sapientia, atque aliud bonitas, unus tamen et idem est fructus, et unam atque eamdem virtutem et efficaciam ubique habet, videlicet posse, sapere, vegetare, quæ tamen efficiunt ut nihil boni sit, quod ejus plenitudini desit.

De quantitate vero hujus fructus quid dicendum est, cum tantæ immensitatis sit ut nullo circumscribatur loco, nullo concludatur termino? Videtur tamen quædam spatia habere, non secundum se, sed secundum participans: nullum autem hujus rei participans esse potest, nisi rationalis creatura. Porro rationalis **270** creatura, altera spiritualis est, ut angelus et anima, altera corporalis ut elementa, et quæ ex his composita sunt. Sed quia non est hujus loci de corporalis rei dimensionibus disputare, quæ linea, superficie, vel solido corpore constituuntur, fructus autem iste de cujus quantitate dicere cœpimus, non corporalis sed spiritualis est; *Deus enim spiritus est* (*Joan.* IV), de cujus quantitate quia incomprehensibilis et incircumscriptus est, nec cogitare, nec dicere aliquis potest, videamus tamen nunc quæ sint spatia quæ habere potest non secundum se, sed secundum participans. Quidquid enim bonitatis, honestatis, sanctitatis, disciplinæ vel scientiæ habere potest participans anima, de participabili Deo quasi profluentem in se gratiæ sumit vigorem; atque per hoc videtur habere participans aliquid longius vel brevius, latius vel angustius, altius vel inferius, secundum quod illi placet distribuere, qui dat *unicuique* gratiam secundum *mensuram fidei* (*Rom.* XII). Unde Apostolus ad illos loquens quos ad hujusmodi dimensiones suscipiendos hortabatur: *In charitate*, inquit, *radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit longitudo, latitudo, altitudo et profundum* (*Ephes.* II).

Quia vero fructus iste, de quo loquimur, de radice charitatis nascitur et crescit, et ad maturitatem quasi ad perfectionem pervenit, non quantum ad capabilem Deum, qui semper perfectus, sed quantum ad capacem hominis mentem, qui augmento et detrimento subjacet, ut hoc modo proficiendo Deum quandoque comprehendat, cum quo suo modo perfectus et incommutabilis fiat, primo videamus de ipso nostro Domino Jesu Christo, quomodo juxta humanitatem de radice charitatis omnes has in se susceperit dimensiones, longitudinem videlicet, latitudinem, altitudinem et profundum: quis enim majorem eo charitatem habuit, qui animam suam pro ovibus suis posuit? (*Joan.* XV.)

Si autem ponamus oculos mentis in genere et qualitate passionis ejus, videbimus omnes has dimensiones venerabiliter contineri, et hoc exemplo omnem Christianam animam viriliter promoveri. In figura quippe crucis, notandæ sunt quatuor dimensiones istæ, scilicet longitudo, altitudo, latitudo et profundum, quæ ex radice charitatis Christi in totum protenduntur mundum, significantis et monentis omnem animam quæ ejus passione redempta fuerit, si prædictum fructum, hoc est si æternam beatitudinem consequi voluerit, ejusdem charitatis dimensionibus, juxta modum et naturam sibi concessam, ad eam pertingere debere.

271 Lata enim debet esse charitas, quia usque ad dilectionem inimicorum extendi debet, sicut Christus in cruce pendens pro inimicis oravit dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Longa debet esse, quia non horaria, sed usque ad finem vitæ, sicut de Christo scriptum est: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos* (*Joan.* XIII), tantam quippe perseverantiam debet habere charitas, ut pro nulla tribulatione vel angustia deficiat. Alta debet esse, propter causam finalem, ut scilicet attendat propter quid agat vel patiatur, hoc est propter æternam beatitudinem, quæ est fructus iste, de quo loquimur, propter quem semper sursum intendere, et in cœlo conversationem habere monetur; profundum debet habere, quia nunquam absque timore debet esse, sed semper attendere quod quidquid ex latitudine, longitudine, et altitudine consequitur, non ex suis meritis, sed ex Dei misericordia habet; et ideo quia ignorat occultum et profundum Dei judicium, quare unum eligat et alterum repellat, et semper finis incertus est dum *multi* vocantur, *pauci* eliguntur (*Matth.* XX), nunquam sine timore debet esse.

Itaque *quoniam in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II), et ei *non ad mensuram dat Deus spiritum* (*Joan.* III), *omnes* autem sancti *de plenitudine ejus* accipiunt, *gratiam pro gratia* (*Joan.* I), videntur ad harum dimensionum spatia, suo quique modo vel mensura pertingere, secundum quod eis dat qui plenarie habet et de sua plenitudine dare potest, quantum voluerit.

Digitized by Google

Porro quia charitas velut centrum in meditullio posita omnes quasi per circumferentiam virtutes tangit, omnis enim virtus ex radice charitatis descendit; cumque omnis motus sex species habeat, sit namque ante et retro, sursum et deorsum, dextrorsum sinistrorsum; ad quamcunque partem mens hominis intentionem dirigit pro consequendo ejusmodi fructu, semper originem omnis boni motus a charitatis vigore accipit. Et quia ipse homo minor mundus dictus, ad instar majoris mundi quatuor constat elementis, quatuor quoque mensuratur partibus, quibus continetur totus, si ad Dei similitudinem conservandam fuerit institutus, videlicet prudentia, justitia, temperantia, fortitudine.

His quatuor partibus a centro mentis, hoc est charitate, æqua distantia porrectis, quidquid virtutis in anima potest esse, quasi circulum et circumferendo tangis et concludis.

Hæc ergo aliquo modo esse potest mensura sive dimensio, quam potest habere fructus iste participans, non secundum se ut dictum est, sed secundum participans, ut quandoque a participante sicuti est **272** adeptus, omnem deinceps adimat dimensionis in crescendo passibilitatem sive mutabilitatem, et conferat perfecte æternam impassibilitatem, immutabilitatem, immortalitatem (4).

Igitur iste fructus vera est beatitudo, vera autem beatitudo est Deus cujus qualitas et immensitas incomprehensibilis est. Sed quia jam cognovimus qui sit fructus præscriptæ vineæ, videamus nunc de offerente, qui sit, quia *vir* dicitur esse, nec aliter nisi *vir* sit, offerre possit. *Vir* quippe a virtute dicitur, et qui pro tanto fructu offerre debet, oportet ut virtutum pulchritudine et gratia resplendeat, quia non erit accepta oblatio, quam nulla virtutum commendat claritudo. In ratione enim dati et accepti ea debet esse forma ut talis sit in dante habitus compositio, et honestatis atque disciplinæ gratia, ut in accipiente pariat beneplacitum et hilaritatem vultus, et munus reddat acceptius. Et si hoc disciplinæ et honestatis bonum mortales inter se affectant, et approbant homines, quid putamus Deum omnipotentem et immortalem velle et quærere a nobis, cujus natura bonitas, sanctitas, honestas singularis et disciplina est? Ergo qui tali Domino offert, *indutus* debet esse *fortitudine* et præcinctus virtute (*Psal.* xcii): fortitudine quidem mentis ad coercenda et repellenda vitia et peccata, virtute animi ad bona opera agenda et exercenda. Non enim recta est oblatio quam culpæ repellit obfuscatio, quia et Cain Dominus dixit: *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti* (*Gen.* iv). Recte quidem obtulit, qui fruges terræ Deo dedit, sed non recte divisit, qui cor in malo detinuit, et oblationem suam invidiæ peste maculavit: secernere enim debuit bonum a malo, quia nulla participatio lucis ad tenebras, nec possunt in conspectu Dei simul esse veritas et falsitas, æquitas et malitia. Recte quidem obtulit, quia cui debuit Deo obtulit; sed non recte divisit, quia quod erat melius Deo recte negavit, quod vilius dedit: non enim satis Deo charus est, imo Deo indignus est, qui rem suam illi quidem offert, seipsum autem sibi retinet.

Talem ergo virum Propheta describit in primo psalmo, ubi hujusmodi habitum viri et propositum repræsentat, quem psalmum quia intelligentibus notus est, quicunque hunc virum assumere cupit, jugiter meditetur et opere exerceat: alio quoque loco hunc eumdem virum breviter commemorat dicens: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis* (*Psal.* cxi), et cætera, hoc est enim quod hunc virum efficit, et beatum, quia virtutis est timere Deum, et mandata ejus considerare et servare; beatitudinis vero quod propter hoc, *potens in terra erit semen ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*ibid*).

273 Descripto offertore quem virum decet esse, videndum nunc quid pro tali fructu vir affert et afferre debet. *Mille*, inquit, *argenteos*. Millenarius numerus pro perfectione ponitur, argentum autem castorum eloquiorum purum et lucidum designat sensum, sicut scriptum est: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* xi). Sed quid possumus dicere *argenteum* de hoc argento formatum et inscriptum? Si diligenter inspiciamus, quid est quod format, vel inscribit in mente hominis imaginem Dei, imaginem sanctitatis et justitiæ; nisi *præceptum Domini lucidum illuminans oculos* (*Psal.* xviii), oculos videlicet hominis interioris? ubi autem præceptum Domini audimus, et unde cognoscimus, nisi ex sancta Scriptura quæ est eloquium Domini? Hæc ergo Scriptura bene intellecta format, et quasi quamdam inscriptionem facit in mente hominis, ut cum ex lectione sanctæ Scripturæ charitatem perfecte assumpserit, *de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta* (*II Tim.* ii), argentei cujusdam monetam suscipiat, hoc modo inscriptam, *ad imaginem et similitudinem Dei*, hanc enim formam ipse rerum Conditor homini creando imprimendam instituit dum diceret: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* i), quod est dicere: Faciamus hominem viventem, rationabilem, Deo similem: cuncta etenim animantia duplici honore præcellit hominis conditio, dum dicitur *ad imaginem et similitudinem nostram; ad imaginem* videlicet, ut sit rationalis, ad *similitudinem nostram*, ut rectus sit sectando Justitiam Dei. Horum altero, scilicet rationalitate, carere non potest; alterum, hoc est divinæ rectitudinis vel justitiæ similitudinem, nisi per gratiam assequi non potest: sed ea qua carere non potest homo facultas rationalitatis instrumentum est, sive oculus quidam ad quærendam similitudinem Dei. Est ergo inexcusabilis, cum ad Dei similitudinem non pervenerit,

(4) Locus obscurus.

Digitized by Google

quia videlicet bono instrumento ad hoc, propter quod sibi datum est, uti noluit.

Verum cum primum fecit Deus hominem, non solum rationalem, sed et similitudinis suæ fecit honore pollentem, *Deus enim*, inquit Scriptura, *fecit hominem rectum, ipse vero implicuit se multis quæstionibus* (*Eccle.* VII). Nunc autem seductus perdidit quidem honorem similitudinis Dei, sed facultas rationis in eo permansit, per quam revocantem audire et ad restaurationem sui ducem ac præceptorem valeat sequi. Argentum ergo hujusmodi divinus et summus ille trapezeta in anima hominis inscripsit, quando eam rationalem et suæ sanctitatis participem fecit.

274 Quocirca debitor est homo Deo, ut, quia Deus eum hoc duplici honore insignivit, intelligat debitum suum, videlicet ut rationis capax, ipsa ratione duce, semper ad Dei similitudinem per sanctitatem proficiat, ne, si non intelligat, compararetur *jumentis insipientibus, et similis* fiat *illis* (*Psal.* XLVIII). Hoc denique debitum quia homo debeat Deo ostendit Dominus in Evangelio, quia cum tentaretur a Scribis et Pharisæis dicentibus : *Si licet censum dare Cæsari an non*, respondit : *Ostendite mihi numisma census;* qui cum ostendissent, dixit : *Cujus est imago et superscriptio ?* Quibus respondentibus : *Cæsaris : Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII).

Hac ergo sententia sua demonstrat Dominus et demonstrando docet, ut sicut justum est homini mortali ea quæ illius sunt; et quæ ab illo donata sunt, tributaria subjectione reddi, ita justum, imo justissimum est, Deo omnipotenti et immortali ea quæ illius sunt, et quæ ab illo concessa sunt, homini summa devotione et humili subjectione deferri. Sunt autem homini a Deo concessi ratio et intellectus, quibus ita uti debet, ut ad Dei similitudinem bene vivendo proficiat, atque hanc superscriptionem argentei in anima et mente sua ex sanctitatis fulgore suscipiat, *ad imaginem et similitudinem Dei.*

Igitur hujuscemodi argenteum, unum vel duos sive tres aut plures, secundum mensuram donationis Dei, aliquis fidelis offert, ut comparet fructum illum, hoc est vitam æternam quæ per dilectionem operatur, tendit et proficit ad Dei similitudinem. Sed *mille affert argenteos*, qui perfectæ sanctitatis claritate Dei adeptus est imaginem et similitudinem.

Sive millena unitas unam significat fidem, unum baptisma, unum Deum qui operatur omnia in omnibus, et qui *fructum* illum, hoc est æternam desiderat vitam, oportet ut veram et rectam fidem teneat et doceat, unum Deum et unum hominem habeat et colat, nomen Christianitatis quod in baptismo suscepit, fide et operibus exornet, veram, catholicam, et unam divinam Scripturam legat, doceat, amplectatur et sequatur. Igitur cum hæc de semetipsa dilecta ad gratiam et gloriam dilecti dicit, continuo respondens ait : *Vinea*, etc.

VERS. 12. — *Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructum ejus.*

Vinea, inquit, *mea coram me est*, hoc est cognosco et approbo meam **275** vineam, ex hoc quod gratiam plantationis meæ in ea invenio, quam si non invenirem, coram me esse non posset, nec mea vinea dici posset. Nam de vobis qui vinea mea dici et esse potestis, per prophetam locutus sum, quia *aspiciam vos et crescere faciam, multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum* (*Levit.* XXVI) : qui enim coram me sic sunt, ut præsentia mea et visione digni sint, bonorum operum claritate fulgentes illos agnosco et custodio ; quia *oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII), sicut econtrario, qui me postponunt contemnendo, illos quoque et ego postpono reprobando, atque ideo adjutorium gratiæ meæ non impendendo.

Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ejus ; ex opposito illius vineæ, quæ in pravum conversa est, de qua dicitur, quia *exspectavi ut faceret uvam, fecit autem labruscas* (*Isa.* V), melius hujus capituli sensus patebit. Dicit enim Dominus per Osee de ea sub specie meretricis : *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, et coro hordei et dimidio coro hordei* (*Ose.* III) : sacramentum autem, in his numeris absconditum est pulcherrimum ; hic *in mille argenteis*, illic *in quindecim argenteis, et coro hordei et dimidio coro hordei ;* cujus videlicet hæc summa est, quod ista et virgo sit et viro conjuncta, illa autem neque virgo neque viro conjuncta, hujus namque virginitatem unitas millena; conjunctionem vero sive nuptias binarius centenus significat. Arithmetici vero sive abacistæ melius norunt quod dicitur, et qua ratione unitas virgo pronuntietur, usu habent in suis tractatibus, quod videlicet in semetipsa multiplicata nihil creat, quia semel unus, unus est, quod nulli alii numero contingit : nam cæteri numeri in semetipsos ducti alios creant, ut bis duo quatuor, et tertia novem : porro *nuptias hujus centenus designat binarius*, et hoc felicissimum est, quia dilecta hæc quæ ex fide est, et semper viro conjuncta est, et semper virgo permanet, semper generat, semper tamen virgo permanet.

E contra illius viduitatem simul et corruptionem illius designat, quod pretium ejus neque in unitate mansit, neque ad binarium pervenit, cum dicitur : *Fodi eam mihi quindecim argenteis et coro hordei et dimidio coro hordei.* Si argenteos attendas, neque decem sunt argentei, quæ esset unitas decena, neque viginti qui esset binarius decenus, sed sunt *quindecim*, in quo videlicet numero plus unitate, minus est binario : similiter neque unus tantum corus hordei, neque duo sunt cori, sed corus et dimidius hordei, plus monade, minus binario. Itaque et illi hoc infelicissimum est, quia neque virgo est, neque virum habet. Igitur *mille tui pacifici* argentei, **276** hoc est omnes sermones in una fide consonantes; numerus enim iste, millena

Digitized by Google

unitas est, et pacem, hoc est remissionem peccatorum facientes vel acquirentes sunt tibi; quandoquidem unum Dominum, unam fidem, unum baptisma habere, est in catholica Ecclesia esse, ubi datur remissio peccatorum per pacem, id est Christum, *qui est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II). Sancta etenim Scriptura, quæ hæc tria resonat et docet, totam hujus pacis summam in se continet, quia quidquid legis, de Deo, de fide, de Christianitatis religione est, et omnia Ecclesiæ sacramenta ex his sunt constituta, et qui ea habet, sicut habere debet, pacem illam consequitur, quæ sentit bella vitiorum; cumque hac pace ad virtutum abundantiam profecerit, data sibi remissione peccatorum, ad illam perpetuam atque nunquam finiendam pacem pertinget, ubi nullus labor, nullus dolor, nihil omnino erit, quod ei adversari possit.

Sunt igitur tria ista hujus pacis instrumenta, quia omni animæ ad hanc tendenti semper considerandum cui credat, quid credat, quomodo credat. Si enim quæras cui vel in quem credere debeas, Deus tibi proponitur; si vero quæris quid credere, Ecclesiæ tibi sacramenta ostenduntur; porro si quæras quomodo credere debeas, Christianitatis tibi religio præscribitur. *Fides enim sine operibus* otiosa, imo *mortua est* (*Jac.* II), et: *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI). Proinde, ut diximus, propter istarum trium rerum unitatem, quæ veram æternamque constituunt et acquirunt pacem, recte quidem huic vineæ *mille* dicatur esse *pucifici*.

Sed *ducenti his qui custodiunt fructus ejus*, cur esse dicuntur? Primo quidem videndum qui sunt hujus *fructus custodes*, deinde quid velit eis datus numerus iste binarius centenus de quo supra paululum prædicavimus. Custodes hujus *fructus* primo loco dicere possumus eos, qui in Ecclesia Dei præsunt verbo et opere, et ne per hæreticos aliosque perversos homines fructus iste a fidelium mentibus rapiatur, lingua manuque, hoc est doctrina et operatione, student obsistere, nunquam steriles esse, sed in seipsis et in aliis semper virtutum sobolem procreare. Secundo vero loco generaliter omnes Christiani hujus *fructus* custodes esse debent, quia hoc ab eis exigit Christiana religio, ne male vivendo vitam æternam perdant, sed semper cum Deo unus Spiritus existentes, ex hac spirituali conjunctione bonorum operum fecunditate cumulentur, sicque tandem virginali conjugio in cœlestibus nuptiis quas hic significat binarius centenus, cum Deo in sempiternum perfruantur. Cujus conjugii dos erit **277** duplex stola, videlicet beatitudo corporis et animæ, quam etiam potest significare binarius centenus, quia et centenarius in dextera manu ejusdem beatitudinis exprimit coronam.

VERS. 13. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.*

Post multa et diversa pulchre et laudabiliter prolata dilecti et dilectæ colloquia, quasi summam et finalem epithalamii hujus deponens vocem idem dilectus, tanquam erudit jam, et ex consortio sermonis ejus ad plenum edoctæ proclamat, atque ut specie sua et pulchritudine quam ex hac eruditione assumpsit, procedat in exemplum aliorum denuntiat. *Quæ habitas*, inquit, *in hortis*. Qui sunt horti, nisi amœnitas Scripturarum vel delectatio virtutum? nihil enim jucundius floret, vel dulcius olet, quam circa rivos et fluenta sive germina sanctarum Scripturarum, et pulchram delectabilemque ac salubrem varietatem virtutum. Utrobique enim laudabilis et cœlestis est disciplina, hic in dicendo, ibi in faciendo. Quid autem est in his *hortis* habitare, nisi sanctæ legis frequenti meditatione et virtutum exercitatione requiescere? Cujus enim voluntas in lege Domini est, et in lege ejus meditatur die ac nocte, simpliciter cum Jacob domi habitat (*Gen.* XXV), hoc est in mentis suæ tranquillitate secura stabilitate moratur, nihil varium, nihil mutabile in fidei, vel morum identitate recipiens. At contra in his hortis non habitat, qui cum Esau rerum sæcularium venationi intendens (*Gen.* XXV), circa mundi strepitum per silvas cogitationum vagatur, neque unitatem fidei, neque morum integritatem conservans.

Igitur, o dilecta, *quæ in* his *hortis* simpliciter ac salubriter *habitas, fac me audire vocem tuam*. Qualem vocem? vocem pii sermonis, vocem *virtutis*, vocem bene et recte docentis, vocem juste et pie viventis. Sicut enim vox magna est prædicatio vera et recta, sic et vox magna est conversatio pia et sancta. Vox magna est humilitas, vox magna est obedientia, vox magna est castitas, vox magna est patientia, vox magna et sonora est charitas, et quot virtutibus sancta anima radiat, quasi tot magnis vocibus ad Deum clamat.

Et quare volo *audire vocem tuam*? videlicet ut te verbo et opere clamantem audiam, sicut scriptum est: *Filii qui nascentur et exsurgent, audiant et narrent ea filiis suis, ut ponant in Deo spem suam et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant* (*Psal.* LXXVII). Et quid est meum *audire*? nimirum approbare, acceptare, et meo adjutorio **278** dignam judicare, cum enim audio approbo, cum exaudio adjuvo. Tu autem *fac me audire vocem tuam*. Quomodo facies? honeste et pie conversando, vera et pia docendo. Siquidem rationem et intellectum, memoriam et ingenium tibi concessi; ut sis inexcusabilis, neque dicas te nec scire, nec posse, omnem tibi impossibilitatis exemi necessitatem, quatenus ut debito habeas et facias: ego autem debitor tibi esse volo, ut cum feceris quod jure facere debes, vincar cum judicor (*Psal.* L); tuo, inquam, judicio vinci volo, quia valde delector si meo bene uteris dono, et idcirco tuum est facere ut velim *vocem tuam audire*: attamen tuum facere non est tuum, sed meum, quia ut velis et possis, munus est gratiæ meæ.

Fac me, inquit, *audire vocem tuam*. Quare? quia *amici auscultant*: cujus amici? Et mei et tui: mei per charitatem, quia me diligunt sermonem meum

Digitized by Google

servando; tui, quia te diligunt salutem tibi optando. Sunt enim amici quos corporalibus oculis non vides qui de profectu tuo et salute, sive de conversione tua gaudent, de quibus scriptum est, quia: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV). *Hi nempe administratorii spiritus sunt in omnem terram propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I): hi enim solliciti sunt et agunt pro salute hominum, sicut a quodam istorum amicorum invisibilium cuidam amicorum visibilium dicitur, quia *in tempore illo consurget Michael qui stat pro filiis populi tui* (*Dan.* XII), ac subinde, *et nemo est adjutor meus in omnibus his nisi Michael princeps vester* (*Dan.* X).

Isti ergo *amici auscultant*, quia valde delectantur *audire vocem tuam*, ad me clamantem sive orando, sive psallendo, sive prædicando, sive optando. Sunt et alii amici, quos præ oculis habes, qui etiam hujusmodi quadrifidam concentorum veluti pulchrum διατέσσαρον symphoniam audire delectantur, et idcirco aures adhibent et auscultant atque optant audire te canentem et dicentem: *Ego autem sicut oliva fructificavi in domo Domini, speravi in misericordia Dei mei, et exspectabo nomen tuum ante conspectum sanctorum tuorum* (*Psal.* LI). Hi, inquam, sancti et tales amici auscultant, optativo et desiderativo modo, ut fias quales ipsi sunt, ut unus eorum optabat *anathema* fieri pro fratribus suis (*Rom.* IX), quorum salutem desiderabat; et quia ipse in hortis virtutum sapientiæ quoque et scientiæ jam habitabat, sollicitus erat sic vocem suam in auribus meis temperare, ut et Deo et hominibus placeret, et quid saluti hominum competeret, vita et doctrina ostenderet. Unde hæc vox ejus est ex hortis sapientiæ et virtutis resonans, et mihi audibilis: *Castigo corpus meum et servituti redigo*, subjicio, *ne forte dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX). Iloc **279** modo dum caro ita spiritui subjicitur, ut nihil infra se cupiat, solum quod supra se est quærat, hæc est vox quæ delectabiliter sonat in auribus meis, imo hoc est *Canticum canticorum* quo nihil dulcius in hac mortali vita cantare potest homo mortalis et passibilis, quali voce et quali cantico semper rapitur ad illam ineffabilem dulcedinem capiendam, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit* (*I Cor.* II), cujus assecutio perficiet hominem immortalem et impassibilem. Hanc nempe vocem et hoc canticum, dum angeli et omnes sancti mei auscultant et audire desiderant, ad eamdem gloriam quam isti, hoc est angeli adepti sunt, et illi hoc est homines, sancti per fidem, spem et charitatem se adepturos, non dubitant, te quoque quæ nondum adepta es, secum adipisci peroptant, atque pro hoc mihi incessabiliter supplicant. Quid tandem ad hanc vocem dilecta respondet? *Fuge, dilecte mi*, etc.

Vers. 14. — *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Si attente inspicianus, magna hæc vox humilis corde, sive ad totam Ecclesiam referamus, sive ad quamlibet Deo devotam animam: cur enim sancta Ecclesia sive quælibet sancta anima hæc ad Deum non utatur voce in præsenti vita? Dicit nempe unus sanctorum: *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII). Quid iste persensit, qui cognoscendi et prophetandi imperfectionem in hac vita præsenti pronuntiavit? quod enim ex parte est, perfectum non est; sed hanc imperfectionem dicit evacuandam, quando in futura vita venerit quod perfectum est; cujusmodi autem imperfectionem si recte consideres, nimirum hujus dilecti fuga est.

Porro quidquid in sacramentis Ecclesiæ agitur, magna et profunda mysteria continet, quæ omnia hujus dilecti potentiam, virtutem et gratiam prædicant, sed quis est qui de his ad plenum disputare valeat? unde dilecta præ hujusmodi magnitudinis attonita, ex parte cognoscit et ex parte prophetat, sed quia ad plenum comprehendere non valet, deficit, et dilecto ut fugiat non pro neglectu, sed pro defectu proclamat: fuge enim subtilium rerum in discussione sacramentorum, dilecti hujus fuga est. Nam quando vim eorum et efficaciam ad plenum enarrare, vel discutere non possumus, fugit nos iste dilectus: item cum sacræ Scripturæ faciem intendimus, sed eam plene pervidere et arcana thesaurorum ejus introire non possumus, profecto fugit nos iste dilectus.

280 Sed fugientem non temere retineamus, verum quidquid in sacramento vel sanctarum Scripturarum subtilitate comprehendere non possumus, igni comburamus, hoc est sancto Spiritui reservemus, et ne in sensum hæreticum nimis discutiendo incidamus, fugere dilectum sinamus. Nempe secundum exemplum beati Jacob qui cum angelo luctatus est, nos quidem cum verbo Dei luctari monemur, sed postquam, data benedictione, tactu nervi claudicamur, fugere Dei verbum permittamus. Quid namque est luctari cum verbo Dei, nisi infatigabiliter sensum sacræ Scripturæ investigare? Quid denique victorem a victo benedictionem postulare et suscipere, nisi ipsius sensus intelligentiam quærere et invenire? Sed victor a victo benedictione accepta femore emarcente claudicat, quia is qui sacram Scripturam, Deo inspirante, bene intellexerit, omni carnis voluptate restincta, in activa et contemplativa vita proficit, et grandi quidem spiritus commodo, sed magno carnis suæ vincit detrimento. Denique is claudicat qui vicit, quia tetigit qui victus est, nervum femoris ejus et emarcuit; quomodo claudicat? videlicet uno pede terræ innitens, alterum a terra suspendens, id est activam vitam pro cura subditorum non omnino relinquens, et contemplativæ præ ejus dulcedine totis viribus inhærens.

Iste claudus salit vel ascendit sicut cervus, terramque vix tangere dignatur, nam *conversatio ejus in cœlis est* (*Philip.* III): verumtamen *ex parte*, uno

Digitized by Google

enim tantum pede nunc interim illuc suspensus est, donec veniat *quod perfectum est*. Et idcirco quia nunc perfecte comprehendere non potest, recte dicit : *Fuge, dilecte mi*. Cum ergo verbi Dei sensum in monte cum Domino loquentes, mente percipimus, illud Apostoli attendamus : *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI), ne dum dilectum fugientem incaute prosequimur, in perversi dogmatis foveam dilabamur. Item hoc modo dilectum fugere dicimus, quia semper est incomprehensibilis; nam istud concedendum majestati ejus ut non possit comprehendi, semperque sit desideratus ac desiderabilis, nosque lateat, quandiu simus in hoc corpore, *quam magna* sit *multitudo dulcedinis ejus, quam abscondit timentibus se* (*Psal.* XXX).

Dicamus ergo ei : *Fuge, fuge*, cautus nobis ac providus, ne unquam dum vivimus, nos comprehendisse arbitremur, sequentes ut comprehendamus. Sive hoc modo dicat quævis fidelis anima et sapiens Deo humili et devota mente : *Domine, non sum digna ut intres sub tectum meum* (*Matth.* VIII), non sum digna ut in me ostendas aliquod frequens præsentiæ, vel visitationis tuæ miraculum. *Fuge*, inquit, *dilecte mi*, non quæro in præsenti vita gloriam, sed desidero gratiam, non quæro claritatem miraculorum, sed opto remissionem peccatorum. *Fuge*, inquam, *dilecte mi*, et **281** saltus hujusmodi similes saltibus *capreæ* aut *hinnulo cervorum* effice, non super me, sed *super montes aromatum*, super excelsa merita sanctorum atque perfectorum. Non est meum de divinitatis tuæ arcano, de altissimis præceptorum tuorum documentis, de profundis sacramentorum tuorum mysteriis tractare, vel disputare, sed illorum potius qui montes excelsi possunt dici propter eminentiam sapientiæ et virtutum, qui tacti Spiritu tuo sancto fumigant tuum bonum odorem, ut possint dicere cum Apostolo : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II), atque ideo recte dicuntur *montes aromatum*.

Et quid mirum si te ego infirmitatis meæ conscia, fugere dico, cum ipsi montes magni et docti, in ipsorum tuorum operum, sive præceptorum, vel etiam sacramentorum consideratione obstupescant, et te nonnunquam fugere sinant? Nam unus istorum montium, qui usque ad tertium cœlum porrectus fuerat, et *quæ non licet homini loqui* audierat, (*II Cor.* XII), fugientem te dilectum persequi timens, *O altitudo*, inquit, *divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi* honor et *gloria in sæcula sæculorum* (*Rom.* XI).

Idcirco, *dilecte mi, fuge*, non ut me omnino derelinquas, sed quod hic, qui incomprehensibilis es, adipisci non valeo, in futura mihi vita, vera et æterna beatitudine sine fine concedas. Similis esto *capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum*. Hoc est, etiam perfectorum sanctorum intellectum incomprehensibili divinitatis tuæ cognitione transcende; sive in eorum cordibus tales fac saltus, ut *de virtute in virtutem* proficiant (*Psal.* LXXXIII), quia quoties electi de bonis ad meliora, de *virtutibus* ad virtutem proficiunt, quasi quosdam in eorum mentibus saltus Deus facit, quatenus his paulatim gradibus sive saltibus, ad illum summum et perfectum perveniant statum, *in quo videtur Deus Deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII), ubi possint incessabiliter dicere et cantare in auribus Domini Sabaoth, non simpliciter canticum, sed Canticum canticorum, hoc est cognoscere et percipere illud summum et optimum bonum in sæcula sæculorum. Amen.

---

282 EPILOGI LOCO

AUCTORIS PARÆNESIS

Ad sacras virgines quibus hæc commentaria scripsit et inscripsit.

Ecce, dilectæ sorores, ut potuimus vobis cantavimus, et quantum ille noster summus præceptor donavit, sub cujus disciplina omnes sunt qui recte et bene canendi scientiam quærunt. Sed quia bene et recte canendi scientia triplici constat instrumento, videlicet, *corde, ore* et *opere*, convincor peritus non esse cantor. Ore quidem cantare possum, sed si reliqua duo defuerint, omnis mei cantionis species coram Domino inanis erit : siquidem corde et opere cantare, potest Deo placere, etiam si non cantet ore; ore autem solummodo cantare, non autem corde et opere, impossibile est Deo placere posse. Porro qui vult perfectam habere canendi scientiam, et summam ipsius nosse dignitatem, trium istorum oportet semper habere facultatem. Quam Apostolus se nosse et habere ostendens : *Psallam*, inquit, *spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* XIV). Nam spiritu psallere est et verba spiritualia memoriter proferre, quod est ore cantare; et ad opera spiritu concepta procedere, quod est opere cantare; mente psallere est vitalem verborum sensum mente percipere, quod est corde cantare.

Digitized by Google

Dato autem instrumento ad recte et bene canendi scientiam consequendam opus est, ut etiam sciamus quid primum sit in cantando sciendum, et quale canticum, ut perveniamus ad canticum canticorum. Primo quippe discere et cantare nos oportet canticum illud novum, de quo cantando hortatur nos Spiritus sanctus in Psalmo : *Cantate*, inquit, *Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum* (*Psal.* CXLIX). Si relativorum qualitatem consideres, ubi dicitur *novum*, consequitur ut et vetus sit. Sed primo videamus quid sit vetus canticum, ut ex ejus agnitione melius *novum* intelligamus.

Vetus illud canticum vetus homo Adam cantavit et docuit, sed novo cantico quod postea auditum est, valde oppositum et contrarium et ea distantia distans, quæ est inter mortificans et vivificans. Et quod est illud canticum? nimirum illud, quo vetus ille homo Factori suo reclamavit, et contra justitiam et pietatem vociferatus est, videlicet superbia, inobedientia et peccati sui excusatio. Justum quippe fuit ut factori et rectori suo subditus esset, et obediret, miserum autem fuit, quod post culpam se non recognovit **283** neque de pietate Dei præsumpsit, sed contemptor culpæ suæ pœnam in omnem suam posteritatem exsul paradisi transfudit. Hujus cantici flebilem tragœdiam multi quanto plus cantant, illius præsumptionem et negligentiam imitando, tanto majorem impositæ mortis exsolvunt vindictam.

Huic autem cantico oppositum est illud *novum canticum*, canticum pacis et lætitiæ, canticum vitæ et justitiæ, canticum virtutis et salutis quod præcinuit ille novus homo, et non tantum simpliciter homo, sed Deus et homo; hujusmodi nempe præcentore qui dixit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI), monemur novum utilitatis cantare canticum. Porro exemplo ipsius Domini, de quo dicit Apostolus : Christus *factus est obediens* Deo *Patri usque ad mortem* (*Philip.* II), monemur suavis obedientiæ cantare canticum; ad vocem quoque ejusdem novi præcentoris qui dicit : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV), monemur non declinare *cor nostrum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis* (*Psal.* CXLVI); quia hæc est gravissima, imo miserrima vox veteris hominis impœnitentis. vox, inquam, veteris et dolore pleni cantici, quin potius converso modo ejusmodi cantici et in novum mutato, laboriosam quidem quantum ad corpus sed salubrem quantum ad animam spiritus contribulati melodiam, quatuor modorum genere, hoc est compunctione, confessione, satisfactione, perseverantia Deo concinamus; et in quatuor ipsorum modorum finalis videlicet cogitationem, locutionem, actionem et consuetudinem quotidie deponamus.

Siquidem utriusque cantici, hoc est veteris et novi, isti sunt finales, cogitatio, locutio, actio, et consuetudo, et secundum præcedentis speciem modi depositionem suscipiunt; sive et elegiacam quantum ad vetus, sive suavem et musicam quantum ad novum. Musica nempe depositio est, quæ fit rationabile vocum sive tonorum, conjunctione, dispositione, tenore, et hanc magis, imo semper suscipit novum canticum, propter rationabilem motum mentis, bene et pulchre canentis, et ad bonum finem cogitando, loquendo, agendo, consuescendo semper tendentis. E contra elegiaca hæc est tristis et misera depositio est, quæ fit irrationabili et inæquali motu mentis; et quia confusa est hujusmodi cantionis species, in suavem et immitem depositionis generat qualitatem.

Est ergo inter hujusmodi duo cantica ea distantia, quæ est inter vitam et mortem; quia vetus occidit, novum autem vivificat, et hoc a simili, nam dicuntur quædam marinæ bestiæ, quæ syrenæ nuncupantur, quæ dum navigantes dulcedine cantus sui alliciunt et attrahunt, **284** subito incautos et negligentes submergunt : hoc autem modo dum carnales quique in hujus mundi pelago, quasi navigantes carnalis vitæ dulcedine, peccati delectatione tenentur, repente salutem animæ suæ negligentes, et converti per pœnitentiam nolentes ab immundis spiritibus ad æternam mortem rapiuntur. Et hic est veteris cantici modus, quia a spiritu superbiæ et inobedientiæ inchoans, in æternæ damnationis barathrum, gravissimo et miserrimo cordis impœnitenti sono extremam deponit vocem.

Porro ex alia parte ea similitudo est, quæ nobis ostenditur ex divina et humana Scriptura. Ex divina quidem qua scribitur David cithara sua furorem Saulis mitigasse (*I Reg.* XVI) : ex humana vero qua scribitur Orpheus cantu suo lenisse tigres et leones; et Amphion sono testitudinis saxa movisse, quod significat novi cantici hanc esse virtutem, ut contra salutem suam furentes mitiget bestiales hominum mentes et dura mortalium corda, rationali verborum et sensuum motu, ad bonum vivendi modum et rationabilem morum honestatem componat. Et iste est novi cantici modus, qui a spiritu humilitatis et obedientiæ inchoans, in æternæ beatitudinis gaudium altissimo et lætissimo cordis innocentis sive pœnitentis sono ultimam deponit vocem.

Sicut ergo contraria sibi sunt vita et mors, ita sibi contraria sunt vetus et novum canticum juxta qualitates personarum quarum auctoritate utrumque canticum initium accipit et finem. Veteris siquidem cantici auctor est diabolus, novi vero cantici auctor est Christus. Quocirca, contempto auctore mortis, auctorem vitæ sequamur, cujus delectabilem et suavissimum sanctitatis concentum jugiter attendentes, ineptas sirenarum voces, hoc est stultas malignorum spirituum persuasiones, surda pertranseamus aure.

Officinæ autem et mansiones, in quibus instrumenta hujus novi et salubris cantici parentur et servantur, et in quibus ipsum canticum audiamus et discamus, et cantandi consuetudine et exercitio

Digitized by Google

perveniamus ad illud Canticum canticorum, cujus suavitas et dulcedo nunquam deficiet, sunt dilecta Domini tabernacula, de quibus quondam divinus ille, qui dixit se auditorem sermonum Dei, et visionem Dei intuentem, qui cadit, et sic apertos habet oculos, percunctaturus est :

Quam dilecta, inquit, *tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel ; ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui ; ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri propter aquas multas* (*Num.* XXIV). Veri autem Israel ac spiritualis Jacob peregrinantis vel militantis in præsenti sæculo, tabernacula sunt religiosi, et secundum **285** disciplinam Christi bene dispositi, ordines videlicet conjugatorum, continentium, viduarum atque virginum secundum utrumque sexum, hæc plane tabernacula singula in suo proposito pulchra sunt.

Quam pulchra tabernacula, quam pulchra tentoria ? ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui. Ista similitudo ex aliis Scripturæ locis perspicua est : siquidem in Isaia Dominus derelictæ quondam gentilitati spiritualium virtutum merita tanquam deserto arbusta promittens : *Dabo*, inquit, *in solitudine cedrum et spinam, myrtum et lignum olivæ : ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul, ut videant, et sciant et recogitent et intelligant pariter* (*Isa.* XLI). Ergo *pulchra tabernacula ut valles nemorosæ. Valles* propter humilitatem, *nemorosæ* propter diversarum pulchritudinem virtutum.

In his enim tabernaculis Dei, hoc est professionibus sanctis, sunt cedri, hoc est sancti fide et opere incorrupti et imputribiles, atque odore virtutum redolentes : sunt *spinæ* verbo et exemplo alios compungentes et ad bona opera provocantes : sunt *myrtus* proximorum tribulationes per compassionem verbo consolationis temperantes : sunt *olivæ* misericordiæ et pietatis actibus perfluentes ; sunt *abietes* contemplationi virtute ad alta semper surgentes : sunt *ulmi* quamvis sæculares et minus fructificantes alios tamen bene viventes suis facultatibus sustentantes et adjuvantes : sunt *buxus* quamvis ad alta virtutum non surgentes, neque fructum facientes, parentum tamen fide semper viventes : sunt ergo hæc tabernacula Domini *ut valles nemorosæ*, quia hoc ex humili corde, actu quoque et habitu infimo contrahunt, ut tantarum ubertate virtutum virescant atque florescant.

Sunt etiam *ut horti juxta fluvios irrigui*, sicut alibi dicitur : *Et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum cujus non deficient aquæ* (*Isa.* LVIII). Et in eisdem canticis : *Hortus conclusus, fons signatus, fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano* (*Cant.* IV). Ecce *tabernacula pulchra ut horti juxta fluvios irrigui.* Quia ex humore Spiritus sancti semper sunt virentes et florentes sermone et actione, et assidua divinorum præceptorum meditatione.

Sunt quoque *cedri* propter aquas ; quod Psalmista ostendit, qui cum dixisset : *Rigans montes de superioribus suis*, etc., continue subsecutus : *Saturabuntur*, inquit, *campi et cedri Libani quas plantavit* (*Psal* CIII). Ergo *pulchra tabernacula ut cedri propter aquas*, id est juxta aquas, videlicet in quibus passeres nidificant (*Psal.* CIII, quorum abundantia cum sunt divites homines, pauperum supplet inopiam.

Igitur, hæc tabernacula sunt **286** ut *tabernacula quæ fixit Dominus*, quia omnis ista eorum pulchritudo, ornatus et compositio, opus est Dei omnipotentis, sua gratia illa collocantis, promoventis, decorantis et sustentantis.

Fluet aqua de situla ejus, et semen ejus erit in aquas multas (*Num.* XXIV). Quæ est *situla ejus* ? Imo, quæ est *aqua ejus* ? Nimirum *veri Jacob*, hoc est *supplantatoris*, sive veri Israel, hoc est *mentis Dominum videntis*. Quorum nonnulli in his tabernaculis, hoc est professionibus, habitant. Cujus *situla* est Christus de quo hauritur aqua, id est sancta Scriptura. Per eum quippe sancta Scriptura aperitur, imo ab illo sitis excitatur, ut hæc aqua desideretur, ab illo sensus aperitur, ut Scripturæ intelligantur. *Fluet* ergo *aqua de situla ejus*, id est vera manabit intelligentia Scripturarum de Christo ejus. Quid deinde ? *Et semen ejus erit in aquas multas.* Quod est *aqua de situla ejus*, hoc est multitudo aquarum de semine illius. Nam *semen illius*, *semen patris ejus Abrahæ* (*Gen.* XVII), illius videlicet, qui vere *Pater excelsus*, sive *Pater multarum gentium* Christus est.

Hoc *semen* illius *erit in aquas multas*, id est hoc semen fundit aquas multas. Bibendo experti sumus quod vere *in aquas multas* sit *semen* illius. *Qui in me credit*, inquit, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Item : *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV). Hoc, inquam, gratia ejus bibendo experti sumus. Ecce enim de hac situla, quæ est Christus ipse, multa sancti Spiritus in una Ecclesia dona percepimus, multa et largissima Scripturarum mente possidemus.

Igitur in his tabernaculis Domini, novum illud semper resonat canticum quod cantant horum tabernaculorum habitatores septem vocum differentiis, regente cantum Spiritu sancto sua septiformi gratia, videlicet sapientia et intellectu, consilio et fortitudine, scientia et pietate atque timore Domini. Porro ex his septem vocum differentiis diversæ fiunt beatitudines quasi octo modorum species ; videlicet humilitas, mansuetudo, luctus, sive tria secundum Dominum, pax, misericordia, munditia, justitiæ appetitus, patientia.

Et iste cantus sive laus Dei non est nisi in Ecclesia sanctorum, quia quod sancti sunt et quod sciunt et possunt hoc unde sancti sunt, Dei solius gratiæ munus est. Et tales quotidie exeuntes de Ægypto hujus mundi, contemptu propriæ voluntatis tenentes citharas Dei, hoc est carnis mortificationem, non solum cantant *canticum novum*, sed et

Digitized by Google

canticum canticorum, quia hoc modo ad illam inefabilem Dei charitatem proficiunt, quæ est virtus virtutum, et ex qua procedit, et in qua continetur omnium virtutum plenitudo.

Vos itaque, dilectæ sorores, quia tabernaculum Dei estis, sive in tabernaculis Dei habitatis, hoc novum semper concinite canticum humilitate, castitate, patientia, obedientia, carnis mortificatione, Dei et proximi dilectione. Cantabiles vobis sint justificationes Domini in loco peregrinationis vestræ, (*Psal.* CXVIII), ut quandoque de Ægypto hujus sæculi exeuntes et ad terram promissionis pervenientes atque bonis ipsius terræ, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II, *Isa.* LXIV), æterna liter perfruentes, cum omni suavitate et dulcedine sine intermissione cantetis non solum canticum novum, sed et canticum canticorum, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

INDEX RERUM, VERBORUM

ET

SENTENTIARUM MEMORABILIUM

AD WOLBERONIS COMMENTARIUM IN CANTICA.

A

Aaron interpretatur *mons fortitudinis* 11. — Aaronis virga florida quid præfiguraverit? 33. Aaronis vestimenta omnia fideles novissimi temporis sunt, 12.

Abies significat contemplationis virtutes ad alta semper surgentes, 285.

Accubitus regis quis sit, 66. Accubitus regis et sinus Patris vel humanæ naturæ assumptio vel sanctæ mentis inhabitatio, 68. Ad accubitum regis pervenire volenti quæ necessaria sunt, 69.

Acervus testimonii SS. Patrum institutio est, 141.

Adjurare dilecti quid sit, 97.

Adolescentularum nomine fideles accipiuntur animæ, 283.

Æstas alius corporis, alius cordis, 39.

Affirmationis simplicem negationem sequitur affirmatio armatoria, 61.

Agar ancilla et Sara libera figura fuerunt civitatis terrestris et cœlestis, 26.

Agni paschalis immolatio, 48.

Agni sanguis super utrumque postem et super liminaribus quando ponatur, 49.

Agri, lecti, molæ nomine ex quibus unus dicitur assumendus et alter relinquendus quid significetur, 16.

Aloe et myrrha carnis mortificatio signatur, 167.

Altare. — In altari cor nostrum figuratum est, 12.

Altitudinem mundanarum tres species per tria nomina montium designantur, 150.

Amana nocturna avis sonat, 151.

Amaræ cur Ecclesiæ comparetur et dicatur pulchra ut luna, etc., 217, 218.

Amica formosa columba quæ sit, 103, 139.

Amicus et sodalis in quo differant, 73. Amicus quasi amici custos dicitur, 201. Amicus nuncupatur, Deus dicitur et est, 201. Amici et charissimi quos dilectus invitat ad comedendum, bibendum et inebriandum qui sunt, 211. Amicorum ad vocem sponsæ auscultantium alii visibiles, alii invisibiles, 151.

Angelus non potest sed solus Deus pro peccatis Adæ satisfacere, 264.

Anima non debet se ignorare, 47. Anima fidelis quando per desertum ascendat, 128. Anima rationalis quatuor habet affectiones, 226. Anima sponsæ ad locutionem sponsi quomodo liquefacta sit, 181. Anima fidelis deliciis affluens et super dilectum innixa quomodo dicatur ascendere de deserto, 253, 254. Animam fidelem parvulam esse et ubera non habere, 230. Animæ simplices in Ecclesia cur filiæ non filii Jerusalem appellentur, 121. Animæ quales reginæ apellentur, 214. Quæ concubinæ, 214.

Animus a mundi cujus remotus desertum nuncupatur, 126.

Antichristi tyrannis quanta, 15.

Apostolus Paulus quam vocem dederit ex hortis, 278. Apostoli barba sunt Aaron, 33. Apostoli montibus comparantur, 116. Apostoli pigmentarii fuerunt, 193. Apostoli contra matrem qualiter pugnaverint, 30. Apostoli martyres, sacerdotes, significantur per doctissimos Israel ambientes lectulum Salomonis, 132.

Aquæ viventes quæ sunt et quare dicantur fluere impetu de Libano, 169.

Aquilo asperitatem minarum lenitatem blandimentorum auster significat, 170. Aquilo diabolum, auster S. Spiritum significat, 170. Aquilone vel austro perflante hortum Domini, quomodo aromata illius dicuntur fluere, 170.

Ascensus mentis non fit nisi per desertum, 117. Ascensus palmæ fuit ascensus Christi in crucem, 240.

Aspiratio Dei pro æterna felicitate et inclinatio umbrarum, pro indeficiente nocte hujus mortalitatis accipitur, 148.

Auster advenire et hortum Domini perflare nequit, nisi surgat et recedat aquilo, 171.

Avola aromatum et mens humilis virtutibus redolens, 207.

Avolare Dei quale sit, 211.

Axa filia Calebs petens irriguum inferius et superius, quod figuraverit, 61.

B

Baptismus duplex est, 74. Baptismo et pœnitentia incorporamur Christo, 150.

Bases aureæ sunt sapientia et bonitas, quibus columnæ marmoreæ, id est misericordia et veritas, 198.

Beata Virgo cur campo comparetur, 83.

Beatitudo, fructus vineæ Dei est, 271. Beatitudo corporis et animæ duplici stola exprimitur, 13.

Bellatoris spiritualibus utile considerare, proportionem inter veritatem et figuram pugnam et pugnæ causam, victorem et victum, 52.

Bibere vinum cum lacte, et comedere favum cum melle dilectus quando dicatur, 174.

Binarius centenus nuptias cœlestes significat, 175

Bona opera sine fide, spe et charitate esse non possunt, 157.

Bonum quod ducit ad summum bonum a paucis apprehenditur, 116. Bonum animæ consistit in duobus, 159. Bonum substantive et adjective dicitur, 159.

Botrus dulcedinem resurrectionis Christi significat, 70, 74. Botrus per exploratores de terra promissionis portatus, figura Christi fuit, 71. Christus botrus Cypri in vineis Engaddi, 72.

Buxum. — Per buxum significantur, qui quamvis ad alta virtutum non surgant neque fructum faciant, parentum tamen fide semper virent, 285.

C

Cæcus coloris ignei charitatem significat, 143.

Cain recte obtulit sed non recte divisit, 271.

Cancelli per quos dilectus in pariete generali prospicit, antiqui Patres fuerunt, 102. Cancelli item et fenestra sunt Evangeliorum et apostolorum documenta, 103.

Cancndi recte scientia triplex requirit instrumentum, 282 Quale canticum sciendum ante Canticum canticorum.

Digitized by Google

282. Cantici novi et veteris finales qui sint, 282. Cantici novi et veteris distantia, 282. Canticum vetus comparatur syrenis marinis bestiis, novum vero Davidi, Orpheo et Amphioni, 284. Cantici veteris auctor diabolus, novi Deus est, 284. Cantici novi instrumenta, in qua officina parentur et serventur, 284. Cantico novo dispositio musica, veteri cantica elegiaca convenit, 282. Quis recte cantet canticum novum et canticis labiorum et citharis, 251. De canticorum diversis generibus, vide præfationem generalem. Cantare canticum novum, in terra aliena, quid sit, 93. Canticum novum quid sit, 282. Canticum vetus, quid sit, 282.

Caprea quatuor, et cervicus tria habet notabilia naturæ, quæ fidelis anima haberi debet, 97.

Castitas virginalis pretiosior est castitate viduali et conjugali, 189.

Cauda in sacrificio olim offeri, quare præcepta, 40.

Caverna maceriæ Christus, 103.

Cedar interpretatur *tenebræ*, 261.

Cedrus quatuor, et cypressus duas habet proprietates, 83.

Cellaria Dominica tres specialiter species, 23. Cellaregis sunt lex et Evangelium, 21. Cellaria hæc pauci, domum multi intrant, 21.

Charitas verbum trisyllabum, quia Deus qui charitas, est unus in majestate, trinus in personis, et septenarius in donis, 270. Charitas quare dicatur crater tornatilis nunquam indigens poculis, 232. Charitas aliarum virtutum centrum est, 171. Charitas oleo comparatur, 11, 17. Charitas boni operis radix est, 67. Charitas virtutum virtus et plenitudo est, 186. Charitatis excellentia, 67. Charitatis encomium, 24, 67, 210, 258. Ad charitatem obtinendam necessaria sunt, fortitudo animi, scientia Scripturarum perseverantia bonis operis, 289. Charitatem timet diabolus, 209.

Chrismatis excellentia, 72.

Christus quare dicatur pacificus, 263. Christus veraciter et universe quando sumatur, 150. Christus in cruce quatuor dimensiones charitatis longitudinem, latitudinem, altitudinem et profundum habet, 270.

Circumcisio, transitus Rubri maris, legislatio, carnaliter pugnantium fuga et victoria, spiritualiter quid significaverunt, 53.

Civitas Dei et diaboli, quæ sit, 44.

Cœlum tertium quale fuerit in quod Apostolus se raptum memorat, 5. Cœli primi nomine, humilitas, secundi charitas, tertii contemplatio accipitur, 5.

Cognitione sui, aut ignorantia sui, homo fit justus, vel injustus, 44.

Collum sponsæ, sublimem doctorum eloquentiam significat, 15.

Columbæ ad fenestras suas sunt prælati Ecclesiæ, 140. Columbarum oculos absque eo quod intrinsecus latet habere quid sit, 140.

Columna nubis et ignis, idemque virga Moysis miraculorum operatrix quid significarint in Ecclesia militante, 48. Columnæ animæ justi, quatuor sunt virtutes cardinales, 13.

Comæ capitis quod est Christus sunt prophetæ vel apostoli 190.

Compunctio quatuor habet qualitates, 59. Compunctio procedens ex amore præstantior est illa quæ ex timore, 59. Compunctionis duo sunt genera, 181.

Contemplatio intellectibilis ad naturalem et intelligibilem incomparabilis est, 59. Contemplationis tres sunt partes, naturalis intelligibilis et intellectibilis, 59.

Contraria duo uno eodemque tempore, in uno eodem subjecto simul esse possunt, 45.

Corda cum manibus ad Deum levare, est credere et operari, 24.

Cubare quomodo et in quibus Deus dicatur, 57.

Cursus sponsæ vel fidelis animæ quis qualisve debeat esse, 15. Cursus qualitati et labori sua respondet requies. 18. In cursu, modus, qualitas, intentio et utilitas considerari debet, 17.

Custodes vinearum qui sint, 30, 31, 32. Custodes murorum tollentes pallium sponsæ qui sint, 186.

Cyprus in Ecclesia quævis sancta est anima, 166.

D

Damascus interpretatur *sanguinem bibens*, 237.

David ante arcam saltans prævidit per incarnationem Christi, sacrificium, fide et operibus instruendum, 23. David saltans ante arcam figura fuit saltus spiritualis prælatorum Ecclesiæ, et in quo ille consistit, 23.

Decoloratio solis in quo consistat, 27.

Dentes et capilli animæ cogitationum subtilitates, sunt duras Scripturarum propositiones infringentes, 214. Dentes in Ecclesia S. Scripturæ expositores sunt. 141.

Descendere in infernum cum anais suis quid sit, 52.

Desertum quid sit, 123. Synagoga cur desertum dicatur, et ascensus Judææ de deserto quando fuerit, 253. Desertum in stagnum aquarum et terram inviam in rivos aquarum quando Deus posuerit, 253.

Deus est bonum generalissimum, 18. Deus tribus modis dicitur aliquid indicare, 33. Deus quatuor modis hominem trahit, 14. Deus cum sit illocalis, quomodo moveri dicatur, 197. Deus non secundum se sed secundum participans, quæ possit habere spatia, 270. Deum super cor ponere est charitatem habere; super brachium ponere, est per charitatem bonum operare, 258.

Diabolus cur nocturna avis, dens vigiliarum et anathema vocetur, 151.

Diadema regis Salomonis, quo coronavit eum mater sua, quid sit, 155.

Dies alius naturalis, alius actualis, alius intelligibilis et alius æternalis, 58. Dies intellectualis non modo particulariter in aliquo, sed universaliter in unoquoque homine constitui potest, 43. Dies desponsationis, quo Salomon hoc diademate coronatus, tempus incarnationis et passionis Christi fuit; dies vero lætitiæ cordis ejus, tempus resurrectionis, 137. In die naturali, actuali, intellectuali, quid sit mane, meridies et vespere, 54

Digiti sponsæ pleni sunt myrrha probatissima, quando virtutum ejus opera sunt discreta charitate divina et fraterna, 183.

Dilectio, secundum carnem duplex est, 90. Dilectionis divinæ et humanæ differentiæ, 113. Dilectio Dei, quo ordine distinguatur, 91. Dilectio quare dicatur fortis ut mors, 258.

Dilectus in allocutione, dilectæ boni oratoris officium imitatur, 104. Dilectus quomodo pascatur inter lilia usque ad aspirationem diei et inclinationem umbrarum, 115. Dilectus si in nocte quæritur non invenitur, 117. — Quid sit dilectum per vicos et plateas quærere, 118. Dilecta dilectum quod petat reverti et simulari capreæ quid figuret, 115. Dilectæ inquisitio et dilecti in domum matris et cubiculum genitricis introductio quæ sit, 120. Dilectus quando dicatur venire in hortum suum et comedere fructum pomorum suorum, 172 Dilectus et dilecto Deus de Deo est; cur dicatur electus ex millibus, 187, Dilectus pascitur inter lilia quia munda cogitatione et operatione delectatur, 208, Dilecti crura sunt misericordia et justitia, quare columnis marmoreis comparentur, 198.

Docenti alios quæ necessaria sint, 108, 262. Qui alium docet se ipsum docet, 249.

Domus exasperans, domus inobedientium est, 267.

Dormitio spiritualis explicatur, 97. Dormitio et vigilantia secundum respectum ad interiora simul esse possunt, 175. Dormitio sponsæ et cordis ejus vigilantia quæ sit, 175

Ducenti qui custodiunt fructus vineæ Dei qui sint, 276.

E

Ecclesiæ præfert et præfertur, 25. Ecclesia et sancta anima quare dicatur nigra ut tabernacula Cedar, 27. Ecclesiam quomodo sol decoloravit, 32. In Ecclesia alii prædicant solo verbo, alii exemplo alii verbo et exemplo simul, 61, 62. Ecclesia præsens continet civitatem Dei et diaboli, 50. Ecclesia amica et bis pulchra vocatur, 76 Ecclesia universalis et omnes particulares sunt domus Dei, 82. Ecclesia gentium cur vocetur deserta, 125. Ecclesia corpori, Christus capiti comparatur, 129. Ecclesia horto concluso idque iterato cur assimiletur, 152, 164. Ecclesia fons signatus, quare, a quo et unde dicatur, 165. Ecclesia sicut generaliter fons hortorum ita quibusdam specialiter puteus aquarum viventium est, 169. Ecclesia monti Libano comparatur, 201. Dicitur electa ut cedri, 202. Cur perfecta et columba vocetur, 215. Ecclesiæ aliqui incorporantur per conversionem, nonnulli per conversionem et satisfactionem simul, 62, 63.

Egredi in agrum est genti Judæorum verbum Dei annuntiare, commorari in villis est gentibus prædicari, 215.

Engaddi, *fons hœdi* interpretatur et significat baptismum, 73.

Epithalamium hoc sponsi et sponsæ desponsationem totaliter respicit, 137

Equi Dei sunt sancti et qualiter illis præsideat in equo albo, 52.

Equitatus Domini fuit populus Israeliticus, 48. Equitatus Domini Ecclesia est, 48. Equitatus antiquus et novus, quis sit, 49. Equitatus Domini ante signatus Christus est, 59, Equitatus Dominicus a Pharaonico in quo discernatur, 52. Equitatus diaboli, Synagoga infidelium est, quibus præsidet in equo vallido, 50. Quis sit fructus, 82.

Digitized by Google

Exempla præcedentium Patrum pellibus animalium mortuorum figurantur, 27.
Exsultatio et lætitia in quo differant, 23

F

Facies sponsæ publicus Ecclesiæ conventus est, qui varia professionum dignitatum et ordinum qualitate distinguitur, 139. Facies dilectæ quæ sit, 109. Faciei ejus ostensio in quo consistat, 110.
Femur uniuscujusque ensem spiritualiter habere debet, 195.
Fenestræ et cancelli per quos dilectus ad nos prospicit, divinitas ejus sunt, 102.
Ferculum quod sibi fecit Salomon Ecclesia est, 136. Item quam Ecclesiam Scriptura significat, cur ex lignis Libani factam esse memoretur, 136. Columnæ ferculi Salomonis cur argenteæ, etc., dicantur, 131, 133.
Fidelis animæ nigredo et formositas diverso modo explicatur, 26, 28. Fideles ab infidelibus ut discernantur, discretio necessaria est, 42. Fidelis animæ sub arbore malo suscitatio, quæ fuerit, 255.
Fides in trifariam dividitur, et quæ dicatur fides ficta, mortua et probata, 4. Fides pedes, spes manus, charitas os Domini osculatur, 7. Fides et operatio sunt partes constitutæ amicitiæ Dei, 75. Fides, spes, charitas, per myrrham thus et universum pulverem pigmentarii figurantur, 127.
Filiæ quæ sint inter partes Ecclesiæ sive fidelis anima tanquam inter spinas dicatur commorari, 86. Filiæ Jerusalem sunt animæ infirmæ, 204. Filiæ Jerusalem sunt animæ ad supernæ visionis pacem tendentes, 97 Filiæ Jerusalem cur adjurentur a sponsa annuntiare dilecto, quod amore langueat, 186. Filiæ et non filii Sion cur jubeantur egredi ad videndum regem Salomonem in diademate, 135. Filiæ Jerusalem causas quærunt cur sic a dilecto sunt adjuratæ, 187.
Flores et mala quibus sponsa fulciri petit quid significent, 91.
Fluxus aquæ de situla quid significet, 285.
Fons hortorum, cur universalis appellatur Ecclesia, 168.
Foramina petræ, vulnera sunt Christi, 108. Item quatuor Evangelia, 108.
Formositas intima quæ sit, et quibus constet partibus, 66.
Formula ex qua contrarietas equitatus Dei et diaboli ex diametro colligi potest, 56.
Fortis animi exempla in lege scripta, 39.
Fructus vineæ Dei Deus est, 268. Fructus hic tres habet pulchritudines, 268. Fructus spirituales inæqualiter a nobis participantur, 86.
Frumentum, vinum et oleum mystice a Domino quando accipiatur, 21. Frumenti grano Christus pulchre comparatur, 22.
Fuga dilecti quæ sit, et cur suadetur a dilecta, 267.
Fugiens dilectus retinendus non est, 267.

G

Galaad interpretatur *acervus testimonii*, et significat S. Scripturam, 141.
Gemelli fœtus duo sunt Testamenta, 142, 147. Præcepta et consilia amor Dei et proximi, 214.
Genæ, oculi, capilli, dentes, collum, ubera in Ecclesia qui sint, 139. Genæ in Ecclesia disciplinatorum verecundiam significant, 144. Cur malo Punico comparentur, 139. Per genas dilecti continentes accipiuntur, 192. Et cur genæ istæ assimilentur areolis aromatum consitis a pigmentariis, 193.
Genetrix cui Ecclesia dicitur non antiquorum patrum Ecclesia est, 215.
Germinatio malorum Punicorum, voluntatem pro Christo patiendi significat, 221.
Gladii sermones Dei sunt, 134.
Gloria et honore, Christus quando coronatus sit, 136.
Gratia quibus modis resuscitetur, 200. Gratia germinatæ osculum sancta anima qualiter expetat, 2. Septem gratiæ Spiritus S. et quod uniuscujusque sit munus describitur, 77. Gratiæ vocantis, justificantis, et glorificantis miseratio, Dei ad nos conversio est, 212.
Guttis noctium et rori dogmata hæreticorum comparantur, 177.
Guttur dilecti S. Scripturæ sonus accipitur, 202 Per guttur memoria præceptorum, per vocem prædicatio illorum accipitur; cur vino assimiletur, 241

H

Hædi quos significent, 44. Quid sit pascere hædos juxta tabernacula pastorum, et egredi et abire post greges, 46.
Hæretici anathema sunt 134, Hæretici, cur vulpes dicantur, cur vulpes parvulæ, quando capiantur Deo, cur capiendi fiat, 110. Hæreticorum varia tabernacula sunt synagogæ Satanæ, 46.
Hemor *anathema* sonat, 131.
Hiems, senectutem, autumnus juventutem, ætas adolescentiam, ver pueritiam designat, 225. Per hiemem et imbrem, qui transit, per flores et tempus putationis quod advenit quid intelligatur, 105.
Hinnulo cervorum et capreæ cur Christus assimiletur, 101. Hinnulo cervus velocior est, significat Christum agiliorem patriarchis in virtutibus de quorum stirpe descendit, 101. Hinnulis capreæ gemellis sponsæ ubera cur assimilentur, 147.
Homo quid potuerit ex lege naturæ, 38. Quid possit ex libero arbitrio, 113. Homini lex scripta quid contulerit, 113. Homo minor mundus dicitur, 271. Hominis conditio duplici honore cuncta animantia præcellit, 273. Homo totus dicitur corpus et anima pars aliqua totius est cor, et quare totus homo dicatur dormire, cor solum vigilare, 176. Homo quatuor constat elementis, 225. Homo ex felle habet quod sit irascibilis, ex splene risibilis, ex jecore concupiscibilis ex corde rationabilis, 226.
Hordei corus et dimidii hordei corus quid significat. 273.
Hortus nucum universitatem generis humani significat, 221. Per hortos amœnitas Scripturarum intelligitur, 277. Quid sit habitare in hortis, 277. In hortum suum quare dilectus descendat, 207.
Humanitas Christi in dilecto cur ventris nomine exprimatur, 196. Humanitas Christi cur ebori comparatur, 196.
Humilitas auctoris, 123. Humilitas per fistulam pœnitentium habitus per cinnamomum exprimitur, 266, 167.

I

Ignis in Sion et caminus in Jerusalem quando sit, 41.
Ignorantia populi Judaici qualis fuerit, 222.
Incarnatio Domini cur facta dicatur super montes Bethel, 16. In incarnatione Christus similis factus capreæ aut hinnulo cervorum, 115.
Incrementum aliud naturale aliud affectuale, 12. Incrementum naturale affectualis significativum est, 13.
Inebriari ab ubertate domus Dei qui dicantur, 195.
Inimicitias quales et quantas Christus solverit, 265.
Innocentiæ veræ definitio, 179.
Intentio quasi quidam mentis oculus est, 20.
Intrinsecus latens est vis charitatis soli Deo patens, 144.
Introductio regis in cellaria est spectabilis ex parte trium, personæ introducentis, loci, et modi introducendi, 21. Introductio dilecti in domum ad vitam activam, in cubiculum ad contemplativam ordinatur, 121. Introductionem hanc sequitur gratiarum actio, 23.
Instrumenta pacis quæ sint et per mille pacificos qui intelliguntur, 276.
Invidia et equitatus diaboli inseparabiliter junguntur, 55. Invidiæ definitio, 55.
Ismael interpretatur *exauditio Dei*, 26. Ismaelis lusus cum Isaac figura fuit persecutionis Ecclesiæ, 26.

J

Jacob cum angelo luctans quid nos doceat, 280.
Jejunio (in) quomodo debeat caput ungi et facies lavari, 16.
Jerusalem est triplex, 208 Cur sponsa dicatur pulchra, 208; et cur Jerusalem pulchritudo dilectæ comparetur, 209. Jerusalem superna mater est, cui Ecclesia una dicitur, 215. Jerusalem *visio pacis* dicitur, 208. Et quomodo spiritualiter videatur, 122. Jerusalem superna est mater credentium, hujus filii fuerunt apostoli, 30.
Joannis S. Evangelistæ Encomium, 11.
Judæa, cur desertum dicatur, 126; cur hortus nucum appelletur, 220.
Judæi primo fuerunt filii, post facta sunt ligna infructuosa, 87. Judæorum argumentum quo contendunt probare legem novam non fuisse necessariam, ejusdem refutatio, 222.
Judaici populi et Christiani differentia, 72.
Jugum quomodo dicatur computruisse a facie olei, 6.
Junctura feminum, concordia duorum Testamentorum est et quare monilibus comparentur, quisve illorum sit artifex, 230.
Justi et reprobi dicuntur civitas Dei et diaboli per me-

Digitized by Google

tonomiam, 50. Justorum congregatio æquitatus et currus Dei sunt, 50.
Justitia habitus, injustitia privatio est, 43.
Juxta quatuor indicandi modos quorum fit re et intellectu, 2 Re et voce, 3. Intellectu et voce, fidelis anima petit. Sibi indicari mansionem divinam, 34, 35.

L

Labia sponsæ divini verbi prædicatores sunt, et quare vitæ coccineæ comparentur, 143, 193; cur favi distillanti dicantur similia, 161. Labia sponsæ utriusque Testamenti prædicatio sunt, 160.
Læva bona temporalia, dextera æternalia signif., 93. Per lævam passio, per dexteram resurrectio figuratur, 95. Læva sponsi cur sub capite sponsæ memoretur, et dextera sponsi dicatur sponsam amplexari, 93, 249.
Lectulus virorum sanctorum est studium vitæ contemplativæ, 81. Lectulus Dei triplex describitur, in justis, in utero B. Virginis, et in sepulcro, 81, 82. Lectulus Salomonis tripliciter accipitur, 129, 131. Lectulum Salomonis ambientes cur sexaginta finite ponantur, 132. Lectuli nomine requies dupliciter designatur, 80, 117.
Leonum lubicula corda sunt perversorum, 133.
Lex vetus vino mordaci quare comparetur, 8, 10. Lege scripta quæ non eguerint, 39. Lex nova homini quid contulerit, 39. Legis Domini meditatio digna Deo potatio est, 241. Legem Domini labiis et dentibus ruminare, est eam aliis docendo exprimere, 242.
Libanus interpretatur *candidatio*, 136, 149. 202 Species dilecti cur Libano monti assimiletur, 200. Libani montis descriptio, 201.
Liberum arbitrium defenditur et explicatur, 14.
Ligna universa Libani virtutes omnes sunt, 167.
Lilium inter spinas fuit Christus inter Judæos, et est Ecclesia inter filias hujus sæculi, 85. Lilium inter spinas, fuit B. Virgo inter filias Synagogæ, et debet esse fidelis anima inter filias malitiæ, 86. Liliis distillantibus myrrham primam, prædicatores comparantur, 194.
Lingua. Sub lingua sponsæ cur lac et mel esse dicuntur, 161.
Loca quo dilectus dilectam introducit quomodo differant, 119. Locus exterior et abest et prodest loco interiori 125. Locus sepositus desertum dicitur, 125.
Locutio indeterminabilis *in* lege et prophetis, determinabilis fit in Evangelio, 3. Locutionis divinæ varii sunt modi, 3. Locutio novissima unde dicatur, 3.
Lotio pedum sponsæ quid figuret, 181.
Lucernæ opera bona designant, 17.

M

Maceria doctrina apostolorum virorum potest intelligi, 109.
Majus et minus Deo displicet in pondere, 19.
Malum est negatio boni, 61. Mali descriptio, 43.
Mammæ et ubera quomodo differant, 156.
Mandragoræ gentiles et Judæos significant in quorum conversione odorem in partu dederunt, 245.
Mane pueritiam, meridies juventus, vespera senectus est, 40.
Manibus Domini osculum quando detur, 6. Manus sponsæ myrrham distillare et opera ejus mortificationem carnis redolere, 83.
Manus Dei cur aureæ et plenæ hiacynthis memorentur, 195; cur tornatiles, 194. Per manus dilecti intelligitur omnis virtus potentia ejus, 181. Missio manus dilecti per foramen qualis sit, 194.
Margarita quomodo ante porcos mittatur, 47.
Maria Magdalena triplex osculum a Deo consecuta est, 7.
Martyrium duplex est, 60; ita et duplex fasciculus myrrhæ, 70. Martyrium an castitati præferendum non facile dijudicari potest, 193.
Mater cujusque fidelis est S. Ecclesia, 120.
Memoria passionis et ascensus purpureus ferculi Salomonis, 134.
Mens justi est domus Dei, 17.
Meridies in quo sponsus cubat anagogice tantum dicitur, 37.
Messis tripliciter fit, 175.
Militiæ spiritualis audacia a quibus accipiatur, 138.
Mille argentei quid significent, 175. Mille clypei ex domo David pendentes, sunt universa virtutum documenta nos munientia, 145. Millena unitas unam significat fidem, unum baptisma unum Deum qui operatur omnia in omnibus, 174.
Modulatio interioris hominis per septiformem S. Spiritus gratiam, quasi per septem discrimina vocem constituitur, 95.
Modus culturæ vinearum quomodo Ecclesiæ conveniat, 264.
Monilium descriptio, 64. Foramen in quibus gemmæ in monilibus includantur quid significat, 64.
Montes pardorum corda sunt perversorum, 133. Montes in quibus dilectus dicit se venire saliens, sunt eminentes virtutes, 100.
Mors per fenestras ascendit, cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum mentis intrat, 33.
Mortificationis spiritualis instrumenta, 73. Mortificationem spiritualem sequitur resurrectio spiritualis, 74.
Murenula quid sit, unde dicatur, 74; cur dicantur argento vermiculatæ, 65.
Musica sive valet ad commovendos, componendos, sive, pacandos animos ita et consideratio modi quo hoc Canticum canticorum decurrit, 21.
Myrrhæ fasciculus ab Apostolo describitur, 70. Myrrha amaritudinem passionis Christi significat, 70. Dilectus sponsæ cur non simpliciter myrrhæ, sed fasciculus myrrhæ dicatur, 70. Myrrhæ fasciculus cur inter ubera dicatur commorari, 70. Myrrhæ succus multis medetur infirmitatibus, 71.
Myrthum. Per myrthum significantur proximorum tribulationes, per compassionem verbo consolationis temperantes, 285

N

Nardus quid sit et significat charitatem, 67. Nardi proprietates charitati applicantur, 68. Nardi exhibitio in re et in sacramento a Maria Magdalena facta sunt, 69. Nardus et myrrha quando offerantur, 74.
Nasus. — Per nasum sanctorum discretio signatur, item cur illa turri Libani quæ respicit contra Damascum comparetur, 236, 237.
Nomen sponsi qualiter effusum et dilatatum sit, 11. Nomen matris et filiorum æquivoce quibus conveniat, 29. Nomen dilectæ Ecclesia vel anima sancta unde sortiatur, 179; item, cur amica immaculata, soror et columba vocetur, 179.
Numerus senarius perfectionem, denarius Decalogum significat, 133, 213. Numerus sexagenarius apud arithmeticos superfluus est, *ibid.* Numeri sexagenarii partes, *ibid.* Octogenarius cur diminutus, 213. Numeri sexagenarii et octogenarii quæ sit consonantia, 216.
Nutrimenta uberum suorum dupliciter porrigit Ecclesia, 157.

O

Oblectamenta mundi significantur per vinum, 185.
Oculi dilecti cur dicantur esse sicut oculi columbæ super rivulos aquarum quæ lacte sunt lotæ, etc., 192. Oculi Ecclesiæ, seu fidelis anima sunt consideratio miseriæ temporalis et felicitatis perpetuæ, 234. Item cur illæ piscinis in Esebon comparentur, *ibid.* Oculi sunt prælati, Ecclesiæ, 140, 235. Oculus dexter et sinister quid, 153.
Odor unguentorum sponsæ, super omnia aromata est, 5, 159.
Officium confessarii, 264.
Oleum vasa et lampades in Evangelio quid significent, 4. Oleum effusum est dilatatio nominis Christi, 10. Oleum in vasis habere, et lætitiam bonorum operum in conscientiis habere, 29.
Oliva significat, misericordiæ et pietatis actus perfluentes, 285.
Operis boni sacrificium Deo tunc erit acceptabile, si bonæ voluntatis condimento fulciatur, 250.
Ordo in charitate triplex est, 90. Ordinum varietas est ornamentum Ecclesiæ, 140.
Os Dei Filius Dei dicitur, osculans Deus Pater est, 2.
Osculum Spiritus sanctus accipitur, *ibid.* Osculum oris Domini cur ex abrupto sponsa expetat, 5. Oscula diversa inferioris generis præcesserunt osculum oris Dominici, 5.
Ostii pessulum aperire dilecto quid sit, 185. Alii ostium alii murus in Ecclesia sunt, 260.

P

Palma signum victoriæ est, 191.
Paries post quem dilectus dicitur stare significat naturam humanam assumptam, 103. Paries originalis peccati quando destrui cœptus, 101. Retro parientem utrumque originalis peccati et actualis quomodo Deus stet, 102.
Particulariter prædicata suscipiunt magis et minus, 36.
Pascere quos Deus dicatur, 35. Signa eorum quos pascit, 36. Pasci in liliis quid sit, 148.

Digitized by Google

Pascua competentia Deus suis proponit ovibus, 37.
Pax temporalis in Nativitate Christi quid, 264, Quam pacem Christus annuntiaverit, 3, Pacem ubi sponso ceperit, 262.
Pedes Domini quando dicamus osculari, 6,
Persecutio et nigredo perversis, formositas vero electis et quare, 26. Persecutionis Ecclesiæ seu fidelis anima gravitas ab extraneis infertur, 19.
Persecutores sanctorum dens vigiliarum dicuntur, 151.
Petrus in monte Thabor, cur exauditus non fuit, 46.
Piscina in Esebon, cingulum mœroris dicitur, 234.
Pœnitentia vera qualis esse debeat, 235.
Pomorum novorum et veterum sponso a sponsa reservatorum expositio, 264.
Populo et præputio et circumcisione in vineis ubera dare, 246.
Porta judicii in Ecclesia quæ sit, ad quam inobedientes examinandi, 267.
Potentia Dei timorem, benignitas vero amorem nobis ingerit, 213.
Præceptum de charitate vino comparatur, 89.
Prædicatio per cantum, opera per saltum designantur, 23. Prædicatio et incorporatio hoc loco quomodo accipiatur, 61. Prædicatio quia juxta diversitates mentium suscipitur, secundum ejusdem temperari debet, ut cum fructu suscipiatur, 174. In prædicatione non favor sed honor Dei spectari debet, 110.
Prædicatores Ecclesiæ unde materiam sumere debeant prædicandi, 64. Prædicaturus qualis esse debeat, 180.
Prælatos Ecclesiæ quam deceat esse attentos super sibi commissos, 266. Prælatorum periculum quale, 266. Modus periculum evadendi, 267.
Prærogativa rationalis creaturæ, 15.
Probatio dilectionis exhibitio est operis, 2.
Professiones ecclesiasticæ cur vocentur voces caprarum, 141.
Proprietas symphoniæ Sianabor quæ sit, 208.
Propugnacula et clypei quomodo differant, 164. Propugnacula argentea divinorum eloquiorum sunt munimenta, 290. Propugnacula quibus domus David dicitur ædificata sublimium sententiarum munimenta sunt, 145.
Proximi dilectionem necessario præcedere debet dilectio Dei, 90,
Psallere spiritu et mente quid sit, 282.
Pugna in bonam et malam partem suscipitur, 29. Pugna filiorum matris contra Ecclesiam quatuor fit modis, 30, 32. Pugnæ carnalis et spiritualis diversitas unde sumatur, 54. Pugnæ spiritualis fortitudo et dilectio, *ibid.*
Pulcherrima omnium mulierum universalis Ecclesia dicitur, 187.
Pulchritudo sponsæ et in genis et in collo ejus constituitur, 57. Pulchritudo sponsæ genarum cur turturi assimiletur, 63. Pulchritudo Ecclesiæ consistit in quatuor, 217. Pulchritudinem dilecti decem præconiis dilecta exponit, 188. Pulchritudinis divisio et indivisio per genera subalterna, 58.
Pusillanimitatis in sponsa objurgatio, 44.

Q

Quadratura spiritualis est, fides, spes, charitas et operatio, 177.
Quadriga Aminadab quatuor figuravit Evangelia, 223. Ejus quadrigæ auriga sanctus Spiritus, 223. Quadriga juxta moralitatem homo habet aliam ex parte corporis et aliam ex parte animæ: prioris auriga est Deus, posterioris est diabolus, 224. Quadriga Dei et diaboli quatuor movetur speciebus, 227.
Quadrum (per) debet esse mensurata perfectorum vita, 178.
Qualitatis quatuor sunt species: habitus et dispositio: potentia et impotentia: passio et patibilis qualitas figura et forma, 19. Qualitates prælatorum sunt duæ, 260. Qualitates in Ecclesia conversantium tres sunt, perfectorum, minus perfectorum, et imperfectorum, 213.
Qualium mulierum dilecta dicatur pulcherrima, 205.
Quatuor qualitatis species secundum diversitatem voluntatis spectantur in cursu vitæ humanæ, 19. Quatuor modis fit metaphora, 162. Quatuor virtutes cardinales physicis necessaria, 226. Item quæ affectiones plus vel minus dominentur in his qui de physica tractant, 226. Quod natura animæ quatuor constat virtutibus cardinalibus, 178.
Quindecim (in) argenteis quid figuretur, 275.
Quomodo dilectus quæratur et non inveniatur, 184. Quomodo dilecta dilecto aperiat, 183.

R

Rationis vis in quadrifariam diffunditur, 226.
Reconciliationis causam qui et qualiter egerint, 6.
Reconciliator hominis idem qui et creator, 6.
Recti sunt diligentes, et in quo dilectio illa consistat, 25.
Regnum et sacerdotium a Judæis in pœnam translatum est.
Reginæ et filiæ Sion quæ sint, quæ videntes Ecclesiam laudant; et beatissimam prædicant, 216, 217.
Relativa tribus modis dicuntur, 120.
Religionis totius perfectio constitit in tribus, in surgendo, properando et veniendo, 105.
Res propter Christum relictæ, quomodo centuplatæ recipiantur, 52. Rerum transeuntium curæ impediunt contemplationem, 250.
Resurrectio corporis et animæ duplici stola in Ecclesia significatur, 41.
Rivus. — Quid per rivos, pascua et montes, significetur, 37.
Rota in medio rotæ, Novum est Testamentum inter Vetus, 46.
Rubicundus est candidus non modo in se, sed in suis membris dilectus, 195.
Rubor et candor quomodo Christo principaliter conveniant, 189. Item quomodo Ecclesiæ conveniant, 189.

S

Sal sapientiam denotat, 226.
Salomon interpretatur *pacificus*, 27. Salomon figura fuit pacifici Christi, 284.
Saltus Dei in cordibus sanctorum quid boni causet, 281. Quid per saltus accipiatur, quos dilecta vult ut dilectus faciat similes saltibus capreæ aut hinnuli cervorum super montes aromatum, *ibid.*
Samaritanus infundens oleum et vinum Christus est, 22.
Sancti quidquid habuerunt boni traxerunt a Christo, 22.
Sanctitatis diversæ numerantur species, 37.
Sanctorum et stellarum comparatio, 36.
Sanir *dens vigiliarum* sonat, 151.
Scala ad summum bonum perveniendi, 5.
Scriptura sacra cur murenulis non murenæ comparetur, 65. Scriptura quando dicatur stare et moveri, 133. Scripturarum sententiæ capreis et cervis cur assimilentur, 121. Sacræ Scripturæ expositores assimilantur gregibus tonsarum, ascendentium de lavacro, 141. Sacræ Scripturæ cur dicantur comæ sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus, 191.
Sensus exteriores quomodo nutriendi, 157
Septem vocum differentiæ, quibus novum canticum dicitur, septem sunt dona Spiritus sancti, 286.
Seraphim interpretatur *ardens*, 154.
Signa hominis sani et infirmi, 225.
Signaculum cordis et brachii est corporis et cordis custodia, 256. Signaculum Dei sanctitatis impressio est, 257.
Sion *speculatio* interpretatur, 41, 155.
Solitudo alia corporis alia animi, 124.
Spinas (per) significantur verbo et exemplo alias compungentes, et ad bona provocantes, 285.
Spiritus adversus carnem, et caro adversus spiritum concupiscentiæ, 227. Spiritus sanctus pretiosissimi unguenti confector est, 68. Pigmentarius est, 127. Spiritus sanctus est ordinator status ecclesiastici, 106. Spiritus malus in Saul psallendo quomodo mitigatus fuerit, 123.
Sponsa in pulchritudine columbæ comparatur, quia felle carere, neminem lædere, grana meliora seligere, pullos alienos nutrire debet, etc., 76, 108. Sponsa sub umbra desiderabili cur dicatur sedisse et non stetisse, 87. Sponsa quare se vocet murum, et ubera sua sicut turrem, 263. Sponsæ commendatio a decore omnium membrorum in facie, 138. Sponsæ vocanti cur dilectus non respondeat, 185.
Sponsus essentialiter, sponsa accidentaliter pulchra dicitur, 80. Sponso cum oleo et lampadibus obviam ire, est debitum Deo rependere gratiarum actionem cordis et oris jubilatione, et operum exhibitione, 24.

T

Tabernaculum Domini continet, urnam auream habentem manna, virgam Aaronis et tabulas Testamenti, 46. Tabernacula Jacob et tentoria Israel quid significent, 284. Tabernacula Jacob cur vallibus nemorosis comparentur, 285. Cur dicatur fixisse Dominus, *ibid.*
Tabulæ cedrinæ sanctos designant, 261. Tabulis cedri-

Digitized by Google

nis ostium compungitur, quando prædicatio virtutibus sanctorum pro exemplo indictorum confirmatur, 261.
Templum Veteris et Ecclesiam Novi Testamenti mons figurat, 291.
Tentatio Christi in deserto quid figuraverit, 126.
Terra nostra quæ sit in qua vox turturis audita dicitur, 107. Per terram cymbalum alarum quid indelligatur, et quare hæc terra dicatur transflumina Æthiopiæ, et cur dicatur væ, etc., 51.
Terribilis ut castrorum acies ordinata quibus et unde dicatur, 209.
Testamentum novum umbræ veteris æstui comparatur, 87.
Thure oratio exprimitur, 149. Item cur thus colli et myrrha montis nomine prædicitur, *ibid.*
Timor antecedit amorem, 58. Timor alius filialis alius initialis, etc. 79. Timores nocturni quid significent, 155.
Tractatio non est animæ Deum sequi nolentis compulsio, 1.
Trahi quid sit explicatur per simile, 15.
Transire et declinare dilecti quid sit. 184.
Trinitas. — In S. Trinitate distinctio est in personis non in operibus, 2. In S. Trinitate gradus non est, 90.
Tritici acervus multitudinem fidelium prælatio obedientium significat et cur acervus esse dicatur vallatus liliis, 235.
Tunica talaris Joseph est opus bonum usque ad consummationem, 40
Turris nebulosa Synagoga est, 234.
Turtur tres habet proprietates, et quomodo ille de genis sponsæ spiritualiter prædicetur, 58. Vox turturis sonus evangelicæ prædicationis est, 105. Turturis vocem, Christus, B. Virgo, S. Joannes quomodo habuerint, 106.

U

Ubera duo sunt, remissio peccatorum et distributio donorum, 8. Ubera Ecclesiæ sunt cognitio veritatis et amor virtutum 156. Uberum sponsæ pulchritudo in quo consistant, 157. Cur pulchriora vino dicantur, 158. Uberum divinorum memoria causa exsultationis et notitiæ in sponsa, 24, 248.
Ulmum (per) significantur sæculares et minus fructificantes, alios tamen bene viventes suis facultatibus sustentantes et adjuvantes, 285.
Umbilicus Ecclesiæ sunt prædicatores, 231.
Umbra laborem, dies præmium significat, 148.
Una Ecclesia, unus populus, una vinea, ex utroque populo Judæo et gentili fit, 243. Uno crine colli, et uno oculorum quo sponsa cor sponsi vulneravit quid significetur, 154, 155.
Unguenta quæ sint, unde ubera sponsi habeat fragrantiam, ut unguentarius, quis sit, 9. Unguentorum diversæ species *ibid.* Unguenta prima charismatum spiritualium dona sunt, 167.
Unitio pedum et capitis Christi spiritualiter quomodo fiat, 69. Unitio interior animæ est antidotum, 10.

V

Venire Dei quid sit, 100. Videre vel cognoscere Dei quale sit, 221, 228.
Venter distinctus sapphyris est castitas corporis ornata castitate mentis, 193. Quid per ventrem intelligatur, qui dicitur ad tactum sponsi intremiscere, 182.
Veritatis cognitio et veritatis amor sibi invicem colligantur, 156.
Vestimenta sponsæ odori thuris quare assimilentur, 161.
Via angusta quæ sit, 89. Via lata quæ sit, 118.
Videre pro intelligere capitur, 133.
Vigiles custodientes civitatem, sancti doctores sunt, 118. Vigiles qui sint qui sponsam inventam vulneraverunt, 186.
Vinea Domini quomodo colenda sit ad similitudinem aliarum vinearum, 266. Vinea Sorec interpretatur electa sive pulchra, 121. Vineæ florentes et odorem dantes, gentes sunt quæ audito fidei verbo boni operis odorem spargunt, 106. Vineæ domus Israel dicitur propter distinctionem tribuum, 221.
Vini cum lacte potatio et fave cum melle commestio quid significet, 173. Vinum myrrhatum in cruce Christi oblatum quid præfiguraverit, 71.
Vir quare dicatur qui pro fructu vineæ Dei affert mille argenteos, 272. Vir dicitur a virtute, 272
Virga Moysis fuit figura ligni crucis Christi, 49.
Virtutis definitio, 227. Virtutum contra vitia oppositio, 88.
Vita contemplativa est via ad activam, 109. Vitæ solitariæ laus, 60. Vitæ activæ vel contemplativæ quando vacandum, superiorum judicio relinquendum est, 121.
Vitiorum diversorum diversa reprimendorum ratio, 135.
Vitulus novellus mentem noviter ad Deum conversam significat, 13. Vituli novelli sive hominis novi constitutivæ partes recensentur, 13. Vituli hujus novelli cornua sunt animi constantia, 13. Alia cornuum significatio, 19.
Vox sponsæ ut sonet in auribus sponsi, mens debet concordare voci, 110. Vox Ecclesiæ Judæorum conversionem admirantis, 253. Vox magna quæ, 27. Vox Ecclesia de profectu animæ sancti exsultantis, 255. Vocis dulcedo et decor faciet sponsæ in quo consistat, 110.
Vultus et habitus ostensio, vox mentis est, 255

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ECKBERTUS SEU EGBERTUS ABBAS SCHONAUGIENSIS ET SANCTA ELISABETH, SOROR EJUS GERMANA. 9
Notitia historica in Eckbertum. 9
Notitia altera. 9
ECKBERTI SERMONES CONTRA CATHAROS. 11
Eckberti præfatio ad Reginoldum Coloniensem archiepiscopum. 11
SERMO PRIMUS. — De hæresibus adversus quas discretatio assumitur. 13
De conjugio. Hæresis prima. 14
Secunda: De usu carnium vitando. 14
Tertia: De creatione carnium. 14
Quarta: De baptismo parvulorum. 15
Quinta: De baptismo aquæ. 15
Sexta: De animabus mortuorum. 15
Septima: De missæ contemptu. 15
Octava: De corpore et sanguine Domini. 15
Nona: De humanitate Salvatoris. 15
Decima: De humanis animabus. 16
De origine sectæ Catharorum. 16
SERMO II. — De eo quod doctrina Christiana occultanda non sit. 18
SERMO III. — De incremento et manifestatione catholicæ fidei 21
SERMO IV. — De eo quod scriptum est: Fides sine operibus mortua est. 25
SERMO V. — Circa primam hæresim de conjugio. 26
SERMO VI. — Contra secundam hæresim de esu carnium. 36
Contra tertiam hæresim, de creatione carnium.
SERMO VII. — Contra quartam hæresim, de baptismo parvulorum. 41
SERMO VIII. — Contra quintam hæresim, de baptismo aquæ. 51
SERMO IX. — Contra sextam hæresim, de animabus mortuorum. 55
SERMO X. — Contra septimam hæresim, de sacerdotio. 69
SERMO XI. — Contra octavam hæresim, de corpore et sanguine Domini. 84
SERMO XII. — Contra nonam hæresim, de humanitate Salvatoris. 94
Excerptum de Manichæis ex S. Augustino. 97
OPUSCULUM DE LAUDE CRUCIS. 103
SOLILOQUIUM SEU MEDITATIONES. 105
STIMULUS AMORIS. 1[illegible]
De sancta Elisabeth virgine. [illegible]

Digitized by Google

VITA SANCTÆ ELISABETH in qua continentur Visiones ejus. 119
Prologus Eckberti 119
Cap. I. — Allocutio ad fratrem; tentationes diabolicæ divina visitatione discussæ, visionum initia. 126
Cap. II. — Viri sancti, a 23 Junii 1152, ad 14 Septembris 1153. 132
Cap. III. — Aliæ visiones usque ad festum Annuntiationis an. 1154. 140
Cap. IV. — Sancta videt mysteria Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, et alia quædam isto anno. 147
Cap. V. — Visiones anni 1153 cum Appendice, ad annum 60 spectantes. 153
Cap. VI. — Initium libri *Viarum Dei* cœpti scribi an. 1156 et sermonum eo contentorum synopsis. 164
Cap. VII. — Sermonum pro Viarum istarum singulis ab angelo dictatorum priores quinque, summatim delibati. 168
Cap. VIII. — Sermonum quinque reliquorum synopsis 173
Cap. IX. — Ultimus virginis morbus et in eo acta usque ad fratris reditum Moguntia. 178
Cap. X. — Extrema vitæ mortisque sanctæ periodus et salutaria monita sub ea data. 187

B. AELREDUS ABBAS RIEVALLENSIS IN ANGLIA.

Vita B. Aelredi, auctore anonymo. 196
Commentarius prævius. 196
Incipit vita. 197
Caput primum. — B. Aelredi adolescentia, ingressus in religionem. 197
Cap. II. — Præfectura, virtutes, miracula. 200
Cap. III. — Eximia mansuetudo; morbus, obitus. 203
Notitia historico-litteraria. 203
Notitia altera. 205

OPERUM PARS PRIMA. — ASCETICA.

SERMONES DE TEMPORE ET DE SANCTIS. 209
Sermo primus. — De Adventu Domini. 209
Sermo II. — In Natali Domini. 220
Sermo III. — In apparitione Domini. 227
Sermo IV. — In Purificatione sanctæ Mariæ. 234
Sermo V. — In natali sancti Benedicti. 238
Sermo VI. — In eodem festo II. 245
Sermo VII. — In eodem festo III. 247
Sermo VIII. — In Annuntiatione Beatæ Mariæ. 251
Sermo IX. — In Ramis palmarum. 258
Sermo X. — In Ramis palmarum II. 264
Sermo XI. — In die sancto Paschæ. 271
Sermo XII. — In eodem festo. 278
Sermo XIII. — In Ascensione Domini. 283
Sermo XIV. — De sancto Joanne Baptista. 290
Sermo XV. — In die SS. Petri et Pauli. 294
Sermo XVI. — De eodem festo II. 298
Sermo XVII. — In Assumptione B. Mariæ. 303
Sermo XVIII. — In Assumptione B. Mariæ. 309
Sermo XIX. — In Nativitate B. Mariæ. 316
Sermo XX. — In eadem solemnitate II. 322
Sermo XXI. — In eodem festo III. 326
Sermo XXII. — In festo Omnium Sanctorum. 336
Sermo XXIII. — De Omnibus Sanctis II. 339
Sermo XXIV. — In festo Omnium Sanctorum III. 348
Sermo XXV. — De Beata Maria. 353
SERMONES DE ONERIBUS in capp. XIII et seq. Isaiæ prophetæ. 361
Epistola B. Aelredi ad G. Londoniensem episcopum. 361
Sermo primus. — In adventu Domini. — De undecim oneribus. 363
Sermo II. — De onere Babylonis. — De eo quod scriptum est: *Onus Babylonis quod vidit Isaias filius Amos.* 363
Sermo III. — De multiplici visione, et illa quæ prophetam facit. 367
Sermo IV. — De eo, quod scriptum est: *Super montem caliginosum levate signum.* 372
Sermo V. — De eodem capitulo. 377
Sermo VI. — De eodem capitulo moraliter. 381
Sermo VII. — De eo quod scriptum est: *Ego mandavi*, usque *Exsultantes in gloria mea.* 385
Sermo VIII. — De eo quod scriptum est: *Vox multitudinis*, usque, *venientibus de terra procul.* 389
Sermo IX. — De eo quod scriptum est: *A summitate cœli*, usque, *Tabescet et conteretur.* 392
Sermo X. — De eo quod scriptum est: *Torsiones et dolores tenebunt.* 396
Sermo XI. — De eo quod ait: *Ecce dies Domini venit*, usque: *Visitabo super urbes mala.* 401
Sermo XII. De eo quod scriptum: *Visitabo super urbes mala.* 405
Sermo XIII. — De eodem capitulo moraliter exposito. 409
Sermo XIV. — De eo quod scriptum est: *Et ait Babylon.* 412
Sermo XV. — De eo quod scriptum est: *Disjungetur advena*, usque, *Operimentum tuum erunt vermes.* 419
Sermon XVI. — De eodem capitulo moraliter exposito. 422
Sermo XVII. — De eo quod scriptum est: *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris.* 427
Sermo XVIII. — De eodem capitulo moraliter exposito. 430
Sermo XIX. — De eo quod scriptum est: *Nunquid non iste est vir, qui conturbavit terram.* 434
Sermo XX. — De eo quod scriptum est: *Et consurgam super eos.* 438
Sermo XXI. — De principio oneris Philisthiim. 444
Sermo XXII. — De eodem capitulo moraliter exposito. 448
Sermo XXIII. — Ab eo quod ait: *Ulula, porta*, usque ad finem oneris Philistiim. 453
Sermo XXIV. — De principio oneris Moab. 455
Sermo XXV. — De eodem capitulo moraliter exposito. 461
Sermo XXVI. — De eo quod scriptum est: *Super hoc expediti Moab.* 466
Sermo XXVII. — De eodem capitulo moraliter exposito. 471
Sermo XXVIII. — De eo quod ait: *Emitte Agnum, Domine.* 477
Sermo XXIX. — De eodem capitulo moraliter exposito. 481
Sermo XXX. — De eo quod ait: *Audivimus superbiam Moab*, usque: *Vocem cantantium abstuli.* 486
Sermo XXXI. — De eodem capitulo moraliter exposito. 491
Sermo XXXII. — De eo quod scriptum est: *Venter meus ab Moab sonabit*, usque ad finem oneris Moab. 496
Animadversio ad præcedentes de oneribus sermones. 499
SPECULUM CHARITATIS. 501
Epistola Gervasii Parchorensis abbatis ad Aelredum, sequentium librorum editionem imperantis. 501
Præfatio Beati Aelredi. 503
LIBER PRIMUS. — Charitatis excellentiam demonstrans. 505
Caput primum. — Quod nihil dignius quam ut Creator a sua ametur creatura. 505
Cap. II. — De natura, specie, usu quæ omnibus creaturis communiter collata sunt. 506
Cap. III. — Quod homo ad imaginem sui Creatoris conditus, et beatitudinis capax sit. 507
Cap. IV. — Quod amore, in quo plenius ipsius erat beatitudinis gustus, a Deo recesserit homo; et sic miser effectus Dei in se imaginem corruperit, nec tamen aboleverit. 508
Cap. V. — Quod post Salvatoris adventum Dei in homine renovetur imago; et quod non hic sed in futuro speranda sit ipsius renovationis perfectio. 509
Cap. VI. — Disputatio contra insipientem, qui dixit in corde suo: *Non est Deus.* 510
Cap. VII. — Quod mentis affectu homo a Deo recesserit. 511
Cap. VIII. — Quod ex charitatis affectu homo in Dei imaginem reformetur. 512
Cap IX. — Quod amor noster adversum se ex charitate et cupiditate contrario appetitu dividatur. 513
Cap. X. — Quod liberum arbitrium in anima locum medium teneat: nec tamen ad bonum et malum æque sufficiat. 513
Cap. XI. — Quod gratia liberum non tollat arbitrium. 514
Cap. XII. — Quod nec salvatis nec damnatis liberum arbitrium auferatur, et quod gratia non nisi in libero arbitrio operetur. 515
Cap. XIII. — Ratio cur non ad bonum et ad malum liberum arbitrium æque sufficiat. 517
Cap. XIV. — Quid sit inter gratiam, quam primi homines in paradiso, et illam quam habent prædestinati in mundo, et quod juste imputetur homini mala voluntas, licet ad bonam obtinendam liberi arbitrii non sufficiat facultas. 517
Cap. XV. — Quod justissima sit etiam parvulorum dam-

Digitized by Google

natio. 518
Cap. XVI. — Quod charitati nihil desit perfectionis. 519
Cap. XVII. — De spirituali circumcisione, quæ in charitate continetur. 520
Cap. XVIII. — Quod verum sabbatum ac spirituale in charitate. 521
Cap. XIX. — Quantum dies septimus cæteris præferatur; et quod in eo Dei charitas commendetur. 521
Cap. XX. — Cur senarius numerus in Dei opere, septenarius in ejus requie commendetur. 523
Cap. XXI. — Quod in omnibus creaturis quoddam vestigium divinæ charitatis appareat; et ideo quasi ad sabbatum, id est ad requiem, omnia tendant. 524
Cap. XXII. — Quod rationalis creatura nonnisi in beatitudinis adeptione quiescit, et quare cum beatitudinem optet, viam tamen qua eam obtineat, mira infelicitate relinquat. 525
Cap. XXIII. — De prærogativa rationalis creaturæ : et quod requies, quam naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in mundi hujus sit quærenda divitiis. 526
Cap. XXIV.—Quid sit inter divites electos et reprobos. 527
Cap. XXV.— Quod nec in mundiali amicitia requies sit quærenda. 528
Cap. XXVI.—Quod nec in corporis voluptate, nec mundi potentia requies inveniatur. 528
Cap. XXVII. — Quod charitas sit illud jugum suave, sub quo vera requies, quasi verum sabbatum invenitur. 530
Cap. XXVIII. — Exemplum de seipso, et sua conversione. 531
Cap. XXIX. — Quantum errent, qui de Dominici jugi asperitate causantur, cum, quidquid laboris sentitur, ex reliquiis sit cupiditatis; quidquid requiei, ex infusione charitatis. 533
Cap. XXX. — Quod hi, qui de Dominici oneris gravitate queruntur, mundi potius onere comprimuntur. 534
Cap. XXXI. — Quanta sit in charitate perfectio, et quid a cæteris virtutibus distet. 534
Cap. XXXII. — Quomodo opera sex dierum cæteris aptentur virtutibus; septimi vero diei requies charitati assignetur. 536
Cap. XXXIII. — Quod in hac vita cæteræ virtutes charitati famulentur; et post istam vitam in charitatis plenitudinem transfundendæ sint. 537
Cap. XXXIV. — Interveniente morte amici, triplicis concupiscentiæ consideratio differtur, et in ejus epitaphium primus hic liber terminatur. 539
LIBER SECUNDUS, in quo obviat auctor querelis quorumdam. 545
Caput primum. — Quid in primo libro proposuerit considerandum : et quod manifeste vitiosi ab hac sint considerationе removendi. 545
Cap. II. — Quod labor exterior pro interioris qualitate formetur, et ab illo aliquando minuatur. 547
Cap. III. — Quod omnia accidentia charitas sua temperet tranquillitate, cupiditas omnia sua corrumpat perversitate. 548
Cap. IV. — Quod a triplici concupiscentia omnis labor interior oriatur. 549
Cap. V. — De eorum sententia, qui exteriores labores charitati et interiori dulcedini dicunt esse contrarios. 549
Cap. VI. — Apostolica et prophetica auctoritate præmissa sententia confutatur. 550
Cap. VII. — Quæstio, cur quidam ampliori dulcedine in remissiore vita, quam in auctiori, compungantur. 553
Cap. VIII. — Quod triplex sit causa spiritualis visitationis. 553
Cap. IX. — Quod primum genus compunctionis, sicut aliæ quædam gratiæ, et reprobis ad judicium, et electis proveniat ad profectum. 554
Cap. X. — De duplici ratione secundæ visitationis, et quod de ista ad tertium, quæ cæteris excellentior est, transitur. 554
Cap. XI. — Quid in singulis his visitationibus Deus operetur. 555
Cap. XII. — Quod in prima visitatione specialiter timor, in secunda consolatio, in tertia sit dilectio. 556
Cap. XIII. — Quis sit fructus in singulis, et quare quidam secundæ visitationis consolatione priventur. 557
Cap. XIV. — Proponuntur quædam divina testimonia, secundum quæ statum suum quisque metiatur. 558
Cap. XV. — Quibus modis ad spirituales consolationes transitur. 560
Cap. XVI. — Quod non sit deserendum ab aliquo arctioris vitæ propositum, quamvis illum ducem non experiatur affectum. 561
Cap. XVII. — Interrogationes cujusdam novitii, et suæ responsiones inseruntur. 562
Cap. XVIII. — In quibus amorem Dei stare credendum sit. 566
Cap. XIX. — Quis sit diversarum compunctionum fructus, novitio interroganti exponitur. 567
Cap. XX. — Novitius ille unde Deum se magis amasse probat, inde minus amasse convincitur : et quibus lacrymarum profusio proficiat ostenditur. 569
Cap. XXI. — Quod ex his quæ inserta sunt, quid charitas, quid cupiditas in proficiente operetur, possit adverti. 570
Cap. XXII. — Quanta sit in voluptatum contemptu victoriaque jucunditas. 570
Cap. XXIII. — De vana aurium voluptate. 571
Cap. XXIV. — De concupiscentia oculorum in curiositate sita, quæ ad viam perfectiorem conversos affligit. 572
Cap. XXV. — De superbia vitæ, ac primo de vanitate. 574
Cap. XXVI. — De dominandi libidine. 574
LIBER TERTIUS. 575
Caput primum. — Lex de Sabbatorum distinctione proponitur. 575
Cap. II. — Quod in dilectione triplici, istorum Sabbatorum sit quærenda distinctio : et quæ sit in triplicis dilectionis distinctione complexio. 577
Cap. III. — Quomodo Sabbatum spirituale in sui dilectione sentiatur. 578
Cap. IV. — Quale Sabbatum ex fraterna dilectione capiatur, et quomodo sex anni qui præcedunt septimum, charitati coaptentur. 579
Cap. V.— Quomodo utraque hæc dilectio Dei dilectione servetur. 581
Cap. VI. — Quomodo perfectum Sabbatum in Dei dilectione reperitur, et quomodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur. 582
Cap. VII. — Quid sit amor, quid charitas, quid cupiditas. 583
Cap. VIII. — Quomodo in electione, in motu, in fructu amoris rectus usus constet, sive perversus. 584
Cap. IX. — Quid nos oporteat ad fruendum eligere. 585
Cap. X. — Quod ad actum et desiderium amor noster moveatur, et quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moveatur. 587
Cap. XI. — Quid sit affectus, et quot sint affectus declaratur, et quod spiritualis affectus multipliciter accipiatur, ostenditur. 587
Cap. XII. — De affectu rationali et irrationali. 588
Cap. XIII. — De affectu officiali. 589
Cap. XIV. — De affectu naturali. 589
Cap. XV. — De affectu carnali duplici. 590
Cap. XVI. — Quid de his affectibus sentiendum sit. 590
Cap. XVII. — Quomodo mens ad Dei et proximi dilectionem ratione moveatur. 591
Cap. XVIII.— Distinctio gemini amoris, inter quos animus fluctuat proficientis. 592
Cap. XIX. — Quid sit quod homo benevolus ac suavis, quamvis minus perfectus, majore quam austerus et perfectior et dulciori diligatur affectu, gemina comparatione probatur, et quomodo utriusque amor non sit periculosus ostenditur. 592
Cap. XX. — Quod tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex utroque. 594
Cap. XXI. — Recapitulatio eorum quæ dicta sunt, et quomodo vera Dei cognoscatur dilectio. 594
Cap. XXII. — In proximi dilectione quæ consideratio habenda. 595
Cap. XXIII. — Qui affectus admittendi non sunt, et quantum spiritualis, qui ex Deo est, sit sequendus affectus. 596
Cap. XXIV. — De rationali affectu in quantum et ipse sequendus sit. 597
Cap. XXV. — Officialis affectus in quo cavendus sit, in quo admittendus. 598
Cap. XXVI. — De affectu naturali; et quid sit diligere in Deum, quid propter Deum. 598
Cap. XXVII. — De affectu carnali, quod nec omnino respuendus, nec plene sit admittendus. 600
Cap. XXVIII. — Quod affectum non solum origo, sed etiam processus et finis scrutetur, et quod affectus transeat in affectum, exemplis ostenditur. 601
Cap. XXIX. — Diversos affectus sæpe in eadem mente luctari; et quis cui præponendus sit. 602

Digitized by Google

Cap. XXX. — In affectibus quæ sit quærenda utilitas. 603
Cap. XXXI. — Quibus actibus nos oporteat ad Deum tendere, quibus nobis, proximisque consulere. 604
Cap. XXXII. — De modo humanæ vitæ tractare incipiens, quæ sit in naturali ordine servanda sobrietas ostendit. 605
Cap. XXXIII. — Modus satisfactionis in ordine necessario, purgationisque describitur. 606
Cap. XXXIV. — Quis sit ordo voluntarius, et quis in eo servandus sit modus. 607
Cap. XXXV. — Disputatio contra cujusdam epistolam, de monachorum regula et professione. 608
Cap. XXXVI. — Item modus in ordine voluntario servandus describitur. 613
Cap. XXXVII. — Quid homo sibi, quid proximo debeat, ostenditur, et utrum se proximo, an proximum sibi præferre debeat, declaratur. 614
Cap. XXXVIII. — Inter ipsos proximos, quis cui præponendus sit, distinguitur. 617
Cap. XXXIX. — Qui sint quibus in hac vita frui valeamus. 618
Cap. XL. — Quomodo invicem frui debeamus. 619
Cap. XLI. — Epilogus totius operis, et auctoris excusatio sui. 620
COMPENDIUM SPECULI CHARITATIS. 621
Caput primum. — Ut Creator ametur a sua creatura. 621
Cap. II. — Quod charitati nihil desit perfectionis. 621
Cap. III. — Quod amor noster adversum se ex charitate et cupiditate contrario appetitu dividatur. 622
Cap. IV. — Quod rationalis creatura nonnisi in beatitudinis adoptione quiescit : et quare cum beatitudinem optet, viam tamen, qua eam obtineat, mira infelicitate refugiat. 623
Cap. V. — Quod requies, quam rationalis creatura naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in voluptate, neque in divitiis quærenda sit. 624
Cap. VI. — De suavi jugo charitatis. 625
Cap. VII. — Quanta sit in charitate perfectio. 625
Cap. VIII. — Quod opera sex dierum cæteris aptentur virtutibus, septimæ vero diei requies charitati assignetur. 627
Cap. IX. — De distinctione trium Sabbatorum. 628
Cap. X. — Quod in dilectione triplici, istorum Sabbatorum sit quærenda distinctio. 628
Cap. XI. — Quomodo Sabbatum spirituale in sui dilectione sentiatur. 629
Cap. XII. — Quale Sabbatum ex fraterna dilectione capiatur, et quomodo sex anni, qui præcedunt septimum, charitati coaptentur. 630
Cap. XIII. — Quomodo perfectum Sabbatum in Dei dilectione reperiatur, et qromodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur. 631
Cap. XIV. — Quomodo utraque dilectione sui videlicet et proximi Dei dilectione servetur. 632
Cap. XV. — In quibus amorem Dei constare credendum sit. 633
Cap. XVI. — In quibus constet amor rectus, sive perversus 634
Cap. XVII. — Quod ad actum et desiderium amor noster moveatur, et quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moveatur. 635
Cap. XVIII. — Quid sit affectus, et quot sint affectus declaratur; quod spiritualis affectus dupliciter accipiatur, ostenditur. 636
Cap. XIX. — De affectu rationali et irrationali. 636
Cap. XX. — De affectu rationali. 636
Cap. XXI. — De affectu naturali. 636
Cap. XXII. — De affectu carnali dupliciter accipiendo. 637
Cap. XXIII. — Quid de his affectibus sentiendum sit. 637
Cap. XXIV. — Quomodo mens ad Dei proximique dilectionem ratione moveatur. 637
Cap. XXV. — Quod affectus non sint in nostro arbitrio positi. 639
Cap. XXVI. — Quod tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex utroque. 639
Cap. XXVII. — Quid sit amare. 639
Cap. XXVIII. — In dilectione proximi quæ sit habenda discretio. 639
Cap. XXIX. — Qui affectus admittendi non sint, et qui sequendi. 640
Cap. XXX. — In quantum rationalis affectus sequendus sit. 640
Cap. XXXI. — Officialis affectus in quo cavendus sit, in quo admittendus. 641
Cap. XXXII. — Quis modus in naturali sit servandus affectu. 641
Cap. XXXIII. — De affectu carnali, quod nec omnino respuendus, nec plene sit admittendus. 642
Cap. XXXIV. — Quod diversi affectus in una sæpius mente luctentur. 642
Cap. XXXV. — De utilitate horum affectuum. 643
Cap. XXXVI. — De usu amoris. 643
Cap. XXXVII. — Quomodo indicem frui debeamus. 645
Cap. XXXVIII. — Quibus actibus nos oporteat ad Deum tendere, proximisque consulere. 646
Cap. XXXIX. — De tribus ordinibus humanæ conversationis, et primo de naturali ordine. 646
Cap. XL. — De necessario ordine. 647
Cap. XLI. — De ordine voluntario, et quis in eo servandus sit modus. 648
Cap. XLII. — Item modus in ipsis exercitiis describitur. 648
Cap. XLIII. — Quid homo proximo suo debeat, ostenditur. 649
Cap. XLIV. — Quomodo sibi et proximo exhibenda sit dilectio. 649
Cap. XLV. — De quibus dispensatio fieri possit. 651
Cap. XLVI. — De modo dispensationis. 651
Cap. XLVII. — De optima lege claustralium. 652
Cap. XLVIII. — Quare laborent aliqui sub jugo Christi. 652
Cap. XLIX. — Quod labor exterior pro interioris qualitate formetur. 652
Cap. L. — Quod omnia accidentia charitas sua temperet tranquillitate ; cupiditas omnia corrumpat sua perversitate. 653
Cap. LI. — Quod a triplici concupiscentia omnis labor oriatur. 653
Cap. LII. — De concupiscentia oculorum. 654
Cap. LIII. — De interiori curiositate. 654
Cap. LIV. — De quorumdam sententia, qui exteriores labores charitati et interiori dulcedini dicunt esse contrarios. 654
Cap. LV. — Apostolica et prophetica auctoritate præmissa sententia confutatur. 656
Cap. LVI. — Quomodo charitas et cupiditas in proficiente operentur. 657
Cap. LVII. — Quanta sit in voluptatum contemptu, victoriaque jucunditas. 658
LIBER DE SPIRITUALI AMICITIA. 659
Monitum. 659
Prologus. 659
Liber primus. — De ortu amicitiæ. 661
Liber secundus. — De fructu amicitiæ et excellentia ejus. 669
Liber tertius. — Quomodo, et inter quos possit amicitia indirupta servari. 679
TRACTATUS DE JESU PUERO DUODENNI. 701
REGULA SIVE INSTITUTIO INCLUSARUM. 701

OPERUM PARS SECUNDA. — HISTORICA.

DE BELLO STANDARDII tempore Stephani regis. 701
Incipit descriptio viri venerabilis Ethelredi abbatis Rievallensis, de bello inter regem Scotiæ et barones Angliæ apud Standardum, juxta Alvertonam. 701
GENEALOGIA REGUM ANGLORUM. 711
Incipit epistola abbatis Rievallensis Aelredi ad illustrem ducem H. postmodum Anglorum regem. 711
De sancto rege Scotorum David. 713
Genealogia regum Angliæ, et regis David Scotiæ. 716
De Edelwlfo rege. 718
De piissimo rege Alfredo. 718
De rege Edwardo seniori. 722
De rege Edelstano. 724
De nobili rege Edmundo 725
De Edredo rege. 725
De Edwido rege. 725
De Edgaro rege pacifico. 726
Sermo regis Edgari ad clerum. 727
De rege Ethelredo. 730
De rege Edmundo, cognomento Ferreo latere. 730
Quomodo rex Willelmus successit Heraldo. 734
VITA S. EDWARDI REGIS ET CONFESSORIS. 737
Prologus. 737
Præfatio ad Laurentium abbatem Westmonasterii. 739
Incipit vita. 739
De sua generositate et sanctitate. 739
Quomodo cum matre in Normanniam exsulabat. 742
Quid de eo et regno ejus cuidam episcopo revelabatur

Digitized by Google

Glastoniæ. 742
De initiis regni ejus, et de fratre, et nepotibus ejus. 743
De ejus veneranda conversatione et moribus 745
Quomodo fur, eo inspiciente, thesauros ejus furatus sit. 746
Quomodo in spiritu regem Daciæ divino judicio vidit submersum. 748
Proceres regni de voto suo solvendo alloquitur, et nuntii Romam diriguntur. 749
Rescriptum papæ. 752
De visione quæ apparuit cuidam incluso de ipso rege. 752
De contracto quem rex sanctus portando curavit. 754
De ecclesia Westmonasterii quam sanctus Petrus dedicavit. 755
De responsabilibus iterum ad dominum papam directis per ipsum regem sanctum. 757
Litteræ regis ad Nicolaum papam directæ. 758
Privilegium domini papæ Nicolai. 758
Quomodo super altare Jesum Christum in sacramento cum quodam comite vidit. 760
De glandibus et vermibus regio tactu a quadam femina expulsis. 761
De cæco per manuum ejus lavaturam sanato. 762
De alio cæco similiter per beatum virum illuminato. 763
De quodam cæco regio tactu similiter curato. 764
De tribus cæcis et uno monoculo per beatum virum illuminatis. 765
Quid de duobus filiis de Godwini comitis rex prophetaverat. 765
De miserabili morte Godwini comitis. 766
Quid ei Dominus de septem dormientibus spiritualiter revelaverit. 767
De annulo quem sanctus rex beato Joanni evangelistæ dedit, et quomodo eumdem receperit. 769
De infirmitate regis, et monasterii sui dedicatione Westmonasterii. 770
De visione quam vidit in extremis. 771
Expositio problematis a rege propositi. 773
De morte sancti regis et exsequis. 774
LIBER SECUNDUS. 775
De contracto ad ejus tumulum sanato. 775
De sex cæcis et septimo monoculo ad ejus sepulcrum illuminatis. 777
De victoria regis Heraldi per beati regis merita. 777
Quomodo cæcus beatum Edwardum vidit de sepulcro exire, et ita visum recepit. 778
De injusta beati Wulstani depositione, et de justa ejusdem per beatum regem restitutione. 779
De prima ejus translatione et corporis incorruptione. 781
De puella ad ejus tumulum sanata. 783
De quodam fratre a febre quartana per sanctum regem liberato. 784
De quodam milite ab eodem morbo sanato. 786
De femina quam absentem curavit. 787
De monacho a triplici morbo curato. 788
DE SANCTIMONIALI DE WATTUN. 789
De quodam miraculo mirabili. 789
HENRICUS ARCHIDIACONUS HUNTINGDONENSIS.
Notitia. 791
OCTO LIBRI HISTORIARUM. 799
Prologus. — Ad Alexandrum Lincolniensem episcopum. 799
Liber primus. 801
Liber secundus. 823
Liber tertius. 841
Liber quartus. 867
Liber quintus. 889
Liber sextus. 909
Liber septimus. 931
Liber octavus. 955
EPISTOLA HENRICI AD WARINUM. 977
EPISTOLA EJUSDEM AD WALTERUM. — De mundi contemptu, sive de episcopis et viris illustribus sui temporis. 979
ODO DE DEOGILO, ABBAS S. DIONISII.
Notitia historico-litteraria. 991
DE PROFECTIONE LUDOVICI VII FRANCORUM REGIS IN ORIENTEM. 999
BERTRANDUS DE BLANCESFORT.
EPISTOLÆ AD LUDOVICUM JUNIOREM FRANCORUM REGEM. 999
VOLBERO ABBAS S. PANTALEONIS COLONIENSIS.
Notitia. 1001
COMMENTARIA SUPER CANTICUM CANTICORUM. 1001
Epistola nuncupatoria. 1001
Epistola dedicatoria Wolberonis abbatis. 1003
Censura abbatis Gerodhensis. 1009
Præfatio generalis Wolberonis in Canticum canticorum. 1009
Liber primus. 1017
Liber secundus. 1103
Liber tertius. 1129
Liber quartus. 1213
Epilogus. 1271
INDEX rerum, verborum et sententiarum memorabilium ad Wolberonis commentarium in Cantica. 1277

FINIS TOMI CENTESIMI NONAGESIMI QUINTI.

Ex Typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

5503 016

Digitized by Google

Digitized by Google

tonomiam, 50. Justorum congregatio æquitatus et currus Dei sunt, 50.
Justitia habitus, injustitia privatio est, 43.
Juxta quatuor indicandi modos quorum fit re et intellectu, 2 Re et voce, 3. Intellectu et voce, fidelis anima petit. Sibi indicari mansionem divinam, 34, 35.

L

Labia sponsæ divini verbi prædicatores sunt, et quare vitæ coccineæ comparentur, 145, 193; cur favi distillanti dicantur similia, 161. Labia sponsæ utriusque Testamenti prædicatio sunt, 160.
Læva bona temporalia, dextera æternalia signif., 93. Per lævam passio, per dexteram resurrectio figuratur, 95. Læva sponsi cur sub capite sponsæ memoretur, et dextera sponsi dicatur sponsam amplexari, 93, 249.
Lectulus virorum sanctorum est studium vitæ contemplativæ, 81. Lectulus Dei triplex describitur, in justis, in utero B. Virginis, et in sepulcro, 81, 82. Lectulus Salomonis tripliciter accipitur, 129, 131. Lectulum Salomonis ambientes cur sexaginta finite ponantur, 132. Lectuli nomine requies dupliciter designatur, 80, 117.
Leonum lubicula corda sunt perversorum, 153.
Lex vetus vino mordaci quare comparetur, 8, 10. Lege scripta quæ non egerint, 39. Lex nova homini quid contulerit, 39. Legis Domini meditatio digna Deo potatio est, 241. Legem Domini labiis et dentibus ruminare, est eam aliis docendo exprimere, 242.
Libanus interpretatur *candidatio*, 136, 149. 202 Species dilecti cur Libano monti assimiletur, 200. Libani montis descriptio, 201.
Liberum arbitrium defenditur et explicatur, 14.
Ligna universa Libani virtutes omnes sunt, 167.
Lilium inter spinas fuit Christus inter Judæos, et est Ecclesia inter filias hujus sæculi, 83. Lilium inter spinas, fuit B. Virgo inter filias Synagogæ, et debet esse fidelis anima inter filias malitiæ, 86. Liliis distillantibus myrrham primam, prædicatores comparantur, 194.
Lingua. Sub lingua sponsæ cur lac et mel esse dicuntur, 161.
Loca quo dilectus dilectam introducit quomodo differant, 119. Locus exterior et abest et prodest loco interiori 125. Locus sepositus desertum dicitur, 125.
Locutio indeterminabilis *in* lege et prophetis, determinabilis fit in Evangelio, 3. Locutionis divinæ varii sunt modi, 3. Locutio novissima unde dicatur, 3.
Lotio pedum sponsæ quid figuret, 181.
Lucernæ opera bona designant, 17.

M

Maceria doctrina apostolorum virorum potest intelligi, 109.
Majus et minus Deo displicet in pondere, 19.
Malum est negatio boni, 61. Mali descriptio, 43.
Mammæ et ubera quomodo differant, 156.
Mandragoræ gentiles et Judæos significant in quorum conversione odorem in partu dederunt, 245.
Mane puerilium, meridies juventus, vespera senectus est, 40.
Manibus Domini osculum quando detur, 6. Manus sponsæ myrrham distillare et opera ejus mortificationem carnis redolere, 83.
Manus Dei cur aureæ et plenæ hiacynthis memorentur, 195; cur tornatiles, 194. Per manus dilecti intelligitur omnis virtus potentia ejus, 181. Missio manus dilecti per foramen qualis sit, 194.
Margarita quomodo ante porcos mittatur, 47.
Maria Magdalena triplex osculum a Deo consecuta est, 7.
Martyrium duplex est, 60; ita et duplex fasciculus myrrhæ, 70. Martyrium an castitati præferendum non facile dijudicari potest, 193.
Mater cujusque fidelis est S. Ecclesia, 120.
Memoria passionis et ascensus purpureus ferculi Salomonis, 134.
Mens justi est domus Dei, 17.
Meridies in quo sponsus cubat anagogice tantum dicitur, 37.
Messis tripliciter fit, 175.
Militiæ spiritualis audacia a quibus accipiatur, 138.
Mille argentei quid significent, 175. Mille clypei ex domo David pendentes, sunt universa virtutum documenta nos munientia, 145. Millena unitas unam significat fidem, unum baptisma unum Deum qui operatur omnia in omnibus, 174.
Modulatio interioris hominis per septiformem S. Spiritus gratiam, quasi per septem discrimina vocem constituitur, 93.
Modus culturæ vinearum quomodo Ecclesiæ conveniat, 264.
Monilium descriptio, 64. Foramen in quibus gemmæ in monilibus includantur quid significat, 64.
Montes pardorum corda sunt perversorum, 133. Montes in quibus dilectus dicit se venire saliens, sunt eminentes virtutes, 100.
Mors per fenestras ascendit, cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum mentis intrat, 33.
Mortificationis spiritualis instrumenta, 73. Mortificationem spiritualem sequitur resurrectio spiritualis, 74.
Murenula quid sit, unde dicatur, 74; cur dicantur argento vermiculatæ, 65.
Musica sive valet ad commovendos, componendos, sive, pacandos animos ita et consideratio modi quo hoc Canticum canticorum decurrit, 21.
Myrrhæ fasciculus ab Apostolo describitur, 70. Myrrha amaritudinem passionis Christi significat, 70. Dilectus sponsæ cur non simpliciter myrrhæ, sed fasciculus myrrhæ dicatur. 70. Myrrhæ fasciculus cur inter ubera dicatur commorari, 70. Myrrhæ succus multis medetur infirmitatibus, 71.
Myrthum. Per myrthum significantur proximorum tribulationes, per compassionem verbo consolationis temperantes, 285

N

Nardus quid sit et significat charitatem, 67. Nardi proprietates charitati applicantur, 68. Nardi exhibitio in re et in sacramento a Maria Magdalena facta sunt, 69. Nardus et myrrha quando offerantur, 74.
Nasus. — Per nasum sanctorum discretio signatur, item cur illa turri Libani quæ respicit contra Damascum comparetur, 236, 237.
Nomen sponsi qualiter effusum et dilatatum sit, 11. Nomen matris et filiorum æquivoce quibus conveniat, 29. Nomen dilectæ Ecclesia vel anima sancta unde sortiatur, 179; item, cur amica immaculata, soror et columba vocetur, 179.
Numerus senarius perfectionem, denarius Decalogum significat, 133, 213. Numerus sexagenarius apud arithmeticos superfluus est, *ibid.* Numeri sexagenarii partes, *ibid.* Octogenarius cur diminutus, 213. Numeri sexagenarii et octogenarii quæ sit consonantia, 216.
Nutrimenta uberum suorum dupliciter porrigit Ecclesia, 157.

O

Oblectamenta mundi significantur per vinum, 185.
Oculi dilecti cur dicantur esse sicut oculi columbæ super rivulos aquarum quæ lacte sunt lotæ, etc., 192. Oculi Ecclesiæ, seu fidelis anima sunt consideratio miseriæ temporalis et felicitatis perpetuæ, 234. Item cur illæ piscinis in Esebon comparentur, *ibid.* Oculi sunt prælati, Ecclesiæ, 140, 235. Oculus dexter et sinister quid, 153.
Odor unguentorum sponsæ, super omnia aromata est, 5, 139.
Officium confessarii, 264.
Oleum vasa et lampades in Evangelio quid significent, 4. Oleum effusum est dilatatio nominis Christi, 10. Oleum in vasis habere, et lætitiam bonorum operum in conscientiis habere, 29.
Oliva significat, misericordiæ et pietatis actus perfluentes, 285.
Operis boni sacrificium Deo tunc erit acceptabile, si bonæ voluntatis condimento fulciatur, 250.
Ordo in charitate triplex est, 90. Ordinum varietas est ornamentum Ecclesiæ. 140.
Os Dei Filius Dei dicitur, osculans Deus Pater est, 2.
Osculum Spiritus sanctus accipitur, *ibid.* Osculum oris Domini cur ex abrupto sponsa expetat, 5. Oscula diversa inferioris generis præcesserunt osculum oris Dominici, 5.
Ostii pessulum aperire dilecto quid sit, 185. Alii ostium alii murus in Ecclesia sunt, 260.

P

Palma signum victoriæ est, 191.
Paries post quem dilectus dicitur stare significat naturam humanam assumptam, 103. Paries originalis peccati quando destrui cœptus, 101. Retro parientem utrumque originalis peccati et actualis quomodo Deus stet, 102.
Particulariter prædicata suscipiunt magis et minus, 36.
Pascere quos Deus dicatur, 35. Signa eorum quos pascit, 36. Pasci in liliis quid sit, 148.

Digitized by Google

Pascua competentia Deus suis proponit ovibus, 37.
Pax temporalis in Nativitate Christi quid, 264, Quam pacem Christus annuntiaverit, 3, Pacem ubi sponso ceperit, 262.
Pedes Domini quando dicamus osculari, 6,
Persecutio et nigredo perversis, formositas vero electis et quare, 26. Persecutionis Ecclesiæ seu fidelis anima gravitas ab extraneis infertur, 19.
Persecutores sanctorum deus vigiliarum dicuntur, 151.
Petrus in monte Thabor, cur exauditus non fuit, 46.
Piscina in Esebon, cingulum mœroris dicitur, 234.
Pœnitentia vera qualis esse debeat, 235.
Pomorum novorum et veterum sponso a sponsa reservatorum expositio, 264.
Populo et præputio et circumcisione in vineis ubera dare, 246.
Porta judicii in Ecclesia quæ sit, ad quam inobedientes examinandi, 267.
Potentia Dei timorem, benignitas vero amorem nobis ingerit, 213.
Præceptum de charitate vino comparatur, 89.
Prædicatio per cantum, opera per saltum designantur, 23. Prædicatio et incorporatio hoc loco quomodo accipiatur, 61. Prædicatio quia juxta diversitates mentium suscipitur, secundum ejusdem temperari debet, ut cum fructu suscipiatur, 174. In prædicatione non favor sed honor Dei spectari debet, 110.
Prædicatores Ecclesiæ unde materiam sumere debeant prædicandi, 64. Prædicaturus qualis esse debeat, 180.
Prælatos Ecclesiæ quam deceat esse attentos super sibi commissos, 266. Prælatorum periculum qua.e, 266. Modus periculum evadendi, 267.
Prærogativa rationalis creaturæ, 15.
Probatio dilectionis exhibitio est operis, 2.
Professiones ecclesiasticæ cur vocentur voces caprarum, 141.
Proprietas symphoniæ Sianabor quæ sit, 208.
Propugnacula et clypei quomodo differant, 164. Propugnacula argentea divinorum eloquiorum sunt munimenta, 290. Propugnacula quibus domus David dicitur ædificata sublimium sententiarum munimenta sunt, 145.
Proximi dilectionem necessario præcedere debet dilectio Dei, 90,
Psallere spiritu et mente quid sit, 282.
Pugna in bonam et malam partem suscipitur, 29. Pugna filiorum matris contra Ecclesiam quatuor fit modis, 30, 32. Pugnæ carnalis et spiritualis diversitas unde sumatur, 54. Pugnæ spiritualis fortitudo et dilectio, *ibid.*
Pulcherrima omnium mulierum universalis Ecclesia dicitur, 187.
Pulchritudo sponsæ et in genis et in collo ejus constituitur, 57. Pulchritudo sponsæ genarum cur turturi assimiletur, 63. Pulchritudo Ecclesiæ consistit in quatuor, 217. Pulchritudinem dilecti decem præconnis dilecta exponit, 188. Pulchritudinis divisio et indivisio per genera subalterna, 58.
Pusillanimitatis in sponsa objurgatio, 44.

Q

Quadratura spiritualis est, fides, spes, charitas et operatio, 177.
Quadriga Aminadab quatuor figuravit Evangelia, 223. Ejus quadrigæ auriga sanctus Spiritus, 223. Quadriga juxta moralitatem homo habet aliam ex parte corporis et aliam ex parte animæ; prioris auriga est Deus, posterioris est diabolus, 224. Quadriga Dei et diaboli quatuor movetur speciebus, 227.
Quadrum (per) debet esse mensurata perfectorum vita, 178.
Qualitatis quatuor sunt species : habitus et dispositio : potentia et impotentia : passio et patibilis qualitas figura et forma, 19. Qualitates prælatorum sunt duæ, 260. Qualitates in Ecclesia conversantium tres sunt, perfectorum, minus perfectorum, et imperfectorum, 213.
Qualium mulierum dilecta dicatur pulcherrima, 205.
Quatuor qualitatis species secundum diversitatem voluntatis spectantur in cursu vitæ humanæ, 19. Quatuor modis fit metaphora, 162. Quatuor virtutes cardinales physicis necessaria, 226. Item quæ affectiones plus vel minus dominentur in his qui de physica tractant, 226. Quod natura animæ quatuor constat virtutibus cardinalibus, 178.
Quindecim (in) argenteis quid figuretur, 273.
Quomodo dilectus quæratur et non inveniatur, 184. Quomodo dilecta dilecto aperiat, 183.

R

Rationis vis in quadrifariam diffunditur, 226.
Reconciliationis causam qui et qualiter egerint, 6.
Reconciliator hominis idem qui et creator, 6.
Recti sunt diligentes, et in quo dilectio illa consistat, 25.
Regnum et sacerdotium a Judæis in pœnam translatum est.
Reginæ et filiæ Sion quæ sint, quæ videntes Ecclesiam laudant; et beatissimam prædicant, 216, 217.
Relativa tribus modis dicuntur, 120.
Religionis totius perfectio constitit in tribus, in surgendo, properando et veniendo, 105.
Res propter Christum relictæ, quomodo centuplatæ recipiantur, 52. Rerum transeuntium curæ impediunt contemplationem, 250.
Resurrectio corporis et animæ duplici stola in Ecclesia significatur, 41.
Rivus. — Quid per rivos, pascua et montes, significetur, 37.
Rota in medio rotæ, Novum est Testamentum inter Vetus, 46.
Rubicundus est candidus non modo in se, sed in suis membris dilectus, 195.
Rubor et candor quomodo Christo principaliter conveniant, 189. Item quomodo Ecclesiæ conveniant, 189.

S

Sal sapientiam denotat, 226.
Salomon interpretatur *pacificus*, 27. Salomon figura fuit pacifici Christi, 284.
Saltus Dei in cordibus sanctorum quid boni causet, 281. Quid per saltus accipiatur, quos dilecta vult ut dilectus faciat similes saltibus capreæ aut hinnuli cervorum super montes aromatum, *ibid.*
Samaritanus infundens oleum et vinum Christus est, 22.
Sancti quidquid habuerunt boni traxerunt a Christo, 22.
Sanctitatis diversæ numerantur species, 37.
Sanctorum et stellarum comparatio, 36.
Sanir *aens vigiliarum* sonat, 151.
Scala ad summum bonum perveniendi, 5.
Scriptura sacra cur murenulis non murenæ comparetur, 65. Scriptura quando dicatur stare et moveri, 133. Scripturarum sententiæ capreis et cervis cur asssimilentur, 121. Sacræ Scripturæ expositores assimilantur gregibus tonsarum, ascendentium de lavacro, 141. Sacræ Scripturæ cur dicantur comæ sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus, 191.
Sensus exteriores quomodo nutriendi, 157
Septem vocum differentiæ, quibus novum canticum dicitur, septem sunt dona Spiritus sancti, 286.
Seraphim interpretatur *ardens*, 154.
Signa hominis sani et infirmi, 225.
Signaculum cordis et brachii est corporis et cordis custodia, 256. Signaculum Dei sanctitatis impressio est, 257.
Sion *speculatio* interpretatur, 41, 133.
Solitudo alia corporis alia animi, 124.
Spinas (per) significantur verbo et exemplo alias compungentes, et ad bona provocantes, 285.
Spiritus adversus carnem, et caro adversus spiritum concupiscentiæ, 227. Spiritus sanctus pretiosissimi unguenti confector est, 68. Pigmentarius est, 127. Spiritus sanctus est ordinator status ecclesiastici, 106. Spiritus malus in Saul psallendo quomodo mitigatus fuerit, 123.
Sponsa in pulchritudine columbæ comparatur, quia felle carere, neminem lædere, grana meliora seligere, pullos alienos nutrire debet, etc., 76, 108. Sponsa sub umbra desiderabili cur dicatur sedisse et non stetisse, 87. Sponsa quare se vocet murum, et ubera sua sicut turrem, 263. Sponsæ commendatio a decore omnium membrorum in facie, 138. Sponsæ vocanti cur dilectus non respondeat, 185.
Sponsus essentialiter, sponsa accidentaliter pulchra dicitur, 80. Sponso cum oleo et lampadibus obviam ire, est debitum Deo rependere gratiarum actionem cordis et oris jubilatione, et operum exhibitione, 24.

T

Tabernaculum Domini continet, urnam auream habentem manna, virgam Aaronis et tabulas Testamenti, 46. Tabernacula Jacob et tentoria Israel quid significent, 284. Tabernacula Jacob cur vallibus nemorosis comparentur, 285. Cur dicatur fixisse Dominus, *ibid.*
Tabulæ cedrinæ sanctos designant, 261. Tabulis cedri-

Digitized by Google

nis ostium compungitur, quando prædicatio virtutibus sanctorum pro exemplo inductorum confirmatur, 261.
Templum Veteris et Ecclesiam Novi Testamenti mons figurat, 291.
Tentatio Christi in deserto quid figuraverit, 126.
Terra nostra quæ sit in qua vox turturis audita dicitur, 107. Per terram cymbalum alarum quid indelligatur, et quare hæc terra dicatur transflumina Æthiopiæ, et cur dicatur væ, etc., 51.
Terribilis ut castrorum acies ordinata quibus et unde dicatur, 209.
Testamentum novum umbræ veteris æstui comparatur, 87.
Thure oratio exprimitur, 149. Item cur thus colli et myrrha montis nomine prædicitur, *ibid.*
Timor antecedit amorem, 58. Timor alius filialis alius initialis, etc. 79. Timores nocturni quid significent, 155.
Tractatio non est animæ Deum sequi nolentis compulsio, 1.
Trahi quid sit explicatur per simile, 15.
Transire et declinare dilecti quid sit. 184.
Trinitas. — In S. Trinitate distinctio est in personis non in operibus, 2. In S. Trinitate gradus non est, 90.
Tritici acervus multitudinem fidelium prælatio obedientium significat et cur acervus esse dicatur vallatus liliis, 235.
Tunica talaris Joseph est opus bonum usque ad consummationem, 40
Turris nebulosa Synagoga est, 234.
Turtur tres habet proprietates, et quomodo ille de genis sponsæ spiritualiter prædicetur, 58. Vox turturis sonus evangelicæ prædicationis est, 105. Turturis vocem, Christus, B. Virgo, S. Joannes quomodo habuerint, 106.

U

Ubera duo sunt, remissio peccatorum et distributio donorum, 8. Ubera Ecclesiæ sunt cognitio veritatis et amor virtutum 156. Uberum sponsæ pulchritudo in quo consistant, 157. Cur pulchriora vino dicantur, 158. Uberum divinorum memoria causa exsultationis et notitiæ in sponsa, 24, 248.
Ulmum (per) significantur sæculares et minus fructificantes, alios tamen bene viventes suis facultatibus sustentantes et adjuvantes, 285.
Umbilicus Ecclesiæ sunt prædicatores, 231.
Umbra laborem, dies præmium significat, 148.
Una Ecclesia, unus populus, una vinea, ex utroque populo Judæo et gentili fit, 243. Uno crine colli, et uno oculorum quo sponsa cor sponsi vulneravit quid significetur, 154, 155.
Unguenta quæ sint, unde ubera sponsi habent fragrantiam, ut unguentarius, quis sit, 9. Unguentorum diversæ species *ibid.* Unguenta prima charismatum spiritualium dona sunt, 167.
Unitio pedum et capitis Christi spiritualiter quomodo fiat, 69. Unitio interior animæ est antidotum, 10.

V

Venire Dei quid sit, 100. Videre vel cognoscere Dei quale sit, 221, 228.
Venter distinctus sapphyris est castitas corporis ornata castitate mentis, 193. Quid per ventrem intelligatur, qui dicitur ad tactum sponsi intremiscere, 182.
Veritatis cognitio et veritatis amor sibi invicem colligantur, 156.
Vestimenta sponsæ odori thuris quare assimilentur, 161.
Via angusta quæ sit, 89. Via lata quæ sit, 118.
Videre pro intelligere capitur, 133.
Vigiles custodientes civitatem, sancti doctores sunt, 118. Vigiles qui sint qui sponsam inventam vulneraverunt, 186.
Vinea Domini quomodo colenda sit ad similitudinem aliarum vinearum, 266. Vinea Sorec interpretatur electa sive pulchra, 121. Vineæ florentes et odorem dantes, gentes sunt quæ audito fidei verbo boni operis odorem spargunt, 106. Vineæ domus Israel dicitur propter distinctionem tribuum, 221.
Vini cum lacte potatio et fave cum melle commestio quid significet, 173. Vinum myrrhatum in cruce Christi oblatum quid præfiguraverit, 71.
Vir quare dicatur qui pro fructu vineæ Dei affert mille argenteos, 272. Vir dicitur a virtute, 272.
Virga Moysis fuit figura ligni crucis Christi, 49.
Virtutis definitio, 227. Virtutum contra vitia oppositio, 88.
Vita contemplativa est via ad activam, 109. Vitæ solitariæ laus, 60. Vitæ activæ vel contemplativæ quando vacandum, superiorum judicio relinquendum est, 121.
Vitiorum diversorum diversa reprimendorum ratio, 135.
Vitulus novellus mentem noviter ad Deum conversam significat, 13. Vituli novelli sive hominis novi constitutivæ partes recensentur, 13. Vituli hujus novelli cornua sunt animi constantia, 13. Alia cornuum significatio, 19.
Vox sponsæ ut sonet in auribus sponsi, mens deoet concordare voci, 110. Vox Ecclesiæ Judæorum conversionem admirantis, 253. Vox magna quæ, 27. Vox Ecclesia de profectu animæ sancti exsultantis, 255. Vocis dulcedo et decor faciet sponsæ in quo consistat, 110.
Vultus et habitus ostensio, vox mentis est, 253

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ECKBERTUS SEU EGBERTUS ABBAS SCHONAUGIENSIS ET SANCTA ELISABETH, SOROR EJUS GERMANA. 9
Notitia historica in Eckbertum. 9
Notitia altera. 9
ECKBERTI SERMONES CONTRA CATHAROS. 11
Eckberti præfatio ad Reginoldum Colonienseem archiepiscopum. 11
Sermo primus. — De hæresibus adversus quas discretio assumitur. 13
De conjugio. Hæresis prima. 14
Secunda: De usu carnium vitando. 14
Tertia: De creatione carnium. 14
Quarta: De baptismo parvulorum. 15
Quinta: De baptismo aquæ. 15
Sexta: De animabus mortuorum. 15
Septima: De missæ contemptu. 15
Octava: De corpore et sanguine Domini. 15
Nona: De humanitate Salvatoris. 15
Decima: De humanis animabus. 16
De origine sectæ Catharorum. 16
Sermo II. — De eo quod doctrina Christiana occultanda non sit. 18
Sermo III. — De incremento et manifestatione catholicæ fidei 21
Sermo IV. — De eo quod scriptum est: Fides sine operibus mortua est. 25
Sermo V. — Circa primam hæresim de conjugio. 26
Sermo VI. — Contra secundam hæresim de esu carnium. 36
Contra tertiam hæresim, de creatione carnium.
Sermo VII. — Contra quartam hæresim, de baptismo parvulorum. 41
Sermo VIII. — Contra quintam hæresim, de baptismo aquæ. 51
Sermo IX. — Contra sextam hæresim, de animabus mortuorum. 55
Sermo X. — Contra septimam hæresim, de sacerdotio. 69
Sermo XI. — Contra octavam hæresim, de corpore et sanguine Domini. 84
Sermo XII. — Contra nonam hæresim, de humanitate Salvatoris. 94
Excerptum de Manichæis ex S. Augustino. 97
OPUSCULUM DE LAUDE CRUCIS. 103
SOLILOQUIUM SEU MEDITATIONES. 105
STIMULUS AMORIS. 145
De sancta Elisabeth virgine. 180

Digitized by Google

VITA SANCTÆ ELISABETH in qua continentur Visiones ejus. 119
Prologus Eckberti 119
Cap. I. — Allocutio ad fratrem; tentationes diabolicæ divina visitatione discussæ, visionum initia. 126
Cap. II. — Viri sancti, a 25 Junii 1152, ad 14 Septembris 1153. 132
Cap. III. — Aliæ visiones usque ad festum Annuntiationis an. 1154. 140
Cap. IV. — Sancta videt mysteria Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, et alia quædam isto anno. 147
Cap. V. — Visiones anni 1155 cum Appendice, ad annum 60 spectantes. 155
Cap. VI. — Initium libri *Viarum Dei* cœpti scribi an. 1156 et sermonum eo contentorum synopsis. 164
Cap. VII. — Sermonum pro Viarum istarum singulis ab angelo dictatorum priores quinque, summatim delibati. 168
Cap. VIII. — Sermonum quinque reliquorum synopsis 173
Cap. IX. — Ultimus virginis morbus et in eo acta usque ad fratris reditum Moguntia. 178
Cap. X. — Extrema vitæ mortisque sanctæ periodus et salutaria monita sub ea data. 187

B. AELREDUS ABBAS RIEVALLENSIS IN ANGLIA.

Vita B. Aelredi, auctore anonymo. 196
Commentarius prævius. 196
Incipit vita. 197
Caput primum. — B. Aelredi adolescentia, ingressus in religionem. 197
Cap. II. — Præfectura, virtutes, miracula. 200
Cap. III. — Eximia mansuetudo; morbus, obitus. 203
Notitia historico-litteraria. 203
Notitia altera. 205

OPERUM PARS PRIMA. — ASCETICA.

SERMONES DE TEMPORE ET DE SANCTIS. 209
Sermo primus. — De Adventu Domini. 209
Sermo II. — In Natali Domini. 220
Sermo III. — In apparitione Domini. 227
Sermo IV. — In Purificatione sanctæ Mariæ. 234
Sermo V. — In natali sancti Benedicti. 238
Sermo VI. — In eodem festo II. 245
Sermo VII. — In eodem festo III. 247
Sermo VIII. — In Annuntiatione Beatæ Mariæ. 251
Sermo IX. — In Ramis palmarum. 258
Sermo X. — In Ramis palmarum II. 264
Sermo XI. — In die sancto Paschæ. 271
Sermo XII. — In eodem festo. 278
Sermo XIII. — In Ascensione Domini. 283
Sermo XIV. — De sancto Joanne Baptista. 290
Sermo XV. — In die SS. Petri et Pauli. 294
Sermo XVI. — De eodem festo II. 298
Sermo XVII. — In Assumptione B. Mariæ. 303
Sermo XVIII. — In Assumptione B. Mariæ. 309
Sermo XIX. — In Nativitate B. Mariæ. 316
Sermo XX. — In eadem solemnitate II. 322
Sermo XXI. — In eodem festo III. 326
Sermo XXII. — In festo Omnium Sanctorum. 336
Sermo XXIII. — De Omnibus Sanctis II. 339
Sermo XXIV. — In festo Omnium Sanctorum III. 348
Sermo XXV. — De Beata Maria. 353
SERMONES DE ONERIBUS in capp. XIII et seq. Isaiæ prophetæ. 361
Epistola B. Aelredi ad G. Londoniensem episcopum. 361
Sermo primus. — In adventu Domini. — De undecim oneribus. 363
Sermo II. — De onere Babylonis. — De eo quod scriptum est: *Onus Babylonis quod vidit Isaias filius Amos.* 363
Sermo III. — De multiplici visione, et illa quæ prophetam facit. 367
Sermo IV. — De eo, quod scriptum est: *Super montem caliginosum levate signum.* 372
Sermo V. — De eodem capitulo. 377
Sermo VI. — De eodem capitulo moraliter. 381
Sermo VII. — De eo quod scriptum est: *Ego mandavi*, usque *Exsultantes in gloria mea.* 385
Sermo VIII. — De eo quod scriptum est: *Vox multitudinis*, usque, *venientibus de terra procul.* 389
Sermo IX. — De eo quod scriptum est: *A summitate cœli*, usque, *Tabescet et conteretur.* 392
Sermo X. — De eo quod scriptum est: *Torsiones et dolores tenebunt.* 396
Sermo XI. — De eo quod ait: *Ecce dies Domini venit*, usque: *Visitabo super urbes mala.* 401
Sermo XII. De eo quod scriptum: *Visitabo super urbes mala.* 405
Sermo XIII. — De eodem capitulo moraliter exposito. 409
Sermo XIV. — De eo quod scriptum est: *Et ait Babylon.* 412
Sermo XV. — De eo quod scriptum est: *Disjungetur advena*, usque, *Operimentum tuum erunt vermes.* 419
Sermon XVI. — De eodem capitulo moraliter exposito. 422
Sermo XVII. — De eo quod scriptum est: *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris.* 427
Sermo XVIII. — De eodem capitulo moraliter exposito. 430
Sermo XIX. — De eo quod scriptum est: *Nunquid non iste est vir, qui conturbavit terram.* 434
Sermo XX. — De eo quod scriptum est: *Et consurgam super eos.* 438
Sermo XXI. — De principio oneris Philisthiim. 444
Sermo XXII. — De eodem capitulo moraliter exposito. 448
Sermo XXIII. — Ab eo quod ait: *Ulula, porta*, usque ad finem oneris Philisthiim. 453
Sermo XXIV. — De principio oneris Moab. 453
Sermo XXV. — De eodem capitulo moraliter exposito. 461
Sermo XXVI. — De eo quod scriptum est: *Super hoc expediti Moab.* 466
Sermo XXVII. — De eodem capitulo moraliter exposito. 471
Sermo XXVIII. — De eo quod ait: *Emitte Agnum, Domine.* 477
Sermo XXIX. — De eodem capitulo moraliter exposito. 481
Sermo XXX. — De eo quod ait: *Audivimus superbiam Moab*, usque: *Vocem cantantium abstuli.* 486
Sermo XXXI. — De eodem capitulo moraliter exposito. 491
Sermo XXXII. — De eo quod scriptum est: *Venter meus ab Moab sonabit*, usque ad finem oneris Moab. 496
Animadversio ad præcedentes de oneribus sermones. 499
SPECULUM CHARITATIS. 501
Epistola Gervasii Parchorensis abbatis ad Aelredum, sequentium librorum editionem imperantis. 501
Præfatio Beati Aelredi. 503
LIBER PRIMUS. — Charitatis excellentiam demonstrans. 505
Caput primum. — Quod nihil dignius quam ut Creator a sua ametur creatura. 505
Cap. II. — De natura, specie, usu quæ omnibus creaturis communiter collata sunt. 506
Cap. III. — Quod homo ad imaginem sui Creatoris conditus, et beatitudinis capax sit. 507
Cap. IV. — Quod amore, in quo plenius ipsius erat beatitudinis gustus, a Deo recesserit homo; et sic miser effectus Dei in se imaginem corruperit, nec tamen abroleverit. 508
Cap. V. — Quod post Salvatoris adventum Dei in homine renovetur imago; et quod non hic sed in futuro speranda sit ipsius renovationis perfectio. 509
Cap. VI. — Disputatio contra insipientem, qui dixit in corde suo: *Non est Deus.* 510
Cap. VII. — Quod mentis affectu homo a Deo recesserit. 511
Cap. VIII. — Quod ex charitatis affectu homo in Dei imaginem reformetur. 512
Cap IX. — Quod amor noster adversum se ex charitate et cupiditate contrario appetitu dividatur. 513
Cap. X. — Quod liberum arbitrium in anima locum medium teneat: nec tamen ad bonum et malum æque sufficiat. 513
Cap. XI. — Quod gratia liberum non tollat arbitrium. 514
Cap. XII. — Quod nec salvatis nec damnatis liberum arbitrium auferatur, et quod gratia non nisi in libero arbitrio operetur. 515
Cap. XIII. — Ratio cur non ad bonum et ad malum liberum arbitrium æque sufficiat. 517
Cap. XIV. — Quid sit inter gratiam, quam primi homines in paradiso, et illam quam habent prædestinati in mundo, et quod juste imputetur homini mala voluntas, licet ad bonam obtinendam liberi arbitrii non sufficiat facultas. 517
Cap. XV. — Quod justissima sit etiam parvulorum dam-

Digitized by Google

natio. 518
CAP. XVI. — Quod charitati nihil desit perfectionis. 519
CAP. XVII. — De spirituali circumcisione, quæ in charitate continetur. 520
CAP. XVIII. — Quod verum sabbatum ac spirituale in charitate. 521
CAP. XIX. — Quantum dies septimus cæteris præferatur; et quod in eo Dei charitas commendetur. 521
CAP. XX. — Cur senarius numerus in Dei opere, septenarius in ejus requie commendetur. 523
CAP. XXI. — Quod in omnibus creaturis quoddam vestigium divinæ charitatis appareat; et ideo quasi ad sabbatum, id est ad requiem, omnia tendant. 524
CAP. XXII. — Quod rationalis creatura nonnisi in beatitudinis adeptione quiescit, et quare cum beatitudinem optet, viam tamen qua eam obtineat, mira infelicitate relinquat. 525
CAP. XXIII. — De prærogativa rationalis creaturæ: et quod requies, quam naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in mundi hujus sit quærenda divitiis. 526
CAP. XXIV. — Quid sit inter divites electos et reprobos. 527
CAP. XXV. — Quod nec in mundiali amicitia requies sit quærenda. 528
CAP. XXVI. — Quod nec in corporis voluptate, nec mundi potentia requies inveniatur. 528
CAP. XXVII. — Quod charitas sit illud jugum suave, sub quo vera requies, quasi verum sabbatum invenitur. 530
CAP. XXVIII. — Exemplum de seipso, et sua conversione. 531
CAP. XXIX. — Quantum errent, qui de Dominici jugi asperitate causantur, cum, quidquid laboris sentitur, ex reliquiis sit cupiditatis; quidquid requiei, ex infusione charitatis. 533
CAP. XXX. — Quod hi, qui de Dominici oneris gravitate querantur, mundi potius onere comprimuntur. 534
CAP. XXXI. — Quanta sit in charitate perfectio, et quid a cæteris virtutibus distet. 534
CAP. XXXII. — Quomodo opera sex dierum cæteris attentur virtutibus; septimi vero diei requies charitati assignetur. 536
CAP. XXXIII. — Quod in hac vita cæteræ virtutes charitati famulentur; et post istam vitam in charitatis plenitudinem transfundendæ sint. 537
CAP. XXXIV. — Interveniente morte amici, triplicis concupiscentiæ consideratio differtur, et in ejus epitaphium primus hic liber terminatur. 539
LIBER SECUNDUS, in quo obviat auctor querelis quorumdam. 545
CAPUT PRIMUM. — Quid in primo libro proposuerit considerandum: et quod manifeste vitiosi ab hac sint consideratione removendi. 545
CAP. II. — Quod labor exterior pro interioris qualitate formetur, et ab illo aliquando minuatur. 547
CAP. III. — Quod omnia accidentia charitas sua temperet tranquillitate, cupiditas omnia sua corrumpat perversitate. 548
CAP. IV. — Quod a triplici concupiscentia omnis labor interior oriatur. 549
CAP. V. — De eorum sententia, qui exteriores labores charitati et interiori dulcedini dicunt esse contrarios. 549
CAP. VI. — Apostolica et prophetica auctoritate præmissa sententia confutatur. 550
CAP. VII. — Quæstio, cur quidam ampliori dulcedine in remissiore vita, quam in auctiori, compungantur. 553
CAP. VIII. — Quod triplex sit causa spiritualis visitationis. 553
CAP. IX. — Quod primum genus compunctionis, sicut aliæ quædam gratiæ, et reprobis ad judicium, et electis proveniat ad profectum. 554
CAP. X. — De duplici ratione secundæ visitationis, et quod de ista ad tertium, quæ cæteris excellentior est, transitur. 554
CAP. XI. — Quid in singulis his visitationibus Deus operetur. 555
CAP. XII. — Quod in prima visitatione specialiter timor, in secunda consolatio, in tertia sit dilectio. 556
CAP. XIII. — Quis sit fructus in singulis, et quare quidam secundæ visitationis consolatione priventur. 557
CAP. XIV. — Proponuntur quædam divina testimonia, secundum quæ statum suum quisque metiatur. 558
CAP. XV. — Quibus modis ad spirituales consolationes transitur. 560
CAP. XVI. — Quod non sit desperandum ab aliquo arctioris vitæ proposito, quamvis illum dulcem non experiatur affectum. 561
CAP. XVII. — Interrogationes cujusdam novitii, et suæ responsiones inseruntur. 562
CAP. XVIII. — In quibus amorem Dei stare credendum sit. 566
CAP. XIX. — Quis sit diversarum compunctionum fructus, novitio interroganti exponitur. 567
CAP. XX. — Novitius ille unde Deum se magis amasse probat, inde minus amasse convincitur: et quibus lacrymarum profusio proficiat ostenditur. 569
CAP. XXI. — Quod ex his quæ inserta sunt, quid charitas, quid cupiditas in proficiente operetur, possit adverti. 570
CAP. XXII. — Quanta sit in voluptatum contemptu victoriaque jucunditas. 570
CAP. XXIII. — De vana aurium voluptate. 571
CAP. XXIV. — De concupiscentia oculorum in curiositate sita, quæ ad viam perfectiorem conversos affligit. 572
CAP. XXV. — De superbia vitæ, ac primo de vanitate. 574
CAP. XXVI. — De dominandi libidine. 574
LIBER TERTIUS. 575
CAPUT PRIMUM. — Lex de Sabbatorum distinctione proponitur. 575
CAP. II. — Quod in dilectione triplici, istorum Sabbatorum sit quærenda distinctio: et quæ sit in triplicis dilectionis distinctione complexio. 577
CAP. III. — Quomodo Sabbatum spirituale in sui dilectione sentiatur. 578
CAP. IV. — Quale Sabbatum ex fraterna dilectione capiatur, et quomodo sex anni qui præcedunt septimum, charitati coaptentur. 579
CAP. V. — Quomodo utraque hæc dilectio Dei dilectione servetur. 581
CAP. VI. — Quomodo perfectum Sabbatum in Dei dilectione reperitur, et quomodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur. 582
CAP. VII. — Quid sit amor, quid charitas, quid cupiditas. 583
CAP. VIII. — Quomodo in electione, in motu, in fructu amoris rectus usus constet, sive perversus. 584
CAP. IX. — Quid nos oporteat ad fruendum eligere. 585
CAP. X. — Quod ad actum et desiderium amor noster moveatur, et quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moveatur. 587
CAP. XI. — Quid sit affectus, et quot sint affectus declaratur, et quod spiritualis affectus multipliciter accipiatur, ostenditur. 587
CAP. XII. — De affectu rationali et irrationali. 588
CAP. XIII. — De affectu officiali. 589
CAP. XIV. — De affectu naturali. 589
CAP. XV. — De affectu carnali duplici. 590
CAP. XVI. — Quid de his affectibus sentiendum sit. 590
CAP. XVII. — Quomodo mens ad Dei et proximi dilectionem ratione moveatur. 591
CAP. XVIII. — Distinctio gemini amoris, inter quos animus fluctuat proficientis. 592
CAP. XIX. — Quid sit quod homo benevolus ac suavis, quamvis minus perfectus, majore quam austerus et perfectior et dulciori diligatur affectu, gemina comparatione probatur, et quomodo utriusque amor non sit periculosus ostenditur. 592
CAP. XX. — Quod tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex utroque. 594
CAP. XXI. — Recapitulatio eorum quæ dicta sunt, et quomodo vera Dei cognoscatur dilectio. 594
CAP. XXII. — In proximi dilectione quæ consideratio habenda. 595
CAP. XXIII. — Qui affectus admittendi non sunt, et quantum spiritualis, qui ex Deo est, sit sequendus affectus. 596
CAP. XXIV. — De rationali affectu in quantum et ipse sequendus sit. 597
CAP. XXV. — Officialis affectus in quo cavendus sit, in quo admittendus. 598
CAP. XXVI. — De affectu naturali; et quid sit diligere in Deum, quid propter Deum. 598
CAP. XXVII. — De affectu carnali, quod nec omnino respuendus, nec plene sit admittendus. 600
CAP. XXVIII. — Quod affectum non solum origo, sed etiam processus et finis scrutetur, et quod affectus transeat in affectum, exemplis ostenditur. 601
CAP. XXIX. — Diversos affectus sæpe in eadem mente luctari; et quis cui præponendus sit. 602

Digitized by Google

CAP. XXX. — In affectibus quæ sit quærenda utilitas. 603

CAP. XXXI. — Quibus actibus nos oporteat ad Deum tendere, quibus nobis, proximisque consulere. 604

CAP. XXXII. — De modo humanæ vitæ tractare incipiens, quæ sit in naturali ordine servanda sobrietas ostendit. 605

CAP. XXXIII. — Modus satisfactionis in ordine necessario, purgationisque describitur. 606

CAP. XXXIV. — Quis sit ordo voluntarius, et quis in eo servandus sit modus. 607

CAP. XXXV. — Disputatio contra cujusdam epistolam, de monachorum regula et professione. 608

CAP. XXXVI. — Item modus in ordine voluntario servandus describitur. 613

CAP. XXXVII. — Quid homo sibi, quid proximo debeat, ostenditur, et utrum se proximo, an proximum sibi præferre debeat, declaratur. 614

CAP. XXXVIII. — Inter ipsos proximos, quis cui præponendus sit, distinguitur. 617

CAP. XXXIX. — Qui sint quibus in hac vita frui valeamus. 618

CAP. XL. — Quomodo invicem frui debeamus. 619

CAP. XLI. — Epilogus totius operis, et auctoris excusatio sui. 620

COMPENDIUM SPECULI CHARITATIS. 621

CAPUT PRIMUM. — Ut Creator ametur a sua creatura. 621

CAP. II. — Quod charitati nihil desit perfectionis. 621

CAP. III. — Quod amor noster adversum se ex charitate et cupiditate contrario appetitu dividatur. 622

CAP. IV. — Quod rationalis creatura nonnisi in beatitudinis adoptione quiescit: et quare cum beatitudinem optet, viam tamen, qua eam obtineat, mira infelicitate refugiat. 623

CAP. V. — Quod requies, quam rationalis creatura naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in voluptate, neque in divitiis quærenda sit. 624

CAP. VI. — De suavi jugo charitatis. 625

CAP. VII. — Quanta sit in charitate perfectio. 625

CAP. VIII. — Quod opera sex dierum cæteris aptentur virtutibus, septimæ vero diei requies charitati assignetur. 627

CAP. IX. — De distinctione trium Sabbatorum. 628

CAP. X. — Quod in dilectione triplici, istorum Sabbatorum sit quærenda distinctio. 628

CAP. XI. — Quomodo Sabbatum spirituale in sui dilectione sentiatur. 629

CAP. XII. — Quale Sabbatum ex fraterna dilectione capiatur, et quomodo sex anni, qui præcedunt septimum, charitati coaptentur. 630

CAP. XIII. — Quomodo perfectum Sabbatum in Dei dilectione reperiatur, et qvomodo quinquagesimus annus hujc dilectioni comparetur. 631

CAP. XIV. — Quomodo utraque dilectione sui videlicet et proximi, Dei dilectione servetur. 632

CAP. XV. — In quibus amorem Dei constare credendum sit. 633

CAP. XVI. — In quibus constet amor rectus, sive perversus 634

CAP. XVII. — Quod ad actum et desiderium amor noster moveatur, et quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moveatur. 635

CAP. XVIII. — Quid sit affectus, et quot sint affectus declaratur; quod spiritualis affectus dupliciter accipiatur, ostenditur. 636

CAP. XIX. — De affectu rationali et irrationali. 636

CAP. XX. — De affectu rationali. 636

CAP. XXI. — De affectu naturali. 636

CAP. XXII. — De affectu carnali dupliciter accipiendo. 637

CAP. XXIII. — Quid de his affectibus sentiendum sit. 637

CAP. XXIV. — Quomodo mens ad Dei proximique dilectionem ratione moveatur. 637

CAP. XXV. — Quod affectus non sint in nostro arbitrio positi. 639

CAP. XXVI. — Quod tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex utroque. 639

CAP. XXVII. — Quid sit amare. 639

CAP. XXVIII. — In dilectione proximi quæ sit habenda discretio. 639

CAP. XXIX. — Qui affectus admittendi non sint, et qui sequendi. 640

CAP. XXX. — In quantum rationalis affectus sequendus sit. 640

CAP. XXXI. — Officialis affectus in quo cavendus sit, in quo admittendus. 641

CAP. XXXII. — Quis modus in naturali sit servandus affectu. 641

CAP. XXXIII. — De affectu carnali, quod nec omnino respuendus, nec plene sit admittendus. 642

CAP. XXXIV. — Quod diversi affectus in una sæpius mente luctentur. 642

CAP. XXXV. — De utilitate horum affectuum. 643

CAP. XXXVI. — De usu amoris. 643

CAP. XXXVII. — Quomodo indicem frui debeamus. 645

CAP. XXXVIII. — Quibus actibus nos oporteat ad Deum tendere, proximisque consulere. 646

CAP. XXXIX. — De tribus ordinibus humanæ conversationis, et primo de naturali ordine. 646

CAP. XL. — De necessario ordine. 647

CAP. XLI. — De ordine voluntario, et quis in eo servandus sit modus. 648

CAP. XLII. — Item modus in ipsis exercitiis describitur. 648

CAP. XLIII. — Quid homo proximo suo debeat, ostenditur. 649

CAP. XLIV. — Quomodo sibi et proximo exhibenda sit dilectio. 649

CAP. XLV. — De quibus dispensatio fieri possit. 651

CAP. XLVI. — De modo dispensationis. 651

CAP. XLVII. — De optima lege claustralium. 652

CAP. XLVIII. — Quare laborent aliqui sub jugo Christi. 652

CAP. XLIX. — Quod labor exterior pro interioris qualitate formetur. 652

CAP. L. — Quod omnia accidentia charitas sua temperet tranquillitate; cupiditas omnia corrumpat sua perversitate. 653

CAP. LI. — Quod a triplici concupiscentia omnis labor oriatur. 653

CAP. LII. — De concupiscentia oculorum. 654

CAP. LIII. — De interiori curiositate. 654

CAP. LIV. — De quorumdam sententia, qui exteriores labores charitati et interiori dulcedini dicunt esse contrarios. 654

CAP. LV. — Apostolica et prophetica auctoritate præmissa sententia confutatur. 656

CAP. LVI. — Quomodo charitas et cupiditas in proficiente operentur. 657

CAP. LVII. — Quanta sit in voluptatum contemptu, victoriaque jucunditas. 658

LIBER DE SPIRITUALI AMICITIA. 659

Monitum. 659

Prologus. 659

Liber primus. — De ortu amicitiæ. 661

Liber secundus. — De fructu amicitiæ et excellentia ejus. 669

Liber tertius. — Quomodo, et inter quos possit amicitia indirupta servari. 679

TRACTATUS DE JESU PUERO DUODENNI. 701

REGULA SIVE INSTITUTIO INCLUSARUM. 701

OPERUM PARS SECUNDA. — HISTORICA.

DE BELLO STANDARDII tempore Stephani regis. 701

Incipit descriptio viri venerabilis Ethelredi abbatis Rievallensis, de bello inter regem Scotiæ et barones Angliæ apud Standardum, juxta Alvertonam. 701

GENEALOGIA REGUM ANGLORUM. 711

Incipit epistola abbatis Rievallensis Aelredi ad illustrem ducem H. postmodum Anglorum regem. 711

De sancto rege Scotorum David. 715

Genealogia regum Angliæ, et regis David Scotiæ. 716

De Edelwlfo rege. 718

De piissimo rege Alfredo. 718

De rege Edwardo seniori. 722

De rege Edelstano. 724

De nobili rege Edmundo 725

De Edredo rege. 725

De Edwido rege. 725

De Edgaro rege pacifico. 726

Sermo regis Edgari ad clerum. 727

De rege Ethelredo. 730

De rege Edmundo, cognomento Ferreo latere. 730

Quomodo rex Willelmus successit Heraldo. 734

VITA S. EDWARDI REGIS ET CONFESSORIS. 737

Prologus. 737

Præfatio ad Laurentium abbatem Westmonasterii. 739

Incipit vita. 739

De sua generositate et sanctitate. 739

Quomodo cum matre in Normanniam exsulabat. 742

Quid de eo et regno ejus cuidam episcopo revelabatur

Digitized by Google

Glastoniæ. 742
De initiis regni ejus, et de fratre, et nepotibus ejus. 743
De ejus veneranda conversatione et moribus 745
Quomodo fur, eo inspiciente, thesauros ejus furatus sit. 746
Quomodo in spiritu regem Daciæ divino judicio vidit submersum. 748
Proceres regni de voto suo solvendo alloquitur, et nuntii Romam diriguntur. 749
Rescriptum papæ. 752
De visione quæ apparuit cuidam incluso de ipso rege. 752
De contracto quem rex sanctus portando curavit. 754
De ecclesia Westmonasterii quam sanctus Petrus dedicavit. 755
De responsabilibus iterum ad dominum papam directis per ipsum regem sanctum. 757
Litteræ regis ad Nicolaum papam directæ. 758
Privilegium domini papæ Nicolai. 758
Quomodo super altare Jesum Christum in sacramento cum quodam comite vidit. 760
De glandibus et vermibus regio tactu a quadam femina expulsis. 761
De cæco per manuum ejus lavaturam sanato. 762
De alio cæco similiter per beatum virum illuminato. 763
De quodam cæco regio tactu similiter curato. 764
De tribus cæcis et uno monoculo per beatum virum illuminatis. 765
Quid de duobus filiis de Godwini comitis rex prophetaverat. 765
De miserabili morte Godwini comitis. 766
Quid ei Dominus de septem dormientibus spiritualiter revelaverit. 767
De annulo quem sanctus rex beato Joanni evangelistæ dedit, et quomodo eumdem receperit. 769
De infirmitate regis, et monasterii sui dedicatione Westmonasterii. 770
De visione quam vidit in extremis. 771
Expositio problematis a rege propositi. 773
De morte sancti regis et exsequiis. 774
LIBER SECUNDUS. 775
De contracto ad ejus tumulum sanato. 775
De sex cæcis et septimo monoculo ad ejus sepulcrum illuminatis. 777
De victoria regis Heraldi per beati regis merita. 777
Quomodo cæcus beatum Edwardum vidit de sepulcro exire, et ita visum recepit. 778
De injusta beati Wulstani depositione, et de justa ejusdem per beatum regem restitutione. 779
De prima ejus translatione et corporis incorruptione. 781
De puella ad ejus tumulum sanata. 783
De quodam fratre a febre quartana per sanctum regem liberato. 784
De quodam milite ab eodem morbo sanato. 786
De femina quam absentem curavit. 787
De monacho a triplici morbo curato. 788
DE SANCTIMONIALI DE WATTUN. 789
De quodam miraculo mirabili. 789

HENRICUS ARCHIDIACONUS HUNTINGDONENSIS.

Notitia. 791
OCTO LIBRI HISTORIARUM. 799
Prologus. — Ad Alexandrum Lincolniensem episcopum. 799
Liber primus. 801
Liber secundus. 823
Liber tertius. 841
Liber quartus. 867
Liber quintus. 889
Liber sextus. 909
Liber septimus. 931
Liber octavus. 953
EPISTOLA HENRICI AD WARINUM. 977
EPISTOLA EJUSDEM AD WALTERUM. — De mundi contemptu, sive de episcopis et viris illustribus sui temporis. 979

ODO DE DEOGILO, ABBAS S. DIONISII.

Notitia historico-litteraria. 991
DE PROFECTIONE LUDOVICI VII FRANCORUM REGIS IN ORIENTEM. 999

BERTRANDUS DE BLANCESFORT.

EPISTOLÆ AD LUDOVICUM JUNIOREM FRANCORUM REGEM. 999

VOLBERO ABBAS S. PANTALEONIS COLONIENSIS.

Notitia. 1001
COMMENTARIA SUPER CANTICUM CANTICORUM. 1001
Epistola nuncupatoria. 1001
Epistola dedicatoria Wolberonis abbatis. 1005
Censura abbatis Gerodhensis. 1009
Præfatio generalis Wolberonis in Canticum canticorum. 1009
Liber primus. 1017
Liber secundus. 1103
Liber tertius. 1129
Liber quartus. 1213
Epilogus. 1271
INDEX rerum, verborum et sententiarum memorabilium ad Wolberonis commentarium in Cantica. 1277

FINIS TOMI CENTESIMI NONAGESIMI QUINTI.

Ex Typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

5503 016

Digitized by Google